This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

HW 2LGN A

KE 32517

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

THE BEQUEST OF
JOHN STRACHAN LAWRENCE
CLASS OF 1871

August 8, 1924



Quinti Horatii Flacci
O P E R A.

INTERPRETATIONE & NOTIS

ILLUSTRAVIT

LUDOVICUS DESPREZ,

Cardinalitius Socius ac Rhetor Emeritus,

J U S S U

Chriſtianiſſimi R E G I S,

I N U S U M

Sereniſſimi D E L P H I N I,

A C

Sereniſſimorum Principum Burgundiæ,

Andium & Biturigum.

Huic EDITIONI acceſſere

Vita *HORATII* cum *DACERII* Notis,

Ejuſdem Chronologia Horatiana, & Præfatio

De SATIRA ROMANA.

Editio Decima quarta, prioribus longè emendatior.

LONDINI:

Impenſis, C. Bathurst, W. Strahan, J. F. & C. Rivington, G. Keith, S. Crowder, T. Longman, T. Caslon, B. Law, E. Johnson, W. Ginger, G. Robinson, R. Baldwin, E. Johnston, W. Goldsmith, W. Stuart, T. Beecroft & T. Pote.

M.DCC.LXXVI.

~~Lh 9.222.9~~
KE 325

HAR

Bequ
John S.

Q. HORATII FLACCI
VITA,
PER
LUDOVICUM DESPREZ.

QUINTUS [a] HORATIUS FLACCUS in Venuſio Apuliæ oppido natus eſt. [b] Patrem habuit libertinum, & exactionum coactorem. Salſamentarium ſcribunt aliqui: eò quòd in altercatione quidam Horatio exprobraverit, *Quoties ego vidi patrem tuum brachio ſe emungentem?* Cujus dicterii meminit Tullius 4, ad Heren. [c] Natalem ejus ponunt duobus annis ante conjurationem Catilinariam, L. Aurelio Cotta & Manlio Torquato iterùm Conſulibus. [d] A patre Romam puer deductus, ibique honeſtè educatus, atque liberalibus diſciplinis inſtitutus eſt. [e] Orbilium grammaticum audivit. [f] Româ Athenas ſe contulit, Philoſophiæ diſcendæ cauſâ. [g] Athenis cùm verſaretur, annum ætatis agens viceſimum

[a] Lib. 2. Satira 1. verſu 35.
[b] Lib. 1. Sat. 4. & 6.
[c] Lib. 3. Od. 21. Epod. 13.
[d] Lib. 1. Sat. 6. Lib. 2. Epiſt. 2. v. 41.
[e] Lib. 2. Epiſt. 1.
[f] Lib. 2. Epiſt. 1.
[g] Lib. 2. Od. 7. Lib. 3. Od. 14. Lib. 1. Sat 6. v. 48.

tertium

tertium, à Bruto abſtractus ad civile bellum, ac Tribunus militum factus, Philippenſi cladi interfuit. [h] Tum victus, & bonis exutus paternis, paupertate conflictatus ad poeſim animum appulit. [i] Hinc Mæcenatis amicitiam demeruit: ac per eum ſubinde cum Auguſto reconciliatus, utrique valde charus extitit, & liberaliter ditatus. [k] Suetonio etiam teſte, primùm ſcriba Quæſtorius fuit, poſt veniam ab Auguſto impetratam. [l] Animo erat à tumultibus urbanis alieno, ſeceſſumque amabat. Apud Sabinos autem libenter morabatur in fundulo ſuo, quem deſcribet Lib. 1. Epiſt. 16. [m] Hinc ſcribendarum epiſtolarum munus ab Auguſto oblatum detrectavit. [n] Victûs frugalitatem cum munditiâ dilexit. [o] Fuit corporis habitu brevi & obeſus. De ingenii ſcriptorumque elegantiâ nihil eſt quod dicam, cùm tot ſæcula non ſine admiratione prædicaverint junctam ab eo in carminibus Anacreontis ſuavitatem cum Pindari virtute & ſublimitate: in ſermonibus verò eam dicacitatem urbanam, quâ nihil ſolertius & ſagacius. Mortuus eſt anno ætatis 57. Erravitque librarii manus ex Suetonio ſcribentis 59. [p] Auguſtum hæredem palam nuncupavit. Humo conditus eſt extremis Eſquiliis, juxta Mæcenatis tumulum.

[h] Lib. 2. Epiſt. 2.
[i] Lib. 1. Od 18. Lib. 3. Od. 16. Epod. 1.
[k] Lib. 2. Sat. 6. v. 36.
[l] Lib. 1. Sat. 6. Lib. 1. Epiſt. 10.
[m] Sueton. in vitâ Horatii.
[n] Lib. 1. Od. 31. Lib. 2. Sat. 6. Lib. 1. Epiſt. 5.
[o] Lib. 1. Sat. 3. Lib. 1. Epiſt. 4. & 20.
[p] Sueton. cit.

Q. HORATII FLACCI
VITA
E
SUETONIO.

Q*UINTUS HORATIUS FLACCUS, Venuſinus, patre, ut ipſe quidem tradit, libertino, et exactionum coactore: ut vero creditum eſt, ſalſamentario: quum illi quidam in altercatione exprobrâſſet,* Quoties ego vidi patrem tuum cubito ſe emungentem! *Bello Philippenſi excitus à M. Bruto Imperatore, Tribunus militum meruit: victiſque partibus, veniâ impetratâ, ſcriptum Quæſtorium comparavit: ac primo Mæcenati, mox Auguſto in gratiam inſinuatus non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Mæcenas quantopere eum dilexerit, ſatis demonſtratur illo Epigrammate.*

Ni te viſceribus meis, Horati,
Plus jam diligo, tu tuum ſodalem
Hinno me videas ſtrigoſiorem.

Sed multo magis extremis, tali ad Auguſtum elogio: Horatii Flacci, ut mei, eſto memor. *Auguſtus Epiſtolarum quoque ei officium obtulit, ut hoc ad Mæcenatem ſcripto ſignificat:* Antè ipſe ſufficiebam ſcribendis epiſtolis amicorum: nunc occupatiſſimus & infirmus Horatium noſtrum te cupio adducerè. Veniet igitur ab iſta paraſitica menſa ad hanc regiam, & nos in epiſtolis ſcribendis adjuvabit. *Ac ne recuſanti quidem aut ſuccenſuit quicquam aut amicitiam ſuam ſuggerere deſtitit. Extant epiſtolæ, à quibus, argumenti gratia, pauca ſubjeci.* Sume tibi aliquid juris apud me, tanquam ſi convictor mihi fueris. Rectè enim & non temerè feceris, quoniam id uſus mihi tecum eſſe volui, ſi per valetudinem tuam fieri poſſet. *Et rurſus:* Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque noſtro audire: nam incidit ut coram illo fieret à me tui mentio. Neque enim, ſi tu ſuperbus amicitiam noſtram ſpreviſti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν. *Præterea ſæpe eum, inter alios jocos,* puriſſimum penem & homuncionem lepidiſſimum *appellat: unaque & altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus uſque adeo probavit, manſuraque perpetuo credidit, ut non modo ſeculare carmen componendum injunxerit, ſed et Vindelicam victoriam Tiberii Druſique, privignorum ſuorum: eumque coegerit propter hoc, tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere; Poſt ſermones vero lectos quoſdam, nullam ſui mentionem factam ita ſit queſtus:* Iratum me tibi ſcito, quod non in pleriſque ejuſmodi ſcriptis mecum potiſſimum loquaris. An vereris ne apud poſteros infame tibi ſit, quod videaris familiaris nobis eſſe? *Expreſſitque Eclogam, cujus initium eſt;*

Quum tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora, Cæſar.

Habitu

Habitu corporis brevis fuit, atque obeſus; qualis & à ſemetipſo in Satyris deſcribitur, & Auguſto hac Epiſtolâ: Pertulit ad me Dionyſius libellum tuum, quem ego (ne accuſem brevitatem) quantuluſcunque eſt, boni conſulo. Vereri autem mihi videris ne majores libelli tui ſint, quam ipſe es, ſed ſi tibi ſtatura deeſt, corpuſculum nón deeſt. Itaque licebit in ſextariolo ſcribas, quum circuitus voluminis tui ſit ὀγκωδέστατος, ſicut eſt ventriculi tui.

Vixit plurimum in ſeceſſu ruris ſui Sabini, aut Tiburtini: domuſque ejus oſtenditur circa Tiburni luculum.

Venerunt in manus meas & Elegi, ſub ejus titulo, & Epiſtola proſa oratione, quaſi commendantis ſe Mæcenati. Sed utràque falſa puto: nam Elegi vulgares: Epiſtola autem obſcura: quo vitio minimè tenebatur. Natus eſt VI. Id. Dec. C. Cotta & L. Torquato Conſulibus. Deceſſit V. Kal. Dec. C. Marcio Cenſorino & C. Aſinio Gallo Conſulibus, poſt nonum & quinquageſimum annum: hærede Auguſto palam nuncupato, quum, urgente vi valetudinis, non ſufficeret ad obſignandas teſtamenti tabulas. Humatus & conditus eſt extremis Eſquiliis juxta Mæcenatis tumulum.

V. Clar. *AND. DACERII*

N O T Æ

IN VITAM

Q. HORATII FLACCI.

Q. *Horatii Flacci vita è Suetonio.*] Hanc vitam Porphyrio diſertè adjudicat Suetonio in Notis ſuis ad Epiſt. 1. Lib. II. his verbis, *Auguſto increpanti Horatium, quod non ad ſe quoque plurima ſcriberet, ut Suetonius auctor eſt, imprimis cum laude Cæſaris ſe excuſat.* At vel tacente Porphyrione, ita ſe prodit hìc Suetonii ſtylus, ut peritum lectorem haud temere fallat.

Patre, ut ipſe quidem tradit, libertino, & exactionum coactore.] Hoc de ſeipſo profitetur Horatius Sat. 6. Lib. 1. v. 45.

Nunc ad me redeo libertino patre natum.
Nec timuit, ſibi ne vitio quis verteret, olim
Et v. 84. *Si præco parvas, aut, ut fuit ipſe, coactor*
Mercedes ſequerer————

Ut vero creditum eſt, ſalſamentario.] Salſamentarium propriè nuncupant Græci ἀλλαντοπώλην, Galli *un Charcutier*, qui parat venditque farcimina, tomacula, & id genus alia.

Quoties ego vidi patrem tuum cubito ſe emungentem?] Hoc convicio irridebantur Salſamentariorum filii. Cic. IV. Lib. Rhetoricorum ad Herennium (ſiquidem ille eſt verus illius operis auctor) *Per conſequentiam ſignificatio ſit, cum res quæ ſequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in ſuſpicione, ut ſi ſalſamentarii filio dicas. Quieſce tu, cujus pater cubito ſe emungere ſolebat.*

Bello Philippenſi excitus a M. Bruto Imperatore, Tribunus militum meruit.] Tunc temporis Horatius literis operam dabat Athenis. Vide quid narrat ipſe Epiſt. 2. Lib. II.

NOTÆ IN VITAM HORATII.

Scriptum Quæſtorium comparavit.] Lege ſcribtum pro ſcribatum. Vide Notas noſtras ad v. 36, Sat. 6. Lib. II.

De re communi ſcribæ magna atque nova te
Orabant hodie meminiſſes, Quinte, reverti.

adde quod ſcribit. Liv. cap. 46. Lib. IX. & A. Gell. cap. 9. Lib. VI.

Ac primo Mæcenati—in gratiam inſinuatus.] Hæc ita narrantur, quaſi Horatius non innotuerit Mæcenati, niſi poſt impetratam demum ab Auguſto veniam, & comparatum ſcribatum Quæſtorium. At iſtud Suetonio nunquam excidiſſet. Mæcenate enim deprecante, Cæſar ignovit Horatio, eique bona ſua Fiſco addicta reddidit. Suetonius hoc loco de eo tempore loquitur, quo cœpit Mæcenas Horatium habere in numero familiarium ſuorum, quocum negotia ſua communicaret; quemque in otio ſuo jucundum adhiberet comitem.

Hinno me videas ſtrigoſiorem] Non placet iſta lectio. Proculdubio ſcripſerat Mæcenas, *Ninno me videas ſtrigoſiorem*, eamque lectionem ſecutus eſt doctiſſimus Voſſius. Fuit iis temporibus Nin. Craſſus poëta quovis pumice aridior, eamque ob cauſam iſtiuſmodi conviciis obnoxius.

Elogium.] Græcè ἐλόγιον, propriè ſignificat titulum, lemma, præfationem conciſam, breviarium, quo quis, quid ſibi velit, paucis verbis docet.

Nunc occupatiſſimus & infirmus.] Infirma valetudine utebatur Auguſtus omni tempore, poſt autem bellum Hiſpanicum, impendio magis graveſcere cæpit ejus valetudo. Poſt iſtud igitur bellum conſtat eum hanc epiſtolam ad Mæcenatem ſcripſiſſe, Horatioque obtuliſſe munus epiſtolarium.

Ab iſta paraſitica menſa.] Horatius enim non erat ex Mæcenatis domeſticis, neque ullius ordinarii officii causâ apud eum hærebat, ideoque eum hic irridit Auguſtus ut Mæcenatis paraſitum, cum ei eſſet aſſiduus conviva.

Ac ne recuſanti quidem aut ſuccenſuit quicquam, aut amicitiam ſuam ſuggerere deſtitit.] In primis notatu dignum eſt, quod hic obſervat Suetonius. Rara eſt in principibus ejuſmodi moderatio: cujus quidem exhibendæ fateor non niſi rariſſimas iis præberi occaſiones. Adeo in paucos incidunt, qui officia ampla & honores ultro ſibi oblatos detrectent.

Si per valetudinem tuam fieri poſſet.] Indicant hæc verba Horatium, valetudinis ſuæ excuſatione uſum honorem ſibi ab Auguſto oblatum recuſaſſe. Jam enim conſenuerat, unde etiam ſequitur hoc ei non oblatum fuiſſe ante bellum Hiſpanicum, ut ſupra dixi.

Septimio.] Idem eſt Septimius, quem alloquitur Hor. Od. 6. Lib. II. quem laudat Ep. 3. Lib. I. quemque Tiberio commendat Ep. 9. Lib. I.

Unaque et altera liberalitate locupletavit.] Nihil quicquam memini ab Horatio dictum de Auguſti in ſe liberalitate, quod tamen ſilentium non eſt ab ingrato animo profectum. Nemo unquam fuit princeps, qui aliquibus non benefecerit, pauci autem fuerunt Auguſti ſimiles, qui omnibus ſuis ſubjectis benefecit. Quorſum igitur pro ſeipſo ſeorſim gratias ageret, quum eſſent pro toto mundo gratiæ agendæ? Sola autem hu-

juſmodi gratiarum actio gloriam principis amplificat, ſolaque digna eſt quæ literarum monumentis poſteritati commendetur. Itaque Horatius, qua erat prudentia, nihil prætermiſit, quo demonſtraret imperium univerſum Auguſto acceptam retuliſſe felicitatem ſuam; neque quenquam fuiſſe civem Romanum, qui ei tranquillitatem vitamque ſuam non deberet.

Vindelicam victoriam Tiberii Druſique.] Quod quidem fecit Od. 4. & 14. Lib. 4.

Eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere.] Qui credet omnes Odas lib. IV. ab Horatio ſcriptas poſtquam hoc erat ei ab Auguſto imperatum, næ is longe errabit. Illud ſolum dicit Suetonius, Horatium ab Auguſto coactum fuiſſe quartum librum edere, illaſque Odas, quas ex ipſius imperio compoſuiſſet, iis adjungere, quas jampridem feciſſet, necdum in lucem edidiſſet. Vide Notas ad Od. 1. Lib. IV.

Habitu corporis brevis fuit & obeſus.] Quod ipſe dicit Sat. 3. Lib. II. ubi ſe affirmat eſſe ſtaturæ non amplius bipedalis.

Vixit plurimum in ſeceſſu ruris ſui.] Hibernos menſes nonnunquam Tarenti tranſigebat. Sed maximam ætatis ſuæ partem degebat in Tiburtino ſuo: quem locum prætulit Tarento, quod oſtendit Od. 6. Lib. II.

Sabini aut Tiburtini.] Cave hinc colligas geminum fuiſſe Horatio rus. Villa ejus fuit inter agrum Tiburtem, & Sabinum, unde alii illam Tiburtinis accenſent, alii Sabinis; quod fieri ſolet de villis, urbibus, & montibus qui duabus regionibus interjacent. Sic Venuſium nunc Lucaniæ, nunc Apuliæ urbs habebatur, ut loquitur noſter Sat. I. Lib II.

——Lucanus, an Appulus, anceps.
Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus.

Et Od. 4. Lib. III. eadem de cauſa ponit montem Vulturem in Apulia & extra Apuliam. Ecce autem locum huic è Suetonio plane ſimilem apud Catullum, qui de rure ſuo, quod in eadem regione ubi & Horatii rus erat, dicit.

O funde noſter, ſeu Sabine, ſeu Tiburs,
Nam te eſſe Tiburtem autumant, quibus non eſt
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi eſt,
Quovis Sabinum eſſe pignore contendunt:
Sed ſeu Sabine ſeu verius Tiburs, &c.

Domuſque ejus oſtenditur circa Tiburni luculum.] Is eſt Tiburni lucus, de quo Od. 7. Lib. I.

Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Fuit autem Tiburnus Catilæ & Coræ frater, qui quam condiderant urbem, Tibur ex nomine fratris ſui maximi natu nuncupaverunt. Virgil. Lib. VII.

Sed

Sed utraque falſa puto; nam Elegi vulgares.] Egregium eſt hoc loco Suetonii judicium. Ex eo, quod vulgares ſunt hi Elegi, Horatio illos abjudicat. Longè aliam tuliſſent ſententiam hodierni Critici, qui nulli labori parcunt, dum antiquorum vitia perveſtigant, quique pulcherrimos ſæpe locos vexant damnantque, ideo tantum, quia quod pulcherrimum eſt, à Genio ipſorum abhorret maxime. Quo plura reperiſſent in his elegis humilia & inepta, eo impenſius contendiſſent verum auctorem fuiſſe Horatium. Prô dolor! quanto cum ipſorum diſpendio perierunt? Huc enim provocarent, tanquam ad certiſſimam auctoritatem, gratulantes ſibi repertos eſſe teſtes qualeſcunque, qui cauſæ recentiorum faverent contra antiquos.

Elegi vulgares.] Potuit Suetonius, ex ipſo Horatio ſumpto argumento, contendere hos elegos fuiſſe ſubdititios; ipſe enim de ſuis ſcriptis loquens dicit Ep. ult. Lib. II.

Carmina compono, hic elegos.

Epiſtola autem obſcura.] Noſtro igitur vitio fit, quod obſcura quædam apud Horatium deprehendamus: plerumque vero commentatorum, & interpretum culpa, qui ſæpe clariſſimis alioqui locis tenebras offuderunt, quique auctorem penitus depravârunt inepto eo ſenſu quem ipſi affinxerunt.

VI. Id. Dec.] Hoc eſt, octavo ejus menſis die, anno ab U. C. 688. 63. annis ante Natum Chriſtum.

L. Cotta & L. Torquato Coſſ.] Dicente ipſo Od. 21. Lib. III.

O nate mecum conſule Manlio!

Et Od. 13. Lib. V.

Tu vina Torquato move
Conſule preſſa meo.

Deceſſit C. Martio Cenſorino & C. Aſinio Gallo Coſſ.] Anno ab U. C. 745. ſex annis ante Natum Chriſtum. Errat igitur Suetonius, cum dicit infrà *poſt quinquageſimum nonum annum.* Ab octavo enim Decem. die ann. 688. ad vigeſimum ſeptimum Nov. 745 non ſunt amplius quinquaginta ſeptem anni minus undecim diebus. Niſi hæc ſit pôtius culpa librarii.

Hærede Auguſto palam nuncupato, quum urgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas Teſtamenti tabulas.] Jure Civili rata habentur Teſtamenta viva voce dicta, modo teſtator hæredem ſuum nuncuparit coram ſeptem teſtibus. Juſtinian. Inſt. Tit. 10. Sect. 13. *Si quis autem ſine ſcriptis voluerit Jure Civili ordinari teſtamentum, ſeptem teſtibus adhibitis, & ſua voluntate coram iis nuncupata, ſciat hoc perfectiſſimum teſtamentum Jure Civili firmumque conſtitutum.*

In extremis Eſquiliis juxta Mæcenatis tumulum.] Habitavit enim Mæcenas in extremis Eſquiliis, ubi ſuperbam ſibi domum fecerat, adeoque ſepulchrum.

juſmodi gratiarum actio gloriam principis amplificat, ſolaque digna eſt quæ literarum monumentis poſteritati commendetur. Itaque Horatius, qua erat prudentia, nihil prætermiſit, quo demonſtraret imperium univerſum Auguſto acceptam retuliſſe felicitatem ſuam; neque quenquam fuiſſe civem Romanum, qui ei tranquillitatem vitamque ſuam non deberet.

Vindelicam victoriam Tiberii Druſique.] Quod quidem fecit Od. 4. & 14. Lib. 4.

Eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere.] Qui credet omnes Odas lib. IV. ab Horatio ſcriptas poſtquam hoc erat ei ab Auguſto imperatum, næ is longe errabit. Illud ſolum dicit Suetonius, Horatium ab Auguſto coactum fuiſſe quartum librum edere, illaſque Odas, quas ex ipſius imperio compoſuiſſet, iis adjungere, quas jampridem feciſſet, necdum in lucem edidiſſet. Vide Notas ad Od. 1. Lib. IV.

Habitu corporis brevis fuit & obeſus.] Quod ipſe dicit Sat. 3. Lib. II. ubi ſe affirmat eſſe ſtaturæ non amplius bipedalis.

Vixit plurimum in seceſſu ruris ſui.] Hibernos menſes nonnunquam Tarenti tranſigebat. Sed maximam ætatis ſuæ partem degebat in Tiburtino ſuo: quem locum prætulit Tarento, quod oſtendit Od. 6. Lib. II.

Sabini aut Tiburtini.] Cave hinc colligas geminum fuiſſe Horatio rus. Villa ejus fuit inter agrum Tiburtem, & Sabinum, unde alii illam Tiburtinis accenſent, alii Sabinis; quod fieri ſolet de villis, urbibus, & montibus qui duabus regionibus interjacent. Sic Venuſium nunc Lucaniæ, nunc Apuliæ urbs habebatur, ut loquitur noſter Sat. I. Lib II.

——Lucanus, an Appulus, anceps.
Nam Venuſinus arat finem ſub utrumque colonus.

Et Od. 4. Lib. III. eadem de cauſa ponit montem Vulturem in Apulia & extra Apuliam. Ecce autem locum huic è Suetonio plane ſimilem apud Catullum, qui de rure ſuo, quod in eadem regione ubi & Horatii rus erat, dicit.

O funde noſter, ſeu Sabine, ſeu Tiburs,
Nam te eſſe Tiburtem autumant, quibus non eſt
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi eſt,
Quovis Sabinum eſſe pignore contendunt:
Sed ſeu Sabine ſeu verius Tiburs, &c.

Domuſque ejus oſtenditur circa Tiburni luculum.] Is eſt Tiburni lucus, de quo Od. 7. Lib. I.

Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Fuit autem Tiburnus Catilæ & Coræ frater, qui quam condiderant urbem, Tibur ex nomine fratris ſui maximi natu nuncupaverunt. Virgil. Lib. VII.

Sed

Sed utraque ſalſa puto; nam Elegi vulgares.] Egregium eſt hoc loco Suetonii judicium. Ex eo, quod vulgares ſunt hi Elegi, Horatio illos abjudicat. Longè aliam tuliſſent ſententiam hodierni Critici, qui nulli labori parcunt, dum antiquorum vitia perveſtigant, quique pulcherrimos ſæpe locos vexant damnantque, ideo tantum, quia quod pulcherrimum eſt, à Genio ipſorum abhorret maxime. Quo plura reperiſſent in his elegis humilia & inepta, eo impenſius contendiſſent verum auctorem fuiſſe Horatium. Prô dolor! quanto cum ipſorum diſpendio perierunt? Huc enim provocarent, tanquam ad certiſſimam auctoritatem, gratulantes ſibi repertos eſſe teſtes qualeſcunque, qui cauſæ recentiorum faverent contra antiquos.

Elegi vulgares.] Potuit Suetonius, ex ipſo Horatio ſumpto argumento, contendere hos elegos fuiſſe ſubdititios; ipſe enim de ſuis ſcriptis loquens dicit Ep. ult. Lib. II.

Carmina compono, hic elegos.

Epiſtola autem obſcura.] Noſtro igitur vitio fit, quod obſcura quædam apud Horatium deprehendamus: plerumque vero commentatorum, & interpretum culpa, qui ſæpe clariſſimis alioqui locis tenebras offuderunt, quique auctorem penitus depravârunt inepto eo ſenſu quem ipſi affinxerunt.

VI. Id. Dec.] Hoc eſt, octavo ejus menſis die, anno ab U. C. 688. 63. annis ante Natum Chriſtum.

L. Cotta & L. Torquato Coſſ.] Dicente ipſo Od. 21. Lib. III.

O nate mecum conſule Manlio!

Et Od. 13. Lib. V.

Tu vina Torquato move
Conſule preſſa meo.

Deceſſit C. Martio Cenſorino & C. Aſinio Gallo Coſſ.] Anno ab U. C. 745. ſex annis ante Natum Chriſtum. Errat igitur Suetonius, cum dicit infrà *poſt quinquageſimum nonum annum.* Ab octavo enim Decem. die ann. 688. ad vigeſimum ſeptimum Nov. 745 non ſunt amplius quinquaginta ſeptem anni minus undecim diebus. Niſi hæc ſit potius culpa librarii.

Hærede Auguſto palam nuncupato, quum urgente vi valetudinis non ſufficeret ad obſignandas Teſtamenti tabulas.] Jure Civili rata habentur Teſtamenta viva voce dicta, modo teſtator hæredem ſuum nuncuparit coram ſeptem teſtibus. Juſtinian. Inſt. Tit. 10. Sect. 13. *Si quis autem ſine ſcriptis voluerit Jure Civili ordinari teſtamentum, ſeptem teſtibus adhibitis, & ſua voluntate coram iis nuncupata, ſciat hoc perfectiſſimum teſtamentum Jure Civili firmumque conſtitutum.*

In extremis Eſquiliis juxta Mæcenatis tumulum.] Habitavit enim Mæcenas in extremis Eſquiliis, ubi ſuperbam ſibi domum fecerat, adeoque ſepulchrum.

Juxta Mæcenatis tumulum.] Deceſſerat Mæcenas eodem anno. Unde autem factum eſt, ut Horatius, ſuperſtes cum eſſet, nihil in ſcriptis reliquerit, quo teſtaretur dolorem ex Mæcenatis morte conceptum? Mihi quidem illud non videtur credibile. Tanto eum affectu dilexit, tantaque in ſe merita ejus erant, ut nefas eſſet officium lugendi Mæcenatis cuiquam alteri reliquiſſe. Nullo pacto eſſet ignoſcendum adeo inhumano facinori. Si ita nefariè ingratus fuiſſet, non tam æſtimarem ſcripta, quam ipſum auctorem aſpernarer: meque adeo pœniteret tanti temporis in eo explicando vertendoque collocati. Videamus an hiſtoria nobis aliquid ſuggerat, quod eum expediat à crimine ſilentii iſtius, quod quidem primo tam ſuſpectum tamque odioſum apparet. Dio de eo anno loquens qui Mæcenati ſupremus fuit, enumerat primo omnia felicia, quæ Auguſto eo anno contigerunt. Cumque demonſtraſſet priores octo menſes nihil ei præter felices eventus dediſſe, addit finem anni non reſpondiſſe principio, mortemque Mæcenatis derepente interrupiſſe proſperorum ſeriem, ad nonum uſque menſem continuatam. Mors igitur Mæcenatis non niſi poſt octavum menſem contigit. At quamvis ſtatim poſt eum menſem exactum contigiſſet (quod tamen non conſtat, cum Dio non deſignet quoto die contigerit) à fine Octobris ad vigeſimum ſeptimum diem Novemb. m. non fuiſſet Horatio ſpatium primis lacrymis abſtergendis. Itaque conſtat eum non diu ſuperſtitem fuiſſe amico ſuo. Quid autem aliud facere potuiſſet, quo clarius demonſtraret, quam vehementer eum dilexerit? Tum proculdubio id præſtitit, quod ante aliquot annos pollicitus erat, quum ad Mæcenatem ſcriberet, periculoſo morbo laborantem & mortem optantem.

Ah te meæ ſi partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus æque, nec ſuperſtes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam; non ego perfidum
Dixi ſacramentum: ibimus, ibimus,
Utcunque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati, &c.

Si aſtrologis advocatis de natali ſuâ hora conſultaſſet Horatius, non potuiſſet de ſuorum temporum cum Mæcenatis temporibus conſenſu felicius ariolari. At ille magis perſpectas habuit amicitiæ ſuæ, quam fatalis ſui ſideris vires. Neque difficile eſt vera vaticinari, cum in tuo arbitrio ſitum ſit, ut conſtent quæ prædixeris.

CHRO-

CHRONOLOGIA

Annorum HORATII

PER

CONSULES:

Digeſta è DACERIO.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
688	63	1	L. Aurelius Cotta II. L. Manl. Torquatus II.
689	62	2	L. Jul. Cæſar C. Marcius Figulus
690	61	3	M. Tullius Cicero C. Antonius

Hoc anno exarſit Catilinæ Conjuratio. Natus eſt Auguſtus.

691	60	4	D. Jun. Silanus L. Licinius Murena
692	59	5	Calphur. Piſo M. Valer. Meſſala
693	58	6	Q. Metellus Celer L. Afranius
694	57	7	C. Jul. Cæſar M. Bibulus
695	56	8	L. Calphurnius Piſo A. Gabinius
696	55	9	P. Lentulus Spinther Q. Metellus
697	54	10	C. Cornelius Lentulus L. Marc. Philippus

Egit Horatius novem aut decem primos annos Venuſii, quod patet ex Od. IV. Lib. III. Exinde Romam ad excolendum ingenium miſſus eſt. Sat. VI. Lib. I. Epiſt. II. Lib. II.

Anno

CHRONOLOGIA.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
698	53	11	Cn. Pompeius II. M. Craſſus II.
699	52	12	Appius Pulcher L. Domit. Ænobarbus
700	51	13	Cn. Domitius M. Valer. Meſſala
701	50	14	Cn. Pompeius III. Q. Metellus
702	49	15	M. Marcellus Servius Sulpitius
703	48	16	L. Paulus C. Marcellus
704	47	17	L. Lentulus C. Marcellus
705	46	18	C. Cæſar II. P. Servilius

Pompeius in Ægypto jugulatus. Circa hoc tempus Horatius Athenas ſtudiorum cauſa miſſus eſt. Noluit enim pater, ut eo proficiſceretur, aut uſquam à latere ſuo diſcederet, donec ea eſſet ætate, ut vitæ ſuæ modum ipſe habere, & morum integritatem in corruptiſſima civitate ſervare poſſet.

706	45	19	Q. Fuſ. Calenus P. Vatinius
707	44	20	C. Cæſar III. M. Lepidus
708	43	21	C. Cæſar IV. Q. Fab. Maximus
709	42	22	C. Cæſar V. M. Antonius

Cæſar in Curia Pompeii confoſſus. C. Octavius (qui poſtea Auguſtus) ex Epiro redit Romam.

710	41	23	C. Panſa A. Hirtius

Duobus his Coſſ. uno prælio occiſis, ſuffectus eſt C. Octavianus, aſſumpſitque ſibi Collegam Q. Pedium. Brutus Macedoniam petens, Athenis plures adoleſcentes eduxit ſecum, in iis Horatium. Vide Ep. II. Lib. II. Horat. ſcribit Sat. VII. Lib. I.

711	40	24	M. Lepidus II. L. Munatius Plancus

De hoc Conſulatu Horatius Od. XIV. Lib. III.

Non ego hoc ferrem calidus juventa
Conſule Planco.

Erat jam viginti quatuor annorum, & in Bruti exercitu verſabatur. Aderat pugnæ Philippenſi, inde fugit, *relicta non bene parmula:* à prælio Romam rediit. Fecit Od. XIV. Lib. I.

CHRONOLOGIA.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
712	39	25	P. Servilius II. L. Antonius
713	38	26	Cn. Domitius II. Aſinius Pollio

Pollioni inſcribit Od. I. Lib. II. Mæcenatem Brunduſium comitatur, ſcribitque Sat. V. Lib. I.

714	37	27	L. Cenſorinus C. Calviſius
715	36	28	Appius Claudius C. Norbanus
716	35	29	M. Vipſanius Agrippa L. Caninius, & *poſt ejus mortem*, Statilius Taurus

Pompeius F. rupta ſocietate, quam cum Auguſto inierat, bellum redintegrat. Horat. de ea componit Od. VII. Lib. V.

717	34	30	L. Gellius M. Coccius Nerva

Menas relictis iterum Pomp. F. partibus, Auguſto ſe adjungit, a quo factus eſt Tribunus Militum. In hunc Hor. Od. IV. Lib. V. invehitur.

718	33	31	Sex. Pom. Auguſt. *Cognatus* L. Cornificius

Pompeius in Phrygia trucidatur. Pompeianis jam ſecundum venia datur. Pompeius Varus Romam redit. Horat. Od. VII. Lib. II. ſcribit.

719	32	32	M. Antonius L. Scribonius Libo
720	31	33	C. Cæſ. Octavianus II. L. Volcatius Tullus

Horatius hoc anno edidit Sat. IV. & VI. Lib. II.

721	30	34	Cn. Dom. Ænobarbus C. Socius

Bellum civile Antonium inter & Auguſtum exardeſcit. Roma factionibus infeſtatur. Horatius ſcribit L. V. Od. XVI.

722	29	35	C. Cæſar Octav. III. Meſſala Corvinus

Parat ſe Mæcenas Auguſtum per mare ad bellum Actiacum ſequi. In eam rem compoſita eſt Od. I. Lib. V. Victus Antonius, fugatuſque eſt IV. Non. Septembris. Hanc Auguſti victoriam canit Horatius Od. IX. Lib. V. Sub finem hujus anni moritur Catius Philoſophus Epicureus.

723	28	36	C. Cæſar Octav. IV. M. Craſſus

Alexandria capta. Mors Antonii & Cleopatræ. Facta eſt Od. VI. & XXXVII. Lib. I.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
730	21	43	Auguſtus XI. C. Piſo

Non ſine ratione hunc annum ſpectare videntur Od. XXXVI. Lib. I. Od. XIII. Lib. II. Od. XIX and XXXIX. Lib. III.

731	20	44	Cl. Marcellus L. Arruntius

Supplicium de Fannio Cœpione, & Licinio Murena, cujus ſoror Mæcenati nupſerat, in Auguſtum conjurantibus ſumtum.

732	19	45	M. Lollius Q. Lepidus

Exeunte hoc anno, aut ſequente ineunte ſcripta eſt Lib. I. Ep XX. Mæcenati, qui jam decem amplius annos urbi præfectus fuerat, ſuccedit Agrippa.

733	18	46	M. Aurelius P. Silius Nerva

Tiberius cum imperio in Orientem miſſus Tigranem in Armeniæ, Phraatem in Parthiæ regnum reſtituit. Signa Romana, quæ Parthi Craſſo & M. Antonio abſtulerant, reddita, Romamque remiſſa, Hor. ſcribit Lib. I. Ep. III, IV, & VII. ut & paulo ante Od. XIX, & XXX. Lib. I. Od. II. Lib. II. & Od. IV. Lib. III.

734	17	47	C. Sentius Saturninus Q. Lucretius

Debellatum in Hiſpania per Agrippam, res a Tiberio in Oriente geſtæ Romam illatæ. Scribit Hor. Ep. XII. Lib. I. Virgil. Athenas proficiſcitur, Megaris in morbum incidit, Brunduſii moritur: Roma diſcedentem proſecutus eſt Hor. Od. III. Lib. I. Huic anno etiam ſupponi poſſunt Od. IX. Lib. II. & Sat. V. Lib. II. nec minus commode anno 728.

735	16	48	Cn. Lentulus P. Lentulus
736	15	49	C. Furius C. Silanus

Ludos Seculares dedit Auguſtus. Carmen Seculare paulo ante paraverat Hor. ut & Od. XXI. Lib. I. Od. VI. Lib. IV. at Ep. XIII. Lib. I. & Ep. I. Lib. II. ad hujus anni finem referri poſſunt.

737	14	50	L. Domitius P. Scipio

Auguſtus Cæſar Liciniæ Mæcenatis uxoris amore abreptus, in Galliam proficiſcitur, quo liberius cum ea degeret; relicto ad urbis præfecturam Statilio Tauro, pro Agrippa, aut potius pro Meſſalo Corvino, quid ad id munus minus idoneus, eam paucis diebus tenuerat: hujus anni eſt Od. I. Lib. III. Od. II. & X. Lib. IV.

738	13	51	M. Druſus Libo L. Piſo

Sicambri & Rhæti per Druſum & Tiberium devicti, dum Auguſtus in Gallia moram trahit.

Anno

TESTIMONIA

VETERUM SCRIPTORUM

DE

HORATIO.

OVID. Lib. 4. Triſt. Eleg. 10.

ET tenuit noſtras numeroſus Horatius aures,
Dum ferit Auſoniâ carmina culta lyrâ.

PERS. Sat. 1. v. 116.

Omne vaſer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit; & admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

MARTIAL. Lib. 8. Epig. 18.

Sic Maro nec Calabri tentavit Carmina Flacci,
Pindaricos poſſet cum ſuperare modos.

PETRON. Sat.

Homerus teſtis & Lyrici, Romanuſque Virgilius, & Horatii curioſa felicitas,

LUCAN. Poem. ad Calp. Piſonem.

Auſoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.

QUINTIL. Lib. 10. Cap. 1

Multo eſt terſior ac purius magis Horatius, ad notandos hominum mores præcipuus . . . . . Lyricorum idem Horatius ferè ſolus legi dignus. Nam & inſurgit aliquando, & plenus eſt jucunditatis & gratiæ, & variis figuris & verbis feliciſſimè audax.

AUSON. ad Nepotem.

Te præeunte, Nepos, modulata poëmata Flacci,
Altiſonumque iterum fas eſt didiciſſe Maronem.

TESTIMONIA DE HORATIO.

D. HIERON. Præfat. in Chron.

Quid pſalterio canorius? quod in morem noſtri Flacci & Græci Pindari, nunc Iambo currit, nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur.

SIDON. APOLLIN. Epiſt. ad Lamprid.

In Lyricis Flaccum ſecutus, nunc ferebatur in Iambico citus, &c.

Et alibi:

Stylus aut Maronianus,
Aut quo tu Latium beas, Horati,
Alcæo potior Lyriſtes ipſe.

Comment. Vet.

Horatii ſatira inter Lucilii & Juvenalis ſatiras media eſt. Nam & aſperitatem habet ut Lucilius, & ſuavitatem ut Juvenalis.

J. LIPS. Epiſtolic. Quæſt. Lib. 2. Epiſt. 9.

Horatius in ſatiris placidus, lenis, quietus, monet ſæpius quàm caſtigat; ſed ita præclare tamen hoc ipſum, ut in eâ parte & arte nihil poſſit ſupra eum.

MANUT. Epiſt. Lib. 6. Ep. 7.

Quis enim, qui de Poetis modo judicare aliquid poſſit, uni inter Latinos omnes Horatio vel acumine ingenii, vel ſententiarum gravitate, palmam non tribuit?

TAN. FAB. Cap. Epiſt. Lib. 1. 57.

Venerum ille parens Horatius ei pro ſuâ elegantiâ & ingenii urbanitate haud dubiè placet.

JUL. SCAL. de Re Poet.

Carminum igitur libri vel jucunda inventione, vel puritate ſermonis, vel figurarum, tum novitate, tum varietate, majores ſunt omni non ſolum vituperatione, ſed etiam laude: neque ſolum dicendi genere humili, quemadmodum ſcripſit Quintilianus, contenti: verùm etiam ſublimi maximè commendandi.

Q. HORATII

Q. HORATII FLACCI Carminum, ſeu Odarum, LIBER PRIMUS.

ODE I. AD MAECENATEM.

Alios aliis rebus duci: ſe laude poeſeos, præſertim lyricæ.

MAECENAS atavis edite regibus,
O, & præſidium, & dulce decus meum: [2]
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum

O Mæcenas orte à majoribus proceribus, ô & meum columen, & chara mea *gloria*; *ſunt* plerique, *qui decurrentes gaudent*

ANNOTATIONES.

Ode eſt monocolos, ſeu unius metri. Verſus omnes Choriambici, Aſclepiadei, Tetrametri acatalecti; conſtant ex Spondæo, duobus Choriambis & Pyrrhichio vel Iambo; ſicque ſcandere licet:

Mæcē | nās | ătăvīs | ēdĭtĕ rē | gĭbŭs;

vel iſto modo faciliori,

Mæcē | nās ătă | vīs | ēdĭtĕ | rēgĭbŭs.

1. *Mæcenas.*] Ex antiquis marmoribus Græciſque auctoribus conſtat ita ſcribendum hoc nomen, non *Mecœnas*, ut quidam e vulgo. Vide Cœl. Rhodig. lib. 12. cap. 16. *Mæcenas equeſtri ſed ſplendido natus genere, non minus Agrippâ Cæſari charus.* Vell. Paterculus, *Vir ingenioſus, & magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, niſi illum enervaſſet felicitas*, inquit Seneca Epiſt. 19.

Atavis.] Ex Non. Marcel. quaſi *avi tata*, id eſt, pater. Avi proavus proprie atavus dicitur. Plaut. Perſ. 1, 2, 5.

Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos.

Qui his ſuperiores ſive anteriores ſunt, Majores appellantur.

Edite regibus.] Id eſt, viris principibus, quicquid garriant nonnulli de Etruriæ regibus; quamvis etiam illorum neſcio quam, & quo nixam fundamento ſeriem contexant; ut Mæcenati pater fuerit Menedorus, avus Menippus, Cæcina proavus, Volturenus abavus, Titus atavus, Turrhenus tritavus, Elbius majorum primus, &c. Certe divites quoſque & primarios viros nuncupari aliquando reges, conſtat ex auctoribus tum profanis, tum etiam ſacris. Vide infra Od. 20. v. 5. ibique Annot. lib. 3. Od. 29. *Tyrrhena regum progenies.*

2. *O, & præſidium.*] Mæcenas fuit ſalutis atque dignitatis auctor ac defenſor apud Auguſtum, non Horatio tantum, ſed & Virgilio, Propertio, aliiſque viris literatis præſidium ac tutela: Vide lib. 2. Od. 7. Tanta verò Mæcenatis apud poſteros fama extitit, ut ad omnes eruditorum Patronos id nominis tranſierit, quorum ex munificentiâ atque ope ſcientiarum fata pendere videantur.

Dulce decus meum.] Decus ex nobilitate: *dulce*, ex familiaritate viri principis. Huc pertinet quod ait Perſius, Sat. 1. v. 116.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, &c.

3. *Sunt quos, &c.*] Alii gymnicis exercitationibus impensè ſtudent, alii agriculturæ, alii navigationi, & mercaturæ, alii militiæ, alii venationi, &c.

Curriculo.] Pro curru, vel ipſo curru, vel etiam loco in quo decurritur, accipitur iſta vox.

Pulverem Olympicum Collegiſſe juvat.] Decurrendo ſtadium, ſive Romæ in Circo, vel in

TESTIMONIA DE HORATIO.

D. HIERON. Præfat. in Chron.

Quid pſalterio canorius? quod in morem noſtri Flacci & Græci **Pindari**, *nunc Iambo currit, nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur.*

SIDON. APOLLIN. Epiſt. ad Lamprid.

In Lyricis Flaccum ſecutus, nunc ferebatur in Iambico citus, &c.

Et alibi:

Stylus aut Maronianus,
Aut quo tu Latium beas, Horati,
Alcæo potior Lyriſtes ipſe.

Comment. Vet.

Horatii ſatira inter Lucilii & Juvenalis ſatiras media eſt. Nam & aſperitatem habet ut Lucilius, & ſuavitatem ut Juvenalis.

J. LIPS. Epiſtolic. Quæſt. Lib. 2. Epiſt. 9.

Horatius in ſatiris placidus, lenis, quietus, monet ſæpius quàm caſtigat; ſed ita præclare tamen hoc ipſum, ut in eâ parte & arte nihil poſſit ſupra eum.

MANUT. Epiſt. Lib. 6. Ep. 7.

Quis enim, qui de Poetis modo judicare aliquid poſſit, uni inter Latinos omnes Horatio vel acumine ingenii, vel ſententiarum gravitate, palmam non tribuit?

TAN. FAB. Cap. Epiſt. Lib. 1. 57.

Venerum ille parens Horatius ei pro ſuâ elegantiâ & ingenii urbanitate haud dubiè placet.

JUL. SCAL. de [illegible] Poet.

Carminum igitur libri vel jucunda i [illegible] *monis, vel figurarum, tum novitate, tum variet* [illegible] *ſolum vituperatione, ſed etiam laude: neque* [illegible] *quemadmodum ſcripſit Quintilianus, conte* [illegible] *maxim commendandi.*

[illegible] Hor

Q. HORATII FLACCI

Carminum, ſeu Odarum,

LIBER PRIMUS.

ODE I. AD MAECENATEM.

Alios aliis rebus duci: ſe laude poeſeos, præſertim lyricæ.

MAECENAS atavis edite regibus,	*O Mæcenas orte à majoribus*
O, & præſidium, & dulce decus meum: [2]	*proceribus, ô & meum columen,*
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum	*& chara* mea *gloria*; *ſunt* plerique, *qui decurrentes gaudent*

ANNOTATIONES.

Ode eſt monocolos, ſeu unius metri. Verſus omnes Choriambici, Aſclepiadei, Tetrametri acatalecti; conſtant ex Spondæo, duobus Choriambis & Pyrrhichio vel Iambo; ſicque ſcandere licet:

Mæcē | nās | ătăvīs | ēdĭtĕ rē | gĭbŭs;

vel iſto modo faciliori,

Mæcē | nās ătă | vīs | ēdĭtĕ | rēgĭbŭs.

1. *Mæcenas.*] Ex antiquis marmoribus Græciſque auctoribus conſtat ita ſcribendum hoc nomen, non *Mecœnas*, ut quidam e vulgo. Vide Cœl. Rhodig. lib. 12. cap. 16. *Mæcenas equeſtri ſed ſplendido natus genere, non minus Agrippâ Cæſari charus.* Vell. Paterculus, *Vir ingenioſus, & magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, niſi illum enervâſſet felicitas*, inquit Seneca Epiſt. 19.

Atavis.] Ex Non. Marcel. quaſi *avi tata*, id eſt, pater. Avi proavus proprie atavus dicitur. Plaut. Perſ. 1, 2, 5.

[illegible] *avos, proavos, abavos, atavos, tritavos.* [illegible] eriores ſive anteriores ſunt, Majores [illegible]

[illegible] *bus.*] Id eſt, viris principibus, quic[illegible] nt nonnulli de Etruriæ regibus; [illegible] iam illorum neſcio quam, & quo ni[illegible] mento ſeriem contexant; ut Mæce[illegible] fuerit Menedorus, avus Menippus, [illegible] avus, Volturenus abavus, Titus atavus, Turrhenus tritavus, Elbius majorum primus, &c. Certe divites quoſque & primarios viros nuncupari aliquando reges, conſtat ex autoribus tum profanis, tum etiam ſacris. Vide infra Od. 20. v. 5. ibique Annot. lib. 3. Od. 29. *Tyrrhena regum progenies.*

2. *O, & præſidium.*] Mæcenas fuit ſalutis atque dignitatis auctor ac defenſor apud Auguſtum, non Horatio tantùm, ſed & Virgilio, Propertio, aliiſque viris literatis præſidium ac tutela: Vide lib. 2. Od. 7. Tanta verò Mæcenatis apud poſteros fama extitit, ut ad omnes eruditorum Patronos id nominis tranſierit, quorum ex munificentiâ atque ope ſcientiarum fata pendere videantur.

Dulce decus meum.] *Decus* ex nobilitate: *dulce*, ex familiaritate viri principis. Huc pertinet quod ait Perſius, Sat. 1. v. 116.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, &c.

3. *Sunt quos, &c.*] Alii gymnicis exercitationibus impenſè ſtudent, alii agriculturæ, alii navigationi, & mercaturæ, alii militiæ, alii venationi, &c.

Curriculo.] Pro curru, vel ipſo curru, vel etiam loco in quo decurritur, accipitur iſta vox.

Pulverem Olympicum Collegiſſe juvat.] Decurrendo ſtadium, ſive Romæ in Circo, vel in

CHRONOLOGIA.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
698	53	11	Cn. Pompeius II. M. Craſſus II.
699	52	12	Appius Pulcher L. Domit. Ænobarbus
700	51	13	Cn. Domitius M. Valer. Meſſala
701	50	14	Cn. Pompeius III. Q. Metellus
702	49	15	M. Marcellus Servius Sulpitius
703	48	16	L. Paulus C. Marcellus
704	47	17	L. Lentulus C. Marcellus
705	46	18	C. Cæſar II. P. Servilius

Pompeius in Ægypto jugulatus. Circa hoc tempus Horatius Athenas ſtudiorum cauſa miſſus eſt. Noluit enim pater, ut eo proficiſceretur, aut uſquam à latere ſuo diſcederet, donec ea eſſet ætate, ut vitæ ſuæ modum ipſe habere, & morum integritatem in corruptiſſima civitate ſervare poſſet.

706	45	19	Q. Fuſ. Calenus P. Vatinius
707	44	20	C. Cæſar III. M. Lepidus
708	43	21	C. Cæſar IV. Q. Fab. Maximus
709	42	22	C. Cæſar V. M. Antonius

Cæſar in Curia Pompeii confoſſus. C. Octavius (qui poſtea Auguſtus) ex Epiro redit Romam.

710	41	23	C. Panſa A. Hirtius

Duobus his Coſſ. uno prælio occiſis, ſuffectus eſt C. Octavianus, aſſumpſitque ſibi Collegam Q. Pedium. Brutus Macedoniam petens, Athenis plures adoleſcentes eduxit ſecum, in iis Horatium. Vide Ep. 1. Lib. II. Horat. ſcribit Sat. VII. Lib. I.

711	40	24	M. Lepidus II. L. Munatius Plancus

De hoc Conſulatu Horatius Od. XIV. Lib. III.

Non ego hoc ferrem calidus juventa
Conſule Planco.

Erat jam viginti quatuor annorum, & in Bruti exercitu verſabatur. Aderat pugnæ Philippenſi, inde fugit, *relicta non bene parmula:* à prælio Romam rediit. Fecit Od. XIV. Lib. I.

Anno

CHRONOLOGIA.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
712	39	25	P. Servilius II. L. Antonius
713	38	26	Cn. Domitius II. Aſinius Pollio

Pollioni inſcribit Od. I. Lib. II. Mæcenatem Brunduſium comitatur, ſcribitque Sat. V. Lib. I.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
714	37	27	L. Cenſorinus C. Calviſius
715	36	28	Appius Claudius C. Norbanus
716	35	29	M. Vipſanius Agrippa L. Caninius, & *poſt ejus mortem*, Statilius Taurus

Pompeius F. rupta ſocietate, quam cum Auguſto inierat, bellum redintegrat. Horat. de ea componit Od. VII. Lib. V.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
717	34	30	L. Gellius M. Cocceius Nerva

Menas relictis iterum Pomp. F. partibus, Auguſto ſe adjungit, a quo factus eſt Tribunus Militum. In hunc Hor. Od. IV. Lib. V. invehitur.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
718	33	31	Sex. Pom. Auguſt. *Cognatus* L. Cornificius

Pompeius in Phrygia trucidatur. Pompeianis jam ſecundum venia datur. Pompeius Varus Romam redit. Horat. Od. VII. Lib. II. ſcribit.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
719	32	32	M. Antonius L. Scribonius Libo
720	31	33	C. Cæſ. Octavianus II. L. Volcatius Tullus

Horatius hoc anno edidit Sat. IV. & VI. Lib. II.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
721	30	34	Cn. Dom. Ænobarbus C. Socius

Bellum civile Antonium inter & Auguſtum exardeſcit. Roma factionibus inſeſtatur. Horatius ſcribit L. V. Od. XVI.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
722	29	35	C. Cæſar Octav. III. Meſſala Corvinus

Parat ſe Mæcenas Auguſtum per mare ad bellum Actiacum ſequi. In eam rem compoſita eſt Od. I. Lib. V. Victus Antonius, fugatuſque eſt IV. Non. Septembris. Hanc Auguſti victoriam canit Horatius Od. IX. Lib. V. Sub finem hujus anni moritur Catius Philoſophus Epicureus.

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno Hor.*	CONSULES.
723	28	36	C. Cæſar Octav. IV. M. Craſſus

Alexandria capta. Mors Antonii & Cleopatræ. Facta eſt Od. VI. & XXXVII. Lib. I.

Anno

Anno ab U. C.	*Anno ante J. C.*	*Anno. Hor.*	CONSULES.
724	27	37	C. Cæſar Octavianus V. Sextus Apuleius

Bellorum civilium finis. Templum Jani jam primum ſub Auguſto clauſum. Dedit Hor. Od. XII. Lib. I. & circa hoc tempus Od. VI. Lib. III.

725	26	38	C. Cæſar Oct. VI. M. Agrippa II.

Titulo Principis ornatur C. Cæſ. Octav. Facta eſt Od. II. Lib. I. Extructa Bibliotheca Palatina Apollini dedicatur: qua de re compoſita eſt Od. XXXI. Lib. I. Romanos inceſſit metus, ne Cæſar ſedem imperii Trojam transferret, cui rei ut occurreret, edidit Hor. Od. III. Lib. III.

726	25	39	C. Cæſar Oct. VII. M. Agrippa III.

Cæſare Britannis bellum inferre cogitante, Horatius cum eum in ea expeditione comitaturum ſe crederet, ſcribit Od. VI. Lib. II. Verum proficiſcenti principi Arimini occurrunt Britannorum legati bellum deprecantes. In hanc profectionem ſcripſit Hor. Od. XXXV. Lib. I. Eodem hoc anno, C. Cæſ. Octav. pulcherrima oratione ad Senatum habita, contendit ut per Patres ſibi liceret depoſito Imperio, reliquam ætatem in otio degere: inde ſumptum argumentum Od. XVI. Lib. II. Cæſari delatum Auguſti nomen.

727	24	40	Auguſtus Cæſar VIII. Statilius Taurus II.

Scripta eſt Od. X. Lib. II. Od. XI. Lib. IV. Ep. V. Lib. I. Hoc ætatis finierat verſus Amatorios pleroſque & Sat. II, III, IV, VIII, IX, & X. Lib. I. Primum item Lib. II.

728	23	41	Auguſtus IX. M. Silanus

Phraates contra Tiridatem, qui Parthicum regnum occupaverat, cum Scytharum auxiliaribus copiis proficiſcitur. Tiridates ad Auguſtum confugit, quem ſibi dedi per legatos poſtulat Phraates. Fit. Od. XXVI. & XXXIII. Lib. I. item IV. Lib. II. Od. XXVI. Lib. III. Clauditur Janus jam ſub Auguſto ſecundum.

729	22	42	Auguſtus X. C. Norbanus

Auguſtus exercitum in Arabes, duce Ælio Largo Ægypto Præfecto mittit. Facta Od. XXIX. Lib. I. Moritur Quintilius Varus Poeta, cognatione conjunctus Virgilio, cui conſolando ſcripſit Hor. Od. XXIV. Lib. I. Mæcenas Liciniæ amore captus, quam & paulo poſt duxit. Huc ſpectat Od. XII. Lib. II. Victa Hiſpania. Parthorum à Phraate defectio. Od. VIII. Lib. III. Auguſtus ex Hiſpania reverſus, ubi periculoſo laboraverat morbo. Reditum hunc celebrat Od. XIV. Lib. III. Huc etiam referri poteſt Od. XXXVI. Lib. I.

Ann

CHRONOLOGIA.

Anno ab U. C. — *Anno ante J. C.* — *Anno Hor.* — CONSULES.

730 — 21 — 43 — { Auguſtus XI. / C. Piſo

Non ſine ratione hunc annum ſpectare videntur Od. XXXVI. Lib. I. Od. XIII. Lib. II. Od. XIX and XXXIX. Lib. III.

731 — 20 — 44 — { Cl. Marcellus / L. Arruntius

Supplicium de Fannio Cœpione, & Licinio Murena, cujus ſoror Mæcenati nupſerat, in Auguſtum conjurantibus ſumtum.

732 — 19 — 45 — { M. Lollius / Q. Lepidus

Exeunte hoc anno, aut ſequente ineunte ſcripta eſt Lib. I. Ep XX. Mæcenati, qui jam decem amplius annos urbi præfectus fuerat, ſuccedit Agrippa.

733 — 18 — 46 — { M. Aurelius / P. Silius Nerva

Tiberius cum imperio in Orientem miſſus Tigranem in Armeniæ, Phraatem in Parthiæ regnum reſtituit. Signa Romana, quæ Parthi Craſſo & M. Antonio abſtulerant, reddita, Romamque remiſſa, Hor. ſcribit Lib. I. Ep. III, IV, & VII. ut & paulo ante Od. XIX, & XXX. Lib. I. Od. II. Lib. II. & Od. IV. Lib. III.

734 — 17 — 47 — { C. Sentius Saturninus / Q. Lucretius

Debellatum in Hiſpania per Agrippam, res a Tiberio in Oriente geſtæ Romam illatæ. Scribit Hor. Ep. XII. Lib. I. Virgil. Athenas proficiſcitur, Megaris in morbum incidit, Brundusii moritur: Roma diſcedentem proſecutus eſt Hor. Od. III. Lib. I. Huic anno etiam ſupponi poſſunt Od. IX. Lib. II. & Sat. V. Lib. II. nec minus commode anno 728.

735 — 16 — 48 — { Cn. Lentulus / P. Lentulus

736 — 15 — 49 — { C. Furius / C. Silanus

Ludos Seculares dedit Auguſtus. Carmen Seculare paulo ante paraverat Hor. ut & Od. XXI. Lib. I. Od. VI. Lib. IV. at Ep. XIII. Lib. I. & Ep. I. Lib. II. ad hujus anni finem referri poſſunt.

737 — 14 — 50 — { L. Domitius / P. Scipio

Auguſtus Cæſar Liciniæ Mæcenatis uxoris amore abreptus, in Galliam proficiſcitur, quo liberius cum ea degeret; relicto ad urbis præfecturam Statilio Tauro, pro Agrippa, aut potius pro Meſſalo Corvino, quid ad id munus minus idoneus, eam paucis diebus tenuerat: hujus anni eſt Od. I. Lib. III. Od. II. & X. Lib. IV.

738 — 13 — 51 — { M. Druſus Libo / L. Piſo

Sicambri & Rhæti per Druſum & Tiberium devicti, dum Auguſtus in Gallia moram trahit.

Anno

Anno ab U. C. *Anno ante J. C.* *Anno Hor.* CONSULES.

739 12 52 Cn. Lentulus
M. Craſſus

Abſentiam Auguſti impatienter ſatis tulerunt Romani, reditum ejus avide exoptantes. Facta eſt Od. II. & V. Lib. IV.

740 11 53 Tiberius Nero
Quintilius Varus

Redit Auguſtus Romam, a quo juſſus Horatius Victoriam, quam ſedecim aut octodecim menſibus ante de Vindelicis, Rhætis & Sicambris reportârant Druſus & Tiberius, cecinit. Ep. VII. & X. Lib. I. non longe ab hoc tempore abſunt.

741 10 54 M. Valer. Meſſala
P. Sulpitius Quirinus

Agrippæ mors. Novæ Druſi & Tiberii de Vindelicis, Rhætis, & Sicambris victoriæ. Scripta eſt Od. XV. Lib. IV. Quæ Ode, meo quidem judicio, ultima fuit omnium, nec melius potuit quam in Auguſti laudibus finem facere.

742 9 55 P. Fab. Maximus
Q. Ælius Tubero

His Coſſ. ni fallor, Auguſtus Lollium C. Cæſ. Nepoti octo annorum præfecit; hac de re ſcribit Horat. ad Lollium Ep. XVIII. Lib. I.

743 8 56 Jul. Antonius
Q. Fab. Maximus

Jul. Florus cum Tiberio in Pannonia verſabatur, huic inſcribit Ep. II. Lib. II. fuit hoc operum Horat. ultimum: non liquet certe eorum, quorum tempus eſt incertum, ullum poſt hunc annum potuiſſe ſcribi.

744 7 57 Cl. Druſus
Q. Criſpinus

Druſus tricéſimo ætatis anno in Germania moritur.

745 6 58 M. Cenſorinus
Aſinius Gallus

Menſem Sextilem ita dictum, quod a Martio vetere anni principio Sextus eſſet, *e ſuo cognomine* Auguſtum *nuncupavit, magis quam Septembrem* (quod maluerant patres & amici) *quo erat natus; quia hoc ſibi & primus Conſulatus, & inſignes victoriæ obtigiſſent.* Suet.

Inclinato jam anno accidit, quod ex Dione patet, Mæcenatis, quam & poſt paucos dies inſecuta eſt Horatii, mors. Atque hæc ſunt, quæ de vita, ſcriptis, & morte Horatii compertiora habuimus dicere. Nam opera ejus dimidiam plus partem incerti ſunt temporis, in quibus pleriſque præclare egiſſe nos putamus, ſi quando hanc vel illam Odem, Epiſtolam, &c. illam vel hanc tempore anteceſſiſſe vel ſecutam fuiſſe, aliquo indicio demonſtraverimus.

TESTI-

TESTIMONIA

VETERUM SCRIPTORUM

DE

HORATIO.

OVID. Lib. 4. Triſt. Eleg. 10.

ET tenuit noſtras numeroſus Horatius aures,
Dum ferit Auſoniâ carmina culta lyrâ.

PERS. Sat. 1. v. 116.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit; & admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

MARTIAL. Lib. 8. Epig. 18.

Sic Maro nec Calabri tentavit Carmina Flacci,
Pindaricos poſſet cum ſuperare modos.

PETRON. Sat.

Homerus teſtis & Lyrici, Romanuſque Virgilius, & Horatii curioſa felicitas,

LUCAN. Poem. ad Calp. Piſonem.

Auſoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.

QUINTIL. Lib. 10. Cap. 1

Multo eſt terſior ac purus magis Horatius, ad notandos hominum mores præcipuus . . . . Lyricorum idem Horatius ferè ſolus legi dignus. Nam & inſurgit aliquando, & plenus eſt jucunditatis & gratiæ, & variis figuris & verbis felicisſimè audax.

AUSON. ad Nepotem.

Te præeunte, Nepos, modulata poëmata Flacci,
Altiſonumque iterum fas eſt didiciſſe Maronem.

TESTIMONIA DE HORATIO.

D. HIERON. Præfat. in Chron.

Quid pſalterio canorius? quod in morem noſtri Flacci & Græci Pindari, nunc Iambo currit, nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur.

SIDON. APOLLIN. Epiſt. ad Lamprid.

In Lyricis Flaccum ſecutus, nunc ferebatur in Iambico citus, &c.

Et alibi:

Stylus aut Maronianus,
Aut quo tu Latium beas, Horati,
Alcæo potior Lyriſtes ipſo.

Comment. Vet.

Horatii ſatira inter Lucilii & Juvenalis ſatiras media eſt. Nam & aſperitatem habet ut Lucilius, & ſuavitatem ut Juvenalis.

J. LIPS. Epiſtolic. Quæſt. Lib. 2. Epiſt. 9.

Horatius in ſatiris placidus, lenis, quietus, monet ſæpius quàm caſtigat; ſed ita præclare tamen hoc ipſum, ut in eâ parte & arte nihil poſſit ſupra eum.

MANUT. Epiſt. Lib. 6. Ep. 7.

Quis enim, qui de Poetis modo judicare aliquid poſſit, uni inter Latinos omnes Horatio vel acumine ingenii, vel ſententiarum gravitate, palmam non tribuit?

TAN. FAB. Cap. Epiſt. Lib. 1. 57.

Venerum ille parens Horatius ei pro ſuâ elegantiâ & ingenii urbanitate haud dubiè placet.

JUL. SCAL. de Re Poet.

Carminum igitur libri vel jucunda inventione, vel puritate ſermonis, vel figurarum, tum novitate, tum varietate, majores ſunt omni non ſolum vituperatione, ſed etiam laude: neque ſolum dicendi genere humili, quemadmodum ſcripſit Quintilianus, contenti: verùm etiam ſublimi maximè commendandi.

Q. HORATII FLACCI

Carminum, ſeu Odarum,

LIBER PRIMUS.

ODE I. AD MAECENATEM.

Alios aliis rebus duci: ſe laude poeſeos, præſertim lyricæ.

MAECENAS atavis edite regibus,
O, & præſidium, & dulce decus meum: [2]
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum

O Mæcenas orte à majoribus proceribus, ô & meum columen, & chara mea *gloria*; *ſunt* plerique, *qui decurrentes gaudent*

ANNOTATIONES.

Ode eſt monocolos, ſeu unius metri. Verſus omnes Choriambici, Aſclepiadei, Tetrametri acatalecti; conſtant ex Spondæo, duobus Choriambis & Pyrrhichio vel Iambo; ſicque ſcandere licet:

Mæcē | nās | ătăvīs | ēdĭtĕ rē | gĭbŭs;

vel iſto modo faciliori,

Mæcē | nās ătă | vīs | ēdĭtĕ | rēgĭbŭs.

1. *Mæcenas.*] Ex antiquis marmoribus Græciſque auctoribus conſtat ita ſcribendum hoc nomen, non *Mecænas*, ut quidam e vulgo. Vide Cœl. Rhodig. lib. 12. cap. 16. *Mæcenas equeſtri ſed ſplendido natus genere, non minus Agrippâ Cæſari charus.* Vell. Paterculus, *Vir ingenioſus, & magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, niſi illum enervâſſet felicitas*, inquit Seneca Epiſt. 19.

Atavis.] Ex Non. Marcel. quaſi *avi tata*, id eſt, pater. Avi proavus proprie atavus dicitur. Plaut. Perſ. 1, 2, 5.

Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos.

Qui his ſuperiores ſive anteriores ſunt, Majores appellantur.

Edita regibus.] Id eſt, viris principibus, quicquid garriant nonnulli de Etruriæ regibus; quamvis etiam illorum neſcio quam, & quo nixam fundamento ſeriem contexant; ut Mæcenati pater fuerit Menedorus, avus Menippus, Cæcina proavus, Voltureaus abavus, Titus atavus, Turrhenus tritavus, Elbius majorum primus, &c. Certe divites quoſque & primarios viros nuncupari aliquando reges, conſtat ex autoribus tum profanis, tum etiam ſacris. Vide infra Od. 20. v. 5. ibique Annot. lib. 3. Od. 29. *Tyrrhena regum progenies.*

2. *O, & præſidium.*] Mæcenas fuit ſalutis atque dignitatis auctor ac defenſor apud Auguſtum, non Horatio tantùm, ſed & Virgilio, Propertio, aliiſque viris literatis præſidium ac tutela: Vide lib. 2. Od. 7. Tanta verò Mæcenatis apud poſteros fama extitit, ut ad omnes eruditorum Patronos id nominis tranſierit, quorum ex munificentiâ atque ope ſcientiarum fata pendere videantur.

Dulce decus meum.] *Decus* ex nobilitate: *dulce*, ex familiaritate viri principis. Huc pertinet quod ait Perſius, Sat. 1. v. 116.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, &c.

3. *Sunt quos, &c.*] Alii gymnicis exercitationibus impenſè ſtudent, alii agriculturæ, alii navigationi, & mercaturæ, alii militiæ, alii venationi, &c.

Curriculo.] Pro curru, vel ipſo curru, vel etiam loco in quo decurritur, accipitur iſta vox.

Pulverem Olympicum Collegiſſe juvat.] Decurrendo ſtadium, ſive Romæ in Circo, vel in

conſpergi pulvere Olympico, & quos *meta non tacta rotis calidis, ac illuſtris victoria extol-*	Collegiſſe juvat: metáque fervidis [3] Evitata rotis, palmáque nobilis

ANNOTATIONES.

Campo etiam Martio; ſive apud Græciam in Ludis illis ſolemnibus, qui totius orbis frequentiâ celebrabantur, in quibus pentathlon, ſive quinquertium, id eſt, quintuplex certamen, Jaculatio, diſci jactus, ſtadii curſus, ſaltus, palæſtra: ſive mavis, Curſus, Pugilatus, Diſcus, Ceſtus, Lucta. Stadium longum erat pedes ſexcentos. Victores Olympionicæ vocabantur, coronabantur, laudabantur; vacatione munerum curæ ac tutelæ, perpetuaque immunitate donabantur; adeò ut Olympionicen eſſe cenſeretur aliquid majus quam Romæ de hoſtibus triumphus. Quatuor apud Græcos ejuſmodi celebres Ludi erant, Olympici, Pythii, Iſthmii, Nemeæi. Annui quidam, ut Pythii; quinquennales Olympici & Iſthmii; Nemeæi tertio quoque anno fiebant: plerique dies quinque durabant. Ab Olympicis Ludis nuncupatæ ſunt Olympiades, ea ſpatia ſeu intervalla duas inter Ludorum celebrationes comprehenſa. Inſtitutos fama eſt Ludos Olympicos anno 4400. ab Hercule Cretenſi quidem, in honorem Pelopis, juxta flumen Alpheum, ad delubrum Jovis in Achaiâ, juxta Piſam & Elidem, in Campo cui Olympia nomen. Victoribus oleagina dabatur corona. Vide Virgil. Georgic. 3. v. 18. & ſeq. Alex. ab Alex. lib. v. cap. 8. Cœl. Rhodig. lib. 13. cap. 17. Pythii Ludi fiebant in honorem Apollinis ob interfectum Pythonem ſerpentem. Coronabantur lauro victores. Iſthmici à Theſeo dicati Neptuno, vel Herculi, vel Melicertæ ſeu Palæmoni (nam variæ ſunt opiniones) in Iſthmo ſeu in anguſtiis faucibus Corinthiacis. Victorum corona è pinu erat. Denique Nemeæi Ludi celebrabantur vel in gratiam Herculis ob occiſum in Nemeæâ ſylvâ leonem prodigioſæ magnitudinis, apud Cleonas Achaiæ civitatem in Peloponneſo; vel, ut alii volunt, propter Archemorum Lycurgi puerum in Nemeæâ ſylvâ defunctum. Victoribus ex apio corona conficiebatur. In iſtis omnibus Ludis præter exercitationes corporis, erant & ingenii certamina, videlicet poëtarum victores, heroas & athletas certatim laudantium. Vide Pindarum. Olympicis agona Muſicum addidit Nero; qui & in iis non bigis ſed decemjugi curru aurigavit, victoriamque tulit. Sylla Olympiade 175. athletas & reliqua ex Olympiis certamina Romam traduxit. Alex. ab Alex. antè cit.

4. *Metáque.*] *Meta* lapis eſt, vel congeries quædam in acumen faſtigiata, ſeu è lato in acutam erecta, circa quam currus, ſeu bigæ vel quadrigæ, ſeu etiam in mari naves curſum flectebant. Ovid Metamorph. 10. v. 106.

———*Metas imitata cupreſſus.*

In Circo Romano metæ primùm ligneæ; ab Imperatore Claudio factæ demum aureæ ſunt. Alex. ab Alex. cit.

Fervidis Evitata rotis.] Præcipuus erat labor & ſumma cautio in curuli certamine, ne in flexu currus impingeret ad metam, ac diffringeretur. Apud Homer. Iliad λ. Neſtor Antilochum filium erudiens monet cavendum ut rotæ modiolus ſummam quidem metam attigiſſe videatur, ſed lapidis tactum vitet, ne vulnerentur equi, curruſque diſrumpatur. Ergo non abs re in Olympicis nobiliſſima putabatur ea victoria curulis agonis. Patet ex Herodoto & Pindaro. Porrò circa metam currus agitari debebat ſepties. Auſon. Epitaph. 35.

Proſphore clamoſi ſpatioſa per æquora Circi
Septenas ſolitus victor obire vias.

Propert. lib. 2. Eleg. 25. v. 25.

Aut priùs infecto depoſcit præmia curſu,
Septima quàm metam triverit antè rota.

Græci duodenum flexum notant. Pindar. Olymp. Od. 3. δυωδεκάγναμπτον τέρμα, & Pyth. Od. 5. ποδαρκέων δυωδεκαδρόμον τέμενος. Non prætermittam hic veterem Britannorum in regendis curribus bellicis induſtriam ac ſolertiam, ad quam uſu quotidiano & exercitatione aſſueſcebant, *ut in declivi ac præcipiti loco incitatos equos ſuſtinere, ac brevi moderari & flectere, & per temonem currere, & in jugo inſiſtere, & inde ſe in currus recipere cito poſſint.* Cæſar de Bell. Gall. lib. 4. cap. 33. meminit & Juvenal. Sat. 4. v. 126.

5. *Palmáque.*] Athletis qui Olympia, Pythia, Nemeæa, Iſthmia viciſſent, Græci tantos honores tribuebant, ut *non modo in conventu ſtantes cum palma & corona ferrent laudes*, ſed & cum reverterentur in ſuas civitates, quadrigis triumphantes inveherentur, atque vectigalibus à Republica conſtitutis totius vitæ ſpatio fruerentur. Hæc Vitruv. lib. 4. Palma verò ſignum victoriæ paſſim apud omnes ſtatuitur, ex Plutarcho, proptereà quod ea eſt ejus natura ligni, ut urgentibus opprimentibuſque minime cedat. Unde eſt illud Alciati Epigramma;

Nititur in pondus palma, & conſurgit in altum:
Quoque magis premitur, hoc mage tollit onus.

Terrarum

Terrarum Dominos evehit ad Deos. [4]
Hunc, ſi mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus : [5]
Illum, ſi proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis,
Gaudentem patrios findere ſarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypriâ
Myrtoum pavidus nauta ſecet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura ſui : mox reficit rateis
Quaſſas, indocilis pauperiem pati.

ſit ad Deos orbis moderatores. Hunc; ſi conventus Romanorum inconſtantium certatim evehit ad maximas dignitates : illum, ſi congeſſit in ſuum granarium quidquid colligitur ex areis Libyæ; geſtientem ſcindere ſarculo rura paterna, nunquam deducas de propoſito, etiam promiſſione *opum Attali, ut nauta timidus findat navi Cypriâ* undas *pelagi Myrtoi. Mercator timens Africum* ventum *pugnantem cum aquis* maris *Icarii, commendat quietem, & agros ſui pagi, paulo poſt* tamen *reſarcit naves laceras, paupertatis impatiens.*

ANNOTATIONES.

6. *Terrarum Dominos.*] Iſta verba quidam accipiunt de Romanis, qui fuerint victores in Ludis Circenſibus, ſcilicet ob illud Virgilii, *Romanos rerum Dominos*; nonnulli referunt ad vitam & fortunam Olympionicarum beatiſſimam, quæ & in proverbium abiit. Melius tamen alii ad ipſos *Deos* orbis dominatores.

Evehit ad Deos.] Ad Deorum felicitatem videtur evehere. Hinc & lib. 4. Od. 2. v. 18. *Cœleſtes* appellantur Olympionicæ.

7. *Mobilium.*] Quidam *Nobilium* leg. At illud aptiſſimum populi epithetum. *Quiritium.*] A Romulo, qui poſt mortem & apotheoſin Quirinus vocatus, Quirites Romani ſunt dicti;

Sive quod haſta Quiris priſcis eſt dicta Sabinis.

Ovid. Faſt. 2. v. 477.

8. *Tergeminis honoribus.*] Ampliſſimis, Tribunatu, Queſturâ, Ædilitate, Præturâ, Conſulatu, Cenſurâ, Dictaturâ. Alii intelligunt iteratos Magiſtratus; nonnulli ſublatos & congeminatos plauſus in theatro, quales Mæcenati gratulatur Horatius, Ode 20. hujus libri.

10. *Libycis.*] Martial. lib. 6. Epig. 86.

Poſſideat Libycas meſſes, &c.

Apud Pindarum Λιβύα πυροφόρος *Libya tritici ferax*; Claudian. de Laudib. Stilic. *Spicis inſignis Africa* dicitur.

Areis.] Varro de Ling. Lat. 4. *Ubi frumenta ſecta terantur & areſcant.* Feſtus verò ait eſſe *locum vacuum, quaſi exaruerit, & non poſſit quidquam generare.* Hinc & areæ vocantur loca in urbe pura, vacua, nulliſque ædificiis occupata.

11. *Sarculo.*] Ruſticum eſt inſtrumentum in modum falculæ incurvum, quo ſegetes noxiis herbis internaſcentibus leviter ſcalpendo expurgantur. Gallice, *Un Sarcloir*. Ang. A Weeding-hook.

12. *Attalicis conditionibus.*] Opulentiſſimis ſcilicet illis, vel toto Aſiæ regno, ubi Attalus Pergami rex floruit opibus tantis quidem, ut earum hæredem non alium quam Populum Romanum judicârit à ſe inſtituendum. Hinc & ſplendida quælibet nominantur Attalica. Propert. lib. 2. Eleg. 13. v. 22.

Nec ſit in Attalico mors mea nixa thoro.

De Attalo plura lib. 2. Od. 18. Vide Juſtin. lib. 36.

13. *Trabe Cypriâ.*] Navi fabricatâ ex optimis lignis, qualia ædificandis navibus aptiſſima reperiuntur in Cypro Mediterranei maris Inſulâ, de quâ poſteà fuſius ad Od. 3. v. 1. *Trabs* Iſidoro lignum unum quod tranſverſum continet utrumque parietem. Navis trabica, quæ trabibus confecta eſt. Feſtus.

14. *Myrtoum.*] Pars Ægæi maris Eubœæ proxima, ſic appellatur ex Plinio, ab inſula parva, quæ hodie *Mandria*, olim *Myrtos*. Fabulatores volunt ſic appellari à Myrtoo quodam in mare iſtud præcipitato: vel a muliere Myrtone, Porrò illud præ cæteris mare hic afferri videtur, quia naufragiis infeſtum nautis pavorem injiciat, vixque citra periculum navigari queat, ob crebras inſulas & ſcopulos.

15. *Icariis fluctibus.*] Hodie *Mar di Nicaria*, Ægæi pars ad Samum ac Delum Inſulas, nomen habuit ab Icaro Dædali filio in illud delapſo. Ovid. Faſt. 4. v. 283.

Tranſit & Icarium, lapſas ubi perdidit alas
Icarus, & vaſtæ nomina fecit aquæ.

Africum.] Ventum ab Africâ ſtantem, vernaculè South-weſt, inter meridiem & occaſum. Virgil. Æn. 1. 89.

Creberque procellis
Africus.

17. *Laudat rura.*] Mercator ruſticam laudat vitam, dum ingruit tempeſtas; at tranſacto periculo, negotiationem cogitat ſtatim, ut prius, lucro inhians.

Eſt alius qui non contemnit cyathos vini Maſſici veteris, neque detrahere aliquot horas ex die integro, modò jacentes habens artus ſub arbuto virenti, modò ad originem placidam fontis ſacrati. Militia placet multis, ſonuſque buccinæ ac litui mixtus, & bella matribus execranda. Venator oblitus delicatæ uxoris moratur ſub aëre frigenti, ſive canes fidi conſpexerunt cervam, ſive aper Marſus fregit retia rotunda. Hederæ verò, *merces doctorum capitum, me collocant inter ſummos Deos: me ſilva frigida & celeres choreæ Nympharum cum Satyris*

Eſt qui nec veteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolido demere de die
Spernit: nunc viridi membra ſub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput ſacræ.
Multos caſtra juvant, & lituo tubæ
Permiſtus ſonitus, bellaque matribus
Deteſtata. Manet ſub Jove frigido
Venator, teneræ conjugis immemor: [6]
Seu viſa eſt catulis cerva fidelibus:
Seu rupit teretes Marſus aper plagas.
Me doctarum hederæ præmia frontium
Diis miſcent ſuperis: me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori

ANNOTATIONES.

19. *Maſſici.*] In Maſſico, monte Campaniæ, creſcebat optimum vinum. Nominiſque & uvarum nobilitas perdurat etiamnum. Valdè auſterum eſſe, & ſtomacho robur dare dicitur. Athen. lib. 1. cap. 21.

20. *Partem ſolido demere de die.* Ad genio indulgendum, intermiſſis negotiis ac ſeriis occupationibus.

21. *Arbuto.*] Gallicè, *Arbuiſier*. Angl. The Strawberry-tree.

22. *Sacra.*] Singulis fontibus præeſſe Nymphas, & quædam Numina, creditum pridem. Hinc illis victimæ & libamina florum ac vini. Vide lib. 3. Od. 13.

23. *Lituo tibæ.*] Lituus minor tubâ eſt & incurvus, inſigne augurum, ex Gell. lib. 5. cap. 8. tuba directa, ſic à tubo quem refert appellata, gravi ſono pedites excitabat, lituus autem acuto clangore equites. Ovid. Metam. 1. v. 98.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

24. *Bellaque matribus deteſtata.*] Per quæ nempè orbantur viris ac filiis.

25. *Manet ſub Jove frigido Venator.*] Cic. Tuſc. 2. n. 40. *Conſuetudinis magna vis eſt: Pernoctant venatores in nive: in montibus uri ſe patiuntur.*

Sub Jove.] Jovem pro aëre uſurpari docet Macrobius. Varro ex Ennio, *Iſtic eſt is Jupiter quem Græci vocant Aëra, qui ventus eſt & nubes, imber poſteà, atque ex imbre frigus, ventus poſt, fit aër denuo, &c.*

27. *Catulis fidelibus.*] Cic. de Nat. Deorum 2. n. 158. *Canum tam fida cuſtodia, tamque amans dominorum adulatio.——tam incredibilis ad inveſtigandum ſagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid ſignificat aliud, niſi ſe ad hominum commoditates eſſe generatos?* Vide Ælian. lib. 19. cap. 11. de animal. Huc ſpectat quod ſunt quidem venatici canes, qui viſu melius quàm olfactu feras conſectantur. Gall. *Chaſſeur à veüe*, Angl. Gaze-hounds, that run at Sight. Sunt porrò fideles ii, qui a rectâ prædâ non aberrant in adventitiam. Gal. *Qui ne prennent point le change, ou qui gardent le change*, Angl. Staunch-hounds.

28. *Teretes plagas.*] Solent venaturi ſilvas telis ac linteis circumdare, quibus feræ concludantur. *Teretes.*] Tereti fune confecta retia.

Marſus aper.] Apud Marſos, Italiæ populos, Sabinis affines ſilvæ plurimæ, in quibus venatio frequens.

29. *Doctarum hederæ præmia frontium.*] Hederâ coronabantur Poëtæ eximii, quique in certamine ingenii & induſtriæ victores fuerant: vel quòd æternitatem & immortalitatem carminis deſignet perpetuus ille viror hederæ, quemadmodum & lauri: ſive quia Poëtæ Baccho perinde ac hedera ſacri ſunt, ob enthuſiaſmum, quo Bacchantium more interdum corripiuntur, vel potius ob vini ad condenda carmina utilitatem. Unde noſter poſtea aſſerit non poſſe diu placere aut vivere carmina, *quæ ſcribuntur aquæ potoribus.* Virgil. Eclog. 7. v. 25.

Paſtores hederâ creſcentem ornate Poëtam.

30. *Diis miſcent ſuperis.*] Felicitate me ſimilem Diis faciunt, ac perinde beatum, ut qui divinos honores conſequuntur.

Nemus.] Quippe quod meditando & conſcribendis verſibus aptiſſimum. Nam,

Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt.

Hinc & in iis locis conſtituuntur Nymphæ cum Satyriis choros ducentes; id eſt, profundæ & eruditæ cogitationes doctis viris ſeſe immiſcentes & inſinuantes.

31. *Satyris.*] De his poſtea lib. 2. Od. 19. Ruſtica Numina ſunt, quorum ſuperna pars corporis humanam effigiem, inferior caprinam exhibebat; cæterum rerum omnium cognitio-

Secernunt

Secernunt populo; ſi neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Leſboüm refugit tendere barbiton.
Quod ſi me Lyricis Vatibus inſeres,
Sublimi feriam ſidera vertice.

[7] *ſegregant à vulgo, ſi neque Euterpe fiſtulas coërcet, neque Polyhymnia dedignatur intendere lyram Leſbiam. Quod ſi me annumeres Poëtis Lyricis, cœlum attingam excelſo capite.*

ANNOTATIONES.

nem habere atque hominibus impertire Satyri, Fauni, Silvani exiſtimati ſunt. Patet ex Virgilii Eclogâ 6. in quâ Silenus de abſtruſiori rerum naturâ & origine ſolerter diſſerit. Vide Luciani Dialog. 26. cui titulus, *Dionyſius*. Diodor. Sicul. Plin. lib. 7. cap. 2. Satyri humano capite, ſed cornuto calvoque, acutis auribus, depreſſis naribus, villoſo corpore ab antiquis pinguntur. Plutarchus in Syllæ vitâ refert, per Theſſaliam & Macedoniam ad mare deſcendente Syllâ, non longè Dyrrachio vicinâque Apolloniâ, apud Nymphæum ſacrum quendam locum, colle virenti ac rivulis amœno, obdormiſcentem Satyrum, qualem Poëtæ Pictoreſque effingunt, captum fuiſſe: qui perductus ad Syllam per varios interpretes interrogatus, quis eſſet, nihil quod intelligi poſſet reſpondit; tantùm vocem aſperam hinnitu equino & hirci balatu mixtam edidit. Quo aſtantes ipſeque Sylla obſtupefacti Satyrum dimiſerunt. Sanctus autem Hieronymus in vitâ Pauli Eremitæ ſcribit, temporibus Conſtantini viſum toti Alexandriæ populo Satyrum: præterea ſancto Antonio apud eremum occurriſſe homuncionem aduncis naribus, fronte cornibus aſperâ, cui extrema corporis in caprarum pedes deſinerent; interrogatum verò quis eſſet, reſpondiſſe; Mortalis ego ſum, unus ex eremi incolis, quos deluſa Gentilitas Faunos, Satyroſque appellat & colit.

32. *Secernunt populo.*] Supra vulgi humilem imperitamque turbam attollunt, ac velut ſacrum a profano ſegregant. lib. 3. Od. 1.

Odi profanum vulgus & arceo.

Si neque tibias Euterpe cohibet, &c.] Si modò mihi tuam opem non negent Muſæ. Tibiæ pridem confectæ ex oſſibus crurum, ſeu tibiarum gruis, cervi, &c. & hinc nomen. Vide Scaliger. poëtic. lib. 1. cap. 20. Porrò *Euterpe*, Muſarum una, tibiarum inventrix dicitur, nomen autem ſortita à cantûs ſuavitate, & à delectando *εὖ bene, τέρπειν delectare*, Auſon. Eclog. de Muſis.

33. *Polyhymnia.*] Hæc inter Muſas id muneris obtinet, ut multos canat hymnos, virorumque inſignium laudationibus præſit. Unde nomen ei factum. Ita, inquam, ſcribunt Ovid. Faſtor. 5. Herodot. lib. 7, &c. Aliis *Polymnesia* à multiplici rerum memoriâ dicitur.

34. *Nec Leſboüm refugit tendere barbiton.*] Si mihi concedat facultatem optimi Carminis Lyrici, qualem habuerunt Alcæus & Sappho è Leſbo inſula oriundi, de quibus poſteà hujus lib. 1. Od. 32. & lib. 2. Od. 13.

Barbiton.] Inſtrumentum muſicum multas habens chordas: Anacreontis inventum facere videtur Horatius, Od. 32. ſeq.

35. *Quod ſi me, &c.*] Si tuum, ô Mæcenas, accedat mihi judicium, ſique me pronunties inter Poetas Lyricos dignum recenſeri, tum me Diis parem exiſtimabo.

Lyricis.] Apud Græcos novem poëtæ Lyrici celebrantur, Pindarus, Alcæus, Sappho, Steſichorus, Ibycus, Bacchylides, Simonides, Alcman, Anacreon. Apud Latinos Horatius princeps ac propè unicus. Huic addit Cæſium Baſſum Quintilianus lib. 10. cap. 1.

36. *Sublimi feriam ſidera vertice.*] Platonicorum erat ſententia; Poëtam infra Deum, & ſupra hominem eſſe.

ODE II. Ad AUGUSTUM CÆSAREM.

Deos omnes Romanis iratos eſſe, ob cædem Julii Cæſaris: totamque Imperii ſpem in Auguſto eſſe.

Jupiter jam in terras immiſit ſat nivis & horrendæ grandinis: vibranſque fulmina in ſacras arces manu flammatâ Romæ terrorem incuſſit. Alias etiam nationes fecit timere, ne rediret triſte tempus Pyrrhæ conquerentis ob prodigia inaudita:

JAM ſatis terris nivis, atque diræ [8]
Grandinis miſit Pater: & rubente
Dexterâ ſacras jaculatus arces,
Terruit urbem:
Terruit gentes, grave ne rediret [9]
Sæculum Pyrrhæ nova monſtra queſtæ;

ANNOTATIONES.

Ode eſt dicolos tetraſtrophos. Tres quique priores verſus ſunt Sapphici. Conſtant è trochæo, ſpondæo, dactylo, & duobus trochæis. Et ſic ſcanduntur:

Jām să | tīs tēr | rīs nĭvĭs | ātquĕ | dīræ.

Quartus eſt Adonicus, è dactylo & ſpondæo.

Tē rŭĭt | ūrbēm.

1. *Jam ſatis, &c.*] Optimè Turnebus lib. 6. cap. 8. Prodigia Cæſaris mortem ſecuta offenſionem Deorum & iram oſtendentia atque augurium civilium deinceps bellorum, eventumque portendentia Horatius commemorat: cum autem ſolerent prodigia & portenta procurari & expiari, iraque Deorum obſecrationibus placari, utrumque in eâ Ode reperies. Porrò funeſtum ac dirum oſtentum erat, cum ædes ſacræ de cœlo tangebantur. Cic. de Div. 2. n. 19.

Nam pater altitonans ſtellanti nixus Olympo
Ipſe ſuos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis injecit ſedibus ignes.

Nivis atque diræ grandinis.] Poſtquàm à Caſſio & Bruto Julius Cæſar in Senatu interfectus eſt, nivis & grandinis tempeſtates prodigioſæ aliaque portenta acciderunt. Tiberis quoque exundans urbem agroſque fœdavit. De quibus fusè Appianus lib. 4. Diod. lib. 47. aliique. Illa verò prodigia à Diis velut immiſſa in ultionem occiſi Principis adulatorie noſter aliique ejus ſæculi Poetæ ſcripſerunt, Auguſti gratiam captantes, qui *omnium bellorum initium & cauſam hinc ſumpſit, nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare, tuerique acta.* Suet. Octav. cap. 10. Idque pro concione voverat, teſte Dione lib. 45. Idem Sueton. cap. 29. *Extruxit ædem Martis ultoris . . . . . quam bello Philippenſi pro ultione paternâ ſuſceptâ voverat.*

Nivis.] Ingens nivium copia fecit eluvionem Tiberis, adeoque portenti loco habita eſt. Fruſtrà ergò Scaliger Hypercrit. locum hunc Horatii redarguit.

Diræ Grandinis.] Quoties erat grando ſolito major, lapidibus pluiſſe dicebant veteres, & prodigium cenſebant, procurabantque. Tit. Liv. pluribus locis.

3. *Sacras jaculatus arces.*] Magna tunc Jovis ira, cùm nec ſibi ſacratis parcit ædibus. Hinc verò portendi rerum mutationem credebant olim, teſte Dione & aliis. Seneca Queſt. natural. l. 2. cap. 41. *Prima*, inquit, *manubia* (Tuſcum eſt vocabulum, & ſignificat fulmen; ne quid te remoretur, Lector) *monet & placata eſt, ſoliuſque Jovis arbitrio mittitur. Secundam mittit Jupiter quidem, ſed ex concilii ſententia: nam duodecim advocat Deos: quæ manubia prodeſt, at non impunè. Tertiam idem mittit, ſed adhibitis in conſilium Diis quos Superiores vocant: & manubia hæc tertia incendit & vaſtat, mutatque ſtatum privatum & publicum quem invenit, &c.*

Urbem.] Romam, Antonomaſticè: urbium ſcilicet principem.

6. *Sæculum Pyrrhæ.*] Diluvium ſimile Deucalionæo. Eluviones fuere plures, teſtibus Euſeb. Hieron. Iſidoro, & aliis. Una menſium novem ſub Ogyge priſco: altera Niliaca unius menſis ſub Hercule & Prometheo Ægyptiis; tertia duorum menſium ſub Ogyge Attico: quarta menſium trium in Theſſaliâ tempore Deucalionis & Pyrrhæ: quinta ſub Proteo Ægyptio. Has Poetæ nonnunquam jungunt confunduntque, imò his tribuunt ea quæ ex ſacris codicibus acceperant de univerſali diluvio, quod deſcribit Moſes Geneſ. cap. 6. & ſeq. Sic & alii pariter Ethnici. Apollodor. lib. 1. *Ubi Jupiter*, inquit, *æneam prolem tollendam cenſuit, Deucalion Promethei conſilio fabrefactâ è lignis arcâ, repoſitiſque in eâ rebus ad vitam neceſſariis, ingreſſus in eam eſt cum Pyrrhâ uxore: tum Jupiter, effuſis large imbribus, maximam Græciæ partem cooperuit; ut quicquid mortalium illic foret, interierit, præter admodum paucos.* Plutarchus de animant. comparat. refert columbam, arcâ emiſſam, Deucalioni nunciam tempeſtatis fuiſſe cùm remearet; ſerenitatis, cùm evolaret.

Pyrrhæ.] Pyrrha uxor Deucalionis Theſſaliæ

Omne

Omne cum Proteus pecus egit altos
Viſere montes:
Piſcium & ſummâ genus hæſit ulmo,
Nota quæ ſedes fuerat columbis,
Et ſuperjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.
Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etruſco violenter undis,
Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Veſtæ:
Iliæ dum ſe nimiùm querenti
Jactat ultorem; vagus & ſiniſtrâ
Labitur ripâ, Jove non probante,

quando Proteus totum armentum duxit in excelſos montes; atque piſcium genus adhæſit ulmi faſtigio; qui locus fuerat columbis cognitus: necnon damæ timidi nataverunt in *mari ſuperfuſo. Aſpeximus flavum Tiberim ire proſtratum monumenta Regis* Numæ *& ædem Veſtæ, aquis magno impetu reflexis à ripâ Tuſciam ſpectante: dum* hic *fluvius, Jove indignante, nimium indulgens uxori Iliæ dolenti præter modum, ſe vindicem oſtentat atque in lævum littus*

ANNOTATIONES.

Regis: qui duo tantùm fuere ſuperſtites ex eluvione; naviculâ emergentes in Parnaſſum, cæteris montibus aqua ſubmerſis. Subinde verò conſuluerunt Oraculum, quo pacto genus humanum poſſet reparari: acceptoque reſponſo jactis poſt tergum lapidibus id præſtiterunt. Vide Ovid. Metamorph. 1. Virgil. Eclog. 6. Juvenal. Satyr. 1. v. 81. & ſeq. &c. Theſſalica illa contigit eluvio annis ferè quindecim ante Hebræorum ex Ægypto egreſſum; ut volunt quidam non abſurdè.

7. *Omne cum Proteus, &c.*] Proteus cuſtos Phocarum Neptuni, in eo diluvio, inquit Poëta, gregem ſuum, ſeu vitulos marinos deduxit in altos montes, qui priùs vel in aquis, vel in ripa duntaxat degebant. Sunt enim ἀμφίβιοι Phocæ.

4. *Piſcium & ſummâ genus hæſit ulmo, &c.*] Fluctibus terræ ſuperfuſis, piſces arborum ſummo cacumini, ſupremiſque fruticibus adhærebant.

10. *Nota quæ ſedes fuerat columbis.*] At *vix hoc perſuadeas rerum naturæ conſultis*, inquit Scaliger. Quaſi vero benè palumbes non hic intelligi queant, quas in arboribus conſtat nidificare. Quid porrò quod ſcribit Suetonius, Octav. cap. 94. Cæſare ſylvam cædente, arborem palmæ in omen victoriæ ſervari juſſam, è quâ ſoboles enata paucis diebus ſic adolevit, ut non modo æquipararet matricem, ſed & obtegeret, *frequentareturque columbarum nidis.*

12. *Flavum Tiberim.*] Seu ex eluvione turbidum, ut fit; ſeu quod, ut ſcribit Virgil. Æn. 7. 31.

Verticibus rapidis, & multâ flavus arenâ.

Retortis Littore Etruſco violenter undis.] Retroactis Romam verſus aquis, repulſiſque ab oſtio maris Tyrrheni ſive Etruſci, in quod influit; quâ exundatione vaſtitatem urbi viſus minari Tiberis. Huc pertinet quod refert Dio. lib. 45. flumina quædam in Italiâ contrarias in partes fluxiſſe, Auguſti temporibus: piſceſque innumerabiles è mari in continentem ejectos per oſtia Tiberis,

15. *Monumenta Regis.*] Numæ Pompilii, ſecundi Romanorum Regis, Palatium, quod & Curia Pompiliana & Regia vocabatur. Intelligunt alii cætera Numæ opera ſeu monumenta publica.

16. *Templaque Veſtæ.*] Ex Dionyſ. Halic. lib. 2. Templa duo Romæ habebat Veſta, alterum à Romulo, alterum à Numa Pompilio conditum, medio ſpatio Capitolium inter & Palatium, unis mœnibus utroque colle incluſo.

Templa.] Abuſivè pro æde quæ non erat auguſta, ſive augurio conſecrata, at auguſtum erat illius atrium.

Veſtæ.] Ejus ædes erat rotunda, quod terra, quæ rotunda eſt, Veſta dicta fuit, quippe quæ rebus omnibus veſtitur: vel quia vi ſuâ ſtat. Alii aliter. Vide Cic. de Nat. Deor. 1. n. 67.

17. *Iliæ.*] Matri Romuli, ſuæ uxori, conquerenti de nece Julii Cæſaris ſibi conſanguinei. Ilia juſſu Amulii in Tiberim, ut volunt quidam, præcipitata, huic proinde fluvio nupta fertur: ab eoque indulgentius æquo vindicatur.

18. *Siniſtrâ Labitur ripâ.*] Majorem ergo urbis partem, quæ ad ſiniſtram eſt, forum ſcilicet Romanum, atque Aventini Palatinique collium imam regionem exundans vaſtat Tiberis.

19. *Jove non probante.*] *Si omnia fato fiant, cur non probat Jupiter? aut ſi Jupiter non probat, cur adverſus fatum Tiberis ruit? ſive vult Cæſaris ultor eſſe, quid igitur Romæ pulcherrima & religioſiſſima quæque demolitur, cum Romam ipſam Cæſaris nepotibus promiſerint fata?* ſic magna lis Horatio mota à Jul. Scaligero. Nunquid verò noſtrum erit viros inter tantos tantas componere rixas? At cavillationem agnoſce, lector, ne dicam ſycophantiam vitiligatoris. Probat Jupiter ſanè vindicari nefariam cædem Principis & Pontificis. Ov. Faſt. 3. 705.

At quicunque nefas auſi, prohibente Deorum
Numine, polluerant pontificale caput.

At non probat quod uxori Iliæ obſequentior fluvius ultra modum evagetur, eatque dejectum

errat exundans. Juvenes pauci culpâ parentum audient aliquando Romanos ſtrinxiſſe gladios, quibus juſtè magis confoderentur Perſæ graves; audientque bella civilia. *Quem Deorum populus invocet labenti Reſpublicâ? Quibus votis inſtabunt Virgines ſacratæ apud Veſtam obſecrationes minime ſuſcipientem? Cui Jupiter dabit munus eluendi crimen? ô Phœbe fatidice obſecramus* ut *ſuccurras, albos humeros nube velatos* habens: *ſeu vis potius adeſſe, ô blanda Venus, circa quam joci & amores volitant:*

Uxorius amnis.
Audiet cives acuiſſe ferrum, [11]
Quo graves Perſæ melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.
Quem vocet Divûm populus ruentis
Imperî rebus? prece quâ fatigent
Virgines ſanctæ minus audientem
Carmina Veſtam?
Cui dabit partes ſcelus expiandi
Jupiter? tandem venias, precamur, [12]
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam jocus circumvolat, & Cupido:

ANNOTATIONES.

ſacra profanaque ſine ullo diſcrimine. Nec abſurdè alii ſcribunt, Jovi Diiſque non placere quod Tiberis moliatur Cæſaris ultionem, quam Auguſto fata reſervabant.

20. *Uxorius.*] Uxori plus æquo deditus & indulgens. Virgil. Æneid. 4. v. 266.

—Pulchramque uxorius urbem
Extruis——

21. *Audiet cives, &c.*] Quaſi vaticinatur Horatius peracta jam bella civilia, quibus Italia fœdata, & mutuis vulneribus cives abſumpti, juventuſque imminuta ac propè exhauſta fuerat.

22. *Graves Perſæ.*] Parthi, ut ad calcem hujus Odes annotabo, intelligendi; *Graves*, ſeu ob armorum pondus, ſeu quod Romanis diu graves incubuere, vel propter unam cladem Craſſianam, de quâ poſtea dicam amplius, tum alibi, tum præcipue lib. 4. Od. 15.

23. *Vitio parentum.*] Per ambitionem, cupiditatem, iram, in ſemet gladios ſtringentium, quibus hoſtes erant petendi.

27. *Virgines ſanctæ.*] Veſtales ignis æterni cuſtodes, Veſtæ perpetuâ virginitate & ſummo cultu addictæ, hincque ad placandum ejus numen potentiores. Cic. de Legg. 2. n. 20. *Virgines Veſtales in urbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum.* Et n. 29. *Veſta, quaſi focus urbis . . . . ei colendæ Virgines præſunt, &c.* Vide A. Gellium lib. 1. cap. 12. ubi inter alia benè multa, hæc ſcribit: *Veſtalem Virginem minorem annis ſex, majorem quàm annos decem natam capi fas non eſſe; patrimam & matrimam eſſe oportere: neque linguâ debili, ſenſuve aurium diminutam, aliâve quavis corporis labe inſignitam, nec quæ ipſa, aut ejus pater emancipatus ſit aut cujus parentes ſervitutem ſervierint, vel in ſordidis negotiis verſentur, &c.*

Minus audientem.] Præ irâ graviori & ferè implacabili, tum ob effuſum impie ſanguinem ſibi cognatum, ut jam antè dixi, tum ob ſacrilegam percuſſorum audaciam, quæ ſummum Sacerdotem violarant, abſque ullâ numinum reverentiâ. Ovid. Faſt. 3. ita. v. 700. Veſta loquitur;

——Meus fuit ille ſacerdos,
Sacrilegæ telis me petiere manus.

30. *Venias, precamur.*] Invocat præcipue Apollinem, qui & Trojanis pridem, & poſt Romanis ſemper impensè favit.

31. *Nube candentes humeros amictus.*] Miſſis aliorum interpretationibus, hunc locum optime intelligas cum iis qui putant alluſiſſe Horatium ad id quod commemorant anno cædem Julii Cæſaris conſecuto; Solem caligine obvelatum ſemper fuiſſe, quaſi in ſceleris admiſſi execrationem. Plutarch. in Cæſare, Dio. lib. 45. Plin. lib. 2. cap. 30. *Prodigioſus*, inquit, *Solis defectus, occiſo Dictatore Cæſare, totius pene anni pallore continuo.* Virg. Georg. 1. v. 466.

Sol etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,
Cum caput obſcurâ nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem.

32. *Augur Apollo.*] Quippe qui divinationibus præeſſe credebatur.

33. *Erycina.*] Poſt Apollinem, Veneris opem implorat: quæ mater Æneæ, à cujus filio Iulo Cæſar Julius. Venus porrò in Eryce Siciliæ monte fanum habebat, unde Erycina dicta. Romam poſtea tranſlata in ædem ipſi ſub hac appellatione conſecratam extra portam Collinam. Nec omittendum quod Venus Cæſaris dicta ſit genetrix; & ab eo dicata etiam Æde ſingulari cultu honorata; in caſtris denique ejus teſſera fuit *Genetrix Venus*; ſicut in Syllæ *Apollo*, in Antonii *Lar Deus*, in Pompeii Junioris *Pietas*, in Majoris *Herculis invicti*.

Sive

Sive neglectum genus, & nepotes
Reſpicis, Auctor,
Heu nimis longo ſatiate ludo:
Quem juvat clamor, galeæque læves,
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hoſtem:
Sive mutatâ juvenem figurâ [13]
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ, patiens vocari
Cæſaris ultor:
Serus in cœlum redeas; diuque
Lætus interſis Populo Quirini;
Neve te noſtris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat: hîc magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater, atque princeps:
Neu ſinas Medos equitare inultos, [14]
Te duce, Cæſar.

Seu abjectam prolem atque poſteros reſpicis, O Mars Romanæ gentis *parens, eheu bello nimis diuturno ſatiate: qui gaudes vociferationibus, & galeis politis, atque aſpectu Mauri peditis erga ſævum adverſarium feroci: Sive immutatâ ſpecie adoleſcentem exbibes in terrâ,* tu *alatus filius benignæ Maiæ, ſinens te dici vindicem* Julii Cæſaris: *tardè remigres in Cœlum; diuque maneas cum populo Romano, neque celerior ventus rapiat te noſtris criminibus inſenſum: Ama potius hic ingentes triumphos, & appellationem parentis auctoriſque; neque patiaris, O Cæſar, te imperante, Medos impune in equis vagari.*

ANNOTATIONES.

35. *Sive neglectum.*] Ad Martem denique convertitur, patrem ſcilicet Romuli Romanæque adeo gentis auctorem.

37. *Longo ſatiate ludo.*] Tot bellis civilibus, quæ ſunt ludus Martis. *Clamor* bellicus in pugnæ conflictu. *Galeæ leves.*] Ardentes ſcilicet bello ſæpius contrectantur & poliuntur.

39. *Acer & Mauri peditis cruentum Vultus in hoſtem.*] Truculentus erat Maurorum vultus. Reſpiciunt hic aliqui ad hiſtoriam: grave nempe bellum Jubæ Mauritaniæ regis adverſus Jul. Cæſarem: De quo Sueton. cap. 66. *Fama hoſtilium copiarum* ſuos *perterritos. . . . . confirmabat . . . cum expectatis adventus Jubæ terribilis eſſet, &c.*] Non malè quidam cenſent reponendum hic, *Marſi peditis.* Iſti enim optimi Italiæ & Romani exercitus milites potiùs videntur fuiſſe commendandi, quàm hoſtes & alieni.

41. *Sive mutatâ, &c.*] Auguſtus, quod valdè ingenioſus Mercurius audiebat.

Juvenem imitaris.] Vulgaris erat opinio & fama, Mercurium Julii Cæſaris vindicem eſſe aſſumptâ juvenili figurâ Auguſtâ, qui natus erat annos tantùm novemdecim quando Cæſar interfectus eſt.

43. *Maiæ.*] Mater hæc Mercurii erat.

44. *Cæſaris ultor.*] Sueton. Octav. cap. 10. & 29. anteà cit. Ovid. Faſt. 3. 707. Cæſaris interfectores tale nefas auſi, inquit,

Morte jacent meritâ. Teſtes eſtote Philippi:
Et quorum ſparſis oſſibus albet humus.
Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt
Cæſaris, ulciſci juſta per arma patrem.

45. *Serus in cœlum redeas.*] Sic multos annos Auguſto exoptat, ejuſque præſentiam opemque Populo Romano neceſſariam atque amabilem aſſerit Poëta. Vide Sueton. Octav. cap. 56.

49. *Magnos triumphos.*] Sueton Octav. cap. 22. *Curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes. Bis ovans ingreſſus urbem eſt, poſt Philippenſe, & rursùs poſt Siculum bellum.*

50. *Hic ames dici pater.*] Ex Sueton. Octav. cap. 58. nullo magis honore lætatus eſt Auguſtus, quam cum ab univerſis maximoque conſenſu *Pater patriæ* conſalutatus eſt. Id enim cognomen afferenti, mandantibus cunctis, Valerio Meſſalæ lachrymans ita reſpondit: *Compos factus votorum meorum, P. C. quid aliud habeo Deos immortales precari, quam ut hunc conſenſum veſtrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat?*

Atque princeps.] Corn. Tacit. Ann. lib. 1. cap. 1. *Lepidi atque Antonii arma in Auguſtum ceſſere: qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium accepit.* Et Dio lib. 53. ita ſcribit: *Princeps Senatus dictus eſt ſexto Conſulatu; eo more, qui, integro etiamnum Populi in Rep. ſtatu, receptus erat.*

51. *Medos.*] A Medis ad Perſas, & ab his ad Parthos tandem orientis imperium tranſiit. Hinc promiſcuè tria vocabula iſta uſurpantur ſæpius ab Horatio.

Inultos.] Tunc populis iſtis inferre bellum meditabatur Auguſtus. Vide Od. 19. hujus libri.

Equitare.] Equitatu ſuo Romanis inſultare. Vel quod urbana etiam negotia equitando Parthi obirent, Strabone teſte.

ODE III.

Navi, quâ Virgilius Athenas vehebatur, precatur incolumitatem: deinde in hominum temeritatem invehitur.

Ita te ſalvam ducant Cypri Domina & Helenæ fratres aſtra fulgentia, & parens ventorum, concluſis reliquis, excepto Japyge; O navis, quæ debes Virgilium tibi commiſſum, oro ut eum ſoſpitem applices ad littus Athenienſe,

SIC te Diva potens Cypri, [15]
Sic fratres Helenæ, lucida ſidera,
Ventorumque regat pater, [16]
Obſtrictis aliis, præter Iapyga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis

ANNOTATIONES.

Ode eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus Choriambicus trimeter, conſtans è ſpondæo, choriambo & pyrrhichio. Ita ſcanditur:

Sĭc tē | Dīvă | pŏtēns | Cypri |

Alter quiſque verſus eſt Choriambicus Aſclepiadeus tetrameter, conſtans è ſpondæo, duobus choriambis & pyrrhichio:

Sīc frā | trēs Hĕlĕnæ | lūcĭdă sī | dĕră |

1. *Sic te Diva, &c.*] Venuſtatis & elegantiarum plena eſt hæc Ode: voces habet & ſententias multas & perinde graves, exempla inſignia, oratoriam tractationem egregiam. Denique hîc triumphat Heroïcus ille ſpiritus, quem in Poëtâ noſtro laudat Quintilianus, ut Lyricorum ferè unum legi dignum exiſtimet.

Sic.] Particula eſt adjurantis & voventis. Sic te Dii ventique integram ſervent precor, inquit, ut tu ſoſpitem deferas Virgilium, ô navis. Ille navigationem inſtituebat Athenas jam quinquagenario major, ut divino Æneidos operi coronidem imponeret.

Diva potens Cypri.] Venus, quæ præcipuos habebat honores apud Cyprum Inſulam maris Mediterranei, Ciliciam inter & Syriam. Variis illa dominis ſubinde paruit: à Turcis denique eſt occupata, & erepta Venetis anno 1570. Cur autem invocatur Venus, ut faveat naviganti? An quod, ut opinatur Marcilius, ejus numen in puppi appictum, & navis inſigne erat & tutela? An quod Veneris ſtella navigantibus utilis? An quod fabulantur è maris ſpuma procreatam in mare jus & imperium obtinere. Virgil. Æneid. 5. v. 800. Neptunus ita Venerem alloquitur.

Fas omne eſt, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis.

Ovid Epiſt. 16. v. 23.

Illa (Venus) *dedit faciles auras, ventoſque ſecundos.*
In mare nec mirum, jus habet orta mari.

2. *Fratres Helenæ.*] Caſtor & Pollux. Leda Tyndari Laconiæ regis uxor, ut aiunt, ova duo peperit, è quorum altero prodierunt Pollux & Helena immortales è Jove nati, ex altero Caſtor & Clytæmneſtra mortales è Tyndaro. Hinc illi Tyndaridæ vocantur à Latinis quidem, à Græcis verò Jovis filii, Διόσκουροι. Porrò quòd à piratis ac prædonibus mare, dum viverent, liberâſſent, à Neptuno dicuntur adepti eſſe poteſtatem naufragis opitulandi. Hinc σωτῆρες dicti; & hinc *lucida ſidera*: in aſtris nimirum recenſentur Caſtor & Pollux: eorumque ſtellæ cum ſimul apparent, ſalutares; cum ſolitariæ, graves & noxiæ creduntur. Arnobius ignes ſeu fulgores marinos vocat. Vide Plin. lib. 2. cap. 37. Hygin. lib. 2. &c. & infrà Od. 12. hujus libri Annotat.

3. *Ventorum pater.*] Jovem intelligit Marcilius, quia veteribus Phyſicis Jupiter eſt aer agitatus & fluens, adeoque id quod ventum appellamus. Alii melius exponunt de Æolo, qui ventorum rex & pater dictus, quod ventorum aſtrorumque rationem apprimè calluerit. Is regnavit Iliacis temporibus apud inſulas Æolias, quæ & Vulcaniæ, Italiam inter & Siciliam poſitæ. Plin. lib. 3. cap. 8. & 9.

4. *Obſtrictis aliis.*] Cæteri venti minimè propitii retineantur, unus omittatur Iapyx Virgilio commodus in finès Atticos properanti. Alludit Horatius ad utrem Ulyſſi ab Æolo donatum, in quo venti erant incluſi, præter Zephyrum navigationi ejus utilem. Quidam, legunt *obſtructis*, ſed malè. Homer. modo cit. Odyſſ. 10. κατέδησε *ligavit*. Virgil. Æn. 1. incluſos carcere ventos pariter canit.

Iapyga.] Ventus ille ex Apuliæ finibus proficiſcitur, adverſus Eurum flat, idem propemodùm atque Caurus, in Græciam proinde ex Italiâ ſolventibus planè utilis. Vide Gell. lib. 2. cap. 22.

6. *Virgilium.*] Huic cum Poëta noſtro familiaritas maxima, ut mirum non abs re videatur, quod nullam fecerit uſquam mentionem Lyricorum Principis Heroicorum ille Princeps.

Finibus Atticis.] Attica regio Helladis in anguló Orientali & Auſtrali; ubi longe præ-

Reddas

Reddas incolumem, precor:
Et ſerves animæ dimidium meæ.
Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti:
Quo non arbiter Adriæ
Major, tollere ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,

ac tuearis partem dimidiam animæ meæ. Is profectò circa cor habebat lignum treſque æris laminas, qui primus mari ſævo credidit navem frangi facilem, neque metuit Africum violentum cum Boreâ pugnantem, neque Hyadas noxias, neque furorem Auſtri; quo nullus eſt dominator in Adriatico mari potentior, ſive concitare ſive placare fluctus velit. Quod mortis genus formidavit,

ANNOTATIONES.

clariſſima & nominatiſſima civitas caput extollit. *Athenæ omnium doctrinarum inventrices.* Cic. 1. de Orat. n. 13.

8. *Animæ dimidium meæ.*] S. Aug. Confeſſ. lib. 4. cap. 6. *Bene,* inquit, *de amico ſuo dixit quidam,* dimidium animæ meæ: *Nam ego ſenſi animam meam & animam illius unam fuiſſe animam in duobus corporibus: & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere,* &c. altero ſcilicet mortuo. Vide Perſ. Sat. 5. v. 22. & infrà lib. 2. Od. 17.

9. *Illi robur & æs triplex, &c.*] Is habebat cor ligno quovis & ære durius, χαλκεοκάρδιος Theocrit. Idyll. 13. huic ferreum pectus erat, qui primus auſus eſt mari ſe credere, atque ut canit Juvenalis Sat. 12. v. 57.

Ventis animam committe, dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

Sophocles in Antigone ait multa quidem cerni ſtupenda, at nihil magis quàm quod homo fluctus tumidos naviculâ tamen ſubire non formidet. Vide Plin. Procem. lib. 19.

Robur.] Pro qualibet re duriori uſurpatur. Virgil. Æneid. 7.

———Æternaque ferri
Robora.———

12. *Primus.*] Tiphys Bœotius, inquiunt, à Pallade edoctus navem primus fabricavit, quæ Argo dicta eſt; eâque Colchicam expeditionem eſt aggreſſus Jaſon. Vide Plin. lib. 7. cap. 56. Conſtat tamen ante illud tempus fuiſſe navigatum. Teſtis Herodotus de Phœnicibus & Græcis. Ex Athen. lib. 15. cap. 13. Janus navigia primus reperit. Ex Thucyd. & Libanio primi Corinthii naves concinnârunt.

Africum.] Meridionalem ventum, Aquilonibus proinde colluctantem. De eo jam od. 1.

14. *Triſtes Hyadas.*] Ab ὕειν *pluere* dictæ ſunt quod pluvias ferrent eæ ſtellæ ſeptem in fronte Tauri collocatæ: Latinis Suculæ vocantur. Cic. 2. de Nat. Deor. n. 111.

Rabiem Noti.] A meridie flat Notus, nebuloſus & humidus, & hinc nomen: nam Græcè νότὶς *humor* dicitur. Vide Gell. jam cit. lib. 2. cap. 22.

15. *Quo non arbiter Adriæ Major.*] Ratio patet ex rerum ſitu & naturâ, lib. 3. Od. 3. *Dux inquieti turbidus Adriæ.* Atque hypercriticè Jul. Scaliger, *Auſtrum,* inquit, *præter cæteros ventos ſummum habere imperium in mare Adriaticum ſcribit Horatius: quod eſſe falſum intelliget quiſquis ſciet Adriaticum rectà excurrere in Vulturnum, cujus impetu etiam creſcit Ionio ſubinvecto Adriaticum. Boreæ quoque ſubjectum eſt qui ex alto ſpirat..... Auſter autem ex devexiore parte flans Apennino frangitur: quamobrem non ſubruit, ſed radit, &c.* At Parthenius ex Petro Medinâ Hiſpano, qui rei nauticæ & ventorum rationem luculenter inveſtigavit, egregiè Poëtam noſtrum tuetur & vindicat: *Auſtrum,* inquit, *Arbitrum Adriæ rectè ait Horatius.* Nam etſi non omninò in Notum excurrat Adriaticum mare, ut ſcribit Scaliger, nihilominus ita ſe habet, ut non minus ab Auſtro quàm à Vulturno poſſit concitari. Enimverò principales quinque venti duas quartas habent (ita loquuntur Nautæ & ventorum periti) ergo Vulturni quartæ duæ ſunt, una ad Subſolanum, altera ad Auſtrum reſpicit. Porrò hujuſmodi venti principales & integri octo referuntur; intra quos alii ſunt quos medios vocant, *Non profectò quod minori ſpiritu ac vehementiâ ferantur quam illi, ſed quod in eorum medio deſcribantur.* Itaque tam vehementes eſſe quartas quam principales, perſpicuum ſit. Hæc ille.

Adriæ.] Adria ſeu Adriaticum mare, hodie ſinus Venetus inter Italiam, Græciam, Illyricumque, longè porrigitur ad Septentrionem.

16. *Quem mortis timuit gradum.*] Quidam tres gradus mortis efferunt, fatum, genituram, caſum: alii mortis acceſſus intelligunt; certè parum ad rem. Noſtra videatur interpretatio verior quo ſimplicior. Varia naufragorum mortis genera, ſi lubet accipe, fluctibus ſubmergi,

Qui

qui ſine lacrymis aſpexit piſces monſtroſos nantes, ac mare intumeſcens, & Acroceraunias rupes naufragiis famoſas? fruſtrà Deus providus terram ſegregavit à mari disjungendo: ſi naves ſceleratæ tranſeunt nihilominus vada minime tentanda. Mortalium genus quidlibet aggredi non veretur, fertúrque ad facinora prohibita. Temerarius Iapeti filius populis advexit ignem furto improbo. Poſt ignem cœlo ſubreptum terras invaſit macies & frequentia morborum inſolita; atque fera neceſſitas mortis antea dilata paſſum acceleravit.

Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras: ſi tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude malâ gentibus intulit.
Poſt ignem ætherea domo
Subductum, macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum.

ANNOTATIONES.

à piſcibus devorari, ad rupes allidi, vel in ſcopulos inſulamve deſertam ejici, ibique omni ope deſtitutum contabeſcere & mori. Præterea contingit aliquando navigantes tempeſtate ingruente diſpelli ad barbaras oras, ubi vel ab Anthropophagis dilaniantur, vel Idolis mactantur: quo quidem fati genere tantum non abſumpti ſunt Oreſtes & Pylades apud Tauricam regionem. Vide Eurip. Iphigen. in Tauris: item noſtras annotat. lib. 3. Od. 4. v. 33. ad eas voces: *Britannos hoſpitibus feros.* Adde & aliud, navi etiam integrâ, periculum moriendi vel ſiti vel fame reſtantibus & contrariis diu ventis, nimirum in navigatione longiori: ſive cum aqua dulcis jam rara ad dimenſum diſtribuitur ſiticuloſis; ſive cùm deficientibus omnibus cibariis, navigantium unus vel aliorum conſpiratione vel ſorte aſſumitur jugulandus, urgente ſcilicet extrema neceſſitate, alimento cæteris futuris. Quod nec cogitari poteſt abſque horrore.

18. *Monſtra natantia.*] Cete grandia & immania. Juvenal. Sat. 14. v. 283. *Oceani monſtra.*

20. *Acroceraunia.*] Excelſi in Epiro montes, quòd crebro fulmine percutiantur eorum faſtigia, ſic dicti, à *κεραυνὸς fulmen, & ἄκρον ſummum.* Hic deſignat Horatius Acroceraunium Promontorium Ionio mare imminens, vulgò, *Capo della Chimera,* aliis *Capo della Linguetta.* In Epiro ſitum eſt, non procul Albaniæ finibus.

21. *Nequicquam Deus abſcidit, &c.*] Voluit Deus pericula maris arcere ab hominibus; ipſi vero illis ſe ultrò committunt. Benè Poëta Græcus ait; Quantò eſt dulciór mater quam noverca, tantò eſſe terram mari optabiliorem. Bias autem ſapienter dicebat, Nec vivis nec mortuis accenſeri navigantes debere.

25. *Omnia perpeti.*] Quælibet agendo patiendoque moliri, ut nihil grave aut arduum videatur.

27. *Iapeti genus.*] Prometheus, de quo poſteà Ode 16. & lib. 2. Ode 13. Scribit Theophraſtus, idcircò dici Prometheum hominibus dediſſe ignem Cœlo dereptum, quia Philoſophiam ac lumen vitæ intellectualis, quæ divina eſt, mortalibus invexit. Ex Cic. Tuſc. 5. & aliis Prometheus Caucaſo affixus fingitur, quod ex eo monte altiſſimo ſiderum naturam ac motum ſtudioſè contemplaretur: ibique cœleſtium cognitioni ſedulo incumberet. Et quod exinde fulminum rationem perſcrutatus hominibus indicâſſet, fabulati ſunt ignem cœleſtem ab eo ſurreptum ac in terras delatum. Denique vultur ſeu aquila cor illius vellicans, optimè ſignificat anxietatem animi naturæ arcana rimantis & non ſine labore inveſtigantis. Eccleſ. 1. *In multâ ſapientiâ multa indignatio . . . . labor & afflictio ſpiritus: & qui addit ſcientiam, addit & laborem.*

29. *Poſt ignem æthereâ, &c.*] Animadverte expreſſa fabulis Adæ peccatum, peccatique ſtipendia, mortem, morbos, moleſtias, &c. ex Heſiodo, cùm ignem furatus eſſet Prometheus ad animandas ſtatuas è luto à ſe fictas, iratus Jupiter Pandoram in terras miſit, quæ apertâ pyxide mala omnia diffudit.

32. *Tarda neceſſitas.*] Melioribus ſeculis vita erat homini diuturnior. S. Cyprian. Ep. 11. S. Auguſt. lib. 2. de Civ. cap. 14. Porrò ex ſacris codicibus noverant Ethnici productiorem ac longiorem fuiſſe vitam primis hominibus. Plin. Proœm. lib. 14. *Quando voluptas vivere cœpit, vita ipſa deſiit.*

Expertus

Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt.
Cœlum ipſum petimus ſtultitiâ: neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

Dædalus per inanem aërem volare tentavit alis homini non conceſſis. Vis Herculis ſibi patefecit aditum ad Inferos. Nihil eſt hominibus intentatum. Cœlum ipſum affectamus per dementiam. Et noſtris criminibus non ſinimus Jovem iratum dimittere fulmina.

ANNOTATIONES.

34. *Dædalus*] Is faber Athenienſis peritiſſimus erat & perquàm ingenioſus, multa quidem invenit: navi primus dicitur vela, malum, antennas impoſuiſſe. Pauſanias in Bœoticis, Plin. lib. 7. cap. 56. jam cit. Inde fabulati ſunt Dædalum pennis ſibi cerâ compactis avolaſſe Minoïa regna fugientem, de quo Virg. Æneid. 6. v. 14. Ov. Metam. 8. Diodor. Sic. lib. 5. cap. 15. &c.

36. *Perrupit Acheronta Herculeus labor.*] Is inferorum fluvius pro ipſis inferis non rarò ponitur ſynecd. De Hercule, ejuſque laboribus, alibi nos; cit. verò Diodor. fusè, lib. 5. cap. 2. &c.

39. *Cœlum ipſum petimus*] Sic Phaëton, de quo lib. 4. Od. 11. Sic Gigantes, de quibus lib. 2. Od. 12. & 19. lib. 3. Od. 4. &c.

ODE IV. Ad L. SEXTIUM.

Veris deſcriptio: vitæ brevitas: carpendæ voluptates.

SOlvitur acris hyems gratâ vice veris & Favonî; [20]
Trahuntque ſiccas machinæ carinas:
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.

Aſpera hyems relaxatur jucundâ viciſſitudine veris ac Zephyri: & machinæ deducunt in mare naves ſiccas: jamque nec greges amant ſtabula, nec agricolæ focum: neque prata albeſcunt pruinis candidis.

ANNOTATIONES.

Ode eſt dicolos diſtrophos, unica verò ſui generis. Primus quiſque verſus eſt Dactylicus Archilochius heptameter. Quatuor primi pedes ſunt vel dactyli, vel ſpondæi: tres ultimi ſunt trochæi. Sic

Sōlvĭtŭr | ācrĭs hy | ēms grā | tāvĭtĕ | vēris | ēt Fă | vōnĭ |

Secundus quiſque verſus eſt Archilochius conſtans è penthemimeri Iambicâ. Primus pes ſpondæus vel Iambus: ſecundus ſemper Iambus cum ſyllabâ: tres poſteà ſequuntur trochæi: ſic,

Trăhūnt | quĕ ſīc | cās | măchĭ | næ că | rīnās |

Nonnulli tricolon faciunt Odem hanc, & ſic diſtinguunt rurſus:

Solvitur acris hyems gratâ vice
Veris & Favonî:
Trahuntque ſiccas, &c.

1. *Solvitur, &c.*] Terra quæ priùs hyeme & frigore conſtricta fuerat, jam reſolvitur & aperitur grato reditu vernæ tempeſtatis: in quâ & areolæ florum explicant ſeſe; & mare gelu antè præcluſum jam adiri & navigari poteſt. Veris deſcriptionem, ſi lubet, pete Lector, è Virgil. Georg. 2. v. 324. & ſeq.

Favonî.] Favonius, a *fovendo* vel *favendo* dictus, idem qui Zephyrus, qui ventus flare incipit initio veris. Vid. lib. 3. Od. 1. Annot. ad vocem, *Zephyris.*

3. *Trahuntque ſiccas, &c.*] Jam machinis ad mare ſubducuntur naves quæ per hyemem in ſicco poſitæ fuerant, extra aquam, in navalibus. *Machinæ*, inſtrumenta quibus graviores quæque moles facilius moventur. Nonius Marcel. palangas vocat, & ſic deſcribit: *Palangæ*, inquit, *dicuntur fuſtes teretes, qui navibus ſubjiciuntur, quando attrahuntur ad pelagus; vel cum ad littora ſubducuntur.*

Nunc Venus Cytherea Choreas agit ad Lunam ſuper lucentem: Charites verò cum Nymphis pulſant terram modò hoc modò illo pede, dum Vulcanus fervens accendit fornaces operoſas Cyclopum. Nunc juvat caput unguentis delibutum coronare vel myrto virenti, vel flore quem producit tellus aperta. Nunc etiam convenit Fauno ſacrificare in lucis opacis, ſive petat agnam ſive hœdum. Mors pallens æquali pede ferit egenorum caſas atque regum palatia. O fortunate Sexti, breve ſpatium vitæ prohibet nos incipere ſpem diuturnam. Statim urgebunt te tenebræ, & Inferi celebratiſſimi.

Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Lunâ:
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes [21]
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ;
Nunc et in umbroſis Fauno decet immolare lucis,
Seu poſcat agnam, ſive malit hœdum.
Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, [22]
Regúmque turres. O beate Sexti,
Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulæque Manes,

ANNOTATIONES.

5. *Cytherea.*] Cythera hodie *Cerigo* Inſula maris Ægæi ad oram Peloponneſi. In eâ templum Veneris antiquiſſimum. Inde *Cytherea* cognomen.

Choros ducit Venus imminente Lunâ.] Novilunii lætitiam & ſacra hic plures notari volunt, ſicut lib. 3. Od. 19. v. 9. At alii Calendas Apriles Veneri ſacras intelligunt, qui menſis ab aperiendo dictus convenit iis quæ initio hujus Odes afferuntur. Alii Calendas Martias accipiunt, ſive matronalia, de quibus Ovid. Faſt. 3. Nam quamquam matronarum erat iſte feſtus, inquit Marcilius, & nihil pertinebat ad viros auſteros quidem & negotioſos, verùm lætus erat hilarioribus hic quoque nepotulis Venereis, ut Flacco & ſimilibus, paratis ſemper cantillare partem lætitiæ inter Venereas illas, & gaudentibus ſpectare Nympharum choreas ac mulierum cœtus & choros.

Imminente Lunâ.] Incipientem Lunam intelligunt interpretes modò citati: nobis verò magis placent alii, qui Lunam provectiorem ac deſuper lucentem explicant, adeoque nolunt ipſas hic accipi Calendas vel Martii, vel Aprilis.

6. *Junctæque Nymphis Gratiæ, &c.*] Cum Venere tripudiant & ſaltant Nymphæ, Gratiæque tres, Aglaia, Euphroſyne, Thalia: Sannazar:

Tum manibus ſimul implicitis per gramina feſtas
Exercent choreas: alios alioſque reflexus
Inter ſe lætæ repetunt: nunc corpora librant
In ſaltus: nunc molle latus, nunc candida jactant
Brachia, & alternâ quatiunt veſtigia plantâ.

7. *Dum graves Cyclopum, &c.*] Dum Vulcanus in Ætnâ monte Jovi cudit fulmina æſtate ſequenti vibranda. *Cyclopes* ex Heſiod. Theog. Cœlo Terraque nati; ex aliis, Neptuni ex Amphitrite filii, Vulcano adeſſe miniſtri dicuntur & ferrariam exercere: alii aiunt Siciliæ populos fuiſſe barbaros & prædones. Vide Plin. lib. 7. cap. 2. init. & Virg. Georg. 1. v. 471. & Æn. 8. v. 418. & ſeq. Nomen. à κύκλος *circulus*, & ὤψ *oculus*, quod unum haberent oculum in fronte inſtar circuli.

Virgil. de Polyphemo, Æn. 3. v. 635.

Telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torvâ ſolum ſub fronte latebat,
Argolici clypei aut Phœbææ lampadis inſtar.

8. *Vulcanus.*] Is Junone Joveque natus, ob deformitatem dejectus eſt ab iis in inſulam Lemnum, & claudus è caſu factus; ubi officinam inſtituit ferrariam, quam tamen alii collocant in Ætnâ monte apud Siciliam; alii in Hierâ quæ una eſt è Vulcaniis inſulis.

9. *Nunc decet aut viridi, &c.*] De myrto, deque coronarum & unguentorum uſu in conviviis apud veteres celebri, plura dicam poſtea. Vide ultimam Oden hujus libri.

11. *Fauno.*] Huic ruris Deo ſacrificabatur Idibus Februarii ex Ovid. Faſt. 2. Nimirum placabatur initio veris, ut propitius eſſet gregibus, qui tum foras incipiunt pabulatum educi. De illo Dionyſius Halicarn. lib. 1. Cic. de Naturâ Deor. 2. Vide & lib. 3. Od. 18. v. 1. Annot.

12. *Seu poſcat agnam.*] Legunt alii, *agna, &c.* & magis Latinitati & elegantiæ congruum volunt. Certè nodus in ſcirpo.

13. *Pallida mors æquo, &c.*] Claudian.

Omnia mors æquat.——

14. *O beate Sexti.*] Lucius Sextius, vel Seſtius, ille eſt qui tam fidelem Bruto etiam profligato amicitiam ſervavit, ut & probaretur ab Auguſto, & Conſul poſt ipſum fuerit ſubſtitutus cum Cn. Calpurnio Piſone, ann. U. C. 730. Vide Dion. lib. 43. Sigon. &c.

15. *Vitæ ſumma brevis, &c.*] Non debemus mortales vitam ſperare diuturnam.

16. *Nox.*] Mors, tenebroſique Inferi. Infra Od. 28. *Omnes una manet nox.*

Fabulæque manes.] Infernales Dii per antiphraſin *Manes*, id eſt, boni dicti, ſæpius uſurpantur & jactantur. Vide Epod. 5. v. 94.

Et domus exilis Plutonia: quò ſimul meâris,
Nec regna vini ſortiere talis,
Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis, & mox virgines tepebunt.

& Plutonis domus levis, ad quam ubi deveneris, neque talorum jactu eliges regem convivii, neque admiraberis Lycidam delicatulum, cujus amore ardent jam cuncti juvenes & paulò poſt puellæ ferveſcent.

ANNOTATIONES.

17. *Domus exilis.*] Plutonis domum, anguſtam ob frequentiam animarum eò deſcendentium, nonnulli interpretantur. Sed meliùs alii referunt ad exilitatem umbrarum ſive animarum oculos fugentium. Homer.

Νεκύων ἀμένηνα κάρηνα.

Capita mortuorum levia & evanida.

Virg. Eneid. 6. v. 269.

Domos Ditis vacuas & mania regna.

Quo ſimul meâris.] Cum illuc perveneris, jam non licebit luxuriari, indulgere genio, convivia celebrare, &c.

18. *Nec regna vini ſortiere talis.*] In conviviis eligebant veteres regem, ſeu bibendi magiſtrum, cui parebant convivæ omnes: eaque electio fiebat ſorte & talorum jactu. De eo nos amplius lib. 2. Od. 7. 25. ad ea verba, *Quem Venus arbitrum dicet bibendi?* Meminit Plautus Aſinar. Scen. 14. Curcul. Scen. 6. Stich. Scen. 12. Cicer. in Verrem. 5. *Iſte Prætor ſeverus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruiſſet, iis legibus quæ in poculis ponebantur, obtemperabat:* Plutarchus in Apophthegm. refert Ageſilaum in compotatione magiſtrum convivii ſorte creatum requirenti pocillatori, quantum cuique miniſtraret vini, reſpondiſſe: *Si multum vini adeſt, quantum quiſque petierit: ſi parum, ex æquo omnibus.* Cornel. Tacit. Annal. 13. feſtis Saturno diebus, inter alia æqualium ludicra regnum luſu ſortientium, evenerat ea ſors Neroni. Hic itaque convivii præfectus & rex dictus eſt. Arrian. in Epicteto, in Saturnalibus ſortitione facta, Rex ita jubet: *Tu bibito, tu infundito, tu abito, tu venito.*

Talis.] De talis ac teſſeris jam diſſerui ad Perſ. Sat. 3. verſ. 48. & 49. dicam & aliquid ad lib. 2. Od. 7. v. 25. De his accurate Meurſius.

19. *Tenerum Lycidam.*] Formoſum puerum, quem deperibat Seſtius.

20. *Tepebunt.*] Miſſâ quorundam interpretatione ſubtiliori, ſic explico: puellæ mox inardeſcent amore Lyeidæ pueri, cum adoleverit.

ODE V. Ad PYRRHAM.

Miſeros eſſe amatores Pyrrhæ; ſe ex ejus illecebris velut è naufragio enatâſſe.

QUIS multâ gracilis te puer in roſâ [23]
Perfuſus liquidis urget odoribus
Grato, Pyrrha, ſub antro?
Cui flavam religas comam,

Quis adoleſcens exilis, delibutus unguentis ſuaveolentibus, te amplectitur, ô Pyrrha, multas inter roſas ſub jucundâ ſpecu? Cujus gratiâ flavos crines nodo colligis,

ANNOTATIONES.

Hæc Ode eſt tricolos tetraſtrophos. Priores duo verſus Aſclepiadei ſunt, ut in Ode primâ,

Mæcenas atavis edite regibus.

Tertius quiſque eſt Pherecratius heroïcus trimeter, à ſpondæo, dactylo, ſpondæo; ſic;

Grātō | Pyrrhă ſŭb | āntrō |

Quartus eſt Glyconius, qualis eſt iſte Odes præcedentis,

Sic te Diva potens Cypri,

1. *Quis multâ, &c.*] Merum nectar eſſe hanc Oden, agnoſcit Scaliger Hypercrit.

Gracilis.] Tenuior non obeſus. Gallicè *de belle taille.* Angl. Slender-waſted. Terent. Eunuch. Act 2. Scen. 3. *Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum, quas matres ſtudent Demiſſis humeris eſſe, vincto corpore, ut graciles fient. Si qua eſt habitior paulo; pugilem eſſe aiunt, deducunt cibum. Tametſi bona eſt natura reddunt curaturâ junceas.*

3. *Pyrrha.*] Meretrix formoſa.

Sub antro.] Sub fornice.

4. *Cui flavam religas, &c.*] Ex more puellarum Lacænarum. Vide lib. 2. Od. 11. in fine.

Simplex

errat exundans. Juvenes pauci culpâ parentum audient aliquando Romanos ſtrinxiſſe gladios, quibus juſtè magis confoderentur Perſæ graves; [illegible]centque bella civilia. *Quem Deorum populus invocet labenti Reſpublicâ? Quibus votis inſtabunt Virgines ſacratæ apud Veſtam obſecrationes minime ſuſcipientem? Cui Jupiter dabit munus eluendi crimen? ô Phœbe fatidice obſecramus ut ſuccurras, albos humeros nube velatos* habens: *ſeu vis potius adeſſe, ô blanda Venus, circa quam joci & amores volitant;*

Uxorius amnis.
Audiet cives acuiſſe ferrum, [11]
Quo graves Perſæ melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.
Quem vocet Divûm populus ruentis
Imperî rebus? prece quâ fatigent
Virgines ſanctæ minùs audientem
Carmina Veſtam?
Cui dabit partes ſcelus expiandi
Jupiter? tandem venias, precamur, [12]
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam jocus circumvolat, & Cupido:

ANNOTATIONES.

ſacra profanaque ſine ullo diſcrimine. Nec abſurdè alii ſcribunt, Jovi Diiſque non placere quod Tiberis moliatur Cæſaris ultionem, quam Auguſto fata reſervabant.

20. *Uxorius.*] Uxori plus æquo deditus & indulgens. Virgil. Æneid. 4. v. 266.

—Pulchramque uxorius urbem
Extruis——

21. *Audiet cives, &c.*] Quaſi vaticinatur Horatius peracta jam bella civilia, quibus Italia fœdata, & mutuis vulneribus cives abſumpti, juventuſque imminuta ac propè exhauſta fuerat.

22. *Graves Perſæ.*] Parthi, ut ad calcem hujus Odes annotabo, intelligendi; *Graves*, ſeu ob armorum pondus, ſeu quod Romanis diu graves incubuere, vel propter unam cladem Craſſianam, de quâ poſtea dicam amplius, tum alibi, tum præcipue lib. 4. Od. 15.

23. *Vitio parentum.*] Per ambitionem, cupiditatem, iram, in ſemet gladios ſtringentium, quibus hoſtes erant petendi.

27. *Virgines ſanctæ.*] Veſtales ignis æterni cuſtodes, Veſtæ perpetuâ virginitate & ſummo cultu addictæ, hincque ad placandum ejus numen potentiores. Cic. de Legg. 2. n. 20. *Virgines Veſtales in urbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum.* Et n. 29. *Veſta, quaſi focus urbis . . . . ei colendæ Virgines præſunt, &c.* Vide A. Gellium lib. 1. cap. 12. ubi inter alia benè multa, hæc ſcribit: *Veſtalem Virginem minorem annis ſex, majorem quàm annos decem natam capi fas non eſſe; patrimam & matrimam eſſe oportere: neque linguâ debili, ſenſuve aurium diminutam, aliâve quavis corporis labe inſignitam, nec quæ ipſa, aut ejus pater emancipatus ſit aut cujus parentes ſervitutem ſervierint, vel in ſordidis negotiis diverſentur, &c.*

Minus audientem.] Præ irâ graviori & ferè implacabili, tum ob effuſum impie ſanguinem ſibi cognatum, ut jam antè dixi, tum ob ſacrilegam percuſſorum audaciam, quæ ſummum Sacerdotem violarant, abſque ullâ numinum reverentiâ. Ovid. Faſt. 3. ita. v. 700. Veſta loquitur;

——Meus fuit ille ſacerdos,
Sacrilegæ telis me petiere manus.

30. *Venias, precamur.*] Invocat præcipue Apollinem, qui & Trojanis pridem, & poſt Romanis ſemper impensè favit.

31. *Nube candentes humeros amictus.*] Miſſis aliorum interpretationibus, hunc locum optime intelligas cum iis qui putant alluſiſſe Horatium ad id quod commemorant anno cædem Julii Cæſaris conſecuto; Solem caligine obvelatum ſemper fuiſſe, quaſi in ſceleris admiſſi execrationem. Plutarch. in Cæſare, Dio. lib. 45. Plin. lib. 2. cap. 30. *Prodigioſus*, inquit, *Solis defectus, occiſo Dictatore Cæſare, totius pene anni pallore continuo.* Virg. Georg. 1. v. 466.

Sol etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,
Cum caput obſcurâ nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem.

32. *Augur Apollo.*] Quippe qui divinationibus præeſſe credebatur.

33. *Erycina.*] Poſt Apollinem, Veneris opem implorat: quæ mater Æneæ, à cujus filio Iulo Cæſar Julius. Venus porrò in Eryce Siciliæ monte fanum habebat, unde Erycina dicta. Romam poſtea tranſlata in ædem ipſi ſub hac appellatione conſecratam extra portam Collinam. Nec omittendum quod Venus Cæſaris dicta ſit genetrix; & ab eo dicata etiam Æde ſingulari cultu honorata; in caſtris denique ejus teſſera fuit *Genetrix Venus*; ſicut in Syllæ *Apollo*, in Antonii *Lar Deus*, in Pompeii Juniorum *Pietas*, in Majoris *Hercules invictus*.

Sive

Sive neglectum genus, & nepotes
Reſpicis, Auctor,
Heu nimis longo ſatiate ludo;
Quem juvat clamor, galeæque leves,
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hoſtem:
Sive mutatâ juvenem figurâ [13]
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ, patiens vocari
Cæſaris ultor:
Serus in cœlum redeas; diuque
Lætus interſis Populo Quirini;
Neve te noſtris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat: hîc magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater, atque princeps:
Neu ſinas Medos equitare inultos, [14]
Te duce, Cæſar.

Seu abjectam prolem atque poſteros reſpicis, O Mars Romanæ gentis *parens, eheu bello nimis diuturno ſatiate: qui gaudes vociferationibus, & galeis politis, atque aſpectu Mauri peditis erga ſævum adverſarium feroci: Sive immutatâ ſpecie adoleſcentem exhibes in terrâ, tu alatus filius benignæ Maiæ, ſinens te dici vindicem* Julii Cæſaris: *tardè remigres in Cœlum; diuque maneas cum populo Romano, neque celerior ventus rapiat te noſtris criminibus inſenſum: Ama potius hic ingentes triumphos, & appellationem parentis auctoriſque; neque patiaris, O Cæſar, te imperante, Medos impune in equis vagari.*

ANNOTATIONES.

35. *Sive neglectum.*] Ad Martem denique convertitur, patrem ſcilicet Romuli Romanæque adeo gentis auctorem.

37. *Longo ſatiate ludo.*] Tot bellis civilibus, quæ ſunt ludus Martis. *Clamor* bellicus in pugnæ conflictu. *Galeæ leves.*] Ardentes ſcilicet bello ſæpius contractantur & poliuntur.

39. *Acer & Mauri peditis cruentum Vultus in hoſtem.*] Truculentus erat Maurorum vultus. Reſpiciunt hic aliqui ad hiſtoriam: grave nempe bellum Jubæ Mauritaniæ regis adverſus Jul. Cæſarem: De quo Sueton. cap. 66. *Fama hoſtilium copiarum* ſuos *perterritos.* . . . . *confirmabat* . . . . *cum expectatis adventus Jubæ terribilis eſſet, &c.*] Non malè quidam cenſent reponendum hic, *Marſi peditis.* Iſti enim optimi Italiæ & Romani exercitus milites potiùs videntur fuiſſe commendandi, quàm hoſtes & alieni.

41. *Sive mutatâ, &c.*] Auguſtus, quod valdè ingeniolus Mercurius audiebat.

Juvenem imitaris.] Vulgaris erat opinio & fama, Mercurium Julii Cæſaris vindicem eſſe aſſumptâ juvenili figurâ Auguſtâ, qui natus erat annos tantùm novemdecim quando Cæſar interfectus eſt.

43. *Maiæ.*] Mater hæc Mercurii erat.

44. *Cæſaris ultor.*] Sueton. Octav. cap. 10. & 29. anteà cit. Ovid. Faſt. 3. 707. Cæſaris interfectores tale nefas auſi, inquit,

Morte jacent meritâ. Teſtes eſtote Philippi:
Et quorum ſparſis oſſibus albet humus.
Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt
Cæſaris, ulciſci juſta per arma patrem.

45. *Serus in cœlum redeas.*] Sic multos annos Auguſto exoptat, ejuſque præſentiam opemque Populo Romano neceſſariam atque amabilem afferit Poëta. Vide Sueton. Octav. cap. 56.

49. *Magnos triumphos.*] Sueton Octav. cap. 22. *Curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes. Bis ovans ingreſſus urbem eſt, poſt Philippenſe, & rurſus poſt Siculum bellum.*

50. *Hic ames dici pater.*] Ex Sueton. Octav. cap. 58. nullo magis honore lætatus eſt Auguſtus, quam cum ab univerſis maximoque conſenſu *Pater patriæ* conſalutatus eſt. Id enim cognomen afferenti, mandantibus cunctis, Valerio Meſſalæ lachrymans ita reſpondit: *Compos factus votorum meorum, P. C. quid aliud habeo Deos immortales precari, quam ut hunc conſenſum veſtrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat?*

Atque princeps.] Corn. Tacit. Ann. lib. 1. cap. 1. *Lepidi atque Antonii arma in Auguſtum ceſſere: qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium accepit.* Et Dio lib. 53. ita ſcribit: *Princeps Senatus dictus eſt ſexto Conſulatu; eo more, qui, integro etiamnum Populi in Rep. ſtatu, receptus erat.*

51. *Medos.*] A Medis ad Perſas, & ab his ad Parthos tandem orientis imperium tranſiit. Hinc promiſcuè tria vocabula iſta uſurpantur ſæpius ab Horatio.

Inultos.] Tunc populis iſtis inferre bellum meditabatur Auguſtus. Vide Od. 19. hujus libri.

Equitare.] Equitatu ſuo Romanis inſultare. Vel quod urbana etiam negotia equitando Parthi obirent, Strabone teſte.

ODE

ODE III.

Navi, quâ Virgilius Athenas vehebatur, precatur incolumitatem: deinde in hominum temeritatem invehitur.

Ita te ſalvam ducant Cypri Domina & Helenæ fratres aſtra fulgentia, & parens ventorum, concluſis reliquis, excepto Japyge; O navis, quæ debes Virgilium tibi commiſſum, oro ut eum ſoſpitem applices ad littus Athenienſe,

SIC te Diva potens Cypri, [15]
Sic fratres Helenæ, lucida ſidera,
Ventorumque regat pater, [16]
Obſtrictis aliis, præter Iapyga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis

ANNOTATIONES.

Ode eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus Choriambicus trimeter, conſtans è ſpondæo, choriambo & pyrrhichio. Ita ſcanditur:

Sīc tē | Dīvă | pŏtēns | Cypri |

Alter quiſque verſus eſt Choriambicus Aſclepiadeus tetrameter, conſtans è ſpondæo, duobus choriambis & pyrrhichio:

Sīc frā | trēs Hĕlĕnæ | lūcĭdă sī | dĕră

1. *Sic te Diva, &c.*] Venuſtatis & elegantiarum plena eſt hæc Ode: voces habet & ſententias multas & perinde graves, exempla inſignia, oratoriam tractationem egregiam. Denique hîc triumphat Heroïcus ille ſpiritus, quem in Poëtâ noſtro laudat Quintilianus, ut Lyricorum ferè unum legi dignum exiſtimet.

Sic.] Particula eſt adjurantis & voventis. Sic te Dii ventique integram ſervent precor, inquit, ut tu ſoſpitem deferas Virgilium, ô navis. Ille navigationem inſtituebat Athenas jam quinquagenario major, ut divino Æneidos operi coronidem imponeret.

Diva potens Cypri.] Venus, quæ præcipuos habebat honores apud Cyprum Inſulam maris Mediterranei, Ciliciam inter & Syriam. Variis illa dominis ſubinde paruit: à Turcis denique eſt occupata, & erepta Venetis anno 1570. Cur autem invocatur Venus, ut faveat naviganti? An quod, ut opinatur Marcilius, ejus numen in puppi appictum, & navis inſigne erat & tutela? An quod Veneris ſtella navigantibus utilis? An quod fabulantur è maris ſpuma procreatam in mare jus & imperium obtinere. Virgil. Æneid. 5. v. 800. Neptunus ita Venerem alloquitur.

Fas omne eſt, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis.

Ovid Epiſt. 16. v. 23.

Illa (Venus) *dedit faciles auras, ventoſque ſecundos.*
In mare nec mirum, jus habet orta mari.

2. *Fratres Helenæ.*] Caſtor & Pollux. Leda Tyndari Laconiæ regis uxor, ut aiunt, ova duo peperit, è quorum altero prodierunt Pollux & Helena immortales è Jove nati, ex altero Caſtor & Clytæmneſtra mortales è Tyndaro. Hinc illi Tyndaridæ vocantur à Latinis quidem, à Græcis verò Jovis filii, Διόσκουροι. Porrò quòd à piratis ac prædonibus mare, dum viverent, liberâſſent, à Neptuno dicuntur adepti eſſe poteſtatem naufragis opitulandi. Hinc σωτῆρες dicti; & hinc *lucida ſidera*: in aſtris nimirum recenſentur Caſtor & Pollux: eorumque ſtellæ cum ſimul apparent, ſalutares; cum ſolitariæ, graves & noxiæ creduntur. Arnobius ignes ſeu fulgores marinos vocat. Vide Plin. lib. 2. cap. 37. Hygin. lib. 2. &c. & infrà Od. 12. hujus libri Annotat.

3. *Ventorum pater.*] Jovem intelligit Marcilius, quia veteribus Phyſicis Jupiter eſt aer agitatus & fluens, adeoque id quod ventum appellamus. Alii melius exponunt de Æolo, qui ventorum rex & pater dictus, quod ventorum aſtrorumque rationem apprimè calluerit. Is regnavit Iliacis temporibus apud inſulas Æolias, quæ & Vulcaniæ, Italiam inter & Siciliam poſitæ. Plin. lib. 3. cap. 8. & 9.

4. *Obſtrictis aliis.*] Cæteri venti minimè propitii retineantur, unus omittatur Iapyx Virgilio commodus in fines Atticos properanti. Alludit Horatius ad utrem Ulyſſi ab Æolo donatum, in quo venti erant incluſi, præter Zephyrum navigationi ejus utilem. Quidam, legunt *obſtructis*, ſed malè. Homer. modo cit. Odyſſ. 10. κατέδησε *ligavit*. Virgil. Æn. 1. incluſos carcere ventos pariter canit.

Iapyga.] Ventus ille ex Apuliæ finibus proficiſcitur, adverſus Eurum flat, idem propemodum atque Caurus, in Græciam proinde ex Italiâ ſolventibus planè utilis. Vide Gell. lib. 2. cap. 22.

6. *Virgilium.*] Huic cum Poëta noſtro familiaritas maxima, ut mirum non abs re videatur, quod nullam fecerit uſquam mentionem Lyricorum Principis Heroicorum ille Princeps.

Finibus Atticis.] Attica regio Helladis in angulo Orientali & Auſtrali; ubi longe præ-

Reddas incolumem, precor;
Et ſerves animæ dimidium meæ.
Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti;
Quo non arbiter Adriæ
Major, tollere ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,

ut tuearis partem *dimidiam animæ meæ. Is* profectò *circa cor habebat lignum* treſque *æris* laminas, *qui primus mari ſævo credidit navem frangi facilem, neque metuit Africum violentum cum Boreâ pugnantem, neque Hyadas noxias, neque furorem Auſtri;* quo *nullus* eſt *dominator in Adriatico* mari *potentior, ſive concitare ſive placare fluctus velit. Quod mortis genus formidavit,*

ANNOTATIONES.

clariſſima & nominatiſſima civitas caput extollit. *Athenæ omnium doctrinarum inventrices.* Cic. 1. de Orat. n. 13.

8. *Animæ dimidium meæ.*] S. Aug. Confeſſ. lib. 4. cap. 6. *Bene,* inquit, *de amico ſuo dixit quidam,* dimidium animæ meæ: *Nam ego ſenſi animam meam & animam illius unam fuiſſe animam in duobus corporibus: & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere,* &c. altero ſcilicet mortuo. Vide Perſ. Sat. 5. v. 22. & infrà lib. 2. Od. 17.

9. *Illi robur & æs triplex, &c.*] Is habebat cor ligno quovis & ære durius, χαλκεοκάρδιος Theocrit. Idyll. 13. huic ferreum pectus erat, qui primus auſus eſt mari ſe credere, atque ut canit Juvenalis Sat. 12. v. 57.

Ventis animam committe, dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

Sophocles in Antigone ait multa quidem cerni ſtupenda, at nihil magis quàm quod homo fluctus tumidos naviculâ tamen ſubire non formidet. Vide Plin. Procem. lib. 19.

Robur.] Pro qualibet re duriori uſurpatur. Virgil. Æneid. 7.

———*Æternaque ferri*
Robora.———

12. *Primus.*] Tiphys Bœotius, inquiunt, à Pallade edoctus navem primus fabricavit, quæ Argo dicta eſt; eâque Colchicam expeditionem eſt aggreſſus Jaſon. Vide Plin. lib. 7. cap. 56. Conſtat tamen ante illud tempus fuiſſe navigatum. Teſtis Herodotus de Phœnicibus & Græcis. Ex Athen. lib. 15. cap. 13. Janus navigia primus reperit. Ex Thucyd. & Libanio primi Corinthii naves concinnârunt.

Africum.] Meridionalem ventum, Aquilonibus proinde colluctantem. De eo jam od. 1.

14. *Triſtes Hyadas.*] Ab ὕειν *pluere* dictæ ſunt quod pluvias ferrent eæ ſtellæ ſeptem in fronte Tauri collocatæ: Latinis Suculæ vocantur. Cic. 2. de Nat. Deor. n. 111.

Rabiem Noti.] A meridie flat Notus, nebuloſus & humidos, & hinc nomen: nam Græcè νότις *humor* dicitur. Vide Gell. jam cit. lib. 2. cap. 22.

15. *Quo non arbiter Adriæ Major.*] Ratio patet ex rerum ſitu & naturâ, lib. 3. Od. 3. *Dux inquieti turbidus Adriæ.* Atque hypercriticè Jul. Scaliger, *Auſtrum,* inquit, *præter cæteros ventos ſummum habere imperium in mare Adriaticum ſcribit Horatius: quod eſſe falſum intelliget quiſquis ſciet Adriaticum rectà excurrere in Vulturnum, cujus impetu etiam creſcit Ionio ſubinvecto Adriaticum. Boreæ quoque ſubjectum eſt qui ex alto ſpirat ..... Auſter autem ex devexiore parte flans Apennino frangitur: quamobrem non ſubruit, ſed radit, &c.* At Parthenius ex Petro Medinâ Hiſpano, qui rei nauticæ & ventorum rationem luculenter inveſtigavit, egregiè Poëtam noſtrum tuetur & vindicat: *Auſtrum,* inquit, *Arbitrum Adriæ rectè ait Horatius.* Nam etſi non omninò in Notum excurrat Adriaticum mare, ut ſcribit Scaliger, nihilominus ita ſe habet, ut non minus ab Auſtro quàm à Vulturno poſſit concitari. Enimverò principales quinque venti duas quartas habent (ita loquuntur Nautæ & ventorum periti) ergo Vulturni quartæ duæ ſunt, una ad Subſolanum, altera ad Auſtrum reſpicit. Porrò hujuſmodi venti principales & integri octo referuntur; intra quos alii ſunt quos medios vocant, *Non profectò quod minori ſpiritu ac vehementiâ ferantur quam illi, ſed quod in eorum medio deſcribantur.* Itaque tam vehementes eſſe quartas quam principales, perſpicuum ſit. Hæc ille.

Adriæ.] Adria ſeu Adriaticum mare, hodie ſinus Venetus inter Italiam, Græciam, Illyricumque, longè porrigitur ad Septentrionem.

16. *Quem mortis timuit gradum.*] Quidam tres gradus mortis efferunt, fatum, genituram, caſum: alii mortis acceſſus intelligunt; certè parum ad rem. Noſtra videatur interpretatio verior quo ſimplicior. Varia naufragorum mortis genera, ſi lubet accipe, fluctibus ſubmergi,

Qui

qui ſine lacrymis aſpexit piſces *monſtroſos nantes, ac mare intumeſcens, & Acroceraunias rupes naufragiis famoſas? fruſtrà Deus providus terram ſegregavit à mari disjungendo: ſi naves ſceleratæ tranſeunt nihilominus vada minime tentanda. Mortalium genus quidlibet aggredi non veretur, ferturque ad facinora prohibita. Temerarius Iapeti filius populis advexit ignem furto improbo. Poſt ignem cœlo ſubreptum terras invaſit macies & frequentia morborum inſolita; atque fera neceſſitas mortis antea dilatæ paſſum acceleravit.*

Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras: ſi tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude malâ gentibus intulit.
Poſt ignem ætherea domo
Subductum, macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum.

ANNOTATIONES.

à piſcibus devorari, ad rupes alliſi, vel in ſcopulos inſulamve deſertam ejici, ibique omni ope deſtitutum contabeſcere & mori. Præterea contingit aliquando navigantes tempeſtate ingruente diſpelli ad barbaras oras, ubi vel ab Anthropophagis dilaniantur, vel Idolis mactantur: quo quidem fati genere tantum non abſumpti ſunt Oreſtes & Pylades apud Tauricam regionem. Vide Eurip. Iphigen. in Tauris: item noſtras annotat. lib. 3. Od. 4. v. 33. ad eas voces: *Britannos hoſpitibus feros.* Adde & aliud, navi etiam integrâ, periculum moriendi vel ſiti vel fame reſtantibus & contrariis diu ventis, nimirum in navigatione longiori: ſive cum aqua dulcis jam rara ad dimenſum diſtribuitur ſiticuloſis; ſive cùm deficientibus omnibus cibariis, navigantium unus vel aliorum conſpiratione vel ſorte aſſumitur jugulandus, urgente ſcilicet extrema neceſſitate, alimento cæteris futuris. Quod nec cogitari poteſt abſque horrore.

18. *Monſtra natantia.*] Cete grandia & immania. Juvenal. Sat. 14. v. 283. *Oceani monſtra.*

20. *Acroceraunia.*] Excelſi in Epiro montes, quòd crebro fulmine percutiantur eorum faſtigia, ſic dicti, à κεραυνὸς *fulmen*, & ἄκρον *ſummum.* Hic deſignat Horatius Acroceraunium Promontorium Ionio mare imminens, vulgò, *Capo della Chimera*, aliis *Capo della Linguetta.* In Epiro ſitum eſt, non procul Albaniæ finibus.

21. *Nequicquam Deus abſcidit, &c.*] Voluit Deus pericula maris arcere ab hominibus; ipſi vero illis ſe ultrò committunt. Benè Poëta Græcus ait: Quantò eſt dulcior mater quam noverca, tantò eſſe terram mari optabiliorem. Bias autem ſapienter dicebat, Nec vivis nec mortuis accenſeri navigantes debere.

25. *Omnia perpeti.*] Quælibet agendo patiendoque moliri, ut nihil grave aut arduum videatur.

27. *Iapeti genus.*] Prometheus, de quo poſteà Ode 16. & lib. 2. Ode 13. Scribit Theophraſtus, idcircò dici Prometheum hominibus dediſſe ignem Cœlo dereptum, quia Philoſophiam ac lumen vitæ intellectualis, quæ divina eſt, mortalibus invexit. Ex Cic. Tuſc. 5. & aliis Prometheus Caucaſo affixus fingitur, quod ex eo monte altiſſimo ſiderum naturam ac motum ſtudioſè contemplaretur: ibique cœleſtium cognitioni ſedulo incumberet. Et quod exinde fulminum rationem perſcrutatus hominibus indicâſſet, fabulati ſunt ignem cœleſtem ab eo ſurreptum ac in terras delatum. Denique vultur ſeu aquila cor illius vellicans, optimè ſignificat anxietatem animi naturæ arcana rimantis & non ſine labore inveſtigantis. Eccleſ. 1. *In multâ ſapientiâ multa indignatio . . . . labor & afflictio ſpiritus: & qui addit ſcientiam, addit & laborem.*

29. *Poſt ignem ætheriâ, &c.*] Animadverte expreſſa fabulis Adæ peccatum, peccatique ſtipendia, mortem, morbos, moleſtias, &c. ex Heſiodo, cùm ignem furatus eſſet Prometheus ad animandas ſtatuas è luto à ſe fictas, iratus Jupiter Pandoram in terras miſit, quæ apertâ pyxide mala omnia diffudit.

32. *Tarda neceſſitas.*] Melioribus ſeculis vita erat homini diuturnior. S. Cyprian. Ep. 11, S. Auguſt. lib. 2. de Civ. cap. 14. Porrò ex ſacris codicibus noverant Ethnici productiorem ac longiorem fuiſſe vitam primis hominibus. Plin. Proœm. lib. 14. *Quando voluptas vivere cœpit, vita ipſa deſiit.*

Expertus

Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt.
Cœlum ipſum petimus ſtultitiâ: neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

Dædalus per inanem aërem volare tentavit alis homini non conceſſis. Vis Herculis ſibi patefecit aditum ad Inferos. Nihil eſt hominibus intentatum. Cœlum ipſum affectamus per dementiam. Et noſtris criminibus non ſinimus Jovem iratum dimittere fulmina.

ANNOTATIONES.

34. *Dædalus*] Is faber Athenienſis peritiſſimus erat & perquàm ingenioſus, multa quidem invenit: navi primus dicitur vela, malum, antennas impoſuiſſe. Pauſanias in Bœoticis, Plin. lib. 7. cap. 56. jam cit. Inde fabulati ſunt Dædalum pennis ſibi cerâ compactis avolaſſe Minoïa regna fugientem, de quo Virg. Æneid. 6. v. 14. Ov. Metam. 8. Diodor. Sic. lib. 5. cap. 13. &c.

36. *Perrupit Acheronta Herculeus labor.*] In inferorum fluvius pro ipſis inferis non rarò ponitur ſynecd. De Hercule, ejuſque laboribus, alibi nos; cit. verò Diodor. fusè, lib. 5. cap. 2. &c.

39. *Cœlum ipſum petimus*] Sic Phaëton, de quo lib. 4. Od. 11. Sic Gigantes, de quibus lib. 2. Od. 12. & 19. lib. 3. Od. 4. &c.

ODE IV. Ad L. SEXTIUM.

Veris deſcriptio: vitæ brevitas: carpendæ voluptates.

SOlvitur acris hyems gratâ vice veris & Favonî; [a]
Trahuntque ſiccas machinæ carinas:
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.

Aſpera hyems relaxatur jucundâ viciſſitudine veris ac Zephyri: & machinæ deducunt in mare naves ſiccas: jamque nec greges amant ſtabula, nec agricolæ focum: neque prata albeſcunt pruinis condidis.

ANNOTATIONES.

Ode eſt dicolos diſtrophos, unica verò ſui generis. Primus quiſque verſus eſt Dactylicus Archilochius heptameter. Quatuor primi pedes ſunt vel dactyli, vel ſpondæi: tres ultimi ſunt trochæi. Sic
Sōlvĭtŭr | ācrĭs hy | ēms grā | tâvĭcĕ | vēris | ĕt Fă | vōnī |
Secundus quiſque verſus eſt Archilochius conſtans è penthemimeri Iambicâ. Primus pes ſpondæus vel Iambus: ſecundus ſemper Iambus cum ſyllabâ: tres poſteà ſequuntur trochæi: ſic,
Trăhūnt | quĕ sĭc | cās | māchĭ | næ că | rīnās |
Nonnulli tricolon faciunt Odem hanc, & ſic diſtinguunt rurſus:

Solvitur acris hyems gratâ vice
Veris & Favonî:
Trahuntque ſiccas, &c.

1. *Solvitur,* &c.] Terra quæ prius hyeme & frigore conſtricta fuerat, jam reſolvitur & aperitur grato reditu vernæ tempeſtatis: in quâ & areolæ florum explicant ſeſe; & mare gelu antè præcluſum jam adiri & navigari poteſt. Veris deſcriptionem, ſi lubet, pete Lector, è Virgil. Georg. 2. v. 324. & ſeq.

Favonî.] Favonius, a *fovendo* vel *favendo* dictus, idem qui Zephyrus, qui ventus flare incipit initio veris. Vid. lib. 3. Od. 1. Annot. ad vocem, *Zephyris.*

3. *Trahuntque ſiccas,* &c.] Jam machinis ad mare ſubducuntur naves quæ per hyemem in ſicco poſitæ fuerant, extra aquam, in navalibus. *Machinæ*, inſtrumenta quibus graviores quæque moles facilius moventur. Nonius Marcel. palangas vocat, & ſic deſcribit: *Palangæ*, inquit, *dicuntur fuſtes teretes, qui navibus ſubjiciuntur, quando attrahuntur ad pelagus; vel cum ad littora ſubducuntur.*

Jam

Nunc Venus Cytherea Choreas agit ad Lunam ſuper lucentem: Charites verò cum Nymphis pulſant terram modò hoc modò illo pede, dum Vulcanus fervens accendit fornaces operoſas Cyclopum. Nunc juvat caput unguentis delibutum coronare vel myrto virenti, vel flore quem producit tellus aperta. Nunc etiam convenit Fauno ſacrificare in lucis opacis, ſive petat agnam ſive hœdum. Mors pallens æquali pede ferit egenorum caſas atque regum palatia. O fortunate Sexti, breve ſpatium vitæ prohibet nos incipere ſpem diuturnam. Statim urgebunt te tenebræ, & Inferi celebratiſſimi.

Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Lunâ:
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes [21]
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas. (myrto,
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ;
Nunc et in umbroſis Fauno decet immolare lucis,
Seu poſcat agnam, ſive malit hœdum. (nas,
Pallida mors æquo pulſat pede pauperum taber- [22]
Regúmque turres. O beate Sexti,
Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulæque Manes,

ANNOTATIONES.

5. *Cytherea.*] Cythera hodie *Cerigo* Inſula maris Ægæi ad oram Peloponneſi. In eâ templum Veneris antiquiſſimum. Inde *Cytherea* cognomen.

Choros ducit Venus imminente Lunâ.] Novilunii lætitiam & ſacra hic plures notari volunt, ſicut lib. 3. Od. 19. v. 9. At alii Calendas Apriles Veneri ſacras intelligunt, qui menſis ab aperiendo dictus convenit iis quæ initio hujus Odes afferuntur. Alii Calendas Martias accipiunt, ſive matronalia, de quibus Ovid. Faſt. 3. Nam quamquam matronarum erat iſte feſtus, inquit Marcilius, & nihil pertinebat ad viros auſteros quidem & negotioſos, verùm lætus erat hilarioribus hic quoque nepotulis Venereis, ut Flacco & ſimilibus, paratis ſemper cantillare partem lætitiæ inter Veneres illas, & gaudentibus ſpectare Nympharum choreas ac mulierum cœtus & choros.

Imminente Lunâ.] Incipientem Lunam intelligunt interpretes modò citati: nobis verò magis placent alii, qui Lunam provectiorem ac deſuper lucentem explicant, adeoque nolunt ipſas hic accipi Calendas vel Martii, vel Aprilis.

6. *Junctæque Nymphis Gratiæ, &c.*] Cum Venere tripudiant & ſaltant Nymphæ, Gratiæque tres, Aglaia, Euphroſyne, Thalia: Sannazar:

Tum manibus ſimul implicitis per gramina feſtas
Exercent choreas: alios alioſque reflexus
Inter ſe lætæ repetunt: nunc corpora librant
In ſaltus: nunc molle latus, nunc candida jactant
Brachia, & alternâ quatiunt veſtigia plantâ.

7. *Dum graves Cyclopum, &c.*] Dum Vulcanus in Ætnâ monte Jovi cudit fulmina æſtate ſequenti vibranda. *Cyclopes* ex Heſiod. Theog. Cœlo Terraque nati; ex aliis, Neptuni ex Amphitrite filii, Vulcano adeſſe miniſtri dicuntur & ferrariam exercere: alii aiunt Siciliæ populos fuiſſe barbaros & prædones. Vide Plin. lib. 7. cap. 2. init. & Virg. Georg. 1. v. 471. & Æn. 8. v. 418. & ſeq. Nomen, à κύκλος *circulus*, & ὢψ *oculus*, quod unum haberent oculum in fronte inſtar circuli.

Virgil. de Polyphemo, Æn. 3. v. 635.

Telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torvâ ſolum ſub fronte latebat,
Argolici clypei aut Phœbææ lampadis inſtar.

8. *Vulcanus.*] Is Junone Joveque natus, ob deformitatem dejectus eſt ab iis in inſulam Lemnum, & claudus è caſu factus; ubi officinam inſtituit ferrariam, quam tamen alii collocant in Ætnâ monte apud Siciliam; alii in Hierâ quæ una eſt è Vulcaniis inſulis.

9. *Nunc decet aut viridi, &c.*] De myrto, deque coronarum & unguentorum uſu in conviviis apud veteres celebri, plura dicam poſtea. Vide ultimam Oden hujus libri.

11. *Fauno.*] Huic ruris Deo ſacrificabatur Idibus Februarii ex Ovid. Faſt. 2. Nimirum placabatur initio veris, ut propitius eſſet gregibus, qui tum foras incipiunt pabulatum educi. De illo Dionyſius Halicarn. lib. 1. Cic. de Naturâ Deor. 2. Vide & lib. 3. Od. 18. v. 1. Annot.

12. *Seu poſcat agnam.*] Legunt alii, *agna*, &c. & magis Latinitati & elegantiæ congruum volunt. Certè nodus in ſcirpo.

13. *Pallida mors æquo, &c.*] Claudian.

Omnia mors æquat.——

14. *O beate Sexti.*] Lucius Sextius, vel Seſtius, ille eſt qui tam fidelem Bruto etiam profligato amicitiam ſervavit, ut & probaretur ab Auguſto, & Conſul poſt ipſum fuerit ſubſtitutus cum Cn. Calpurnio Piſone, ann. U. C. 730. Vide Dion. lib. 43. Sigon. &c.

15. *Vitæ ſumma brevis, &c.*] Non debemus mortales vitam ſperare diuturnam.

16. *Nox.*] Mors, tenebroſique Inferi. Infra Od. 28. *Omnes una manet nox.*

Fabulæque manes.] Infernales Dii per antiphraſin *Manes*, id eſt, boni dicti, ſæpius uſurpantur & jactantur. Vide Epod. 5. v. 94.

Et domus exilis Plutonia: quò ſimul meâris,
Nec regna vini ſortiere talis,
Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis, & mox virgines tepebunt.

& Plutonis domus levis, ad quam ubi deveneris, neque talorum jactu eliges regem convivii, neque admiraberis Lycidam delicatulum, cujus amore *ardent jam cuncti juvenes & paulò poſt puellæ ferveſcent.*

ANNOTATIONES.

17. *Domus exilis.*] Plutonis domum, anguſtam ob frequentiam animarum eò deſcendentium, nonnulli interpretantur. Sed meliùs alii referunt ad exilitatem umbrarum ſive animarum oculos fugentium. Homer.

Νεκύων ἀμένηνα κάρηνα.

Capita mortuorum levia & evanida,

Virg. Eneid. 6. v. 269.

Domos Ditis vacuas & inania regna.

Quo ſimul meâris.] Cum illuc perveneris, jam non licebit luxuriari, indulgere genio, convivia celebrare, &c.

18. *Nec regna vini ſortiere talis.*] In conviviis eligebant veteres regem, ſeu bibendi magiſtrum, cui parebant convivæ omnes: eaque electio fiebat ſorte & talorum jactu. De eo nos amplius lib. 2. Od. 7. 25. ad ea verba, *Quem Venus arbitrum dicet bibendi?* Meminit Plautus Aſinar. Scen. 14. Curcul. Scen. 6. Stich. Scen. 12. Cicer. in Verrem. 5. *Iſte Prætor ſeverus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruiſſet, iis legibus quæ in poculis ponebantur, obtemperabat:* Plutarchus in Apophthegm, refert Ageſilaum in compotatione magiſtrum convivii ſorte creatum requirenti pocillatori, quantum cuique miniſtraret vini, reſpondiſſe: *Si multum vini adeſt, quantum quiſque petierit: ſi parum, ex æquo omnibus.* Cornel. Tacit. Annal. 13. feſtis Saturno diebus, inter alia æqualium ludicra regnum luſu ſortientium, evenerat ea ſors Neroni. Hic itaque convivii præfectus & rex dictus eſt. Arrian. in Epicteto, in Saturnalibus ſortitione facta, Rex ita jubet: *Tu bibito, tu infundito, tu abito, tu venito.*

Talis.] De talis ac teſſeris jam diſſerui ad Perſ. Sat. 3. verſ. 48. & 49. dicam & aliquid ad lib. 2. Od. 7. v. 25. De his accurate Meurſius.

19. *Tenerum Lycidam.*] Formoſum puerum, quem deperibat Seſtius.

20. *Tepebunt.*] Miſſâ quorundam interpretatione ſubtiliori, ſic explico: puellæ mox inareſcent amore Lycidæ pueri, cum adoleverit.

ODE V. Ad PYRRHAM.

Miſeros eſſe amatores Pyrrhæ; ſe ex ejus illecebris velut è naufragio enatâſſe.

QUIS multâ gracilis te puer in roſâ
Perfuſus liquidis urget odoribus
Grato, Pyrrha, ſub antro?
Cui flavam religas comam, [23]

Quis adoleſcens exilis, delibutus unguentis ſuaveolentibus, te ampleCtitur, ô Pyrrha, multas inter roſas ſub jucundâ ſpecu? Cujus gratiâ flavos crines nodo colligis,

ANNOTATIONES.

Hæc Ode eſt tricolos tetraſtrophos. Priores duo verſus Aſclepiadei ſunt, ut in Ode primâ,

Mæcenas atavis edite regibus.

Tertius quiſque eſt Pherecratius heroïcus trimeter, è ſpondæo, dactylo, ſpondæo; ſic;

Grātō | Pyrrhă ſŭb | āntrō |

Quartus eſt Glyconius, qualis eſt iſte Odes præcedentis,

Sic te Diva potens Cypri,

1. *Quis multâ, &c.*] Merum nectar eſſe hanc Oden, agnoſcit Scaliger Hypercrit.

Gracilis.] Tenuior non obeſus. Gallicè *de belle taille.* Angl. Slender-waſted. Terent. Eunuch. Act 2. Scen. 3. *Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum, quas matres ſtudent Demiſſis humeris eſſe, vincto corpore, ut graciles ſient. Si qua eſt habitior paulo; pugilem eſſe aiunt, deducunt cibum. Tametſi bona eſt natura reddunt curaturâ junceas.*

3. *Pyrrha.*] Meretrix formoſa.

Sub antro.] Sub fornice.

4. *Cui flavam religas, &c.*] Ex more puellarum Lacænarum. Vide lib. 2. Od. 11. in fine.

Simplex

ornatu ſimplex? Eheu quoties deplorabit violatam *à te fidem, Deoſque inconſtantes, & non aſſuetus ſtupebit mare ſævum atris procellis, qui te nunc amabili potitur, facilè confiſus* te fore *ſemper vacantem, ſemper gratam, ignorans ventos inſtabiles? O infortunati, quibus haud expertis, fulges! murus ſacratus oſtendit me tabellam ex voto, & veſtes madidas affixiſſe* in *æde Numinis mari dominantis.*

Simplex munditiis? Heu, quoties fidem,
Mutatoſque Deos flebit, & aſpera
Nigris æquora ventis
Emirabitur inſolens,
Qui nunc te fruitur credulus aureâ, [24]
Qui ſemper vacuam, ſemper amabilem
Sperat, neſcius auræ
Fallacis! Miſeri quibus
Intentata nites. Me tabulâ ſacer
Votivâ paries indicat uvida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

ANNOTATIONES.

5. *Simplex munditiis.*] Veſtes non habens nimis exquiſitas aut magnificas: ſine mundo muliebri. Terent. Phorm. 1, 2, 54. *Virgo pulchra, & quo magis diceres, nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem. . . . . Veſtitus turpis, &c.*

6. *Mutatoſque Deos.*] Venerem, Cupidinem, antea faventes, poſtmodum verò contrarios.

Aſpera Nigris æquora, &c.] Allegoriam adverte perpulchram. Plaut. Aſin. 1, 2, 8. *Mulier mare acerrimum.* Sicut in mari ventus, ita ſæpe amantis animus derepente mutatur.

8. *Emirabitur.*] Vocem hanc reprehendit graviter Scaliger, levi profectò ratione.

Inſolens.] Inſuetus. Cicer. de Orat. 1. *Ea requirantur à me, quorum ſum inſolens & ignarus.* Cæſar. Bell. Civ. lib. 2. cap. 36. *Erat in oppido, multitudo inſolens belli, diuturnitate otii.*

9. *Aureâ.*] Pretioſâ velut aurum, charâ, optabili.

10. *Semper vacuum.*] Alios amatores non habentem.

11. *Neſcius auræ fallacis,*] Nondum ſciens quam crebra ſint amantium perjuria. Virg. Æneid. 4. v. 570.

——*Varium & mutabile ſemper*
Fœmina.

12. *Miſeri quibus, &c.*] Eheu quam ſunt infelices ii qui te amant, neque nôrunt quàm ſis futura paulò poſt acerba & immitis!

13. *Me tabulâ ſacer, &c.*] Ego quidem tali è naufragio evaſi nec impunè. Pyrrham deperii ego quoque; ſævam expertus, poſt multa mala, tantum non perii.

Tabulâ ſacer, &c.] Solebant naufragi pro ſervatâ vitâ gratias referre Diis, imprimiſque Neptuno: unde & in ædibus ſacris appendebant tabellam: in quâ depictum erat ſuum naufragium: item veſtimenta in quibus enatârant. Virg. Æneid. 12. v. 769.

Votas ſuſpendere veſtes.

Juvenal. Satir. 12. v. 27.

Votivâ teſtantur fana tabellâ.

ODE

ODE VI. Ad AGRIPPAM.

Bellicas ejus laudes a Vario ſcribi oportere: ſe eſſe conviviis tantùm & amoribus canendis aptum.

SCriberis Vario fortis, & hoſtium
Victor, Mæonii carminis alite,
Quam rem cunque ferox navibus, aut equis

[25] *Varius Homerici cantûs ales te dicet ſtrenuum, victorem hoſtium,*
[26] *& quicquid milites, te imperante,*

ANNOTATIONES.

Hæc Ode eſt dicolos tetraſtrophos. Tres primi verſus Aſclepiadei, qualis iſte,

Mæcenas atavis edite regibus.

Quartus quiſque verſus eſt Glyconius, ut

Sic te Diva potens Cypri.

1. *Scriberis Vario, &c.*] Res à te in bello præclare geſtas deſcribat ſummus quiſq; Poeta; non ego tenuis. Obſerva, lector, quemadmodum ſe Horatius eximit a triviali laudantium conſuetudine, qui ſe bellè feciſſe exiſtimant, cum per ſingula laudum capita diligenter, ne dicam inſulsè, ierint.

Vario.] L. Varius Poeta non è vulgo ſcripſit Auguſti Panegyricum, Tragœdias, & alia quædam: Thyeſtem ejus cuilibet Græcorum poſſe comparari affirmat Quintil. l. 10. ad nos pervenerunt pauca tantùm fragmenta. Macrobius l. 6. c. 1. Virgilium è Vario nonnulla imitatum oſtendit: hoſque illius refert verſus de Morte.

Vendidit hic Latium populis, agroſque Quiritum
Eripuit: fixit leges pretio, atque refixit.

Item,

Incubet & Tyriis, atque ex ſolido bibat auro.

Item,

Quem non ille ſinit lentæ moderator habenæ
Qua velit ire; ſed anguſto prius ore coercens,
Inſultare docet campis fingitque morando.

Item, c. 2.

Ceu canis umbroſam luſtrans Gortinia vallem
Si veteris potuit cervæ comprendere luſtra;
Sævit in abſentem, & circum veſtigia luſtrans,
Æthera per nitidum tenues ſectatur odores.
Non amnes illam medii, non ardua tardant;
Perdita nec ſeræ meminit decedere nocti.

Nonnulli ex Servio perperam ſcribunt hunc eſſe Varium, cujus meminit Virgilius Ecl. 9. verum hallucinantur. Illic enim legere oportet, *Neque adhuc Varo videor digna dicere:* ſicut eſt paulo ante; *Vare, tuum nomen.*

Fortis, & hoſtium Victor.] Vell. Paterc. lib. 2. *M. Agrippa virtute nobiliſſimus, &c.* Cornel. Tacit. Annal. 1. init. *M. Agrippam ignobilem loco, bonum militiæ, & victoriæ ſocium geminatis Conſulatibus extulit; mox defuncto Marcello generum ſumpſit,* Auguſtus nempe. Senec. Epiſt. 94. *M. Agrippa vir ingentis animi, qui ſolus ex his quos civilia bella claros potenteſque fecerunt, felix in publicum fuit, dicere ſolitus erat, multum ſe huic debere ſententiæ:* Concordia parvæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.

2. *Mæonii carminis alite.*] *Alite,* quaſi volucri grandiore, ſeu Cycno, cantum ſublimem pariter & ſonorum tollente. Sic Theocrit. Poetas vocat ὄρνιθας μωσᾶν, *aves muſarum.* Non moror aliorum interpretationem, *alite,* pro penna, calamo, ſtylo. *Mæonii carminis.* Mæonis filius, aut fortaſſe è Mæoniâ regione Aſiæ Minoris, urbe Smyrnâ oriundus erat Homerus, qui heroici carminis Princeps & quaſi Deus. Hinc Mæonium carmen pro Epicæ, Heroicæ, eximiæ Poeſeos facultate & ſpiritu, quibus præditum Varium Horatius indicat.

3. *Navibus, aut equis.*] Seu navali ſeu terreſtri prœlio, terrâ marique.

Equis.] Nam Gallos Germanoſque equitatus robore præſtantes debellârat Agrippa. Appian. lib. 5. Bell. Civil. Sext. Pompeium vicerat; res præclare geſſerat in Hiſpania, Thracia, Germania; ac ſecundus Romanorum tranſgreſſus Rhenum fuerat: quare decrevit ei triumphum Auguſtus Cæſar. Dio. lib. 48. *Navibus.*] Vell. Paterc. cit. lib. 2. *Ædificandis navibus, contrahendoque milite ac remigi, navalibuſque aſſueſcendo certaminibus, atque exercitationibus, præfectus eſt M. Agrippa, virtutis nobiliſſimæ, labore, vigiliâ, periculo invictus, parendique ſed uni ſcientiſſimus, aliis ſane imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes poſitus, conſultiſq; facta conjungens.* Et poſtea, *Inſigne claſſicæ coronæ, quo Romanorum nemo unquam donatus erat, hoc bello Agrippa ſingulari virtute meruit.* Meminit & Virgil. Æneid. 8. v. 683.

Parte aliâ, ventis & Diis Agrippa ſecundis
Arduus agmen agens; cui belli inſigne ſuperbum
Tempora navali fulgent roſtrata coronâ.

Sueton. Octav. cap. 5. *M. Agrippam in Sicilia poſt navalem victoriam cæruleo vexillo donavit:* huc & pertinet cœſus duplex denarius, quorum

fortiter egerunt navibus aut equis: nos, ô Agrippa, nec iſta ſcribere, neque acrem iram Achillis cedere neſcientis, nec errores maritimos Ulyſſis doloſi, neque familiam crudelem Pelopis, parvi magna non tentamus; dum verecundia, & muſa cytharæ non bellicoſæ præſes me *probibet laudes eximii Cæſaris atque tuas imminuere tenuitate ingenii.* Quis poterit *celebrare, ut decet, Martem armatum loricâ adamantinâ, vel Merionem pulvere Trojano ſordidum, vel Diomedem æqualem Diis auxilio Minervæ? Nos epulas; nos certamina canimus puellarum ſectis unguibus ferocium adverſus adoleſcentes; ſive liberi ſumus, ſive ardemus* amore *aliquo, more* noſtro *inconſtantes.*

Miles, te duce, geſſerit.
Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem
Peleidæ ſtomachum, cedere neſcii,
Nec curſus duplicis per mare Ulyſſei,
Nec ſævam Pelopis domum [27]
Conamur, tenues grandia: dum pudor,
Imbelliſque lyræ Muſa potens vetat
Laudes egregii Cæſaris, & tuas
Culpâ deterere ingenî.
Quis Martem tunicâ tectum adamantinâ
Dignè ſcripſerit? aut pulvere Troïco
Nigrum Merionem: aut ope Palladis
Tydeiden Superis parem?
Nos convivia, nos prœlium virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium
Cantamus vacui; ſive quod urimur,
Non præter ſolitum leves.

ANNOTATIONES.

unus hinc Auguſti caput præferebat, illinc Agrippæ cum civicâ & roſtratâ coronâ. Alter exhibebat unâ parte Agrippæ caput roſtratâ coronâ exornatum, in averſâ vero Neptunus Delphinum manu dextrâ geſtans effictus erat.

4. *Te duce.*] Vell. cit. *Navali primo prælio apud Mylas, ductu Agrippæ pugnatum proſpere.* Vide Plin. lib. 16. cap. 4. Appian & Dion. jam cit. Oroſ. lib. 6. cap. 15, &c.

5. *Gravem Peleidæ ſtomachum, &c.*] Achilles Pelei filius, *iracundus, acer, inexorabilis, nihil non armis arrogans,* ut ait noſter ad Piſon. nec cedit Græcorum legatis, nec Agamemnoni exercituum ſummo imperatori ac regum regi: ſed nec Diis quidem. Nam & Apollini Hectorem protegenti minas intentat. Hom. Iliad. 16.

7. *Curſus per mare.*] Longam illam navigationem Ulyſſis. *Duplicis,* ſubdoli, fallacis, Græcis διπλοῦς, *duplex*, aliud nempe dicens, aliud ſentiens. Legunt aliqui *curſus duplicis* cum Priſciano l. 1. & 7. referuntque ad Ulyſſis navigationem per Oceanum, & mare Mediterraneum; vel ad bis decennalem curſum: ſed apage. Animadverte, lector, Homero delatum honorem, cujus eſt Ilias de Achille, Odyſſea de Ulyſſe.

8. *Sævam Pelopis domum.*] Tot homicidiis fudeſtam. Pelops à Tantalo patre, Atreus & Agamemnon ab Ægiſtho, Clytemneſtra, ab Oreſte filio cæſi ſunt. Adde Thyeſtis liberos jugulatos ab Atreo, ipſique patri oppoſitos in cibum, quod Sol ne videret, refugiſſe dicitur. Horatius notare vult hic Thyeſten eximiæ artis Tragœdiam à Vario, ut jam ante dixi, compoſitam.

9. *Tenues grandia.*] Modeſtiam Horatius commendat ſuam.

10. *Imbelliſque lyræ.*] Atqui rebus etiam gravioribus idoneos verſus lyricos, præſertim Alcaïcos, oſtendit Pindarus; noſterque ipſe pluribus Odis, maxime vero 4, 14, 15. lib. 4, &c. ad Piſones denique ſic ſcribit:

Muſa dedit fidibus Divos pueroſque Deorum
Referre——

13. *Martem tunicâ, &c.*] Viros militares loricâ armatos forti & durâ, inſtar adamantis: vel ipſum Martem, quem Homerus æreâ induit loricâ.

14. *Pulvere Troïco Nigrum.*] In acie acriter dimicantem, & non indecoro pulvere Trojani campi co-opertum & quaſi nigrum.

15. *Merionem.*] Quemlibet virtute bellicâ glorioſum, Merionis ſimilem; apud Græcos tam inclyti, ut Marti par jactaretur. Homer. Iliad. 13.

15. *Ope Palladis Tydeidem Superis parem.*] Diomedem Tydei filium, quem ſuâ Pallas ope ſemper juvit, Diiſque non inferiorem præſtitit, ut & Mars & Venus ab eo vulnerati referantur: quin & immortalem fecit, & numero Caſtorum aſcripſit, Iliad. 5. v. 335. 857. Pindar. Nem. Virgil. Æneid. 11. 276.

—Ferro cæleſtia corpora demens
Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram.

17. *Nos convivia, &c.*] Nos res ludicras & tenuiora argumenta tractare duntaxat & canere amamus.

ODE

ODE VII. Ad MUNATIUM PLANCUM.

Aliis aliæ placent regiones; ſibi verò præ cæteris Tiburtina. Vino diluendæ ſolicitudines.

LAudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen, [28]
Aut Epheſum, bimariſve Corinthi [29]
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos

Alii laudabunt illuſtrem Rhodum, vel Mitylenen, vel Epheſum, aut muros Corinthi inter duo maria poſitæ, aut Thebas Baccho, vel Delphos Apolline

ANNOTATIONES.

Hæc Ode eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt Hexameter heroïcus: quinque primi pedes ſunt vel ſpondæi vel dactyli. Alter quiſque verſus eſt Dactylicus tetrameter, quatuor ultimos habens pedes verſûs Hexametri ſive Heroïci.

1. *Laudabunt alii.*] Elegans eſt verſibus hæc Ode, quam è duabus coaluiſſe volunt quidam: nimirum novæ Odes initium ſtatuunt ad hæc verba: *Albus ut obſcuro, &c.* Veteres codices adſtipulantur, præfigentes iſtis novum hunc titulum; *Cohortatur Plancum ad hilariter vivendum.* Quicquid ſit, tota eſt ad L. Munatium Plancum, cujus patria Tibur, aut qui ſaltem villam habebat Tiburi proximam, proindeque ab Horatiano prædio non longe remotam. In priori Odes parte, per comparationem, Tiburtinæ regionis amœnitatem extollit Poëta; & alterâ Plancum hortatur ut vino curas abſtergat: utiturque exemplo viri fortis, Teucri nimirum, qui graviores animi ægritudines vino temperavit. Vide poſtea Annot. ad vocem *Plance.*

Claram Rhodon.] Rhodus inſula Minoris Aſiæ, ad Cariæ oram, emporium eſt nobile. *Clara* certè pridem, tùm ob Coloſſum ſive Statuam Solis ſeptuaginta cubitis altam, & inter orbis miracula numeratam: tùm propter ingentem ſignorum numerum; atque *operum nobilitatem*, ut ait Gell. lib. 7. cap. 3. tum quia nunquam tot nubilis cœlum obducitur, quin aliquâ horâ Sol ibi cernatur, quod aſſerit Plin. lib. 2. cap. 42. Adde urbium pulchritudinem, partuum commoditatem, aëris ſalubritatem. Strabo lib. 14. ſcribit Rhodum ita præſtare cæteris, ut nullam poſſit huic parem, nedum meliorem commemorare. Vide Diodor. Sicul. lib. 6. cap. 13. nec prætermittendum eſt, Rhodum mitti ſolitos Romanos juvenes, diſcendæ facultatis oratoriæ gratiâ. Eò Tullius ipſe adiit, quem lege ad Attic. lib. 2. Epiſt. 1. & in Bruto, n. 51. ubi ſic loquitur: *Hinc Aſiatici oratores non contemnendi quidem, nec celeritate nec copiâ; ſed parum preſſi & nimis redundantes. Rhodii ſaniores & Atticorum ſimiliores.* Anno ſalutis reparatæ 1300, Equites Hieroſolymitani eam invaſerunt, indeque Rhodii appellati; ſervârunt ad ann. 1522, quo à Turcis pulſi Melitam conceſſere, et exinde Melitenſes cognominati.

Mitylenen.] Hæc urbs Leſbi inſulæ, cui & eadem appellatio, v. *Metelin.* a Cicerone commendatur Agrar. 2. *Et naturâ, & ſitu, & deſcriptione ædificiorum, & pulchritudine in primis nobile Mitylenæ; agri jucundi & fertiles, &c.* Vide & Strab. lib. 13. & Vitruv. lib. 1. cap. 6. ubi ſcribit eam urbem; *Eleganter & magnificè ædificatam, ſed non prudenter poſitam. In eâ quippe, dum fiat auſter, incolæ ægrotant; dum Caurus, tuſſiunt; cum ſeptentrio, in ſalubritatem reſtituuntur.* Adde ei regioni claritatem è natalibus Pittaci, qui unus è ſeptem Græciæ Sapientibus; Alcæi Poëtæ, aliorumque illuſtrium hominum.

2. *Epheſum.*] Aſiæ Minoris iſta civitas in Ionia ſita eſt ad littus maris Ægæi & ſinus Ionii, verſus oſtia Cayſtri fluminis: portum habet valde commodum, arcemque munitiſſimam. In eâ celebratum eſt Concilium generale tertium anno Salutis reparatæ 431. ſub Cæleſtino Papa, adverſus errores Neſtorii hæreſiarchæ. Olim claruit Epheſinæ Dianæ templo, toto orbe celebri: ab Amazonibus condita etiam fertur.

Bimariſve Corinthi Mœnia.] Corinthus hodie *Coranto*, urbs Peloponneſi, in Iſthmo eſt medio ſita, inter duo maria, Ægæum & Ionium; unde *Bimaris* dicitur: ære & figulinâ celebratur: *Totius Græciæ lumen* vocat Cic. pro lege Manil. & Agrar. 2. n. 86. ita ſcribit: *Poſita Corinthus in anguſtiis atque in faucibus Græciæ, ſic ut terræ clauſtra locorum teneret, & duo maria navigationi diverſa pænè conjungeret, cum pertenui diſcrimine ſeparentur.* Luxuriæ vero infamiâ laboravit, adeò ut Corinthiari dicerentur qui impudicè viverent. Lippis atque tonſoribus audita Laïs meretrix ibidem famoſa, tamque pretioſa, ut Demoſtheni ſui copiam non niſi decem millibus drachmarum vendere vellet; quapropter abſtinuit ille, & reſpondit, *Tanti non emo pœnitere.* Ex illa natum eſt adagium: *Non licet omnibus adire Corinthum.*

3. *Baccho Thebas.*] Cadmus ædificavit eam urbem in Bœotia, nobilitavit maxime Bacchus ibi natus. Apollodor. lib. 3.

Apolline Delphos.] Parnaſſi juga, fons Caſtalius, at præ omnibus oraculum Apollinis, efferunt Delphos, Solin. Strabo lib. 9. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2. *Delphi*, inquit, *orbis umbilicus*,

inſignes, vel Tempe Theſſalica. Sunt Poëtæ, *quorum unicus labor eſt laudare carmine continuo civitatem Minervæ caſtæ, ac præferre olivam foliis undequaque collectis. Plerique in honorem Junoni commendant Argos equis nutriendis idoneum, ac Mycenas divites. Me nec Sparta* illuſtris ob *patientiam, nec ager Lariſſæ fertilis tam affecit,* [illegible]

Inſignes, aut Theſſala Tempe.
Sunt quibus unum opus eſt intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare, & [30]
Undique decerptæ frondi præponere olivam.
Plurimus, in Junonis honorem,
Aptum dicit equis Argos, ditéſque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ,

ANNOTATIONES.

commune omnium oraculum, in alto Parnaſſo, urbe non mœnibus ſed abruptis rupibus munitâ, arduo ac difficili aſcenſu. Templum Apollinis cultu & religione celeberrimum intra urbem non manu extructa, ſed nativa præcipitia, munivere. Hæc ille. Admirabilem porro Gallorum ſtragem Brenno duce Delphos impie oppugnantium, Apollinemque ſeſe acriter vindicantem, lege apud Juſtinum lib. 24.

4. *Theſſala Tempe.*] Horum in Theſſaliâ locorum tanta fuit amœnitas, ut ſi quæ deinceps regio celebraretur, amœna velut Tempe diceretur. Illic Peneus fluvius inter Oſſam & Olympum decurrebat; colles erant dextra lævaque molliter incurvi, nemoroſæ convalles, &c. Vide Solin. Strab. lib. 9. Ælian. lib. 3. init. &c. nos iterum poſtea Od. 21. & lib. 3. Od. 1.

5. *Sunt quibus unum opus eſt, &c.*] Sunt Poetæ qui ſemper canunt Athenas & olivam Palladi ſacras, nihilque nôrunt ſcribere præter Neptuni ac Minervæ certamen de nomine Athenis imponendo: hujuſque in illum victoriam; cum, Neptuno equum proferente, Pallas oleam, quæ præſtantior viſa & judicata eſt, produxiſſet.

Palladis urbem.] Athenæ quidem omnis doctrinæ parentes;, Pallas autem ſeu Minerva ſcientiis præeſſe cognoſcitur: non ergo mirum ſi urbs iſta illius veluti propria cenſetur. Quod ſi fabulari juvat, vid. Apollodor. lib. 3. Hygin. &c.

6. *Carmine perpetuo.*] Cyclicum carmen doctè Heinſius intelligit, quod perpetuâ ſerie complectatur laudes Athenarum, &c. De eo dicam in Epiſt. ad Piſon. v. 136. ubi *ſcriptor cyclicus.*

7. *Undique decerptæ frondi, &c.*] Ut præ cæteris urbibus Athenas, ſic & olivam præ omnibus arboribus efferre. Scilicet ea eſt, quam Tull. de Leg. 1. init. laudat ita ſcribens: *Nullius autem agricolæ cultu ſtirps tam diuturna, quam Poetæ verſu ſeminari poteſt.* Ex vet. Cod. nonnulli hic legunt, *Undique decerptam fronti præponere olivam:* intelliguntque tonſiles coronas, id eſt, circumcirca detonſas, ut ſint foliis brevioribus atque ornatioribus: quo videtur pertinere quod ait noſter lib. 1. Epiſt. 19.

At ne me foliis ideo brevioribus ornes.

Alii explicant, ex omni loco & materia colligere, quod in Palladis Athenarumque & olivæ, quæ ad Palladem præcipuo jure pertinent, laudes convertatur. Denique *fronti præponere olivam,* interpretantur ex olivâ ſibi coronam texere, eâque frontem exornare. Verum prima lectio atque interpretatio magis arridet; eamque ſequi doctiores jam aſſuevere.

8. *Plurimus, in Junonis honorem, &c.*] Plerique amant celebrare Argos equis nutriendis aptum, ob læta paſcua urbi circumjecta, vel Mycenas auro & divitiis inſignes, Agamemnonis regni ſedem inclytam. Vide Strab. lib. 8. Sophocles in Electra, πολυχρύσους Μυκήνας vocat. *In Junonis honorem,* quia in utrâque urbe iſta Juno præcipue colebatur.

10. *Me nec tam patiens Lacedæmon, &c.*] Me Horatium, nec Lacædemon, nec Lariſſa æque movet & afficit, ut domus Albuneæ, &c.

Patiens Lacedæmon.] Hæc Peloponneſi urbs Laconiæ caput ad Eurotam fluvium poſita, dicta eſt & Sparta, hodie *Miſitra:* ſervitutis olim impatiens, at malorum tolerantiſſima; ut *Spartana generoſitas & patientia* in proverbium abierit. Spartani liberos ad ſeveram omnem diſciplinam inſtituebant. Cic. Tuſcul. 5. n. 77. *Pueri Spartiatæ non ingemiſcunt verberum dolore laniati. Adoleſcentium greges Lacedæmone vidimus ipſi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morſu denique, ut exanimarentur priuſquam ſe victos faterentur.* Idem Tuſcul. 2. n. 34. *Spartæ verò pueri ad aram ſic verberibus accipiuntur ut multus è viſceribus ſanguis exeat, nonnunquam etiam ad necem; quorum non modo nemo exclamavit unquam, ſed ne ingemuit quidem.*

11. *Lariſſæ campus opimæ.*] Urbs Theſſaliæ Lariſſa, agris perquam fertilibus gloriabatur: cum vero proxima Phthiæ, quæ Achillis patria; inde factum ut Lariſſeus ille ſæpius dictus ſit.

Quàm

Quàm domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obſcuro deterget nubila cœlo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos: ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam vitæque labores
Molli, Plance, mero; ſeu te fulgentia ſignis 19
Caſtra tenent, ſeu denſa tenebit [32]
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patrémque

quam fons Albuneæ perſtrepentis, & Anio cadens, & nemus Tiburni, & pomaria rivulis decurrentibus irrigua. Quemadmodum Leuconotus aliquando nubibus expurgat cælum caliginoſum, nec pluvias parit ſemper; ita, Plance, recordare prudens imponere finem mœrori & vitæ laboribus, bibendo *vinum ſuave. Teucer fugiens patrem atque Salamina,*

ANNOTATIONES.

12. *Domus Albuneæ reſonantis.*] Albunea Nympha, quæ & Sibylla Italica Tiburi colebatur, atque lucum & fontem ſacrum habebat. Virgil. Æn. 7. v. 82.

——Lucoſque ſub altâ
Conſulit Albuneâ, nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat——

Lactant. l. 1. c. 5. *Tiburtem Sibyllam dicunt nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut Dea, juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite ſimulacrum ejus inventum eſſe dicitur, tenens in manu librum, cujus ſacra Senatus in Capitolinum tranſtulerit.*

13. *Præceps Anio.*] Strabo lib. 5. *In Romæ conſpectu ſunt Tibur, Præneſte, & Tuſculum. Tibur quidem Herculeum, & Cataracta, ſive deſcenſus quem facit Anio, ubi navigabilis eſſe incipit, cum è ſublimi in profundam vallem præceps defertur, & per vicina urbi nemora.* Dionyſ. Halicarn. lib. 5. refert Anienem ex urbe Tiburi effundi per excelſum ſcopulum, atque in planitiem ferri Romanorum ac Sabinorum, utrorumque diſterminando regionem, ac denique in Tiberim influere, aſpectu quidem jucundum & pulchrum, potu vero etiam gratum.

Tiburni lucus.] Tiburnus Tiburis conditor, vicinis quoque nemoribus dat nomen.

Uda Mobilibus pomaria rivis.] Legunt quidam *nobilibus*, intelliguntque Albulas & Labanas aquas ſalubritate nobiles, de quibus Strabo lib. 5. alii *mobiles* interpretantur ductiles rivos. Item legunt *pomœria*, referuntque ad Tibur, cujus muros alluit & rigat Anio.

15. *Albus ut obſcuro, &c.*] Non ſecus ac Leuconotus (λευκὸς *candidus*, νότος *notus.*) Ventus iſte a meridie ſpirans, nonnunquam ſerenitatem affert, quamvis ſæpe imbres pariat: ita licet Reipublicæ curam geras ſemper, interdum hilaritati vacare debes, & animum vino recreare tantiſper, ne illum nimiæ obruant ſolicitudines.

18. *Triſtitiam.*] Si rei cura privatæ comites habeat ægritudines aliquando magnas; certe Reipublicæ fere ſemper maximas.

19. *Plance.*] L. Munatius Plancus maximis honoribus functus eſt, conſulatu cum M. Æmilio Lepido, Cenſurâ, &c. Nullâ re autem nobis quidem videatur illuſtrior, quam quod Lugdunum nobiliſſimam Romanorum in Gallia coloniam condiderit, dum Galliæ Comatæ præfectus eſſet: ſunt tamen qui eam urbem longe antiquiorum aſſeverent. Is porro non leves putandus labores exhauſiſſe in tot civilibus tumultibus, quibus imperium Romanum ſuo tempore concuſſum eſt, atque in tot rerum mutationibus. Ipſe nimirum a Senatu primum ſtetit, deinde ad M. Antonium defecit, poſtea ad Auguſtum Cæſarem transfugit. Vell. Paterc. lib. 2. Extant Ciceronis ad Plancum iſtum, & Planci ad Ciceronem epiſtolæ perelegantes.

Seu te fulgentia ſignis, &c.] Sive ſis militiæ, ſive domi, & in villa tua Tiburtina. *Fulgentia caſtra.* Cornel. Tac. Annal 13. *Fulgentibus Aquilis, ſigniſque, & ſimulacris Deûm in modum templi.* Porro ſigna militaria ſeu vexilla ſunt, aquilæ, dracones, apri, lupi, equi, minotauri, &c. Vide Veget. de Re Milit. lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 5. Plin. lib. 10. cap. 4.

21. *Tiburis umbra tui.*] Denſum notat villæ nemus, quod umbram amœnam prætenderet. Vide poſtea Od. 18. & lib. 2. Od. 6. v. 5. ibique Annot.

Teucer Salamina, &c.] Exemplo Teucri fortiter adverſa ſuſtinentis, hortatur Plancum ut pariter fortis ſit in fortunæ viciſſitudine, vinoque, ut ille, depellat curas.

Salamina patremque cum fugeret.] Poſt expeditionem Trojanam reverſus in patriam Teucer a Telamone patre repulſus eſt, dolente & indignante quod Ajacem fratrem non reduxiſſet. Proficiſcentibus enim mandârat, ne alter ſine altero rediret. Atqui Ajax ſe ipſe interemerat, iratus quod Achillis arma Ulyſſi potius quam ſibi fuiſſent adjudicata.

Salamina.] Salamis, hodie *Coluri*, urbs & inſula maris Ægæi, in ſinu Saronico, qui nunc dicitur *Golfo di Egina*, inter Atticam & Peloponneſum. Illic regnavit Telamon, Ajacis & Teucri pater.

dicitur nihilominus caput vino madidum cinxiſſe coronâ populeâ, ſic allocutus mœrentes amicos: ô ſocii & comites, pergemus quocumque nos ducet fortuna patre benignior. Nil non ſperandum ductu & auſpiciis Teucri. Nam Phœbus veridicus pollicitus eſt ancipitem fore Salaminem in terrâ novâ. O viri ſtrenui & ſæpius deteriora mecum perpeſſi, jam vino mœrorem detergite, cras iterum navigabimus magnum mare.

Cum fugeret, tamen uda Lyæo
Tempora populeâ fertur vinxiſſe coronâ,
Sic triſtes affatus amicos:
Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus, ô ſocii comiteſque.
Nil deſperandum Teucro duce, & auſpice Teucro;
Certus enim promiſit Apollo,
Ambiguam tellure novâ Salamina futuram. [33]
O fortes, pejoraque paſſi
Mecum ſæpe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus æquor.

ANNOTATIONES.

22. *Lyæo.*] Cognomen eſt Bacchi, a λύω, *ſolvo*, quia metu & curis virum liberat. Horat. Epiſt. 15. lib. 1.

——*Generoſum & lene requiro*
Quod curas abigat——

Ovid. Art. Am. 1, 237.

Vina parant animos——
Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.

23. *Tempora populeâ fertur vinxiſſe coronâ.*] Ita ſe Teucer inſtruit adverſus mœrores. Vinum ſumit; populeâ ſe coronâ redimit, ſeu quod Herculi ſacrificet ſic ornatus ex more; ſeu ad ſignificandam animi fortitudinem. Nam hujus ſymbolum eſt populus arbor Herculi ſacra. Demum ad omnes fortunæ caſus ſocios parat. *Triſtes* ob exilium, & quod carendum eſſet patriâ, quæ ſemper chariſſima cuilibet, dulcis atque jucunda, ut ait Cicero in Catil. 4.

25. *Melior fortuna parente.*] Nam patrio ſolo & paternis Laribus exterminamur a Telamone patre. At fortuna ſpondet nobis exulibus offertque novas ſedes in aliena regione. Aiunt profectam a Teucro exulante ſententiam hanc: *Ibi patria eſt omnibus, ubi bene.*

27. *Duce & auſpice Teucro.*] Auctore Teucro, bonis avibus rem gerente, poſt acceptum felix ab Apollinis oraculo reſponſum.

28. *Certus enim promiſit Apollo, &c.*] Apollo, cujus haud incerta ſunt oracula, juſſit me Cyprum contendere, ibique novam condere Salaminam; ut deinceps ambiguum ſit hoc nomen, cum duplex erit urbs ejuſdem appellationis; altera apud Atticam regionem in quâ nati ſumus, è quâ pellimur; altera in Cypro mox a nobis ædificanda, ſic fatis volentibus. Vide Euripid. Helen. Act. 1. Scen. 1.

30. *O fortes, pejoraque paſſi.*] O viri qui mecum exantlaſtis ærumnas apud Trojam majores quidem & graviores iſtis malis, quibus jam conflictamur, forti eſtote animo; certe meliora propediem omnia experiemini.

32. *Cras ingens iterabimus æquor.*] Hodie epulemur, genio indulgeamus, vino curas abigamus; at cras iterum conſcendemus illud idem mare quod nuper enavigavimus, a Troade huc in Græciam remigrantes. Denique nova domicilia, novam patriam quæſituri apud Cyprum, priorem curſum relegemus. Vell. Paterc. l. 1. c. 1. *Teucer non receptus a patre Telamone, ob ſegnitiam non vindicatæ fratris injuriæ, Cyprum appulſus cognomen patriæ ſuæ Salamina conſtituit.*

ODE VIII. Ad LYDIAM.

Sybarim juvenem notat, quod relictis honeſtis exercitationibus, meretricio amore ſe mancipârit.

LYdia, dic, per omnes [34]
Te Deos oro, Sybarin cur properas amando
Perdere? cur apricum [35]
Oderit campum, patiens pulveris atque ſolis?

O Lydia, per cuncta Numina te obſecro, fare quamobrem feſtines amoribus tuis corrumpere Sybarim: quare Martium *Campum Soli expoſitum averſetur,* valens *tolerare pulverem & æſtum.*

ANNOTATIONES.

Ode eſt dicolos diſtrophos: at metri ſingularis. De eo ſic ſcribit Attilius eruditus Grammaticus: *Hoc metrum Horatius ignorando quale eſſet, laborioſâ obſervatione, ſemel omnino facere conatus eſt: & in eo tamen parum decenter erravit. Nam fecit illud aſperius uno immutato pede. Quod ſi ſciviſſet Choriambicum eſſe, & habere clauſulas certas, non in illam ſalebram incidiſſet. Nam primum comma ex Choriambo & Bacchio conſtat.*

Lydiă dīc | pĕr ōmnēs.

Secundum colum, quod eſt longius, tres habet Choriambos, & unum Bacchium, ſcilicet clauſulæ gratiâ. Quod metrum Alcæus ſic ordinavit, vir in muſicis exercitatiſſimus. At Horatius primum Choriambum duriſſimum fecit, pro Iambo Spondeum inſarciendo ſic,

Tē Dĕōs ō | rō . . . .

Error tamen illius habet excuſationem, quod in eâ perſeveravit lege, quam ipſe ſibi aliquo caſu fecerat, uſque ad ultimam partem non mutando.

1. *Lydia, dic, &c.*] Lydiam ironice compellat Horatius, at Sybarim petit, ſuum, ut videtur, rivalem, ſicut & Telephum Ode 13. Expreſſit autem hac Ode iſtam ſane Tarentii ſententiam: Eunuch. Act. 2. Scen. 1. v. 19.

Adeon' homines immutarier ex amore, ut non
Cognoſcas eundem eſſe?

Hic igitur Sybaris adoleſcens, Comici Phædriæ inſtar, totus ex amore meretricis immutatus perit. Nec enim, ut ante, laboris cujuſlibet patiens jaculando, equitando, luctando, natando inter æquales excellit: ſed abjectis campeſtribus armis, & exercitationibus viro dignis, meretriciis captus illecebris latet apud Lydiam, atque iners ac perditus elangueſcit.

2. *Sybarin*] Lydi luxu perditi: ſic & Sybaritæ deliciis fracti malè audiebant. Sybaris tamen urbs ad oram Tarentini ſinus olim ſita, potens adeo primum fuit, ut finitimis gentibus quatuor dominaretur: at deinde proverbialiter uſurpatum eſt ejus nomen pro perditiſſimo luxu. Philoſtrat. Strabo lib. 6. Athen. lib. 2. Plutarch. Lamprid.

Amando Perdere.] Antiphraſis. Cæterùm, ut ſcribit Virgil. Eclog. 3. 310.

———*Quiſquis amores*
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.

Quiſquis enim meretricum amoribus ſe dat, brevi opes abſumet, vires corporis animique perdet, & famam flocci habens ad quodvis malum ruet, omnis decoris immemor. Virgil. de Didone Æneam depereunte, Æneid. 4 v. 86.

Non cœptæ aſſurgunt turres, non arma juventus
Exercet; portuſve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.

Lege Plaut. Mercat. Prolog. & Terent. Eunuch. Act. 1. Scen. 1. &c. lib. 3. Od. 12. ibique annot.

3. *Cur apricum Oderit campum.*] Cur honeſtis exercitationibus, quas antea frequentabat, jam ſe mollis ſubducit? *Campum* hunc Gellius, lib. 6. cap. 7. ſcribit Populo Romano condonatum à Tarritiâ virgine Veſtali: at Livius Tarquiniorum primo fuiſſe affirmat, & his pulſis, Marti conſecratum. Vegetius de re Milit. lib. 1. cap. 10. ſic habet: *Romani Campum Martium Tiberi vicinum delegerunt, in quo juventus poſt exercitium armorum, ſudorem pulveremque dilueret, ac laſſitudinem cujuſque laborem natando deponeret.* Deſcribit vero Strabo lib. 1. his verbis: *Magnam ornamentorum partem Campus Martius continet . . . Etenim admirabilis magnitudo, cum Equitia, id eſt, Ludos Curules, & alias Equeſtres pugnas ſuppeditet; locum tamen multis Pila, Circo, Palæſtraque ſe exercentibus vacuum relinquit . . . . ſolum herbis conſertum omni tempore anni: collium denique vertices Theatri ſpeciem, & ornatum ad alveum uſque fluminis præ ſe ferentes, ſpectaculum præbent ita amœnum, ut ægre & invitus ab eo diſcedas.*

4. *Patiens pulveris atque ſolis, &c.*] Plutarchus in vitâ Catonis Cenſoris refert filium ab eo literis inſtitutum, deinde vero edoctum artem corporis exercendi, jaculandi, equitandi, calorem & frigus tolerandi, rapidoſque gurgites ac fluvios tranandi, &c. *Pulveris.* Vide Annot. ad Od. 1. v. 3.

quare nec bellicoſus equum agitat cum paribus? neque frænis lupatis moderatur equorum *ora Gallicorum? quare formidat contingere Tiberim luteum? quare oleum diligentius fugit,* quam *viperæ cruorem? nec deinceps liventibus lacertis arma portat, frequenter diſco, frequenter telo ultra metam projecto illuſtris? cur* ſe *abſcondit, quemadmodum aiunt* latuiſſe *filium Thetidis marinæ, circa luctuoſum Trojæ*

Cur neque militaris
 Inter æquales equitat? Gallica nec lupatis
Temperat ora frænis?
 Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino [36]
 Cautiùs vitat? neque jam livida geſtat armis
Brachia; ſæpe diſco,
 Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito?
Quid latet? ut marinæ
 Filium dicunt Thetidis, ſub lacrymoſa Trojæ

ANNOTATIONES.

5. *Cur neque militares Inter æquales equitat.*] Cur more ſolito ſtrenuè non decertat equitando cum æqualibus ætate ac ſtudio juvenibus? Equitandi ſtudium nobili viro maxime convenire aſſerit Plato in Lachete. Plutarchus autem refert, Julio Cæſari equitandi uſum adeo facilem a pueritiâ fuiſſe, ut reflexis in tergum manibus, equum curſu velociſſimo concitaret.

6. *Gallica nec lupatis Temperat ora frænis?*] Hinc peritum equitandi oſtendit Sybarin, qui Gallicos etiam equos domare conſueviſſet. Nam & hi Romæ in pretio, & feroces fuiſſe perhibentur, quos lupatis coerceri opus erit. Apuleius, *Jumenta Gallicana, quibus generoſa ſoboles perhibet generoſam dignitatem.*

Lupatis.] Frænis aſperioribus inſtar lupinorum dentium. Hæc etiam lupi dicebantur. Ovid. Triſt. 4. 6. 4.

Et placido duros accipit ore lupos.

8. *Cur timet flavum Tiberim tangere?*] Cur ſe ad natationem non exercet, ut ante? hæc enim valde utilis, & pridem commendabatur. Sic Horatius ille Cocles e ponte ſublicio in Tiberim deſiliens ad ſuos armatus tranavit. Sic Julius Cæſar Alexandriæ circa pontis oppugnationem, cum in mare deſiliiſſet, nando per ducentos paſſus evaſit ad proximam navem, elatâ quidem lævâ manu, ne madefierent libelli, quos tenebat; paludamentum vero mordicus trahens, ne ſpolio potiretur hoſtis. Suet. Hinc ex eodem Suetonio Auguſtus nepotes docuit natare. Et Plato 3. de Legibus, probroſum ait, ſi quis natare non didiciſſet.

Flavum Tiberim.] Hic fluvius olim Albula dictus, poſtea Tiberis ac Tiberinus vocatus eſt, ab hujus nominis rege in eo ſubmerſo. Euſtath. *Flavum.* Sic Æneid. 7. v. 31.

——*Multâ flavus arenâ.*

Cur olivum Sanguine viperino Cautiùs vitat?] Cur nunc luctam fugit Sybaris, & angue pejus odit; adeoque ſe nequaquam ceromate perungit, ut ſolent athletæ, quo membra reddant tum robuſtiora, tum lubrica.

9. *Sanguine viperino.*] Quod venenum eſt præſentiſſimum, quippe calidiſſimum, Alberto teſte.

10. *Neque jam livida geſtat armis Brachia.*] Cur arma non amplius contrectare, portare, vibrare amat? hinc non jam livent ejus brachia, nec attritu armorum & pondere, nec ictibus. Vide Veget. cit. lib. 1. cap. 11.

12. *Sæpe diſco, Sæpe trans finem, &c.*] Robore brachiorum contendebat ſeu diſcum ſeu jaculum projiciendo. Duplex eſt autem ea exercitatio, artis altera, altera virium. In priori collineatur ad certum ſcopum. In poſteriori vincebat qui longiſſime contorſiſſet; & de hâc fit hîc mentio. Sic Iliad. Ψ. dicitur Ajax diſcum ejaculatus prævalidâ manu, & omnium metas exſuperâſſe. Et Odyſſ. Θ. Ulyſſes diſcum lapideum ultra metas aliorum longe torquet.

Diſco.] Ἀπὸ τοῦ δικεῖν, *jacere.* Orbis erat ferreus, æneus, ligneus, plerumque lapideus, qui medius loro circumnexus in auras totâ vi jaciebatur, à quibuſdam circumrotando: ut patet ex cit. Homeri locis. Vide Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 21.

Trans finem jaculo nobilis expedito.] Frequenti nobilitatus victoriâ, jaculo ſcilicet & diſco trans aliorum finem, ſeu ſignum, Græce σῆμα, expedite projecto.

13. *Ut marinæ Filium dicunt Thetidis, &c.*] Achillem nempe mater habitu muliebri inter Lycomedis puellas abſcondiſſe narratur, ne ad bellum Trojanum raperetur, eò quòd in fatis erat, ſi gloriæ bellicæ operam daret, brevi perimendum. At quia ſine eo capi Troja non potuiſſet; Calchantis reſponſo, Ulyſſes detexit Achillem, & abduxit eo, quo nôrunt omnes, modo; propoſitis ſcilicet armis.

Marinæ.] Thetis erat maris Nympha, Nerei filia, Achillis autem mater.

Funera

Funera, ne virilis [37]
Cultus in cædem, & Lycias proriperet catervas.

excidium: ne viri habitus pertraberet ipſum *ad ſtragem, &* contra *turmas Lyciorum.*

ANNOTATIONES.

16. *In cædem, & Lycias, &c.*] Adverſus Trojanas copias atque exercitus. Lycia duplex: altera eſt Troadis regio, ex Homero & Strabone; altera eſt Cariæ finitima. Hujus quidem populi Trojanis auxilium tulerunt. Ab utrâ vero Trojani denominentur Lycii; arbiter eſto lector: certe dices, non ab hâc, ſed ab illâ. Mecum igitur mirare turbam interpretum, qui fere omnes hactenus contrarium ſcripſere.

Catervas.] Hic Grammatiſtæ vulgo monent Catervam militum ſena millia continere, propriamque Afrorum eſſe, ſicut Phalanx eſt Macedonum, Legio vero Gallorum. Sed quid ad rem? Ecquid hoc juvat ab Horatio ſenſum hic expiſcandum, ubi omnia in propatulo ſunt?

ODE IX. Ad THALIARCHUM.

Dum ſævit hyems, voluptati indulgendum.

Vides, ut altâ ſtet nive candidum [38]
Soracte: nec jam ſuſtineant onus
Sylvæ laborantes, gelúque
Flumina conſtiterint acuto?
Diſſolve frigus, ligna ſuper foco
Largè reponens, atque benigniùs
Deprome quadrimum Sabinâ,
O Thaliarche, merum diotâ. [39]

Cernis, ô Thaliarche, quemadmodum Soracte denſis nivibus album rigeſcat? neque ſylvæ fatiſcentes ferre amplius queant *pondus: & fluvii acri glacie hæſerint. Arce* vero tu *frigus, ligna copiosè congerens ad ignem, & vinum quatuor annorum liberaliter exhibe vaſo Sabino.*

ANNOTATIONES.

Ode eſt tricolos tetraſtrophos. Duo primi verſus ſunt Dactylici, Alcaici, Acatalecti: pes primus eſt Spondæus vel Iambus: ſecundus eſt Iambus ſemper cum cæſurâ: tertius & quartus ſunt dactyli.

Vĭdēs | ŭt āl | tā | ſtēt nĭvĕ | cāndĭdūm.

Tertius eſt Iambus Archilochius dimeter hypercatalectus. Pes primus et tertius eſt Iambus vel Spondæus: Secundus & quartus ſemper Iambi cum ſyllabâ ſuperſtite.

Sīlvæ | lăbō | rāntes | gĕlū | que.

Quartus eſt Dactylicus Alcaicus Acatalecticus, (vel, ut alii vocant, Pindaricus) è duobus Dactylis, & totidem Trochæis.

Flūmĭnă | cōnſtĭtĕ | rīnt ă | cuto. |

1. *Vides, ut alta, &c.*] Hypotypoſis, ſeu deſcriptio accurata hyemis.

2. *Soracte.*] Mons Apollini quondam ſacer, de quo Virgil. Æn. 2. & 11. v. 785.

Sancti cuſtos Soractis Apollo.

Plin. l. 7. c. 2. *Haud procul urbe Româ in Faliſcorum agro familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpi, quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soracten Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non adoruntur.* Idem fere Strabo lib. 5. Dictus exinde mons Divi Sylveſtri, quoniam in ejus ſpeluncâ delituit ſanctus ille pontifex cum in Chriſtianos ſæviret Maxentius. Hodie *Monte S. Oreſte* vocatur, ab adjacente oppido, in ditione Pontificiâ, recentioribus *Mons ſancti Oediſti.*

Nec jam ſuſtineant onus Sylvæ laborantes.] Hyperbole, aſperitatem frigoris, & nivium copiam exhibens. Quaſi arborum fatiſcant & incurventur rami ſub pondere nivis & glaciei.

3. *Gelúque Flumina conſtiterint acuto?*] Quæ nempe fluere ex naturâ poſtulant, hærent jam ſtant gelu conſtricta. *Acuto.*] Seu quod frigus vehemens haud ſecus pungat ac ferri acies & acumen: ſeu quod acutæ ſint glaciei cruſtæ.

5. *Diſſolve frigus, &c.*] Imitatio verſuum Alcæi, hyeme potandum aſſerentis, apud Athen. lib. 10. cap. 1.

7. *Sabina diota.*] Vaſe in Sabinis fabricari ſolito, quod quidem utrinque anſas habet velut auriculas, *diota* διώτη, Quadrantal dicunt octo & quadraginta ſextarios capiens. Alii vas non ita magnum hic intelligunt, ſed potius in quo hauriatur vinum è dolio. Perperam nonnulli ſcribunt, *dyota*, quaſi ὦτα δύο ἔχουσα, *amphora.*

8. *Thaliarche.*] Nomen hoc idem ſonat quod ſympoſiarchus; θαλείας ἄρχων, *convivio præſidens.*

Permitte

Remitte Diis reliqua: qui ſtatim ac dejecere ventos, æſtuante mari luctantes, nec moventur cupreſſi, nec orni vetuſtæ. Cave percontari quid cras eventurum ſit: & quemlibet diem fortuna largietur, quæſtui adjice. Neque vero ſuaves amores tu juvenis contemne, neque choreas, dum à te valido procul eſt ſenectus difficilis. Jam & Campum Martium & areas frequenta: *nec non ſecretas ad noctem condicta hora confabulationes. Jam quoque revocetur*

Permitte Divis cætera: qui ſimul
Stravere ventos æquore fervido
Deprœliantes; nec cupreſſi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid ſit futurum cras, fuge quærere: &
Quem ſors dierum cunque dabit, lucro
Appone: nec dulces amores
Sperne, puer, neque tu choreas;
Donec virenti canities abeſt
Moroſa. Nunc & campus, & areæ,
Leneſque ſub noctem ſuſurri
Compoſitâ repetantur horâ.
Nunc & latentis proditor intimo

ANNOTATIONES.

9. *Permitte Divis cætera.*] Uni vaca voluptati, cæterorum vero curam Diis relinque.

Qui ſimul Stravere ventos, &c.] Hic Stoicum agit Horatius, alibi vero ſæpius Epicureum; nempe, mortalia hæc & infima Diis eſſe curæ aſſerit, potentiamque & providentiam videtur ſtabilire exemplo iſto. Cum primum illi, inquit, ventos deprœliantes retinent, quieſcunt; cum ſedari tempeſtates volunt, mare ſtatim pacatur atque ſubſidit: adeoque tranquilla ſunt omnia, ut nec orni, nec cupreſſi moveantur. Sic ergo & curabunt ea quæ ad homines ſpectant, adverſa quæque & contraria in melius commutantes.

11. *Cupreſſi.*] Pro quâlibet arbore hic ponuntur, ſicut & *orni*. Cato de re ruſticâ cap. 42. & 151. de illis abunde. Plin. lib. 16. cap. 33. *Cupreſſus ſatu moroſa, fructu ſupervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratioſa, materie rara, Diti ſacra, &c.* Ex Varrone, rogis adhibetur, propter gravem uſtrinæ nidorem: quoniam fœtorem cadaveris, dum uritur, odoris ſui jucunditate lenit. Servius ait, Ideo cremandis cadaveribus convenire, quia præciſo capite moritur, & ſubſecta non renaſcitur, quemadmodum è mortuis nihil ſperatur.

12. *Orni.*] Arbores proceræ & graciles, ſilveſtres fraxini: montes amant, ex Plinio.

13. *Quid ſit futurum cras, fuge quærere.*] Sive ex naturæ ſibi timentis ſolicitudine, ſive ex curioſâ futurorum inveſtigatione per Genethliacos, noli te diſcruciare. Nam Mathematici plus torquent, quam juvant: & hoc Deos offendit, qui notitiam hanc ſibi reſervârunt. Phavorinus apud Gellium, lib. 4. cap. 1. *Aut adverſa prædicunt Genethliaci, aut proſpera. Si proſpera, & fallunt, miſer fies, fruſtra expectando. Si adverſa & mentiuntur, miſer fies, fruſtra timendo, &c.* Vide annot. ad Od. 11. ſeq.

14. *Quem ſors dierum cunque, &c.*] Pro lucro habe ſingulos qui tibi conceduntur vitæ dies; ac velut lucrum lucro appone quotquot jam ante conceſſis adduntur. Cum enim *morti debeamur*, ut ait ad Piſones, quot dies vivimus, & quot *ſors*, ſeu deorum voluntas dat, totidem ei velut eripiuntur, nobis vero quaſi lucrum accedunt, Cic. ad Famil. lib. 9. epiſt. 17. *De lucro jam quadriennium vivimus.*

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

15. *Nec dulces amores Sperne, puer, &c.*] Dum juvenis es, juveniles exercitationes & oblectationes ne omitte; antequam veniat ſenectus, quæ his omnibus finem imponit.

18. *Moroſa.*] Cic. de Senectute, n. 64. & ſeq. *Moroſi, anxii, iracundi, & difficiles ſenes ſunt. Moroſitas illa tamen excuſationis habet aliquid ..... contemni ſe putant, deſpici, illudi. Præterea in fragili corpore odioſa omnis offenſio eſt.* Et paulo poſt: *Quarta reſtat ratio, quæ maxime angere ac ſolitam habere noſtram ætatem videtur: appropinquatio mortis, quæ certe a ſenectute non poteſt longè abeſſe, &c.*

Campus.] Exercitationes juventuti idoneas in Campo Martio celebrari ſolitas frequenta. De illis vide annot. ad Od. 8. ſupra.

Areæ.] Loca vacua ædificiis, adeoque ad exercendos juvenes deſtinata. *Campus* eſt ampla terræ planities; *area* vero eſt paulo magis anguſta. Valla. Vitruv. lib. 1. cap. 7.

19. *Leneſque ſub noctem ſuſurri.*] Colloquia clam in ſubmiſſâ voce cum amicâ, quæ blanditias & murmura nuncupat Ovidius.

21. *Nunc & latentis, &c.*] Ludos amatorios Horatius exprimit, in quibus laſcivæ puellæ latebras petunt, & ſe cupiunt tamen intelligi, &c. Virg. Eclog. 3. 64.

Malo me Galatea petit, laſciva puella;
Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri.

Maximianus Eleg. 1. v. 66.

Erubuit vultus ipſa puella meos.
Et nunc ſubridens latebras fugitiva petebat:

Gratus puellæ riſus ab angulo;
Pignuſque dereptum lacertis,
Aut digito male petinaci.

jucundus adoleſcentulæ cachinnus ab angulo ſecreto abſconditam indicans: atque pignus detractum brachiis, vel digito parum tenaci.

ANNOTATIONES.

Non tamen effugiens, tota latere volens:
Sed magis ex aliquâ cupiebat parte videri;
Lætior hoc multo, quod male tecta foret.

23. *Pignuſque dereptum, &c.*] *Pignus*, armilla, chirotheca, annulus, &c. *Dereptum* vel ab amatore, vel à puella. Poteſt enim intelligi hæc abſtuliſſe quidpiam ab illo, ut redeundi locum det repetituro; vel ab hâc ille, ut referendi, atque iterum conveniendi anſam arripiat.

Dereptum.] Male quidam, *direptum*, Nam diripere eſt diſcerpere & lacerare: quod hic non convenit. At *deripere* eſt movere & rapere de loco. Virg. Georg. 2. v. 242.

Colaque prælorum fumoſis diripe tectis.

Æneid. 1. v. 215.

Tergora deripiunt coſtis.

Cicer. Verr. 4. *Victoriam deripere, & Deam Deæ detrahere conatus es.*

24. *Male pertinaci.*] Quia ſimulet retinere velle quod ſibi adimi gaudet, maxime, ut repetendi occaſio detur, rurſumque comeſſandi.

ODE X. Ad MERCURIUM.

MErcuri facunde, nepos Atlantis, [41]
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formâſti catus, & decoræ
More palæſtræ:

O diſerte Mercuri, Atlantis nepos, qui hominum novorum agreſtes mores ſermone finxiſti doctus, & ritu pulchræ palæſtræ:

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 2.

1. *Mercuri facunde.*] Hymnum hunc tanti facit Lilius Gyraldus, ut non modo legendum, ſed ediſcendum cenſeat. Quædam tamen reprehendit Scaliger ſuo more. In eo Mercurium celebrat Horatius, ut ſcribunt aliqui, quoniam ejus ope civilis tumultûs pericula evaſiſſet. Imitatio eſt Alcæi. Laudatio petitur à quatuor præcipue locis: a genere; verſu 1. a rebus inventis; v. 4. 6. 7. a rebus geſtis; v. 2. 13. ab officio & auctoritate; v. 5. 17. &c.

Mercuri.] Quaſi medicurrius, ſeu medius currens dictus eſt, tanquam internuncius Deos inter & homines. Feſtus à mercibus originem trahit, quia negotiationibus præeſt Mercurius. Uni Mercurio tribuuntur vulgo quæ plurium ſunt. Tres alii, alii quinque memorant, aut plures etiam Mercurios.

Facunde.] Eſt enim eloquentiæ Deus, & orationis inventor. Hinc & Lyſtrenſes viſo ſigno per Barnabam & Paulum facto; velut Diis ſacrificare voluerunt: atque illum quaſi Jovem reveriti ſunt, hunc vero ſicut Mercurium, *quoniam ipſe erat dux verbi.* Act. Apoſt. cap. 14.

Nepos Atlantis.] Scilicet natus Maiâ filiâ Atlantis, qui Mauritaniæ rex, & Aſtrologiæ inventor, inde cœlos humeris ſuſtinere dictus. S. Auguſt. refert tempore quo Moſes natus eſt, floruiſſe Atlantem Aſtrologum, Promethei Phyſici fratrem, maternum autem avum majoris Mercurii, cujus nepos fuerat Mercurius ille Triſmegiſtus.

2. *Qui feros cultus, &c.*] Quod Orpheo in Epiſt. ad Piſones verſu 391. hoc idem Mercurio tribuit hic; ſcilicet à victu agreſti homines recens terrâ editos (ut fabulantur) ad cultiorem traduxiſſe facundiæ vi, & orationis ſuavitate. Vid. Cic. 1. de Orat. & 1. de Invent. *Feros cultus.* S. Aug. de Civit. ait, Feram nullam immaniorem eſſe homine, ſi quis affectibus relinquatur.

3. *Voce formaſti.*] Nempe orationis inventor pariter & Muſices. *Catus*, vocem hanc Sabinam eſſe, & acutum ſignificare, auctor eſt Varro 6. de Ling. Lat. Cic. 1. de Legibus: *Prudens & ut ita dicam, catus* 1. de Orat. n. 198. *Egregie cordatus homo catus Ælius Sextus.*

Decoræ more palæſtræ.] In tribus his vocibus tria carpit Scaliger. Primo ſcribendum fuiſſe, *lege*, non *more*, contendit. Sed quæ auctoritas? Deinde ſono ſe rhythmico offendi ait. Verum quot ejuſmodi locutiones Tullius ipſe non ſcripſiſſe modo, ſed amâſſe reperiatur? Poſtea epitheton *decoræ* velut parum conveniens notat. At enim palæſtra duplex eſt: rudis altera & ſine arte, quâ ſolent ſe ruſtici exercere, qualitercumque ſe agitando ac decertando. Hanc deſcribit Virgil. Georg. 2. 532.

Corporaque agreſti nudat prædura palæſtrâ.] Altera eſt artificioſa, & *decora* ſane, quæ partes corporis ſingulas format ad decorem, & decentem actionem præceptis & exercitatione fingit. Tullius de Oratore: *Numerus quandam veluti palæſtram orationi & extrema lineamenta confert.*

Te

Te celebrabo ſummi Jovis aliorumque Deorum interpretem, atque inventorem citharæ incurvæ; necnon *ſolertem clam ſurripere joci gratiâ quodcunque libuit. Te puerum quondam cùm verbis minacibus Apollo territaret, niſi vaccas per fraudem abactas reſtitueres*;

Te canam magni Jovis & Deorum [42]
Nuncium, curvæque lyræ parentem; 6
Callidum, quicquid placuit jocoſo [34]
Condere furto.
Te, boves, olim, niſi reddidiſſes
Per dolum amotas, puerum minaci 10

ANNOTATIONES.

Et poſtea: *Ut athletas videmus nihil aut vitando facere, aut petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæſtram quandam; ut quicquid in rebus fiat utiliter, ad pugnam, idem ad aſpectum etiam ſit venuſtum; ſic oratio nec plagam gravem facit, niſi petitio fuerit apta, nec ſatis recte declinat impetum, niſi etiam cedendo quid deceat intelligit.* Quintil. lib. 1. cap. 11. Palæſtricis vacandum cenſet, *Quibus geſtus motuſque formantur . . ne indoctæ, ruſticæve manus: ne ſtatus indecorus, &c.*

More palæſtræ.] Sunt qui intelligant Mercurium ita recentes homines formâſſe ad humaniorem cultum, atque artes, ut formari ſolent in Academiâ modo & palæſtrâ. At aliis videtur Horatius reſpexiſſe ad ea quæ à Mercurio traduntur inventa: his autem accenſetur palæſtra, Græce πάλη, gymnica exercitatio nimirum ſeu luctatio, quâ nudi undique exercebantur, valetudinis quidem tuendæ causâ, tum vero roboris etiam & agilitas & artis acquirendæ.

5. *Jovis & Deorum Nuncium.*] Heſiod. ἀθανάτων κήρυκα, *præconem immortalium*: Orpheo. Διὸς ἄγγελον, *Jovis nuncium*: Hom. Hymn. in Mercur. v. 3.

Ἄγγελον ἀθανάτων ἐριούνιον, ὃν τέκε Μαῖα,
Nuncium immortalium perquam utilem, quem peperit Maia.

Virg. Æn. 4. 356.

Interpres Divum Jove miſſus ab ipſo
. . . . celeres mandata per auras
Detulit———

6. *Curvæque lyræ parentem.*] Mercurii inventum eſſe Lyram conſtat, quam tamen Apollini tribuunt aliquando, quoniam hanc ei conceſſit Mercurius, ut infra dicemus ad vocem, *virga*. Sic autem inventa fertur. Poſt inundationem Nili teſtudinem reperit mortuam, exeſa etiam tractu temporis carne: nervi autem qui ſuperſtites erant tenſi, cùm digitis eſſent pulſi, ſonum aliquem reddiderunt. Itaque ad ejus ſimilitudinem lyram conſtruxit Mercurius, quæ exinde teſtudo vocata eſt. Aliter paulo alii rem afferunt, aiuntque teſtudinem vocatam à teſtâ iſtius animalis: ut mox fuſius explicabo.

Lyræ.] Lyram cum citharâ confundunt Grammatici vulgo, ipſeque Euſtathius, qui ait, *Chelyn citharam dictam eſſe, quod teſtudinis teſta jugo addita, fidibuſque tenſa lyram deformavit*; & rurſus; *Chelyn, id eſt, lyram, è teſtudinis teſtâ factam.* Quod porro inter illas diſcrimen, vix ſtatuas: quanquam fuiſſe non eſt dubitandum. Diodorus trichordon lyram extitiſſe auctor eſt: at Horatius citharam ſeu teſtudinem ſeptem nervis tenſam & inſtructam ſcribit, imitatione Pindari qui ἑπτάγλωσσον φόρμιγγα, id eſt, ſeptenos edentem ſonos ait. S. Hieron. ſcribit, *Citharam effici in modum literæ* Δ, *cum chordis viginti quatuor, & per digitos variis vocibus, tinnuliſque ictibus in diverſis modis concitari.* Hoc autem obſervare licet, dici chelyn ſeu teſtudinem & citharam digitis aut pectine pulſari: Seneca *Chelyn plectro verberari*, ait. Lucanus:

Seu chelyn digitis, & eburno verbere pulſas.

At lyra pelli dicebatur. Idem ibidem.

Nec pudeat pepuliſſe lyram———

Ovid. Metamorphoſ. 10. v. 205.

Te lyra pulſa manu, te carmina noſtra ſonabunt.

Cruquius ita in hunc locum ſcribit, ex Idiomate Italico, Alemannico, Flandrico, Gallico, lyra ſuum adhuc nomen habet integrum. Ea nimirum eſt, qua mendicos vicatim ſtipem quæritare notum eſt; nam & incurva eſt, & δέλτωτῦ formam refert propriùs intuenti. Cithara vero teſtudo vocata, formâ teſtæ ejus animalis, &c.

7. *Callidum quicquid placuit, &c.*] Clam, ingenioſe, jocoſe, furandi magiſtrum. Duplex nimirum eſt furti ſpecies, ſeu furandi ars. Una ſeria, improba, injurioſa, legibus vetita; & de hâc non eſt mentio. At altera eſt oblectationis, joci, & induſtriæ ludicræ; in quâ excelluit Mercurius. Hinc & Lycurgus ad acuendos furandi ſolertiâ Spartanorum animos, impunita eſſe furta ſanxerat. Philoſtrat. Imagin. lib. 1. furta Mercurii jocoſa vocat ἡδείας κλοπάς. Fulgentius ideo negotiatoribus præeſſe dixit Mercurium, quod illi vix à furto immunes ſint. Alii volunt deſignari vim orationis, quæ audientium animos captat ac rapit. Huc etiam ab aliis refertur Magiæ ac præſtigiarum inventio, quæ tribuitur Mercurio: ars nempe ſic aſtantium oculos præſtringendi, ut dolum non advertant coram ipſis perpetratum.

9. *Te, boves, olim, &c.*] Calliditatem Mercurii, & peritiam jocoſe furandi probat. Hæc autem eſt hiſtoria, ſeu fabula: cùm Apollo ob Cyclopas interfectos divinitate aliquamdiu privatus eſſet,

Voce dum terret, viduus pharetrâ
Riſit Apollo.
Quin & Atreidas, duce te, ſuperbos
Ilio, dives Priamus, relicto, [44]
Theſſalóſque ignes, & iniqua Trojæ
Caſtra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus; virgâque levem coerces

riſit ipſe advertens ſe pharetrâ quoque ſpoliatum. Quinetiam Priamus opulentus Trojâ diſcedens, ducente te latuit arrogantibus Atreidis, excubiis Theſſalorum, & caſtris Trojæ infeſtis. Tu animas bonorum beatis ſedibus collocas: atque aureâ virgâ

ANNOTATIONES.

atque interim Admeti Theſſaliæ regis armenta paſceret; boves aliquot exerrantes & longius progreſſos abegit Mercurius & occuluit. Ille vero hunc pueri forma indutum quaſi bubulcum furacem aggreſſus mortem minatur, niſi abacta pecora reſtituat: ac telum proferre volens, quaſi percuſſurus, vacuam ſenſit pharetram, vel hanc quoque ſibi ſubreptam. Tum denique Apollo Mercurii ſubtilem in furando induſtriam demiratus, riſum tenere non potuit; *Iracundiam voluptate ſuperante*; ut ait Philoſtratus. Imagin. lib. 1. ubi fabulam hanc egregie expreſſit. Vide Homer. Hymn. in Mercur. Ovid. Metamorphoſ. 2. cap. 11. &c. & Annot. infra ad vocem *virga*.

11. *Viduus pharetrâ.*] Infra lib. 2. Od. 9.

Et foliis viduantur orni.———

Virgil. Æneid. 8. v. 571.

———*Viduaſſet civibus urbem.*

Quem in locum Servius laudat Virgilium, tanquam proprie locutum, Horatium vero carpit & vellicat tanquam hic male ſcripſerit *viduum Apollinem.* Sed O puerilem aſtutiam!

13. *Quin & Atreidas, &c.*] Præclare & benigne à Mercurio facta jam oſtendit. Nimirum ex Homer. Iliad. ult. Mercurius à Jove miſſus præbet ſe ducem Priamo Hectoris interfecti corpus redemptum pergenti: eumque per media hoſtium caſtra ad Achillem uſque ſic deducit, ut nec tentus à quoquam, imo nec viſus fuerit.

Atreidas.] Agamemnonem & Menelaum Atrei filios, Græci exercitûs imperatores.

14. *Dives Priamus.*] Et in hunc locum Scaliger ſtylum acuit & vibrat. *An dives*, inquit, *ille qui miſerrimus, orbus liberis, regno ſpoliatus, quique adeo mærens potius & inops?* Scilicet non meminerat quod legitur Iliad. ult. copioſa ſane & pretioſa munera ad Achillem delata à Priamo Trojam deſerente; atque, ut eſt ibid. *Infinita donare thalamo in currum exportata ad Hectorem redimendum:* quæ etiam ibi recenſentur; *duodecim lænas, totidem tapetas, totidemque pallia eximia item & ſagula: auri vero talenta decem; duos inſuper tripodas ardentes, lebetes quatuor; poculum denique conſpicuum, quod Thraces donârant.*

15. *Theſſaloſque ignes.*] Nocturnas Theſſalorum ſive Græcorum excubias circa tentorium Achillis collocatas. Synecdoche. Nam & Theſſali Græciæ populi, & ipſe Achilles Theſſalus erat. Homeri Scholiaſtes ad Iliad. 18. *nocturnum ſignum caſtrenſe, ignis: diurnum fumus*, inquit.

Iniqua Trojæ Caſtra fefellit.] Caſtra nempe Græcorum Trojæ hoſtium occulte ingreſſus, & uſque ad tentorium Achillis ſic penetravit Priamus, duce Mercurio, ut vigilum nemo ſenſerit, nemo interceperit aut prohibuerit. Quâ vero id ratione factum ſit, explicat Homerus, ubi ait; *Cum ad turres navium & foſſam veniſſent, cuſtodes quidem è cœna laborabant: his vero Mercurius ſomnum injecit.*

17. *Tu pias lætis, &c.*] Jam præſtans Mercurii officium & inſignis auctoritas declaratur. Videlicet priſcis illis exiſtimatum, animas corporibus excedentes à Mercurio ſuſcipi, atque vel ad campos Elyſios ſeu beatas ſedes perduci, vel ad inferos. Unde *diſpenſator ac deductor animarum* dictus eſt ille. Quod munus tamen Plutoni aſſignat Pindarus Olymp. Od. 9.

18. *Virgaque levem coerces, &c.*] Caduceo domas, regis, deducis animas ſpiritales corporeæ molis expertes, adeoque *leves* & agiles: ſeparaſque alias ab aliis pro tuâ auctoritate atque ex officio, ſecundum variam bene vel male factorum ac meritorum rationem: has quidem ad tartarea ſupplicia; illas autem ad ſedes lætas ac fortunatas. Homer. Odyſſ. ult. Virg. Æn. 4. v. 242.

Tum virgam capit: ac animas ille evocat Orco
Pallentes; alias ſub triſtia Tartara mittit.
Dat ſomnos, adimitque & lumina morte reſignat.

Coerces.] Hoc referunt aliqui ad eloquentiæ vim, quâ ſedantur & coercentur homines concitati; & inertes è contrario ignavique concitantur.

Virgâ.] Hanc ab Apolline Mercurius acceperat, conceſſa viciſſim lyra; poſtquam enim boves, ut ante dictum, hic furatus eſſet; ita demum convenerunt eaque lege & conditione venia eſt data Mercurio, ut Lyræ inventor Apollo diceretur. Huc pertinet quod Homeri Pindarique Schol. aiunt, λύραν, quaſi λυτραν dictam eſſe

Aurea

catervam exilem ſummoves, ſuperis æque numinibus ac inferis gratioſus.

Aurea turbam, ſuperis Deorum [45]
Gratus & imis.

ANNOTATIONES.

quod eâ ſe Mercurius ab irato Apolline redemerit. Ergo mirifica illa inſtructa virga, profectus in Arcadiam Mercurius pugnantes duos cum Dracones reperiſſet, hac inter eos projecta prœlium diremit. Exindeque pacis conciliatricem virgam appellârunt: eique duo circumvoluti ſerpentes additi ſunt. Hygin. lib. 2. Hinc etiam legati pacis caduceatores vocantur, quia ejuſmodi caduceo inſignes procedunt. Tit. Liv. Denique virga illa auctoritatem ac dicendi vim denotat: circumplexi vero ſerpentes indicant prudentiam: quippe hæc illius individua comes eſſe debet.

ODE XI. Ad LEUCONOEN.

Indulgendum voluptati, omiſſa futurorum cura.

Tu ne cupiveris noſſe (nec enim licet) quem mihi, quem tibi, Leuconoe, conceſſerint Numina terminum vitæ. *Neque experiare Chaldaicos,*

TU ne quæſieris (ſcire (nefas) quem mihi quem tibi [46]
Finem Dii dederint, Leuconoe: nec Babylonios

ANNOTATIONES.

Ode hæc eſt monocolos. Verſus nempe omnes ſunt Choriambici, Alcaici, Pentametri, Acatalectici conſtantque Spondæo, tribus Choriambis, & Pyrrhichio, vel Iambo. Sic:

Tū nē | quæſīērīs | ſcīrĕ nĕfās | quēm mĭhĭ quēm | tĭbĭ

1. *Tu ne quæſieris.*] Oden hanc velut indignam Horatio notat Scaliger. Quam vero ob rationem ego neſcio: nec, ut opinor, ipſe ſcivit, qui nullum profert. Horatius Leuconoen Mathematicis prædictionibus plus æquo addictam hortatur, ut relinquat Diis futurorum curam, ipſa vero præſentibus utatur.

Scire nefas.] Has alii ſeparant voces: alii parentheſi includunt utramque. Perinde eſt. Quod ſi cui videtur nimis abſciſſa interpoſitio (nefas:) meminerit frequentes legi tam contractas apud optimos auctores, Terent. *Quid tua (Malum) id refert?* Cic. in Verrem. *Quæ (malum) iſta fuit amentia?* 2. de Off. *Quæ te (malum) ratio in iſtam ſpem induxit?*

Quem mihi, quem tibi Finem Dii dederint.] Ne ſcire deſidera quod nefas; ne affecta quod ſibi reſervarunt Dii, futuri nempe cognitionem. Cic. ad Familiar. lib. 6. Epiſt. 4. *Equidem mihi omnia propono: nec ullum eſt tantum malum, quod non putem impendere. Sed cum plus in metuendo mali ſit, quam in illo ipſo quod timetur, deſino: præſertim cum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus ſit.* Seneca vero ſic paucis vanas eas ſolicitudines perſtringit; *Quid times, aut futurum eſt, aut ſecus. Si ſecus; fruſtra vexaris. Si venturum eſt; tum ſatis dolebis tandem, cum adfuerit tribulatio.*

2. *Leuconoe.*] Alii legunt *Leucothoe.* Fictum nomen eſt à poetâ. Ludunt aliqui in etymologia nominis iſtius, & quidem operam ludunt. Fuit olim Leuconoe filia Lycambis, quam Archilochus acribus conviciis ad ſuſpendium adegit.

Nec Babylonios Tentâris numeros.] Nec Mathematicos adi, & conſule, neve iis crede: ſunt enim fallaces. Quod quidem probant egregie tum hiſtoriæ paſſim, tum ratio. Vide Cic. 1. & 2. de Divin. Item de Fato. Item 3. de Nat. Deor. A. Gell. lib. 14 cap. 1. ubi refutat eos qui curioſius auſcultant Genethliacis, futura dicturos per artes prodigioſas ſpondentibus. S. Aug. de Civ. Dei, &c. Tacitus, lib. 17. Mathematicos appellat, *Genus hominum petentibus infidum, ſperantibus fallax.* Cic. 1. de Divin. n. 36. *Contemnamus Babylonios, & eos, qui è Caucaſo cœli ſigna ſervantes, numeris, & motibus ſtellarum curſus proſequuntur.* Juvenal. Sat. 6. à verſu 550, ad 590. ejuſmodi ſtudium in mulieribus præſertim, graviter inſectatur.

Babylonios.] In Babylonia templum erat Beli ſideralis ſcientiæ inventoris, ex Plin. lib. 6. cap. 26. Babylonii, ſeu Chaldæi Babyloniam incolentes Aſtrologiæ peritiſſimi erant, ex Cic. de Divin. Diodor. Sicul. Gell. lib. 1. cap. 9. Quint. Curt. lib. 5.

Babylonios numeros.] Certe neceſſaria valde numerorum cognitio & praxis accurata, ad dimenſionem horoſcopi, aſpectumque ad alia ſidera planetaſque diligenter inquirendum. Hinc

Tentaris

Tentâris numeros; ut melius, quicquid erit, pati [47]
(Seu plures hyemes, ſeu tribuit Jupiter ultimam,
Quæ nunc oppoſitis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum) ſapias; vina liques, & ſpatio brevi
Spem longam reſeces: dum loquimur, fugerit invida [48]

calculos: ut ſatius tolerare quodcunque acciderit: ſive multas hyemes Jupiter largiatur: ſive poſtremam det hanc, *quæ modo Etruſcum pelagus frangit objectis rupibus. Sapiens ſis. Vina fundas: ac limite anguſto ſpem longam reſcindas. En dum fabulamur ævum præterit invidum.*

ANNOTATIONES.

Arithmetica ſæpe uſurpatur pro Aſtrologia (ut vocant) Judiciariâ, Lactant. *Arithmetici, quos Mathematicos dicimus, quorum in numeris eſt tota doctrina, &c.* Auſon.

Tu cæli numerus & conſcia ſidera fati
Callebas.——

Ut melius quicquid erit, pati.] Quanta hic apud Interpretes diſſenſio? Alii jungunt iſta cum voce, *ſapias*; quæ vero intermedia ſunt, parentheſi includunt. Alii ſenſum finiunt voce *pati*; explicantque ſic: cum melius ſit, vel tanquam melius ſit pati conſtanter quicquid evenerit, quam animum diſtorquere, anxie quæ ſint eventura inquirendo. Alii, *ut melius* interpretantur; Quam, vel quanto melius æquo animo ferre quicquid acciderit!

4. *Seu plures hyemes, &c.*] Gratis profecto ſe diſcruciant aliqui, ut oſtendant vocem, *hyemes*, priori loco poni pro toto anno: poſteriori vero pro tempeſtate hyemali: quandoquidem ſatis patet, quid velit Horatius.

5. *Quæ nunc oppoſitis, &c.*] Synecd. id eſt, qua fluctus Tyrrheni maris hyeme, ut fit, procellis agitati ad rupes alliduntur, *debilitantur*, franguntur. Quidem legunt *qui*, & referunt ad vocem, *Jupiter*. Sed vulgata lectio præferenda videtur doctiſſimis.

Pumicibus.] Pumex lapis eſt ſpongioſus, aſper, foramine multiplici pertuſus, cavus, cavernoſus, unde ab Ovid. *multicavus*, à Virg. Æneid. 5. v. 214. & 12. v. 587. *latibroſus* dicitur. De iſto lapidum genere Plin. lib. 36. c. 21.

Mare Tyrrhenum.] Thuſcum, Inferum, quod pars eſt maris Mediterranei: id vero nominis ei dedit Tyrrhenus Atyos Lydiæ regis filius, poſtquam ad vicinas terras cum coloniâ appuliſſet, Tuſciam nempe, ibique ſedem fixiſſet.

6. *Sapias.*] Explicant nonnulli: ſi ſapias ſcilicet utere vitâ, genio indulge, vina bibe quam optima, liquata, &c. Priſcian. l. 18. c. 3.

Vina liques.] Vel ſimpliciter, vina bibas, ac veluti per guttur coles. Vel potius, hilaritatis cauſa ſatage, ut pares tibi vina ſacco percolata, defæcata, dulcia ſic effecta, adeoque naturæ & palato muliebri accommodatiora. Veteres nempe, muſtum priuſquam ferbuiſſet, per ſaccum toties colabant ut defæcaretur: atque ſic adempta, quæ vini vim alit augetque, fæce, liquidius, imbecillius, lenius, ac dulcius reddebant vinum, potuique jucundius. Hinc vocatur Theophraſt. l. 6. c. 24. ἄθικον, *caſtratum*, quod nempe ſparteis eſt ſaccis colatum. Cæl. Rhodig. l. 28. c. 26. *Eunuchum & effœminatum*, ex Plutarcho mox citando, *quia percolatio illa vini nervos excidit, ac genuinum reſtinguit calorem: mollius autem facit ad gulæ curioſitatem: hoc veluti ſophiſmate invento & excogitato, ut perdendo nati vino plurimum valeant ingurgitare.* Plin. l. 14. c. 22. *ut plus capiamus vini, ſacco frangimus vires: & alia irritamenta excogitantur.* l. 19. c. 4. *Ferendum ſane fuerit . . . . inveterari vina, ſaccisque caſtrari*: al. *caſtigari*. lib. 23. cap. 1. *Ultiſſimum vinum omnibus ſacco viribus fractis.* Plutarch. Sympoſ. ſive Convival. Queſt. lib. 6. Probl. 7. ait. *Exoleſcere vinum, cum tam crebro diffunditur, eſſeque ad bibacitatem commentum ejuſmodi percolationem: detrahi vino firmitatem relicto blandimento, vi illâ quæ mentem ſolicitat & infeſtat ejectâ et excluſâ; ipſum vero jucundius effici: neque ſicut à ferro acumine decuſſo; ſed potius velut rubigine & ſordibus deterſis. Quippe defæcatio illa vini vim, quæ caput tentat, detrahit, atque ad ſtatum redigit mitem & ſalubrem.*

Spatio brevi Spem longam reſeces.] Quanto brevius eſt vitæ noſtræ ſpatium, tanto reſecandæ ſpes longæ: minus expectandum, minus fidendum futuro; neque adeo differendum carpere præſentes lætandi occaſiones. Od. 4. ſupra.

Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare
longam.

7. *Dum loquimur fugerit invida Ætas.*] Legunt alii, *Diffugit invida ætas.* Dum enim ſic elabitur & nos quaſi fugit, nobis videtur invidere uſuram præſentis temporis. Juvenal. Sat. 9. v. 126.

——*Feſtinat enim decurrere velox*
Floſculus anguſtæ, miſeræque breviſſima vitæ
Portio: dum bibimus, dum ſerta, unguenta,
puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.

Perſ. Sat. 5. 153.

Vive memor lethi: fugit hora. Hoc quod
loquor inde eſt.

Ætas:

Ergo *diem* hodiernum, *ſequenti minime confiſa, arripe.*

Ætas: carpe diem, quàm minimùm credula poſtero.

ANNOTATIONES.

8. *Carpe diem*] Utere præſenti tempore, in diem vive, fruere deliciis & voluptatibus, cum licet, & dum vita ſtat: nihilque tibi pollicere de futuro. Epicurea cohortatio; ut notant volgo, quæ quidem frequens paſſim apud Horatium. Vide Sapient. cap. 2. ubi ſic impii loquuntur: *Fruamur bonis quæ ſunt, tanquam in juventute celeriter: pretioſo vino & unguentis nos impleamus, ut non prætereat nos flos temporis: coronemur roſis, antequam mareſcant.* Martial.——*Fugitivaque gaudia carpe.* Perſ. mox cit. loco.

——*Carpamus dulcia.*

Multo vero ſapientius Seneca ad Lucil. Epiſt. 62. *Id ago, ut mihi inſtar totius vitæ ſic dies quiſque. Nec mehercule tanquam ultimum rapio: ſed illum ſic aſpicio, tanquam eſſe vel ultimus poſſit. Ante ſenectutem curavi, ut bene viverem: in ſenectute, ut bene morerer: bene autem mori, eſt libenter mori.*

ODE XII. Ad AUGUSTUM.

Deos & Heroas primum, dein Auguſtum laudat.

O Clio, quem virum, aut heroem, quem Deum ſuſcipies laudare cytharâ, vel acutâ fiſtulâ? Eccujus laudes reſonabit ſimilitudo ludicra?

QUem virum, aut heroa, lyrâ vel acri [49]
Tibiâ ſumes celebrare, Clio?
Quem Deum? Cujus recinet jocoſa
Nomen imago?

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra, Od. 2.

1. *Quem virum.*] Plena eſt artis & elegantiarum hæc Ode: artis quidem eo plus habet, quo apparet minus; elegantias autem, lepores, ac veneres affatim agglomerat. Figuris lucet, varietate diſtinguitur, rerum atque verborum copia & pulchritudine dives eſt; mirâ inſuper ſuavitate conditur. Fingit Horatius œſtro ſe correptum poetico, dignum ardore hoc divino argumentum quærere. Hinc Auguſti grave texit elogium ex conglobatâ veluti artificioſâ comparatione. Quanquam enim Diis, Semideis, ac viris illuſtribus ſuas laudes non negat, collineat tamen ac recidit eo tandem, ut Auguſtum quaſi Jovem alterum conſtituat. Simile adulationis genus in eundem Auguſtum habet Virgilius Georgic. initio, & in fine libri primi. Huc etiam facit quod ex Dione lib. 15. afferunt; nimirum poſt Actiacam victoriam, decretum à Senatu fuiſſe, ut in Hymnis ſolemnibus Auguſti mentio fieret honorifica, perinde ac Deorum immortalium. Eſt igitur Hymnus hic de genere eorum, qui diebus feſtis ac profeſtis cani ſolebant inter epulas, ad tibiam lyramve, teſte Horatio lib. 4. Od. 15. Vide ibi Annot.

1. *Quem virum, aut heroa, &c.*] Contra Pindarus Olymp. Od. 2. *Quem Deum, quem heroa, quem virum celebrabo?* uter melior? lector erudite judica. Mihi quidem potior videatur gradatio Horatii ab homine ad heroas ac Deos, quam deſcenſus ille Pindari ab immortalibus ad mortales.

Lyrâ vel acri Tibiâ.] Lyram cum tibiâ jungere amabant veteres, illâ dulciori ſonum hujus acriorem bene temperante. Alii ſic explicant; carmine Lyrico ſuavi & moderato, Diis ac heroibus canendis idoneo: vel Epico graviori, ſublimiorique, bellicis virorum nobilium facinoribus referendis accommodato. Vide Epiſt. ad Piſones. v. 37. & 83.

2. *Clio.*] Hanc è Muſis apte invocat, quippe quæ præſit laudationi virorum illuſtrium; quibus & celebritatem nominis & immortalitatem conferre dicitur, κλείω, *laudo, celebrem reddo*: κλέος & κλεῖος, *fama, nominis ſplendor.* Virgil. de Muſis.

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit.

3. *Cujus recinet jocoſa Nomen imago.*] Cujus laudes nobis decantatas repetet Echo, quæ eſt vocis imitatio? Adeoque imago dicta, quaſi imitatio. Vide infra, Od. 20. eandem locutionem ibi fuſius explicatam. Quam tamen auctoritate propriâ Scaliger pervertit, legens, *Vetuſta nomen imago*: quo enimvero ſenſu? Qua autem ratione fiat Echo, ſic Plinius exponit lib. 2. cap. 44. *Montium flexus, crebrique vertices, & conflexa cubito, aut anfracta in humeros juga, vallium ſinus concavi, ſcindunt inæqualiter inde reſultantem aera: quæ cauſa etiam voces multis in locis reciprocat facit.*

Aut

Aut in umbroſis Heliconis oris, [50]
Aut ſuper Pindo, gelidóve in Hæmo?
Unde vocalem temere inſecutæ
Orphea ſylvæ,
Arte maternâ rapidos morantem
Fluminum lapſus, celeréſque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius dicam ſolitis parentis
Laudibus; qui res hominum ac Deorum,
Qui mare & terras, variiſque mundum
Temperat horis?
Unde nil majus generatur ipſo;
Nec viget quicquam ſimile, aut ſecundum:
Proximos illi tamen occupavit [51]
Pallas honores.
Prœliis audax, neque te ſilebo,
Liber, & ſævis inimica virgo
Belluis: nec te metuende certâ,
Phœbe, ſagittâ.

ſeu in regione umbriferâ Heliconis, ſeu in Pindo, ſeu in Hæmo frigido? Hinc ſylvæ ſecutæ ſunt canentem Orpheum, matris arte retardantem præcipites fluviorum curſus, veloceſque ventos, atque ſuavem auritas quercus trahere chordis ſonantibus. Quid te ò ante canem quam *præcoria conſueta patris, qui res mortalium* & [illegible]*talium, qui mare terraſq*[illegible] *& orbem diverſis temporibus moderatur? Quare nihil ipſo majus oritur:* imò *neque par quidpiam, vel proximum valet! Attamen Pallas obtinuit ſequentem gradum. Nec tacebo te, Bacche, certaminibus ſtrenuè:* neque te, *virgo feris crudelibus infeſta: neque te Apollo, telis ineluctabilibus formidande.*

ANNOTATIONES.

5\. *Umbroſis Heliconis oris, &c.*] Tres montes Apollini Muſiſque ſacros nominat: Heliconem in Bœotiâ, Pindum in Arcadiâ, Hæmum in Thraciâ.

7\. *Unde vocalem, &c.*] Ex Hæmo Thracem Orpheum ſilvæ ſecutæ ſunt dulcedine cantus velut animatæ: *temere*, id eſt, facile & ſine cunctatione; vel confuſè per devia & invia Nota lippis & tonſoribus fabula. Vide Epiſt. ad Piſones, v. 91. *Vocalem.*] id eſt, canorum, vel, voce pariter & lyrâ canentem.

9\. *Arte materna.*] Muſicâ & ſuavitate vocis, ad quam formatus a matre Calliope Orpheus.

11\. *Blandum & auritas, &c.*] Tam blande canentem, ut arbores duceret, haud ſecus ac ſi auritæ & animatæ fuiſſent illæ.

13\. *Quid prius dicam ſolitis parentis, &c.*] Legunt aliqui, *parentum*; hoc ſenſu. Quid prius dicam quam eas Jovis laudes, quas majores noſtri ſolent dicere. Alii melius *parentis*, id eſt, quid prius aut potius referam, quam notas omnibus ac paſſim celebrari ſolitas laudes Jovis omnium *parentis*, qui res æque Deorum ac mortalium curat, regit, moderatur?

15\. *Variiſque mundum Temperat horis.*] Variis tempeſtatibus, vere, æſtate, autumno, hyeme: calorem frigore, frigus calore temperat.

17\. *Unde nil majus, &c.*] Alii interpretantur: a quo Jove utpote optimo maximo nihil ipſo majus gignitur. Alii, *unde*, id eſt, quapropter.

18\. *Simile aut ſecundum*] Par & proxime accedens: æque magnum ac potens.

19\. *Proximos illi tamen, &c.*] Non. Marcel. *Proximum dicebant veteres, non ſolum adhærens & adjunctum: verum etiam longe remotum, ſi tamen inter duo diſcreta nihil medium extitiſſet.* Virgil. Æneid. 5. 320.

Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,
Inſequitur Salius.

Tull. in Bruto: *Luc. Philippus Antonio proximus accedebat, ſed longo tamen intervallo proximus.* Pallas honores occupat Jovi proximos, quippe nata ex illius cerebro. Alii volunt ſpectari ab Horatio, quod in Jovis Capitolini templo cellæ tres erant, quarum media Jovis, dextra Minervæ, ſiniſtra Junonis: unde Pallas ante Junonem poni ſoleat. Varro 4. de Ling. Lat.

21\. *Prœliis audax, neque te ſilebo, Liber.*] Quòd curis liberet animum Bacchus, liber dictus: vel quòd devictis hoſtibus ſe ſuoſque aſſeruit in libertatem. De bellicâ ejus virtute ac prœliis vide Diod. Sic. l. 5. item infra l. 2. Od. 19.

22\. *Et ſævis inimica virgo Belluis.*] Diana venatrix, eodem cum Apolline partu edita, Jovis filia, nemorum ac ſylvarum Dea, arcu & ſagittis feras ſectari aſſueta.

23\. *Nec te metuende certa, Phœbe, ſagitta.*] Arcu enim et ſagittis valere, præſertim ob Nioben cum filiis interfectam, ſemper creditus Apollo. Dictus autem Phœbus, quaſi φῶς βίου, *lux vitæ*.

Canam etiam Herculem, nec non filios Ledæ, alterum equis, alterum pugnis illuſtrem; quorum ſidus candidum ubi primùm nautis illuxit, ſtatim *concitata unda ſcopulis decidit, quieſcunt venti, nubila evaneſcunt, & maris irati ſubſidunt fluctus, quoniam ita juſſere. Poſt iſtos* quem *potiſſimum referam, ambigo; Romulumne, an tranquillum Numæ imperium, an Tranquinii regnum potens, an mortem Catonis glorioſam?* Certè *Regulum & Scauros, & Paulum,*

Dicam & Alciden, pueróſque Ledæ;
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor;
Concidunt venti, fugiúntque nubes, [52]
Et minax (quòd ſic voluere) ponto
Unda recumbit.
Romulum poſt hos priùs, an quietum
Pompilî regnum memorem, an ſuperbos
Tarquinî faſces, dubito, an Catonis
Nobile lethum.
Regulum, et Scauros, animæque magnæ.

ANNOTATIONES.

25. *Alciden.*] Hercules ita dictus, ſeu quod eſſet Alcei nepos; ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, *a robore.*

Puerosque Ledæ.] Caſtorem & Pollucem, alium equeſtri, alium pedeſtri inclytum pugnâ. Ovid. Faſt. 5. 700.

Tyndaridæ fratres; hic eques, ille pugil.

27. *Quorum ſimul alba nautis, &c.*] Vide Homeri Hymn. in Dioſcuros. Et ſupra Od. 3. v. 2. ad verba hæc; *Lucida ſidera:* Aiunt nempe Aſtrologi propitias ac ſalutarias eſſe ſtellas geminas, non ita vero ſolitarias.

29. *Defluit ſaxis agitatus humor.* Unda ſpumans jactata in ſcopulos & in altum ſublata defluit, cum primùm faventibus Caſtore & Polluce tempeſtas ſedatur. Vel, aqua per hyemem gelo concreta, & ſaxis adhærens, tum reſolvitur ac fluit, cum oriuntur Caſtor & Pollux, vere nimirum, & aſcendente Geminorum ſidere. Quidem interpretantur, *defluit*, fluere & agitari deſinit aqua maris, ante in rupes illiſa per impulſionem ventorum, & concitationem fluctuum.

31. *Quod ſic voluere.*] Pro ſuâ poteſtate, atque benigno favore in navigantes ſic juſſere placari omnia ante naufragium minitantia. Legunt alii, *Dii voluere*, nempe Caſtor & Pollux: quibus cum placuit, redit ſerenitas, & maris agitatio plane ceſſat.

33. *Romulum poſt hos.*] Poſt Deos ac Semideos, Romæ Romanique Imperii conditorem in primis celebrare eſt æquum.

Quietum Pompilî regnum.] Numam deinde laudat, ſecundum Romanorum regem, qui mitigandum ferocem populum armorum deſuetudine ratus, Jani templum clauſit, novamque civitatem vi & armis conditam, jure ac legibus, moribuſque de integro condere aggreſſus, quieta fecit omnia, & Rempublicam religione juſtitiâque firmavit. Tit. Liv. l. 1. c. 18. & ſeq. Flor. &c.

34. *Superbos Tarquinî faſces.*] Ambitioſam dominationem Tarquinii, non Superbi (is enim indignus Hymno celebrari) ſed Priſci, qui bello ſtrenuus Imperium Romanum devictis finitimis populis auxit; circo, ludis, faſcibus, aliiſque inſignibus decoravit. Flor. lib. 1. cap. 5. Tit. Liv. lib. 1. cap. 35. *Tarquinium Priſcum virum cætera egregium, ſecuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem, ambitio eſt.* Quidam non abſurdè intelligunt Junium Brutum, qui faſces Tarquiniis pulſis ereptos ſplendide geſtavit ac tenuit. Virg. Æn. 6. 817.

Vis & Tarquinios reges, animamque ſuperbam
Ultoris Bruti, faſceſque videre receptos?

35. *Catonis Nobile lethum.*] De eo Cæſar dixiſſe fertur: *Invideo morti tuæ, Cato: nam & tu gloriæ meæ invidiſti.* Nimirum ille ad Uticam obſeſſus, Pompeianas partes aſpiciens victas, propriâ manu ſe peremit, poſtquam bis legiſſet Platonis librum de Animâ, inquiunt: *ac, ne Tyrannum videret*, ut ait Cicero Offic. 1. Vide Appian. Plut. Dion. &c. S. Aug. de Civ. lib. 19. cap. 3. mortem Catonis indignam laude aſſerit, ut qui Cæſarianæ de Pompeii victoriæ impatientiâ, violentas ſibi manus intulerit.

37. *Regulum.*] Hujus egregia virtus poſtea fusè laudatur, lib. 3. Od. 5. Vide & Cic. 1. & 3. de Offic. & in Piſonem n. 43. ſic habet: *Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienſes reſectis palpebris, illigatum in machinâ vigilando necaverunt, ſupplicio videtur affectus.*

Scauros.] Horum familia conſulari dignitate illuſtris & clara virtus extitit in adminiſtrandâ Republicâ. Ex illis M. Scaurus a Q. Vario Hiſpano accuſatus eſt, quod Socios ad arma concitâſſet. Ita ſe vero ille conſtantiâ plenus & gravitate defendiſſe fertur: Q. Varius Hiſpanus M. Scaurum Princeps Senatus arguit ſocios ad arma concitâſſe: M. Scaurus Princeps Senatus negat: teſtis nemo: Utri vos, Quirites, credere debetis? Quibus quidem auditis abſolutus eſt. Vide Val. Max. l. 3. c. 7. n. 8. Plin. l. 36. c. 15. &c.

Prodigum

Prodigum Paulum, ſuperante Pœno, [53]
Gratus inſigni referam Camœnâ,
Fabriciúmque.
Hunc, & incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit, et Camillum [54]
Sæva paupertas, et avitus apto
Cum lare fundus.

generoſæ vitæ liberalem, victore Carthaginienſi; quin & Fabricium beneficii *memor celebrabo verſibus magnificis. Hunc & Curium impexis crinibus bello idoneum pariter & Camillum produxit inopia durior, & patrius agellus cum domo convenienle.*

ANNOTATIONES.

Animæque magnæ Prodigum Paulum.] L. Æmilium Paulum, qui nullum periculi genus pro Republicâ detrectavit; & ſi non habuiſſet Collegam Terentium Varronem, aut plus certaminis cum ipſo ſuo Collegâ, quam cum Annibale, (ut ait Q. Fabius Maximus apud Liv. l. 22. c. 39. non majori quidem animo, at certe majori felicitate, meliorique exitu ad Cannas pugnâſſet. Verum, ut eſt apud eundem Liv. eod. lib. c. 43 *Ad nobilitandas clade Rom. Cannas urgente fato profecti ..... dum altercationibus magis, quam conſiliis tempus teritur*, miſerè ibidem cæſi, pulſi, fugatique ſunt: atque Paulus *unus inſons* tam horrendæ cladis interiit, ut recte teſtatur Ch. Lentulus, cit. mox lib. cap. 49.

38. *Superante Pœno.*] Annibal certe nuſquam magis inſigni de Romanis victoriâ exultare potuit: nam plus quadraginta Romanorum millia præter Socios, octoginta Senatores, aliique viri graves bene multi interciderunt. Vide cætera apud Livium loco cit. &c.

40. *Fabriciumque.*] Hic contra Pyrrhum regem miſſus, cum nec ab ipſo prius, quarta regni parte promiſſa ſolicitari potuiſſet; nec Pyrrhi medicum veneno regem tollere ſpondentem audire voluiſſet, imo perfidum illum catenis vinctum ad ſuum dominum remiſiſſet: juſtam hanc ab rege mirabundo laudem promeruit. *Ille eſt Fabricius: qui difficilius ab honeſtate quam Sol a ſuo curſu averti poſſet.* Aurel. Victor. Alia Fabricii elogia hauri e Plutarcho: Cic. 3. de Offic. Gell. l. 1. c. 14. Vide & ſeq. Annot.

41. *Hunc, & incomptis Curium capillis, &c.*] Virtutem paupertate educatam, ac celebrem factam, in tribus ſummis viris cum Horatio venerare, lector: in Fabricio, in Curtio, in Camillo. Hos enim vero *ſæva paupertas*, id eſt, magna frugalitas, tenuis admodum res familiaris; *fundulus*, ſeu pauca agri jugera ſibi ab *avis* relicta, *cum lare apto*, id eſt, pariter modico, *bello utiles* fecit. Nimirum victu aſpero indurati ad laborem, morum autem integritate ad virtutem omnem formati, egregiam Reipublicæ difficillimis temporibus operam navaverunt; non tam ſeæ quam publicæ utilitati ſtudentes: unde & ſummum laudem conſecuti ſunt.

Hunc.] Nempe C. Fabricium Luſcinum, ter Conſulem; de quo ante; & Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3. Is *honoribus & auctoritate omni cive temporibus ſuis major; cenſu vero par unicuique pauperrimo; decem æris & quinque pondo argenti, ſervoſque totidem ſibi miſſos a Samnitibus, quos univerſos in clientela habebat, in Samnium remiſit; continentiæ ſuæ beneficio ſine pecuniâ prædives; ſine uſu familiæ abunde comitatus: quia locupletem illum faciebat non multa poſſidere: ſed modica deſiderare. Ergo domus ejus ut ære & mancipiis vacua; ita gloria ex his contemptis parta referta fuit, &c.* Vide & ejuſdem Valer. lib. 2. cap. 9.

Curium.] *Curius Dentatus exactiſſima norma Romanæ frugalitatis, idemque fortitudinis perfectiſſimum ſpecimen, Samnitum legatis agreſti ſe ſcamno aſſidentem foco, atque ligneo catillo cœnantem (quales epulas apparatus indicio eſt) ſpectandum præbuit. Ille eorum divitias contempſit; paupertatem ejus Samnites mirati ſunt.* Offerentibus aurum reſpondit; *Malle ſe locupletibus imperare, quam ipſum fieri locupletem; & Curium nec acie vinci, nec pecuniâ corrumpi poſſe, &c.* quæ lege apud Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3. Vide & Aurelium Victorem de Viris illuſtribus à Cic. de Senectute, &c.

Incomptis Curium capillis.] Legunt quidam cum Quintiliano quidem l. 9. c. 3. *intonſis capillis:* ſcilicet priſcis temporibus nondum erant Romæ tonſores: & cultum negligebant maxime bellatores viri. Hoc quidem perinde ſignificatur per vocem *incomptis:* ſed non illud; quod ane ab Horatio ſpectari oportuit: ſic Ovid. Faſt. 2. 30.

Hoc apud intonſos non habebat avos.

Et Faſt. 4. 655. de Numa;

Bis caput intonſum fontanâ ſpargitur undâ.

Codices tamen fere omnes habent: *incomptis Curium capillis:* unde ab eâ lectione temere diſcendum non fuit.

42. *Camillum.*] M. Furius Camillus quinquies Dictator fuit, de Gallis bis triumphavit, Romamque jam ab his captam ſtrenue pugnando vindicavit. Ad annos octoginta Reipublicæ ſemper utilis vixit: hinc pater patriæ, alter Romulus ac urbis conditor meritus appellari. Vide Liv. lib. 5. &c.

Marcelli porrò *nomen augeſcit ſicut arbor ſecreto temporis* progreſſu. *At cæteros inter ſplendet aſtrum Julii, ut Luna inter minores ſtellas. O fil. Saturni* Jupiter, *humani generis auctor & conſervator, commiſſa tibi eſt* a *fatis ſummi Cæſaris tutela* : ergo *tu regna* primus; *Cæſar* autem ſit a te *ſecundus. Sive is Parthos Italiæ bellum inferentes legitimâ victoriâ fractos ſubegerit; ſive Seras Indoſque in orientali plagâ domuerit :*

Creſcit occulto velut arbor ævo
Fama Marcelli. Micat inter omnes
Julium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanæ pater atque cuſtos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæſaris fatis data : tu ſecundo
Cæſare regnes.
Ille ſeu Parthos Latio imminentes
Egerit juſto domitos triumpho,
Sive ſubjectos Orientis oris
Seras & Indos :

ANNOTATIONES.

45. *Creſcit occulto velut arbor ævo Fama Marcelli.*] Sicut arbor ſenſim ac nemine advertente creſcit, *occulto ævo*, labente clam tempore, progreſſu menſium & annorum, ita Marcelli fama indies augetur ac celebrior evadit. Eraſmus hunc locum ſic illuſtrat : *Solent præcoquia ſubito flacceſcere : ſed quòd paulatim accreſcit, durabile eſt. Unde Horatius Marcelli famam velut cum rore arborem ſurgentem celebrat.*

46. *Marcelli.*] Quis ille, non plane conſtat. Alii volunt M. Marcellum Octaviæ Auguſti ſororis filium, cui in Imperii ſucceſſorem adoptato ſuam ille filiam deſponderat Juliam. De eo Virgil. Æneid. 6. v. 861. & ſeq. & Seneca ad Marciam c. 2. Verum cum is admodum juvenis, ſolâ indole præclarâ nobilitatus obierit; quo pacto ejus fama creſcere indies ab Horatio dicitur? Itaque malim ego cum aliis intelligere M. Claudium Marcellum, quinquies Conſulem, qui Gallos Germanoſque debellavit, ipſumque Annibalem invictum antea vinci poſſe docuit : atque ab eo demum circumventus ac cæſus, etiam coli & obſervari meruit poſt mortem. Nam & honorifice cremandum Annibal curavit, ejuſque cineres urnâ argenteâ incluſos & coronâ aureâ decoratos ad ejus filium miſit. Plutarch. Tit. Liv. l. 29. & ſeq. Virg. Æn. 6 v. 855.

Micat inter omnes Julium ſidus.] Sueton. Jul. cap. 88. ita ſcribit : *In Deorum numerum relatus eſt, non ore modo decernentium, ſed & perſuaſione vulgi. Siquidem ludis, quos primo conſecratos ei hæres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa undecimam horam : creditumque eſt animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti : & hâc de cauſâ ſimulacbro ejus in vertice additur ſtella.* Idem refertur in Epiſtolis Auguſti. Virgil. Eclog. 9. 47.

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.

Vide & Plutarch. Dion. lib. 45. Senec. Quæſt. Natural. lib. 7. cap. 17. Plin. lib. 2. cap. 25. ubi Auguſti ipſius de crinito illo ſidere teſtimonium refert. Porro cometes ille Chriſti Servatoris noſtri natalem prænunciaſſe multo melius creditur.

49. *Gentis humanæ pater, &c.*] Præclare ad Auguſtum, quo totus tenebat, laudandum venit tandem, per Apoſtrophen ad Jovem, cui diviſum cum ipſo imperium aſſerit.

50. *Tibi cura magni Cæſaris fatis data.*] Duo nempe veteribus credita : primum Reges, Imperatores, Principes in tutelâ eſſe Jovis : alterum, fato ſic omnia decerni, gubernari, ſubeſſe, ut ipſi Dii fati legibus tenerentur.

51. *Tu ſecundo Cæſare regnes.*] Tu quidem ita ſupremum rerum omnium dominium habe, O Jupiter; ut Auguſtus a te ſecundus.

53. *Ille ſeu Parthos, &c.*] Sueton. Auguſt. c. 31. *Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile ceſſerunt : & ſigna militaria, quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerant, repoſcenti reddiderunt, obſideſque inſuper obtulerunt; denique pluribus quondam de regno concertantibus, non niſi ob ipſo electum comprobaverunt.* Vide & infra Od. 19. v. 12. Annot. Quoniam vero Parthos antea victoriis feroces, Romaniſque etiam terribiles, jam eo deduxerat Auguſti fama, ut ultro virtuti Romanæ obſervantiam deferrent, hinc bene ominatur Horatius, juſto eos triumpho aliquando profligandos.

55. *Sive ſubjectos Orientis oris Seras & Indos.*] Sive ille remotiſſimas nationes ſubegerit; vel *Seras*, vel *Indos*, de quibus, teſte Diodoro Siculo, ſolus triumphavit Bacchus.

56. *Seras.*] Seres interioris Æthiopiæ ſunt populi : ſunt etiam ex Oroſio citerioris Indiæ : ſunt & alii ad ortum extremi ultra Sinas, quorum regio Serica, nunc *Catay.* Metropolis autem Sera, ſerico opere celebres; de quibus Strabo, Ptolem. Ferrar. &c. Plin. lib. 6. c. 17. *Primi ſunt hominum qui noſcuntur Seres lanificio ſilvarum nobiles, perfuſam aqua depectentes frondium caniciem.* Ammian. Marcellin. *Seres,* inquit, *armorum*

Te minor latum reget æquus orbem ;
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parùm caſtis inimica mittes
Fulmina lucis.

[56] *Te quidem inferior juſtè gubernabit* ille hunc *orbem amplum, tu vero tremendo curru Cœlum concuties : tu infeſta in contaminatos lucos tonitrua vibrabis.*

ANNOTATIONES.

expertes . . . . nulli finitimorum moleſti . . . . . . Cœli apud eos jucunda ſalubriſque temperies ; aeris facies munda, ventorum commodiſſimus flatus, & abunde ſylvæ ſublucidæ : à quibus arborum fœtus aquarum aſperginibus crebris, velut quædam vellera molientes, ex lanugine & liquore mixtam ſubtilitatem tenerrimam pectunt, nenteſque ſubtegmina conficiunt ſericum ad uſum antehac nobilium, nunc etiam infimorum ſine ulla diſcretione proficiens. Ipſi præter cæteros frugaliſſimi, pacatioris vitæ cultores, &c.

Indos.] Horum regio India Aſiæ eſt ad ortum ampliſſima ab Indo fluvio dicta : Gange fluvio item rigatur, & ſcinditur media : ab Ortu Sinas habet, a Septentrione Tartariam, ab Occaſu Perſiam, ab Auſtro Oceanum Indicum. Parte Septentrionali, inter Gangem & Indum fluvios continetur hodie Imperium Magni Mogolis, in quo numerantur provinciæ triginta ſeptem ſatis amplæ.

57. *Te minor latum reget æquus orbem, &c.*] Senſus eſt : Auguſtus autem, ô Jupiter, ſic orbem hunc inferiorem, ita volentibus fatis, reget, ut ſe gerat ſemper minorem te, ſicut decet & æquum eſt. Et quanquam laudibus omnium jam effertur : *Et virtutis moderationiſque famâ Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam ſuam Populique Romani ultro per legatos petendam* ; (ex Sueton Octav. cap. 21.) quanquam Parthos etiam nominis ſui ſplendore ſimiliter perculit, eorumque ferociam ſine armis fregit : attamen ille ſeu novis indies triumphis augeatur, ſeu tot populos ſibi ſubjectos cernat, nunquam tamen animos ultra quam fas eſt ſuperbos tollet.

Latum.] Virgil. Æneid. 1, 282.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.

Legunt alii *lætum*, nimirum ob *æquitatem* Auguſti, qui jus ſumma lenitate pariter ac diligentia dixiſſe ſcribitur a Suetonio

58. *Tu gravi curru quaties Olympum.*] Tu in Cœlo regnabis, indeque tonitru in hæc infima, cum fueris ad juſtam provocatus iram, vibrabis. Nempe vulgus opinabatur e *curru* Jovis *cœlum quatiente* formari tonitrua, & *mitti fulmina*.

59. *Tu parum caſtis, &c.*] Quoniam luci Diis ſacri habebantur, hinc ſi aliquo ſcelere ac flagitio in iis perpetrato contaminati eſſent, Jovis excitari credebant furorem, & ſacrilegium vindicari, miſſo fulmine. Unde & ſatagebant expiare locum, & cæſis hoſtiis Numinis iram placare.

ODE XIII. Ad LYDIAM.

Zelotypum ſe pingit Horatius, ac rivalem ſuum vellicat.

CUM tu, Lydia, Telephi
Cervicem roſeam, & cerea Telephi
Laudas brachia, væ, meum

[57] *O Lydia, quando tu collaudas collum rubicundulum Telephi, & molles lacertos Telephi, væ, meum*

ANNOTATIONES.

* Ode eſt dicolos diſtrophos, ut tertia ſupra, *Sic te Diva, &c.*

1. *Cum tu, Lydia, Telephi, &c.*] Non caret arte repetitio vocis *Telephi*. Nam & qui amant, nunquam ſatis id loquuntur quod amant : & zelotypo illud idem eſt intolerabile. Lydia cervicem roſeam Telephi, iterumque cerea brachia Telephi laudare gaudet : at Horatio id ciet bilem, doletque quòd rivalem ſuum in ore frequentius habeat. Unde, cum præſentem convellere amorem nequeat, de futurâ ejus immutatione ſe conſolatur.

2. *Cervicem roſeam.*] Pulchram inſtar roſæ, & fragrantem ; vel roſei coloris : Scaliger hic Horatium graviter reprehendit, & *lacteam* dici oportuiſſe contendit, non *roſeam*. Verum quidni adoleſcens amore fervidus roſeâ cervice & rubicundulâ celebratur ? Virg. Æn. 1, 406,

——— *Roſea cervice refulſit.*

Cerea brachia.] Mollia, tenera, fortaſſe etiam candida, politula, nitida, puta, pura, formoſa inſtar imaginum cerearum, quæ ſine oſſibus, nervis, pelle, pilis. Vide Non. Marcel. in voce *putus*.

3. *Væ.*] Interjectio dolorem indicans atque indignationem. Sunt qui legant, *væ*, *val*, id eſt, *certe*, *hercle*.

Fervens difficili bile tumet jecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certâ ſede manet: humor et in genas [55]
Furtim labitur, arguens
Quàm lentis penitus maceter ignibus.
Uror, ſeu tibi candidos
Turpàrunt humeros immodicæ mero
Rixæ; ſive puer furens
Impreſſit memorem dente labris notam.
Non, ſi me ſatis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbarè
Lædentem oſcula, quæ Venus
Quintâ parte ſui nectaris imbuit.

hepar turgeſcit acri cholerâ inflammatum. Tum neque animus mihi, neque color ſtatu firmo manent: lachrymæ clam decidunt in malas, patefacientes quantum intus abſumar flammis ſecretis. Efferveſco, ſive jurgia ex vino immoderata deformârunt alba tibi ſcapulas: ſive juvenis inſaniens memorem cicatricem labellis tuis dente inuſſit. O ſi mihi ſat auſculte, ne expecta conſtantem cum fore, qui *immaniter vulnerat baſia ſuaviſſima; quibus indulſit Venus quintum ſuæ dulcedinis gradum.*

ANNOTATIONES.

4. *Bile tumet jecur.*] Intumeſcit fellis receptaculum jecori annexum. In felle ira, in jecore amor ac libido, in ſplene riſus, in corde pientia apud priores reſident. At Horatius modo libidinem in jecore ſtatuit, ut lib. 4. Od. 1. v. 12.

Si torrere jecur quæris idoneum.

Aliàs iracundiam, ut hic: pariter & Juvenalis Sat. 1. v. 45.

Quid referam quantâ ſiccum jecur ardeat ira?

Secuti videntur Archilochum χόλην οὐκ ἔχεις ἐφ' ἥπατος. *Bilem non habes in hepate.* Apud Athen. lib. 3. cap. 24.

5. *Tunc nec mens mihi, nec color, &c.*] Variis ſe perturbationibus agitari indicat, pudore, timore, ira. Opportune Macrob. lib. 7. cap. 11. *Natura, cum quid ei occurrit honeſto pudore dignum, imum petendo penetrat ſanguinem, quo commoto atque diffuſo, cutis tingitur, indeque naſcitur rubor . . . . quum extrinſecus contingit. Ad hoc animoſo natura occurſu feſtinat, quam ſanguis comitando, quaſi alacritate integritatis ſuæ competem, tingit cutem; & inde ſimilis color naſcitur. Contra qui metuunt, palleſcunt. Natura enim, cum quid de extrinſecus contingentibus metuit, in altum tota demergitur, ſicut nos quoque, cum timemus, latebras quærimus. Sic natura tota deſcendens, ut lateat, trahit ſecum ſanguinem. Hoc vero demerſo, humor dilutior cuti remanet, & inde palleſcit, &c,*

7. *Furtim labitur.*] Invito mihi excidunt lachrymæ propter vim indignationis & zelotypiæ. Hanc deſcribit Tullius Tuſcul. 4. n. 28. *Ægritudinem ex eo quod alter potiatur eo, quod ipſe concupierit.*

8. *Macerer.*] Porphyrio legit, *Concremer.*

9. *Uror, ſeu tibi candidos, &c.*] Dolore gravi afficior, cum video te mihi adamatam vexari crudeliter, atque ictibus laniari ab juvene temulento, & poſt epotum vinum petulco, ſine modo laſcivienti, ruſtice jurganti, imo dure ac barbare te molliculam tractanti. Horatius nempe ut Lydiam demereatur, ſuum ei tenerum exponit amorem, qui ejus cruciatus perſentiat, illumque opponit ſævæ rivalis libidini, quæ, ut ſe expleat, amicæ haud parcit: ſicque Telephum in invidiam adducere conatur. Hinc & maligne interpretatur comeſſationes illas, necnon morſiunculas amatorias; ac velut diras plagas truceſque ac belluinos morſus traducit, ut Lydiam a Telepho quacumque ratione abſtrahat.

11. *Sive puer furens, &c.*] Sive Telephus effrœnatâ & impotenti abreptus libidine, ac prope furioſus momordit labia tua, ad relinquendam qualemcunque ſui memoriam, in crudeli etiam cicatrice. Cic. act. 7. in Verrem, n. 32. *Metuendum . . . . ne excitetur Verres, ne denudetur a pectore, ne populus Romanus aſpiciat cicatrices ex mulierum morſu, veſtigia libidinis atque nequitiæ.*

13. *Non Speres perpetuum.*] Si mihi credis, Lydia, ne perpetuum tui amatorem ſpera illum fore, qui ſic abutitur amore tuo, ut oſculando vulnera infligat, œſtro velut percitus. Nam, ut aiunt, *Omne violentum non eſt durabile.*

16. *Quintâ parte ſui nectaris.*] Miſſâ plurium interpretatione in putidis & obſcœnis plus æquo ſagacium, ego cum paucis ſentio, & *oſcula quæ Venus quinta parte ſui nectaris imbuit*, intelligo valde fragrantia, nectaris inſtar ſuavia. Eo fere modo apud Athen. lib. 2. cap. 3. ſub finem, Ibycus, ut ſignificet mel eſſe dulciſſimum, ait, mel nonam eſſe partem ambroſiæ: id eſt, habere nonam partem ſuavitatis qua eſt in ambroſia.

Felices

Felices ter et ampliùs [59]
Quos irrupta tenet copula; nec malis
Divulſus querimoniis,
Supremâ citius ſolvet amor die.

O ter & plus beati, quos nectit ſtabilis conjunctio, nec amor improbis querelis diviſus ſeparabit ante diem ultimam.

ANNOTATIONES.

17. *Felices ter, &c.*] Sic denique tentat Horatius expugnare Lydiæ amorem, dicens longe feliciorem eam fore, ſi ſe Horatium conſtanter amaturum præferat Telepho nunc ardenter quidem ſed ad tempus duntaxat amanti.

18. *Malis Divulſus querimoniis.*] Bonæ ſunt in amore querimoniæ, ob abſentiam, ob deſiderium: malæ vero ob inconſtantiam, mutationem, ac fidem fractam.

20. *Supremâ citius ſolvet, &c.*] Non ante deſinam te amare, Lydia, ſi me ames, quam deſiero vivere, inquit Horatius: imo, ut ait ipſe in perſonâ Lydiæ, Ode 9. lib. 3.

Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

ODE XIV.

Non eſſe redintegrandum civile bellum.

O Navis, referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? fortiter occupa [60]
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus,

O navis, novi fluctus in mare te reducent. O quid facis? Firmiter portum tene. Annon cernis, quòd latus tuum eſt *remis deſtitutum:*

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod ſupra Od. 5.

Non pauca ex Alcæo imitatus eſt Horatius in hac Ode, quam fere omnes allegoricam agnoſcunt totam, ipſeque Quintilian. lib. 8. c. 6. In eâ certe plurima dicuntur figuris ac tropis involuta, quæ aperte nequaquam dici fas fuiſſet: vel rempublicam, vel Brutum, vel Sextum Pompeium alloquitur, dehortaturque a reparandis civilibus tumultibus, quibus velut novis procellis non niſi ingenti ſuo malo Reſpublica concutienda ſit.

Porro ſic interpretari ſingula nobis licet.

Navis, eſt Reſpublica Romana: *mare*, civile bellum: *fluctus*, diſcordiæ ac tumultus: *portus*, pax; *nudum remigio latus*, Caſſius cum ſiniſtro cornu, cui præerat, militibus cæſis ac fugatis, fractus: *malus Africo ſaucius*, Magnus Pompeius a Ptolemæo Ægypti rege, nefariè obtruncatus: *antennæ gementes*, Senatores aliique Principes Pompei fatum dolentes: *carina ſine funibus*, ærarium ſine pecuniâ, quæ nervus belli eſt: *lintea non integra*, vexilla & legiones diſſipatæ: *æquora Cycladas nitentes interfuſa*, quæ caveri atque evitari debeant; quorundam potentium occulta ambitio, invidiaque alienæ gloriæ: Quippe hi ſæpe ſpecioſo publicæ utilitatis prætexto, rebus ſuis ſtudent: atque ut militaria imperia, dignitates ac magiſtratus captent, pacem impediunt, turbas fovent, populis illudunt, perniciem civium moliuntur.

1. *Navis.*] Bruti pars intelligi poteſt, ſicut Pompeianæ partes navi deſignantur apud Cic. lib. 2. Epiſt. 5. & lib. 12. Epiſt. 25.

Novi Fluctus.] Primum civile bellum exarſit Cæſarem inter & Magnum Pompeium: alterum inter Auguſtum Antoniumque, & Cæſaris percuſſores Caſſium & Brutum: tertium inter Sextum Pompeium, Magni filium, & Auguſtum; de quibus vide Appian. lib. 4. Plutarch. &c.

2. *O quid agis?*] Nempe Antonio hoſte Patriæ judicato, literiſque per ſenatum datis ad Julii Cæſaris interfectores de recuperandâ libertate, quid aliud quam incenditur grave bellum, ac Romanum peſſundatur Imperium?

Fortiter occupa Portum.] Una ſalutis ratio eſt, compone pacem cum Octav. Auguſto, cui niſi ſummam deferas rerum, nunquam ſane conquieſces. Conjecturam audaciorem quorundam retundere videtur iſte locus. Nec eſt quod aut Muretus Quintiliano dormitationem ita objiciat, aut Faber Critic. Epiſt. 54. alterque ei adſtipulatus ſibi plaudant & acclament velut invento Api, exultantes, εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Enim vero ſi, quod volunt illi, citra metaphoram aut allegoriam ſcribat ad eam navim, quâ ſui amici iratum Auguſtum metuente fugere properabant, ſique hac Ode ſecundam ei navigationem precatur, non ſecus ac navi Athenas Virgilium tranſvehenti, Od. 3. quo ſenſu diceret hic; *fortiter occupa portum?* Imo vero debuiſſet inclamare ad immorantes, *Solvite protinus*; ad navim autem; *Portum hunc cito deſere non tutum: ſtatione male fida ſtatim cede, in qua periculoſius quam in alto mari verſabere.*

& malus auſtro præcipiti labefactus: atque antennæ ſtrideant, & vix carina ſine rudentibus valeat ſuſtinere mare violentius? Non adſunt tibi vela ſalva; neque Numina, quæ invoces rurſus ærumnis obruta; licet Ponti ſis pinus orta è ſilva celebri, atque originem oſtentes, variamque famam. Nauta meticuloſus haud confidit pictæ puppi. Tibi proſpice, niſi ventis in jocum es deſtinata. Tu quæ mihi nuper moleſtum creabas tædium,

Et malus celeri ſaucius Africo,
Antennæque gemant? ac ſine funibus
Vix durare carinæ
Poſſint imperioſius
  Æquor? non tibi ſunt integra lintea;
Non Dii, quos iterum preſſa voces malo;
Quamvis Pontica pinus,
Silvæ filia nobilis,
  Jactes & genus, & nomen inutile.
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu, niſi ventis
Debes ludibrium, cave.
  Nuper ſollicitum quæ mihi tædium,

ANNOTATIONES.

5. *Africo.*] Vento Meridionali, de quo Virg. Æneid. 1. v. 89.

——Creberque procellis
Africus.

6. *Antennæque gemant.*] Fracto navis malo, dependentes ex eo antennæ concidant neceſſe eſt; ſic & Senatores ac Proceres, qui adhæſerant Pompeio, eo quidem ſublato gemunt ac dilabuntur. Hi certe alii in alias diffluxere provincias, ex Appiano cit. loc. *Antennæ*, trabs in ſummo navis malo tranſverſa, cui velum alligatur.

8. *Imperioſius Æquor.*] Virtutem ac fortunam Auguſti manifeſte prævalentes.

10. *Non Dii quos iterum preſſa voces.*] Cum enim fatis deſtinatum Auguſto videatur orbis Imperium, tibi contra fata pugnanti non aderunt aut favebunt Dii. Adde quod *fruſtra Neptunum invocat. qui ſecundum patitur naufragium.*

Dii.] Caſtor & Pollux, Apollo, Minerva, aut quilibet alius, ſolebat eſſe & vocari tutela & inſigne navis: & ſacrarium in puppi collocabatur, vel in prorâ. Act. Apoſt. cap. 28. ſcribitur navigare Paulus Alexandrinâ quâdam navi, cujus inſigne Dioſcuri. Perſ. Sat. 6. 29.

Jacet ipſe in littore, & una
Ingentes de puppe Dii.

Quidam ſic interpretantur locum hunc: *Tibi non ſunt Dii, quos iterum preſſa voces malo:* jam Pompeius occidit, Caſſius periit, divini illi libertatis vindices: quid tentes ultra?

11. *Quamvis Pontica pinus, &c.*] Sicut adverſus tempeſtatem ſævam parum valet nobilitas arborum e quibus compacta eſt navis, minime quoque picta & ornata puppis: ſic a naufragii periculo nequaquam eximit Rempublicam contentionibus laceram, aut ipſius fama quantumlibet celebris, aut Ducis exercitus generoſitas. Hæc enim quid juvant? præſertim ſi deſint præſidia ſat firma; ærarium locuples, &c.

13. *Silvæ filia nobilis.*] In Ponti regione multiplex erat ſilva, egregiæque arbores fabricandis navibus idoneæ.

14. *Nil pictis timidus navita puppibus Fidit.*] Ne ſplendori tui nominis fide, O Reſpublica Romana, vel origini præclaræ: neque tu, Brute, aut ingenitæ nobilitati, aut propriæ exiſtimationi. Sunt enim hæc vana præſidia ac firmamenta.

Timidus navita. Ne cum Scaligero putes legendum, *tumidus.* Eſt enim *timidus* epitheton nautis ſemper conveniens, & hic maxime. Sic enim ſignificatur nauta prudenter metuens omnia ab infido mari, ab inſtabilibus ventis, a repentinis tempeſtatibus, cum præſertim vehitur navi jam debilitatâ.

15. *Niſi ventis Debes ludibrium.*] A bello deſine, niſi vis fortunæ jocantis, aut Martis communis, aut etiam fatorum ludibrium eſſe.

17. *Nuper ſollicitum quæ mihi tædium, &c.*] Militaverat Horatius ſub Caſſio & Bruto; poſtea tamen Auguſto victori conciliatus veniam obtinuerat: hæc autem ſcripſiſſe fertur poſt Caſſium cæſum, & antequam Brutus adverſus Auguſtum belli aleam experiretur. Ait ergo: O publica ſalus, quæ tædium mihi tunc præbuiſti ob diuturnitatem diſcordiarum ac militiæ labores: nunc autem ſolicitudinem & curam præſtas ob novos tumultus; cur evidens periculum, taleſque anguſtias ſponte adis? Vel ad Brutum loquitur. O Brute, qui ſolicitum me habuiſti de eventu belli, ſub tuis ſignis merentem: nunc autem tui ac libertatis, quam vindicas, deſiderio crucias, cum præciſam ſalutis tuæ ſpem animo jam concipiam: ſi mihi credis, ne Auguſti partes fortiores laceſſe, pone arma, neve tam periculoſæ plenos aleæ labores incaſſum ſubi: imo conciliandæ pacis conſilia & rationes ini. Vide lib. 2. Ode 7. & Epiſt. 2. lib. 2.

Nunc

Nunc deſiderium, curáque non levis,
Interfuſa nitentes
Vites æquora Cycladas.

[62] *jam verò deſiderium ac ſollicitudinem haud modicam, fuge maria Cycladas micantes interfluentia.*

ANNOTATIONES.

20. *Cyclades.*] Inſulæ ſunt circiter quinquaginta, in Ægæo mari in cycli prope formam diſpoſitæ; quæ quidem ob frequentes ſcopulos, & maris anguſtias adiri, aut circumnavigari vix citra periculum poſſunt.

ODE XV.

Vaticinium de Trojæ excidio.

Paſtor cùm traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hoſpitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata. Malâ ducis avi domum,

[63] *Cum paſtor fallax per maria abduceret Helenam hoſpitam navibus Trojanis, injucundâ tranquillitate ventos veloces oppreſſit Nereus, ut dira prænineret fata, ſic. Infauſtis auſpiciis domum ducis eam,*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Ode 6.

1. *Paſtor cum traheret, &c.*] Sicut apud Bacchylidem Caſſandra Paridi Trojam ingredienti, ita hic eidem iter agenti, Helenamque belli facem ducenti Nereus vaticinatur quanta ferat mala, adeoque Trojæ ruinam. Antonium Cleopatræ amoribus irretitum exemplo Paridis admoneri ab Horatio non nemo opinatur. Cæterum cuncta fere ex Homero deprompta. Senſus eſt, Cum Paris Helenam raperet Hoſpitis Menelai uxorem, atque e Spartâ Trojam navigaret, Nereus Deus marinus ventos cohibuit, dum perfido illi raptori caneret impendentem cladem, ob violatum jus & inceſtas nuptias. Vide Herodot. lib. 2. Euſtath. in 6. Iliad.

Paſtor.] Paris, alio nomine dictus Alexander, expoſitus in Idâ monte, educatuſque à paſtore, & ipſe aliquando paſtor, quanquam erat filius Priami Trojanorum regis & Hecubæ, quæ prægnans facem ſe ardentem parere ſomniavit: quo territa & conjectorum impulſa reſponſo exponendum curavit filium.

Traheret.] Per varias regiones, diverſaque maria, tandemque in patriam ſuam Trojam pertraheret.

Navibus Idæis,] Fabricatis in Idâ Troadis monte.

2. *Helenam perfidus hoſpitam.*] Paris hoſpitio receptus apud Menelaum, eo abſente, in adulterium pellexit abduxitque Helenam ejus uxorem; adjuvante nimirum Venere, quæ formoſiſſimam Paridi ſpoponderat fœminam, in præmium judicii, quo Junoni & Palladi prælata ab eo fuerat.

3. *Ingrato celeres, &c.*] Quoniam ventorum natura eſt erumpere & vagari: hinc nihil injucundius ipſis eſt quam frœnari, & in otio contineri. Eſt qui referat ad Paridem, celeriter avehere prædam ſuam cupientem: cui proinde valde ingrata fuerit ea mora. Sed cum per multas ac diverſas regiones Paris Helenam circumduxiſſe legatur, antequam in Troadem perveheret, non videtur ea poſſe interpretatio ſtare.

4. *Ut caneret fera Nereus fata.*] Dum excidium patriæ ac Paterni regni prænunciaret flagitioſo paridi, ventos compreſſit Nereus, ſilentiumque impoſuit. Quidam contentioſe legunt *Proteus,* eo quod apud Homerum ille de Trojanis rebus vaticinaretur: Nereo autem vix id muneris tribuatur. Verum Poetæ quid non licet? Deinde naviganti quis melius vaticinans inducatur quam marinus Deus? Adde quod Apollonii Rhodii Interpres in 4. Argonautic. ex Pherecydis ſententiâ, ſcribit Nereum coactum reſpondere velut oraculum. Apollodorus l. 2. de Nymphis Jovis ac Thetidis filiabus, vatem facit Nereum: & Heſiodus in Theogon. veridicum eum appellat. Maneat ergo Nerei Proſopopœia, & recte poſita cenſeatur.

5. *Malâ ducis avi domum.*] Ex Augurum obſervatione tracta dictio; id eſt, malo omine, infelici augurio Helenam ducis, O Pari, tibique aſſumis, rapis uxorem alienam.

Quam

quam numeroſo exercitu repoſcet Græcia conſpirans tuas diſſolvere nuptias, atque antiquum Priami regnum. Eheu, quantus equis, quantus viris ſudor inſtat. Quantas cædes Trojanæ nationi paras! Jam Pallas aptat caſſidem & clypeum, & currus, & furorem. Fruſtra ſuperbus ob Veneris favorem pectes comam: & lyrâ molli jucundas mulieribus cantilenas diſtribues. Fruſtra fugies lanceas nuptiali *thoro moleſtas, & acumen telorum Cretenſium, ſonitumque, & acrem in ſequendo Ajacem. Attamen, heu, tardè mœchos*

Quam multo repetet Græcia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor! quanta moves funera Dardanæ
Genti! Jam galeam Pallas et ægida,
Currúſque & rabiem parat. [64]
Nequicquam Veneris præſidio ferox
Pectes cæſariem; gratáque fœminis
Imbelli citharâ carmina divides;
Nequicquam thalamo graves
Haſtas, et calami ſpicula Gnoſſii
Vitabis, ſtrepitúmque, et celerem ſequi
Ajacem. Tamen, heu, ſerus adulteros [65]

ANNOTATIONES.

6. *Multo milite.*] Homer. naves Græcorum numerat 1146.

7. *Conjurata.*] In portu Aulidis Græciæ Principes univerſi jurejurando ſe adſtrinxerunt non diſceſſuros a bello, donec Halena reſtitueretur, illataque Græcis injuria vindicaretur, everſâ Trojâ.

9. *Quantus equis, quantus &c.*] Quanta diſcrimina, quantæ ſtrages ac labores virorum & equorum in decennali bello!

10. *Dardanæ Genti.*] Dardanus Jovis ex Electra filius in Aſiam veniens condidit eam gentem, quæ a Troe poſtea Trojana dicta eſt. Ab eo ortus Priamus. Virgil. Æneid, 8. v. 134.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor, &c.

11. *Jam galeam Pallas & ægida.*] Pallas & Juno pro Græcis pugnabant, nempe tum quòd manebat altâ mente repoſtum judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ; tum quia virgo Pallas flagitioſo Paridi infenſa erat. Porro bellicoſæ Palladi ſueta aptantur hic arma. Ovid. Met. 6, 79.

Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus. Virgil. Æneid. 8, 435.

Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma. Quem in locum Servius ita ſcribit: *Ægis pectoris eſt munimentum, habens in medio Gorgonis caput. Quod ſi in pectore Numinis fuerit, ægis vocatur: ſi in hominis pectore, ut in antiquis Imperatorum ſtatuis videmus, lorica dicitur.*

12. *Currúſque, & rabiem.*] Bigas & quadrigas bellicas Pallas inveniſſe fertur: & apud Hom. e curru, non ex equo pugnari ſcribitur. *Rabiem*, iram, indignationem, furorem & impetum animi, quæ quidem vix abſunt a quocunque bello.

13. *Nequicquam Veneris præſidio ferox, &c.* Tunc parum juvabit te præſidium Veneris minime bellicoſæ, multo minus decebit illa tua venuſtas & cultus corporis: quæ apud mulieres quidem valent, non ita vero adverſus hoſtem. Vide ſupra Od. 12. v. 41. apud Homer. 3. Iliad. idem Paris ſic admonetur, objurgaturque: *Inutilis erit tibi cithara, ac munera Veneris, & coma, & ſpecies, quando humi in pulvere jacebis mixtus.*

15. *Cithara carmina divides.*] Modulaberis diſtinctè, concinnè, ex arte, modo hos, modo iſtos carpendo nervos: non male ſic; melius tamen, modo lyrâ, modo voce alternatim canendo: at optime alii interpretantur, mulieroſum Paridem modo huic, modo illi fœminæ gratificari, ac ſuam cuique cantilenam diſpertire. Sic infra Od. 36. *dividere oſcula*, eſt ſingulis dare oſcula.

Imbelli citharâ] Hac quidem valebat Paris, ſed quam bellicoſo viro parum conveniret, oſtendit Alexander ille Magnus, cum Paridis ſprevit citharam, Achillis optavit. Illâ videlicet amores ac nugæ, hâc heroum laudes celebrantur. Plutarch.

16. *Nequicquam thalamo graves Haſtas, &c.*] Licet inito amori ac nuptialibus jocis vaces, at tandem ad arma concurrendum erit, & feras licet pœnas exſolves, cum humi proſtratus in pulvere volutaberis, traheriſque a victore hoſte crinibus illis, adulterii illecebris.

17. *Gnoſſii.*] Gnoſſius urbs Cretæ, cujus populus ſagittas emittendi arte pollebant. Adde quod ex Plinio, abundat Creta cannis gravioribus ad faciendas ſagittas aptiſſimis. Porrò inter proceres Græcos erat Idomeneus Cretenſium dux, Merionis comes.

18. *Celerem ſequi Ajacem.*] Pedum celeritate Ajax clarus, ut eum inſequentem evaderet nemo. Verum Oïleiuſne, an Telamonius? Hic certe, ſi Dareti Phrygio fides, Paridem occidit.

19. *Serus adulteros Crines pulvere collines.*] Crines

Crines pulvere collines.
 Non Laërtiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Neſtora reſpicis?
 Urgent impavidi te Salaminius
Teucerque, et Sthenelus ſciens
 Pugnæ, ſive opus eſt imperitare equis,
Non auriga piger. Merionem quoque
 Noſces. Ecce furit te reperire atrox
Tydeides melior patre:
 Quem tu, cervus uti vallis in alterâ
Viſum parte lupum graminis immemor,
 Sublimi fugies mollis anhelitu, [66]
Non hoc pollicitus tuæ,

capillos pulvere conſperges. Nonne vides filium Laërtis, nonne Pylium Neſtorem populo tuo fatales? Te Salaminius Teucer, te Sthenelus belli gnarus, ac ſi oportet equos regere, ductor haud ſegnis, intrepidi perſequuntur. Senties etiam Merionem. En ardet incurrere in te impavidus Tydei filius genitore fortior. Hunc tu, velut cervus aſpectum in adverſâ vallis regione lupum, herbarum oblitus, fugies effeminatus, graviter anhelans: quod quidem tuæ nequaquam promiſiſti.

ANNOTATIONES.

Quamvis effugias aliquandiu, non tamen poteris ſemper declinare pugnam & congreſſum, in quo cum vel proſtratus vel occiſus fueris, pulvere tandem fœdabuntur crines illi tui tanto ſtudio calamiſtrati, & unguentis deliburi, quibus Helena in amorem, & hinc in adulterii facinus à te pertracta eſt. Vel ſimpliciter, crines illos tuos oportebit tandem bellico pulvere aſpergi & illini, quos unguentis duntaxat antea illinere ſatagebâs. Sunt enim qui affirment Paridem Ajacemque Oileium concertantes mutuis occubuiſſe vulneribus; alii volunt Paridem, poſtquam Achillem interemiſſet, a Pyrrho, alii autem, a Philoctete interfectum.

Laërtiaden.] Ulyſſem filium Laërtis, Ithacæ & Dulichii Inſularum regem, prudentia ſolertiaque ſuper æthera notum. *Exitium tuæ gentis*; nempe quia detexit ipſe atque ad Trojanum bellum adduxit Achillem, abſque quo extitis capi Troja non potuiſſet.

22. *Pylium Neſtora.*] Hic ſapientia, & vitæ diuturnitate inclytus, apud Pylum Peloponneſi oppidum educatus, jam ſenior cum aliis Græciæ proceribus convenit ad expeditionem Trojanam. De eo fertur Agamemnon dixiſſe, brevi expugnandum Ilium, ſi decem Neſtores adeſſent.

23. *Salaminius Teucer.*] Ajacis ille frater, vide ſupra, Od. 7. ver. 27. & ſeq.

24. *Sthenelus.*] Vir pugnaciſſimus, comes Diomedis, unus eorum qui equo ſe Trojano abdiderunt.

26. *Merionem quoque Noſces.*] Tuo quidem malo cognoſces & experiere virtutem, iram, acreſque animos Merionis. Hic patruelis erat Idomenei Cretenſium ducis. De eo ſupra, Od. 6. v. 15.

28. *Tydeides melior patre.*] Sparta Od. 6. *Tydiden ſuperis parem* vocat Horatius, ſane qui Iliad 5. dicitur Martem ac Venerem in prœlio vulnerâſſe. Unde ibid. Homerus ejus ferociam comparat flumini omnia ſubvertenti, ac leoni vulnerato. Non mirum ergo, ſi hic Tydeo patre quanquam bono & forti melior tamen ac fortior Diomedes nuncupetur.

31. *Sublimi fugies mollis anhelitu.*] Ferocem illum Diomedem patre meliorem ac ſuperis parem fugies, tam graviter anhelans, præ metu & pavore, quam cervus lupum aſpiciens. Mecum vero, lector, mirare, quo ducat carpendi cacoethes. En Scaliger, *Ex toto Galeno*, inquit, *non intelligo quid ſit ſublimis anhelitus.* Verum enim ſine Medicæ ſcientiæ aut Medicorum ope, bene intelligitur, copioſe, & ex alto pectore anhelare cervus, vel potius, elato & ſublimi, ut fit, capite fugiens, ore quoque ſublimem anhelitum ac ſpiritum efflare.

32. *Non hoc pollicitus tuæ.*] Intrepidum te nimirum jactaveras, O Pari, Helenæ per illicitos amores *tuæ*, & Menelao totique Græciæ parem te unum oſtentâras, At facile eſt apud amaſiam gloriari; non ita apud Græcos raptam perfide, & ultionem juſtam *multo milite repetentes.* Ovid. Epiſt. Paridis ad Helenam: v. 351.

Finge tamen, ſi vis, ingens conſurgere bellum:
 Et mihi ſunt vires: & mea tela nocent.
Nec plus Atrides animi Menelaus habebit
 Quam Paris, aut armis anteferendus erit.

Et quidem provocatus a Menelao Paris ad ſingulare certamen, vixque tandem congreſſus, niſi ope Veneris ſubtractus eſſet, certe victus occubuiſſet, ex Homer. Iliad. 3. unde ibid. Helena inducitur ſuam Paridi exprobrans ignaviam, & Menelai, quem prius ille contempſerat, virtutem experto inſultans.

Iracunda

Indignata claſſis Achillis Trojæ Trojaniſque fæminis fatale, *tempus differet:* at *poſt aliquot annos ignis Græcorum Trojanas ædes incendet.*

Iracunda diem proferet Ilio,
Matroniſque Phrygum claſſis Achillei.
Poſt certas hyemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

ANNOTATIONES.

33. *Iracunda diem proferet Ilio, &c.*] Achilles ob ereptam ſibi Briſeiden iratus, a pugna & bello ſuam claſſem continens, Trojæ quidem fatum aliquandiu retardabit, diemque Trojæ ac Trojanis ultimam differet: at ubi Patroclum audiet ab Hectore peremptum, tum ad arma, & amici vindictam convolabit, nec ponet iram donec Hectorem Ilienſium defenſorem unicum proſternat. Virg. Æn. 2, 324.

Venit ſumma dies & ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troes; fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum, &c.

34. *Phrygum.*] Phrygia Aſiæ Minoris regio, cujus pars eſt Troas, ac metropolis Troja.

Achillei.] Achilles fortiſſimus Græcorum, vel ſuo nomine apud omnes famoſus.

35. *Poſt certas hyemes.*] Poſt certum annorum ſpatium fatis decretum. Calchas augur è paſſerum numero, poſt annos decem Trojam expugnandam diruendamque prædixerat.

Uret Achaicus Ignis Iliacas domos.] Achaia Græciæ pars, Synecdoche. Quidam legunt, *Pergameas domos.*

ODE XVI.

PALINODIA Ad AMATAM PUELLAM.

O formoſâ genetrice nata formoſior, quem libuerit finem datis injurioſis Iambis: ſeu igne

O Matre pulchrâ filia pulchrior, [67]
Quem criminoſis cumque voles modum
Pones Iambis; ſive flammâ,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Supra.

Quæcunque valent ad placandam iram, hæc adhibet Horatius ad mitigandum offenſæ puellæ animum. Scripſerat olim Iambus aut adverſus ipſam, aut contra matrem ipſius. Jam volens redire in gratiam cum eâ quam deperibat, 1. Fatetur ſe peccaſſe: 2. Non per contemptum ſe feciſſe quidquam, ſed per iram, aſſerit: 3. Vindictam offert. Porro quæ ſit, quæque vocetur amica illa non conſtat. Gratidiæ nomen reperitur in quibuſdam codicibus inſcriptum. Alii volant hanc eſſe Tyndaridem illam, ad quam Ode ſequens nuncupata eſt.

1. *O matre pulchrâ filia pulchrior.*] Aiunt quidam ſcriptam dicaciter ante ab Horatio fuiſſe;

O matre turpi filia turpior,

Quicquid ſit; jam laudat egregie puellam, ſciens nihil fere mulieri jucundius eſſe, quam formâ & pulchritudine commendari. Imitatio vero eſt Steſichori, qui cum Helenam quandam Siculam Iambis proſcidiſſet, Apollinis oraculo monitus primus Palinodiam canens, oculorum uſum, quem amiſerat, recepit.

3. *Quem criminoſis cumque, &c.*] Crimen ſe admiſiſſe pœnamque ſubire quamlibet, paratum profitetur; ejuſque, quam læſit, arbitrio cuncta permittit.

3. *Iambis.*] Sunt enim Iambici verſus ad maledicendum aptiſſimi. *Sicut Iambus ex brevi & longâ conſtat; ita contumelia ex parvis initiis ad magna procedit:* Suidas. ἰαμβίζειν Græcis, eſt *maledictis inſectari.* Horat. ad Piſones.

Archilochum proprio rabies armavit Iambo.

Sive flammâ, Sive mari libet.] Ipſe ſuum carmen maledicum damnat igni vel aquæ, ut placuerit. Tibul. l. 1. Eleg. 9. ver. 49.

Illa velim rapidâ Vulcanus carmina flammâ
Torreat: & liquidâ deleat amnis aquâ.

Sive

Sive mari libet Adriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem Sacerdotum incola Pythius, [68]
Non Liber æquè, non acuta
Sic geminant Corybantes æra,
Triſtes ut iræ; quas neque Noricus
Deterret enſis, nec mare naufragum,
Nec ſævus ignis, nec tremendo [69]
Jupiter ipſe ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi

ſeu mari placet Adriatico. Nec Cybele, nec Apollo inhabitator animum ſacrificulorum in ſacrariis ita commovet, nec Bacchus: neque Corybantes tam crebro pulſant cymbala acuta, ſicut mæſta indignatio: quam nec gladius ex Illyrio cobibet, nec mare naufragiis infeſtum, nec dira flamma, nec ipſe Jupiter horriſono fragore. Dicitur Prometheus primario limo

ANNOTATIONES.

4. *Adriano.*] Synecdoch. pro quolibet mari.

5. *Non Dindymene, &c.*] Ita deſcribit vim & impotentiam, in eamque culpam omnem ſuam transferre ſatagit, ut odium & contemptum, quo gravius nihil ad offenſam, omnino abſuiſſe comprobet.

Dindymene.] A Phrygiæ monte Dindymo dicta Cybele, cujus ibi ſacra peragebantur, Sacerdoteſque furore perciti membra ſibi incidebânt.

Non adytis quatit, &c.] Conglobatâ comparatione iræ vehementiam exaggerat. Nec Cybele, inquit, ſuos ſacrificulos, nec Apollo Phœbades oraculo reſponſaque edituras, nec Bacchus Mænadas & Bacchantes in Orgiis tanto furore implent, quanto irritatur amor amantum.

6. *Incola Pythius.*] Apollo Delphos, quæ urbs etiam Pytho dicta, incolens, ibique præcipue cultus & celebris: vel ita dictus a Pythone ſerpente interfecto. De quo vide Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 17. Cœl. Rhodig. lib. 16. c. 19. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2. *Incola*, inſeſſor, invadens & afflans mentem Pythiæ tripodi inſiſtentis in adytis ac penetralibus templi, ut extra ſe rapta, jamque enthea, divina loquatur.

7. *Non Liber æque.*] De Bacchanalium origine, inſaniâ, abrogatione, vide Tit. Liv. lib. 39. cap. 8. & ſeq.

Non acuta Sic geminant Corybantes æra.] Neque tam crebris ictibus pulſant Corybantes ærea cymbala, cum furioſi diſcurrunt, quam ira mentem variis motibus concutit. *Corybantes*, Rheæ ſacrificuli, iidem qui Curetes, ex Strabone lib. 10. & Lucret. lib. 2. dicti vel a κόρυς, *galea*, vel a κορύπτειν, *cornibus peto*; item *caput jacto*: vel a κρύβειν, vel κρυβάζειν; quoniam adjuverunt Rheam in abſcondendo partu. Vel a κρούειν, *pulſare*, & ſtrepitum ac ſonitum reddere: quoniam ex Lucret. cit. *Pulſabant æribus æra*, & ex Apollod. lib. 1. Τοῖς δόρασι τὰς ἀσπίδας συνέκρουον, *Haſtis clypeos percutiebant*: ſic nimirum *Jovis illum vagitum in Creta quondam occultâſſe feruntur, ne Saturnus cum malis manderet adeptus*, Lucret. 2, 636. & paulo ante:

Tympana tenta ſonant palmis, & cymbala circum
Concava, raucisonoque minantur cornua cantu.
Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes,
Telaque præportant violenti ſigna furoris.

Omnes autem a Græco origines parum ſatisfaciunt, & longe petitæ ac perperam confictæ videntur. Magis certe ad rem eſt quod refert Diod. Sic. l. 6. c. 11. Corybantas dictos a Cybeles filio Corybante, qui ſacra Matris Deûm in Phrygiam detulit; quique ab ſe nominavit eos, qui Matris ſacrificiis incumbebant.

6. *Triſtes ut iræ.*] Nihil æque violentum eſt ut iratus amor, ac triſtis, quòd ſe ſperni ſentiat, aliumque præferri; tunc extrema quæque meditatur, atque etiam tentat ac molitur ſæpius.

Neque Noricus Deterret enſis.] Pergit oſtendere iræ pertinaciam, quam nec frangit armorum aut mortis horror; nec ignium aut Jovis ipſius tonantis fragor ac metus. *Noricus enſis.*] optimi ſcilicet enſes fabricantur in eâ regione Illyrici. Plin. lib. 34. c. 14. ſ. 41. *Aliubi vena bonitatem hanc præſtat, ut in Noricis: aliubi fractura, ut Sulmone aqua.*

10. *Nec mare naufragum, &c.*] Sic qui ad ultionem parandam, vel ad quærendum quod vehementer amat, contendit, per maris diſcrimina quælibet, per tela, per ignes intrepidus, ac cæco velut impetu rapitur & properat: nec ullâ unquam reverentiâ, nec pavore tonitruum ac fulminum retardatur aut deterretur.

13. *Fertur Prometheus, &c.*] Amplificatio eſt per amœnam cauſæ diſquiſitionem: unde nempe homini ſic dominetur ira? fabellamque confingit vel intexit de Prometheo, qui formans hominem varias ei indiderit affectiones diverſis ex animantibus depromptas, ut vulpis aſtutiam, leonis iracundiam ferventemque bilem, &c. *Coactus.*] qui cum in fingendis brutis omnes naturæ facultates abſumſiſſet, coactus eſt demum e ſingulis aliquid decerpere, quod homini daret. Vid. Fulgent. Mytholog. lib. 3. cap. de Peleo.

Principi Limo.] Homini, qui licet ex argilla &

obſtrictus adjungere portionem hinc & inde decerptam, pectori noſtro indidiſſe vehementiam furentis leonis. Iracundia Thyeſtem perdidit execrandâ ſtrage; atque extremas præbuit cauſas maximis civitatibus, ut prorſus diruerentur, ac mœnibus infeſtum aratrum applicaret ſuperbus exercitus. Animum reprime: me etiam impulit cordis ardor in amœnâ juventute,

Limo coactus particulam undique
Deſectam, et inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.
  Iræ Thyeſten exitio gravi
Stravere; et altis urbibus ultimæ
Stetere cauſæ, cur perirent
Funditùs, imprimerétque muris
  Hoſtile aratrum exercitus inſolens.
Compeſce mentem; me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventâ

ANNOTATIONES.

limo non ſecus ac cætera animantia conflatus, in ea tamen principatum obtinet. Vide Lucret. l. 5. Diodor. Sicul. l. 1. c. 1. &c.

17. *Iræ Thyeſten, &c.*] Effectus iræ perſequitur. De Thyeſte atque Atreo fratribus tam infanda in ſeſe invicem perpetrantibus, ut Sol averſatus retro converſus ſit, omnibus auditum: & jam dictum eſt, Od. 6. v. 8. ad *ſævam Pelopis domum*, quæ quidem per iram perdita & conſumpta interiit *exitio gravi*: ſeu cum Thyeſtes appoſitum ab Atreo filium devoravit; ſeu cum ob vitiatam uxorem Atreus execrandâ illâ ratione ultionem petiit, &c.

18. *Altis urbibus ultimæ Stetere cauſæ, cur perirent Funditus.*] Interdum urbes expugnantur non odio, ſed quadam eas tenendi cupiditate: at cum ira facit ut capiantur, tum ultimi quoque fit cauſa excidii, impellitque ad eas a fundamentis diruendas, ne quod veſtigium ſuperſit civitatis.

20. *Imprimeretque muris Hoſtile aratrum, &c.*] Per iram victor hoſtis non ſolum urbes aliquando demolitur, ſed & exciſis mœnibus ædibuſque univerſis, ſolum arat, *imprimitque aratrum* iis locis, in quibus erant *muri* antea, arces, ædeſque Hinc illud:

Et ſeges eſt, ubi Troja fuit.

Manilius l. 4. v. 555. ejus qui ſub ortum caudæ Scorpii fuerit natus, gravem iram & victoriam ita præſagit:

Aut ſternet poſitas urbes, inque arva reducet
Oppida, & in domibus maturas reddet ariſtas.

Socrates Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 4. cap. 31. de Valente imperatore Conſtantinopolitanis irato, refert minatum eſſe civitati vaſtitatem, adeoque ἄροτρον βαλεῖν κατ' αὐτόν, *aratrum in eam immiſſurum*. Seneca de Clementia lib. 1. 26. *Injicere tectis ignem* inquit *aratrum vetuſtis urbibus inducere, potentiam putat.* Quem in locum J. Lipſius citat Horatii locum quem explicamus, aitque, mos erat iſte in evertendis olim urbibus: & ſicut aratro condebantur, ita aratro pariter ſignificabant exſcindi; affert quoque Modeſtinum Juriſconſ. *Si uſus fructus civitati legatus ſit, & aratrum in eam inducitur, civitas eſſe deſinit: ut paſſa eſt Carthago; ideoque quaſi morte deſinit habere uſum fructum.* Vide Iſidor. l. 15. c. 11. Cœl. Rhodig. l. 26. c. 5. Alex. ab Alex. l. 6. c. 14. ubi non ædificandis modo urbibus, ſed & funditùs evertendis aratrum induci ait, quaſi ſegetes ibi mox futuras denotaretur. Imo quandoque tantum eſt odium, tantus ulciſcendi appetitus, ut verſa aratro terra ſale inſpergatur, ad eam ſterilitati damnandum. Quod egregie ſuo more explicans S. Hieron. in Matth. cap. 5. *Legimus*, inquit, *in Scripturis urbes quaſdam ira victorum ſale ſeminatas, ut nullum in ipſis germen oriretur.* Scilicet Judic. lib. cap. 9. Abimelec Sechemitarum maledictis exacerbatus eorum *urbem cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipſaque deſtructa, ita ut ſalem in ea diſpergeret.*

22. *Compeſce mentem.*] Quandoquidem igitur tam ferox & impotens ira eſt, ut ad ultima quæque præter jus & fas adigat; quæſo obteſtorque, ne ei indulgeas; ſed *compeſcas mentem iracundam.* Nam & ego male me ipſi indulſiſſe jam agnoſco. Unde & *mutare quæro.* Juveniliter in culpam lapſus ſum: nunc ætate factus ſapientior, errati veniam peto.

Me quoque pectoris, &c.] Ex dictis infert Horatius idem fere quod habet Cicero ad Attic. lib. 1. Epiſt. 17. *Si quidem ita ſtatueris, & irritabiles animos eſſe optimorum ſæpe hominum & eoſdem placabiles; & eſſe hanc agilitatem (ut ita dicam) molitiemque naturæ plerumque bonitati: &, id quod caput eſt, nobis inter nos noſtra ſive incommoda, ſive vitia, ſive injurias eſſe tolerandas: facile hæc, quemadmodum ſpero, mitigabuntur. Quod eo ut facias te oro, qui te unice diligo, &c.*

23. *In dulci juventa.*] Quò voluptatem avidior eſt juvenis, eò eſt irritabilior, ſi negentur ea ad quas anhelat, vehementiuſque ad ulciſcendum fertur. Id ſibi contigiſſe Horatius fatetur, atque Iambos ita ſcripſiſſe mordaces quidem, dum non alia ſuppeteret ratio ſedandi animum amore & ira *furentem*. At nunc laudes

Fervor, et in celeres Iambos
  Miſit furentem: nunc ego mitibus
Mutare quæro triſtia, dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas. [71]

atque ad citos Iambos iracundum adegit. Jam vero cupio vertere dira ſuavibus, modo retractatis conviciis, mihi fias propitia, atque benevolentiam repares.

ANNOTATIONES.

& encomia ſe ſcripturum pollicetur, ut quaſi deleat quæ triſtia prius & acerba ſcripſerat. Nam quod ait lib. 3. Od. 14.

Lenit albeſcens animos capillus,
Litium & rixæ cupidos protervæ.
Non ego hoc ferrem calidus juventa,
Conſule Planco.

24. *Celeres Iambos.*] *Per citus*, ad Piſones: ſeu quod facile incurrit, ſeu propter frequentes ſyllabas breves in puris Iambicis.

26. *Dum mihi Fias recantatis amica*, &c. *Dum*, id eſt, modo tu quoque deſinas me lacerare conviciis & dictis probroſis. Vel potius, *dum*, id eſt, donec mihi deſinas eſſe inimica, cum me videris palinodiam canere: donec igitur mihi priora opprobria recantanti, ac mitibus triſtia mutanti fias amica, non ceſſabo tibi ſupplicare, mitia ſcribere, atque omni ratione animum tuum demereri.

28. *Animumque reddas.*] Hinc videtur ſignificare Horatius, extitiſſe quandam olim amicitiam, quam velit reparari; proindeque non matrem puellæ iſtius, ſed ipſam puellam Iambis & dicteriis abalienatam intelligere oportere.

ODE XVII.

Tyndaridem invitat in villam ſuam, ejus oſtentans amœnitatem & commoda.

VElox amœnum ſæpe Lucretilem
  Mutat Lycæo Faunus; et igneam
Defendit æſtatem capellis
Uſque meis, pluvioſque ventos.
  Impune tutum per nemus arbutos [72]
Quærunt latentes, et thyma deviæ

Celer Faunus Lycæum frequenter commutat Lucretili jucundo; capraſque meas tuetur ſemper ab æſtate fervidâ, ventiſque imbriferis. Feminæ maſculi fætentis, citra periculum errantes per ſilvam, ſecuræ inveſtigant arbutos occultas ac thymum,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9.

Non vulgaria dictionum ornamenta continet hæc Ode: ea, lector, collige. *Igneam æſtatem defendit capellis, pluvioſque ventos. Olentis uxores mariti. Martiales lupi. Uſticæ cubantis ſaxa levia. Benigno cornu manabit opulenta copia ruris honorum. Reducta vallis. Fides Teia. Laborantes in uno. Leſbium innocens. Incontinentes manus. Male diſpar. Immerita veſtis*, &c.

1. *Velox.*] Fauni agreſtes Dii, curſu ſaltuque agiles, proindeque caprinis pedibus finguntur.

Lucretilem Mutat Lycæo Faunus.] Hypallage, pro, *Lycæum mutat Lucretili*, Sabinorum monte, ad cujus declive ſita erat Horatii villa & fundus, de quo ipſe initio Epiſtolæ 16. lib. 1. Hujus vero tantam aſſerit amœnitatem, ut eo ſæpius immigraret Faunus, ſeu Pan Deus Paſtorum, relicto quidem Lycæo Arcadiæ monte ſibi ſacro: ejus porro Numinis præſentia quicquid noxium eſt propulſari.

2. *Igneam Defendit æſtatem capellis*, &c.] Æſtum arcet a gregibus, peſtiferaſque tempeſtates. Columell. lib. 7. cap. 6. *Capellis nocet æſtus, ſed magis frigus.* Ventum etiam cum tepore humidum (qualis Notus) animantibus quibuſlibet, autumno præſertim, eſſe peſtiferum nemo neſcit. Virgil. Eclog. 7. 47.

Solſtitium pecori defendite.

5. *Arbutos Quærunt latentes & thyma.*] Grata ſibi pabula. Plin. lib. 12. cap. 17. *frutices odoratos appeti* quærique a capellis, teſtatur Virg. Eclog. 3. v. 47.

Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hædis.

Georg. 3. v. 300.

Jubeo frondentia capris
Arbuta ſufficere.

Arbutus, Gall. *arboiſier*, Ang. Strawberry-tree, pridem fuit in deliciis, quod αἰίφυλλος, frondes lauro, fructus ceraſis non abſimiles profert. Vide Columell. cit.

Olentis

hœdi vero non timent lupos Martios, neque colubros virides; quandocunque, ô Tyndari, ſuavi ejus tibiâ reſonuere valles, rupeſque haud aſpiræ montis Uſticæ declivis. Numina me protegunt: Pietas mea, Poëſiſque placet Numinibus. Illinc tibi liberali cornu fluet affatim dives abundantia opum agreſtium. Ibi profundâ in convalle fugies ardorem Caniculæ; chordâque Teiâ cantabis Penelopen.

Olentis uxores mariti,
Nec virides metuunt colubros,
Nec Martiales hœdilia lupos,
Utcunque dulci, Tyndari, fiſtulâ
Valles, & Uſticæ cubantis
Lævia perſonuere ſaxa.
Dii me tuentur: Diis pietas mea, [71]
Et Muſa cordi eſt. Hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hic in reductâ valle, Caniculæ
Vitabis æſtus, & fide Teiâ
Dices laborantes in uno

ANNOTATIONES.

7. *Olentis uxores mariti.*] Capræ caprique gravem emittunt odorem. Unde & proverb. *Hircum olet.* Virg. Eclog. 7. v. 6.

——Dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipſe caper deerraverat.

9. *Nec Martiales hœdilia lupos.*] Martis in tutelâ dicuntur eſſe lupi, utpote rapaces ac violenti deprædatores. Virg. Æneid. 9. v. 566.

————————Agnum
Martius a ſtabulis rapuit lupus.

Alludit fortaſſe Poeta ad id quod aiunt templum fuiſſe in Parthenio Arcadiæ monte ſacrum Fauno ſeu Pani, quod aſylum erat pecudibus inſequentes leones ac lupos fugientibus, qui quidem eo adire non audebant.

Hœdilia] Magna de eâ voce contentio. Quidam legunt *hœdulei.* Nam inquiunt, ab *hœdus, hœdulus* & *hœduleus:* ſicut ab *binnus, binnulus,* & *binnuleus.* Alii *hœduliæ* vel *hœdiliæ* ex membranis non paucis: ſicut enim *hœdile, is,* ſic & *hœdilia, æ,* dicitur. Ego ex Lambini Muretique placito, nihil cenſeo mutandum in vulgatâ lectione, ut pes ſit Ionicus pro Choriambo, certe ἰσόχρονος. Itaque, de metro non amplius ſoliciti, dicamus *hœdilia,* hœdorum ſepta vel ſtabula, ſynecdochicè poni pro hœdis.

10 *Utcunque dulci, &c*] Greges ſecuri paſcuntur, *utcunque,* ubicunque, quandocunque, ſimul atque ſuam inflat fiſtulam Pan ſeu Faunus qui ex Virgil. Eclog. 2. v. 32.

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit: Pan curat oves, oviumque magiſtros.

Hinc vero poteſtatem ac præſidium Numinis oſtendit, quòd vel levis ejus fiſtulæ ſonus fugat & avertit noxia quæque, & ſecuritatem præbet.

Tyndari.] Hanc eſſe eandem quidam volunt quam in Epodis Canidiam vocat, & falſe proſcindit, Gratidiam autem in Odæ præcedentis inſcriptione pleriſque in codicibus appellat, nimirum ut offenſam mitiget; nunc vero ſibi reconciliatam, in formæ commendationem Tyndaridem nuncupat, quaſi Helenam alteram ob pulchritudinem, atque invitat ad ruſticationem ac delicias apud ſuum in Sabinis fundum, ad montem Lucretilem.

11. *Uſticæ cubantis:*] Uſtica mons in Sabinis leniter declinans hominis inſtar decumbentis.

13. *Dii me tuentur.*] Quaſi ſibi ipſi applaudens infert: ſic me tuentur Dii, quorum laudes verſibus meis pie celebro, ipſis non ingratas. Contra vero, ſi quis Numinum cultor non fuerit, hunc *inſignem* licet *attenuat Deus.* Ut ſcribit Od. 34. hujus libri.

14. *Hinc tibi copia Manabit, &c.*] Ex amœnâ hâc villâ meâ, cum adfueris, O dilecta Tyndari, colliges frugum omnis generis copiam. Hi ſunt enim *ruris honores.*

16. *Cornu.*] Alludit ad copiæ, vel Amalthææ cornu fabuloſum. Scilicet Hercules, inquiunt, detractum victo Acheloo cornu Fortunæ dedit, e quo illa bonorum omnium abundantiam promit ac elargitur. Porro ex Euſtath. in Perieget. Dionyſ. Amalthea fuit vetula quædam avara mercatrix, quæ nummos bene multos ingeſſerat in cornu: quod Hercules adeptus in voluptates ac genium liberaliter profudit. Hinc vero fabulæ & commenta vulgi.

17. *Caniculæ Vitabis æſtus.*] Noxios ardores vitabis ſideris iſtius, ex opinione vulgi; non enim ortus Caniculæ æſtum facit, ſed Sol Leoni junctus, nempe ſub finem Julii, ad uſque Auguſti diem 23. Dies Caniculares vulgo, indeque morbi frequentes & acerrimi. Vide plura infra, lib. 3 Od. 13 & 29.

18. *Fide Teiâ Dices laborantes in uno, &c.*] Cantabis Lyricos verſus & amatorios ad modum Anacreontis oriundi ex urbe Teio in Paphlagoniâ, apud Aſiam Minorem. Vid. lib. Od. 9. ex Epod. 14. *Dices laborantes in uno,* recitabis carmen de amoribus Penelopes uxoris, & Circes

Penelopen

Penelopen, vitreámque Circen.
Hîc innocentis pocula Leſbii
Duces ſub umbrâ; nec Semeleïus
Cum Marte confundet Thyoneus
Prælia; nec metues protervum
Suſpecta Cyrum, ne male diſpari
Incontinentes injiciat manus,
Et ſcindat hærentem coronam
Crinibus, immeritámque veſtem.

& Circen fulgidam pro eodem ſollicitas. Illic innoxii Leſbii ſcyphos hauries in umbrâ: neque
[74] *furens Semeles filius cum Marte pugnas miſcebit: neque timebis ſuſpicionem creare petulanti Cyro, ne tibi minime æquali intemperantes manus adhibeat, frangatque corollam impoſitam capillis, & innocens veſtimentum.*

ANNOTATIONES.

amicæ, famoſæ illius veneficæ, erga unum & eundem Ulyſſem. *Laborantes*, amore tabeſcentes, amore certantes. Vide Lil. Gyrald.

20. *Vitreamque Circen.*] Inſtar vitri nitidam, ſplendentem, decoram, ſpecioſam.

21. *Hic innocentis pocula Leſbii.*] Epulaberis etiam hilariter & jucunde: bibes nempe vinum innocuum, e Leſbo Ægei maris inſulâ, hodie *Metelino*: ob tenuitatem non lædens, nec tentans caput, nec pectus inflammans, nec adeo impellens ad rixas: quapropter *non confundet cum Marte Bacchus prælia.* Vinum ſaccatum hic aliqui comminiſcuntur, quod ſit magis ad mulieris ſalivam ac palatum. Sed quid opus? cum tale ſit per ſe Leſbium, quo *nullum poto ſuavius*; cui ἀτίλειαν impertivit Bacchus, id eſt, *immunitatem ac innocentiam*: quod νέκταρ σταγῶν, *manans nectare, ambroſiæque propius quam vino*, veteres illi paſſim vocârunt, apud Athenæum lib. 1. cap. 22. & 23. &c. Vide, ſi vacat, apud Gell. 13. cap. 5. lepidum Ariſtotelis acutumque de Leſbio vino judicium, quo ſucceſſorem ſuæ diatribæ deſignavit Theophraſtum e Leſbo.

22. *Nec Semeleïus Cum Marte, &c.*] Nec bibendi certamen deſinet in pugnas ac rixas. Semelæ filius Bacchus; ea porro etiam Thyone dicta. Nec tamen inde *Thyoneum* hic appellari credas, cum pluribus: alias idem bis perperam dixiſſet Horatius. Sed potius a θύω *ferveo, inſanio, impetu feror*, intellige violentum, petulantem, &c. Vide Diodor. Sic. l. 4. c. 5. Id eſt, vinum illud innocens non creabit ebrietatem, nullaſque proinde contentiones ac certamina Marti propria provocabit. Nam τῦ παροινεῖν ἐκ τῦ μεθύειν. Athen. lib. 10.

24. *Nec metues protervum Suſpecta Cyrum.*] Cyrus iſte Horatii rivalis, Tyndaridis autem vel amicus, vel etiam maritus non bene cum eâ conſentiens. Qui quidem ſi reſciſſet cum alio familiariter verſari, haud æquo tuliſſet animo, ſed zelotypiâ accenſus, aut velut in ſuam manus injeciſſet, aut etiam verbera intentaret, ruptâ convivali coronâ, laceratâ veſte, ultus adulterium quod ſuſpicaretur.

25. *Male diſpari.*] Viribus impari ad reſiſtendum, ictuſque declinandos. Vel moribus plane diverſis, ut Tyndaris lepida hilariſque fuerit, Cyrus triſtis, moroſus ac ferox; unde non ferat ejus ingenium ac vivendi inſtitutum.

26. *Injiciat manus.*] Jure ſibi vindicans quod ſuum eſt ubicunque reperit. Quo vir ejus fuiſſe, indicare videtur. Numquid enim in alienam tantum auſus fuerit alienus, in liberam liber? niſi forte vis & impetus zelotypiæ ſignificetur illius, qui ab amicâ ſuâ alium amari intellexerit; quique ſibi temperare, ſeque continere haud queat, cum epulantem cum alio viderit, quin pugnas miſceat, coronamque ex more conviviorum capiti additam diſcerpat, nec veſtibus parcens, ut quocunque modo ſuo dolori ſatisfaciat.

28. *Immeritamque veſtem.*] Quid enim peccavit, quid male meruit veſtis mœchæ vel infidæ amaſiæ, ut ab irato zelotypoque diffringatur?

E ODE

ODE XVIII. Ad QUINTILIUM VARUM.

Uſum vini moderatum commendat.

O Vare, nullam arborem potius quam vitem ſacram plantes circa benignam terram Tiburtis, ac muros Catilli. Sobriis enim cuncta præbet gravia Deus; nec aliàs fugantur edaces curæ. Poſt vina epota, quis incommoda belli queritur aut paupertatis?

NUllam, Vare, ſacrâ vite priùs ſeveris arborem [75]
Circa mite ſolum Tiburis, & mœnia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus propoſuit; neque
Mordaces aliter diffugiunt ſolicitudines. [76]
Quis poſt vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Ode 11.

Horatius Quintilium Varum monet, ut nimium vel Reipublicæ, vel literarum ſtudium uſu vini temperet moderato. Quis vero ille? Videtur certe is quem in Arte Poeticâ celebrat velut optimum Judicem ac cenſorem Poematum. Epiſt. ad Piſones, v. 438. inſcriptionem tamen hujus Odes falſam aſſerit Marcilius, vultque ſibi ipſi Horatium loqui, ſicut & Epod. 5. & 17. Adde quod abeſt illa a pleriſque membranis.

1. *Nullam, Vare, ſacrâ vite prius ſeveris arborem.*] Metrum pariter & ſententiam mutuatus eſt ab Alcæo: cujus apud Athen. hæc leguntur: Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρον ἀμπέλω. *Sacra vite.* Baccho nempe conſecratâ: vel quia libationes in ſacris inde fiebant.

2. *Mite ſolum.*] Plin. lib. 17. cap. 5. *Optima terra eſt quæ vocatur pulla; tenera, temperatæ ubertatis, mollis faciliſque culturæ, nec madida, nec ſitiens, poſt vomerem niteſcens.* Ibid. *Optimus ager eſt ad radicem montium, planitie in meridiem excurrente; qui totius eſt Italiæ ſitus:* ex Catone lib. 34. cap. 5. Columel. lib. 2. cap. 2. & lib. 3. cap. 11.

Tiburis.] De eâ urbe jam ante ad Od. 7. hodie *Tivoli*, ſita eſt ad fluvium Anienem, in Sabinorum confinio ſingulari vero gaudet aeris temperie. Hinc fortaſſe *mite ſolum* appellatur. *Tiburtes originem multo ante Romam habent, Conditor eorum Tiburtus, quem filium fuiſſe tradunt Amphiarai, qui apud Thebas obierit unâ ætate ante Iliacum bellum.* Plin. lib. 16. cap. 44.

Mœnia Catili.] Urbem Tibur iterum deſignari aliis verbis aiunt: quippe quam operâ communi condiderunt Amphiarai filii tres, Tiburtus, Coras, Catillus, ac de nomine fratris maximi natu appellârunt. Virgil. Æneid. 7. v. 670.

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catilluſque, acerque Coras, Argiva juventus.

Repugnat vero Theod. Marcil. cit. tum quod bis idem perperam dixiſſet Horatius: tum quod ex Servio ad cit. Æn. locum, alias quoque urbes ab illis fratribus ædificatæ referuntur: contenditque *mœnia Catili*, eſſe montem Catilli. Catilus autem, ſeu Catillus, Arcas, claſſis Evandri præfectus: Tibur, qui & Tiburnus & Tiburtus, ejus frater fuit.

3. *Siccis omnia nam dura, &c.*] Qui naturâ vinoſi, ſunt plerumque hilares, nullâque aut valde exiguâ curâ torquere ſe conſueverunt: contra, ſobrii res penitus conſiderant, atque hinc ſoliciti, difficiles, ac moroſi eſſe ſolent. Quare *dura* & gravia his eſſe notum eſt, quæ aliis levia. Sicut enim omnia ſana ſanis, & contra: ſic triſti ingenio præditis triſtia ſunt omnia; læta vero aut ſaltem parum moleſta quælibet jocoſis ac feſtivis hominibus. *Siccis*, vino non madidis, ſobriis, jejunis. Plaut. in Perſa, *Jam diu factum eſt, cum bibimus: nimis ſicci ſumus.* Tull. contra Rullum in Senatu. *An conſilia ſiccorum, an vinolentorum ſomnia videntur?* Perſ. Sat. 5. v. 163.

An ſiccis dedecus obſtem Cognatis?

Neque Mordaces aliter diffugiunt ſolicitudines.] Lib. Judic. cap. 9. *Muſtum Deo & hominibus lætitiam dare ſolet.* Prov. 31. *Date vinum iis qui amaro ſunt animo: bibant, & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non amplius recordentur.* Pſalm 103. *Vinum lætificat cor hominis.*

5. *Quis poſt vina gravem, &c.*] Anacreon. Ὅταν Βάκχος εἰσέλθῃ, εὕδουσι μέριμναι, *Cum Bacchus advenerit, dormiunt curæ.* Tibul. lib. 1. Eleg. 7. v. 41.

Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitiæ diſſolvenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert.

Senſus Horatii eſt; cum quis ſe pluſculum vino exhilaravit, tum nec meminit laborum, nec ægritudines ſentit: imo jocatur hilariter,

Quis

Quis non te potiùs, Bacche pater, téque decens Venus?
At, ne quis modici tranſiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero
Debellata; monet Sithoniis non levis Evius; [77]
Cùm fas atque nefas exiguo fine libidinum
Diſcernunt avidi. Non ego te, candide Baſſareu,

Quis non te magis, Bacche parens, laudat; teq; ô decora Venus? Verum enimvero pugna Centaurorum adverſus Lapithas inter potandum commiſſa docet, ut nemo dona Bacchi moderati prætergrediatur: docet & Bacchus Thracibus gravis; quando voluptatum cupidi licitum & illicitum parvo diſcrimine ſeparant: O Bacche ſincere, non ego te repugnantem exagitabo:

ANNOTATIONES.

Bacchi munera laudat, & cantiunculis animum recreat, *decentique Venere*, ſeu non indecorâ aut invenuſtâ feſtivitate. Sic aiunt Catonem Uticenſem cum amicis ad auroram perpotando vigilâſſe; quod exiſtimaret vini potu largiori animum reddi hilariorem, ex Platone videlicet.

7. *At, ne quis modici tranſiliat, &c.*] At vero ſervandum in primis illud Græcorum *μηδὲν ἄγαν, ne quid nimis:* Item quod monet Plin. l. 14. c. 5. *Nec viribus corporis aliud, ſi modus adeſt, utilius; nec aliud perniciofius vino, ſi modus abſit.* Ibidem, Androcydes ſapientia clarus ad Alexandrum Magnum ſcribebat intemperantiam ejus cohibens: *Vinum potaturus, rex, memento te bibere ſanguinem terræ.* Quibus ille ſi obtemperâſſet, profecto amicos in temulentiâ non interemiſſet. Hactenus Plinius. Bellè ſuo more Apuleius Flor. 20. *Prima cratera pertinet ad ſitim; ſecunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem: quarta ad inſaniam.* Vide Athen. l. 2. c. 1. & 2. ubi de juvenibus temulentis triremi ſe navigare credentibus faceta hiſtoria: quam quidem haud a vero alienam probat Caſaubonus in dictum locum. Ibidem Meneſitheus, *Vinum recte utentibus Dii monſtrârunt ſummum bonum, intemperantibus ſummum malum, &c.*

8. *Centaurea monet cum Lapithis, &c.*] Centauri Theſſaliæ populi cum veniſſent ad nuptias Pirithoi principis Lapitharum, prope montem Olympum in Theſſalia pariter degentium; vino immodice hauſto, in furorem ac libidinem acti, novam nuptam Hippodamiam rapere, vel, ut ſcribunt alii, Lapitharum uxoribus vim inferre tentârunt. Unde gravis pugna, cædeſq; Centaurorum ferè omnium. Tull. in Piſonem, c. 10. meminit: *Iſtius in illis Reipublicæ luctibus ſympoſium, quaſi aliquod Lapitharum aut Centaurorum convivium ferebatur.* Vide Ovid. Metam. 12.

9. *Sithoniis non levis Evius.*] Ipſe quoque Bacchus rectum vini uſum docet, qui populis eam Thraciæ partem incolentibus, quæ *Sithonia* dicta eſt, Thracibuſque univerſis infenſus & ultor inſtat, quoties illi ſuis abuſi muneribus, nimio potu in inſaniam, indeque in flagitia ruunt. Vide infra Oden 27. Apud Athen. l. cit. Eubulus ita Bacchum fingit loquentem: *Tria ego pocula tantum miſceo illis qui ſapiunt; unum ſanitatis; alterum voluptatis; ſoporis tertium. Quo quidem epoto, ii quos dicimus ſapientes, domum ſeſe recipiunt. Poſtea vero ſi quartum additur, non eſt id amplius noſtrum, ſed proterviæ; quintum vociferationis; ſextum petulantis comeſſationis; ſeptimum macularum & vulnerum; octavum apparitoris: nonum iracundiæ; decimum furoris, quo proſternuntur qui bibunt, &c.*

Evius.] Ita Bacchus eſt appellatus vel a voce Bacchantium εὐοῖ, vel potius ex eo quod eum debellatis fortiter gigantibus revertentem Jupiter ſic affatus eſt: *εὖ υἱέ, euge fili.*

10. *Exiguo fine libidinum.*] Per fas & nefas voluptates quærit & conſectatur temulentus, accenſâ vino libidine. Juvenal. Sat. 6. v. 299.

—Quid enim Venus ebria curat?

11. *Non ego te, candide Baſſareu, &c.*] Quaſi diceret: Thraces & Bacchantes, ſpecioſo ſacrorum prætextu, cum celebrant Orgia, infanda pleraque committunt ultra modum poti, te quidem invito, O bone pater Bacche; at ego ſanior illis temulentiam vitabo, neque proinde præter aut contra Numen tuum quicquam perpetrabo: nec te irritabo ebrius, nec indecorè agitabor, aut diſcurram furioſus.

Candide Baſſareu.] Simplex, aperte, verax. Tibull. 3, 6, 1.

Candide Liber, ades.

Item, 1, 7, 46.

Candidior ſemper, candidiorque veni.

Baſſareu.] Vel ob tunicam e pelle vulpinâ, vel a calceamento, quæ *Βασσάρα* dicuntur: vel a talari veſte apud Boſſarum Lydiæ locum confici ſolitâ: quorum uſus in Orgiis. Alii alias quoque etymologias comminiſcuntur. Tibull. 1. 7. 46.

Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes.

Non ego te Invitum quatiam] Etſi videntur hæc ſatis intellecta ex iis quæ ante dixi; amplius tamen explicantur, enodanturque allato ritu veteri Bacchanalium ſeu Orgiorum, in quibus Thyades ſeu Bacchæ ſacra movere dicebantur; cum furioſæ his in feſtis curſitantes, thyrſos quaterent, ipſumque Bacchi ſimulachrum loco ſuo motum circumferrent, ac velut invitum temulentæ ſacrificulæ exagitarent.

neque proferam in lucem abſcondita foliis diverſis. Comprime dira cymbala cum Phrygio cornu, quæ comitatur obcæcatus ſui amor, atque arrogantia pluſquam ſatis efferens inane caput: & fides ſecretum prodens, vitro pellucidior.

Invitum quatiam, nec variis obſita frondibus [78]
Sub divum rapiam. Sæva tene cum Berecynthio
Cornu tympana, quæ ſubſequitur cæcus amor ſui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

ANNOTATIONES.

Virgil. Æneid. 4. v. 301.

> *Qualis commotis excita ſacris*
> *Thyas, ubi audito ſtimulant trieterica Baccho*
> *Orgia.*

Catull. 62, 254. de nuptiis Pelei ac Thetidis:

> ——— *Lymphatâ mente furebant,*
> *Evoë bacchantes, Evoë capita inflectentes.*
> . . . . *Pars tectâ quatiebant cuſpide thyrſos.*

12. *Nec variis obſita frondibus, &c.*] Non temere pervulgabo tua myſteria, aut ſecreta revelabo: alludit rurſum ad Orgiorum morem, quo ſacra Bacchi in ciſtis condita, hederâque & pampinis contecta, e templo atque urbe in montes agroſque exportabantur. Catull. cit. v. 259.

> *Pars obſcura cavis celebrabant Orgia ciſtis;*
> *Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.*

Tibull. 1. 7. 48.

> *Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.*

13. *Sub divum.*] Pro *ſub dio*, vel *ſub divum*, id eſt, ſub cœlo, quod Græci ἔνδια vocant. Varro, Aſcon. in Verr. 1. id eſt, ex arculis & ciſtis non extraham tua ſacra, quæ foras & in publicum efferam.

Sæva tene cum Berecynthio.] Contine cymbala & cornua tua apud Berecynthum Phrygiæ montem in ſacris adhiberi ſolita, quibus ad furorem incitantur ſacerdotes. Porro illa duo jungit Horatius, ob affinitatem ſacrorum Bacchi, & Cybelæ matris Deûm, quæ Berecynthia inde nuncupatur; pariter ut & ſupra Od. 16. v. 5. ac ſeq. Senſus eſt: a me coërce ac depelle ebrietatem, inſaniam, furorem. Catull. cit. 2. 61.

> *Plangebant alii proceris tympana palmis,*
> *Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant:*
> *Multi raucisonis efflabant cornua bombis,*
> *Barbaraque horribili ſtridebant tibia cantu.*

14. *Quæ ſubſequitur cæcus amor ſui, &c.*] Ebrietatem nempe ſequuntur multa mala, quorum alia jam propoſuit; hæc ſunt rixæ, contentiones, flagitioſæ libidines ſine ullâ cujuſquam reverentiâ. Alia vero jam exponit: quæ ſunt φιλαυτία, ſuperbia, loquacitas, arcanorum proditio.

Cæcus amor ſui.] Congruens epithetum: nihil enim tam impellit in errorem, quam *ſui amor.* Hinc Tull. ad Attic. lib. 13. Ep. 13. *Niſi forte me communis φιλαυτία decepit.* Et de Offic. lib. 1. n. 91. *Tales nos eſſe putamus, ut jure laudemur . . . . . cum homines inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis verſantur erroribus.*

15. *Tollens vacuum plus, &c.*] Vana gloriatio, quâ homo inaniter ſe extollit prudentiâ vacuus. Quod pleriſque paſſim, at nemini frequentius accidit, quàm vino efferveſcentibus.

16. *Arcanique fides prodiga.*] Denique ſicut vitrum nihil abſcondit, ſic vinum tegenda revelat, retinenda prodigit, involvenda ſilentio divulgat, adeoque fidem labefacit ac violat, cum religioſæ taciturnitati commiſſa & credita temere profert & propalam effutit.

ODE

ODE XIX.

Glyceræ ſe uri amore ſcribit.

MAter ſæva Cupidinum, [79] Thebanæque jubet me Semeles puer, Et laſciva licentia, [80] Finitis animum reddere amoribus. Urit me Glyceræ nitor, Splendentis Pario marmore puriùs; Urit grata protervitas,	*Crudelis amorum genetrix & filius Semeles Thebanæ, atque luxurioſa libertas cogit me ad extinctos amores reducere animum. Accendit me decor Glyceræ marmore Pario clarius refulgentis. Inflammat* me *jucunda* ejus *procacitas,*

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod ſupra Od. 3.

1. *Mater ſæva Cupidinum*] Tria ſunt irritamenta libidinis præcipua, humorum craſis & temperies, vinum, familiaritas & converſatio cum mulieribus. His ſe revolvi in abjectos amores atque abripi ſcribit Horatius, *Venere, Baccho, laſcivâ licentiâ.* Cæterum verſiculus iſte non temere ſcriptus, qui rurſum habetur Od. 1. lib. 4. Singulas ergo voculas ponderemus. *Mater ſæva*, Venus. Nam,

Quiſquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.

Virg. Eclog. 3, 110. & Eclog. 8. v. 47.

Sævus amor docuit, &c.

& Eclog. 8. 50. *improbus ille puer, &c.*

Bene Anacreon:

Χαλεπὸν τὸ μὴ φιλῆσαι,
Χαλεπὸν δὲ ϗ φιλῆσαι,
Χαλεπώτερον δὲ πάντων,
ἀποτυγχάνειν φιλοῦντα.

Durum eſt non amare;
Durum eſt etiam amare;
Duriſſimum vero omnium,
Non frui re amata.

Cupidinum] Non una Venus, nec unus Cupido fuit. Duas Veneres eſſe ait Plato in convivio, alteram veterem, juniorem alteram. At Cic. 3. de Natura Deorum n. 58. *Venus prima,* inquit, *Cœlo & Die nata, cujus Elide delubrum vidimus. Altera ſpumâ procreata . . . . . . Tertia Jove nata & Dione . . . . Quarta Syria, quam Adonidi nupſiſſe traditur eſt.* Et num. 60. *Cupido primus, Mercurio, & Dianâ prima natus dicitur: ſecundus, Mercurio, & Venere ſecunda: tertius quidem eſt Anteros, Marte & Venere tertiâ* Quid ergo hic? Certe Poetis ſolenne eſt uni tribuere quod plurium eſt, præſertim cum nomen idem occurrit. Sic uni Herculi ea tribuunt omnia, quæ tamen à diverſis confecta ſunt. Pariter ab Ovid. Faſt. 4. v. 1. Venus appellatur *geminorum mater Amorum.* Et hîc *mater Cupidinum.* Sic & a Pauſan. in Attic. tres Veneris filii referuntur, Ἔρως, Ἵμερος, Πόθος. Apud Lucianum vero Venus Paridem alloquens duos ſibi filios jactat eximios eſſe, Ἵμερον ϗ Ἔρωτα. Alii *Cupidinum matrem* dici Venerem contendunt, ob varios & multiplices affectus, qui eam & amorem nunquam non comitantur. Nam qui amant, modo ſpe recreantur, aut gaudio fruuntur; ſæpius autem triſtitiâ ob repulſam, irâ adverſus rivalem, interdum etiam deſperatione aguntur, uſque ad ſuſpendium, &c. minus placent qui *matrem Cupidinum* explicant per amoris aſſeclas, ludum, jocum, ſaltus, cantus, &c.

2. *Thebanæ Semeles puer.*] Bacchus, qui natus fertur Semele Cadmi Thebarum regis filiâ: ibique ipſe colebatur. Vino autem accendi Venerem quis neſcit? Apoſt. ad Epheſ. cap. 5. v. 18. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* S. Hieron. *Venter mero æſtuans facile deſpumat in libidinem.*

3. *Laſciva licentia.*] Otium, indulgentia, laſcivia. Theophraſtus ait amorem eſſe *affectum animi otioſi*, πάθος ψυχῆς σχολαζούσης.

5. *Urit me Glyceræ nitor.*] Amoris tyrannidem excuſſerat Horatius, at aſpectus Glyceræ novas catenas injecit. Nimirum pulchritudo eſt *ſplendor quidam in oculorum fulgore, in lineamentorum concinnitate ac decore conſiſtens, humanum ad ſe rapiens animum.* Virgil. Georg. 3. v. 215.

. . . . . *Uritque videndo*
Fœmina.———

6. *Splendentis Pario marmore puriùs.*] Paros inſula maris Ægei, Cycladum una, candidi marmoris ferax, eoque nomine celeberrima, Strab. l. 10. Plin. l. 36. c. 5. &c. Pindar. de Callicle.

Παρίου λίθου λευκότερον.
Pario lapide candidiorem.

7. *Urit grata protervitas.*] Superbia quædam & ſeveritas ſaltem ficta: ferocia quæ plerumque amantes plus accendit: qui quod negari videtur, eo ferventiùs appetunt, eoque jucundiùs proſequuntur.

& facies intuitu nimis pericu-loſa. Venus Cyprum relinquens me tota invaſit, neque ſinit me referre Scytharum bella, *neque Parthos equis converſis ſtrenuos, nec quæcunque* ad ipſam *nihil ſpectant. O famuli, iſtic ceſpitem virentem,*

Et vultus nimiùm lubricus aſpici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deſeruit; nec patitur Scythas;
Et verſis animoſum equis [81]
Parthum dicere, nec quæ nihil attinent.
Hîc vivum mihi ceſpitem, hîc

ANNOTATIONES.

8. *Vultus nimium lubricus aſpici.*] Aſpectus enim mulieris formoſæ in lapſum ſtatim impellit, Metaph. a locis lubricis, in quibus ſine cadendi periculo nemo ſtat aut incedit. Virg. Ecl. 8. 48.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!

Alii interpretantur, oculos Glyceræ mobiles, lubricos, petulantes, ad libidinem pollicientes. Anacreon carm. 2. ait, *Naturam dediſſe tauro cornua, calces equis, curſum leporibus, dentes leoni, &c. viris prudentiam, at mulieribus pulchritudinem, quæ parmis & lanceis fortior ferrum flammamque vincit, & domat.*

9. *In me tota ruens Venus Cyprum deſeruit.*] Adeo nempe me Venus obſidet & occupat, inquit, ut videatur reliquiſſe Cyprum, ubi tamen dominatur potentiſſimè, & colitur. Virg. Æneid. 1. v. 722.

. . . . Inſcia Dido
Inſideat quantus miſeræ Deus.

10. *Nec patitur Scythas, &c.*] Non me patitur aliis vacare quibuſlibet rebus, niſi amori: unde nequaquam poſſum ſcribere Scytharum vel Parthorum prælia, nec alia bella, nec vero ea quæ ad Romanam Rempublicam & gloriam ſpectant. Poſterius hoc opinatur Cruquius dici ab Horatio, ut ſe excuſet atque commendet, & aduletur Auguſto, cui, inquit, tunc forte remiſſa fuerint ultro a Parthis ea ſigna militaria, quæ M. Craſſo & M. Antonio erepta fuerant. De quibus Juſtin. in fine l. 42. infra citand. Verum hæc nullo ſunt argumento ſubnixa.

Scythas.] Hi populi ſunt Aſiæ Borealis celeberrimi, & late patentes; de quibus fuſè Strabo, Ptolem. Plin. &c. tria de illis notatu digna memorantur a Juſtino lib. 2. antiquitas, virtus bellica, & quod Parthicum regnum condiderint. Adde Amazonum famam toto orbe omnibuſque ſæculis diffuſam. *Non virorum magis imperio, quam feminarum virtutibus claruere. Quippe cum ipſi Parthos Bactrianoſque; feminæ autem eorum Amazonum regna condiderint* & cap. 3. *Imperium Aſiæ ter quæſivere, ipſi perpetuo ab alieno Imperio aut intacti, aut invicti, manſere. Darium regem Perſarum turpi ab Scythia ſummoverunt fugâ, Cyrum cum omni exercitu trucidaverunt. Alexandri magni ducem Zopyriona cum copiis univerſis deleverunt. Romanorum audivere, non ſenſere arma . . . . Gens laboribus & bellis aſpera. Vires corporum immenſæ. Nihil parare quod amittere timeant, nihil victores præter gloriam concupiſcunt.*

11. *Et verſis animoſum equis Parthum.*] Verg. Georg. 3. v. 30.

Addam urbes Aſiæ domitas, pulſumque Niphaten,
Fidentemque fuga Parthum, verſiſque ſagittis.

Juſtin. Lib. 41. 2. *Parthi*, inquit, *pugnant procurrentibus equis aut terga dantibus. Sæpe etiam fugam ſimulant, ut incautiores adverſum vulnera inſequentes habeant . . . Intolerandi forent, ſi quantus impetus eſt, vis tanta & perſeverantia eſſet. Plerumque in ipſo ardore certaminis prælia deſerunt, ac paulo poſt pugnam ex fugâ repetunt, ut cum maxime viciſſe te putes, tunc tibi diſcrimen ſubeundum ſit.* Ergo non abs re Horatius *Parthum* dicit *animoſum*: adeo virtus etiam in hoſte laudatur. Nam Romanis Parthi formidabiles ſemper fuere, ſub Mithridate præſertim illo, *cui res geſtæ Magni cognomen dedere*, ut ait Juſtin. lib. 42. imo ſæpe illorum fuderunt exercitus Duceſque. Juſtin. lib. 41. init. *A Romanis quoque trinis bellis per maximos Duces florentiſſimis temporibus laceſſiti, ſoli ex omnibus gentibus non pares ſolum, verum etiam victores fuere.* Tandem illi tamen Auguſti famâ perculſi, ejus arma pertimeſcentes, captivos e Craſſiano atque Antoniano exercitu totâ Parthiâ recollectos, ſignaque cum his militaria remiſerunt. Unde & cuſi nummi cum hâc epigraphe: SIGNIS RECEPTIS. *Pluſque Cæſar magnitudine nominis ſui fecit, quam armis alius imperator facere potuiſſet.* Hæc Juſtin. cit. lib. 42. in fine. V. & Flor. lib. 3. cap. 11. & lib. 4. cap. 9. præſertim autem cap. 10. ubi virtus Romana hanc expreſſit laudem e Barbaris: *Ite, & bene valete, Romani; meritò vos victores fama gentium loquitur, qui Parthorum tela fugiſtis.*

Vide & ſupra Od. 12. Annot. ad v. 53.

13. *Hic vivum mihi ceſpitem, &c.*] Victus denique amore Glyceræ Horatius, ſacra parat, quibus ejus animum placatâ Venere demereatur. Sui vero ardorem amoris & impatientiam denotat, vel ex eo quod aram e ceſpite extruat brevi quidem & expeditâ ratione; quod fieri ſolitum duntaxat in ſubitis rebus & moram haud ferentibus.

Verbenas, pueri, ponite, thuráque
Bimi cum paterâ meri.
Mactatâ veniet lenior hoſtiâ.

iſtic verbenas & thura mihi afferte cum cratere vini bimi. [82] Poſt *immolatam victimam mitior fiet* Glycera. 16

ANNOTATIONES.

13. *Verbenas.*] Herbas in ſacris aſſuetas parate. Proprie verbena eſt herba quædam, Gal. *De la Vervene*, Angl. Vervain; any holy Herbs, De hac Plin. lib. 25. cap. 9. *Herba nulla Romana nobilitatis plus habet quam hierabotane; noſtri verbenacam vocant. Hæc eſt, quam legatos ferre ad hoſtes indicavimus. Hâc Jovis menſa verritur; domus purgantur luſtranturque.* Servius ait eſſe virgulta quæ ſemper vireant. Ex Donato verbena quaſi herbena dicitur, eſtque herba e puro loco decerpta cum terrâ adhærente. Similiter Plin. lib. 20. cap. 2. *Verbenæ nomine ſignificatur gramen ex arce* (al. area) *cum ſua terra evulſum, &c.* Conſtat eo nomine cenſeri eas omnes herbas, quæ in ſacris adhibentur. Virg. Eclog. 8. 65.

Verbenaſque adole pingues, & maſcula thura.

Ubi per epithetum, *pingues*, volunt indicari olivam. Terent. And. 4. 4. 5.

Ex arâ hinc ſume verbenas tibi.

Atqui apud Menandrum, unde ſententiam ille tranſtulit & verba, verbenæ ſunt myrti. Plinius quoque dixit *myrteam verbenam*. Ergo per catachreſin verbenæ appellantur rami, virgæ, frondes, e lauro, myrto, olivâ, rore marino, aliæque felices herbæ religioni & ſacris ſervientes: his nempe aras coronabant; deinde thus adolebant; poſtea vinum e paterâ libabant.

15. *Bimi cum patera meri.*] *Bimi*, id eſt, duorum annorum; *du vin de deux feuilles*. Angl. Wine of two Years old. Affectabant veteres in ſacris vetus vinum, tanquam optimum: item *merum*, & purum, ſine aquæ admixtione. Quapropter *Græca vina libare nefas, quoniam aquam habeant*; ex Plin. lib. 14. cap. 19.

17. *Mactata veniet lenior hoſtia.*] An Venus *ſæva Cupidinum mater*; an Glycera *protervo*? Hanc ego potius, quam illam intelligi ab Horatio cenſuerim, leniorem futuram, quæ dura prius erga illum & immitis fuerat. Scilicet hoc ſperat per Veneris favorem, quem ſacro peracto ambit & ſibi conciliare nititur. At enim quod illud ſacrificium? Quæ hoſtia mactanda? *hoſtia* quidem & victima differunt, quod hæc minor ſit, illa major. *Mactata* porro dicitur, quaſi magis aucta, cujus capiti nimirum impoſita ex hordeo toſta mola, ſale conſperſa, thure ſuffita. Sunt qui Venerem ſanguine non placari, nec cæſâ victimâ pridem ſolitam contendunt: eo quod genitrix paſſim vocaretur: nec deceret eam ita coli, per quam vita datur: afferuntque Virg. Æn. 1. 419. ubi in templo Veneris Paphiæ thus & ſerta duntaxat memorantur;

Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedeſque reviſit
Læta ſuas; ubi templum, illi centumque Sabæo
Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.

Hinc & Eraſmus locum hunc ſic explicat: poſtquam Venerem placavero verbenis, thure, vino, ex more; Glycera veniet lenior, eritque tam facilis ac domita, quam ſit hoſtia mactata. Dormitâſſe vero ille bonus tunc credendus, meo quidem judicio: Alii contra ſentiunt, hoſtiam hîc ab Horatio vere mactandam ſignificari, ſeu columbam, utpote Veneri ſacram; ſeu quamcunque aliam. Cruquius, Turnebus. Certe *Venerem ſuem immolari quandoque Callimachus ſcribit. Factum id Argis adnotavit hiſtoria.* Cœl. Rhodig. lib. 25. cap. 26. *Apud Tuſſas autem in Ægypto Veneri, quæ ibi Cornuta colitur, vaccam ſacrificari*, refert Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 12. Aiunt vero, primis quidem ſeculis incruenta fuiſſe quævis ſacrificia, litatumque duntaxat arborum fructibus, ramis, foliis, herbis: at poſtea uſum invaluiſſe mactandi victimas Diis quibuſlibet, ipſique Veneri.

ODE XX.

Mæcenati ſpondet convivium, ſed frugale.

O dilecte Mæcenas eques, apud me quidem *mediocribus in poculis bibes ignobile Sabinum, quod egomet illivi Græco fictili recluſum ; quando in amphitheatro acclamationes tibi ſublatæ* fuerunt tantæ, *ut applauſum iterarent tibi litora patrii fluvii, pariter & lu-*

VILE potabis modicis Sabinum [83]
Cantharis, Græcâ quod ego ipſe teſtâ
Conditum levi, datus in theatro [84]
Cùm tibi plauſus,
Care Mæcenas eques ; ut paterni
Fluminis ripæ, ſimul & jocoſa

ANNOTATIONES.

Hæc Ode ejuſdem eſt metri, ut ſupra 2. *Jam ſatis terris.*

1. *Vile potabis, &c.*] Profecturus erat Mæcenas ſeu in Apuliam [ut vult Cruquius ex Divæi codice, quod idem notat Lubinus] ſeu quovis alio : antea vero ſe Horatio pro ſummâ inter eos familiaritate convivam fore ſignificârat. Hac Ode reſcribit Horatius Mæcenati, gratum id ſibi quidem, at pro ſuâ tenacitate tenue fore convivium ; cœnæque caput ex more proponit *Sabinum vinum*, ut erudite monet Theod. Marcil.

Sabinum.] Non quale tu habes in cellariis, generoſum bibes apud me : ſed tantummodo *vile &* modicum : nempe vinum vel ex *uva Biturica, quæ in eligendo ſolo moroſa, pingui putreſcit, gracili omnino non provenit : mediam temperiem delicate quærit; ob hoc Sabinis collibus familiaris.* Ex Plin. l. 14. c. 2. vel e *vinaciola, quam ſoli novere Sabini ac Laurentii:* ex eodem ibid. c. 3. Athenæus autem l. 1. c. 21. ait, *Inter Italica vina leviſſimum eſſe Sabinum, potuique tempeſtivum ab anno ſeptimo uſque ad decimum quintum.*

Modicis Cantharis.] *Petits brocs. Angl.* in little Cups. Pro quolibet vaſe hîc ponitur *cantharus*, qui quidem non parvum eſt vas, cum Sileno attribuatur perquam ebrioſo, gravisque appelletur Virg. Eclog. 6. 17.

Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.

Xenarchus apud Athen. lib. 11. cap. 6.

Ne effunde, O puer, in argenteum poculum ; ſed potius in profundum cantharum. Ib. Epigenes. *At Cantharos nunc non fingunt amplos illos & capaces, ſed humilia pocula, &c.*

2. *Græca quod ego ipſe teſta Conditum levi.*] Vinum alioqui non exquiſitum ex eo commendat Horatius, quod ipſe ſtudioſe condiderit, obturârit, notârit. Quatuor iſta nempe veteres vinum ſervaturi faciebant : diffundebant in vaſa ; deinde condiebant, *admiſta calce, ſale, croco, reſina, pice, &c. ut odor vino contingeret & ſaporis acumen.* ex Plin. lib. 14. cap. 19, 20, & 21. tum diligenter obturabant atque illinebant pice, gypſo, limo. Docet Columella lib. ult. & Plin. cit. *Picari dolia oportere, dein perfundi aqua marina, aut ſalſa ; poſtea cinere ſarmenti aſpergi.* Et paulo poſt, *Sic opercula doliorum medicanda, additâ maſtiche ac pice.* Perſ. vero Sat. 4 v. 29.

Seriolæ veteris metuens deradere limum,
Ingemit :

Denique notabant quale vinum & quo tempore conditum fuiſſet. Id paſſim obſervare eſt : & poſtea notabimus pluribus locis. Hic ergo priora tria quatuor verbis exprimuntur, quartum ſequentibus. *Græca teſta conditum levi*, inquit, *datus in theatro cum tibi plauſus.* Quaſi diceret ; condidi, ſeu in vaſa infudi : *Græca teſta*, vel ſuper fæcem vini Græci, vel in doliis in quibus ante fuerat vinum Græcum, ut ita vis Sabino ſaporque accederet. Tertio *levi*, ſeu pice, ſeu gypſo. Demum tempus notat, addendo : *Cum datus tibi plauſus, &c.*

Teſta Græca.] Cado teſtaceo, quod vaſis genus e Græcia ortum. Plin. lib. 14. cap. 21. cit. *Circa Alpes ligneis vaſis condunt, circuliſque cingunt.* Quibus verbis oſtendit Romæ iſta vaſa nondum tunc in uſu fuiſſe.

3. *Datus in theatro cum tibi plauſus.*] Jucunde ſimul & honorifice refricat Horatius Mæcenati memoriam dati per Populum Romanum plauſus, cum ad ſpectacula veniſſet ; (ſolebant enim viri graves ac de Republica bene meriti acclamationibus excipi ;) ſeu cum ludos ipſe exhibuiſſet pro ſuâ liberalitate magnificos ; ſeu ob lætitiam recuperatæ a Mæcenate valetudinis ; varias enim varii plauſus hujus cauſas comminiſcuntur.

5. *Eques.*] Modeſtia hîc Mæcenatis celebratur, qui cum ſummos quoſque capeſſere magiſtratus potuiſſet, ultro delatos recuſavit, & Equeſtri dignitate contentus vixit. Propert. l. 3. Ecl. 9. v. 1.

Mæcenas Eques Etruſco de ſanguine Regum,
Intra fortunam qui cupis eſſe tuam.

Ut paterni Fluminis ripæ, &c.] Tantus porro fuit ille plauſus, ut inde perſonarent ripæ Tibe-

Redderet

Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubum, & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam. Mea nec Falernæ [85]
Temperant vites, neque Formiani 11
Pocula colles.

dicra ſpecies collis Vaticani. Tu domi potabis Cæcubum, atque uvam in torculari Caleno preſſam. Nam certe mea vaſa neque Falerni condiunt racemi nec montes Formiani,

ANNOTATIONES.

ris ſcaturientis in Hetruria, quæ Mæcenatis patria erat; necnon acclamantium voces ingeminaret Echo reſidens in concavis locis apud montem Vaticanum, qui theatro Pompeii proximus, ſicut & fluvius Tiberis.

7. *Vaticani Montis.*] Hic unus e collibus in quibus Roma ædificata eſt, adhuc retinet vetus nomen, inſuper autem oſtentat inſignem S. Petri Baſilicam, & palatium Pontificium dictus eſt, a vaticiniis illic edi pridem ſolitis. Vide Gell. lib. 16. cap. 17.

8. *Imago.*] Repetitio vocis, & acclamationum populi repercuſſio facta in monte. *Jocoſa.*] Quia jocari videtur Echo, dum ultima tantùm verba repetit atque ingeminat. Supra Od. 12. 3.

Recinet jocoſa Nomen imago.

Virgil. Geor. 4. 50.

Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago.

Tullius Tuſcul. lib. 3. n. 3. ſimile quid habet ubi ſcribit: *Popularem gloriam in ſummâ inanitate verſari, neque hanc eſſe eminentem virtutis effigiem, ſed adumbratam imaginem gloriæ.* Additque, *Eſt enim gloria, ſolida quædam res, & expreſſa, non adumbrata. Ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute. Ea virtuti reſonat, tanquam imago gloriæ.*

9. *Cæcubum, & præ o domitam Caleno Tu bibes, &c.*] Tu quidem apud te bibes vina ejuſmodi haud vulgaria, non ita vero apud me. Exquiſita certe vina ſectatum eſſe Mæcenatem indicat, quod ejus nomine quædam celebrata ſint ac Mæcenatiana dicta; quæ quidem refert & inter generoſa cenſet Plinius lib. 14. cap. 6.

Cæcubum.] Cæcubus mons Latii ad ſinum Caietanum, Fundis vicinus & Amyclis, optimi vini ferax. Martial. lib. 13. Epigram. 115.

Cæcuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis:
Vitis & in mediâ nata palude viret.

Plin. l. 14. c. 6. *Generoſitas celeberrima in paluſtribus populetis.* Athen. l. c. 22. ex Galeno ſcribit, *Cæcubum generoſum, firmum, infeſtum capiti non niſi poſt annos plures vetuſtum.* Porro non a loco dictum vult Cæcubum Galenus variis locis, ſed ita vocari vetuſtiſſimum quodlibet & ob vetuſtatem fulvum.

Caleno.] Cales, vel Calenum, urbs Campaniæ ſeu regni Neapolitani, in provincia terræ Laboris, a Cala Boreæ filio, Argonauta, ut ferunt, condita, fertilem habet agrum vino generoſo; nec minus celebrem aquâ temulentos faciente, ſi Plinio fides. Athen. cit. *Calenum lene magis quam Falernum ſtomacho placet* ὁ Καλληνὸς κοῦφος τοῦ Φαλέρνου εὐστομαχώτερος.

10. *Mea nec Falernæ.*] Mea vina non ſunt e nobilioribus.

Falernæ.] Cui non audita fama vini è monte & agro Falerno in Campania? De eo Strabo lib. 5. Athen. cit. *Falernum anno decimo tempeſtivum eſſe potui, &c.* Plin. cit. *Secunda nobilitas Falerno.* Lib. vero 23. cap. 1. ejus ſalubritatem perſequitur, ſicut & aliorum.

11. *Formiani.*] Et hoc celebre vinum erat ex agro Formiano in Campania, non procul Cajeta. Athen. cit. *Formianum ſtatim viget.*

ODE

ODE XXI. IN DIANAM & APOLLINEM.

Molles puellæ canite Dianam: adoleſcentuli canite Apollinem crinitum, & Latonam omnino charam ſummo Jovi. Vos celebrate *gaudentem fluminibus & ſilvarum* denſis *frondibus, quæcunque vel frigido extat Algido, vel nemoribus umbroſis Erymanthi, vel Cragi viridantis. Vos, ô maſculi, tot encomiis efferte Tempe,*

Dianam teneræ dicite virgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium, [86]
Latonamque ſupremo
Dilectam penitùs Jovi.
Vos lætam fluviis, & nemorum comâ,
Quæcunque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Sylvis, aut viridis Cragi. [87]
Vos Tempe totidem tollite laudibus,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Ode 5.

Triplex apud Horatium carmen ſeculare inſcriptum legimus. Unum tamen ludis ſecularibus decantatum; illud nempe quod eſt pôſt Epodos; alia Duo, (ut volunt quidam) hoc ſcilicet & Ode 6. libri quarti ludis Apollinaribus, de quorum origine fusè diſſerit Macrob. l. 1. Saturn. c. 17. Eſt hic igitur Hymnus Apollini & Dianæ, Diis averruncis & ἀλεξικάκοις, dedicatus, ut mala in hoſtes avertant, Populo vero Romano ſecuritatem, ſanitatem, frugumque abundantiam impertiant; Auguſtum autem Principem diu ſervent. De ſeculari carmine plura ſuo loco.

1. *Dianam.*] Hanc fortaſſe priorem invocat, quia prior nata parturienti fratrem geminum Apollinem matri Latonæ obſtetricis officium præſtitiſſe fertur: *Dicite virgines*, his mandabatur cantandum carmen in honorem Deorum, quia *caſta placent ſuperis.*

2. *Intonſum.*] Pindaro ἀκειρεκόμαν, *non raſo capillo.* Nimirum ob radios ſolares: Vide Macr. ante cit. & ob perpetuam juventutem. Tibull. 1, 4. 36.

Solis æterna eſt Phœbo Bacchoque juventa:
Et decet intonſus crinis utrumque Deum.

Pueri.] Tit. Liv. lib. 31. *Carmen ab ter novenis virginibus cani per urbem juſſerunt.* Et lib. 37. *Decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes matrimique ad id ſacrificium adhibiti.* Zoſimus Hiſtor. novæ lib. 11. *Ter novem pueri illuſtres totidemque puellæ.* Flav. Vopiſcus Aurelian. *Patrimis matrimiſque pueris carmen indicite.*

Dicite Cynthium.] Apollinem, qui natus apud Cynthum montem in Delo inſula. Hunc vero pariter & Dianam præcipue celebrat, quod eorum oraculis motus Æneas in Italiam venit. Æneid. 3. v. 97. & 381. Æneid. 4. v. 385. Æneid. 6. v. 67. ubi ſic precatur Æneas.

. . . . Da Latio conſidere Teucros;
Tum Phœbo & Triviæ ſolido de marmore templa
Inſtituam, feſtoſque dies de nomine Phœbi.

In carmine ſeculari poſtea Horatius ad Apollinem & Dianam.

Roma ſi veſtrum eſt opus.

3. *Latonam.*] Hæc velut Apollinis & Dianæ mater ab Horatio jungitur hic iis Numinibus, quibus edebantur Ludi Seculares. Ita vero recenſentur ab Zoſimo cit. *Jupiter, Juno, Apollo, Diana, Parcæ, Lucina, Ceres, Pluto, Proſerpina.*

4. *Dilectam penitus Jovi.*] Et quidem tantâ Junonis zelotypiâ, ut eam pellicem ejuſque fœtus omni conatu perdere tentârit, immiſſo adverſus prægnantem Pythone ſerpente; incaſſum tamen. Varias enim illa regiones fugiendo pervagata, appulit in Ortygiam inſulam, quæ & Delos nominata: Ubi ex Jove Dianam & Apollinem uno partu edidit. Vide Ovidium. Macrob. cit. &c.

5. *Vos lætam fluviis, & nemorum coma.*] Vos, O virgines, laudate virginem Dianam propterea gaudentem *ſilvis* ac venatione, ut virorum fugiat conſortium; *fluviis* autem, in quibus abſtergeret ſudorem in ſectando feras contractum, Ovid. Metam. 3. v. 163.

Hic dea ſylvarum venatu feſſa ſolebat
Virgineos artus liquido perfundere rore.

6. *Quæcunque aut gelido prominet, &c.*] Sive in *Algido* Latii, ab urbe paſſ. 20000. ſive in *Erymantho* Arcadiæ, ſive in *Crago*, Lyciæ montibus. In hoc aiunt fuiſſe agreſtium Deorum antra. Apud *Erymanthum* venari Diana ſcribitur Homer. Odyſſ. 6. *Algidum* denique perinde ac Aventinum tenere, ſeu in iis dominari, jactata Diana Carmine ſeculari, ſub finem.

9. *Vos Tempe totidem, &c.*] Vos autem, O caſti pueri, canite loca Phœbo dilecta, velut *Tempe* in Theſſalia, crebris lauris, quæ ſacra ſunt Apollini, præcipuaque amœnitate inclyta: *Delum* item inſulam ejus ortu, ſummâque eam ob rem religione nobilem ac reverendam. Cic. Ver. 3. n. 47. & ſeq. *Apollinem tu Delium ſpoliare auſus es? Illic tu templo,*

Natalemque

Natalémque, mares, Delon Apollinis,
Inſignémque pharetrâ,
Fraternâque humerum lyrâ.
Hic bellum lacrymoſum, hic miſeram famem
Peſtemque a populo, & principe Cæſare, in
Perſas atque Britannos
Veſtrâ motus aget prece.

& Delum Phœbi natalibus inclytam; & ſcapulam ejus exornatam pharetrâ, & fratris citharâ. Veſtris illi votis exoratus, à plebe & Augusto Imperatore luctuoſum bellum ac famem ærumnoſam, atque luem propulſabit ad Perſas & Britannos.

ANNOTATIONES.

tam antiquo, tam ſancto, tam religioſo manus impias ac ſacrilegas afferre conatus es? . . . . . . proditum memoriæ ac literis Latonam ex longo errore & fugâ gravidam, & jam ad pariendum vicinam, temporibus exactis, fugiſſe Delum, atque ibi Apollinem ac Dianam peperiſſe: quâ ex opinione hominum, illa inſula eorum Deorum ſacra putatur: tantaque ejus auctoritas religionis & eſt, & ſemper fuit, ut ne Perſæ quidem, cùm bellum toti Græciæ, Diis hominibuſque indixiſſent, & mille numero navium claſſem ad Delum appuliſſent, quidquam conarentur aut violare aut attingere.

Tempe.] Plin. l. 4. c. 8. *Inter Oſſam & Olympum nemoroſa convalle . . . . . Tempe vocantur quinque millium paſſuum longitudine, & ferme ſeſquijugeri latitudine ultra viſum hominis attollentibus ſe dexterâ lævâque leniter convexis jugis: intus ſub luco viridante allabitur Peneus viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus avium concentu.*

10. *Delon.*] Plin. modò cit. cap. 12. *Longe clariſſima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos: quæ diu fluctuata, ut proditur, ſola motum terræ non ſenſit ad M. Varronis ætatem . . . . . hanc Ariſtoteles ita appellatam prodidit, quoniam repente apparuerit enata . . . . . . Cynthiam, Ortygiam, &c. alii vocant . . . . . cingitur quinque millibus paſſuum: aſſurgit Cyntho, monte.* Et ſub finem ejuſdem cap. ſcribit, *Hyperboreos frugum primitias ſolitos Delon mittere Apollini, quem præcipue colunt. Virgines ferebant eas, hoſpitiis gentium per annos aliquot venerabiles, &c.*

11. *Inſignemque pharetrâ.*] Jaculandi peritus habitus eſt ſemper Phœbus, atque *certa metuendus ſagitta*, ut eſt Od. 12. ſupra: tum ob interfectum Pythonem ſerpentem, occiſoſque Niobæ filios. Adde Virgil. Æneid. 6. v. 57. tum vero quod radiis in mortales ferventi æſtu vibratis, morbos peſtemque gignat. De quo Macrob. cit. cap. 17. lib. 1. Saturn.

12. *Fraternaque humerum lyra.*] Inſignem etiam lyræ inventione & melodia ipſi a Mercurio conceſſa: quæ fuſe explicui Annot. ad Od. 10. ſupra. *Fraterna.*] Apollo & Mercurius, fratres noſcuntur, ambo nimirum ex eodem patre Jove procreati, hic quidem Maiâ genitrice, ille vero Latonâ Cœi Titanis filiâ, u ſupra jam dictum.

13. *Hic bellum lacbrymoſum, &c.*] Apollo Deus averruncus prece veſtrâ permotus in hoſtes depellet impendentia nobis mala: *Bellum* matribus filios amittentibus ac deflentibus deteſtatum, ut eſt Od. 1. *Famem*, qua nihil miſerabilius, cum proprios aliquando filios parentes comederint, urgente fame. *Peſtem* denique e fame ſæpius exortam; tria nempe mala omnium maxime formidanda.

15. *In Perſas atque Britannos.*] Ab Auguſto Cæſare feliciter Rempublicam adminiſtrante Phœbus dicta avertet mala in hoſtes Populi Romani *Perſas*, qui pro Parthis hic poſiti videntur; quos ille per Ventidium legatum ſubegit. Sueton. Flor. *Britannos*, hodie *Anglos*, de quibus Virgil. Eclog. 1. v. 67.

Toto diviſos orbe Britannos.

ODE

ODE XXII.

Innocentiam ubique tutam eſſe.

O Fuſce, quiſquis innocenter vivit & ſine crimine, non habet opus Maurorum telis, nec arcu, nec pharetrâ plenâ ſagittis toxico infectis; Seu ambulet per Syrtes fervidas, ſeu per Caucaſum hoſpitibus carentem, ſeu per regiones, quas alluit Hydaſpes fabulis celebratus. Enimvero nuper *in Sabinâ ſilvâ, dum canerem Lalagen meam* amicam, *atque præ-*

INteger vitæ, ſcelerîſque purus
Non eget Mauri jaculis neque arcu,
Nec venenatis gravidâ ſagittis,
Fuſce, pharetrâ;
Sive per Syrtes iter æſtuoſas, [89]
Sive facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.
Namque me ſilvâ lupus in Sabinâ,
Dum meam canto Lalagen, & ultra

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2.

Eidem hanc Odon, atque Epiſtolam decimam ejuſdem fere argumenti ſcribit Horatius, Ariſtio Fuſco, viro probo, Grammatico, amico. Ob bonam morum integritatem laudat; amico declinatum a ſe vitæ periculum ſignificat; Philologo dictionum & verborum elegantia ſtudioſe verſificatur. Hæc tria, Lector, obſerva, dum ego cætera perſequor.

2. *Non eget Mauri jaculis, &c.*] Vir innocens ſuâ ſatis probitate tutus, armis non eget, quibus arceat quævis pericula. *Mauri*, quidam legunt *Mauris*. Hi jaculatores eximii pedem efferre domo vix audent ſine telis, ob frequentiam ferarum a quibus diſcrimen imminet. Herodian. Ælin. lib. 14. de Animal. cap. 5. Mauritania Africæ regio Barbarica, ubi nunc regna Feſſanum, Marochium, Tremiſenum, Algerianum.

3. *Venenatis ſagittis.*] Plin. lib. 18. cap. 1. *Quod animal tela ſua, excepto homine, venenis tingit? Nos & ſagittas ungimus, ac ferro ipſi nocentius aliquid damus . . . a nullo animalium, præter hominem, veneno pugnatur alieno.* Vide Cœl Rhodig. l. 23. c. 10. ubi de multiplici ratione tela veneno imbuendi plura.

5. *Syrtes æſtuoſas.*] Non de Syrtibus maritimis hîc agitur; ſed de arenoſis iis locis Africæ, apud Libyam, Solis ardore ſabulique ſiccitate æſtuantibus ſeu fervidis, per quæ iter fieri nequit, niſi ex ſiderum obſervatione, & cum magno quidem vitæ periculo, tum a feris, venenoſiſque animalibus, tum ob volubiles arenæ cumulos, quos ventus tollit ac transfert. Prudent. in Apotheoſi, cap. 4. adverſus Judæos.

Nec reſponſa refert Libycis in Syrtibus Ammon.

6. *Inhoſpitalem Caucaſum.*] Aſiæ montem altiſſimum atque celebratiſſimum, vel ob Prometheum, quem ibi fabulantur vinctum, ejuſque jecur ab aquilâ perpetuo arrodi. *Inhoſpitalem*, ob nives aſſiduas inhabitalem, item ob ſcopulos unde Virgil Æneid. 4. v. 366.

———— *Cautibus horrens*
Caucaſus. ————

Mons ille inter duo maria Caſpium & Euxinum, tantæ fertur altitudinis, ut ejus vertex ad tertiam noctis partem Solis radiis illuſtretur. Vide Ariſtot. Meteor. 1. c. 3. Quint. Curt. lib. 7. ejus pars a quibuſdam creditur mons Ararath verſus Armeniam, in quo poſt diluvium quievit arca Noë.

7. *Vel quæ loca fabuloſus Lambit Hydaſpes.*] Per Indiam nimirum. Duplex eſt Hydaſpes fluvius in Aſiâ: Alter Medos alluit, & hinc Georgic. 4. dicitur *Medus Hydaſpes*: alter Indiam citeriorem irrigat, hodie *Rawey*, fuitque terminus victoriarum Alexandri Magni; in Indum illabitur, apud Nyſam urbem: unde à Lucano lib. 8. vocatur *Nyſæus Hydaſpes.* Hic porro nuncupatur *fabuloſus*, quoniam multa de illo fabulantur; ut quòd arenam volvat auream; quòd gemmas ferat: unde *aurifer* Claudiano, *gemmifer* Senecæ Trag. in Medea appellatur, quod tanto ſonitu vortices agat, undas collidat, ſpumas attollat, ut non ſine trepidatione procul adſpiciatur; atque remiges Alexandri Magni reddiderit attonitos ac ſtupentes; ipſis etiam gubernatoribus rei novitate ſuſpenſis. Arrian. lib. 6. paulo poſt initium.

9. *Sabina.*] Hæc Italiæ regio pridem Latium inter Umbriam atque Hetruriam adhuc nomen ſervat, ſed anguſtiores habet fines; in ditione Pontificiâ continetur.

10. *Dum meam canto Lalagen.*] Dum meditor & compono de amoribus meis in Lalagen

Terminum

Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem;
Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit eſculetis;
Nec Jubæ tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor æſtivâ recreatur aurâ;
Quod latus mundi nebulæ, malúſque
Jupiter urget:

ter limites excurrerem liber ab omni ſolicitudine, armis licet deſtitutum vitavit me lupus: Quale monſtrum haud nutrit Apulia bellicoſa in patentibus eſculetis, nec gignit terra Jubæ, ſicca leonum altrix. Colloca me in agris ſterilibus, ubi nulla arbor fovetur tepido aëre; quam orbis partem infeſtant nubila, & malignus Jupiter:

ANNOTATIONES.

verſus & carmen: & *ultra terminum vagor:* cum œſtro poetico & amatorio abreptus in ſylvam aliquanto longius progredior, non advertens incidi in lupum ingentem & magnitudine portentoſum, qui tamen non modo non læſit, ſed ſponte me licet *inermem fugit.*

11. *Curis expeditus.*] Quidam legunt *expeditis*, perinde eſt.

12. *Fugit inermem.*] Meam reveritus innocentiam, non armis territus ille lupus ceſſit fugitque, inquit Poëta. S. Auguſt. lib. 1. contra Julianum: *Omnes beſtiæ*, inquit, *ante peccatum homini erant ſubjectæ. Quod autem nunc nocent, pœna prima eſt peccati. A principatu decidimus; a ſublimitate, & honore.* Ille quidem principatus utcunque eſt reſtitutus, poſt diluvium Deo Noë & filiis ejus loquente, Geneſ. cap. 9. *Sit terror veſter ac tremor ſuper cuncta animalia terræ:* unde S. Ambroſ. Epiſt. 38. *Feræ ſuos morſus ſæpe ſuſpenderunt revocante ſono vocis humanæ. Leones ipſos videmus, ſi vox hominis reſultârit, prædam dimittere: pardos & urſos incitari ac revocari vocibus.* At cum ſanctitate morum ac vitæ integritate, ad priorem innocentiam atque ad plenam apud Deum gratiam homo rediit, tum certe beſtiis, ut in felici quondam illo ſtatu, dominatur plene & ad arbitrium. Sic leones in eremo dejectâ cervice ad S. Antonium accedentes ejus manus ac pedes lingebant: Serpens Hilarioni morem geſſit, duo dracones Ammoni, crocodilus Heleno, leæna Joanni Abbati, hyæna Macario Alexandrino, &c. ſi legendis fides.

13. *Quale, portentum, &c.*] Talis ac tantus erat lupus iſte, ut major haud occurrat bellua ſive in Apuliæ ſilvis, ſive in Libyæ deſertis.

Militaris Daunia.] A Dauno rege, Diomedis, ut aiunt, ſocero, Daunia dicta eſt, olim Italiæ regio quædam in Apulia, hodie *la Capitanata*: alluitur Adriatico mari, regni pars eſt Neapolitani. Synecdoch. Vide Plin. lib. 3. cap. 11. & alibi. *Militaris*, aptos habens militiæ viros bene multos.

14. *In latis eſculetis.*] In late patentibus ſilvis, quæ conſitæ ſunt eſculis arboribus glandiferis: Plin. lib. 16. *Jovis ſacris.* Lib. 12. c. 1. *Arborum genera Numinibus dicata . . . . Jovi eſculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus.*

15. *Nec Jubæ tellus.*] Mauritania, in qua regnavit Juba, qui Pompeio addictus, Cæſari primum acriter reſtitit, &, ab eo tandem debellatus eſt, Plutarch. in Cæſare. Synec. ponitur pro Africa, cujus eſt pars verſus Occidentem. Plin. lib. 5. cap. 1.

Leonum Arida nutrix.] Tum arenarum ſiccitate, tum etiam aquarum penuriâ laborat & areſcit tota illa regio: leones aliaſque feras innumerabiles gignit. Vide Plin. l. 8. c. 16. ubi inter alia multa, ſic ait initio capitis: *Leoni præcipua generoſitas, tunc cum colla armoſque veſtiunt jubæ . . . . Africa hæc maxime ſpectat, inopiâ aquarum ad paucos amnes congregantibus ſe feris. Ideo multiformes ibi animalium partus . . . . unde vulgare dictum Græciæ Semper aliquid novi afferre Africam.* Vide & Cœlii Rhodig. lib. 13. cap. 8. & 19. ubi de leonum natura quæpiam differit non ſpernenda.

17. *Pone me, pigris ubi nulla, &c.*] Ergo intrepidus ubique fuero & ſecurus, etiamſi me ponas in terris horrorem incutientibus, vel ob nimium frigus, vel ob æſtum intolerabilem.

Ubi nulla campis Arbor, &c.] Apud utrumque mundi Polum Arcticum, & Antarcticum, ubi aſſiduum prope gelu terras facit ſteriles, longioreque Solis abſentiâ, per ſex nempe circiter menſes, *pigri* manent *campi*, *arborque nulla* creſcit, ubi *non æſtiva recreatur aura*: benigno carens eo tempore, quo plantis incrementum ac fœcunditas præſtatur. Hoc etiam *latus mundi* infeſtant ſemper *nebulæ*, quippe quas non diſcutit Sol; *maluſque Jupiter urget*, id eſt, rigidum, inſalubre, graveque cœlum, ſeu aer nunquam ſerenus & clemens. Ovid. Met. 3. 789.

Triſte ſolum, ſterilis, ſine fruge, ſine arbore tellus.
Frigus iners illic habitant, Pallorque Tremorque.
Et jejuna Fames——

Conſtitutus me ſub curru Solis nimis vicini in regione ædificiis carente, ubicunque diligam Lalagen ſuaviter arridentem, ſuaviter & verba facientem.

Pone ſub curru nimiùm propinqui [91]
Solis, in terrâ domibus negatâ,
Dulcè ridentem Lalagen amabo,
Dulcè loquentem.

ANNOTATIONES.

22. *Pone ſub curru nimiùm, &c.*] In Zonâ torridâ, inter utrumque Tropicum, ubi ſol *nimium propinquus* terras adurit, nulloſque proinde incolas ac domicilia permittit. Ovid. Metam. 1. 49.

Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu.

In eo ſcilicet errore verſati ſunt antiqui, quo nos levârunt ii qui navigando peragrandoque totum orbem luſtrârunt, habitatoreſque non deeſſe iis in plagis viderunt, quas inhabitabiles olim exiſtimavere. Neque eſt immodicus illic æſtus quem valde temperari conſtat noctium diebus æqualium longitudine. Adde quod ait Juſtinus lib. 2. initio: *Naturam, cùm primum incrementa caloris ac frigoris regionibus diſtinxit, ſtatim ad locorum patientiam animalia quoque generaſſe; ſed & arborum atque frugum pro regionum conditione apte genera variata.* Compertum itaque modo eſt, & ſalubrem ſatis aerem, & frequentes adeſſe populos in regionibus Æquatori ſubjectis ac vicinis: v. g. in inſulis Java, Sumatra, Borneo, Maldivis, Delphina, ſeu Madagaſcaria, &c. In continentibus vero terris, apud Malacam in Aſia, Guineam in Africa; in America vero, apud Caſtellam auream, Guaianam, Peruviam, &c.

ODE XXIII. Ad CHLOEN.

Ut jam nubilis haud ita viros fugiat.

O Chloë, me fugis velut hinnulus timidam parentem requirens per montium devia, haud ſine inani formidine ventorum ac nemoris. Corde enim ac genibus contremiſcit,

VItas hinnuleo me ſimilis, Chloë, [92]
Quærenti pavidam montibus aviis
Matrem, non ſine vano
Aurarum & ſilüæ metu.
Nam ſeu mobilibus vitis inhorruit

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod ſupra Od. 5.

Arguit Horatius in Chloë id quod in ingenuâ maxime laudandum puellâ videri debeat. Nam laſciviens queritur quod illa jam grandior non audeat abſente matre virum ſe alloqui, ſermoneſque miſcere.

1. *Vitas.*] Quibuſdam placet *vitat.* Verum, ut bene monet Theodorus Marcilius, Flaccum velle *vitas* liquet cum ſubjungit, *Atqui non ego te, &c.*

Hinnuleo ſimilis.] Tam meticuloſa quam hinnulus, cervi, damæ, aut capreoli pullus, a matre præſertim abſtractus.

Chloë.] Nomen adoleſcentulæ conveniens, Nam χλόη eſt herba virens.

2. *Quærenti pavidam matrem.*] A qua aberraverat. *Pavidam.*] Cerva enim ſemper timet, ejuſque in fugâ ſecuritatem natura conſtituit, tum a venatoribus, tum a feris.

Montibus aviis.] A tritâ nempe viâ declinare amant feræ.

4. *Silüæ.*] Diæreſis. Sic Tibull. 1. 10. 64.

Sit ſatis ornatas diſſolüiſſe comas.

5. *Nam ſeu mobilibus vitis inhorruit Ad ventum foliis.*] Hanc in interpretatione ſecutus ſum lectionem, quæ Mureti eſt atque Scaligeri: quanquam non ſatisfacit. Quid enim hinnulo per nemus cervam matrem quærenti, cum vite? Legunt vulgo: *Nam ſeu mobilius veris inhorruit adventus foliis:* ut ſi hypallage; pro, ſeu folia veris adventu inhorruere mota, ſcilicet vento quolibet tenui, puta, Zephyro. Quod nec omnino placet. Quid ſi feratur ad vocem antecedentem, *ſilüæ*; legamuſque, planiori certe ſenſu ac ſententiâ: *Seu mobilibus veris inhorruit ad ventum foliis:* id eſt, Seu motis foliis ſilva inhorruit ad ventum levem, Zephyrum nempe veris comitem, Vel, *Seu mobilibus veris inhorruit adventu foliis:* id eſt, Seu tremuit ſilva foliis motis veris adventu, ſlante Zephyro nimirum?

Ad

Ad ventum foliis, ſeu virides rubum
Dimovere lacertæ; [93]
Et corde & genibus tremit.
Atqui non ego te, tigris ut aſpera,
Gætulusve leo, frangere perſequor.
Tandem deſine matrem
Tempeſtiva ſequi viro.

ſive frondes virides leviter aura concutiuntur; ſive lacerti viri-des dumum commoverint. Verum ego te nequaquam inſequor, ut dilacerem quaſi tigris violenta, aut leo e Gætulia. Ergo viro matura deſine aliquando geni-trici inhærere.

ANNOTATIONES.

6. *Seu virides rubum Dimovere lacertæ.*] Sive latentes in rubo lacertæ, diſcurrendo ſtrepitum edidere, tantulum commoventes fruticem & ſpinas: tum vero hinnuleus trepidat, cor palpitat, & genua labant. De *lacertis* vide Plin. lib. 8. cap. 39. & alibi.

9. *Atqui non ego te, tigris ut aſpera, &c.*] Ego non nocendi, ſed amandi cupiditate perſequor te, Chloe: cur me fugis? Apud Ovid. Met. 1, 504. Apollo Daphnen inſequens:

Nympha, precor, Peneïa, mane: non inſequor hoſtis:
Nympha, mane. Sic agna lupum, ſic cerva leonem,
Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columbæ.

Tigris ut aſpera.] Hujus tantâ fertur crudelitas, ut ſponte hominem petat, cum reliquæ feræ, niſi fames aut ira ſtimulet, ultro fugiant. Plin. lib. 8. cap. 11. *Tigris Hircani & Indi ferunt animal velocitatis tremendæ, &c.*

10. *Gætulusve leo.*] *Gætulia tota ad flumen Nigrin, qui Africam ab Æthiopia dirimit:* inquit Plin. lib. 5. cap. 4. lib. vero 8. c. 16. *Leoni tantum ex feris clementia in ſupplices: proſtratis parcit: & ubi ſævit, in viros prius quam in feminas fremit: infantes non niſi magnâ fame. Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certe Gætuliæ reducem audivi, multorum in ſilvis impetum a ſe mitigatum alloquio, auſam dicere ſe feminam, profugam, infirmam, ſupplicem animalis omnium generoſiſſimi cæteriſque imperantis, indignam ejus gloria prædam. Varia circa hæc opinio, &c.* Gætulia Libyæ interioris regio, hodie *Biledulgerid*, magnam habere ferarum copiam a nemine ignoratur.

Frangere perſequor.] Phraſis Græca.

ODE XXIV. Ad VIRGILIUM.

De morte Quintilii Vari.

QUis deſiderio ſit pudor, aut modus [94]
Tam chari capitis? Præcipe lugubres

Quæ ſit verecundia, vel finis dolori, ob jacturam viri adeo dilecti? Doce querulos can-

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Ode 6.

Suas Horatius querelas jungit lachrymis & querimoniis Virgilii dilectum caput morte ſublatum deflentis: ejuſque dolorem dividit artificioſe quidem, ut imminuat atque conſoletur. Vult Sigonius proſopopœiam eſſe & dialogum Virgilii & Melpomenes, quos Horatius inducit: illum a Muſa conſilium opemque implorantem, duabus ſtrophis prioribus: hanc reſpondentem deinceps & conſolantem, ab his verbis, *Multis ille bonis, &c.* Sigon. emendat. lib. 2.

1. *Quis deſiderio ſit pudor, &c.*] Quem dolere pudeat, quis luctui modum putet adhibendum, amiſſo tam charo capite? Seneca tamen Epiſt. 100. ſic præcipit: *Eſt aliquis & dolendi decor: hic ſapienti ſervandus eſt: & quemadmodum in cæteris rebus, ita & in lacrymis aliquid ſat eſt. Imprudentium ut gaudia, ſic dolores exundavere. Æquo animo excipe neceſſaria.*

2. *Chari capitis.*] Eam dicendi formam Græcis Homeroque imprimis amatam notat Euſtath. Sic Odyſſ. Penelope de abſente Ulyſſe:

Τοίην κεφαλὴν ποθέω, Τεῦκρε, φίλη κεφαλή.
Tale caput deſidero, Teucer charum caput.

Hanc & Latini uſurparunt, *Lepidum caput, &c.*

Præcipe lugubres, &c.] Quidam legunt, *lugubris*, & ſubaudiunt, *Dea*: hoc ſenſu. O Melpomene, lugubris cantûs Dea, præcipe modum lugendi tam dilectum caput. Hanc vero Muſam præ cæteris invocat, utpote inventricem Tragœdiæ, rebuſque mœſtis præſidentem, Auſon. Eidyl. 20.

Melpomene Tragico proclamat mœſta boatu.

Cantus

men ô Melpomene, cui genitor impertivit amœnam vocem cum lyrâ. An igitur ſempiternus Varum ſomnus occupat? Cui verecunda atque integra fides juſtitiæ germana, & veritas ſimplex, quando reperient ſimilem quemquam? Is certe plurimis occubuit probis lugendus; at nemini magis quam tibi, Maro. Tu religioſus incaſſum, eheu, Quintilium repetis a Numinibus, haud ſic conceſſum. Etiamſi dulcius, quàm *Thrax Orpheus, chordam pulſes arboribus auſcultatam, minimè* tamen *vita reddatur inani ſimulachro,*

Cantus Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum citharâ dedit.
Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Urget? Cui pudor, et juſtitiæ ſoror [95]
Incorrupta Fides, nudáque Veritas,
Quando ullum invenient parem?
Multis ille bonis flebilis occidit;
Nulli flebilior, quàm tibi, Virgili.
Tu fruſtra pius, heu, non ita creditum
Poſcis Quintilium Deos.
Quod ſi Threïcio blandiús Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanæ redeat ſanguis imagini, [96]

ANNOTATIONES.

3. *Cui liquidam pater Vocem, &c.*] Muſæ ſunt filiæ Jovis & Mnemoſynæ. Melpomene a cantus ſuavitate dicta: à μέλπομαι, *cano. Liquidam*, ſuavem, dulciter fluentem. Macrob. lib. 6. c. 3. ex Hoſtio poëta:

Si mihi linguæ
Centum, atque ora ſient totidem, voceſque liquatæ.

Perſ. Sat. 1. v. 34.

——Plorabile ſi quid
Eliquat——

5. *Ergo Quintilium, &c.*] Exclamatio gravis index doloris. Sic amici luctum luctu ſuo evincere conatur; ſic & illabitur in ejus animum, ut majorem habens fidem ſolatium facilius admittat, imo & aliquantulam objurgationem. Sic bene utitur Poeta conſilio a Muſâ, quam ſtatim invocavit, accepto.

Quintilium] Vel Cremonenſem illum Virgilii atque Horatii amicum, cujus meminit Euſeb. Chron. Olymp. 189. vel Præfectum Romani exercitus, qui cum tribus legionibus atque auxiliaribus copiis cæſus in Germania ab Arminio Germanorum rege. Dio. l. 56. Sueton. Aug. c. 23.

Perpetuus ſopor.] Sic & *longus ſomnus*, pro morte, l. 3. Od. 11. v. 38.

6. *Cui pudor, &c.*] Breve ſed ingens Quintilii elogium. *Pudor*, quem Tull. de finibus 2. *Moderatorem cupiditatis* appellat. Hinc & de Orat. 1. n. 122. Craſſum ita laudat: *Fuit mirificus quidam in Craſſo pudor.*

Juſtitiæ ſoror incorrupta fides.] Ex Platone juſtitia cùm in Deos obſervatur, vocatur pietas; fides autem, cum erga homines. Tull. Offic. 1. n. 23. *Fundamentum juſtitiæ fides.* Et partit. Orat. n. 78. *Juſtitia erga Deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas; creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur.*

7. *Nudaque veritas.*] Cujus *magna vis quæ contra hominum calliditatem & ſolertiam ſe per ſe ipſa defendat*, ut ait Tull. pro Cœlio; & Offic. 1. n. 109. *Sunt alii ſimplices & aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex inſidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici.*

9. *Multis ille bonis, &c.*] Legunt alii, *Multis ille quidem, &c. nulli flebilior quam tibi, Virgili*: utpote vir bonus, amicus, cognatus.

11. *Tu fruſtra pius, &c.*] Jam caſtigare incipit leniter immoderatum amici luctum: *Non ita creditum*, id eſt, non eâ lege ut non moreretur. Scilicet quæ donantur non ſolent repoſci: at quæ credita & commiſſa ſunt, cum libuerit repetuntur. Quintilius ita creditus nobis ad tempus tandem ſine injuriâ eripitur: imo tum creditor utitur jure ſuo. Vide ergo, Virgili, ne cum poſcis Quintilium Deos, videare non ſolum pius, heu! fruſtra, ſed & præpoſterè; atque in Deos iniquus. Lucret. lib. 3. v. 984.

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus uſu.

13. *Quod ſi Threïcio.*] Alii legunt, *quid ſi*; Alii, *qui ſi*. Et pro non, interrogative *num. Threicio blandius Orpheo, &c.* Adverte comparationem Virgilii cum Orpheo. Senſus eſt: noſti Orpheum arboribus cantûs ſuavitate pertractis, a ſe demulcendum etiam ſperaſſe Inferorum tyrannum, ut Eurydicen uxorem morte ablatam redderet, ſed irrito & inani conatu: ſic tu etſi vincas Orpheum carminis dulcedine, haud tamen flectas Numina, ut Quintilium reſtituant.

15. *Non vanæ redeat ſanguis imagini.*] Non vita redeat mortuo, non anima remittatur in corpus exanime. Itaque *vanam imaginem* interpretari libet hominis umbram, manes. Virgil. Æn. 4. 654.

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Et Æneid. 6. v. 292.

Et, ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare cavâ ſub imagine formæ.

Sanguis.] vita. Æneid. 9. v. 349.
Purpuream vomit ille animam, &c.]

Quam

Quam virgâ ſemel horridâ
Non lenis precibus fata recludere
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum. Sed levius fit patientiâ
Quicquid corrigere eſt nefas.

quod tremendo ſemel caduceo ad turbam atram aggregavit Mercurius nequaquam facilis exorari, ut fata reſcindat. Grave quidem eſt illud: at tolerabilius ferendo efficitur quodcunque immutare haud licet.

ANNOTATIONES.

16. *Quam virgâ ſemel,* &c.] De caduceo Mercurii, ejuſque animas deducendi poteſtate, vide ſupra Ode 10. v. 18.

17. *Non lenis precibus fata recludere*] Virgil. Georgic. 4. v. 469. de Orpheo.

Maneſque adiit, regemque tremendum,
Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda.

Æneid 6. v. 376.

Desine fata Deûm flecti ſperare precando.

18. *Nigro compulerit gregi.*] Cæteris Manibus aggregârit, & ad Plutonem perduxerit.

19. *Levius fit patientiâ Quicquid,* &c.] Euripid. Phœniſſ. Δεῖ φέρειν τὰ τῶν θεῶν. Senec. *Optimum eſt pati quod emendare non poſſis.* Plaut. Capt. 2, 1, 1. *Decet id pati æquo animo: ſi id facietis, levior labos erit.* Virgil. Æneid. 5. 710.

Superanda omnis fortuna ferendo eſt.

Ovid. Metamorph. 8, 633.

. . . . . *Paupertatemque ferendo*
Effecere levem.——————

Contra vero, quiſquis mala neceſſaria impatienter & iniquè fert, quid aliud, quam novum ſibi dolorem creat, & malum malo addit? Ejuſmodi hominem, qui communia cunctis mortalibus incommoda reſpuit, egregie ſugillat Juvenalis, & *gallinæ filium albæ,* per ludibrium vocat, Sat. 13. v. 141.

ODE XXV.

Lydiæ jam vetulæ amatoribus carenti inſultat.

PArciùs junctas quatiunt feneſtras
Ictibus crebris juvenes protervi,
Nec tibi ſomnos adimunt, amátque
Janua limen,
Quæ priùs multùm faciles movebat
Cardines. Audis minùs et minùs jam:
Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis? [97]

Feneſtras tuas clauſas rariùs modo verberibus impetunt adoleſcentes procaces: neque tibi ſoporem auferunt: jamque limini adhærent fores, quæ antea valde volubiles agebant cardines. Infrequentiùs deinceps & infrequentiùs audis: dum ego tuus pereo, Lydia, quieſcis longis noctibus?

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 2.

1. *Parcius junctas quatiunt,* &c.] Solebant juvenes meretricum fores ac feneſtras lapidibus quatere noctu quidem, ut aperire cogerent, ſeque admittere. Vide plura Annot. ad Od. 10. & 26. lib. 3.

3. *Amatque Janua limen.*] Janua vix diſcedit a limine, illudque videtur amare: jocus amarulentus, quo ſignificatur raro januam aperiri, paucis adeuntibus, Lydiamque annis deflorescentem cunctis faſtidientibus.

5. *Quæ prius multum faciles movebat Cardines.*] Uſu nempe aſſiduo volubilis erat cardo, vel bene unctus haud ſtrepebat, atque ut ait Plautus, *Lepidus non mutiebat,* dum *aperirentur ædes feſtiviſſime;* & paulo antea, *Belliſſimum hercle & taciturniſſimum oſtium,* quod *nunquam ullum verbum muttit; quam aperitur, tacet; cumque illa noctu clanculum exit,* meretricula, *tacet.* Curcul. 1, 1. Item, *Placide egredere, ſonitum prohibe forum, & crepitum cardinum . . . . . ſuffundam aquulam.* Ibid. 1, 3. init.

6. *Audis minus & minus jam,* &c.] Minus minuſque indies ad te mœchi ventitant: pauciores jam habes amatores, qui occentent fores tuas, id eſt, ante illas cantiones amatorias canant, qualis eſt Ode 10. lib. 3. qualis & hæc: *Me tuo longas pereunte noctes, Lydia, dormis?* id eſt, Me præ amore tuo contabeſcente, ſomnumque haud capiente, altum dormis: tu quieta valde ſtertis longas noctes, dum inquietum me ſolicitumque tui deſiderium excitat & vigilare cogit.

7. *Longas noctes.*] Expectanti nimirum & deſideranti longum ſemper videtur tempus.

Jam vetula plorabis viciſſim adulteros ſuperbos, contempta in angiportu deſerto; dum Thrax ventus ſævit gravius circa Lunæ intermenſtruum; quando libidinoſus ardor, qui ſuevit equas reddere furioſas, inflammabitur ad hepar tuum *ulceribus plenum; haud ſine luctu,* eo *quod juventus hilaris hederâ virenti myrtoque ſubnigrâ lætetur amplius:*

Invicem mœchos anus arrogantes 9
Flebis, in ſolo levis angiportu, [98]
Thracio bacchante magis ſub inter-
lunia vento;
Cùm tibi flagrans amor, et libido
Quæ ſolet matres furiare equorum,
Sæviet circa jecur ulceroſum,
Non ſine queſtu:
Læta quòd pubes hederâ virenti [99]
Gaudeat, pullâ magis atque myrto,

ANNOTATIONES.

9. *Invicem mœchos anus arrogantes Flebis, &c.*] Tandem vices tuæ adventârunt: olim flore juventutis ac formæ ſuperba depereuntes te ridebas adoleſcentes viroſque quoſlibet: jam anus facta fruſtra lucrum & mœchos quæres; hi vero te ſenio deformatam ſpernent arrogantes. Ovid Art. Amat. 3. v. 70.

Tempus erit quo tu, quæ nunc excludis amantem,
Frigida deſertâ nocte jacebis anus.

10. *In ſolo levis angiportu.*] Vaga, obſervans ſi quis triobolaris agaſo commeet ad te: vel, amans leviter, juvenili more, & flens te deſpici: vel nullius pretii, jamque ab omnibus relicta *in angiportu* ſolitario & à pauciſſimis frequentato.

11. *Thracio bacchante magis, &c.*] Tumque frigidum perpetiere ventum; & ſicut olim tui amatores eo algentes vidiſti, & contempſiſti: ita nunc alii te ridebunt ſub dio pernoctantem. *Thracio vento:* hic reſpectu Græciæ Septentrionalis eſt: adde quod regio perquam frigida eſt Thracia: unde & officina ventorum appellata: atque in eâ regnâſſe Aquilo fertur: hinc apud Græcos Poetas, Thracius ventus, pro Aquilone paſſim uſurpatur. Latini vero eam quoque dictionem imitati ſunt, quanquam impropriè & καταχρηστικῶς; quandoquidem ventus Septentrionalis in Italiam nequaquam à Thracia venit. Epod. 13. 3.

——— Nunc mare, nunc ſiliuæ
Threïcio Aquilone ſonant. &c.

Bacchante magis ſub interlunia.] Eo tempore quod intercedit inter duas Lunas, veterem & novam; id eſt, cum Luna non apparet, tum crebræ ſunt tempeſtates, & frigidiores vehementioreſque venti. Theophraſt. libello de ventis. *χειμεριώτεραι τῶν μηνῶν αἱ σύνοδοι interlunia:* Plinius lib. 16. cap. 39. *Interlunium alii Lunæ coitum* (quia nempe tunc Sol cum Luna conjungitur & congreditur: Græci σύνοδον vel συνόδιον) *alii ſilentia Lunæ appellant,* & lib. 18. cap. 32. *In coitu, quod interlunium vocant, cum apparere deſierit.* Hoc porro Apul. Metam. 9. Illunium. Varro intermenſtruum nuncupat. Lege, ſi vacat, Cœl. Rhodig. lib. 20. cap. 32.

14. *Quæ ſolet matres furiare equorum,*] Rem explicat Virgil. Georgic. 3. v. 266.

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum:
Et mentem Venus ipſa dedit, &c.

Prudent. contra Symmach. lib. 1. de Saturn. v. 19.

Advena quos profugus gignens, & equina libido
Intulit Italiæ: Thuſcis namque ille puellis
Primus adhinnivit ſimulato numine mœchus.

Huc etiam pertinet audax & elegans ea dictio, quam in Piſonem adhibet Tullius, n. 69. *Itaque admiſſarius iſte, ſimul atque audivit à Philoſopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiſcatus eſt: ſic ſuos ſenſus voluptarios omnes incitavit, ſic ad illius hanc orationem adhinnivit, ut non magiſtrum virtutis, ſed auctorem libidinis à ſe illum inventum arbitraretur.*

15. *Sæviet circa jecur ulceroſum.*] Cum te libidinis aget furor talis, qualis eſſe ſolet equina, inflammabitque jecur tuum; tum certè mirum in modum diſcruciabere. *Jecur,* in quo amoris ſedes eſt atque libidinis, ex Platone & aliis. *Ulceroſum,* intus libidine multâ ſaucium, tectiſque ulceribus corruptum. Non. Marcell. *Ulcus,* inquit, *tecta eſt & clauſa malignitas.* Et Servius ex Varrone, *Vitium obſcænæ libidinis ulcus vocatur.*

16. *Non ſine queſtu; Læta quod pubes, &c.*] Neque poteris dolorem continere, quin erumpat in querimoniam, quòd juvenes vetulam te faſtidiant, marceſcentem poſthabeant; adoleſcentulas autem ætate virentes ſectentur.

Hederâ virenti Gaudeat, atque myrto.] Appoſitè comparat juvenculas cum *hederâ,* quæ facile adhæreſcit, & *ſequax* vocatur à Perſio in Prologo: Item cum *myrto,* quæ Veneri ſacra eſt: cujus etiam color nigricans & conſtans eſt, & id quod veteribus in formoſis laudabatur, exhibet, teſte noſtro Poëtâ in Epiſt. ad Piſones. v. 37.

Spectandum nigris oculis nigroque capillo.

Aridas

Aridas frondes hyemis ſodali
Dedicet Hebro.

ſicca vero folia conſecret Hebro hyemis ſocio.

ANNOTATIONES.

19. *Aridas frondes, &c.*] Vetulas cute contractâ & rugoſâ areſcentes non pluris faciat, quam aridas frondes arborum flumini adſitarum.

20. *Dedicet Hebro.*] Sponte relinquat, oblivioni tradat ac devoveat, non ſecus ac decidentes in flumen frondes circa autumnum. *Hyemis ſodali*, ob regionis illius frigus aſperrimum, ut ante dixi. Hebrus enim ex Hæmo fluens monte, Thraciam perfundit, ac in Ægæum mare delabitur. Indicat Horatius vultum mulieris jam marcidum non longe abeſſe à ſenili fœditate ac deformitate, quæ cum hyeme ſimilitudinem habet. Quidam legunt *Euro*: ut indicetur vilitas ac levitas ſcorti vetuli, per folia Euro vento ſeu quovis alio velut ad ludibrium volvi rapique ſolita. Scaliger mavult, *igni*; multaque in hac Ode carpit: at profecto κακοζήλω toties litâſſe videatur. Judex ſit literator quiſque. En ejus reprehenſionis capita. Sic igitur ille: *Viceſima quinta in humili genere dicendi eſt, Illa duo membra ſine copula non cohærent*:

Audis minus, & minus jam:
Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis.

Neque ſatis mollis illa locutio: flebis mœchos arrogantes, *niſi addas* effectos.

Levem pro nuda videtur poſuiſſe, ſatis dure.

Illa quoque omnia, bacchante magis ſub interlunia vento, *videntur eſſe unum epithetum Boreæ: alioqui ipſo Borea frigidiora ſint.*

Ulceroſum. *non ſervit potius jecori indicando quam metro ſuſtinendo.*

Tu, lector erudite, hinc jam infers, ſine affectu eſſe oportere omnem Ariſtarchum; intelligiſque quam Cenſoria dignus interdum virga ſit magnus quiſque Cenſor.

ODE XXVI.

Ælium Lamiam egregie laudat.

MUſis amicus, triſtitiam et metus [100]
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis: quis ſub Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ;

Ego *Muſis charus ægritudinem ac timores dabo procacibus ventis deferre in mare Creticum: nequaquam ſolicitus, quis ad* polum *Arcticum regionis frigidæ tyrannus timeatur:*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Ode 9.

1. *Muſis amicus, &c.*] Pulchram init Horatius laudandi viam, quæque a tritâ imperitorum conſuetudine longe recedat. Illi, ſi laudum quidem acervum congeſſerint, belle ſe feciſſe exiſtimant. At ingenioſus Poeta Lamiam arte novâ celebrat. Primo curâ l berum ſe ab omni jubet eſſe: tum ſe convertit ad Muſam, quaſi minus idoneum tanto ſe operi intelligit: illamque obteſtatur, ut Lamiæ coronam paret, hoc eſt, eum conſecret immortalitati. Hæc bene, ut omnia, notavit Parthenius Horatii adverſus maledicos acerrimus vindex.

Muſis amicus.] Nimirum quiſquis Muſas colit, earum præſidio tutus ac lætus ſemper eſſe debet: nemo vero iis ſedulam poteſt operam navare, quin omnem animi ſolicitudinem antea depoſuerit. Ov. Tiſt. 1, 1, 41,

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

2. *Mare Creticum*] Pro quolibet mari ponitur, mare quod proximum eſt Cretæ inſulæ maris Mediterranei ampliſſimæ, quæ hodie *Candia* vocitatur.

3. *Quis ſub Arcto.*] Quis dominetur & regnet ad Boream.

Sub Arcto.] Sub Urſâ: quod cœleſte ſidus Septentrionale duplex eſt. Urſa Major, & Minor, quas Græci ἄρκτους nuncupant. Ab his Polus Arcticus dicitur ea pars orbis quæ axi & Aquiloni propinqua eſt. Ovid. Faſt. 3, 107.

Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura petatur
Sidoniis, Helicen Graia carina notet.

4. *Gelidæ oræ,*] Ad utrumque polum ſævire frigus nemo neſcit. Ad Arcticum, mare congelatum ſeu glaciale, quod anni parte maximâ gelu concretum ſit, omnibus auditu ſaltem cognitum. Vide Annot. ſupra Od. 22. v. 17. & ſeq. Terræ Arcticæ verſus Boream ſunt Spitzberga, Gronelandia, nova Dania, Eſtotilandia, &c. Has vero omnino Boreales non videtur habuiſſe in animo Horatius; ſed potius magis cognitas ipſius ævo, & paulo minus Septentrionales, nempe Britanniam, Scotiam, Germaniam, Daciam, Scythiam, &c.

Metuatur.] Ad duas clades in Germania acceptas (de quibus Sueton. Octav. cap. 23.) poëtam reſpicere falſo ſuſpicatur non nemo.

quidve Tiridati formidinem incutiat. O Pimplea ſuavis, quæ puris fontibus delectaris, apricos flores colliga, corollam texe meo Lamiæ Abſque te nihil juvant meæ laudes. Novis illum cantilenis, illum citharâ Leſbiâ æquum eſt conſecrari cum à te, cum à tuis ſororibus.

Quid Tiridatem terreat unicè
Securus. O quæ fontibus integris [101]
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimplea dulcis. Nil ſine te mei
Proſunt honores. Hunc fidibus novis,
Hunc Leſbio ſacrare plectro,
Téque tuáſque decet ſorores.

ANNOTATIONES.

5. *Quid Tiridatem terreat.*] Is ejecto in exilium Phraate Parthorum rege, nobilitatis unanimi conſpiratione in locum ejus fuerat ſubrogatus: at cùm audîſſet maximo Scytharum auxilio Phraatem juvari ad recuperandum imperium, ita perterritus eſt, ut ad Auguſtum relicta Parthia fugerit. Hæc fusè Juſtin. lib. 42. ſub finem. Dio. lib. 51, & 52. Plutarch. in Antonio, &c.

Unice Securus.] Quidam vocem, *unice*, referunt ad verbum *terreat*: alii jungunt cum hac voce, *ſecurus*: id eſt, Singulariter ego & maxime abjeci magnas curas de republicâ, & Imperiis exterarum gentium, ut Muſis vacem.

6. *O quæ fontibus integris Gaudes, &c.*] O Muſa, tuum eſt laudare meum Lamiam; meos conatus parum valere intelligo: virum immortali dignum honore a te celebrari convenit. Ergo quod mihi imprudens ſumpſeram, tu tibi aſſumas æquum eſt.

7. *Apricos necte flores.*] Necte coronam ex optimis floribus in aprico naſcentibus, quibus exornes pro meritis meum amicum Æmilium Lamiam.

8. *Lamiæ.*] Is anno poſt Horatii mortem octavo Conſul fuiſſe cum M Servilio dicitur, ann. ab U. C. 755. Corn. Tacit. Ann. lib. 6. cap. 27. ita ſcribit, *Extremo anni mors Ælii Lamiæ funere Cenſorio celebrata, qui adminiſtrandæ Syriæ imagine tandem exſolutus, urbi præfuerat. Genus illi decorum; vivida ſenectus, & non permiſſa provincia dignationem addiderat.* Vide Od. 17. lib. 3.

9. *Pimplea.*] A Pimplâ Macedoniæ monte pariter & fonte Muſis ſacro, Muſæ dictæ ſunt Pimplea & Pimpleides.

Nil ſine te.] Huc pertinet adagium *ἄνευ Μουσῶν*, quo ſignificatur ope Muſarum grave quodvis inceptum perfici.

10. *Hunc fidibus novis, &c.*] Præter ſolitum magnifico genere carminis vir tantus ad immortalitatem conſecrandus eſt.

11. *Leſbio plectro.*] Carmine Sapphico & Alcaico: vel eximiis verſibus, quales fuere Alcæi & Sapphûs, qui in Leſbo Ægæi maris inſulâ nati. Hæc hodie *Metelina*, olim *Mitylene*, celebrata eſt vini generoſitate, ubertate ſoli, cantorum peritia, & ædificandi ratione ſpeciali, e quâ natum proverbium, *Leſbia regula*, de quo Ariſtot. Moral. 5. cum nempe lex ad mores accommodatur; non, quod opportet, mores ad legem. A Leſbiis ſiquidem ad lapidum figuram plumbea ædificationis regula dirigebatur; non contra. Vide Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 22. & Annot. ad Od. 17. v. 21. ſupra.

ODE XXVII.

Sodales hortatur ne inter potandum rixentur.

Thracum eſt decertare poculis ad hilaritatem idoneis. Reſcindite immanem conſuetudinem;

NAtis in uſum lætitiæ ſcyphis [102]
Pugnare, Thracum eſt: tollite barbarum

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9.

1. *Thracum eſt.*] Hi enim non ſolum bibacitatis infamiâ, ſed & inter potandum petulantiæ vitio laborabant. Hinc πολυπότας, & ἀκρατοπότας dicti, Athen. l. 10. Ibidem & ἀμυστικῶς ἐπιεικῶς, &c. c. 12. Idem. l. 1. c. 24. magnam fuiſſe ſcribit ob vini præſtantiam Thraciæ celebritatem. Vide ſupra Od. 18. ibique Annot.

Tollite barbarum Morem.] Solebant Thraces non ſolum hianti ore affatim vinum bibere, ex

Morem; verecundúmque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat. Impium
Lenite clamorem, ſodales,
Et cubito remanete preſſo.
Vultis ſeveri me quoque ſumere
Partem Falerni? Dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus

& cruentas contentiores à Baccho m...o removete. Perſicus gladius m...m quantum diſtat à mero & candelis. O ſocii, cohibete vociferationes execrandas; cubitoque innixi conſiſtite. [103] *An jubetis etiam me capere portionem Falerni auſteri? Declaret Opuntiæ Megillæ frater, quo*

ANNOTATIONES.

Callimacho apud Athen. cit. lib. 10. cap. 12. ſed etiam ferro accincti epulabantur, & quemlibet cogebant æquales bibere cyathos. Quod certe barbarum.

3. *Verecundumque Bacchum.*] Cum verecundiâ & moderatione tractandum: alias enim ulciſcitur vino abutentes & immodicè haurientes furore aliiſque malis percutiendo. Supra Ode 18.

4. *Sanguineis prohibete rixis.*] De Centaureâ cum Lapithis rixâ ſuper mero, ſupra Ode 18. & Virgil. Georgic. 2. v. 456.

——————Ille furentes
Centauros leto domuit, Rhætumque Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

5. *Vino & lucernis Medus acinaces, &c.*] Quid gladio, quid armis cum hilaritate & epulis? Vide Macrob. lib. 7. cap. 1. & Plutarch. Sympoſ. lib. 1. cap. 4.

Lucernis.] Convivia veſpere incipiebant, & in multam ſæpe noctem protrahebantur: ad hæc igitur lucernis opus erat. Quod autem veteres largius cœnarent, quam panderent, idque rectè & ad ſanitatem, exponit Cæl. Rhodig. lib. 14. cap. 9 ſub finem.

Medus.] Quoniam Medi Perſæque vicini, atque uni Cyro paruere: hinc promiſcuè ponuntur, maxime a Poëtis.

Acinaces.] Eſt Perſarum haſta pariter & enſis ex Heſychio & Suida. Περσικὸν ξίφος ἀκινάκην καλοῦσι, Herodot. lib. 7. *Perſicam enſem acinacem vocant*, παρὰ τὴν ἀκὴν, ob mucronem ſcilicet & cuſpidem. Erat igitur acinaces ut & ſagaris, Perſis ac Medis proprius, ſicut pila Romanis, geſa Gallis, gladius Lacedæmoniis, ſariſſa Macedonibus, lancea Hiſpanis, falarica Saguntinis, romphæa Thracibus, framea Germanis, ſparus Ruſticis, Theutonicis cateiæ, &c. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

6. *Immane quantum.*] Cic. de Finib. *Nimium quantum*, & de Oratore. n. 87. *Mirum quantum.* Tacit. Hiſt. 3, 62. *Flavianus exercitus immane quantum animo exitium Valentis ut finem belli accepit.* Græci, θαυμαστὸν ὅσον, Plato Epiſt. 7, &c.

Impium.] Menſa res inter ſacras numerabatur, ex Plutarch. Sympoſ. itaque genialem menſam, & convivalem hilaritatem vociferando confundere, impium eſt. Adde quod ſic violatur ſilentium menſæ & Angeronæ Deæ debitum. Juſt. Lipſ. mox citandus. *Angeronæ ſilentii Deæ ſacra menſa habetor.*

8. *Cubito remanete preſſo.*] Ita compoſiti veteres menſæ accumbebant, reclinata ſupra parte corporis in cubitum ſiniſtrum, infra in longum porrecta & jacente: capite leviter erecto, dorſo pulvillis modice ſuffulto. J. Lipſ. antiq. Lect. lib. 3 cap. unico. Cætera notabuntur poſtea ad iſtos Horatii locos. Sat. 1, 4, 86.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Et Sat. 2, 4, 39.

. . . . In cubitum jam ſe conviva reponet.

9. *Severi Falerni.*] Acrioris, inquiunt, ſaporis: vel meri, ut placet Theod. Marcilio; alii veteris. Seneca Epiſt. 63. *In vino nimis veteri ipſa nos amaritudo delectat.*

10. *Dicat Opuntiæ, &c.*] Ut rixandi animum a conviviis arceat Horatius, ſtatim læta proponit, imprimiſque morem hunc, quo ſuos quiſque amores ex ordine debebat proferre. De eo cit. Lipſius, Inter leges convivii, hæc una eſt ibidem.

Dominam ſi quis habeſſit, indicium facito.

Interpres Theocriti ad Idyll 14. *ſolebant*, inquit, *merum ſumere in ſympoſiis, & nominare aliquos amores aut amicos, tum terræ invergere, & pronunciare amiciſſimorum nomina.* Nempe & cottabiſmus illic habebat locum. Sic igitur epuli progreſſu merum poſcebant; atque amico vel amicæ libabant, ac bene precabantur. Tibull. 2, 1, 31.

Sed bene Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent

Quinetiam tot cyathos hauriebant, quot literas amici vel amicæ nomen continebat. Martial. 1, 72.

Nævia ſex cyathis ſeptem Juſtina bibatur.

Opuntiæ frater Megillæ.] Per notam pulchritudine Megillam ejus frater indicatur. Oriundi erant ex Opunte Locridis urbe.

ſelix ictu, quo telo intereat. Scilicet *renuis?* At ego *non aliâ conditione potabo.* Certè *quiſquis te amor tenet, haud pudendâ incendit flammâ: atque li erali ſemper amore delinqui. Euge, quodcunque tibi eſt, fidelibus crede auriculis. Ah infelix, quam pravâ cum voragine luctaris! O adoleſcens, c'ementiores amores meritus* tuiſti. *Ecqua veneſica, quis incantator herbis è Theſſaliâ venenoſis, quod Numen te queat expedire?* Ipſe *Pegaſus implicitum te vix li-*

Vulnere, quâ pereat ſagittâ.
Ceſſat voluntas? Non aliâ bibam
Mercede. Quæ te cunque domat Venus, [104]
Non erubeſcendis adurit
Ignibus; ingenuóque ſemper
Amore peccas. Quicquid habes, age,
Depone tutis auribus. Ah miſer,
Quantâ laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flammâ!
Quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus? [105]
Vix illigatum te triformi

ANNOTATIONES.

11. *Quo beatus Vulnere.*] Cujus amore teneatur: quâ Cupidinis ſagittâ percuſſus langueat, quam virginem aut mulierem depereat. *Beatus*, ſi quidem redamabatur.

13. *Ceſſat voluntas?*] Renuebat indicare Horatio Megillæ frater, quam adamaret: at ille monet jus eſſe convivarum, id ab unoquoque ſodalium exigere: quare hic ſtatim poſtea obtemperat, ſuoſque amores clam tamen, & in aurem declarat.

Non aliâ bibam Mercede.] Niſi hanc convivii legem obſervas, nec aliam ego. Si quæ ſit amica tua, recuſas aperire; ego quoque more majorum bibere detrectabo. Apud J. Lipſ. cit. & hæc convivii lex habetur: *a ſummo ad imum more majorum bibunto.* Item hæc altera; *decem cyathi ſumma potio ſunto.*

14. *Quæ te cunque domat Venus, &c.*] Inſtat Horatius, ne erubeſcat ille indicare amaſiam, cujus ſane amor, utpote ingenuæ, & honeſtus ſit, & glorioſus; quantum ipſe quidem exiſtimabat.

17. *Quicquid habes, Depone tutis auribus.*] Quiſquis ſit amor tuus, tutò mihi declara fideli arcanorum cuſtodi: clam ſaltem aperi, ſi non vis palam: ne dubita mihì ſecretum committere, quod invito te nunquam revelabo.

18. *Ah miſer.*] Ergo Megillæ frater annuit tandem, & amicam ſuam indicat Horatio: at hic audiens quæ ſit illa, erumpit in commiſerationis voces iſtas.

19. *Quantâ laboras in Charybdi.*] Tam periculoſe amas, quam ſi cum Charybdi luctareres. Scilicet ejuſmodi mulierem deperis? Ah miſer periiſti: meliori profecto ſorte & amore dignus eras. *Charybdi* omnia abſorbenti bene comparatur avara meretrix. Cicero Philip. 2. n. 67. *Quæ Charybdis tam vorax?* Eſt proprie vorago, ſeu gurges vorticoſus in freto Siculo, ad Meſſanam, hodie, *Capo di Faro*, vel, *Capo Faro*, ob Pharum illic excitatam. Fabulantur autem ſcortum fuiſſe rapacitate famoſum, quod cum Herculis adduxiſſet boves, à Jove fulminatum in mare præcipitatum eſt, atque in hanc voraginem mutatum. Virgil. Æneid. 3. v. 420.

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet: atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, &c.

Senecæ Epiſt. 79. *Charybdis an reſpondeat fabulis, perſcribi mihi deſidero . . . Fac nos certiores utrum uno tantum vento agatur in vortices, an omnis tempeſtas æque illud mare contorqueat: & an verum ſit quicquid illo freti turbine abreptum eſt, per multa millia trahi.*

21. *Quæ ſaga, &c.*] Cum videaris faſcino & incantamentis tam pernicioſo amore implicitus; vix apparet ſalutis via. Quis enim te homo magicis artibus pollens? Quis & Deus expedire queat fatali velut nexu aſtrictum atque illigatum?

Theſſalis Magus venenis.] Venenatis & ad incantamenta efficaciſſimis herbis in Theſſalia copioſe creſcentibus. Aiunt nimirum Poetæ, Medeam illac fugientem, aëre ſublatam, ſcriniolum veneficiis & herbis magicis planum dejeciſſe, ſicque ſparſa illa pullulaſſe. Apuleius apud Theſſaliam in aſinum ſe mutatum ſcribit; Metamorph. ſeu de aſino aureo: ibidemque deſcribit veneficarum Theſſalarum apparatum, atque, ut ait ipſe, *feralem officinam.* Vide Plin. lib. 30 cap. 1. ubi & refert *Menandrum Theſſalam cognominaſſe fabulam, complexam ambages fœminarum detrahentium Lunam.*

23. *Vix illigatum te triformi, &c.*] Ipſe Bellerophon qui Pegaſo inſidens Chimæram interfecit, capite et formâ triplici horrendam, vix te liberabit ab iſtâ pravâ muliere huic monſtro non abſimili. Vide infra.

Pegaſ

Pegaſus expediet Chimærâ. | *berabit ex iſta Chimæra triformi.*

ANNOTATIONES.

24. *Pegaſus.*] Apud Strab. & Palæphat. Pegaſus non eſt equus, ſed navis longa & citiſſima, hoc ideo nomine inſignita, quâ Bellerophon inſecutus comprehendit & cecidit Lyciorum Ducem, nomine Chimæram, piraticâ infamem, vectum navi, cujus prora leonis, puppis draconis, medium capræ effigiem aut imaginem depictam exhibebat. Hincque fabulæ locus datus; teſte etiam Plutarcho de claris mulieribus.

Chimærâ triformi.] Ex Strab. cit. mons ille Lyciæ ignivomus, in vertice leones, in medio capras, ad radicem ſerpentes habebat. Hunc vero Bellerophon expurgavit & inhabitabilem prius exinde habitabilem reddidit. Apud fabulatores *Chimæra* eſt monſtrum *triforme*, caput & pedes leonis habens, capræ ventrem, draconis caudam. Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. Hinc Lucretius lib. 5, 903.

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra.

Ov. Met. 9, 646. . . . . *Mediis in partibus hircum*
Pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.

Hoc vero Bellerophon Neptuno adjutus, alato equo invectus, ſagittis confecit. Lucianus Dial. de Aſtrol. ait minime ſibi perſuaſum, alatum Bellerophonti equum fuiſſe; verum putare illum talis ſapientiæ ſtudio deditum, ſublimia & quæ ad ſidera pertinent meditantem in cœlum aſcendiſſe, non equo ſed monte. Vide & Cœl. Rhodig. lib. 13. cap. 9. Porro bene Horatius meretricem cum Chimærâ confert. Hujus enim habet illa venenum, fætorem, feritatem; impuræque libidinis flammas paſſim eructat. Adde quod amoris principia impetum leonis, medium capræ ſalacitatem; finis autem doloris morſus velut ſerpentis ac draconis letiferos nunquam non exerit. Fulgent. Mythol. lib. 3. Chimæræ, tanquam rei quæ nunquam fuerit aut eſſe potuerit, meminit Tullius de natura Deorum l. 1. n. 180. & ad Attic. l. 2. Epiſt. 16. ubi & citat verſiculum Græcum, qui ſupra habetur.

ODE XXVIII.

Inducitur Archytas naufragus orans nautam prætereuntem, ne ſe inſepultum relinquat.

TE maris et terræ numeróq; carentis arenæ [106]
Menſorem cohibent, Archyta,

| *O Archyta, te qui mare terramque & ſabulum innumerabile dimenſus es,*

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod ſupra Od. 7.

1. *Te maris, &c.*] Idolopœiam inſignem, ſimul & irriſionem Pythagoricæ diſciplinæ exhibet Horatius, ipſe quidem Epicurus: in primis autem carpit Mathematicas artes divinandi. Inducit nautam obvio cadaveri Archytæ non leviter exprobrantem, quod miſerè jaceat; nec Babylonicorum numerorum ope tam dirum fatum evitârit. Ecce vero Jul. Scaliger humilem ſtylum interruptaque orationis membra culpat: nimirum hoc vitio dat quod erat laudi vertendum. Agitur de humando cadavere: Archytas ſortem ſuam lamentatur: an non iſta decet oratio tenuis? An magniloquentia hic congrueret? At inſurgit ille porro: *quid quod ſibi Poeta contradicit?* &c. Vide infra v. 23.

Te maris & terræ, &c.] Alloquitur Poeta Archytam: ſiccine deeſt ſat pulveris ad operiendum totum cadaver: idque fata negant tibi, qui Geometra egregius Aſtrologuſque & in Pythagoricâ diſciplinâ perfectus fuiſti? Aiunt apud Ægyptios inventam primum Geometriam. Cum enim ſingulis annis exundaret Nilus, & limo cuncta coæquaret, ut illo abeunte nulli agrorum limites, nulla diſcrimina apparerent, atque lites hinc frequentes orirentur; tum demum per lineas & menſuras agri notati ſunt; curaque illa ſacerdotibus demandata. Hanc porro ſcientiam ad Græcos tranſtuliſſe Pythagoras fertur. Vide Cœl. Rhodig. lib. 18. cap. 34.

Numeroque carentis arenæ Menſorem] Eccleſiaſtici cap. 1. *Arenam maris quis dinumeravit?* Pindar. Olymp. Od. 2. in fine, ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν, *arena fugit numerum. Menſorem.* Hyperbole. Scilicet, quod erat innumerabile cæteris, ipſe numerare potuit. An reſpicit Horatius ad oraculum Apollinis, quo numerum arenæ ſibi notum eſſe gloriatur; οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης: an ad librum, ab Archimede compoſitum, cui titulus ψαμμίτης, in quo initur ratio arenam numerandi, ſi mundus ea foret oppletus? Vide Turneb. lib. 26. c. 1. Hyginus lib. de Limitibus: *Archimedem præclari virum ingenii ferunt ſcripſiſſe quantum arenarum capere mundus queat, ſi ea repleretur.*

2. *Archytæ.*] Cruquius perperam intelligit

medici pulveris donum tenue coercet juxta oram Matinam. Nil ergo proficit tibi mortali, quod cœleſtes regiones luſtraſti, ambitumq; orbis mente circuiſti. Sic & Pelopis obiit pater, Numinum conviva: Tithonus etiam in cœlum ſublatus;

Pulveris exigui prope littus parva Matinum [107]
 Munera; nec quidquam tibi prodeſt
Aërias tentâſſe domos, animóque rotundum
 Percurriſſe polum, morituro.
Occidit et Pelopis genitor, conviva Deorum,
 Tithonúſque remotus in auras, [108]

ANNOTATIONES.

quendam Archytam Firmanum Horatio coævum, Geometricis & Aſtronomicis obſervationibus nimis indulgentem, de quo Cicero de Divin. 2. *O vim magnam erroris! &c.* Juvat cum cæteris omnibus accipere hic Archytam Tarentinum, Platonis familiarem & a Dionyſii crudelitate vindicem, ſiquidem illum ob verba quædam de tyrannide liberius prolatâ neci addictum per epiſtolam eripuit. Diogen. Laërt. l. 3. & 8. Is præfuit ſept.es ſuæ civitati, cum tamen imperandi tempus anno eſſet uno aliis definitum: idem ibidem. Honorificam Archytæ mentionem habet Tullius de Senectute c. 12. *Virumque magnum in primis & præclarum* nominat, dicere quidem egregie ſolitum: *Capitaliorem hominibus peſtem nullam eſſe a naturâ datam, quam corporis voluptatem, cujus avidæ libidines temere & effrænate ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, &c.* Is Pythagorica in Philoſophicis, Platonica in Geometricis præcepta hauſerat. Mathematicis & Mechanicis artibus excellens, columbam ligneam *libramentis ſuſpenſam, & aura ſpiritus incluſa atque occulta concitam fecerat volantem.* Gell. lib. 10. cap. 12. Cubum primus invenit. Platone teſte in Republ. Diogen. Laërt. cit. lib. 8.

3. *Pulveris exigui.*] Te dignum inſigni mauſoleo, nempe tot meritis præſtantem, heu! cohibet ac tegit pulviſculus marinis undis advolutus.

Prope littus Matinum.] Ad oram Apuliæ: ubi in Lucaniæ confinio populi degunt Matini; ſunt & ſaltus buxetis abundantes, de quibus Lucanus lib. 9. v. 185.

. . . . . *Calidi lucent buxeta Matini.*

4. *Nec prodeſt Aerias tentaſſe domos.*] Quî factum, ut mortis hoc genus miſerandum ab aſtris tibi parari non intellexeris, nec effugeris eruditus apprime aſtronomiâ & matheſi? Quin præſciſti & eluctatus es fatum, O Archyta? Sic Aſtrologos futura prævidere & prædicere tentantes datâ ſemper occaſione ſugillat Horatius. *Aerias tentaſſe domos.*] Planetarum domicilia, ſiderum affectiones, virtutes, ſitus, aſpectus contemplatum fuiſſe: *Animoq; rotundum Percurriſſe polum,* ſphæram, ſphæræque inclinationes; orbis varia climata, diverſaſque regiones cognoviſſe.

6. *Morituro.*] Eſt qui vocem hanc jungat cum præcedente *animo*, ut ex opinione Epicuri (cujus egregie Horatius) mortales animi aſſerantur. In Plutarch. de placitis Philoſophorum. lib. 4 cap. 7. Ἐπίκουρος τὴν ψυχὴν φθαρτὴν τῷ σώματι συνδιαφθειρομένην.

7. *Occidit & Pelopis genitor.*] Hæc verba quidam & ſequentia uſque ad iſta, *Me quoque devexi, &c.* nautæ eſſe continua, pronunciant: alii attribuunt Archytæ ad nautam reſpondenti ſic: quid miraris quod interierim, cum nemo ſummorum virorum huc uſque mortem effugerit? En Pelopis genitor occidit, Tantalus ipſe Deorum conviva, &c. Pindar. Olymp. Od. 1. canit, ſi quem mortalium honorârunt Dii, maxime Tantalum.

Pelopis genitor, &c.] Tantalus Phrygiæ rex, Agamemnonis & Menelai proavus Deos convivio excepit, utque eorum divinitatem experiretur, Pelopem filium iis epulandum appoſuit: quas illi dapes exhorruere, detruſoque ad inferos Tantalo facinus vindicavere. Diodor. Sicul. lib. 6. cap. 11. ait, Tantalum Jovis filium divitiis & gloriâ inſignem, apud Aſiæ partem quæ Paphlagonia dicitur, Diis etiam carum ob generis claritatem: poſtea vero felicitate inſolentiorem evulgaſſe hominibus immortalium ſecreta, quæ menſæ communione & conſuetudine cum Diis noverat: cujus criminis pœnas ſolvit ad inferos detruſus; ut uſque ad mentum inſurgant aquæ, & ad labia uſque poma dependeant: & tamen in magnâ ſiti & fame nec bibere liceat, nec edere. Pindar. modo cit. addit, Tantalum ſuam felicitatem utpote nimiam concoquere non potuiſſe, ſed ſatoritate damnum toliſſe immenſum ab ipſo Jove patre irrogatum.

8. *Tithonuſque remotus in auras.*] Quin & Tithonus Auroræ maritus, quanquam ab uxore cœleſti ſucco perfuſus, atque ita vivax effectus, fatis tandem conceſſit. *Remotus in auras,* ab Aurorâ adamatus, & hinc in cœlum raptus. Inſuper fabulantur Tithonum ſenectutis incommoda pertæſum in cicadam optaviſſe converti, ſicque adeo transformatum in aere ſuſpenſum in caniſtro fuiſſe. Euſtath. ad Iliad. penult. Athen. lib. 3. & lib. 12. cap. 12.

Et Jovis arcanis Minos admiſſus; habentque
Tartara Panthoïden iterum orco
Demiſſum; quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora teſtatus nihil ultra
Nervos atque cutem morti conceſſerat atræ;
Judice te, non ſordidus auctor
Naturæ, verique. Sed omnes una manet nox; [109]
Et calcanda ſemel via lethi.
Dant alios Furiæ torvo ſpectacula Marti:
Exitio eſt avidis mare nautis.
Miſta ſenum ac juvenum denſantur funera; nullum
Sæva caput Proſerpina fugit.

nec non Minos ſecretorum Jovis particeps: Panthoi filius quoque rurſum ad Inferos tranſus ibidem tenetur; quanquam detracto ſcuto res Trojanas teſtificatus, præter nervos & pellem nigro letho nihil tradiderat, te arbitro, non ignobilis teſtis naturæ & veritatis. Verùm nox eadem cunctos expectat: ſemelque mortis iter peragendum eſt. Quoſdam Furiæ præbent ludum atroci Marti: perniciosum mare eſt nautis cupidis. Confuſæ vetulorum & juvenum mortes conglobantur: caput nullum eripitur crudeli Proſerpinæ.

ANNOTATIONES.

9. *Et Jovis arcanis Minos admiſſus.*] Pariter & Minos Jovis familiaritate inſignis, tamen mortuus eſt. Is apud Homer. Odyſſ. 19. Διὸς μεγάλου ὀαριστής. Plato in Min. hunc affert Homeri locum, ſcribitque Minoëm a Jove eruditum & nono quoque anno cum eo verſari ſolitum & colloqui. Aiunt nempe Minoëm regem Cretenſibus dare leges volentem in antro ſeſe condidiſſe, ubi ſe cum Jove ſermocinantem prædicavit, atque ex ejus conſilio cuncta ſtatuiſſe; porro juſtitiæ fama clarum apud inferos judicem a Plutone conſtitutum. Hinc non abs re credunt aliqui per *Jovem* hic ſignificari Plutonem, qui quidem *Jupiter Stygius* a Virgilio dicitur Æneid. 4. v. 638.

10. *Habentque Tartara Panthoïden.*] Ex hac etiam vitâ denuo ceſſit, jamque in Inferis degit celebratiſſimus ille tranſmigrationis animarum auctor Pythagoras, qui ſe fuiſſe jactabat Euphorbum Panthoi filium apud Trojam, atque a Menelao interfectum, ſubinde revixiſſe, ac factum Pythagoram; idque intellexiſſe agnito clypeo quem geſtarat olim in Trojano bello, dum Euphorbus eſſet. Clypeus autem ille repertus in templo ſive Apollinis apud Cariæ oppidum, ſive Junonis apud Argos. Prius illud refert Diogen. Laërt. lib. 8. Hoc vero poſterius Ovid. Metamorph. 15. fab. 3. Ex his habes explicata quæ ſequuntur, *Iterum Orco demiſſum.* Item, *Quamvis clypeo Trojana refixo Tempora teſtatus.* Ovid. cit. 158. ſic loquentem inducit Pythagoram:

Morte carent animæ; ſemperque, priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt habitantque receptæ.
Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram: cui pectore quondam
Hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.
Cognovi clypeum lævæ geſtamina noſtræ
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.

12. *Nihil ultra Nervos, &c.*] Animo ſemper vivens, corpore duntaxat mortuus, non ſemel. Sic palingeneſiam & metempſychoſin Pythagoræ explodit noſter Poeta. Vide Perſ. Sat. 6. v. 11. ubi & annotavi non pauca. Cic. 1. de Nat. Deorum. Valer. Maxim. lib. 8. cap. 7. &c.

15. *Sed omnes una manet nox.*] Omnes perinde mortales ſerius ocyus hinc migrare debent & vitam exuere. Catull. 5, 5.

Nobis, cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

16. *Calcanda ſemel via lethi.*] Apoſtolus ad Heb. cap. 9. v. 27. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* 1. Reg. 3. cap. 2. David morti proximus ita loquitur: *Ego ingredior viam univerſæ terræ:* pariter & Joſue, c. 23. art. 14. Propertius. 3. 18, 22.

Sed tamen huc omnes; huc primus & ultimus ordo:
Et mala, ſed cunctis iſta terenda via eſt.

17. *Dant alios Furiæ torvo ſpectacula Marti.*] Quoſdam Furiæ mactant, & quaſi ludum Marti dant: id eſt, alios ad mortem trahit bellandi ardor, alios navigandi, negotiandi, lucrum faciendi cupiditas.

20. *Nullum Sæva caput Proſerpina fugit.*] Nullum caput fugit ſævam Proſerpinam; id eſt, Mortem eluctatur nemo. Proſerpina uxor Plutonis credebatur morituris capillos reſecare; ac velut primitias inferis ſacras præmittere; nec aliàs potuiſſe animam corpore exſolvi. Ad hanc ſuperſtitionem reſpicit Horatius hic: pariter & Virgil. Æneid. 4. v. 698.

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

Alluſit & Martial. lib. 3. Epigram. 43.

Non omnes fallis. Scit te Proſerpina canum,
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Vide Macrob. Saturn. lib. 5. cap. 19. ubi quædam habet eximia de illo crinis abſcindendi ritu.

Me

Sic *etiam me Illyricis fluctibus ſubmerſit Auſter declivis Orionis aſſecla præceps. Tu vero nauta, ne improbus* mihi ſis, neve te *pigeat errantis ſabuli portionem injicere oſſibus & capiti inſepulto. Ita quicquid Eurus minitabitur Italico mari,*

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
 Illyricis Notus obruit undis. [110]
At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
 Oſſibus et capiti inhumato 24
Particulam dare. Sic quodcunque minabitur Eurus [111]

ANNOTATIONES.

21. *Me quoque devexi, &c.*] Ne mirare igitur nauta, quod interii, inquit Archytas: ſicut illi ſuo quiſque modo obiere mortem; ita ego ſubmerſus Illyrico mari.

Devexi.] Sive quod Auſtralis eſt Orion, adeoque in parte cœli devexâ, ſicut oppoſita Borealis eſt ſubvexa & ſuperior: ſeu quod Orionis figura ſtatuitur prona in phænomenis: unde & *Pronus Orion*, lib. 3. Od. 27. v 18. vel denique notatur occaſus hujus ſideris; quod ad rem certe magis videtur. Nam tempeſtates tunc maxime excitat Orion, cum oritur vel occidit. Hinc *comes* ejus dicitur *Notus* ventus meridionalis valde nebuloſus. *νότις, humor:* unde nomen. Gell. lib. 2. cap. 22.

Orionis.] De Orione viro multo fabulantur quæ ad rem præſentem non attinent. De Sidere agitur ſtellas continente plurimas; quæ dum refulgent, ſerenitatem; ſin minus, tempeſtates minantur: jugula vocatur Latinis. Plaut. Amphitr. Act. 1. Scen. 1.

22. *Illyricis Notus obruit undis.*] Obrutus aquis perii in ſinu Illyrico (Dalmatico, Hadriano, hodie *Veneto*) tempeſtatem cientibus Auſtro pariter & Orione. Sic & jungit utrumque Virgilius Æneid. 1. v. 539.

Cum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion
In vada cæca tulit, penituſque procacibus
 Auſtris, &c.

Æneid. 4. v. 52. *aquoſus Orion.* Noſter Epod. 10. v. 9.

Nec ſidus atra nocte amicum appareat,
 Qua triſtis Orion cadit.

Epod. 15. v. 7.

—Nautis infeſtus Orion.

Illyricis.] Illyricus olim ſinus dicebatur univerſum illud mare, quod eſt Italiam inter & Illyricum. Poſtea Adriaticum mare continebatur ab Epidamno ex parte Illyrici, ad Garganum montem ex parte Italiæ: reliquum autem mare ad ſinus fauçes Ionium vocatum eſt: Adriaticum vero Dalmatici nomen accepit. Tandem ſinus univerſus hodie Venetus appellatur.

23. *At tu, nauta, vagæ ne parce, &c.*] Hic gravem Horatio dicam dicit, magnamque litem movet magnus Scaliger tanquam contraria loquenti. Quid enim, inquit, rogat nautam *ut puſillam ſibi terram injiciat inhumato, quem in ipſo ſtatim Odes initio, pulvere contectum ait? Satis erat quippe vel minima terra partem quampiam corporis tegi.* Scilicet arenam mare advolverat aliquantulam, & corpus utcunque texerat. At nunquid hæc erat legitima ſculptura? Talem vero poſcit Archytas.

—Qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.

ex Virgil. Æneid. 11. v. 23. Eâ porro qui carebant, annos centum errare veterum ſuperſtitio exiſtimabat. Virgil. Æneid. 6. v. 325.

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque
 turba eſt:
Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda,
 ſepulti.
Nec ripas datur horrendas nec rauca fluenta
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt.
Centum errant annos, volitantque hæc litora
 circum;
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.

Adde quod habet Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26. ubi ſic ſcribit: *Ludi ad Tarentum ſeculares dicti, qui ſingulis centum annis ex præcepto Sibyllinorum carminum fiebant ad placandos Manes; quorum auctor Valer. Publicola . . . . Proditur decretum inter Pontifices, ut ſi defuncto cadaveri juſta quiſpiam exhibere vult, & an humatum eſſet, in dubium veniret, ſatis haberent ſi quibuſdam ſacris precationibuſque exhibitis glebam abſenti cadaveri aut terram injicerent, terque injecto pulvere a labe erroris cadaver maneſque expiatos ducerent: atque ſi operto humo cadavere, os exceptum fuiſſet, donec purgetur, inhumatum videri.* Hæc ille. Atqui hic *inhumato capiti arenæ dari particulam* orat Archytas. Ergo caput opertum non erat; quâ corporis præcipua parte non contectâ; inſepultum cenſeri debet corpus. Quod quidem intelligitur ex ſententia Juriſconſultorum, apud quos ſacrum habetur ſepulchrum in quo conditum ſit caput hominis, etiamſi reliqua abſint membra; item offenſo capite, violatum habetur ſepulchrum, quoniam arx ſenſuum & rationis caput eſt, eoque amoto cætera prorſum ignota omnique decore jacent exuta; & quicquid honoris contribuitur capiti, univerſo plane corpori attributum exiſtimatur: quæ Ambroſii ſententia eſt. Hæc appoſite Cœl. Rhodig. lib. 17. cap. 19.

25. *Sic quodcunque minabitur, &c.*] Sic te pietas numinum ab omni vindicet malo, teque bonis cumulet, ut erga me pius fueris, & quæ

Fluctibus Heſperiis, Venuſinæ
Plectantur ſylvæ, te ſoſpite: multáque merces,
Unde poteſt, tibi defluat æquo
Ab Jove, Neptunóque ſacri cuſtode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Poſtmodo te natis fraudem committere forſan:
Debita jura viceſque ſuperbæ [112]
Te maneant ipſum. Precibus non linquar inultis;
Téque piacula nulla reſolvent.
Quanquam feſtinas, (non eſt mora longa) licebit
Injecto ter pulvere curras.

luant ſilvæ Venuſinæ, te incolumi: præmium quoque multiplex undecunque fas erit, tibi conferatur à Jove juſto, & à Neptuno ſacrati Tarenti defenſore. Quod ſi *fortè ſpernis admittere delictum poſteris innocentibus exitio futurum: ipſi tibi jus acquiſitum ac vices arrogantes reddantur. Haud ego deſtituar votis inutilibus: te vero nullæ purgabunt expiationes.* Itaque *licet properes, non diu tardabis; ter injecto pulvere, tranſgredi fas erit.*

ANNOTATIONES.

juſta peto conceſſeris. Ergo ſi me ſepelieris, avertant Dii à te pericula tempeſtatum, ventorumque furorem mari, quod navigas, minantium, in ſilvas propinquas depellant: inſuper autem & quæſtum lucrumque tuum promoveant; adeoque ſit exigui laboris pro me ibi *merces multa ab Jove Neptunoque* conceſſa.

Eurus.] Synecd. pro quolibet vento. Ille dicitur ab ἕω ῥέων ab *oriente fluens*; alio nomine ἀπηλιώτης; Romanis autem nautis Subſolanus. Gell. lib. 2. cap. 22.

26. *Fluctibus Heſperiis.*] Italiam Græci Heſperiam dixere, quod ſit ipſis ad occaſum: hos imitati Poetæ Latini pariter vocavere. Virgil. Æneid. 1. v. 534.

Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt.

Vel ſic appellata eſt Italia ab Heſpero, qui regionem iſtam à fratre Atlante pulſus adiit: vel etiam ab Heſpero ſtellâ quæ Veſper dicitur, & ad occaſum apparet. Poſtremam hanc originem afferit Macrob. Saturn. l. 1. c. 3. ita ſcribens: *Italia dicta eſt Heſperia, quod occaſui ſubjecta ſit.*

Venuſinæ ſilvæ.] Metonym. Venuſia & Venuſium eſt urbs Apuliæ in Lucaniæ confinio: continetur hodie Baſilicata Neapolitani regni provincia ad radices Apennini montis ſita; parva quidem, ſed principatus titulo nobilitatur, vernacule *Venoſa*.

29. *Neptunoque ſacri cuſtode Tarenti.*] Cic. de Nat. Deor. 2. n. 66. *Datum eſt Neptuno alteri Jovis, ut volunt, fratri, maritimum omne regnum: nomenque productum, ut Portunus a portu, ſic Neptunus à nando, paulum primis literis immutatis.* Porro ſacrum illi Tarentum dicitur, quod in ejus ſit tutela, eumque præcipue colat: ſive quod aiunt Phalantum Herculi & Neptuno templa ibi erexiſſe: vel quod ea urbs à Tarante Neptuni filio condita atque nominata: olim magnæ Græciæ fuit in Salentinis; hodie vero in terra Hydruntina, arcem habet portumque & principatûs inſignia.

30. *Negligis immeritis nocituram, &c.*] Id eſt, Si mihi ſuprema & juſta perſolvere parum curas, ſique per ſocordiam admittis piaculum tibi poſteriſque tuis nociturum. Semper enim grande nefas habitum eſt, inſepultum relinquere obvium cadaver: quique id neglexiſſet, piacularis exiſtimabatur. Athenis autem Buzyges ejuſmodi reum criminis etiam execrabatur.

31. *Fraudem.*] Nam debito defraudat officio mortuum, qui inhumatum negligit.

Forſan.] Legunt alii *forſit*, vel *forſet*: alii *fors, &c.* junguntque cum ſequentibus. Sed quid inde?

32. *Debita jura viceſque, &c.*] Par tibi ſors contingat jure merita, tuæque ſuperbiæ & ſocordiæ debita: ſic tu quoque inhumatus aliquando projiciare. *Superbæ.* Paſſeratius legit, *ſuperbe.* Alii per *ſuperbas vices* intelligunt graves atroceſque pœnas, ex Priſciano.

33. *Precibus non linquar inultis.*] Dii certe meas preces exaudient juſti juſtas: nec inultum me, nec te impunitum dimittent. Plaut. Captivi 2. 63.

Et profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.

34. *Teque piacula nulla reſolvent.*] Nullis ſacris tantum ſcelus eluere unquam licebit. Nimirum execrationes veteribus credebantur inexpiabiles. Nam aliqui præcidaneâ porcâ expiari conſueverat, qui inſepultum reliquerat forte obvium cadaver, nec glebâ operuerat. Feſtus.

36. *Injecto ter pulvere curras.*] Hæc eſt illa tandem, quam à nautâ petit Archytas, humatio legitima; glebæ injectio ſcilicet; ſive ut quis mortalium cadaveri ter injiciat pulverem. Rem totam explicat Tullius de Leg. 3. n. 56. *Antiquiſſimum ſepulturæ genus id fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur: redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac ſitum quaſi operimento matris obducitur.* Et n. 57. *Siti dicuntur ii, qui conditi ſunt. Nec tamen eorum ante ſepulchrum eſt, quam juſta facta & corpus*

quidve Tiridati formidinem incutiat. O Pimplea ſuavis, quæ puris fontibus delectaris, apricos flores colliga, corollam texe meo Lamiæ Abſque te nihil juvant meæ laudes. Novis illum cantilenis, illum citharâ Leſbiâ æquum eſt conſecrari cum à te, cum à tuis ſororibus.

Quid Tiridatem terreat unicè
Securus. O quæ fontibus integris [101]
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimplea dulcis. Nil ſine te mei
Proſunt honores. Hunc fidibus novis,
Hunc Leſbio ſacrare plectro,
Téque tuáſque decet ſorores.

ANNOTATIONES.

5. *Quid Tiridatem terreat.*] Is ejecto in exilium Phraate Parthorum rege, nobilitatis unanimi conſpiratione in locum ejus fuerat ſubrogatus: at cùm audiſſet maximo Scytharum auxilio Phraatem juvari ad recuperandum imperium, ita perterritus eſt, ut ad Auguſtum relicta Parthia fugerit. Hæc fusè Juſtin. lib. 42. ſub finem. Dio. lib. 51, & 52. Plutarch. in Antonio, &c.

Unice Securus.] Quidam vocem, *unice*, referunt ad verbum *terreat*: alii jungunt cum hac voce, *ſecurus*: id eſt, Singulariter ego & maxime abjeci magnas curas de republicâ, & Imperiis exterarum gentium, ut Muſis vacem.

6. *O quæ fontibus integris Gaudes, &c.*] O Muſa, tuum eſt laudare meum Lamiam; meos conatus parum valere intelligo: virum immortali dignum honore a te celebrari convenit. Ergo quod mihi imprudens ſumpſeram, tu tibi aſſumas æquum eſt.

7. *Apricos necte flores.*] Necte coronam ex optimis floribus in aprico naſcentibus, quibus exornes pro meritis meum amicum Æmilium Lamiam.

8. *Lamiæ.*] Is anno poſt Horatii mortem octavo Conſul fuiſſe cum M Servilio dicitur, ann. ab U. C. 755. Corn. Tacit. Ann. lib. 6. cap. 27. ita ſcribit, *Extremo anni mors Ælii Lamiæ funere Cenſorio celebrata, qui adminiſtrandæ Syriæ imagine tandem exſolutus, urbi præfuerat. Genus illi decorum; vivida ſenectus, & non permiſſa provincia dignationem addiderat.* Vide Od. 17. lib. 3.

9. *Pimplea.*] A Pimplâ Macedoniæ monte pariter & fonte Muſis ſacro, Muſæ dictæ ſunt Pimplea & Pimpleides.

Nil ſine te.] Huc pertinet adagium Μετὰ μουσῶν, quo ſignificatur ope Muſarum grave quodvis inceptum perfici.

10. *Hunc fidibus novis, &c.*] Præter ſolitum magnifico genere carminis vir tantus ad immortalitatem conſecrandus eſt.

11. *Leſbio plectro.*] Carmine Sapphico & Alcaico: vel eximiis verſibus, quales fuere Alcæi & Sapphûs, qui in Leſbo Ægæi maris inſulâ nati. Hæc hodie *Metelina*, olim *Mitylene*, celebrata eſt vini generoſitate, ubertate ſoli, cantorum peritia, & ædificandi ratione ſpeciali, e quâ natum proverbium, *Leſbia regula*, de quo Ariſtot. Moral. 5. cum nempe lex ad mores accommodatur; non, quod opportet, mores ad legem. A Leſbiis ſiquidem ad lapidum figuram plumbea ædificationis regula dirigebatur; non contra. Vide Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 22. & Annot. ad Od. 17. v. 21. ſupra.

ODE XXVII.

Sodales hortatur ne inter potandum rixentur.

Thracum eſt decertare poculis ad hilaritatem idoneis. Reſcindite immanem conſuetudinem;

NAtis in uſum lætitiæ ſcyphis [102]
Pugnare, Thracum eſt: tollite barbarum

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9.

2. *Thracum eſt.*] Hi enim non ſolum bibacitatis infamiſ, ſed & inter potandum petulantiæ vitio laborabant. Hinc πολυπότας, & ἀκρατοπότας dicti, Athen. l. 10. Ibidem & ἀεμυνότες ἐπισικῶς, &c. c. 12. Idem. l. 1. c. 24. magnam fuiſſe ſcribit ob vini præſtantiam Thraciæ celebritatem. Vide ſupra Od. 18. ibique Annot.

Tollite barbarum Morem.] Solebant Thraces non ſolum hianti ore affatim vinum bibere, ex

Morem;

Morem; verecundúmque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat. Impium
Lenite clamorem, ſodales, [103]
Et cubito remanete preſſo.
Vultis ſeveri me quoque ſumere
Partem Falerni? Dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus

& cruentas contentiones à Baccho modeſto removete. Perſicus gladius mirum quantum diſtat à mero & candelis. O ſocii, cohibete vociferationes execrandas; cubitoque innixi conſiſtite. An jubetis etiam me capere portionem Falerni auſteri? Declaret Opuntiæ Megillæ frater, quo

ANNOTATIONES.

Callimacho apud Athen. cit. lib. 10. cap. 12. ſed etiam ferro accincti epulabantur, & quemlibet cogebant æquales bibere cyathos. Quod certe barbarum.

3. *Verecundúmque Bacchum.*] Cum verecundia & moderatione tractandum: alias enim ulciſcitur vino abutentes & immodicè haurientes furore aliiſque malis percutiendo. Supra Ode 18.

4. *Sanguineis prohibete rixis.*] De Centaureâ cum Lapithis rixâ ſuper mero, ſupra Ode 18. & Virgil. Georgic. 2. v. 456.

————*Ille furentes*
Centauros leto domuit, Rhœtumque Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

5. *Vino & lucernis Medus acinaces, &c.*] Quid gladio, quid armis cum hilaritate & epulis? Vide Macrob. lib. 7. cap. 1. & Plutarch. Sympoſ. lib. 1. cap. 4.

Lucernis.] Convivia veſpere incipiebant, & in multam ſæpe noctem protrahebantur: ad hæc igitur lucernis opus erat. Quod autem veteres largius cœnarent, quam pranderent, idque rectè & ad ſanitatem, exponit Cæl. Rhodig. lib. 14. cap. 9 ſub finem.

Medus.] Quoniam Medi Perſæque vicini, atque uni Cyro paruere: hinc promiſcuè ponuntur, maxime a Poëtis.

Acinaces.] Eſt Perſarum haſta pariter & enſis ex Heſychio & Suida. Περσικὸν ξίφος ἀκινάκην καλέουσι, Herodot. lib. 7. *Perſicam enſem acinacem vocant*, παρὰ τὴν ἀκὴν, ob mucronem ſcilicet & cuſpidem. Erat igitur acinaces ut & ſagatis, Perſis ac Medis proprius, ſicut pila Romanis, geſa Gallis, gladius Lacedæmoniis, ſariſſa Macedonibus, lancea Hiſpanis, falarica Saguntinis, romphæa Thracibus, framea Germanis, ſparus Ruſticis, Theutonicis cateiæ, &c. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

6. *Immane quantum.*] Cic. de Finib. *Nimium quantum*, & de Oratore. n. 87. *Mirum quantum.* Tacit. Hiſt. 3, 62. *Flavianus exercitus immane quantum animo exitium Valentis ut finem belli accepit.* Græci, θαυμαστὸν ὅσον, Plato Epiſt. 7, &c.

Impium.] Menſa res inter ſacras numerabatur, ex Plutarch. Sympoſ. itaque genialem menſam, & convivalem hilaritatem vociferando confundere, impium eſt. Adde quod ſic violatur ſilentium menſæ & Angeronæ Deæ debitum. Juſt. Lipſ. mox citandus. *Angeronæ ſilentii Deæ ſacra menſa habetur.*

8. *Cubito remanete preſſo.*] Ita compoſiti veteres menſæ accumbebant, reclinata ſupra parte corporis in cubitum ſiniſtrum, infra in longum porrecta & jacente: capite leviter erecto, dorſo pulvillis modice ſuffulto. J. Lipſ. antiq. Lect. lib. 3 cap. unico. Cætera notabuntur poſtea ad iſtos Horatii locos. Sat. 1, 4, 86.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Et Sat. 2, 4, 39.

. . . . *In cubitum jam ſe conviva reponet.*

9. *Severi Falerni.*] Acrioris, inquiunt, ſaporis: vel meri, ut placet Theod. Marcilio; alii veteris. Seneca Epiſt. 63. *In vino nimis veteri ipſa nos amaritudo delectat.*

10. *Dicat Opuntiæ, &c.*] Ut rixandi animum a conviviis arceat Horatius, ſtatim læta proponit, imprimiſque morem hunc, quo ſuos quiſque amores ex ordine debebat proferre. De eo cit. Lipſius, Inter leges convivii, hæc una eſt ibidem.

Dominam ſi quis habeſſit, indicium facito.

Interpres Theocriti ad Idyll 14. *ſolebant*, inquit, *merum ſumere in ſympoſiis, & nominare aliquos amores aut amicos, tum terræ invergere, & pronunciare amiciſſimorum nomina.* Nempe & cottabiſmus illic habebat locum. Sic igitur epuli progreſſu merum poſcebant; atque amico vel amicæ libabant, ac bene precabantur. Tibull. 2, 1, 31.

Sed bene Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent

Quinetiam tot cyathos hauriebant, quot literas amici vel amicæ nomen continebat. Martial. 1, 72.

Nævia ſex cyathis ſeptem Juſtina bibatur.

Opuntiæ frater Megillæ.] Per notam pulchritudine Megillam ejus frater indicatur. Oriundi erant ex Opunte Locridis urbe.

felix ictu, quo telo intereat. Scilicet *renuis?* At ego *non aliâ conditione potabo.* Certè *quiſquis te amor tenet, haud pudendâ incendit flammâ: atque li erali ſemper amore delinqui.* *Euge, quodcunque tibi eſt, fidelibus crede auriculis. Ah infelix, quam pravâ cum voragine luctaris! O adoleſcens, clementiores amores meritus* fuiſti. *Ecqua venefica, quis incantator herbis è Theſſaliâ venenoſis, quod Numen te queat expedire?* Ipſe *Pegaſus implicitum te vix li-*

Vulnere, quâ pereat ſagittâ.
 Ceſſat voluntas? Non aliâ bibam
Mercede. Quæ te cunque domat Venus, [104]
Non erubeſcendis adurit
Ignibus; ingenuóque ſemper
 Amore peccas. Quicquid habes, age,
Depone tutis auribus. Ah miſer,
Quantâ laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flammâ!
 Quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus? [105]
Vix illigatum te triformi

ANNOTATIONES.

11. *Quo beatus Vulnere.*] Cujus amore teneatur: quâ Cupidinis ſagittâ percuſſus langueat, quam virginem aut mulierem deperеat. *Beatus*, ſi quidem redamabatur.

13. *Ceſſat voluntas?*] Renuebat indicare Horatio Megillæ frater, quam adamaret: at ille monet jus eſſe convivarum, id ab unoquoque ſodalium exigere: quare hic ſtatim poſtea obtemperat, ſuoſque amores clam tamen, & in aurem declarat.

Non aliâ bibam Mercede.] Niſi hanc convivii legem obſervas, nec aliam ego. Si quæ ſit amica tua, recuſas aperire; ego quoque more majorum bibere detrectabo. Apud J. Lipſ. cit. & hæc convivii lex habetur: *a ſummo ad imum more majorum bibunto.* Item hæc altera; *decem cyathi ſumma potio ſunto.*

14. *Quæ te cunque domat Venus, &c.*] Inſtat Horatius, ne erubeſcat ille indicare amaſiam, cujus ſane amor, utpote ingenuæ, & honeſtus ſit, & glorioſus; quantum ipſe quidem exiſtimabat.

17. *Quicquid habes, Depone tutis auribus.*] Quiſquis ſit amor tuus, tutò mihi declara fideli arcanorum cuſtodi: clam ſaltem aperi, ſi non vis palam: ne dubita mihi ſecretum committere, quod invito te nunquam revelabo.

18. *Ah miſer.*] Ergo Megillæ frater annuit tandem, & amicam ſuam indicat Horatio: at h c audiens quæ ſit illa, erumpit in commiſerationis voces iſtas.

19. *Quantâ laboras in Charybdi.*] Tam periculoſe amas, quam ſi cum Charybdi luctareris. Scilicet ejuſmodi mulierem deperis? Ah miſer periiſti! meliori profecto ſorte & amore dignus eras. *Charybdi* omnia abſorbenti bene comparatur avara meretrix. Cicero Philip. 2. n. 67. *Quæ Charybdis tam vorax?* Eſt proprie vorago, ſeu gurges vorticoſus in freto Siculo, ad Meſſanam, hodie, *Capo di Faro*, vel, *Capo Faro*, ob Pharum illic excitatam. Fabulantur autem ſcortum fuiſſe rapacitate famoſum, quod cum Herculis adduxiſſet boves, à Jove fulminatum in mare præcipitatum eſt, atque in hanc voraginem mutatum. Virgil. Æneid. 3. v. 420.

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet: atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, &c.

Senecæ Epiſt. 79. *Charybdis an reſpondeat fabulis, perſcribi mihi deſidero . . . Fac nos certiores utrum uno tantum vento agatur in vortices, an omnis tempeſtas æque illud mare contorqueat: & an verum ſit quicquid illo freti turbine abreptum eſt, per multa millia trahi.*

21. *Quæ ſaga, &c.*] Cum videaris faſcino & incantamentis tam pernicioſo amore implicitus; vix apparet ſalutis via. Quis enim te homo magicis artibus pollens? Quis & Deus expedire queat fatali velut nexu aſtrictum atque illigatum?

Theſſalis Magus venenis.] Venenatis & ad incantamenta efficaciſſimis herbis in Theſſalia copioſe creſcentibus. Aiunt nimirum Poetæ, Medeam illac fugientem, aëre ſublatam, ſcriniolum veneficiis & herbis magicis planum dejeciſſe, ſicque ſparſa illa pullulaſſe. Apuleius apud Theſſaliam in aſinum ſe mutatum ſcribit; Metamorph. ſeu de aſino aureo: ibidemque deſcribit veneficarum Theſſalarum apparatum, atque, ut ait ipſe, *feralem officinam.* Vide Plin. lib. 30. cap. 1. ubi & refert *Menandrum Theſſalam cognominaſſe fabulam, complexam ambages feminarum detrahentium Lunam.*

23. *Vix illigatum te triformi, &c.*] Ipſe Bellerophon qui Pegaſo inſidens Chimæram interfecit, capite et formâ triplici horrendam, vix te liberabit ab iſtâ pravâ muliere huic monſtro non abſimili. Vide infra.

Pegaſus

Pegaſus expediet Chimærâ. | *berabit ex iſta Chimæra triformi.*

ANNOTATIONES.

24. *Pegaſus.*] Apud Strab. & Palæphat. Pegaſus non eſt equus, ſed navis longa & citiſſima, hoc ideo nomine inſignita, quâ Bellerophon inſecutus comprehendit & cecidit Lyciorum Ducem, nomine Chimæram, piraticâ infamem, vectum navi, cujus prora leonis, puppis draconis, medium capræ effigiem aut imaginem depictam exhibebat. Hincque fabulæ locus datus; teſte etiam Plutarcho de claris mulieribus.

Chimærâ triformi.] Ex Strab. cit. mons ille Lyciæ ignivomus, in vertice leones, in medio capras, ad radicem ſerpentes habebat. Hunc vero Bellerophon expurgavit & inhabitabilem prius exinde habitabilem reddidit. Apud fabulatores *Chimæra* eſt monſtrum *triforme*, caput & pedes leonis habens, capræ ventrem, draconis caudam. Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. Hinc Lucretius lib. 5, 903.

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra.

Ov. Met. 9, 646. . . . . *Mediis in partibus hircum*
Pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.

Hoc vero Bellerophon Neptuno adjutus, alato equo invectus, ſagittis confecit. Lucianus Dial. de Aſtrol. ait minime ſibi perſuaſum, alatum Bellerophonti equum fuiſſe; verum putare illum talis ſapientiæ ſtudio deditum, ſublimia & quæ ad ſidera pertinent meditantem in cœlum aſcendiſſe, non equo ſed monte. Vide & Cœl. Rhodig. lib. 13. cap. 9. Porro bene Horatius meretricem cum Chimærà confert. Hujus enim habet illa venenum, fætorem, feritatem; impuræque libidinis flammas paſſim eructat. Adde quod amoris principia impetum leonis, medium capræ ſalacitatem; finis autem doloris morſus velut ſerpentis ac draconis letiferos nunquam non exerit. Fulgent. Mythol. lib. 3. Chimæræ, tanquam rei quæ nunquam fuerit aut eſſe potueri, meminit Tullius de natura Deorum l. 1. n. 180. & ad Attic. l. 2. Epiſt. 16. ubi & citat verſiculum Græcum, qui ſupra habetur.

ODE XXVIII.

Inducitur Archytas naufragus orans nautam prætereuntem, ne ſe inſepultum relinquat.

TE maris et terræ numeróq; carentis arenæ [106]
Menſorem cohibent, Archyta, | *O Archyta, te qui mare terramque & ſabulum innumerabile dimenſus es,*

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod ſupra Od. 7.

1. *Te maris, &c.*] Idolopœiam inſignem, ſimul & irriſionem Pythagoricæ diſciplinæ exhibet Horatius, ipſe quidem Epicurus: in primis autem carpit Mathematicas artes divinandi. Inducit nautam obvio cadaveri Archytæ non leviter exprobrantem, quod miſerè jaceat; nec Babylonicorum numerorum ope tam dirum fatum evitârit. Ecce vero Jul. Scaliger humilem ſtylum interruptaque orationis membra culpat: nimirum hoc vitio dat quod erat laudi vertendum. Agitur de humando cadavere: Archytas ſortem ſuam lamentatur: an non iſta decet oratio tenuis? An magniloquentia hic congrueret? At inſurgit ille porro: *quid quod ſibi Poeta contradicit?* &c. Vide infra v. 23.

Te maris & terræ, &c.] Alloquitur Poeta Archytam: ſiccine deeſt ſat pulveris ad operiendum totum cadaver: idque fata negant tibi, qui Geometra egregius Aſtrologuſque & in Pythagoricâ diſciplinâ perfectus fuiſti? Aiunt apud Ægyptios inventam primum Geometriam. Cum enim ſingulis annis exundaret Nilus, & limo cuncta coæquaret, ut illo abeunte nulli agrorum limites, nulla diſcrimina apparerent, atque lites hinc frequentes orirentur; tum demum per lineas & menſuras agri notati ſunt; curaque illa ſacerdotibus demandata. Hanc porro ſcientiam ad Græcos tranſtuliſſe Pythagoras fertur. Vide Cœl. Rhodig. lib. 18. cap. 34.

Numeroque carentis arenæ Menſorem] Eccleſiaſtici cap. 1. *Arenam maris quis dinumeravit?* Pindar. Olymp. Od. 2. in fine, ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγε, *arena fugit numerum. Menſorem.* Hyperbole. Scilicet, quod erat innumerabile cæteris, ipſe numerare potuit. An reſpicit Horatius ad oraculum Apollinis, quo numerum arenæ ſibi notum eſſe gloriatur; οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης: an ad librum, ab Archimede compoſitum, cui titulus ψαμμίτης, in quo initur ratio arenam numerandi, ſi mundus ea foret oppletus? Vide Turneb. lib. 26. c. 1. Hyginus lib. de Limitibus: *Archimedem præclari virum ingenii ferunt ſcripſiſſe quantum arenarum capere mundus queat, ſi ea repleretur.*

2. *Archytæ.*] Cruquius perperam intelligit

modici pulveris donum tenue coercet juxta oram Matinam. Nil ergo *proficit tibi mortali,* quod *cœleſtes regiones luſtraſti, ambitumq; orbis mente circuiſti.* Sic *& Pelopis obiit pater, Numinum conviva: Tithonus etiam in cœlum ſublatus;*

Pulveris exigui prope littus parva Matinum [107]
Munera; nec quidquam tibi prodeſt
Aërias tentâſſe domos, animóque rotundum
Percurriſſe polum, morituro.
Occidit et Pelopis genitor, conviva Deorum,
Tithonúſque remotus in auras, [108]

ANNOTATIONES.

quendam Archytam Firmanum Horatio coævum, Geometricis & Aſtronomicis obſervationibus nimis indulgentem, de quo Cicero de Divin. 2. *O vim magnam erroris! &c.* Juvat cum cæteris omnibus accipere hic Archytam Tarentinum, Platonis familiarem & a Dionyſii crudelitate vindicem, ſiquidem illum ob verba quædam de tyrannide liberius prolatâ neci addictum per epiſtolam eripuit. Diogen. Laërt. l. 3. & 8. Is præfuit ſepties ſuæ civitati, cum tamen imperandi tempus anno eſſet uno aliis definitum: idem ibidem. Honorificam Archytæ mentionem habet Tullius de Senectute c. 12. *Virumque magnum in primis & præclarum* nominat, dicere quidem egregie ſolitum: *Capitaliorem hominibus peſtem nullam eſſe a naturâ datam, quam corporis voluptatem, cujus avidæ libidines temere & effrænate ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, &c.* Is Pythagorica in Philoſophicis, Platonica in Geometricis præcepta hauſerat. Mathematicis & Mechanicis artibus excellens, columbam ligneam *libramentis ſuſpenſam, & aura ſpiritus incluſa atque occulta concitam fecerat volantem.* Gell. lib. 10. cap. 12. Cubum primus invenit. Platone teſte in Republ. Diogen. Laërt. cit. lib. 8.

3. *Pulveris exigui.*] Te dignum inſigni mauſoleo, nempe tot meritis præſtantem, heu! cohibet ac tegit pulviſculus marinis undis advolutus.

Prope littus Matinum.] Ad oram Apuliæ: ubi in Lucaniæ confinio populi degunt Matini; ſunt & ſaltus buxetis abundantes, de quibus Lucanus lib. 9. v. 185.

. . . . . *Calidi lucent buxeta Matini.*

4. *Nec prodeſt Aërias tentaſſe domos.*] Quî factum, ut mortis hoc genus miſerandum ab aſtris tibi parari non intellexeris, nec effugeris eruditus apprime aſtronomiâ & matheſi? Quin præſciſti & eluctatus es fatum, O Archyta? Sic Aſtrologos futura prævidere & prædicere tentantes datâ ſemper occaſione ſugillat Horatius. *Aërias tentaſſe domos.*] Planetarum domicilia, ſiderum affectiones, virtutes, ſitus, aſpectus contemplatum fuiſſe: *Animoq; rotundum Percurriſſe polum,* ſphæram, ſphæræque inclinationes; orbis varia climata, diverſaſque regiones cognoviſſe.

6. *Morituro.*] Eſt qui vocem hanc jungat cum præcedente *animo,* ut ex opinione Epicuri (cujus egregie Horatius) mortales animi aſſerantur. Ita Plutarch. de placitis Philoſophorum. lib. 4 cap. 7. Ἐπίκουρος τὴν ψυχὴν φθαρτὴν τῷ σώματι συνδιαφθειρομένην.

7. *Occidit & Pelopis genitor.*] Hæc verba quidam & ſequentia uſque ad iſta, *Me quoque devexi, &c.* nautæ eſſe continua, pronunciant: alii attribuunt Archytæ ad nautam reſpondenti ſic: quid miraris quod interierim, cum nemo ſummorum virorum huc uſque mortem effugerit? En Pelopis genitor occidit, Tantalus ipſe Deorum conviva, &c. Pindar. Olymp. Od. 1. canit, ſi quem mortalium honorârunt Dii, maxime Tantalum.

Pelopis genitor, &c.] Tantalus Phrygiæ rex, Agamemnonis & Menelai proavus Deos convivio excepit, utque eorum divinitatem experiretur, Pelopem filium iis epulandum appoſuit: quas illi dapes exhorruere, detruſoque ad inferos Tantalo facinus vindicavere. Diodor. Sicul. lib. 6. cap. 11. ait, Tantalum Jovis filium divitiis & gloriâ inſignem, apud Aſiæ partem quæ Paphlagonia dicitur, Diis etiam carum ob generis claritatem: poſtea vero felicitate inſolentiorem evulgaſſe hominibus immortalium ſecreta, quæ menſæ communione & conſuetudine cum Diis noverat: cujus criminis pœnas ſolvit ad inferos detruſus; ut uſque ad mentum inſurgant aquæ, & ad labia uſque poma dependeant; & tamen in magnâ ſiti & fame nec bibere liceat, nec edere. Pindar. modo cit. addit, Tantalum ſuam felicitatem utpote nimiam concoquere non potuiſſe, ſed ſatoritate damnum toliſſe immenſum ab ipſo Jove patre irrogatum.

8. *Tithonuſque remotus in auras.*] Quin & Tithonus Auroræ maritus, quanquam ab uxore cœleſti ſucco perfuſus, atque ita vivax effectus, fatis tandem conceſſit. *Remotus in auras,* ab Aurorâ adamatus, & hinc in cœlum raptus. Inſuper fabulantur Tithonum ſenectutis incommoda pertæſum in cicadam optaviſſe converti, ſicque adeo transformatum in aere ſuſpenſum in caniſtro fuiſſe. Euſtath. ad Iliad. penult. Athen. lib. 3. & lib. 12. cap. 12.

Et Jovis arcanis Minos admiſſus; habentque
Tartara Panthoïden iterum orco
Demiſſum; quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora teſtatus nihil ultra
Nervos atque cutem morti conceſſerat atræ;
Judice te, non ſordidus auctor
Naturæ, verique. Sed omnes una manet nox; [109]
Et calcanda ſemel via lethi.
Dant alios Furiæ torvo ſpectacula Marti:
Exitio eſt avidis mare nautis.
Miſta ſenum ac juvenum denſantur funera; nullum
Sæva caput Proſerpina fugit.

nec non Minos ſecretorum Jovis particeps: Panthoi filius quoque rurſum ad Inferos truſus ibidem tenetur; quanquam detracto ſcuto res Trojanas teſtificatus, præter nervos & pellem nigro letho nihil tradiderat, te arbitro, non ignobilis teſtis naturæ & veritatis. Verùm nox eadem cunctos expectat: ſemelque mortis iter peragendum eſt. Quoſdam Furiæ præbent ludum atroci Marti; perniciosum mare eſt nautis cupidis. Confuſæ vetulorum ac juvenum mortes conglobantur: caput nullum eripitur crudeli Proſerpinæ.

ANNOTATIONES.

9. *Et Jovis arcanis Minos admiſſus.*] Pariter & Minos Jovis familiaritate inſignis, tamen mortuus eſt. Is apud Homer. Odyſſ 19. Διὸς μεγάλου ὀαριστής. Plato in Min. hunc affert Homeri locum, ſcribitque Minoëm a Jove eruditum & nono quoque anno cum eo verſari ſolitum & colloqui. Aiunt nempe Minoëm regem Cretenſibus dare leges volentem in antro ſeſe condidiſſe, ubi ſe cum Jove ſermocinantem prædicavit, atque ex ejus conſilio cuncta ſtatuiſſe: porro juſtitiæ fama clarum apud inferos judicem a Plutone conſtitutum. Hinc non abs re credunt aliqui per *Jovem* hic ſignificari Plutonem, qui quidem *Jupiter Stygius* a Virgilio dicitur Æneid. 4. v. 638.

10. *Habentque Tartara Panthoïden.*] Ex hac etiam vitâ denuo ceſſit, jamque in Inferis degit celebratiſſimus ille tranſmigrationis animarum auctor Pythagoras, qui ſe fuiſſe jactabat Euphorbum Panthoi filium apud Trojam, atque a Menelao interſectum, ſubinde revixiſſe, ac factum Pythagoram; idque intellexiſſe agnito clypeo quem geſtarat olim in Trojano bello, dum Euphorbus eſſet. Clypeus autem ille repertus in templo ſive Apollinis apud Cariæ oppidum, ſive Junonis apud Argos. Prius illud refert Diogen. Laërt. lib. 8. Hoc vero poſterius Ovid. Metamorph. 15. fab. 3. Ex his habes explicata quæ ſequuntur, *Iterum Orco demiſſum.* Item, *Quamvis clypeo Trojana refixo Tempora teſtatus.* Ovid. cit. 158. ſic loquentem inducit Pythagoram:

Morte carent animæ: ſemperque, priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt habitantque receptæ.
Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram: cui pectore quondam
Hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.
Cognovi clypeum lævæ geſtamina noſtræ
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.

12. *Nihil ultra Nervos, &c.*] Animo ſemper vivans, corpore duntaxat mortuus, non ſemel. Sic palingeneſiam & metempſychoſin Pythagoræ explodit noſter Poeta. Vide Perſ. Sat. 6. v. 11. ubi & annotavi non pauca. Cic. 1. de Nat. Deorum. Valer. Maxim. lib. 8. cap. 7. &c.

15. *Sed omnes una manet nox.*] Omnes perinde mortales ſerius ocyus hinc migrare debent & vitam exuere. Catull. 5, 5.

Nobis, cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

16. *Calcanda ſemel via lethi.*] Apoſtolus ad Heb. cap. 9. v. 27. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* 1. Reg. 3. cap. 2. David morti proximus ita loquitur: *Ego ingredior viam univerſæ terræ:* pariter & Joſue, c. 23. art. 14. Propertius. 3. 18, 22.

Sed tamen huc omnes; huc primus & ultimus ordo:
Et mala, ſed cunctis iſta terenda via eſt.

17. *Dant alios Furiæ torvo ſpectacula Marti.*] Quoſdam Furiæ mactant, & quaſi ludum Marti dant: id eſt, alios ad mortem trahit bellandi ardor, alios navigandi, negotiandi, lucrum faciendi cupiditas.

20. *Nullum Sæva caput Proſerpina fugit.*] Nullum caput fugit ſævam Proſerpinam; id eſt, Mortem eluctatur nemo. Proſerpina uxor Plutonis credebatur morituris capillos reſecare; ac velut primitias inferis ſacras præmittere; nec aliàs potuiſſe animam corpore exſolvi. Ad hanc ſuperſtitionem reſpicit Horatius hic: pariter & Virgil. Æneid. 4. v. 698.

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco:

Alluſit & Martial. lib. 3. Epigram. 43.

Non omnes fallis. Scit te Proſerpina canum,
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Vide Macrob. Saturn. lib. 5. cap. 19. ubi quædam habet eximia de illo crinis abſcindendi ritu.

Me

Sic etiam me Illyricis fluctibus ſubmerſit Auſter declivis Orionis aſſecla præceps. Tu vero nauta, ne improbus mihi ſis, neve te *pigeat errantis ſabu portionem injicere oſſibus & capiti inſepulto. Ita quicquid Eurus minitabitur Italico mari,*

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis. [110]
At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Oſſibus et capiti inhumato 24
Particulam dare. Sic quodcunque minabitur Eurus [111]

ANNOTATIONES.

21. *Me quoque devexi, &c.*] Ne mirare igitur nauta, quod interii, inquit Archytas: ſicut illi ſuo quiſque modo obiere mortem; ita ego ſubmerſus Illyrico mari.

Devexi.] Sive quod Auſtralis eſt Orion, adeoque in parte cœli devexâ, ſicut oppoſita Borealis eſt ſubvexa & ſuperior: ſeu quod Orionis figura ſtatuitur prona in phænomenis: unde & *Pronus Orion*, lib. 3. Od. 27. v. 18. vel denique notatur occaſus hujus ſideris; quod ad rem certe magis videtur. Nam tempeſtates tunc maxime excitat Orion, cum oritur vel occidit. Hinc *comes* ejus dicitur *Notus* ventus meridionalis valde nebuloſus. *νοτὶς, humor*: unde nomen. Gell. lib. 2. cap. 22.

Orionis.] De Orione viro multo fabulantur quæ ad rem præſentem non attinent. De Sidere agitur ſtellas continente plurimas; quæ dum refulgent, ſerenitatem; ſin minus, tempeſtates minantur: jugula vocatur Latinis. Plaut. Amphitr. Act. 1. Scen. 1.

22. *Illyricis Notus obruit undis.*] Obrutus aquis perii in ſinu Illyrico (Dalmatico, Hadriano, hodie *Veneto*) tempeſtatem cientibus Auſtro pariter & Orione. Sic & jungit utrumque Virgilius Æneid. 1. v. 539.

Cum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion
In vada cæca tulit, penituſque procacibus Auſtris, &c.

Æneid. 4. v. 52. *aquoſus Orion.* Noſter Epod. 10. v. 9.

Nec ſidus atra nocte amicum appareat,
Qua triſtis Orion cadit.

Epod. 15. v. 7.

—Nautis infeſtus Orion.

Illyricis.] Illyricus olim ſinus dicebatur univerſum illud mare, quod eſt Italiam inter & Illyricum. Poſtea Adriaticum mare continebatur ab Epidamno ex parte Illyrici, ad Garganum montem ex parte Italiæ: reliquum autem mare ad ſinus fauçes Ionium vocatum eſt: Adriaticum vero Dalmatici nomen accepit. Tandem ſinus univerſus hodie Venetus appellatur.

23. *At tu, nauta, vagæ ne parce, &c.*] Hic gravem Horatio dicam dicit, magnamque litem movet magnus Scaliger tanquam contraria loquenti. Quid enim, inquit, rogat nautam *ut puſillam ſibi terram injiciat inhumato, quem in ipſo ſtatim Odes initio, pulvere contectum ait? Satis erat quippe vel minima terræ partem quampiam corporis tegi.* Scilicet arenam mare advolverat aliquantulam, & corpus utcunque texerat. At nunquid hæc erat legitima ſculptura? Talem vero poſcit Archytas.

—Qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.

ex Virgil. Æneid. 11. v. 23. Eâ porro qui carebant, annos centum errare veterum ſuperſtitio exiſtimabat. Virgil. Æneid. 6. v. 325.

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba eſt:
Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda, ſepulti.
Nec ripas datur horrendas nec rauca fluenta
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt.
Centum errant annos, volitantque hæc litora circum;
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.

Adde quod habet Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26. ubi ſic ſcribit: *Ludi ad Tarentum ſeculares dicti, qui ſingulis centum annis ex præcepto Sibyllinorum carminum ſiebant ad placandos Manes; quorum auctor Valer. Publicola . . . . Proditur decretum inter Pontifices, ut ſi defuncto cadaveri juſta quiſpiam exhibere vult, & an humatum eſſet, in dubium veniret, ſatis haberent ſi quibuſdam ſacris precationibuſque exhibitis glebam abſenti cadaveri aut terram injicerent, terque injecto pulvere a labe erroris cadaver maneſque expiatos ducerent: atque ſi operto humo cadavere, os exceptum fuiſſet, donec purgetur, inhumatum videri.* Hæc ille. Atqui hic *inhumato capiti arenæ dari particulam* orat Archytas. Ergo caput opertum non erat; quâ corporis præcipua parte non contectâ; inſepultum cenſeri debet corpus. Quod quidem intelligitur ex ſententia Juriſconſultorum, apud quos ſacrum habetur ſepulchrum in quo conditum ſit caput hominis, etiamſi reliqua abſint membra; item offenſo capite, violatum habetur ſepulchrum, quoniam arx ſenſuum & rationis caput eſt, eoque amoto cætera prorſum ignota omnique decore jacent exuta; & quicquid honoris contribuitur capiti, univerſo plane corpori attributum exiſtimatur: quæ Ambroſii ſententia eſt. Hæc appoſite Cœl. Rhodig. lib. 17. cap. 19.

25. *Sic quodcunque minabitur, &c.*] Sic te pietas numinum ab omni vindicet malo, teque bonis cumulet, ut erga me pius fueris, & quæ

Fluctibus

Fluctibus Heſperiis, Venuſinæ
Plectantur ſylvæ, te ſoſpite: multáque merces,
Unde poteſt, tibi defluat æquo
Ab Jove, Neptunóque ſacri cuſtode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Poſtmodo te natis fraudem committere forſan:
Debita jura viceſque ſuperbæ [112]
Te maneant ipſum. Precibus non linquar inultis;
Téque piacula nulla reſolvent.
Quanquam feſtinas, (non eſt mora longa) licebit
Injecto ter pulvere curras.

luant ſilvæ Venuſinæ, te incolumi: præmium quoque multiplex undecunque fas erit, tibi conferatur à Jove juſto, & à Neptuno ſacrati Tarenti defenſore. Quod ſi *fortè* ‛*pernis admittere delictum poſteris innocentibus exitio futurum: ipſi tibi jus acquiſitum ac vices arrogantes reddantur. Haud* ego *deſtituar votis inutilibus: te vero nullæ purgabunt expiationes.* Itaque *licet properes, non diu tardabis; ter injecto pulvere, tranſgredi fas erit.*

ANNOTATIONES.

justa peto conceſſeris. Ergo ſi me ſepelieris, avertant Dii à te pericula tempeſtatum, ventorumque furorem mari, quod navigas, minantium, in ſilvas propinquas depellant: inſuper autem & quæſtum lucrumque tuum promoveant: adeoque ſit exigui laboris pro me ibi *merces multa ab Jove Neptunoque* conceſſa.

Eurus.] Synecd. pro quolibet vento. Ille dicitur ab *ἠῶ ῥέων* ab *oriente fluens*; alio nomine ἀπηλιώτης; Romanis autem nautis Subſolanus. Gell. lib. 2. cap. 22.

26. *Fluctibus Heſperiis.*] Italiam Græci Heſperiam dixere, quod ſit ipſis ad occaſum: hos imitati Poetæ Latini pariter vocavere. Virgil. Æneid. 1. v. 534.

Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt.

Vel ſic appellata eſt Italia ab Heſpero, qui regionem iſtam à fratre Atlante pulſus adiit: vel etiam ab Heſpero ſtellâ quæ Veſper dicitur, & ad occaſum apparet. Poſtremam hanc originem affert Macrob. Saturn. l. 1. c. 3. ita ſcribens: *Italia dicta eſt Heſperia, quod occaſui ſubjecta ſit.*

Venuſinæ ſilvæ.] Metonym. Venuſia & Venuſium eſt urbs Apuliæ in Lucaniæ confinio: continetur hodie Baſilicata Neapolitani regni provincia ad radices Apennini montis ſita; parva quidem, ſed principatus titulo nobilitatur, vernacule *Venoſa.*

29. *Neptunoque ſacri cuſtode Tarenti.*] Cic. de Nat. Deor. 2. n. 66. *Datum eſt Neptuno alteri Jovis, ut volunt, fratri, maritimum omne regnum: nomenque productum, ut Portunus a portu, ſic Neptunus à nando, paulum primis literis immutatis.* Porro ſacrum illi Tarentum dicitur, quod in ejus ſit tutela, eumque præcipue colat: ſive quod aiunt Phalantum Herculi & Neptuno templa ibi erexiſſe: vel quod ea urbs à Tarante Neptuni filio condita atque nominata: olim magnæ Græciæ fuit in Salentinis; hodie vero in terra Hydruntina, arcem habet portumque & principatûs inſignia.

30. *Negligis immeritis nocituram, &c.*] Id eſt, Si mihi ſu›rema & juſta perſolvere parum curas, ſique per ſocordiam admittis piaculum tibi poſteriſque tuis nociturum. Semper enim grande nefas habitum eſt, inſepultum relinquere obvium cadaver: quique id neglexiſſet, piacularis exiſtimabatur. Athenis autem Buzyges ejuſmodi reum criminis etiam execrabatur.

31. *Fraudem.*] Nam debito defraudat officio mortuum, qui inhumatum negligit.

Forſan.] Legunt alii *forſit*, vel *forſet*: alii *fors, &c.* junguntque cum ſequentibus. Sed quid inde?

32. *Debita jura viceſque, &c.*] Par tibi ſors contingat jure merita, tuæque ſuperbiæ & ſocordiæ debita: ſic tu quoque inhumatus aliquando orojiciare. *Superbæ.* Paſſeratius legit, *ſuperbe.* Alii per *ſuperbas vices* intelligunt graves atroceſque pœnas, ex Priſciano.

33. *Precibus non linquar inultis.*] Dii certe meas preces exaudient juſti juſtas: nec inultum me, nec te impunitum dimittent. Plaut. Captivi 2. 63.

Et profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.

34. *Teque piacula nulla reſolvent.*] Nullis ſacris tantum ſcelus eluere unquam licebit. Nimirum execrationes veteribus credebantur inexpiabiles. Nam aliqui præcidaneâ porcâ expiari conſueverat, qui inſepultum reliquerat forte obvium cadaver, nec glebâ operuerat. Feſtus.

36. *Injecto ter pulvere curras.*] Hæc eſt illa tandem, quam à nautâ petit Archytas, humatio legitima; glebæ injectio ſcilicet; ſive ut quis mortalium cadaveri ter injiciat pulverem. Rem totam explicat Tullius de Leg. 3. n. 56. *Antiquiſſimum ſepulturæ genus id fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur: redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac ſitum quaſi operimento matris obducitur.* Et n. 57. *Siti dicuntur ii, qui conditi ſunt. Nec tamen eorum ante ſepulchrum eſt, quam juſta facta & corpus*

ODE

incenſum eſt. Et quod nunc communiter in omnibus ſepultis penitus, humati dicuntur: id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegeret: eumque morem Jus Pontificale confirmat. Nam priuſquam in eos injecta gleba eſt, locus ille, ubi crematum eſt corpus, nihil habet religionis. Injecta gleba tum & illic humatus eſt, & gleba vocatur: ac tum denique multa religioſa jura, complectitur. Igitur hoc eſt quod iſtic Archytas depoſcere putandus eſt, tum ne religioſo iſto careat honore' tum ne centum annos errans ab Elyſio diutius arceatur, quemadmodum ante annotavi. Sic & Palinurus idem inſepultus rogat Æneam, apud Virgil. Æn. 6. v. 365.

Eripe me his, invicte, malis; aut tu mihi terram
Injice; namque potes.

Vide Cœl. Rhodig. lib. 17. cap. 20.

ODE XXIX. Ad ICCIUM.

Miratur illum relicto Philoſophiæ ſtudio militiam ſectari.

O Icci, jam ergo felices Arabum Theſauros æmularis, atque grave bellum moliris tyrannis Sabæ nondum ſubactis, & Medo formidabili vincula fabricas. Quæ verò puellarum barbararum, occiſo ſuo ſponſo, obſequetur tibi? Quis puer ex aulâ crinibus unguento perfuſis ad pocula præficietur,

ICCI, beatis nunc Arabum invides [113]
Gazis, et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabææ
Regibus, horribilíque Medo
Nectis catenas. Quæ tibi virginum,
Sponſo necato, barbara ſerviet? [114]
Puer quis ex aulâ capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9.

1. *Icci.*] Sunt qui legi velint *Iti*, quod familia ſit Itia, nuſquam autem Iccia. Is fuiſſe dicitur Agrippæ in Sicilia Procurator, ab eoque opimis ibidem agris donatus.

Beatis nunc Arabum invides Gazis.] Grandes igitur accumulare theſauros ſtàtuiſti? Tantane eſt avaritiæ vis, divitiarum cupiditas tanta, ut faciat te ſapientiæ deſertorem? *Beatis.*] Ex opinione vulgi, nemo felix niſi dives.

Arabum.] *Felix appellatur Arabia, falſa & ingrata cognominis, quæ hoc acceptum ſuperis ferat, cum plus ex eo inferis debeat. Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria . . .*

Verum Arabiæ etiamnum felicius mare eſt: ex illo namque margaritas mittit: minimáque computatione millies centena millia ſeſtertium annis omnibus India, & Seres, peninſulaque illa imperio noſtro adimunt. Tanto nobis deliciæ & feminæ conſtant. Plin. lib. 12. cap. 18.

Gazis] Perſica vox. Virgil. Æneid 1. & 2. *Troia Gaza.* Tull. pro Leg. Manil. c. 23. *Qui ab auro gazaque regia manus cohibere poſſit.*

2. *Acrem militiam paras Non ante devictis Sabææ Regibus.*] Acer habendi ardor, ac ditescendi, acrem militandi animum creat ſcilicet. *Non ante devictis:* victis olim ab Alexandro, ſed nondum a Romanis. Ex Dione lib. 53 Ælius Gallus Ægypti præſes in Arabiam cum exercitu venit, multaſque urbes cepit Plin. l. 6. 1. 31. Hard. *Romana,* inquit, *arma ſolus in eam terram adhuc intulit Ælius Gallus ex equeſtri ordine. Nam C. Cæſar Auguſti filius proſpexit tantum Arabiam. Gallus oppida diruit . . . . retulit Sabæos ditiſſimos ſilvarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorum riguis, mellis ceræque proventu.* Porro *Saba* felicis Arabiæ civitas in monte, perampla & regia Sabæorum; ubi thus, myrrha, caſia, cinnamomum abunde proveniunt. Vide infra Od. 35. Annot. ad v. 31.

8. *Horribili Medo.*] Medi terribiles Romanis ob cæſum ab eis Craſſum, fugatumque Antonium. At poſt bella civilia miſſis ad Auguſtum legatis mitiores ſe oſtenderunt. Vide ſupra Od. 2. v. 51. Græcis etiam infeſtus dicebatur Medorum exercitus. Theogn. Στρατὸν ὑβριστὴν Μήδων.

7. *Puer quis ex aula, &c.*] Tit. Liv. lib. 45. *Pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi ad miniſterium regis electi.* Ita veteres opulenti pueros egregiæ formæ miniſtros ſibi conquirebant, item generis claritate conſpicuos. Patet ex Daniel. cap. 1. Athen. lib. 10. cap. 6. *Capillis unctis,*] ad majorem laſciviam & luxuriam. Vide lib. 2. Od. 7. v. 8. Annotat. *Ad cyathum ſtatuetur,*] pocillator, qui epulanti tibi vinum fundat. Nota fabula de Ganymede Jovi ad cyathos. Sueton. Jul. Cæſ. c. 49. *Sed C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi ſtetiſſe objecit, cum reliquis exoletis, pleno convivio, &c.*

Doctus ſagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi poſſe rivos
Montibus, et Tiberim reverti:
Cùm tu coëmptos undique nobiles
Libros Panætî, Socraticam et domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis? [115]

arcu patrio tela Serum vibrare peritus? Ecquis modò inficiabitur fluvios defluentes retro ferri ad altos montes, ac Tiberim regredi poſſe, quando tu comparatos undequaque Panætii codices eximios, & familiam Socratis univerſam permutare ſtudes thoracibus Hiſpanicis? certè laudabiliora promiſeras.

ANNOTATIONES.

9. *Doctus ſagittas tendere Sericas Arcu paterno?*] More patrio eruditus ſagittam arcu torquere, perinde ac Parthi, Medi, aliique orientales, inter quos Seres numerantur. Vide ſupra Annot. Od. 12. v. 56. ad vocem *Seres.*

10. *Arduis Pronos relabi poſſe rivos Montibus.*] Surſum fluere ad montes, e quibus defluunt. Proverb. Gr. Ἄνω ποταμῶν. quo ſignificatur naturæ ordinem inverti. Initium autem eſt verſus Euripidis in Medea: qui ſic habet; Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί, *Surſum fluminum ſacrorum feruntur fontes.* Ovid. Ep. 5. 31.

Xanthe, retro propera; verſæque recurrite lymphæ.

13. *Cum tu coemptos, &c.*] Cum tu repente mutatus deſeras Philoſophiæ ſtudium, quod fueras amplexus, atque longe contrariam, militiæ nempe, viam ineas.

14. *Panætî,*] Is natione Rhodius, inſtituto Stoicus, Scipionis Africani ac Lælii præceptor fuit. Scripſit libros tres περὶ τοῦ καθήκοντος, quos laudat, citatque, atque eſt imitatus Cicero ſuis lib. de Officiis. A. Gellius lib. 13. cap. 27. *Legebatur*, inquit, *Panætii Philoſophi liber de Officiis ſecundus, ex tribus illis inclytis libris, quos M. Tullius magno cum ſtudio maximoque opere æmulatus eſt.* Tum ex multis ab eo ſapienter ſcriptis & *ad bonam frugem ducentia*, eam affert ejus ſententiam, quâ præcipit, exemplo Pancratiaſtarum ad vitandos ictus in certaminibus, omni ſe ratione præmunientium, debere viri prudentis mentem adverſus injurias ſemper eſſe paratam, *erectam, arduam, ſeptam, ſolidam, expeditam.*

Socraticam domum.] Socraticæ diſciplinæ anteſignanos & coryphæos, Platonem, Xenophontem, aliaque Academiæ lumina.

15. *Loricis Iberis.*] Hæ ferebantur optimæ, ob eximiam ferri temperaturam, inquit Torrent. & Plinius auctor eſt lib. 34. cap. 14. ubi ita ſcribit: *Ferri metalla ubique propemodum reperiuntur: . . . . differentia ferri numeroſa . . . . fornacum maxima . . . . ſumma autem in aqua eſt, cui ſubinde candens immergitur. Hæc alibi atque alibi utilior nobilitavit loca gloria ferri, ſicuti Bibilin in Hiſpania, &c.* Idem lib. 7. cap. 56. ait loricam inventam a Midia Meſſenio. Porro nomen a loris, e quibus primum confecta, quod poſtmodum longe alia tamen retinuit.

Iberis.] Hiſpania ex Strabone & Plinio dicta eſt Iberia, ſive ab rege, ſive a flumine Ibero. Hoc enim affatim rigatur atque ſcinditur regio Tarraconenſis. Scaturit in Caſtellâ veteri, perfuſiſque variis terris in mare Mediterraneum delabitur.

16. *Pollicitus meliora.*] Meliorem ſane de te ſpem concitaveris. Certe militiâ quam aſſumpſiſti, relictum a te ſapientiæ ſtudium multo melius eſt.

Tendis.] Quidam legunt *tennis.*

ODE

ODE XXX.

Rogat Venerem ut veniat in ſacellum à Glycerâ ipſi dedicatum.

O Venus, Cnidi & Paphi domina, contemne caram Cyprum, & migra in exornatum Glyceræ ſacellum, te plurimo thure invitantis. Veniant tecum flagrans tuus filius, & Charites cingulis

O Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis [116]
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.
Fervidus tecum puer, et ſolutis

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Ode 2.

1. *O Venus.*] Glyceræ ſe amore torreri ſcribebat ſupra Od. 19. ejuſque animum reddere mitiorem mactatâ hoſtiâ ſatagebat. Jam voti reus Veneri *μέλος ἐπιβώμιον* canit in dedicatione ædiculæ quam in ſuo larario Glycera ei conſecrârat. Simile carmen & Epigramma ſcribit Paci Tibullus lib. 1. Eleg. 10.

Regina Cnidi Paphique.] Æſchyli circumfertur hic verſiculus de Venere.

Κύπρου Πάφου τ' ἔχουσα πάντα κλῆρον,

Scilicet in iſtis urbibus ſanctius illa colebatur, ex Pauſan. in Atticis, Strab. Plin. &c.

Cnidus.] Urbs Cariæ portu duplici inſignis, magis autem natalibus Eudoxi Mathematici Platonis condiſcipuli; Agatharchidis tempore Strabonis hiſtorici; (quem tamen Samium Plutarchus facit) Theopompi Jul. Cæſari familiaris, atque Artemidori ejus filii: Cteſiæ rerum Syriacarum & Perſicarum ſcriptoris: ex Strabone l. 14. at maxime Veneris ſtatua; quod Praxitelis opus tam admirabile videndi causâ multi Cnidum navigârant. Auctor eſt Plin. lib. 76. cap. 5. ubi & addit: *Voluit eam à Gnidiis mercari rex Nicomedes, totum æs civitatis alienum diſſolvere promittens. Omnia perpeti maluere, nec immeritò: illo enim ſigno Praxiteles nobilitavit Gnidum. Ædicula ejus tota aperitur, ut conſpici poſſit undique effigies Deæ, favente ipſâ, ut creditur, facto. Nec minor ex quacunque parte admiratio eſt.*

Paphus.] Urbs Cypri portum habens, & templa egregie ſtructa. Strabo. Plinius autem lib. 2. cap. 96. ita ſcribit: *Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cujus quandam aram* (al. *aream*) *non impluit.* Cornel. Tacit. Hiſtor. lib. 2. c. 2. idem refert. *Veſpaſianum cupido inceſſit, adeundi viſendique templum Paphiæ Veneris inclytum per indigenas advenaſque ... &* c. 3. *Certiſſima fides hædorum fibris. Sanguinem aræ offundere vetitum: precibus & igne puro altaria adolentur, nec ultis imbribus, quanquam in aperto, madeſcunt.*

2. *Sperne dilectam Cypron.*] Cypro tibi licet tot nominibus dilectæ, præfer tamen, obſecro, Glyceræ ſacellum. Quamvis enim tot ſacras ædes illic habeas, univerſaque inſula tibi devota ſit; at apud Glyceram quoque dominaris; novamque poſſidebis ædem, quam magnâ curâ, ſummo ſtudio exornavit, & tibi paravit. Illuc inſuper thure te plurimo invitat. Veni ergo ad ejus conſecrationem. De Cypro Strabo lib. 14. Plinius lib. 5. cap. 31. *quondam ibi novem regnorum ſedem* fuiſſe ſcribit. Vide & ſupra Od. Annotationes.

3. *Thure te multo.*] Floribus enim & thure, potius quam victimis, placari Venus & coli amabat. Virg. Æneid. 1. 419.

Ipſa Paphum ſublimis adit, ſedeſque reviſit
Læta ſuas, ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.

Vide Annot. ad Od. 19. v. 16.

4. *Transfer.*] Propria vox, & ſolennis, e Jure Pontificio arcerſita, cum ædes ſacratur. At contra, cum locus è ſacro privatus redditur, *evocari ſacra dicuntur.* Plin. lib. 10. Epiſt. 58. Trajano Pontif. max. ſic ait: *Ego quum quærerem num aliqua lex dicta templo, cognovi alium hic, alium apud nos eſſe morem dedicationis. Diſpice ergo, Domine, an putes ædem ſalvâ religione poſſe transferri, &c.* Vide & Epiſt. 73. & 74. ejuſdem libri.

5. *Fervidus tecum puer.*] Solitus Veneris comitatus pariter ab Horatio invocatur; atque in dedicatum à Glycera ſacellum invitatur; imprimis autem Cupido filius ejus. *Fervidus.*] quia πυροφόρος, & facem geſtat, quâ indicatur, ea, qua pollet, vis accendendi animos & amore inflammandi. *Puer* vero dicitur, ut ſignificetur ſtulta & puerilis libidinoſorum cupiditas, eo ſtudio turpia conſectantium, quo pueri ſolent crepundia.

Salutis Gratiæ zonis.] Plin. lib. 35. cap. 11. *A Nicearcho picta Venus inter Gratias & Cupidinem* (al. *Cupidines*) *celebratur.* Apul. Met. 2. p. 44. *Venus omni Gratiarum choro ſtipata.* Heſiod. in

Gratiæ zonis, properéntque Nymphæ
Et parùm comis ſine te Juventas,
Mercuriuſque.

[117] *laxatis, & Nymphæ, & Juventas abſque te minimum ſuavis, & Mercurius.*

ANNOTATIONES.

Theogon. tres Charites nominat, Aglaiam, Euphroſynen, Thaliam; pariter & Pindarus Olymp. Ode ultima, ubi & ait: *Per eas omnibus mortalibus fieri dulcia, ſi quis vir ſapiens, ſi pulcher, ſi ſplendidus; ſed nec Deos ſine Charitibus in cælo quidquam moliri.* Πάντων ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ. *Omnium diſpenſatrices in cœlo operum.* Seneca de Benefic. lib. 1. cap. 3. *Nunc dicam quare tres Gratiæ, quare ſorores, quare implexis manibus, quare ridentes, juvenes & virgines, ſolutâque ac pellucidâ veſte.* Et paulo poſt: *Heſiodus Aglaiam maximam natu appellavit, mediam Euphroſynen, tertiam Thaliam. Homerus nomen uni mutavit, Paſithbeam appellavit* (nempe Iliad. 14.) *Mercurius unà ſtat.* Gratiæ porro *ſolutis zonis* pinguntur ac pellucidis veſtibus, quia amicorum animi ſibi invicem debent eſſe aperti, ſine fuco, ſine ambagibus.

6. *Nymphæ.*] Et hæ comitatum Veneri præſtant, quia matres amorum, illa vero unius mater Cupidinis fertur: . ex Philoſtrato. Claudian. de nuptiis Honor. & Mar. v. 73.

. . . . Gens mollis amorum,
Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea ſolum
Edidit———

Nymphæ aliæ maris, quæ Nereides, fontium ac fluminum Naiades, ſylvarum Dryades, Hamadryades, quæ cum arboribus oriuntur & cadunt, Oreades montium, Napeæ florum.

7. *Parum comis ſine te Juventas.*] Hæc juventutis Dea, Græcis Hebe; etiam Veneri comes additur, ut apud Homer. in Odyſſ. Ἥβη τε Διὸς θυγάτηρ τ' Ἀφροδίτη. Quoniam vero ii qui à Venere abhorrent, etſi juvenes, ſolent eſſe moroſi, ſeveri, triſtes, difficiles, quod ſenum eſt proprium, hinc *parum comis ſine Venere Juventas* dicitur. Vel Horatium ex Horatio interpretari licet hoc modo: *Juventas parum comis*, decora, gratioſa, *ſine Venere*, id eſt, ſine venuſtate. Epiſt. ad Piſones, v. 42.

Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor.

Juventas.] Tit. Liv. lib. 5. cap. 54. *Cum augurato libraretur Capitolium, Juventas Terminuſque, maximo gaudio patrum noſtrorum, moveri ſe non paſſi ſunt.*

8. *Mercuriuſque.*] Denique Veneri Mercurius adjungitur, ſermonis nempe Deus. Seu quod amor diſertos faciat, ſeu quia per diſertam & facundam orationem ſolet amor conciliari. Unde Ovid. Art. Amat. 2, 123.

Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes;
Et tamen æquoreas torſit amore Deas.

Hinc etiam Veneri πάρεδρος & σύνεδρος celebratur ille, & ejuſdem cum eâ ædis, ſedis ac religionis conſors. Plutarch. in præceptis connubialibus ſcribit, juxta Venerem in eodem ſacello veteres collocâſſe Mercurium συγκαθιδρύσαν, inquit, rationemque ibid. ſubjungit, eò quod ſermone blando, non jurgiis aut contentione à ſe mutuò, quod cupiunt conjuges, debeant obtinere.

ODE XXXI.

Quid petat ab Apolline, explicat.

QUid dedicatum poſcit Apollinem
Vates? Quid orat, de paterâ novum

[118] *Quid Poeta petit à Phœbo conſecrato? Quid precatur re-*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 9.

Longe ſe alienum ab omni avaritiâ declarat Horatius hac Ode, cum ſumma votorum ejus ſit, ut ab Apolline Vatum Patrono nihil aliud expoſcat præter mentem ſanam in corpore ſano, quod ait Juvenalis unicè poſtulandum à Diis, Sat. 10. 356. Vide Perſ. Sat. 2. Lucian. in Icaromenippo.

1. *Dedicatum.*] Vel ab ipſo Poeta conſecratum Phœbo ſacellum ſuis in ædibus intelligit; vel ab Auguſto poſt Actiacam victoriam templum Apollini in Palatio dedicatum.

2. *De paterâ novum Fundens liquorem.*] Tunc cum vini primitias libat & ſacrificat Apollini Palatino. Hoc intelligi poteſt ab Horatio factum inter epulas; nam ſupra notavimus id obſervatum ab Antiquis, ut in menſâ aliquid vini defunderetur ac Diis libaretur. Hinc Æneid. 1. v. 740.

Dixit, & in menſam laticum libavit honorem.

Fundens

cens vinum effundens è craterâ? haud arva pinguia Sardiniæ fertilis: haud pulchros greges ferventis Calabriæ: haud aurum, vel ebur Indiarum: haud agros, quos undis lente fluentibus lambit Liris ſilens fluvius. Ii quibus ſors donavit Calenas vineas, eas cultro reprimant. Opulentus etiam negotiator vina Syriis mercibus commutata bibat poculis ex auro.

Fundens liquorem? Non opimas
Sardiniæ ſegetes feracis;
Non æſtuoſæ grata Calabriæ
Armenta: non aurum, aut ebur Indicum; [119]
Non rura, quæ Liris quietâ
Mordet aquâ taciturnus amnis.
Premant Calenâ falce, quibus dedit
Fortuna vitem; dives & aureis
Mercator exſiccet culullis
Vina Syrâ reparata merce,

ANNOTATIONES.

Et Æneid. 8. v. 279.

In menſam læti libant, Divoſque precantur.

Vid. J. Lipſ. antiq. lect. lib. 3. ubi morem hunc in omni convivio religioſe ſervatum pridem aſſerit, tum ex Homero, tum ex allatis modo Virgilii locis, tum ex Dione Caſſio: additque: *Ergo ut amatores Veneri, bellatores Marti, quidni Muſis & Apollini ſtudiorum præſidi rite libemus nos eorum alumni?* vel Poeta de Vinalibus prioribus dixit in quibus guſtabantur vina, novumque vinum libabant; nempe 9. Calend. Maii: nec enim antea cenſebant priſci vinum deferbuiſſe, nec purum aut ſacris idoneum. Vide Varron. 5. de Ling. Latin. Plin. lib. 18. cap. 29. Feſtum in voce *Calpar*; quo nomine vocabantur patera, qua vinum novam libabant. Huic interpretationi poſteriori favet quod ait Horatius, *novum, &c.*

Sardiniæ.] Hæc inſula inter mare Tyrrhenum ac Balearicum ſita, tritici feraciſſima, a Sardo Herculis filio dicta eſt Sardinia. *Segetes.*] Ex Varrone de Re Ruſt. lib. 1. cap. 29. *Seges eſt quod aratum & ſatum eſt: arvum, quod aratum necdum ſatum.*

5. *Calabriæ.*] Italiæ regio eſt inter mare Tyrrhenum & Ionium, ubi olim Brutii populi & magna Græcia; hodie pars eſt regni Neapolitani verſus auſtrum ac Siciliam porrecta.

Æſtuoſæ.] Solis ardoribus valde expoſitæ & æſtuantis.

6. *Armenta.*] Laudantur equi Calabri in eâ regione abundantes; ſicut & in Apulia quæ proxima eſt Calabriæ. Vide Varronem de Re Ruſt. lib. 2. cap. 7. Ibidem & paſcua erant optima, quorum mentio eſt Epod. 1.

Aurum aut ebur Indicum.] Ab Indo flumine dicta ea Orientis ampla regio, auri & argenti metallis, gemmis quoque dives eſt. Ebur quoque præ cæteris habet. Hinc Virgil. Geor. 1, 57. *India mittit ebur.* Vide Plin. &c.

7. *Non rura quæ Lyris, &c.*] Non agros peto in Campaniâ fertiles.

Liris.] Hic fluvius aliis vocatur *Liternus*, ſupra Soram ſcaturit, ad Minternas labitur in mare Tyrrhenum. Ejus meminit Martial. lib. 13. Epig. 83.

8. *Taciturnus amnis.*] Leniter fluens ac tacite, non rapido curſu, aut ingenti murmure.

6. *Premant Calena falce, &c.*] Non aliis invideo vites optimas ac generoſa vina. De Caleno ſupra Od. 20, v. 9.

Falce.] Cultello incurvo falcis inſtar.

Premant.] Scindant racemos e vite, vel ipſam vitem putando, luxuriantem coërceant. Vel, uvas a Calenis vitibus in torculari calcent ac premant. Virgil. Georg. 1. v. 156.

. . . . *Ruris opaci*
Falce premes umbras,——

10. *Dives & aureis Mercator, &c.*] Per me licet, fruantur alii ſua felicitate, ſuis opibus, ſuis deliciis: ego vero tenui mea ſorte victuque contentus ſum.

11. *Culullis.*] Fictilibus calicibus, qui cululli dicti ſunt, Veſtæ ac Diis libabant Veſtales: inquit Alex. ab. Alex. lib. 5. cap. 12. ſignificatur hic quodibet poculi genus. A culeo, inquiunt, quod ingens eſt vas, ſeu maximâ liquorum menſurâ, fit culeolus, & inde culullus, quod poculum fuit ſat capax, quo uſi Pontifices olim in ſacris, & reges in conviviis. De his rurſum ad Piſones, v. 434.

12. *Vina Syra reparata merce.*] Vina exquiſita empta per commutationem pro mercibus e Syria advectis, nardo, balſamo; unguentis, odoribus, &c. Syria Aſiæ provincia, hodie, *la Saurie*, continet Palæſtinam, Phœniciam, & Syriam proprie dictam: Euphrate rigatur. Cic. pro domo. *Illa opima fertiliſque Syria.* Paul. Pandect. 18. ter. 1. *Non aliud olim merx, aliud pretium vocabatur; ſed quiſque ſecundum neceſſitatem, utilibus inutilia permutabant; quando plerumque evenit, ut quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes quod ego deſiderarem, invicem haberem ego quod tu accipere velles; electa materia eſt, cujus publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubveniret. Ea materia forma publica percuſſa, &c.*

Diis

Diis charus ipſis; quippe ter et quater
Anno reviſens æquor Atlanticum [120]
Impune. Me paſcunt olivæ,
Me cichorea, levéſque malvæ.
Frui paratis et valido mihi, [121]
Latoë, dones; et precor, integrâ

ipſis Numinibus gratioſis, ſiquidem ter & quater annis ſingulis ſine infortunio luſtrat mare Occiduum. Me nutriunt olivæ, me cicorea, & malvæ tenues. O Latonæ fili, da mihi valere, & potiri acquiſitis;

ANNOTATIONES.

13. *Diis charus ipſis*] Caſtori & Polluci, & Neptuno, quorum favor eſt navigantibus optabilis.

14. *Æquor Atlanticum.*] Quod Africam alluit ad occaſum, ita dictum ab Atlante Mauritaniæ monte. Virg. Æneid. 4, 480.

Oceani finem juxta, Solemque cadentem,
Ultimus Æthiopum locus eſt, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

15. *Impune.*] Ironice dictum volunt quidam in mercatorem fraudibus & avaritiæ obnoxium, qui tamen mare quodlibet anno toto quæſtui inhians percurrat, citra ullum naufragii periculum, Diis ad ejus crimina conniventibus, certe nequaquam vindicantibus. Interim vero ille merces ab Oriente advectas in Occidente commutat, Syriis unguentis vina comparat generoſa, lætus *bibit, ac fruitur Diis iratis*, non ſecus ac Marius apud Juvenal. Sat. 1. v. 49. Atat tum iſte mihi locus objicitur, *Cynthius aurem vellit, & admonet* parum ſolerter ac naviter illum a me haud ita pridem explanatum, imo vim & lucem diminutam eximiæ alioqui Satirici ſententiæ. Fatebor quod res eſt ego candidi ſemper ingenii: mens tum læva dormitavit. Enimvero illic Juvenalis non modo ſignificare vult Marium impune ferre ſua furta, & raptis frui, ut ibidem annotaram, ſed et de exilio ſuo lætari, in quo a curis Reip. expeditus genio liberius indulget, *ab octava hora* ſuaviter *bibit*, otiosè epulatur, atque adeo ex infenſis Diis capit emolumentum, ex irâ Numinum ſibi quaſi delicias facit. Vide ad Piſ. v. 445. ibique Annot.

Me paſcunt olivæ, &c.] Ego vero me feliciorem illis hominibus exiſtimem, medico & parabili cibo victitantem, ſi modo largiantur Dii bonam valetudinem, fortunæ tenuis uſum tranquillum, ac poeſeos oblectamenta.

Olivæ.] Plin. lib. 13. cap. 3. *Olivæ in Ægypto carnoſiſſimæ, olei tamen habent exiguum: in Syria parvæ nec cappari majores, carne commendantur. Quam ob cauſam Italicis tranſmarinæ præferuntur in cibis, cum oleo vincantur: & in ipſa Italiâ cæteris Picenæ & Sidicinæ. Sale illæ privatim condiuntur, & ut reliquæ, amurca,* (muria) *ſapone: necnon aliquæ oleo ſuo . . . . herbarumque viridium ſapore condiuntur,* præcipue fœniculi in Narbonenſi Gallia, inquit Dalecamp.

16. *Cichorea.*] Κιχώρια, κιχόρια, & κιχώρεια, pluralis nempe numeri, quæ agreſtes herbæ ſicut & *malva*, inter cibos & edulia veterum, pariter & *olivæ*, recenſentur a Jul. Polluce lib. 6. cap. 9. Vide Caſaubon. in cap. 32. lib. 3. Athen. ubi Alexidis verſum ita corrigit, Τῶν νῦν κιχορίων ἐκ Ἰκρακᾶ σ' ἰδὲ ἦν. Porro quâ ratione coqui veteres olera iſta pararent & condirent, edisſerit Galenus ex Eraſiſtrato lib. de Sectione venæ ad Eraſiſtrateos. Id. Caſaub. Ibid. Latinis vocatur ambubeia, intybus, & intybum. Non. Marcell. ex Lucil. Sa. lib. 5. Virgil. Georgic. 4, 120.

Quoque modo potis gauderent intyba rivis.

Pomponius in Placenta, *Ruſtici edunt libenter atros intybos.*

Leveſque malvæ.] Quæ ventrem levant gravem atque emolliunt. Apud Athen. lib. 2. cap. 18. Diphilus tradit, malvam eſſe boni ſucci: arteriam lenire, acres in corporis ſuperficie ſuccos educere, renum & veſicæ irritationibus prodeſſe, excerni facile, mediocriter alere, hortenſique ſilveſtrem eſſe meliorem. Ibidem Hermippus Callimach. *malvam utiliſſimam* appellat. Quo autem modo in cibum paretur, docet Dioſcorid. lib. 2. cap. 144. Tzetzes ad hunc Heſiodi verſum 41. Oper.

Οὐδ' ἴσαν ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ,
neque norunt quam magnum ſit bonum in malva & aſphodelo.

17. *Frui paratis.*] Eccleſiaſtæ cap. 5. *Cui dedit Deus divitias atque ſubſtantiam, poteſtatemque tribuit, ut comedat ex eis, & fruatur parte ſuâ, & lætetur de labore ſuo, hoc donum Dei eſt.*

18. *Latoë.*] Apollo filius Latonæ, inde Latous & Latonius dictus, ſicut & Diana ejus ſoror, & eodem cum eo partu edita.

Et, precor.] Non abſurde Theod. Marcilius quovis pignore certet, fuiſſe a manu Horatii, *Adprecor integra cum mente:* ſicut Od. 4. 15. 28. *Rite Deos prius apprecati.* Sacerdos nimirum precatur, adprecatur populus, id eſt, verba precantis ſacerdotis iterat; quod, *Favere linguis*, dicebatur. Ita ille.

necnon cum ſanâ mente ſenectutem ducere haud fœdam, quæſi & lyrâ non deſtitutam.

Cum mente, nec turpem ſenectam
Degere, nec citharâ carentem.

ANNOTATIONES.

19. *Nec turpem ſenectam.*] Non corporis infirmitatibus aut animi gravem & moleſtam; non languidam, inermem, imbecillam, non delirantem, non querulam, moroſam, anxiam, ſed vegetam, honoratam, jucundam. Cicero de Senect. c. 8. ex Cæcilio: *Tum equidem in ſenectâ hoc deputo miſerrimum, ſentire eâ ætate eſſe ſe odioſum alterum*, Plin. lib. 7. cap. 50. *In ſenectute*, inquit, *hebeſcunt ſenſus, membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus, dentes etiam ac ciborum inſtrumenta.* Vide & cap. 48. ejuſdem libri, ubi mentio de Gorgiâ Leontino qui centum & ſeptem complevit annos: interrogatus autem qua ratione tamdiu eſſet robuſto corpore, ſenſibus integris, memoriâ firmâ, ingenio vegeto, proſperâ denique valetudine, reſpondit: οὐδὲν πώποτε ἡδονῆς ἕνεκα πράξας. *Nihil unquam voluptatis causâ faciens.* Is Empedoclis fuerat diſcipulus; præceptor autem Periclis, Iſocratis, aliorumq; &c. Cic. de Senect. & alibi. Philoſtrat. Plato, &c.

20. *Nec citharâ carentem*] Poeſeos facultate, quæ ſolet in ſenibus ſeneſcere: vel ſuavitate muſicæ & cantus, qua Solon narratur ſenectutis mala temperâſſe ac levâſſe, & Socrates ætate provectus citharæ operam dediſſe. Sic & Achilles apud Homer. Iliad. 9.

ODE XXXII.

Ad Lyram ſuam, quam commendat.

Depoſcimus, ſi quidpiam privatim otioſi tecum cecinimus, quod vigeat & hunc in annum, & in alios multos: heus recita poema Latinum, ô teſtudo, quæ Leſbio primum civi modulos dediſti:

POſcimus, ſi quid vacui ſub umbrâ [122]
Luſimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat, et plures: age, dic Latinum,
Barbite, carmen,
Leſbio primùm modulate civi;

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Ode 2.

1. *Poſcimus, ſi quid, &c.*] Suam ipſe lyram compellat: quod Poetis familiare eſt. Sic Virg. Eclog. 8.

Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.

Sic & Pindar. Olymp. Od. 2 ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι & Pyth. Od. 1. χρυσέα φόρμιγξ Ἀπόλλωνος. Sic etiam regius Pſaltes Pſ. 107. *Exurge Pſalterium & cithara.*

Poſcimus.] Placet ſane quorumdam lectio, *poſcimur*. Hoc ſenſu; a Mæcenate poſcimur, ſi quid dignum memoriâ *ſub umbra*, ſeceſſu & inter privatos parietes ſcripſimus, ut id in lucem edamus & in publicum; utque palam omnibus fiant noſtri verſus, ſolis prius amicis duntaxat auditi.

Vacui.] Curis ſoluti.

2. *Luſimus.*] Animi relaxandi cauſâ lyram pulſantes, & Lyricos verſus conſcribentes. Vel potius ex more Poetarum, carmina ſua ſtudio quamvis & arte elaborata luſus vocat.

Tecum.] Modo voce tantum, modo fidibus & voce ſimul canebant veteres: modo alternatim ac viciſſim fidibus ac voce. Ammian. Marcell. lib. 15. *Bardi* (Gallorum vates) *fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantitârunt.* Tibull. lib. 3. Eleg. 4. 39.

Hanc primùm veniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore ſonante dedit.
Sed poſtquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc triſti dulcia verba modo.

Quod & hunc in annum vivat, & plures.] Non *metuentia ſcombros carmina, nec thus*; ſed *digna cedro*, id eſt, Immortali hominum memoriâ. Perſ. Sat. 1. v. 43.

3. *Dic Latinum, Barbite, carmen.*] Latini carminis Lyrici auctor ac princeps Horatius, ſicut Alcæus Græci.

4. *Barbite.*] Βάρβιτος muſicum inſtrumentum pluribus intentum chordis; unde Theocrit. πολύχορδον. Supra Od. 1. *Leſboum barbiton.*

5. *Leſbio primum modulate civi.*] Celebrate imprimis ab Alcæo, duce poetâque eximio, Mitylenis oriundo, in Leſbo inſula, de qua ante.

Modulate.] In modulis obſecute, id eſt, Qui modulatus es, modulos reddidiſti, ad Alcæi arbitrium. Alii paſſivam hic ſignificationem notant; ſicut in Arte Poet. v. 263. *Immodulata poemata.* Quod autem ait Horatius, *primum*, Videtur Alcæum facere barbiti inventorem, quod quidem Anacreonti ipſo poſteriori tribuitur apud Athen. l. 4. c. 23. Verum ibid. c. 25. Euphorion ait, barbiti meminiſſe tum Sapphonem tum Anacreontem, novumq; non eſſe inſtrumentum. Dicendum igitur antiquius videri ipſo Alcæo, ſed ab eo

Qui

Qui ferox bello, tamen inter arma
Sive jactatam religârat udo
Littore navim,
Liberum, et Muſas Venerémque, et illi
Semper hærentém puerum canebat ;
Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.
O Decus Phœbi, et dapibus ſupremi
Grata teſtudo Jovis, ô laborum

[123] *qui militiâ* licet *efferatus, tamen ſeu in bello, ſeu navem agitatam in humidâ ripâ alligaverat, cantabat Bacchum, atque Muſas, & Venerem, puerumque ſemper eam comitantem, necnon Lycum oculis & capillis* [124] *nigris conſpicuum. O lyra Apollinis ornamentum, ſummique Jovis epulo jucunda, ave, ô ærumnarum levamen ſuave*

ANNOTATIONES.

modulis novis auctum ac perfectum duntaxat vel, quod primus Odas Alcaicas barbiti fidibus cecinerit, hinc ejus inventionem ipſi adſcribi. Ex Lilio Gyraldo, Attilio Donatiano, & aliis, in Muſicis & in arte modulandorum carminum peritiſſimus Alcæus, & Athen. lib. 14. cap. 5. *Alcæus poeta, ſi quis alius, muſices erat ſcientiſſimus.* Floruit ante Chriſtum annis ſexcentis.

6. *Qui ferox bello; tamen inter arma, &c.*] Qui ſeu in caſtris, ſeu a bello & navigatione quieſceret, citharæ ſtudium & oblectationem non omittebat. Athen. lib. 5. Alcæus dicitur fortiſſimus ac belliger poeta. Et lib. 14. cit, pugnacem ſtrenuitatem anteposuiſſe poeticæ, plus æquo bellicoſum; ibidemque refertur ejus carmen, quo ſuas ædes omni genere armorum ſplendidas & ornatas oſtentat & gloriatur; illaque fusè deſcribit. Cic. Tuſcul. 4. n. 71. *Fortis vir*, inquit, *Alcæus in ſua Republica cognitus.* Pittacum nempe tyrannum Mitylenis expulit; alioſque armis perſecutus eſt, Athenienſes quoque & Tyrrhenos bello fatigavit, Strabo. Laërt. Suidas. Quintil. lib. 10. cap. 1. ſic ſcribit: *Alcæus in parte operis aureo plectro merito donatur, quia tyrannos inſectatur: multum etiam moribus confert: in eloquendo quoque brevis, & magnificus, & diligens, Homero ſimilis; ſed & in luſus & in amores deſcendit, majoribus tamen aptior.* Dionyſ. Halycarnaſſ. *Alcæi*, inquit, *ingentem conſidera ſpiritum, & brevitatem & ſuavitatem cum vehementiâ: præterea figuratam orationem cum perſpicuitate . . . . : ante omnia vero politicorum negotiorum affectus.* lib. de Structura orationis. Vide & lib. 2. Od. 13.

2. *Liberum.*] Apud Athen. lib. 1. cap. 19. Alcæus Mitylenæus ita canit: Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ, &c. *Riga pulmones vino.* & alibi: μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρον ἀμπέλω, *nullam aliam plantaveris arborem prius vite.* Quod imitatus Horatius Od. 18. ſupra. Ejuſdem ſententiæ carmina perlegas apud eundem Athen. variis locis, quibus Alcæus ad bibendum largius invitat, quod vinum indicat dolorum oblivionem, *quod ſit remedium mœroris præſtantiſſimum, a Jovis ac Semeles filio hominibus datum, &c.*

Veneremque, &c.] Amatoria namque ſcripſit etiam carmina. *Sed & in luſus & in amores deſcendit Alcæus.* Quintil. paulo ante citatus. Apud Ariſt. Rhet. 1. Alcæus ita loquitur: Θέλω τι εἰπεῖν, ἀλλά με κωλύει αἰδώς. *Volo tibi aliquid dicere, ſed me prohibet pudor.* Cui reſpondit Sappho: Si res honeſtas ac bonas animo ac deſiderio concepiſſes, nec trepidaret lingua, nec pudor oculos occupâſſet. Vide Athen. lib. 13. c. 8. ubi de *Alcæo Sapphûs amorem citharâ canente.*

10. *Semper hærentém illi puerum.*] Veneri filium Cupidinem appingi ſemper, & comitem addi ſolitum, notavimus ante, ad Od. 30. v. 5.

11. *Lycum.*] Dilectum Alcæo puerum. Cic. Tuſcul. 4. n. 71. *Quæ non juvenum amore ſcripſit Alcæus?* & de Nat. Deor. lib. 1. n. 79. *Nobis, qui concedentibus Philoſophis antiquis, adoleſcentulis delectamur, etiam vitia ſæpe jucunda ſunt. Nævus in articulo pueri delectat Alcæum. At eſt corporis macula nævus: illi tamen hoc lumen videbatur.*

Nigris oculis nigroque Crine decorum. Sic ad Piſones, v. 37.

Spectandum nigris oculis nigroque capillo.

Ita nimirum formoſi pridem commendabantur. Pindar. init. Pyth. nigrum Muſis capillitium cum laude aſſignat; ἰοπλοκάμων. Apud eundem alibi, pariter & Homer. Iliad. pulchra ea celebratur, quæ ἑλικώπις; quod etiam epithetum Veneri tribuitur.

13. *O decus Phœbi.*] Citharam enim ipſe dicitur inveniſſe, lyram vero ſibi conceſſam a Mercurio velut propriam uſurpâſſe. Quod fuſius ſupra monui, Od. 10.

Dapibus ſupremi Grata teſtudo Jovis.] Jovis epulum ſummâ lætitiâ, adeoque non ſine Muſicæ ac citharæ jucunditate celebrabatur. Athen. lib. 14. c. 6. ex Homero ait: *citharam epularum ſociam a Diis factam:* quoniam utilis convivantibus ars Muſica, tum quod temulentorum petulantiam mitiget & cohibeat: tum quod triſtitiam diſcutiat, liberalemque pariat lætitiam. Quapropter Homerus in prima Iliade, poſt ambitioſam illam de Achille contentionem, fingit Muſicâ Deos recreari, Apolline citharam pulſante, Muſis autem dulci voce accinentibus. Et paulo poſt ſubjungit; Priſcos ſtatuiſſe Deorum hymnos in conviviis cantari, ut reverentiâ numinum graviores fierent epulantium mores, &c.

mihi quadecunque bene advocanti.

Dulce lenimen, mihi cunque ſalve
Rite vocanti.

ANNOTATIONES.

14. *Dulce lenimen.*] Athen. modò cit. ibid. *Fortiſſimi quidem Lacedæmonii cum tibia ſub ſignis ſunt; Cretenſes cum lyra, cùm fiſtulis & tibiis Lydi, ut ſcribit Herodotus. Ex barbaris autem multi legatos ad hoſtes cum tibiis & citharâ mittunt, ut eorum infeſtas mentes emolliant.* Theopompus lib. 46. hiſtor. *Tradit Getarum legatos citharas pulſantes advenire.* Hæc ille. Conſtat certe muſicis modulis ac citharæ cantu leniri anxietates animi, ac diſcuti mœſtitiam: patet ex ſacris etiam codicibus, lib. 1. Reg. cap. 16. ubi Saul, malo vexatus ſpiritu, citharam pulſante Davide, recreatur ac levius habet. Horatius Ode præcedenti ſenectam exoptat citharæ oblectamento non carentem.

Cunque.] Expletiva ſolum & inanis videtur quibuſdam iſta vox: ſed non vacat ornatu, eamque non rarò adhibere amavit noſter Poeta nuſquam vanus. Sic Terent. *adeſdum*, pro *ades*. Sic πῶς neque Græcis, nec aliis hactenus παρέλκον exiſtimatum eſt.

Salve.] Videtur hic ſignificare, ſaluti ſis, fave, lenimen, & auxilium præſta.

ODE XXXIII.

Albium Tibullum conſolatur, quod a Glycerâ non redametur.

Tibulle, ne plus quam decet mœreas, revolvens animo crudelem Glyceram: neve lugubres elegias recites, quod fractâ fide, præ te fulgeat adoleſcentior. Ecce amor Cyri adurit Lycoridem fronte exili decoram: Cyrus autem fertur ergà Pholoen immitem. At capræ

ALbi, ne doleas plus nimio, memor [125]
Immitis Glyceræ; neu miſerabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Læſâ præniteat fide.
Inſignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor: Cyrus in aſperam
Declinat Pholoën. Sed prius Appulis

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod ſupra Od. 6.

1. *Albi.*] Hic ille eſt, cujus Elegiæ manibus omnium tantâ cum voluptate teruntur, *Terſus ac elegans Tibullus*, ut ait Quintil. lib. 10. cap. 1.

Plus nimio.] Ad Attic. lib. 10. Epiſt. 8. *Te nimio plus diligo*, inquit Ciceroni Antonius.

2. *Immitis Glyceræ.*] Ejus enim ipſe noverat ingenium intractabile, & in ejus proterviam impegerat haud ſecus ac Albius Tibullus. Vide infra lib. 3. Od. 19. v. 28. Sunt qui fictum *Glyceræ* nomen hic poni velint, pro Delia vel Nemeſi, quas Tibullus amavit; nominare vero noluerat Horatius, ſeu ob verecundiam, ſeu metu legis Juliæ; de qua dixi, ad Juvenalis Sat. 1. v. 22. & Sat. 2. 37.

Miſerabiles elegos.] Rebus mœſtis aptum carminis genus: ab ἐλεῶ *miſeratione*, vel ἒ ἒ dolentis particula factum nomen. Ad Piſones v. 75.

Verſibus impariter junctis querimonia primum,
&c.

7. *Læſa præniteat fide.*] Pulchrior videatur in amore, præferatur junior amaſius, non habita ratione fidei, quam tibi dedit Glycera. Vide Tibull. paſſim. Ita vero ſcribit, lib. 3. 4. 17.

Nulla fides inerit: perjuria ridet amantum
Jupiter, & ventos irrita ferre jubet, &c.
. . . .
Perfida, ſed quamvis perfida cara tamen.

5. *Inſignem tenui fronte Lycorida, &c.*] Affert exempla aliorum infeliciter amantium, quibus eum conſoletur. Lycoris amorem ſuum defert Cyro: hic vero illam ſpernit, & aliam amore proſequitur, a qua redamari nulla ſpes eſt.

Tenui fronte.] Sunt qui interpretentur tenuem & pellucidam cutem in fronte. Alii anguſtam & parvam frontem in pulchritudine commendari aſſerunt; uno tamen refragante Scaligero, qui hunc Horatii locum vellicat ſuo more. Noſter lib. Epiſt. 7. v. 25.

. . . . *Reddes* ——
Forte latus, nigros anguſta fronte capillos.

7. *Sed prius Appulis, &c.*] Ἀδύνατον. Sic Virgil. Eclog. 1, 60.

Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi, &c.

Jungentur

Jungentur capreæ lupis,
Quàm turpi Pholoë peccet adultero. [126]
Sic viſum Veneri; cui placet impares
Formas atque animos ſub juga ahenea
Sævo mittere cum joco.
Ipſum me melior cùm peteret Venus,
Gratâ detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Adriæ
Curvantis Calabros ſinus.

lupis Apuliæ antea ſociabuntur quam Pholoë amatori fœdo morem gerens delinquat. Ita placitum Veneri, quæ gaudet diſſimiles formas ac mores ſubjicere jugo ineluctabili, non ſine gravi ludibrio. Me, cum requireret amaſia præſtabilior, jucundis vinculis innexuit Myrtale libertina, aſperior Adriatico mari Calabriæ ſinus inflectente.

ANNOTATIONES.

Et Eclog. 8, 27.

Jungentur jam gryphes equis, &c.

Appulis.] Synec. pro quibuslibet aliis. De Apuliâ Italiæ regione, jam ante non ſemel.

9. *Quam turpi Pholoe peccet adultero.*] Id eſt, nunquam Pholoe redamabit Cyrum, a quo perditè amatur: ejus nullis flectetur officiis.

Turpi.] An quod ſine ratione Lycoridis amari dignos oblatos amores contemnat Cyrus? An quod Pholoë nequaquam Cyrus placeat, nec amabilis ſed turpis videatur; quamvis Lycoris formoſum exiſtimet? An quod fidem alteri dederit Pholoë, quam violare nefas putet?

10. *Cui placet impares, &c.*] Delectatur Venus ſibique ludum parat, faciendo ut quis depereat omnino diſparem ætate, natura, moribus, conditione, neque adeo frui poſſit unquam cupitis. Euripides, *Stulta*, inquit, *mortalibus proponit Venus*, Τὰ μῶρα παρέχει Ἀφροδίτη βροτοῖς.

11. *Sub juga ahenea Sævo mittere, &c.*] Duro & inſuperabili amoris nexu devincire, atque addicere alterum alteri nequaquam redamanti.

Ahenea.] Sic alibi noſter, nempe Epiſt. 1, 1, 60.

——*Hic murus aheneus eſto.*

12. *Sævo mittere cum joco.*] Interpretentur licet quidam Cupidinem Veneris perpetuum comitem, quæ mater ſæva Cupidinum, &c. at cum aliis malim intelligere ſicut Fortunæ, quando res humanas diſturbat ac vertit, ſic Veneri ludum eſſe, quoties, ut dixi, quis amore uritur ac languet infelici, ſuumque nunquam finem aſſecuturo. Infra lib. 3. Od. 27. *Perfidum ridens Venus, &c.*

13. *Ipſum me, &c.*] Sui dat ipſius exemplum, ut magis perſuadeat.

Melior Venus.] Puella, amica, vel pulchrior, vel nobilior, vel facilior, quæ me ipſa expetebat amatorem. Virgil. Eclog. 3, 68.

Parta meæ Veneri ſunt munera.

14. *Gratâ detinuit compede, &c.*] Ita ſuam amant ſervitutem Veneris & Cupidinis mancipia licet duram ac moleſtam.

15. *Libertina.*] Iis nata qui ſervierant, & in libertatem aſſerti fuerant.

Fretis acrior Adriæ.] Maris fluctibus inſtabilior, vehementior, ac perfida magis.

Adriæ.] Sinus ille eſt ampliſſimus Mediterranei maris, inter Italiam hinc, & Illyricum atque Græciam inde protenſus. Hodie The Gulph of Venice.

16. *Curvantis Calabros ſinus.*] Fluctum impetu atque æſtu ripas diruentis, in terras ſe inſinuantis, ſinuſque efficientis. Calabriam veterem notat, quæ erat velut peninſula inter mare Adriaticum & ſinum Tarentinum, ubi nunc terra Hydruntina, urbes vero præcipuæ Tarentum, Brunduſium, Hydruntum, Gallipolis, &c. Sinus autem ac portus multiplex, inter quos Tarentinus fama ſuper æthera notus, Ionii maris undas amplo ac ſinuoſo influxu recipit affuſas.

ODE XXXIV.

Arguit ſeipſum quod Epicureos ſecutus cultum Deorum neglexerit.

Numinum rarus & remiſſus venerator fui quidem; cum veſanâ Philoſophiâ eruditus aberro; jam verò contra velificari adigor & dimiſſam viam relegere. Enimvero Jupiter qui nubilo cœlo coruſcare plerumque conſuevit,

PArcus Deorum cultor et infrequens, [127]
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro; nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos. Nâmque Dieſpiter
Igni coruſco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes [128]

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9.

1. *Parcus Deorum.*] Quoniam de religione & cultu numinum agit, περὶ θεῶν, ὡς περὶ θεῶν locuturus, undique congerit & cumulat quicquid gravitatis eſſe poteſt in verbis, in figuris, in ſententiis. Eas paſſim attende, lector, & conſectare.

2. *Inſanientis ſapientiæ.*] Ὀξύμωρον. Sic in Ajace Sophocles ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα: S. Gregor. Nazianzen ἄσοφος σοφία. Tull. Philip. 1. n. 5. *Inſepultam ſepulturam.* S. Aug. de Civit. Dei lib. 17. cap. 13. *Inſipienter ſapere.*

3. *Erro.*] Ex Epicuri diſciplina, omnes ſpernens religiones in graviſſimum errorem impegi Cic. 1. de Nat. Deor. n. 121. *Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cum Diis immortalibus & opem & gratiam ſuſtulit. . . . . . Tollit id, quod maxime proprium eſt optimæ præſtantiſſimæque naturæ. Quid enim melius, aut quid præſtantius bonitate & beneficentia? Qua cum carere Deum vultis . . . . . neminem ab eo amari, neminem diligi vultis . . . . . . Quanto Stoici melius, qui a vobis reprehenduntur!* Et n. 123. *At etiam liber eſt Epicuri de ſanctitate. Ludimur ab homine non tam faceto, quam ad ſcribendi licentiam libero. Quæ enim poteſt eſſe ſanctitas, ſi Dii humana non curant? &c.*

Nunc retrorſum Vela dare.] Metaph. a nautis, qui a recto ſe aberraſſe curſu intelligentes, in contrarium jam convertuntur.

4. *Iterare curſus Cogor relictos, &c.*] Fateri cogor hunc a Diis orbem regi, reſque humanas ab iis curari: adeoque Stoicam diſciplinam amplexus, Epicuri dogmata erroreſque abjicio. Namque video non ſolum coactis & colliſis nubibus fulgura & tonitrua fieri, ſed puro etiam cœlo; quod cum præter naturam ſit, divinum eſſe oportet: hinc ergo ſapientior effectus Jovis potentiam, numen, iramque revereri diſco. Vide Cic. 2. de Divinat. n. 43. & 44. Lucret. lib. 6. paulo poſt initium, &c.

5. *Dieſpiter.*] Jupiter, diei pater dictus. Varro de L. L. 4. A. Gell. lib. cap. 5. 12. Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 15. *Jovem lucis auctorem accipiamus: unde & Lucetium Salii in carmine canunt: & Cretenſes Δία τὴν ἡμέραν vocant: ipſi quoque Romani Dieſpitrem appellant, ut diei patrem.*

6. *Igni coruſco nubila dividens.*] Cic. de Divin. lib. 2. n. 42. *Nonne perſpicuum eſt, ex primâ admiratione hominum, quod tonitrua jactuſque fulminum extimuiſſent, credidiſſe ea efficere rerum omnium præpotentem Jovem.* n. 44. *Placet Stoicis eos anhelitus terræ qui frigidi ſunt, cum fluere cœperint, ventos eſſe; cum autem ſe in nubem induerint, ejuſque tenuiſſimam quamque partem cœperint dividere atque diſrumpere, idque crebrius facere & vehementius; tum fulgura & tonitrua exiſtere: ſi autem nubium conflictu ardor expreſſus ſe emiſerit, id eſſe fulmen, &c.*

7. *Per purum*] Sic opinati veteres ea tonitrua quæ ſereno aëre fierent, eſſe portentoſa, & triſtia minari hominibus; taliaque in libro Augurum notabantur velut ominoſa & a Jove aliquid monſtrante immiſſa. Quare hic ab Horatio afferuntur ut certum divinitatis argumentum. Hom. Odyſſ. 20. 123. ex eo quod ſtellis micante cœlo, tonitru factum erat, monſtri quidpiam alicui a Jove oſtendi, conjicitur & infertur:

Ζεῦ
—— μεγάλ' ἐβρόντησας ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Οὐδέ ποθι νέφος ἐστί. τέρας νύ τεῳ τόδε φαίνεις.

Jupiter graviter e cœlo tonuiſti ſtellato,
Neque uſquam nubes eſt: oſtentum hoc certe alicui præbes.

Virgil. Georgic. 1. 487.

Non alias cœlo ceciderunt plura ſereno
Fulgura. ——

Cic. 1. de Divin. n. 18.

Aut cum terribili perculſus fulmine civis,
Luce ſerenanti vitalia lumina liquit.

Egit

Egit equos volucrémque currum ;
Quo bruta tellus et vaga flumina,
Quo Styx, et inviſi horrida Tænari
Sedes, Atlantéuſque finis [129]
Concutitur. Valet ima ſummis
Mutare, et inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit ; hic poſuiſſe gaudet.

nunc tonantes equos velocem currum per purum impulit ; quo terra gravis, erranteſque fluvii, quo Styx atque odioſi Tænari aſpera domicilia, terminuſque Atlantis quaſſantur. Poteſt numen infima ſupremis commutare : excellentem etiam deprimit, attollitque humilia. Inde rapida ſors culmen aufert, cum ſtrepitu reſonante : hic vero depoſuiſſe delectatur.

ANNOTATIONES.

Plin. lib. 2. cap. 51. *M. Herennius Decurio ſereno die fulmine ictus eſt.* Sueton. Tit cap. 10. *Sabinos petit aliquanto triſtior, quod ſacrificanti beſtia aufugerat : quodque tempeſtate ſerenâ tonuerat.* Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13. & Turneb. lib. 9. c. 9. & 13.

Tonantes Egit equos, &c.] Secundum vulgi opinionem, fulmen erat ac tonitru, Jove currum cum impetu per aerem agente. Supra Od. 12. in fine. Hinc Græcis dictus *καταιβάτης deſcenſor*, & Latinis Elicius : quod putaretur curru ſuo invectus in nubes deſcendere, unde gravi ſonitu fulgura & tonitrua eliceret ; ac fulmen jacularetur.

9. *Quo bruta tellus, &c.*] Fulminante Jove ſumma & infima commoventur. Servius in v. 102. Æneid. 9. *Et tremefacta ſolo tellus, &c.* ita ſcribit ; Loquente Jove ſtupor elementorum oſtenditur. Nam quod in motu eſt, quieſcit : & contra terra movetur quæ eſt immobilis ; ibidemque locum hunc Horatii affert. Cæl. Rhodig. lib. 7. cap. 29. ait fulmine mox percuſſos prius hebetari. Poteſt igitur *bruta tellus* explicari, hebes, immobilis, ſine ſenſu, ſtupens, iners.

10. *Styx, & inviſi horrida Tænari Sedes.*] Ipſi quoque inferi, tonante Jove, obſtupeſcunt. *Styx.*] palus aut flumen Inferorum. *Tænarus.*] Laconiæ promontorium, ubi per ſpecum & hiatum ingentem deſcenſus eſt ad inferos, ſi Poetis fides.

11. *Atlanteus finis.*] Limites Occidentis ad mare Atlanticum, Atlantemque montem. Vide ſupra Od. 31. v. 14 ibique Annot.

12. *Valet ima ſummis Mutare.*] Stoicum plane agit. Apud Laërt. lib. 1. Chilon interrogatus, quid ageret Jupiter ; reſpondit : *Deprimit excelſa, attollit abjecta.* Senec. Thyeſt. 598.

Ima permutat brevis hora ſummis.

13. *Inſignem attenuat Deus.*] Ex Heſiod. Op. init. per Jovem mortales ſunt obſcuri, clarique, nobiles & ignobiles ; alius extollitur, alius deprimitur elatus : præclarus minuitur, obſcurus augetur, ſuperbus deſiccatur, &c.

Βριάει, βριάοντα χαλέπτει,
Ἀρίζηλον μινύθει, ἄδηλον ἀέξει, &c.

14. *Obſcura promens.*] Eos qui latebant ignoti & abjecti, erigens, provehens, jamque niteſcere ac fulgere imperans. Pſalm. 75. *Hunc humiliat, & hunc exaltat.* Senec. Thyeſt. 612.

Omne ſub regno graviore regnum eſt.
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
. . . .
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

Hunc apicem rapax Fortuna, &c.] Opes, dignitates, diadema, ſummum imperium ab iſto aufert, & alteri tradit.

Apicem.] Proprie eſt inſigne ſacerdotum apex, ex Feſto. Valer. Maxim. *Sulpicio inter ſacrificandum apex capite prolapſus eidem ſacerdotium abſtulit.* Ovid. ex Pont. 4. 3. 49.

Ludit in humanis divina potentia rebus.
Item, 36.
Et ſubito caſu, quæ valuere ruunt.

Vide Juvenal. Sat. 6. v. 604. & ſeq. Item Sat. 10. v. 56. & ſeq.

15. *Cum ſtridore acuto.*] Volubilis fortunæ rotam, ejuſque rapidæ converſionis ſtridorem notat. Et quidem non ſine gravi mortalium concuſſione, perturbatione, querimonia, fiunt illæ mutationes, quibus imperia ab his ad illos transferuntur.

ODE XXXV. Ad FORTUNAM.

Ut ſervet Cæſarem in Britannos profecturum.

O Dea, quæ charo dominaris Antio, parata hominem morti obnoxium aut ex infimo loco erigere, aut arrogantes victorias mutare in clades: tibi votis anxiis ſupplicat inops agricola: Te maris potentem orat quiſquis mare Carpathium fatigat navi Bithynâ.

O Diva, gratum quæ regis Antium, [130]
Præſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit ſollicitâ prece [131]
Ruris colonus: te dominam æquoris, 6
Quicumque Bithynâ laceſſit
Carpathium pelagus carinâ.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9.

1. *O Diva.*] Fortuna, quam nos imprudentes facimus Deam, tametſi nullum numen habet; ut ait Juvenalis in Sat. 10, 365. & Sat. 14, 315. huic tamen omnia ſtulti aſſignant; atque ut ait Plin. lib. 2. cap. 7. *Toto mundo, & locis omnibus, omnibuſque horis, omnium vocibus, Fortuna ſola invocatur; una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conviciis colitur volubilis, & cæca etiam exiſtimata, inconſtans, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium ſola utramque paginam facit. Adeoque obnoxiæ ſumus ſortis, ut Sors ipſa pro Deo ſit, qua Deus probatur incertus.*

Gratum quæ regis Antium.] Equeſtri Fortunæ templum erat Antii, & valde quidem famoſum, tum ob multa principum virorum dona, quibus erat exornatum; tum præcipue ob Antianas Sortes, de quibus Sueton. Caligul. cap. 57. *Monuerunt & Sortes Antiatæ, ut a Caſſio caveret.* Macrob. lib. 1. cap. 25. *Videmus apud Antium promoveri ſimulachra Fortunarum ad danda reſponſa, &c.* Alii *gratum* dici volunt, ob amœnum adeo receſſum, ut eo cogitârit Nero ſedem transferre Imperii. Vide Strab. lib. 5. Cic. ad Attic. lib. 4. Epiſt. 8. ſcribit, *Antio nihil quietius, nihil ſitius, nihil amœnius.*

Antium.] Urbs fuit Latii maritima, Volſcorum caput, Neronis patria, claſſe potens: nam cum interdictum mari eſſet Antiati populo ſæpius rebelli, *Naves Antiatium partim in navalia Romæ ſubductæ, partem incenſæ, roſtriſque earum ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit: Roſtraque id templum appellatum.* Tit. Liv. l. 8. cap. 14. In tutela Fortunæ erat, quæ ibi religioſè colebatur. Quo pertinere non abs re videatur quod narrat, Tit. Liv. lib. 6. cap. 9. *Animus Camilli, rei majori, Antio imminebat . . . . ſed quia niſi magno apparatu, tormentis, machiniſque, tam valida urbs capi non poterat; relicto ad exercitum collega, Romam eſt profectus, ut Senatum ad excidendum Antium hortaretur. Inter ſermonem ejus (credo rem Antiatem diuturniorem manere Diis cordi fuiſſe) legati ab Nepete ac Sutrio auxilium adverſus Etruſcos petentes veniunt, brevem occaſionem eſſe ferendi auxilii memorantes. Eo vim Camilli ab Antio Fortuna avertit, &c.*

2. *Præſens vel imo tollere de gradu, &c.*] Potens & parata derepente ac ſubito *ima ſummis mutare, inſignem attenuare, obſcura promere, apicem inde rapere non ſine ſtrepitu ac ſtridere acuto, atque illic ad arbitrium ponere:* ut eſt in Ode ſuperiore, quem locum cum iſto confer, ſtudioſe lector. Vide & Macrob. lib. 5. cap. 16. ubi ſic habet: *Fortunam Homerus neſcire maluit, & ſoli deo, quem μοῖραν vocat, omnia regenda committit; adeo ut hoc vocabulum τύχη in nulla parte Homerici voluminis nominetur. Contra Virgilius non ſolum novit & meminit, ſed omnipotentiam quoque eidem tribuit: quam & Philoſophi, qui eam nominant, nihil ſua vi poſſe, ſed decreti ſeu providentiæ miniſtram eſſe voluerunt.*

5. *Te pauper ambit, &c.*] Nemo non tuam opem invocat; tuum ambit favorem agricola, nauta, mercator, miles, &c. Vide Pindar. Olymp. Od. 12. ubi, Σώτειρα Τύχα, τὶν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνῶνται θοαὶ νᾶες, ἐν χέρσῳ τε λαιψηροὶ πόλεμοι, κἀγοραὶ βουλαφόροι. *O ſervatrix fortuna, a te in mari gubernantur celeres naves, in terra vero rapida bella, & conciones conſilium ferentes.*

7. *Bithyna.*] Metonym. pro qualibet alia navi. Seu quod Bithyni rei nauticæ peritiſſimi, ναυτικώτατοι, apud Euſtath. in Dionyſ. ſeu quod frequens erat negotiatio ad eam Aſiæ Minoris regionem Euxino mari circumfuſam, Propontidi vicinam, Thraciæ adverſam, &c. Similiter pro quolibet mari ponitur *Carpathium* dictum ab Inſula Carpatho, Cretam inter & Rhodum, hodie *Scarpanto.*

Te

Te Dacus aſper, te profugi Scythæ,
Urbéſque genteſque et Latium ferox,
Regúmque matres barbarorum, et
Purpurei metuunt tyranni ;
Injurioſo ne pede proruas [132]
Stantem columnam ; neu populus frequens
Ad arma ceſſantes, ad arma
Concitet, Imperiúmque frangat.
Te ſemper anteit ſæva Neceſſitas,
Clavos trabales et cuneos manu
Geſtans ahenâ ; nec ſeverus

Te ferox Dacus, te errantes Scythæ, civitates etiam & nationes; nec non Latium bellicoſum, & matres regum barbarorum, atque tyranni purpurati venerantur. Ne pede noxio ſubvertas columnam ſubſiſtentem; neve plebs aggregata ad arma quietos, ad arma provocet, ac Imperium labefaciat. Te nunquam non præcedit dura neceſſitas æneâ manu ferens clavos prægrandes, & cuneos

ANNOTATIONES.

9. *Te Dacus, aſper, &c.*] Te nationes omnes, O Fortuna, colunt. *Daci*, gens bellicoſa, ad Iſtrum ſeu Danubium fluvium. Tranſylvania, Moldavia, Valachia hodie continentur.

Profugi Scythæ.] In plauſtris vagantes, nullam habentes ſedem fixam & ſtabilem. Juſtin, lib. 38. 7. illis: *Ne ſpes quidem præmii foret, ex hoſte vago, nec tantum pecuniæ, ſed etiam ſedis inope.* Infra lib. 3. Od. 24. 9.

—Campeſtres melius Scythæ,
—Quorum plauſtra vagas rite trahunt domos,
Vivunt, &c.

10. *Latium ferox.*] Bellis inclytum, ac vel unâ Româ Gentium & Orbis dominâ ſuperbum. Virgil. Æneid. 5. v. 730.

. . . . Gens dura atque aſpera cultu
Debellanda tibi Latio eſt.——

11. *Regumque matres barbarorum, &c.*] Sic Ode 1. dixit, *Bella matribus deteſtata.* Metuunt nempe filiis matres nunquam non, deprecanturque mala quævis humanitus accidentia.

12. *Purpurei metuunt tyranni.*] Et bene quidem, memores hunc eſſe fortunæ ludum alta deturbare, humilia ſublevare. Et, quod ait Juvenalis Sat. 10. v. 112.

Ad generum Cereris ſine cæde ac vulnere pauci
Deſcendunt reges, & ſiccâ morte tyranni.

14. *Stantem Columnam.*] Ne ſubruas Imperium Romanum jam ſtabilitum, vel Imperatorem feliciter omnia moderantem. Neve facias ut ſeditiones populus movens quietas res perturbet, atque ita peſſum eant quæ videntur modo firma & ære perenniora.

17. *Te ſemper anteit ſæva neceſſitas.*] Quidam legunt *Serva neceſſitas.*] quaſi Fortunæ famula. Sed apage. Sic enim & lib. 3. Od. 29, 49. *Fortuna ſævo læta negotio.* Et Od. 24. v. 6. ejuſdem libri, *Dira neceſſitas.* Ita Sophocles in Ajace, ἀναγκαίαν τύχην vocat. Et Laberius apud Macrob. lib. 2. cap. 7. Neceſſitatem Fortunæ, a-riter adjungit, his verſiculis ;

Neceſſitas, cujus curſus tranſverſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quo me detruſit pene extremis ſenſibus?
. . . .
Fortuna immoderata in bono æque atque in malo.
. . . .
Nunc me quo dejicis? &c. . . .

Huc & facit quod Ariſtot. rerum cauſas enumerat haſce quatuor, Naturam, neceſſitatem, fortunam, mentem.

18. *Clavos trabales & cuneos manu Geſtans ahena, &c.*] Talem Antii referunt in Fortunæ templo fuiſſe picturam, qua exhiberentur varia illa inſtrumentorum genera, clavi, cunei, unci, plumbum liquidum, &c. ſeu cruciandis reis, ſeu rebus firmandis, ac ſtabiliter defigendis idonea. *Clavos trabales*, hi ferrei ſunt, ingentes & validi, quibus trabes figuntur: unde proverb. *Trabali clavo figere*, pro, *firmiter ſtabilire*, Cic. 7. in Verrem, n. 32. Eraſm. Chiliad. *Herculaneus n[illegible]* & noſter cit. lib. 3. Od. 24. *Clavos adamantinos* eodem ſenſu, *figi* a neceſſitate, ait. Item pali ſunt lignei præacuti, quibus olim & modo apud immanem Turcam homines tranſadacti perimuntur. Ammian. Marcell. lib. 16. *Trabalibus telis capita diſciſſa quorundam*, nimirum ut ait paulo ante, *cum fixis enſibus, feriendi non ſuppeterent inſtrumenta, ipſis barbaris tela eorum vitalibus immergebat.*] Itaque trabalia illa tela ſtipites erant acuti per ſuffixi corporis caput eminentes.

Cuneos manu Geſtans ahenâ.] Stabilitatem ac firmitatem notat *manus ahena*, item *cuneus* ferreus, quo ſolebant ſtringi compedes, manicæ & pedicæ. Duobus etiam cuneis ſimul adactis aliquid magis abſtringitur. Unde Plaut. Stich. Scen. 9. *Vel inter cuneos ferreos*, ſcilicet in arcto paraſitus ait accumbere ſe poſſe. Cuneis præterea res finduntur ac ſcinduntur: his etiam rei velut clavis affiguntur cruci. Sic apud Cicer. Tuſcul. 2. n. 23. Prometheus a Vulcano affixum Caucaſo queritur.

Uncus

adeſt etiam uncus, & liquefactum plumbum. Te reveretur ſpes, & fides infrequens, candido panno co'perta: neque recuſat tibi adhærere, quandocunque mutato pallio ædes magnatûm adverſa deſeris: plebs autem inſtabilis, & meretrix perfida contra fugit: amici quoque *falſi jugum ſimul portare nolentes abſcedunt,* poſt *exhauſta ad fæcem* uſque *dolia.* O fortuna *incolumem præſta Cæſarem proficiſci meditantem adverſus ultimos terræ Britannos:* ſerves *etiam novum agmen adoleſcentium,*

Uncus abeſt, liquidúmque plumbum. [133]
Te ſpes, et albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Utcunque mutatâ potentes
Veſte domos inimica linquis:
At vulgus infidum, et meretrix retro
Perjura cedit; diffugiunt, cadis
Cum fæce ſiccatis, amici
Ferre jugum pariter doloſi.
Serves iturum Cæſarem in ultimos [134]
Orbis Britannos, et juvenum recens

ANNOTATIONES.

Jovisque numen Mulcibri aſcivit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inſerens,
Perrupit artus: &c.

Clavi nimirum ad crucem ligneam, cunei ad lapideam: inquit. Theodor. Marcilius.

20. *Uncus.*] Seu quo rei trahebantur ad ſcalas Gemonias; ſeu quod annecti ac teneri firmiter aliquid ſolet.

Liquidumque plumbum.] Hoc notum eſt & affuſo cruciatos aliquando reos; & ferreas manus, uncos, cuneos arctius alligari, tenac uſque adhærere. Arnob 6. contra Gentes: *Quid miſerius aut infelicius his eſſe poterit, quam ſi eos in hapbuſita unci retinere, & plumbeæ unctiones?*

22. *Te ſpes, &c.*] Hæc ſolent afflictos ſuſtentare, & ſolari adverſis preſſos. Hi enim ſperantes meliora, Fortunamque rotæ converſione benigniorem fore præſentes ærumnas æquiori ferunt animo.

Et albo rara fides colit Velata panno.] Licet enim rari ſint in adverſis amici, aliqui tamen reperiuntur interdum fideles uſquequaque. Sic *fides colit* Fortunam, *nec* adverſanti refragantique ſe *comitem negat.* Et ob hoc fortaſſe dicitur *albo velata panno*; id eſt, ſimplex, ſincera, non fallax: vel quod albo velabant panno caput, qui fidei ſacrificabant. Alii locum hunc interpretantur de candidatis, adeptâ dignitate parum curantibus ea perſolvere, quæ tum maxime promiſerant, cum magiſtratum ambirent. Quod mihi quidem longe petitum videtur. Tuum eſto judicium, lector ſagax & erudite. Virg. Æn. 1. v. 296.

Cana fides.

Quo tamen loco ſignificare videtur antiquam fidem.

22. *Nec comitem abnegat, Utcunque mutata, &c.*] Id eſt, Non deſerit fides amicos, etiam cum ab eis recedit Fortuna, *mutata* cum veſtibus mente: quando miſeros reddit eos, qui beati erant; & facta jam *inimica linquit domos potentium*, & alio migrat.

25. *At vulgus infidum, & meretrix, &c.*] Veri quidem amici in adverſis perinde ac in ſecundis manent fidi, & juvare perſeverant. At hæc paucorum virtus eſt. Alii enim e multis & e vulgo, amicum fovent quamdiu felix eſt: reflante vero Fortuna protinus avolant: in primis autem meretrix datæ fidei immemor abſcedit: & quanquam utriuſque ſtatus, calamitoſi nimirum & fortunati, *jugum ferre pariter* ſpoſponderant, *doloſi* tandem apparent. Nam *diffugiunt ſiccatis cum fæce cadis*, ubi quæſtûs nulla ſpes amplius; atque ut eſt in Proverb. *Fervet olla, vivit amicitia.* Et Ovid. de Pont. 2. *Vulgus amicitias utilitate probat.* Eccleſiaſtici cap 6. *Eſt amicus ſocius menſæ; & non permanebit in die neceſſitatis.*

29. *Serves iturum Cæſarem, &c.*] Antii fortaſſe tum diverſantem Antiati Fortunæ commendat, tumque, ut videtur, illic meditantem eam *in Britannos* expeditionem, de qua Dio lib. 53. *Ultimos orbis.* Virgil. Eclog. 1. 67.

Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Vide infra, lib. 3. Od. 4. v. 35.

30. *Et juvenum recens Examen, &c.*] Appoſitè Marcilius obſervat duplicem hic ac diverſum Auguſti conſulatu belli apparatum notari: alterum in Britanniam (majorem nempe, ſive Angliam) ductu & auſpiciis ipſius Auguſti: alterum in Arabiam felicem ductu Ælii Galli: ex Dione cit. lib. 53. Plin. l. 6. cap. 28. &c. Strab. lib. 2. & 16. &c. Senſus eſt: Conſcriptum in illa priori expeditione *juvenum examen*, ſeu *novum exercitum*, ob Romani famam nominis jam tum *Eois timendum partibus*, ac paulo poſt terrorem illaturum eſſe Parthis, Medis, Perſis; *Oceanoque Rubro*, Arabibus nimirum illi proximis. Nam *ipſa peninſula Arabia inter duo maria Rubrum Perſicumque procurrit:* ex Plin. modò cit. Ergo perperam alii interpretantur Oceanum Britanniæ majori vicinum occidentis Solis rubeſcentem radiis: accipe verò ſinum Arabicum, ſeu ipſum mare Rubrum, quod Græci Erythræum vocant,

Examen

Examen, Eoïs timendum
Partibus Oceanóque Rubro.
  Eheu, cicatricum et ſceleris pudet,
Fratrúmque. Quid nos dura refugimus
Ætas? Quid intactum nefaſti
Liquimus? Unde manus juventus
  Metu Deorum continuit? Quibus
Pepercit aris? O utinam novâ [135]
Incude diffingas retuſum in
Maſſagetas Arabáſque ferrum.

formidabile quidem *orientalibus regionibus, ac mari Erythræo. Heu pudet vulnerum criminiſque, & fratrum* a fratribus interfectorum. *Ecquid exhorruimus nos homines ſævi? quid impii dimiſimus non violatum? a quo manum cohibuerant adoleſcentes* ob *reverentiam Numinum? Quæ non altaria polluerunt?* O Fortuna *hebetatos* male noſtros *enſes, utinam novâ incude fabrices contra Maſſagetas & Arabas*, bene.

ANNOTATIONES.

quoniam ἐρυθρὸς vel ἐρυθραῖος rubrum ſignificat, ſcilicet ob terram rubram, ſive miniatam aquæ ſubſtratam, vel ab imminentibus ejuſdem coloris montibus; unde Sole affulgente ſpecies rubra præbetur mari: Aliis ab Erythræo rege factum nomen placet. Euſtath. in Perieg. Dionyſ.

33. *Eheu, cicatricum & ſceleris pudet.*] Inhoneſta quippe ſunt vulnera in bellis civilibus accepta: & quicquid adverſus cives perpetratur; flagitioſum eſt ac pudendum. *Pudet* igitur & *fratrum*, in contrariis, ut fit, militantium partibus, atque ita ſæpius a conſanguineis trucidatorum.

34. *Quid nos dura refugimus Ætas?* &c.] Nos hac ætate ferreâ odiiſque plusquam civilibus infestâ viventes, armaque in propinquorum corpora immaniter exacuentes, quid mali ac ſceleſti patrare detrectavimus! quid infandi non attentavimus?

35. *Nefaſti.*] Execrandi, conſcelerati, nefarii. Cic. 2. de Legib. n. 21. *Quæque augur injuſta, nefaſta, vitioſa, dira defixerit, irrita, infectaque ſunto.*

36. *Unde manus juventus Metu Deorum continuit,* &c.] Legunt alii *manum.* Quos religio cohibuit ab audendo ſcelere, a violandis ſacris, a templis atque aris violandis, impieque diruendis?

38. *O utinam nova Incude diffingas retuſum,* &c.] Quidam legunt *diſtringas*, & *recuſum.* Senſus eſt: O Fortuna, finge de nova & fabrica nobis gladios, glorioſe quidem in hoſtes Imperii Romani ſtringendos: nam illi prius a nobis male *retuſi* ſunt adverſus fratres, cives, propinquos: civiles diſcordias extingue ſemper funeſtas, ut externa duntaxat bella deinceps moliamur, ſignaque Romana cum decore & gloria inferamus in Scythiæ populos, (ubi nunc pars Auſtralis Tartariæ:) Paludem Mœoticam incolentes, *Maſſagetes* quaſi *graves Getas* appellatos: *maſſa* enim Scythica lingua, grave ſignificat, ex Iſidoro Origin. 9. Priſcianus in Perieg. 718.

> . . . . *Maſſagetæ* ————
> *Hoſpitibus ſævi cunctis, belloque feroces.*

Item in Arabes gazis ac divitiis famoſos. Arabia inter præcipuas Aſiæ partes cenſetur. Terminos habet a Septentrione Syriam, & fluvium Euphratem; ab Oriente ſinum Perſicum, ab Occidente ſinum Arabicum, a Meridie mare Arabicum, ſive partem Indici Oceani. Porro ad rem præſentem facit quod habet Strabo l. 7. *Eo tempore,* inquit, *Byrebiſtas Getarum tenebat Imperium, adverſus quem Cæſar inſtruxit exercitum.* Et quod Ammian. Marcell. *Arabiam* vocat *Getarum deſertum.*

ODE XXXVI.

Fauſtum ex Hiſpania reditum Numidæ gratulatur.

ET thure, et fidibus juvat
  Placare, et vituli ſanguine debito

Et thure, et Lyricis carminibus, & debito cruore vituli expedit litare Numinibus

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Ode 3.

Ad Plotium, vel, ut aliis placet, Pomponium inſcribitur Ode hæc. *Numida* vero cognominari videtur ab illâ regione Africæ Libyæ interiori & Mauritaniæ finitimâ, in qua militaverat.

1. *Et thure, & fidibus juvat,* &c.] Æquum

Cuſtodes

ſervatoribus Numidæ; qui jam incolumis ab extremâ rediens Hiſpaniâ, dilectis ſociis oſcula plurima, at nemini plura quam ſuavi Lamiæ partitur, recordatus adoleſcentiæ non alio ductore tranſactæ, & mutatæ pariter togæ. Ne lætæ diei ſignum deſit Cretenſe; neve prolato cado parcatur; neque ſit pedum ceſſatio ad ritum Saliorum;

Cuſtodes Numidæ Deos;
Qui nunc Heſperiâ ſoſpes ab ultimâ [136]
Caris multa ſodalibus,
Nulli plura tamen dividit oſcula,
Quàm dulci Lamiæ; memor
Actæ non alio rege puer'tiæ,
Mutatæque ſimul togæ.
Creſsâ ne careat pulchra dies notâ:
Neu promptæ modus amphoræ, [137]
Neu morem in Saliûm ſit requies pedum:

ANNOTATIONES.

eſt ſacrum Diis facere, adhibitis, ex more veteri, thure, & muſicâ, vitulumque mactare Diis ex voto pro felici reditu facto ab amico noſtro Numida.

3. *Cuſtodes.*] Caſtorem & Pollucem navigationis, vel Mercurium peregrinationis præſides. Unde hic ſub nomine ἐνοδίου colebatur, teſte Heſychio.

4. *Qui nunc Heſperia ſoſpes ab ultima.*] Qui ſalvus rediit a bello Cantabrico. In ea Hiſpaniæ regione, Oceano Septentrionali proxima, ab Auguſti ducibus geſtum eſt non ſemel, nec valde feliciter bellum. Quo magis mirum, inde ſoſpitem Numidam rediiſſe. *Heſperia ab ultima,* Quod addit, *ultima,* Hiſpaniam clare deſignat: alias enim Italia quoque Heſperia dicitur; ut ſupra notavi ad Od. 28. v. 26. Vide ibi annot. Strabo lib. 1. Hiſpani ad occidentem vergunt maxime, μάλιστα ἑσπέριοι, inquit.

6. *Dividit oſcula.*] Quotidiana quidem obviis familiaribus dabantur: at præcipue vel proficiſcentibus, vel e peregrinatione redeuntibus. Cic. Ep. Fam. 16. 27. ita ſcribit Tironi ſuo: *Oculos tuos, etiamſi te veniens in medio foro videro, diſſuaviabor.* Sueton. Tiber. cap. 10. *Paucos in digreſſu oſculatus.* Et cap. 34. *Quotidiana oſcula prohibuit edicto.* Neron. cap. 37. *Certe neque adveniens, neque proficiſcens, quemquam oſculo impertivit, ac ne reſalutatione quidem.* Sic & ſacræ literæ; *Salutate invicem in oſculo ſancto.* D. Paul. Rom. cap. 16. v. 7. 1. ad Cor. cap. 16. D. Petr. 1 Epiſt. cap. 5. v. 14.

7. *Lamiæ.*] De Ælio Lamia ſupra, Od. 26.

Memor actæ non alio rege puer'tiæ, &c.] Magnam animorum conjunctionem parere hæc ſolent. Lamia & Numida eodem Pædagogo ſeu rectore uſi, pueritiam ſimul exegerant; prætextam quoque deponentes pariter circa annum 17. togam virilem una ſumpſerant, tum ex more, *tandem cuſtode remoto*; ut ait noſter ad Piſones Epiſt. Sunt qui *puer'tiæ regem* interpretantur patronum potentem; ſed quid hoc ad pueros? Alii creatum ſorte regem inter pueros colludentes in Βασιλίνδα, de qua Plato in Theæteto, Jul. Pollux lib. 9. cap. de convivalibus ludis, & nos poſtea Epiſt. 1, 1, 59. ubi.

. . . *At pueri ludentes, rex eris, aiunt, &c.*

Melius certe alii intelligunt magiſtrum, ſive inſpectorem & curatorem, qui duobus aut pluribus pueris nobilibus inſtituendis præficiebatur: παιδώναξ, quaſi παίδων ἄναξ.

Puer'tiæ.] Syncope. Sic *lamnæ* pro *laminæ.* Sic *porgite* pro *porrigite*: Virgil. Æneid. 8. v. 274. *ſurpite* pro *ſurripite*: infra lib. 2. Sat. 3. & lib. 4. Od. 13. *Porgam* pro *porrigam*, teſte Feſto; & Sil. lib. 9.

10. *Creſſa ne careat, &c.*] Dies iſta, qua redditus mihi es, notetur læto ſigno, vel cretâ, albo nempe lapillo, ſeu Cretenſi; ex more apud Thracas inſtituto lætos dies ac felices candido notandi calculo. Plin. lib. 7. cap. 40. Hinc legendum quidam putârunt *Threſſa*; ſed male, ut noſtri ad Perſ. Sat. 2. v. 1. Nec enim de conſuetudine Thracum hic agitur, ſed de Cretenſi nota felicitatis indice, candida nimirum. Sic poſtea Sat. 2, 3, v. 246.

. . . . *Creta an carbone notandi?*

Et Perſ. Sat. 5. v. 108.

Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notâſti?

11. *Neu promptæ modus amphoræ.*] Ad plenam ſignificationem lætitiæ, large bibendum ait; ſimul & veterum tangit morem, quo amicos vel proficiſcentes, vel e peregrinatione revertentes convivio excipiebant. Quæ quidem epulæ dicebantur viaticæ, & adventitiæ.

12. *Neu morem in Salium ſit requies pedum.*] Nec omittantur tripudia & ſaltationes iis ſimiles, quas exercent Salii Martis ſacerdotes a Numa Pompilio inſtituti, numero duodecim, e Patricio genere; a Tullo deinde Hoſtilio duplicati. Hi æneâ galeâ, baltheo, ac thorace armati, per urbem incedebant, gradu compoſito, atque ad tibiæ modulos ſubſilientes; unde nomen. Sacra illa cœnis quoque ſumptuoſis, cantibus, & ſymphonia opipare celebrabant. Vide plura apud

Neu

Neu multi Damalis meri
  Baſſum Threïciâ vincat amyſtide;
Neu deſint epulis roſæ,
  Neu vivax apium, neu breve lilium.
Omnes in Damalin putres [138]
  Deponent oculos: nec Damalis novo
Divelletur adultero,
  Laſcivis hederis ambitioſior.

Neve Damalis plurimi vini bibax certet cum Baſſo poculis Thracibus: neve convivium roſis careat, nec apio conſtanti, nec fugaci lilio. In Damalin cuncti defigent aſpectus laſcivos: at Damalis ab novo non abſtrahetur amatore, hederis hærentibus tenacior.

ANNOTATIONES.

Liv. lib. 1. cap. 20. Jul. Poll. lib. 4. cap. 14. maxime vero Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 26. &c. Dionyſ. Halicarn. lib. 2. ſic habet: *Hi autem Salii omnes ſaltatores ſunt, & laudatores armatorum Deorum, &c.* Varro 4. de Ling. Lat. ſic habet: *Salii a ſaltando, quod facere in comitio quotannis in ſacris ſolent & debent.*

13. *Neu multi Damalis meri Baſſum, &c.*] Ad convivium amica Numidæ Damalis invitata cum novo ſic amatore conſueſcat, ut relictâ veteris amici familiaritate, Baſſi videlicet, non amplius cum eo certet bibacitate vinoſa mulier.

Multi meri.] Tull. Fam. 9. 26. *Non multi cibi hoſpitem accipies, ſed multi joci.* Alii ſic interpretantur: Baſſus & Damalis certent poculis, nec in pergræcatione huic ille cedat.

14. *Baſſum.*] Is fortaſſe eſt Iambicus ille Poeta ad quem eſt Propertii Eleg. 4. lib. 1. & Eleg. 10. lib. 4. Triſt. Ovidii. Ubi male, *Battus* legitur; Baſſus enim vocatur apud antiquiores vitæ Ovidii ſcriptores. Teſtis Scaliger.

Threïcia amyſtide.] Vel poculo valde capaci, vel bibendi genere apud Thracas & Scythas uſitato *ἀπνευστὶ*, ſine reſpiratione, *ἀμυστὶ*, hiante & patenti ore & rictu: unde *ἀμυστίζειν* dicitur is qui ſic vinum ingurgitat, largo hauſtu, ductim, confertim & confeſtim; non autem ſorbillando, vel lento ductu. Vide Plutarch. Sympoſ. Cæl. lib. 4. cap. 26. & lib. 15. cap. 6. Turneb. lib. 11. cap. 27.

15. *Neu deſint epulis roſæ.*] Ad corollas nempe texendas ex epulantium more veterum tum ad delicias, tum ebrietatis coercendæ causâ, ut notavi jam alibi, & mox dicam Ode 38.

16. *Neu vivax apium.*] Diu virens, quodque *μόνιμον*, propterea dicitur, ac inter coronarios flores cenſetur apud Athen. lib. 15. Vide lib. 2. Od. 7. v. 24.

Neu breve lilium.] Brevi durans.

17. *Omnes in Damalin putres Deponent oculos.*] Omnes in Damalin oculos amore languentes defigent, condent, ac veluti ſepelient. At illa contemptis amatoribus cæteris quidem omnibus, uni ſe addicet Numidæ.

Putres.] Laſcivos, libidine fractos. Perſ. Sat. 5. v. 57.

> . . . . . *Hunc alea decoquit: ille*
> *In venerem eſt putris.*——

Deponent.] Timentium & languentium oculi dejecti ac depoſiti: contra ſecurorum elati & recti. Propert. lib. 1. Eleg. 1. v. 3.

> *Tum mihi conſtantis dejecit lumina faſtûs,*
> *Et caput impoſitis preſſit Amor pedibus.*

18. *Nec Damalis novo Divelletur, &c.*] Damalis in amore conſtans & fida non recedet ab unius Numidæ complexu, ei tenacius adhærens, quam hedera muro vel arbori.

ODE

ODE XXXVII.

Sodales hortatur ad lætandum, extinctâ Cleopatrâ.

Jam compotandum eſt, O ſodi; jam plantâ levi terra percutienda eſt : *jam tempus adeſt epulis Saliaribus decorare Numinum lectos. Non licebat antea Cæcubum* vinum *proferre è cellis vetuſtis, dum Capitolio everſionem, & exitium Imperio* Romano *moliebatur Regina inſaniens cum turma fæda homi-*

NUnc eſt bibendum, nunc pede libero
  Pulſanda tellus; nunc Saliaribus [139]
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, ſodales.
  Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis; dum Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus et Imperio parabat,
  Contaminato cum grege turpium.

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod ſupra Od. 9.

1. *Nunc eſt bibendum, &c.*] Poſt inſignem illam ad Actium Auguſti victoriam, ſuperatumque Antonium cum ſua Cleopatra, quæ Romanis dominari ſtultè appetebat; liberè jam tripudiandum, hilariter epulandum eſt. De his Flor. lib. 4. cap. 11. Liv. lib 132. & 133. Plutarch in vitâ Antonii, Sueton. Oroſ. &c. Scilicet Imperio Romano Triumviris partito, Auguſti ſorori Octaviæ, quam duxerat uxorem, repudio remiſſo, Cleopatræ ſe amoribus immerſit Antonius. Hinc iratus Cæſar bellum ei molitus, in Epirum copias tranſportavit, navalique prælio ad Actium Epiri promontorium commiſſo, Antonium & Cleopatram tam glorioſè vicit, ut victos ad fugam, indeque ad ultimam rerum ac ipſius vitæ deſperationem adegerit. Ob res tam præclarè geſtas, ſupplicationes etiam, ut videtur, ad pulvinaria Deorum inſtitutas, indictaque lectiſternis, gratulatur Auguſto Romaniſque Horatius hac Ode, ut & Epod. 9. Vide ibi.

2. *Nunc Saliaribus Ornare pulvinar Deorum, &c.*] *Tempus erat:* vel enallage; pro, *tempus eſt:* vel, deſtinatum fatis hoc erat tempus, ad gratias Diis agendas, noſtramque lætitiam exhibendam, tum lectos ac pulvinos in templis Numinibus ſternendo, tum opiparas celebrando cœnas & epulas, quales Saliis conſuetæ & ſolennes, ut locum dederint proverbio, *Saliares cœnæ*, id eſt, ſumptuoſæ. Vide ſupra Annot. Od. 36. ad vocem *Salium*, Turneb. lib. 7. cap. 17. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27. Tit. Liv. paſſim de lectiſterniis, quorum ſuperſtitionem inſectatur Arnob. lib. 7. contra gentes, his verbis; *Lectiſternium Cereris erit Idibus proximis. Habent enim Dii lectos, atque ut ſtratis poſſent mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur impreſſio.*

5. *Antehac nefas depromere, &c.*] Laborante civilibus diſcordiis antea Republica, & feminâ jugum Romanis intentante, lætari non licebat, nec e cellis promere vina generoſa, quale Cæcubum e Campaniæ fertilibus agris, prope Fundos & Amyclas urbes. Martial. lib. 13. Epig. 115.

Cæcuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis.

6. *Dum Capitolio Regina, &c.*] Dum Romano Imperio cladem moliretur Cleopatra Ægypti Regina, furioſâ, ambitione acta, ſolitis cubiculariis ſtipata, eunuchis nimirum, omnia ſibi ſpondens, atque ob aſpirantem fortunam animo impotenter elata.

7. *Regina dementes ruinas Funus & Imperio parabat, &c.*] Recte obſervant docti interpretes, mentionem hic Antonii fieri nullam, ſed Cleopatræ duntaxat; tum quod e civili bello nulla triumphi manet gloria; tum quia vulgo dicebatur mulier Ægyptia Romanum affectare Imperium. Flor. lib. 4 cap. 11. ita ſcribit: *Furor Antonii, quatenus ambitu non interiret, luxu & libidine extinctus eſt. Quippe poſt Parthos, cum exoſus arma in otia ageret, captus amore Cleopatræ, quaſi bene geſtis rebus, in regio ſe ſinu reficiebat. Hæc mulier Ægyptia, ab ebrio Imperatore, pretium libidinum Romanum Imperium petit, et promiſit Antonius: quaſi facilior eſſet Parthis Romanus. Igitur dominationem parare, nec tacite: ſed patriæ, nominis, togæ, faſcium oblitus, totus in monſtrum illud ut mente, ita animo quoque, & cultu deſciverat, &c.*

9. *Contaminato.*] Ex Donato, *contaminare* eſt, rem rei ſic miſcere, ut corrumpatur utraque, neutra permaneat: quod quidem ſpadonibus competit. Nam ex Greg. Nazien. in Epitaph. Baſilii magni, inter mulieres viri eſſe videntur, inter viros autem ſunt mulieres, ad obſcœna vero quælibet paratiſſimi. Hinc ſequitur, *Cum grege turpium morbo.* Quidam legunt *congrege* Porro *contaminati, turpeſque morbo*, ſeu ob emaſculationem, ſeu ob cinædicam fœditatem. Juvenal. Sat. 2. 50.

Hiſpo ſubit juvenes, & morbo pallet utroque.

Morbo virorum; quidlibet impotens
Sperare, fortunâque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una ſoſpes navis ab ignibus:
Mentémque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæſar ab Italiâ volantem,
Remis adurgens (accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Æmoniæ) daret ut catenis
Fatale monſtrum; quæ generoſiùs
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit enſem, nec latentes
Claſſe citâ reparavit oras.

[140] *num lue inquinatorum, nihil non ſibi temere promittens, fortunâ favente dementata. Verum faſtum ejus imminuit unica navicula vix ab incendio ſalva: & animum Mareotico furentem ad veros metus compulit Auguſtus, quando fugientem ab Italia perſecutus eſt remigatione, (tanquam accipiter teneras columbas, aut leporem velox inſecutor per agros Æmoniæ nivoſæ) ut in vincula conjiceret funeſtum portentum. Illa verò ſtrenuè mori volens, haud gladium exhorruit more fœmineo, nec* [141] *reconditas celeri navigio terras requiſivit.*

ANNOTATIONES.

10. *Quidlibet impotens ſperare.*] Sunt qui interpretentur, valde potens: ſed alii melius; impar & impotens ambitionem frænare, quidlibet temere ſperabat. Sic enim qui ſe continere ab illicitis nequit, ſui dicitur non compos, & animi impotens: quoniam affectus, motus, cupiditates non valet coercere, imo ab iis victus, huc illuc ut ſervus trahitur.

12. *Sed minuit furorem Vix una, &c.*] Bene ſcripſit quidam: *Fortuna vitrea eſt: cum ſplendet, frangitur.* Itaque ſpes inſanas, ſuperbos faſtus, & arrogantes animos tandem Cleopatra fregit, quando e claſſe tam numeroſa, vix ab incendio Romanorum navim unam eripuit, qua fugeret, Subtiliter hic a nonnullis intelligitur Auguſtus, qui fuerit unus ſoſpes ab impuris illis Cleopatræ ardoribus, quibus deflagrârant Julius quidem Cæſar primùm, ac ſubinde Antonius. Flor. *Prima dux fugæ Regina, cum aurea puppe, veloque purpureo, ſe in altum dedit. Mox ſecutus Antonius: ſed inſtare veſtigiis Cæſar . . . . prope manu tenebatur. Prior ferrum occupavit Antonius. Regina ad pedes Cæſaris provoluta tentavit oculos ducis, fruſtra. Nam pulchritudo intra pudicitiam Principis fuit.*

14. *Lymphatam Mareotico Redegit, &c.*] Vel exquiſito vino ex illâ Ægypti regione, Mareotidi paludi vicinâ, apud Alexandriam; quod laudant Columella, Athenæus, Strabo, &c. & meminit Virgilius Georgic. 2, 91.

Sunt Thaſiæ vites, ſunt & Mareotides albæ.

Eo nempe, cum ſuo Antonio, frequenter epulata, animum exhilarabat. Vel regni *Mareotici*, id eſt, Ægyptii opibus nimium confiſa, indeque velut cæco animi impetu abrepta ad quandam inſaniam, cum jam ſibi arrogat aliena, de propriis laboravit, ſibique timuit, ne hoſtium præda fieret; quod revera contigit.

16. *Ab Italiâ volantem Remis adurgens, &c.*] addente alas timore fugiebat celeriter Cleopatra: ſed inſtitit Auguſtus (teſte Floro cit.) navibus Liburnis, quæ velociſſimæ ſunt, ut poſtea dicetur: hinc accipitri citoque venatori comparatur. *Ab Italia.*] Porro illa abhorrebat, ne timens abduci ad hoſtilis triumphi pompam ſuo dedecore exornandam.

20. *Æmoniæ.*] Vel Thraciæ: ſic dictæ ab Æmo, ſeu Æmone nivoſo monte, vel potius, Theſſalicæ regionis Macedonibus proximæ ab Æmone Deucalionis filio nuncupatæ.

Daret ut catenis Fatale monſtrum.] Ut captivam aveheret Cleopatram Reipublicæ Romanæ fatalem & exitioſam, vel ſuæ gloriæ ac triumpho fatis reſervatam. Addunt alii, theſauris ejus potiundi ſpem inſequendi cauſam fuiſſe.

21. *Quæ generoſius Perire quærens, &c.*] Haud muliebrem animum, ſed virilem potius gerens in corpore muliebri, nequaquam more feminarum enſis aciem expavit. Nimirum cum Auguſtus Alexandriam, obſeſſoſque ibi Antonium & Cleopatram redegiſſet in ſuam poteſtatem; ſe quidem interemit Antonius: arripuit & Cleopatra gladium, quo ſibi mortem inferret: ſed prohibita eſt a Procnleio intra ſepulchrorum clauſtra, miſſo a Cæſare, qui vivam ſervare ad ſui triumphi decus exoptabat. Plutarch. in vita Antonii. Tit. Liv. lib. 133 cit.

23. *Nec latentes Claſſe citâ reparavit oras.*] Nec in remotas Ægypti regiones clam aufugit, aut uſquam latere voluit, ſed Alexandriam recto curſu contendit.

Latentes.] Cic. Agrar. 2. n. 43. *Quid Alexandria, cunctaque Ægyptus? ut occulte latet, ut recondita eſt?* Suum tamen poſtea damnavit errorem: intellexitque ſatius futurum fuiſſe cedere tempori, & in tutum aliquem locum ſe recipere;

Auſa

Sed fronte lætâ deſperatum etiam regnum adire non verita eſt: & conſtans ſævas aſpides attrectavit, ut nigrum virus corpore hauriret; morte conſtitutâ audacior. Nempe femina haud ignobilis ad magnificum Auguſti triumphum Liburnis ferocibus velut privata devehi *abhorrebat.*

Auſa et jacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, et aſperas
Tractare ſerpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;
Deliberatâ morte ferocior:
Sævis Liburnis ſcilicet invidens
Privata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

ANNOTATIONES.

dum bellum repararet: conſpirante præſertim in ejus auxilium tota Ægypto. Vide Virgil. Æn. 8. v. 707. & ſeq. & Servium in eum locum. Vide & Plutarch. Dionemque, tentatam ab ea fugam per ſinum Arabicum, contrà narrantes.

25. *Auſa & jacentem viſere regiam, &c.*] Deſperatum licet regnum ingreſſa nihil de ſuperbia remiſit: *vultu ſereno* regiam adit, ibique in omni luxu verſatur; teſte Plutarcho.

26. *Fortis & aſperas Tractare ſerpentes.*] Cum in victoris poteſtate eſſet, morique conſtituiſſet, ſecretum mortis genus tentavit. Flor. 4, 11, 10. *Cleopatra*, inquit, *non jam de vita, quæ offerebatur, ſed de parte regni laborabat. Quod ubi deſperavit a Principe, ſervarique ſe triumpho vidit, incautiorem nacta cuſtodiam, in Mauſoleum ſe (ſepulchra regum ſic vocant) recepit: ubi maximos, ut ſolebat, induta cultus, in differto odoribus ſolio, juxta ſe ſuum collocavit Antonium: admotiſque ad venas ſerpentibus, ſic morte quaſi ſomno ſoluta.* Similiter Plutarchus refert: omnium genera venenorum in damnatis expertam: anxiam autem fuiſſe, quod quæ cito extinguerent, crearent dolorem: quæ vero ſine dolore eſſent, celeritate carerent: tandem vero deprehendiſſe aſpidis morſum & cito & ſine dolore enecare, gravato ex ſomno capite, & leni ſudore per vultum diffuſo. Cæterum nemini compertum eſt, quo mortis genere Cleopatra obierit; puncturas tantum in brachio conſtat exiguas apparuiſſe. Hinc Auguſtus ejus ſimulachrum in triumpho duxit, admorſo aſpidibus brachio. De quo Propert. lib. 3, 11, 53.

Brachia ſpectavi ſacris admorſa colubris,
Et trahere occultum membra ſoporis iter.

29. *Deliberata morte ferocior.*] Eo ferocior, quod mori quoque modo ſtatuerat. Adverte pluribus extolli Cleopatræ generoſitatem ſupra muliebrem ſexum; ut hinc victori accedat & creſcat gloria. Alias enim habere locum potuiſſet, quod ſcribit Virgil. Æneid. 4, 93.

Egregiam vero laudem . . . .
. . . Si femina victa eſt.

33. *Sævis Liburnis.*] Non parum juverant Auguſtum in reportandi navali victoria Liburni Illyrici populi, Liburnæque naves celeritate inſignes. Ex quo patet non cymbas quaſdam aut naviculas bello ineptas fuiſſe, ut putârunt quidam; Suidas certe roſtratas & conſtratas extitiſſe tradit, aliâ tamen quam triremes formâ. Vide Veget. lib. 4. de re Milit. Appian. lib. 4. &c.

Sævis.] Si quidem Romam deportâſſent vivam ad hoſtis triumphum.

Scilicet invidens Privata deduci ſuperbo Non humilis mulier triumpho.] Dio. cit. lib. 51. ita ſcribit; *Tantas inter calamitates regni memoriam retinebat, ut mallet nomine & ornamentis ejus retentis mori, quam privata vita frui.* Nihil itaque magis Cleopatra formidabat, quam triomphari, invidens Auguſto illum quem tantopere anhelabat, honorem, victam & vinctam ſcilicet Reginam per Urbem Italiamque circumducendi in ſuo triumpho. Hinc aiunt, cum capta ab Auguſto clementiùs de induſtriâ tractaretur, qua vero mente & conſilio ſatis intelligeret, dicere ſolitam; *Non triumphabor.*

ODE

ODE XXXVIII.

Parvo gaudere ſe in conviviis apparatu.

PErſicos odi, puer, apparatus ; [143]
Diſplicent nexæ philyrâ coronæ :
Mitte ſectari, roſa quo locorum [144]

O Famule, averſor Perſarum ſumptus. Non placent corollæ philyrâ colligatæ : Omitte perſcrutari quibus in regionibus durent roſæ

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2.

1. *Perſicos odi, puer, apparatus.*] Perſarum luxus paſſim famoſus ex Herodoto, Xenophonte, Plinio, Athenæo. Illi nempe vaſa pretioſa in conviviis, lectos etiam diſcubitorios aureos & gemmeos requirebant. Patet ex Herodot. lib. 9. unguenta & odores amabant. Teſtis Plin. lib. 13. cap. 1. opſonia exquiſita, tibicines, miniſtros ſuccinctos adhibebant. Ex Plutarch. novæ alicujus voluptatis inventoribus præmia dabant. Valer. Maxim. lib. 9. cap. 1. Cœl. Rhodig. lib. 8. cap. 2. &c. *Perſæ & Medi omnium hominum maximè voluptatem ac delicias colere* : & paulo poſt ; *Omnium primi luxu celebres fuiſſe Perſæ* referuntur ab Athen. lib. 12. cap 1. & lib. 4. cap. ex Theophraſto ; *Perſarum reges luxu effeminati ingentem pecuniæ ſummam per præconem iis pollicentur, qui novum voluptatis genus excogitârint.* Item ex Heraclide Cumano, *qui cœnanti regi Perſarum miniſtrant, loti omnes, pulchris induti veſtibus aſſiſtunt, ac diei parte dimidiâ circa cœnæ apparatum occupantur.* Denique ex Xenophonte in Ageſilao, ſub finem ; *Apud Perſas ſunt qui totum orbem circumeunt quæritantes quod regi ſit potu gratiſſimum ; alii ſolerter inquirunt quid libenter edant ; ubi & quomodo ſuaviter dormiant. Neque eſt facile dictu, quam anxie talia procurent.*

2. *Diſplicent nexæ philyra coronæ.*] Coronatos epulari veteres aſſuetos conſtat ; ſed & luxum in texendis arte & labore corollis iſtis fuiſſe non minus certum eſt. Ait vero Horatius odiſſe ſe ſumptuoſas ac operoſas has etiam coronas, quæ vel texerentur e floribus ac foliis inventu difficilibus ; vel necterentur magno labore & apparatu.

Philyra.] Tenui membrana, quæ corticem inter & lignum tiliæ arboris ſuccreſcit. Hac utebantur tum ad nectendos flores, tum ad lemniſcos appendendos. Plin. lib. 16. cap. 14. *Inter corticem & lignum tenues tunicæ, multiplici membrana, e quibus vinculæ tiliæ vocantur : tenuiſſimæ earum philyræ, coronarum lemniſcis celebres, antiquorum honore*, & lib. 12. cap. 3. *Craſſus dives primus argento auroque folia imitatus, ludis ſuis coronas dedit. Acceſſerunt & lemniſci, quos adjici ipſarum coronarum honos erat . . . Claudius Pulcher bracteas etiam Philyræ dedit.* Angl. Politian. Miſcel. cap. 72. ita ſcribit : *Philyræ uſus percelebris olim in texendis coronis : e Philyris etiam fiebant lemniſci, id eſt, faſciolæ e coronis pendulæ.*

Coronæ.] Hæ fiebant e frondibus ac floribus hederæ, roſæ, violæ, lauri, lilii, narciſſi, myrti, &c. hiſque diſcuti ebrietatem, & capitis dolores credebant ſeu conſtringendo, ſeu refrigerando. Plutarch. Sympoſ. lib. 3. quæſt. 1. An inter potandum, coronis floreis, ac ſertis utendum ſit, multis diſputat : ait vero *Hedera crapulam reſtingui . . . . . amethyſto herba ſicut & gemma vinolentiam retundi . . . . vinum ſi quando caput tentaverit, florum auram auxiliari, & munire adverſus crapulam ; eo quod flores calidi leniter ſpiramenta laxantes ſpiraculum vino præſtant : frigidi vero modice ſtringendo repellunt inhibentque evaporationes : ceu viola, & corona ex roſis, &c.* Et ex his aliiſque ibidem compluribus concludit, coronis floreis inter pocula uſos propterea veteres. Athen. lib. 3. cap. 21. jubet ex Archeſtrato ; *Perpetuo coronis inter cœnam caput omnifariis redimiri.* lib. vero 15. cap. 5. ex Ariſtotele & Ariſtone, affirmat : *Antiquos ob capitis gravitatem & dolorem a vini potu vinculum temporibus adhibuiſſe, quòd eam ligaturam prodeſſe crederent : poſteros autem, ornatus & oblectamenti gratia, coronas in compotationibus excogitaſſe.* Et paulo poſt, ait : *Capitis dolori florum faſciculos ac ſerta mederi ſuo compreſſu & vinculo.* Plin. lib. 21. cap. 3. jam cit. ſic habet : *Apud Græcos de coronis ſcripſere Mneſtheus & Callimachus Medici, quæ nocerent capiti : quoniam & in hoc eſt aliqua valetudinis portio ; in potu atque hilaritate præcipue, odorum vi ſurrepente fallaciter, &c.* ubi etiam refert Cleopatram per illas veneno coronas Antonio inſidiatam. Ex illis vero quæ ante dicta ſunt, Ovidius ita canit, Faſt. 5. 337.

Ebrius incinctis philyrâ conviva capillis
Saltat, & imprudens vertitur arte meri.

3. *Mitte ſectari, roſa quo, &c.*] Ne labores ad inveſtigandas roſas extra tempus : texendaſve è raris floribus coronas. Athen. cit. in con-

ſeratinæ. In primis ſtudeo, ne quidquam laborioſe adhibeas ad myrtum ſolam. Neque erit tibi famulo myrtus indecora, nec mihi ſubter denſam vitem perpoanti.

Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores,
Sedulus curo: neque te miniſtrum [145]
Dedecet myrtus, neque me ſub arctâ
Vite bibentem.

ANNOTATIONES.

viviis roſeas coronas commendat. At eas, cum natura negat, luxurioſe ſectantes ita corripit Seneca Epiſt. 122. An vivunt contra naturam, qui hyeme concupiſcunt roſam? Et qui aquarum fomento calentium, & calorum apta mutatione (vel potius *imitatione*, id eſt, imitando calorem æſtivum, qui à natura eſt, ex Lipſio ibid.) bruma lilium florem vernum exprimunt?

5. *Simplici myrto nihil allabores, &c.*] Nihil volo præter myrtum, itaque ne quid ultra quærere ad convivii hilaritatem ſatagas. Intelligit autem vel myrti ramum, quem olim convivæ alter alteri porrigebant, ſuam quiſque edendo cantilenam: ex Plutarcho, in Sympoſ. & Victorio lib. 16. cap. 2. ubi ſic ſcribit: *Qui in conviviis olim carmina cantabant, myrtum laurumve manu tenebant: laurum, qui verſus Homericos recitarent; myrtum, qui Æſchyli, Simonidis, Steſichori.* Vel implexam ſimpliciter e myrti ſurculo coronam. Athen. cit. lib. 15. cap. 5. *Jam inde voluptatibus illecti homines, præter eam vim qua ebrietatis incommodis medetur corona e floribus, oculorum quoque & narium delectationem expetiverunt: ac tum maxime coronam myrteam, quæ aſtringit, & vini arcet exhalationes; tum etiam e roſis, quæ gravitatem capitis ſedat, & æſtuantes potione refrigerat, uſurpârunt.* Et cap. 6. *Heroſtratus myrtos extemplo virentes conſecravit in æde Veneris, ejuſque dicatâ imagine, ſpectatiſſimos civium ad epulum vocavit in delubrum, eorumque ſingulos corona donavit myrtea, quam Naucratitam appellarunt.* Additque, nihil aliud eſſe coronam illam ab Anacreonte geſtatam, præter myrteam adjectis roſis: verumque ſe arbitrari, quod prodidit Philænides: e myrto coronam meri vapores prohibere; e roſis autem, refrigerando vim habere leniendi capitis dolores.

6. *Neque te miniſtrum Dedecet myrtus.*] Tu quoque ſatis decorus & ornatus mihi videberis ſimplici myrto, cum mihi potanti miniſtrabis. Perſæ contra, more ſuo luxurioſi, pueros ſeu miniſtros in conviviis optabant ſuccinctos & lemniſcatis coronis exornatos. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21. ait pariter; *Feſtis diebus coronatos cum lemniſcis veteres epulari conſueviſſe; fercula quoque lautiora a coronatis item miniſtris afferri ſolita cum cantu & tibicine.* Athenæus autem lib. 15. cap. 10. ex Philoxeno ſic refert: *Aqua lavandis manibus allata eſt: molluſculus puellus argenteo gutto, quem tenebat, affudit; deinde coronas advexit tenues e puris myrti ramis, magno labore contextas.*

7. *Neque me ſub arcta Vite bibentem.*] Mihi pariter ſufficiet myrtus ſimplex confidenti quidem, & hilariter bibenti, non ut Perſæ ſub lacunari ſplendido, ſed ſub vitis umbraculo, ſub humili & arcta vite, id eſt, ſub palmitibus & pampinis pergula intextis & ſuffultis: *Sous la treille* *Angl.* Under an Arbour made of a Vine.

1876, Feb. 24

Q. Horatii Flacci

Carminum, ſeu Odarum,

LIBER SECUNDUS.

ODE I.

C. Aſinium Pollionem monet ne bella civilia deſcribere intermittat: tum laudat ejus ſcripta.

MOTUM ex Metello conſule civicum, [146]
Bellique cauſas, et vitia, et modos,

Bella civilia a Metelli conſulatu, & diſcordiarum origines, criminaque, & rationes, &

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. lib. 1.

1. *Metello conſule.*] Plures hujus nominis cum fuerint Conſules, ambigitur ſane, de quo potiſſimum loquatur Horatius. Verum ex adjunctis tamen intelligendus maxime videtur Q. Metellus Celer, qui conſulatum geſſit cum L. Afranio, anno ab Urbe condita 690. vel, ut aliis placet, 693. Sub his enim bellum exarſit Cæſarem inter et Pompeium, ut fuſè narrat Florus lib. 4. cap. 2. Res itaque per annos circiter viginti, civilibus diſſidiis geſtas, hoc eſt, ab eo, quod notavi, tempore, ad ſuum uſque conſulatum Pollio perſequebatur. Sed Pollionis hiſtoriam altius repetitam volunt alii, nempe a conſulatu Q. Metelli Numidici, qui fuit Conſul cum M. Junio Silano, an. U. C. 641. vel 644, ſecundum alios: afferuntque teſtimonium vetuſtiſſimi codicis, in quo ſic annotatum legitur: *ex Metello*, id eſt, ex eo tempore quo Metellus fuit Conſul contra Jugurtham. Sed quæ fides? Certe negotium mihi faceſſit majus eorum ſententia, qui Torrentio duce, intelligunt Q. Metellum Scipionem a Pompeio tertium Conſule in Collegam adſcitum, anno U. C. 701. quoniam lata eſt tunc ea lex, quâ a petitione Magiſtratuum abſentes arcebantur, ne excepto quidem Cæſare: Sueton. Jul. Cæſar. cap. 28. nam & cap. ſeq. *Commotum his Cæſarem*, & paulo poſt, *Prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuiſſe*, idem teſtatur. Non moror Q. Metellum Pium cum Syllâ Conſulem, an. 673. quem afferunt quidam nullo certe, aut levi admodum fundamento.

3. *Bellique cauſas.*] Aliæ fuerunt ſimulatæ, aliæ veræ: hæ profecto erant odium & invidia partium, Ducum autem ſuperbia, avaritia, ambitio, dominandi cupiditas. Lucan. 1, 126.

Nec quenquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem,
Pompeiuſve parem. ———

Alias vero Principes ipſi obtendebant, Pompeius defenſionem libertatis publicæ; Cæſar factam ſibi contumeliam, &c. Vide Suet. Jul. Cæſar. cap. 28. 29, 30. Flor. lib. 3. cap. ult. & l. 4. c. 2. & ſeq. Plutarch. Appian. Oroſ. Dion. Cæſar. etiam de Bell. Civil. lib. 1. c. 4. ubi ſic habet; *Ipſe Pompeius ab inimicis Cæſaris incitatus, & quòd neminem dignitate ſecum exæquari volebat, totum ſe ab ejus amicitia averterat, & cum communibus inimicis in gratiam redierat; ſimul infamiâ legionum permotus quas ab itinere Aſiæ Syriæque ad ſuam potentiam dominatumque converterat, rem ad arma deduci ſtudebat, &c.* De

& fortunæ jocum, & ducum conſenſiones Reipublicæ damnoſas, & arma nondum luſtrato ſanguine conſperſa deſcribis; argumentum ſane periculoſum & lubricum:

Ludúmque fortunæ, graveſque [147]
Principum amicitias, et arma [148]
Nondum expiatis uncta cruoribus;
Periculoſæ plenum opus aleæ

ANNOTATIONES.

ſ, eipſo vero ſcribens, c. 7. ita queritur: *Novum in Republica introductum exemplum, ut Tribunitia interceſſio armis notaretur atque opprimeretur, quæ ſuperioribus annis eſſet reſtituta* & c. 9. *ſibi ſemper Reipublicæ primam dignitatem, vitaque potiorem: doluiſſe ſe quod populi Romani beneficium ſibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur ereptoque ſemeſtri imperio in urbem retraheretur, &c.*

Et vitia, & modos.] Vitioſos modos, improbas agendi rationes. *Jus datum ſceleri*, quod ait Lucanus 1, 2. Florus cit. 4, 2, 2. Marianam Cinnanamque rabiem, Syllanamque tempeſtatem; Cæſaris furorem atque Pompeii vocat. Et paulo poſt. *Non recte tantum civile, nec ſociale, aut externum* dici bellum oportere, ait, *ſed commune quoddam ex omnibus, & pluſquam bellum. Quippe ſi duces ejus inſpicias, totus ſenatus in partibus: ſi exercitus, hinc undecim legiones, inde decem & octo, flos omnis & robur Italici ſanguinis: ſi auxilia ſociorum, hinc Gallici Germanique delectus; inde Deiotarus, Ariobarzanes, &c. . . , ſi moram belli, quatuor anni, & pro clade rerum breve tempus; ſi locum & ſpatium ubi commiſſum eſt; intra Italiam, inde ſe in Galliam Hiſpaniamque deflexit, reverſumque ab occaſu, totis viribus in Epiro Theſſaliaque conſedit: hinc in Ægyptum ſubito tranſiliit: inde reſpexit Aſiam: inde Africæ incubuit: poſtremo in Hiſpaniam regyravit, & ibi aliquando defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim prius quam in urbe ipſa, medio Senatu, eorum qui victi erant, odia victoris ſeſe cæde ſatiarent, &c.* & hi quidem *modi*, hæc belli *vitia*, Ducum autem pravas affectiones quis non intelligebat? Flor. 4, 2, 14. *Pompeio ſuſpecta Cæſaris opes, Cæſari vero Pompeiana dignitas erat gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille ſuperiorem. Nefas! ſic de principatu laborabant, tanquam duos tanti Imperii fortuna non caperet, &c.* & 4, 2, 21. *Pompeius ab Italia, quam Senatus ab urbe, fugatur prior. Quam pæne vacuam metu Cæſar ingreſſus, Conſulem ſe ipſe facit. Ærarium quoque ſanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, juſſit effringi: cenſumque & patrimonium Populi Romani ante rapuit, quam Imperium.* Hiſce tamen tam violentæ cupiditatis conatibus Juris ſpeciem pretexebat. Cæſ. de Bell. Civil. lib 1, 22. ſcribens: *Se non maleficii cauſa ex provincia egreſſum, ſed uti ſe a contumeliis inimicorum defenderet, ut Tribunos plebis ex civitate pulſos in ſuam dignitatem reſtitueret; ut ſe & populum Romanum paucorum factione oppreſſum in libertatem vindicaret.* Et apud Suet. Jul. cap. 30. Aſinius Ipſe Pollio teſtatur Cæſarem Pharſalica cæſos acie cernentem adverſarios, in hæc erupiſſe verba: *Hoc voluerunt: tantis rebus geſtis C. Cæſar condemnatus eſſem, niſi ab exercitu auxilium petiiſſem.*

3. *Ludumque fortunæ.*] Quæ gaudet res quietas miſcere; hos attenuare, illos imo tollere de gradu; vertere funeribus triumphos. Vide ſupra lib. 1. Ode 34. & 35. & Flor. ante cit. *Turpe dictu: modo princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum a ſe mare, lacerâ & inermi nave fugiebat.*

Graveſque principum amicitias.] Triumviratum nempe, quo nihil unquam fuit bonis ac Reipublicæ gravius. Cato dicebat non ex inimicitiis Cæſaris & Pompeii, ſed ex ipſorum & Craſſi ſocietate & amicitia proveniſſe omnia Reipublicæ mala. Hos igitur *Principes* intellige: vel Auguſtum, Lepidum, & Antonium: qui certe omnes rem ſuam, non publicam, quærentes imperii Populique Romani libertatem peſſundederunt. Lucan. 1, 98.

Tempus ad Auguſti manſit concordia diſcors;
Paxque fuit non ſponte Ducum.———

4. *Arma Nondum expiatis uncta cruoribus.*] Bella vix dum bene ſopita, recrudeſcentes quotidie diſſenſiones, *nec finita cum bello partium odia*, ut ait Flor. cit. Theodorus Marcilius explicat, cives armiluſtrio nondum expiatos, nondum acto cenſu, nec luſtro condito; tunc nimirum cives omnes in Campum Martium armati conveniebant, ibique ſacrificiis, ſive ſuovetaurilibus luſtrabantur. Dionyſ. Halicarn. lib. 4. Antiq. Rom. ſcribit. *Servium Tullium cives omnes in maximum ante urbem campum in armis convenire juſſos & in ſuos quoſque ordinibus conſtitutos expiaſſe, tauro, ariete, & hirco, ter exercitum circumductis, moxque immolatis: atque cenſu peracto eam purgandi rationem apud Romanos hactenus obſervatam ab iis, qui ſacratiſſimum obtinent magiſtratum, Luſtrumque appellatam.* Hæc vero jam potius rerum Auguſtus religioſe præſtitit anno ſui regni 16. cum anno præcedenti, celebri triumpho Romam ingreſſus, Cleopatræ liberos ante currum duxiſſet: atque Nicopoli juxta Actium condita, ibidem agonem Actiacum inſtituiſſet. Euſeb. Chron. Vide Varronem lib 5. de Ling. Lat. Tit. Liv. lib. 1. cap. 28. & 44. Feſtum in Armiluſtrio; Aſconium, Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27. Horat. Od. 1, 2, 29.

Cui dabit partes ſcelus expiandi
Jupiter?———

6. *Periculoſæ plenum opus aleæ Tractas.*] Mo-

Tractas

Tractas: et incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.
Paulùm ſeveræ Muſa Tragœdiæ
Deſit theatris: mox ubi publicas [149]
Res ordinâris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Inſigne mœſtis præſidium reis,
Et conſulenti, Pollio, curiæ;
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho. [150]

& ambulas per ignes ſub fallaci latentes favillâ. A ſcenâ tantiſper abſit auſteræ Muſa Tragœdiæ: deinde cum belli civilis deſcripſeris hiſtoriam, reſumes ſtylum Tragicum, ô præclarum ſolatium triſtibus reis & Senatui conſilium expoſcenti, Pollio; cui laurea immortale paravit decus in triumpho Dalmatico.

ANNOTATIONES.

net Pollionem Horatius, ne properet ſuum de bellis civilibus opus, ſeu poema, ſeu hiſtoriam evulgare; ſed potius exſpectet donec compoſitæ res ſint, cum metuenda non erit amplius cujuſquam offenſio.

7. *Incedis per ignes Suppoſitos cineri doloſo.*] Recenti nempe injuriarum memoriâ flagrantibus adhuc diſcordiis, poſſet res ex fide hiſtoriæ narrare & perſequi, citra plurimorum offenſionem? Certe ut e ſcintillis ſub cinere latentibus incendium; ita e potentium vituperatione ſuboriuntur iræ, odia, ultio.

9. *Paulum ſeveræ Muſa Tragœdiæ deſit theatris.*] Seu Tragœdia, cui præeſt Melpomene, ſeu hiſtoria bellorum civilium res Tragicas complectens, cui præſidet Clio, ne proferatur in lucem ante commodum tempus. At ubi pro Conſulis auctoritate & diligentiâ res turbatas pacaveris, tum vero edes quæ a te gravi ſtylo ſcripta ſunt. Certe Pollionem Tragœdias ſcripſiſſe, & belle quidem, ſatis indicat Virg. Ecl. 8. v. 9 ubi ait:

En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem,
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Nec enim de Augusti Ajace imperfecto intelligunt ea verba docti, ſed de Pollionis Tragœdiis: ſicut & Dalmaticum ejuſdem triumphum notant aperte quæ ſequuntur & præcedunt.

Sive oram Illyrici legis æquoris
. . . .
——— *hanc ſine tempora circum*
Inter victrices hederam tibi ſerpere laurus.

Horat. Sat. 1, 10, 42.

————*Pollio regum*
Facta canit pede ter percuſſo:

Id eſt, Senariis verſibus Iambicis, quorum uſus eſt in Tragœdiis. Servius autem in Eclog. 3. ad v. 86. *Pollio & ipſe facit nova carmina*, citat hanc Horatii Oden, ut Tragœdiarum ſcriptorem probet fuiſſe Pollionem.

12. *Cecropio cothurno.*] Cothurnus Tragœdorum altus & ſublimis calceus poni ſolet pro excelſa & magnifica oratione, qualis decet Tragœdiam, cujus origo ex Athenis, ubi regnavit Cecrops: claruerunt autem primi Tragœdiarum ſcriptores Theſpis, Æſchylus, Sophocles, Euripides.

13. *Mœſtis præſidium reis.*] Seu quod dicendi facultate clariſſimus multos in foro defenderat; Seu quod Senatores aliique proceres, qui contra Auguſtum ſteterant, ad Pollionis confugientes patrocinium, in Cæſaris gratiam redire, veniamque impetrare ſatagebant: quibus ille opitulari, ut & Horatio, Virgilioque, præſidiumque ſalutis eſſe non detrectabat, perinde ac Mæcenas Od. 1. lib. 1.

14. *Conſulenti curiæ.*] Tum quia dare conſilia laboranti curiæ Pollio Conſul debebat; tum vero maxime quòd ob ſummam prudentiæ laudem, nec minorem apud viros principes gratiam, de conſtituendæ Reipublicæ rationibus, rebuſque componendis a Patribus enixe conſulebatur.

Pollio.] Is orator, poeta, & hiſtoricus non vulgaris, exercituum etiam ductor non inglorius, conſulatum laudabiliter geſſit cum Cn. Domitio Calvino, an. U. C. 713. Ejus meminere Quintil. pluribus in locis; Sueton. tum in Cæſare cap. 30. & 55. tum de illuſtr. Gram. cap. 10. Dio. lib. 47. 49. 55. Tacit. lib. 6. Seneca lib. de Tranquill. Animi, ſub finem; & Epiſt. 100. Vell. Paterc. lib. 2. Plin. lib. 7. cap. 30. & alibi; Plut. in vita Cæſ. &c. Virgilium autem Bucolica Pollioni inſcripſiſſe non dubitant eruditi, ut Mæcenati Georgica, Æneida Auguſto.

15. *Cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumpho.*] Qui laudem & gloriam nactus es nunquam intermorituram tum cùm lauro, ex more, coronatus triumphaſti de Salona Dalmatiæ urbe a te expugnatâ. Inde Salonium vocavit ille natum eo tempore filium, cujus Genethliacon canit Virgil. Eclog. 4. Fueritne Pollio Conſul antequam triumpharet, an triumphum duxerit ante conſulatum, diſputant aliqui, ſed quid hæc ad nos, & ad hunc Horatii locum?

Jamjam aures verberas minaci tubarum ſonitu: jam clangunt litui: jam ſplendor armorum percellit equos fugientes, & equitum faciem. Jam videor audire ſummos Principes glorioſo pulvere ſqualidos, omnemque terrarum orbem domitum, excepto Catonis animo invicto.

Jam nunc minaci murmure cornuum
Perſtringis aures: jam litui ſtrepunt:
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitúmque vultus.
Audire magnos jam videor duces, [151]
Non indecoro pulvere ſordidos;
Et cuncta terrarum ſubacta,
Præter atrocem animum Catonis.

ANNOTATIONES.

17. *Jam nunc minaci murmure cornuum, &c.*] Belli tumultum, prælii ſtrepitum, clangentium & increpantium tubarum quaſi minas ac terrorem ſic depingis, O Pollio, ut his adeſſe videatur ſibi quiſquis tua ſcripta perlegit. Quod ſit per hypotypoſin, quam & hic Horatius præbet egregiam, tam graphicè exprimens ea ipſa quæ laudat in Pollione, ut ea veluti ponat ob oculos, rerumque atrocitate mentem concutiat.

Cornuum.] Varro lib. 4. de Ling. Lat. *Cornua dicuntur, quod ea quæ nunc ſunt ex ære, tunc ſiebant ex bubulo cornu.*

Murmure cornuum Perſtringis aures.] Cæſar Bell. Civil. lib. 3. cap. 92. *Neque fruſtra antiquitus inſtitutum eſt, ut ſigna undique concinerent, clamoremque univerſi tollerent: quibus rebus & hoſtes terreri, & ſuos incitari exiſtimaverunt.* Contra tamen alii ſenſere, teſte Gell. Noct. Attic. lib. 1. cap. 11. ex Homero: *Aſt ibant taciti ſpirantes robur Achivi.* Additque: *Quid ille vult ardentiſſimus clamor Romanorum militum, quem in congreſſibus præliorum fieri ſolitum ſcriptores annalium memoravere? Contrane inſtitutum fiebat antiquæ diſciplinæ? Utrumque probabile. Nam tum etiam gradu clementi & ſilentio eſt opus, cum ad hoſtem itur in conſpectu longinquo procul diſtantem. Cum vero prope ad manus ventum eſt, tum jam e propinquo hoſtis & impetu propulſandus & clamore terrendus eſt? &c.*

19. *Fugaces Terret equos, equitumque vultus.*] Cæſar de Bell. Civil. lib. 3. cap. 49. *Cum recentes atque integri defeſſis ſucceſſiſſent, alii autem a tergo adorirentur, ſuſtinere Pompeiani non potuerunt, atque univerſi terga verterunt . . . . . . Primum equitatus eſt pulſus . . . . . Pompeius ut equitatum ſuum pulſum vidit, cui maxime confidebat . . . . . protinus ſe in caſtra equo contulit, &c.* Quare vero tacet hic Cæſar ſuum illud ſtratagema, quo maxime hoſtium fuga, & ſtrages, ſibique victoria contigit? Nimirum ex Plutarcho, Appiano, Lucano, aliiſque, cohortibus ſuis mandaverat Cæſar, ut adverſariorum ora, oculos, vultuſque gladiis peterent. Flor. lib. 4. cap. 1. *Obequitantis Cæſaris exceptæ voces, altera cruenta, ſed docta, & ad victoriam efficax:* MILES, FACIEM FERI: *altera ad jactationem poſita;* PARCE CIVIBUS. Dolus an virtus quis in hoſte requirat? Sua certe Cæſarem non fefellit callida mens. Enimvero ſciebat Pompeianos omnes fere nobiles, ætatis flore oriſque venuſtate nimium quantum affectos, nunquam laturos impetum & ignominiam iſtam, atque ea vultus deformatione, a qua abhorrebant, in fugam avertendos. Flor. cit. *ſtragem fugientis equitatus levis armaturæ ruina comitata eſt. Tunc terrore latius dato, turbantibus invicem copiis, reliqua ſtrages quaſi una manu facta eſt.*

21. *Audire magnos jam videor duces.*] Utriuſque partis imperatores ante prælium orationes incitantes militum animos virtutemque acuentes, pollicitis etiam & obteſtationibus adhibitis. Suet. Jul. Cæſ. cap. 33. *Pro concione fidem militum flens, ac veſte a pectore diſciſſa invocavit. Exiſtimatur etiam equeſtres cenſus pollicitus ſingulis, per quos dignitatem ſuam defenſurus eſſet, &c.* Vel *audire videor duces* victæ partis ſubactam deflentes cauſam meliorem, atque peſſumdatam libertatem & Rempublicam.

Magnos duces.] Pompeium in acie Pharſalica profligatum: Labienum, Afranium, Jubam, in Africa: Pompeii filium in Hiſpania ad Mundam urbem: ejuſque fratrem Sextum Pompeium, qui Corduba in Siciliam, & hinc in Aſiam fugiens tandem ab Antonianis ibi cæſus eſt.

22. *Non indecoro pulvere ſordidos.*] In ipſo conflictu, mediaque acie per ſingulos ordines diſcurrunt interdum duces, hos illoſque ad ſtrenue pugnandum adhortantur, non verbis ſolum, ſed & exemplo, glorioſo proinde ipſi pulvere conſperſi. Apud Livium paſſim. Flor. cit. de Philippenſi certamine. *Multus in eo prælio Cæſar fuit, mediuſque inter imperatorem & militem. Voces quoque obequitantis exceptæ, &c.* Apud Mundam vero idem Cæſar, *ablegato equo, ſimilis furenti primam in aciem procurrit. Ibi prenſare fugientes, confirmare: per totum denique agmen, oculis, manibus, clamore volitare.* Vel ſi referas ad poſteriorem interpretationem mox allatam, *pulverem* accipe, in quo volutantur occumbentes pro patria & libertate civium. Vide lib. 2. Od. 1. v. 3. Od. 15. v. 20.

24. *Præter atrocem animum Catonis.*] Cato apud Uticam interire maluit, quam hoſtium

Juno

Juno et Deorum quiſquis amicior
Afris, inultâ ceſſerat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthæ.

[152] *Juno aliique Dii qui Africanis faventes demigraverant in arva, terrâ illâ non vindicatâ; victorum poſteros Jugurthæ immolarunt inferias.*

ANNOTATIONES.

patriæ, qui jam vicerant atque omnia pæne tenebant, faciem videre. Plutarch. De eo Cæſar dixiſſe narratur; *Tuam ego tibi mortem invideo, Cato, quia tu mihi ſalutem tuam invidiſti.*

Lucan. 1, 128. *Victrix cauſa Deis placuit;*
ſed victa Catoni.

Flor. cit. *In Africa cum civibus multo atrocius quam in Pharſalia ..... ſatis ample ſonabant in Pompeiani nominis locum Cato & Scipio. Acceſſit copiis Mauritaniæ rex Juba, videlicet ut latius vinceret Cæſar. Nihil ergo inter Pharſaliam & Thapſum, niſi quod amplior, eoque acrior, Cæſarianorum impetus fuit, indignantium poſt Pompeium, creviſſe bellum .... Cato non interfuit bello: poſitiſque apud Bagradam caſtris Uticam velut altera Africæ clauſtra ſervabat. Sed accepta partium clade, nihil cunctatus, ut ſapiente dignum erat, mortem etiam lætus acciviit ...... perlecto noſte ad lucernam Platonis libro qui immortalitatem animæ docet, paululum quievit: tum circa primam vigiliam ſtricto gladio revelatum manu pectus ſemel iterumque percuſſit, &c.* Bene ergo Poeta ait *cuncta terrarum ſubacta*, ſed non ſubactum Catonis animum *atrocem*, id eſt, invictum, intrepidum, flecti neſcium, denique Porcia gente ac ſeveritate ſuperbum.

25. *Juno & Deorum quiſquis amicior Afris, &c.*] Dii qui Numidis in bello Jugurthino favebant, cum tunc eos defendere non poſſent, urgentibus nimirum fatis, cumque amicam ulciſci terram ac gentem non liceret, ſuum in Romanos odium diſtulerunt, tandemque expleverunt, quando victores ipſos, aut eorum nepotes velut hoſtias mactarunt, atque inferias Jugurthæ & Afrorum manibus in Africa ipſa dederunt ac retulerunt; tum nempe cum ad Thapſum urbem Africæ maritimam quinque hoſtium myriades interfecit Cæſar, adnitente quidem Aſinio Pollione una die tribus exercitibus ſuperatis, conſularibus ac prætoriis viris compluribus, aut captis aut cæſis aut ad voluntariam necem adactis; victis denique Scipione, Afranio, Juba, Catone. Plutarch in vita C. Cæſaris, Florus, &c.

Juno.] Virgil. Æneid. 1. v. 16. Carthaginem Junoni dilectam oſtendit eis verbis.

Carthago ....
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabitâ coluiſſe Samo. Hic illius arma,
Hic currus fuit; hoc regnum Dea gentibus eſſe,
Si qua fata ſinant, jam tum tenditque fovetque.

26. *Ceſſerat.*] Demigrârat inde, velut reſiſtere fatis impotens. Ex veteri porro conſuetudine Romanorum evocabantur ex obſeſſis urbibus Dii earum Tutelares. Solenne illud evocationis carmen refert Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 9. *Si Deus, ſi Dea eſt, cui populus civitaſque Carthaginienſis eſt in tutela; teque, maxime ille, qui urbis hujus populique tutelam recepiſti, precor venerorque, veniamque a vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginienſem deſeratis; loca, templa ſacra, urbemque relinquatis, abſque his abeatis: eique populo civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis; proditique Romam ad me meoſque veniatis: noſtraque vobis loca, templa ſacra, urbs acceptior probatiorque ſit: mihi quoque, populoque Romano, militibuſque meis præpoſiti ſitis, ut ſciamus intelligamuſque. Si ita feceritis, voveo vobis templa ludoſque facturum.*

27. *Victorum nepotes.*] Scipionis Africani, qui victo Annibale vectigalem populo Romano fecerat Carthaginem, nepos Q. Scipio primo quidem in Cæſarianos bellum non infeliciter gerens, ab iis demum profligatus occubuit, ut ante dixi. Appian. lib. 2.

28. *Rettulit inferias.*] In mortuorum ſacris olim Juvenes inferebantur mactabanturque ad placandos horum ſanguine illorum manes: poſtea gladiatores introducti ad tumulos defunctorum pugnantes. Cum vero dux in acie cæſus eſſet, capti ex hoſtibus ad ejus ſepulchrum immolabantur, ac velut inferiæ ei mittebantur. Iliad. 23. v. 175. Achilles Patrocli manibus placandis duodecim Trojanos mactat, atque in ejus pyram injicit. Virg. Æneid. 10. v. 517.

.... Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Uſens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.

Jugurtha.] Is rex Numidarum, acri vir impigroque ingenio, manu promptus, & gloriæ militaris appetens, magnum & atrox variaque victoria cum populo Romano bellum geſſit, donec miſſus in Numidiam Marius Jugurthæ fregit opus, ipſumque ad extrema compulit. Is enim ad Bocchum Mauritaniæ regem fugere coactus; ab ipſo proditus, ac Syllæ traditus eſt, a quo, perductus ad Marium, hujus triumphum decoravit: denique truſus in carcerem, illic mœrore contabuit. Salluſt.

 Quis

Quis ager pinguior Latinorum cruore non exhibet tumulis infanda certamina, & cadentis Italiæ fragorem Medis auditum? Quæ vorago, quive fluvii non noverunt pugnas funeſtas? Ecujus maris colorem non mutârunt Italicæ ſtrages? Quæ regio non imbuta noſtro ſanguine? Verum ô Muſa audacior, ne dimiſſis ludis, Ceios luctus reponas: mecum potiùs *ſub Dionæo ſpecu tenta modulos pectine leviori.*

Quis non Latino ſanguine pinguior [153]
Campus ſepulchris impia prælia
Teſtatur, auditúmque Medis
Heſperiæ ſonitum ruinæ?
  Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? Quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?
Quæ caret ora cruore noſtro?
  Sed ne relictis muſa procax jocis,
Ceæ retractes munera næniæ; [154]
Mecum Dionæo ſub antro
Quære modos leviore plectro.

ANNOTATIONES.

29. *Quis non Latino ſanguine pinguior Campus.*] Iſtum Poetæ noſtri a Pollionis laudatione ad civilium bellorum deplorandas clades & ærumnas tranſitum non probat Scaliger, cum tamen Pindarus aliique inſignes Poetæ frequentius nihil habeant, nihilque ornatius quam ejuſmodi digreſſiones; iiſque ſummam artem exhibere ſoleant.

31. *Auditumque Medis Heſperiæ ſonitum ruinæ.*] Tantam Romanorum cladem, & tam famoſam, ut remotiſſimis uſque ad orientem populis audita ſit. De *Medis* & *Heſperia* dixi lib. 1.

34. *Dauniæ.*] Id eſt, Apuliæ, ut notavi lib. 1. Hanc vero memorat Horatius, eo quod per Adriaticum mare Cæſar Brunduſio profectus Pompeium inſecutus ſit. Vide Comment. Cæſar. de Bell. Civil. lib. 1. cap. 27. & ſeq. & lib. 3. cap. 2. & ſeq. ubi hie habetur. *Dictaturâ ſe abdicat Cæſar, ab urbe proficiſcitur, Brunduſiumque pervenit. Eo legiones duodecim, equitatum omnem venire juſſerat. Sed tantum navium reperit, &c. . . . . . gravis autumnus in Apulia circumque Brunduſium . . . . . &c.*

35. *Decoloravere cædes.*] Lucanus, 2, 714.

Hic primum rubuit civili ſanguine Nereus.

36. *Quæ caret ora cruore noſtro?*] Vid. Supra Annot. ad v. 2. ubi e Floro verba hæc retuli: *Bellum intra Italiam, inde ſe in Galliam, Hiſpaniamque deflexit; reverſumque ab occaſu, totis viribus in Epiro Theſſaliaque conſedit: hinc in Ægyptum, inde in Aſiam, rurſumque in Africam, poſtremò in Hiſpaniam remigravit, &c.*

37. *Sed ne relictis Muſa procax jocis, &c.*] Ad ſeipſum convertitur Horatius: Quò vero progrederis, mea Muſa? inquit. Quidve refricas obducta vulnera? Et cur ab inſtituto recedimus? Ne relictis jocis mihi familiaribus, & cantilenis facetis & amatoriis, ad graviora pariter ac triſtiora deflectamus: Ergo tenuiores potius modulos atque jocularia carmina more noſtro conſectemur. Certe leviora iſta minori periculo tractabimus.

38. *Ceæ munera næniæ.*] Luctuoſos verſus velut inditos a Nænia Dea; de qua Cœl. Rhodig. lib. 29. cap. 3. vel lugubre carmen, quod primus invexit Lyricus Poeta Simonides, e Cea inſula oriundus; quæ una e Cycladibus eſt. Ovid. Ep. 20, 222.

Cingitur Ægeo nomine Cea mari.

Doricam ille ſecutus eſt Dialectum. Quintil. lib. 10. cap. 1. ſic habet: *Simonides tenuis, alioqui ſermone proprio, & jucunditate quadam commendari poteſt: præcipua tamen ejus in commovenda miſeratione virtus, ut quidam in hac eum parte omnibus ejuſdem operis auctoribus præferant.* Hoc idem teſtatur Dionyſ. Halicarnaſſ. Refert Suidas Steſichoro poſteriorem, Melicerten cognominatum ob ſuavitatem; Threnos, Encomia, Tragœdias, & alia ſcripſiſſe, &c. Meminit & alterius Simonidis Ceii, qui prioris fuerit e filia nepos, & ſcripſerit quædam ante bellum Peloponneſiacum.

Næniæ.] Ex Non. Marcello carmen eſt inconditum, quod mulier dicta præfica exhibet his, quibus mortuis propinqui non eſſent. Ex Varrone 4. de vita populi Romani, ad tibiae fides cantari ſolebat. Cic. de Leg. 2. n. 61. *Honoratorum*, inquit, *virorum laudes in concione memorantur; eaſque ad cantus & tibicinem proſequuntur, cui nomen Næniæ: quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.*

39. *Mecum Dionæo ſub antro.*] Dionæa modulemur carmina, id eſt, Amatoria & Venerea, ut dixi, vel fortaſſe in honorem Auguſti, qui ducit genus a Venere, cujus matrem Dionem celebrat Homer. Iliad. 5.

40. *Leviore plectro.*] Stylo mediocri. Pollio quidem ſublimi & heroico verſu Tragica deſcribit: nos autem leviori decet canere Lyrica.

ODE

ODE II. Ad C. SALLUSTIUM CRISPUM.

Divitiarum non poſſeſſio, ſed contemptus ac laudabilis uſus beatum facit.

NUllus argento color eſt, avaris
Abditæ terris, inimice lamnæ, [155]
Criſpe Salluſti, niſi temperato
Splendeat uſu.
Vivet extento Procúleius ævo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget pennâ metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.
Latiùs regnes, avidum domando [156]

O Salluſti Criſpe, qui averſaris laminas terris avaris conditas, certè pecunia non habet ullum ſplendorem, niſi uſu fulgeat moderato. Proculeius vigebit ætate prorogatâ, conſpicuus ob animum erga fratres paternum: illum fama perennis vehet alâ diſſolvi refugiente. Amplius dominaberis, cupidam vincendo

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 2. lib. 1.

1. *Nullus argento color eſt, &c.*] Si quid habet pecunia nitoris, id omne mutuatur a recto uſu. Quapropter, O Salluſti, jure inimicus es iis, qui opes ſuas terræ infodiunt & abſcondunt, auro & argento non utentes, quæ tamen ſunt duntaxat ad uſum facta. Ariſtot. Ethic. 4. Ὁ πλῦτος δ' ἐςι τῶν χρησίμων Cyrus apud Xenophont. *Pecuniis utimini. Nam in terram ſatis ſit corpora defodi, cum quiſque diem obierit.* Caſſiod. lib. 4. Epiſt. 34. *Divitiis auri vena ſimilis eſt reliquæ terræ, ſi jaceat: uſu creſcit ad pretium.*

2. *Abditæ.*] Alii legunt *abdito.* Sed quorſum tanta eâ de lectione contentio, cum par utrinque ſenſus exoriatur? *Abditæ* vero ſeu in fodinis a natura, ſeu in cavernis & terræ latebris, ab hominibus avaris, theſauros ut plurimum defoſſos cuſtodientibus.

Lamnæ.] Lamina, & per Syncopen lamna, item lamella, bractea eſt ſeu cruſta exilis ex auro, argento, aliove metallo; ponitur hic pro pecunia, Sunt qui putent alludi ad *Æs Salluſtianum in Centronum Alpino tractu* a Salluſtio primum effoſſum. Plin. lib. 34. cap. 2. Argentum in laminis ſervari pridem ſolitum innuit Seneca de Vita Beata, cap. 21. ſcribens; *Sæculum illud, in quo Cenſorium crimen erat, paucæ argenti lamellæ.*

3. *Criſpe Salluſti.*] C. Salluſtium Criſpum rerum Romanarum ſcriptorem intellexere hactenus omnes fere poſt Acronem interpretes: verum bene Torrentius temporum rationem haud convenire ſubodoratus eſt. Enimvero de reſtituto in regnum Phraate mox Horatius; quod aliquot poſt Actiacam victoriam annis contigit. Non igitur ſcripta eſt hæc Ode ad illum Salluſtium, qui *diem obierat quadriennio ante Actiacum bellum,* teſte Euſebio in Chron. Quem igitur hic compellat Horatius? Accipe ex Annal. 3. Cornel. Tacit. *Criſpum equeſtri ortum loco Salluſtius rerum Romanarum florentiſſimus auctor ſororis nepotem in nomen aſcivit.* Hunc igitur laudat quod avaritiæ ſordes averſetur; ſolerter autem, occultè, ac velut aliud agens docet (quod infra declaro) ne impingat in majoris avunculi vitia. Is enim inter alia, ut lurco, popino, & decoctor notatus. Vide Sueton. de illuſt. Gram. cap. 15.

5. *Vivet extento Proculeius ævo, &c.*] Nunquam peribit aut deficiet memoria viri liberalitate & pietate conſpicui; qualis Proculeius, ille Romanus Eques; Auguſto ſic gratioſus, ut ei filiam nuptui dare meditatus ſit. Sororem habuit Terentiam Mæcenatis uxorem: fratres autem Scipionem & Murænam, qui Pompeianas ſecuti partes, victoris Cæſaris offenſionem incurrerunt, publicatoque patrimonio ad inopiam redacti. At Proculeius iis ſeſe velut patrem exhibens, diviſâ, quæ ſua erat, hæreditatis parte, qua victitarent ac ſuſtentarentur, reconciliationem inſuper & veniam procuravit. Vide Dion. lib. 54. Plutarch. in vita Antonii. Plin. lib. 7. cap. 45.

7. *Illum aget pennâ, &c.*] Traducet fama nomen Proculeii gloriamque ad poſteros; *Pennâ metuente ſolvi,* nunquam diſſolvendâ, celebritate. Sic alibi, *Culpari metuit fides,* id eſt, cavet culpari, ita ut nunquam culpetur. Quintil. declam. 6. *In ipſa aſtra ſublimem pennata virtus feret.* Sidon. Apollinaris lib. 8. Epiſt. 11. *Eum jure cenſeres poſt Horatianos & Pindaricos cycnos, gloriæ pennis evolaturum.*

9. *Latius regnes, &c.*] Cornel. Tacit. lib. 3. Annal. de C. Salluſtio Criſpo: *Ille quanquam prompto ad capeſſendos honores aditu Mæcenatem æmulatus, ſine dignitate Senatoriâ multos triumphalium conſulariumque potentiâ anteiit: diverſus a veterum inſtituto, per cultum & munditias*

Spiritum,

mentem, quàm ſi Libyam addas longinquis Gadibus, atque uni ſubjiciatur gemina Carthago. Sæva hydropiſis ſibi largiens ingraveſcit, neque ſitim compeſcit, donec è venis origo mali, & aquea ægritudo pallenti corpore depellatur. Virtus populo diſſentiens è numero felicium expungit Phraatem

Spiritum, quàm ſi Libyam remotis
Gadibus jungas, et uterque Pœnus
Serviat uni.
Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, et aquoſus albo
Corpore languor.
Reddituṁ Cyri ſolio Phraatem [157]

ANNOTATIONES.

copiaque & affluentia luxui propior, &c. Hunc itaque monet Poeta, ambitionem frœnare, avidum ſeu pecuniæ ſeu honoris ſpiritum domare, glorioſius eſſe quam diſſitas regiones ſub jugum mittere. Ut ergo Salluſtius ille prior quanquam Numidiæ præfectus, nequaquam inde beatior fuit, ſic nec poſterior ab ipſo adoptatus, quamvis Libyam Africæ, & Gades Hiſpaniæ provincias domet, non proinde ſelix habendus: etſi ei *uni ſerviat* ac ſubjiciatur *uterque Pœnus*, utraque Carthago, Africana quam Dido, & Hiſpanica quam Aſdrubal condidit.

11. *Gadibus.*] Gadira Ptolemæo, Gaddir ſeu Gadir apud Pœnos, hodie *Cadiz* inſula & urbs Hiſpaniæ Bæticæ a Tyriis condita. Ferrar. Γάδειρα, quaſi γῆς δειρὰ, *Terræ cervix.* Euſtath. in Dionyſ. Veriorem tamen etymologiam expiſcatus videtur, qui ſic canit:

Gadir prima fretum ſolidâ ſupereminet arce,
Attollitque caput geminis inſerta columnis.
Hæc Cotinuſa prius fuerat ſub nomine priſco:
Tarteſſumque dehinc Tyrii dixere coloni.
Barbara quinetiam Gades hanc lingua frequentat;
Pœnus quippe locum Gadir vocat undique ſeptum.

Idem teſtatur Plin. lib. 4. cap. 22. & Heſych. γάδειρα, inquit. Phœnices vocant τὰ περιφράγματα, *ſepta.*

13. *Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops, &c.*] Trita ſimilitudo, quam eleganter adhibet Poeta, at ſine apodoſi, ut alias ſæpe. Hanc vero ſic licet ſupplere. Hydropiſis non curatur, imo irritatur aquarum potu: ſic avaritia & cupiditas augeſcit, nedum ſatiatur, opum acceſſione. Juvenal. Sat. 14, 193.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Ovid. Faſt. 1, 211.

Creverunt & opes, & opum furioſa cupido:
Et, cum poſſideant plurima, plura volunt.
Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Hydrops.] Metonymia pro hydropicus. Nomen a Græco ὕδωρ, *aqua:* ὕδρωψ, morbus, Latinis aqua intercus: ejus non una ſpecies: leucophlegmatian indicant hæ voces: *Aquoſus albo Corpore languor:* quando nempe corrupto jecore, vel ſplene, non convertitur chylus in ſanguinem, ſed humore aqueo repleantur venæ aliaque minora ſpatia corporis, quod eo morbo albeſcit, Cæl. Rhodig. lib. 26. cap. 3. *Hydropiſeos tertiam ſpeciem Celſus leucophlegmatian vocat: nos albam pituitam dicere poſſumus,* inquit, &c. ubi & ceteras ejus morbi ſpecies, variaſque affectiones fuſè juxta & doctè perſequitur. Pariter & Sammonicus rite canit:

Corrupti jecoris vitio vel ſplenis, acerbus
Creſcit hydrops: aut cum ſiccatæ febre medullæ
Atque avidæ fauces gelidum traxere liquorem,
Tum lympha intercus vitio gliſcente tumeſcit,
Secernens miſeram proprio de viſcere pellem.

17. *Redditum Cyri ſolio Phraatem, &c.*] Ut porro oſtendat non eos omnes regnare, aut beatos eſſe, qui populis præſunt & imperant, affert exemplum Phraatis, qui licet in regnum ſit reſtitutus, tamen quia ſceleribus inquinârat ſeſe, minime cenſendus in beatorum numero. Atque hinc virtutis documenta inſtillat Criſpo, ne propter ſummam apud Cæſarem gratiam, pluſculum fortunæ credat, minus autem virtuti innitatur. De eo Cornel. Tacit. Annal. 1. *Salluſtius Criſpus particeps ſecretorum, &c.* Lib. 2. *Tiberius ancipiti cura diſtractus poſtremo dat negotium Salluſtio Criſpo,* ſcilicet coercendi Clementem ſervum Agrippæ nomine habituque aſſumpto res novas molientem. lib. 3. cit. *Salluſtius incolumi Mæcenati proximus, mox præcipuus, cui ſecreta Imperatorum innitererentur; & interficiendi Poſthumi Agrippæ conſcius; ætate provecta ſpeciem magis in amicitia Principis, quam vim tenuit. Idque & Mæcenati acciderat fato potentiæ raro ſempiternæ.*

Cyri ſolio.] Metonym. totum pro parte. Parthiæ regno, quod tenuit etiam Cyrus ſubacto toto Oriente. Phraatis hiſtoriam narrat integram Juſtinus lib. 42. ſub finem. *Fatum Parthiæ fecit, in qua jam quaſi ſolenne eſt reges parricidas haberi, ut ſceleratiſſimus omnium, & ipſe Phraates nomine, rex ſtatueretur. Itaque ſtatim quaſi nollet mori, patrem interficit: fratres quoque triginta trucidat. Sed nec in filiis ceſſant parricidia. Nam cum infeſtos ſibi optimates propter aſſidua ſcelera videret, ne eſſet qui nominari rex poſſet, adultum filium interfici jubet . . . cum multa crudeliter conſuleret, in exilium a populo ſuo pellitur. Itaque cum magno*

Diſſidens

Diſſidens plebi, numero beatorum
Eximit virtus, populúmque falſis
Dedocet uti
Vocibus, regnum et diadema tutum
Deferens uni, propriámque laurum,
Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

[158] *throno Cyri reſtitutum; atque emendat plebem fallaci utentem ſermone, ſecurum principatum, & imperium, atque ſpecialem gloriam attribuens ſoli, quicunque grandes cumulos rectis oculis intuetur.*

ANNOTATIONES.

tempore finitimas civitates, ad poſtremum Scythas precibus fatigaſſet, Scytharum maximo auxilio in regnum reſtituitur, &c. Phraatem ab Auguſto reſtitutum alii referunt. Vide Dion. lib. 51. & ſeq. Strabonem, &c.

18. *Numero beatorum.*] Verſus hypermeter, cujus ultima ſyllaba ad ſequentem verſum pertinet. *Eximit virtus.* Beatum plebs imperita vocet & dicat Phraatem, quod regno potitur; at *virtus* aliud omnino decernit, *eximit* enim & expungit e *numero beatorum* ſceleratos quoſque licet opulentos.

19. *Populumque falſis Dedocet uti Vocibus.*] Laborat & ſatagit, ut errorem hunc plebis excutiat, quo dives quiſque ab ea exiſtimatur ac prædicatur beatus: Stoicum vero dogma afferat, *Solum ſapientem beatum eſſe, regem, &c.* ipſa enim virtus *propriam* ſibi *laurum* & gloriam, proindeque *tutum diadema regnumque*, veram denique felicitatem ei *defert uni*, qui opes contemnit, oblatiſque auri argentique acervis adeo non movetur, ut nec oculos convertat. Sic Curius Samnitum & Pyrrhi ſprevit dona. De quo lib. 2. Od. 12. v. 41.

23. *Oculo irretorto.*] Rectis oculis, non obliquis, ſtrabis, invidiis, adeoque non ſæpe ad id quod concupiſcitur, retortis. Græci, Ὀρθοῖς ὄμμασι προσβλέπειν. Ov. Met. 2. 776. deſcribens Invidiam, ait,

Nuſquam recta acies——

Facit ad rem quod Nonius Marcellus in voce *Strabones*, refert ex Varrone, περὶ ἐπαρχιῶν, *Multi enim qui limina intrarunt integris oculis, ſtrabones ſunt facti: habet quiddam enim ἑλκυστικὸν provincialis formoſula uxor.* Lucil. l. 27. *Nulli me invidere, non ſtrabonem fieri ſæpius deliciis me iſtorum.* Vel, *oculo irretorto*, id eſt, aſpectu ſimplici, nec iterato; quod contemptum indicat, ſenſumque noſtri Poetæ plane aſſequitur, ſine tot ambagibus, quibus non raro interpretes auctoris ſententiam involvunt impediuntque, dum expedire & explanare ſatagunt. Vox tamen ſequens *ſpectat*, aliquid amplius innuere videatur; eum nempe qui ingentes acervos contemplatur fixis, immotis, conſtantibus oculis, ut auri fulgore acies oculorum non præſtringatur, aut retorqueri ac reflecti cogatur. Seneca beatum aſſerit *cui non magis auri fulgor, quam gladii perſtringat oculos.*

ODE III. Ad DELIUM.

Nec adverſis frangi, nec proſperis extolli debet moriturus, ſed moderatè lætari.

ÆQuam memento rebus in arduis
Servare mentem, non ſecus in bonis,
Ab inſolenti temperatam
Lætitiâ, moriture Deli;

[159] *Inter adverſa pariter & proſpera ſtude animum æqualem cuſtodire a laſcivienti gaudio moderatam, O Deli moriture;*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 9. lib. 1.

1. *Æquam.*] Nec ſuperbiâ elatam in ſecundis rebus, nec mœrore fractam in adverſis. Ariſtot. *Εὐτυχῶν μέτριος, ἀτυχῶν μεγαλόψυχος.* ad Theoc. 1. Euripid. autem monet: Ἔνεςι πάντων πρῶτον εἰδέναι τινὰ φέρειν, τὰ συμπίπτοντα μὴ παλιγκότως, *Primum omnium ſcire decet caſus adverſos non ægre excipere.*

3. *Ab inſolenti temperatam Lætitia.*] Eſt enim temperantia *commotionum omnium moderatrix; quæ tum a libidine avocat, tum inſolenti alacritate geſtire non ſinat.* Cic. Tuſcul. 5. n. 42. *In alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio.* 2. de Invent. n. 164.

4. *Moriture Deli.*] Quoniam ineluctabilis eſt fati vis mortiſque neceſſitas, certe non decet eum ſuperbire, qui ſe novit morti obnoxium; ſed nec debet animo cadere, cum ei quidpiam humanitùs accidit: nihilque humani a ſe alienum homo exiſtimet, æquum profectò eſt.

Deli.] Fruſtra quidam *Luc. Gellium* hic comminiſcitur. Intelligendus certe eſt Q. Delius

Seu

ſive triſtem ſemper egeris vitam, ſive genio indulſeris in feriis, bibens *Falernum reconditioris tituli, recumbens in herba ſemota, ubi alta pinus & candida populus gaudent umbram ramis conjungere hoſpitibus amœnam, & aqua ſaliens obliquo nititur alveo perfluere. Illuc vina & unguenta & valdè fluxos roſarum flores gratos* tamen *apportari cura: dum ſinunt res ac tempus, & nigra ſtamina trium Sororum.*

Seu mœſtus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Feſtos reclinatum beâris
Interiore notâ Falerni; [160]
Quà pinus ingens, albáque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis; et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.
Huc vina, et unguenta, et nimiùm breves
Flores amœnæ ferre jube roſæ;
Dum res, et ætas, et ſororum
Fila trium patiuntur atra, [161]

ANNOTATIONES.

vel Dellius, qui primum ſub Caſſii militavit ſignis, ab hoc deinde transfugit ad Antonium, tantaque apud eum gratia valuit, ut Cleopatram, quod Caſſium in bello juviſſe accuſaretur, judicium ſubituram per ipſum accerſiverit: Plutarcho teſte in vita Antonii. Is demum rebus ſuis maxime ſtudens, paulo ante bellum Actiacum relicto Antonio ſe contulit ad Auguſtum, a quo benigne exceptus, Cæſaris familiaritate opibuſque floruit. Vide Dion. Plut. cit. Sen. &c. ita ſentit Torrent. ac Theod. Marcil. contra Cruq. &c.

5. *Seu mæſtus omni, &c.*] Quandoquidem mori neceſſe eſt, ſive mœſtus vixeris, ſive lætitiæ te dederis; juvat, dum licet, indulgere genio, neque prætermittenda ætas & occaſio voluptatibus opportuna. Ergo *vina & unguenta afferri jube, &c.*

6. *In remoto gramine.*] In loco herboſo ab hominum frequentia ac tumultu ſeparato.

Per dies Feſtos.] Quibus feriari impenſiuſque lætari apud veteres inſtitutum erat.

8. *Interiore nota Falerni.*] Epulando cum amicis, & animum exhilarando exquiſitiſſimi vini potu, quod quidem in cella interiore condi ſolebat; quod erat autem minoris pretii & quotidiano uſui deſtinatum, magis ad manum ponebatur. Porro vini cadis inſcribi ſolitam epigraphen ac titulum, quibus quo loco natum, quoque tempore conditum eſſet, maxime per nomen Conſulis notabatur, nec ſciolis latet. Indicat Tull. in Bruto 286. *Si quis Falerno vino delectetur, ſed eo nec ita novo, ut proximis Conſulibus natum velit; nec rurſus ita vetere ut Opimium aut Anicium Conſulem quærat. Atqui eæ notæ ſunt optimæ. Credo: ſed nimia vetuſtas nec habet eam quam quærimus ſuavitatem, nec eſt jam ſane intolerabilis.* Vide Plin. lib. 23. c. 1. Nos etiam pridem annotavimus ad Juvenal. Sat. 5, 33.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam, titulumque ſenectus
Delevit multa veteris fuligine teſtæ.

Hic itaque *nota interior* excellentiam vini deſignat, ſeu ob vetuſtatem, ſeu ob patriam; vel utramque.

9. *Qua pinus, &c.*] Deſcriptio amœni loci, ſeu villæ Delii peramœna.

Albaque populus.] Plin. lib. 16. cap. 23. *Populi arboris tria genera, alba, nigra, & quæ Libyca appellatur, minima folio, ac nigerrima ... Alba folio bicolor, ſuperne candicans, inferiore parte viridi.*

10. *Umbram hoſpitalem conſociare amant.*] Ramis amanter junctis, inſertis, conſociatis, umbram præbent ac velut hoſpitium parant eo venientibus, ſedentibus, epulantibus.

11. *Obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo.*] Ubi rivus ſonorum edit murmur ob frequentiorem aquarum ad ripas & lapides colliſionem & conflictum, quod obliquus & flexuoſus facit alveus.

12. *Trepidare.*] Quaſi ſtrepitare; a ſtrepitu pedum ſubito currentium: unde ſignificat *metuere, & feſtinare.* Ex Non. Marcello.

13. *Huc vina & unguenta, &c.*] Iſta ad lætitiam adhiberi conſueta, fuſe docuimus lib. 1. Od. 36, 38. & alibi.

Nimium breves flores, &c.] Elegans Epigramma:

Quam longa una dies, ætas tam longa roſarum,
Quas pubeſcentes juncta ſenecta premit.
Quam modo naſcentem rutilus conſpexit Eous,
Hanc radiens ſero veſpere vidit anum.

15. *Dum res, & ætas, &c.*] Dum licet per tranquillum rerum ſtatum, per juventutem, per vitæ uſuram, quam largiuntur ac prorogant Parcæ. De his lib. 1.

16. *Fila trium patiuntur atra, &c.*] Clotho, Lacheſis, Atropos, ſorores tres mortalium vitam & fata regere ſuperſtitioſis veteribus creditæ: prima colum geſtare, penſumque velut materiam vitæ hominum: altera nere, ac ſtamen ducere

Cedes coëmptis ſaltibus, et domo,
Villâque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes; et extructis in altum
Divitiis potietur hæres.
Divéſne priſco natus ab Inacho,
Nil intereſt, an pauper, et infimâ
De gente ſub Dio moreris,
Victima nil miſerantis Orci.
Omnes eòdem cogimur: omnium [162]
Verſatur urnâ ſeriùs, ocyùs
Sors exitura, et nos in æternum
Exilium impoſitura cymbæ.

Relinques enimvero tandem *nemora pretio comparata, & ædes, & villam quam rigat flavus Tiberis, hinc demigrabis, hæres autem fruetur opibus in acervum* a te *congeſtis. Nullum diſcrimen* eſt; *ſive opulentus* fueris *antiquo ab Inacho oriundus, ſive inops atque ignobili de ſtirpe, ſub Jove* frigido *maneas*; perinde fies *victima Plutonis nulli parcentis.* Cuncti locum *in eundem compellimur. Communis agitatur ſors tardè vel citò, ex urnâ proditura, noſque navigio transvehet in perpetuum exilium.*

ANNOTATIONES.

ſeu atrum ſeu album, prout bona vel mala diſpenſantur; tertia denique filum abrumpere, vitæque terminum definire. Hinc nomen vel a partiendâ vitâ, vel a non parcendo per antiphraſin. Quid igitur Scaliger in Horatium excandeſcit, quod *atra* dicat fila, vitæ luciſque ſeriem trahentia, quæ candida potius, inquit ille, dici oportuit? At enim Ovid. in Ibin. 246, de Clotho,

Nevit & infeſtâ ſtamina pulla manu.

Ego vero *atra fila ſororum* interpretor fila Parcarum, quæ atræ morti præſunt, ipſæque dicuntur atræ, Erebo & Nocte videlicet natæ, ex Tullio 3. de Natura Deorum, n. 44.

17. *Cedes coëmptis ſaltibus.*] Tandem amœna villa, nemus, ædes opulentæ ac ſplendidæ ſunt deſerenda ac hæredi relinquenda.

18. *Tiberis lavit.*] Alluit, rigat, humectat, ex Priſciano pro, *lavat.* Dixere paſſim veteres *lavere & lavare.* Non. Marcell. Ennius. *Lavere lacbrymis veſtem ſordidam.* Virgil. Georgic. 3, 221.

Lavit ater corpora ſanguis.

21. *Inacho.*] Is Argivorum primus rex, floruit temporibus Abrahæ & Iſaac ejus filii, circa annum mundi bis milleſimum centeſimum. Virg. Æneid 7. v. 371.

Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,
Inachus Acriſiuſque patres———

23. *Sub Dio moreris*] Sive tam pauper fueris ut ſine lare, ſine foco, ſine tecto, ſub dio & aperto cœlo maneas & cubes, nihilominus te prædam Orcus ſuam faciat: a morte victus, O Deli, victima Plutoni mactaberis: *Victis hoſtibus victima proprie cæditur*, Feſtus. Ovid. Faſt. 1, 335.

Victima, quod dextrâ cecidit victrice, vocatur:
Hoſtibus amotis hoſtia nomen habet.

24. *Nil miſerantis Orci.*] Tullius 3. de Nat. Deor. n. 43. *Age porro, Jovem, & Neptunum, Deum numeras. Ergo etiam Orcus, frater eorum, Deus, et illi qui fluere apud inferos dicuntur, Acheron, Cocytus, Styx, Pyriphlegeton: tum Charon, tum Cerberus Dii putandi.* Quam vero nil miſerantem hic appellat, illachrymabilem dicet Od. 14. ſeq. Virgil. Georgic. 4. v. 489.

Ignoſcendus quidem, ſcirent ſi ignoſcere manes.

Eſt & Proverb. *Orco implacabilior.*

25. *Omnes eodem cogimur.*] Ovid. ad Liviam, 359.

Tendimus huc omnes: metam properamus ad unam.
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.

Omnium verſatur urna.] Illa nempe fatalis urna; in quam omnium mortalium nomina & ſortes conjiciuntur, verſantur; atque ut cujuſque nomen & ſors educitur, ita & mortis præda exiſtit, fatique legem, volens nolens, ſubit, lib. 3. Od. 1. v. 16. *Omne capax movet urna nomen.* Virgil. Æneid. 6. 432.

Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes.
Quæſitor Minos urnam movet.———

27. *Nos in æternum exilium impoſitura cymbæ.*] Sors educta vitæ finem imponit, ex hoc orbe ablegat animam in perpetuum, atque ad inferos tranſmittit, traducente eam per Acherontem fluvium Charonte in ſua navicula, de qua Propertius, 3, 18, 24.

Scandenda eſt torvi publica cymba ſenis.

vide lib. 1. Od. 4. & hujus lib. Od. 14.

28. *Exilium.*] Sunt qui legant *exitium.* Exules, inquit Nonius Marcellus, dicuntur extra ſolum. Virgil. Georgic. 3, 225.

—*Longeque ignotis exulat oris.*

Et poſt v. 228.

. . . *Regnis exceſſit avitis.*

ODE

ODE IV: Ad XANTHIAM PHOCEUM.

Ancillam ab eo ſine notâ poſſe adamari.

Ne pudeat te ſervam diligere, Xanthia Phoceu: ante te Achillem ſuperbum Briſeis ancilla perculit candore ſuo: *perculit* etiam *Ajacem Telamonis filium pulchritudo captæ Tecmeſſæ*, licet ejus *dominum*: *Agamemnon* pariter *inter ipſam victoriam adamavit puellam* aris *abſtractam*:

NE ſit ancillæ tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu: priùs inſolentem [163]
Serva Briſeïs niveo colore
Movit Achillem:
Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivæ dominum Tecmeſſæ;
Arſit Atrides medio in triumpho [164]
Virgine raptâ;

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2. Lib. 1.

1. *Ne ſit ancillæ, &c.*] Xanthiam Phoceum Phyllidis genere ſervili natæ amoribus irretitum conſolatur Horatius; atque heroum exemplis expugnat eam vulgi opinionem, quâ ſervilem conditionem ſic aſpernatur, ut Plautus Amphitr. ſcripſerit: *Quem Jupiter odit, ſervum hunc primum facit*: & Romani per ludibrium *ancillariolos* apellabant eos, qui ancillas ſectarentur, ac diligerent. Hinc dicaciter Martialis lib. 12. Epigram. 58. ad quendam nomine Alaudam;

Ancillariolum tua te vocat uxor: at ipſa
Lecticariola eſt: eſtis, Alauda, pares.

2. *Prius inſolentem.*] Interpretari quibuſdam placuit: non antea ſuetum amare: quaſi non meminiſſent Deidamiæ Lycomedis filiæ, ſuſceptique ex eâ Pyrrhi, qui Trojæ fatum adoleſcentulus implevit. Videtur itaque melius, *inſolentem* vocari Achillem, id eſt, *ferocem*; ſiquidem ad Piſones ſcribens Horatius 821. ita vult ut pingatur,

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer, &c.

3. *Serva Briſeïs, &c.*] Hippodamia a patre Briſe ſic dicta, quæ, Lyrneſſo urbe captâ, in prædæ partem ceſſit Achilli victori, cui poſtea ab Agamemnone erepta grave peperit diſſidium, quod Trojæ fatum remoratum eſt, ut fuſe explicui ad finem Odes 15. lib. 1.

Serva.] Jure belli capta, adeoque in ſervitutem redacta.

Niveo colore.] Colore candido, qui in formoſis ſpectatur. Homerus Junonem λευκώλενον, Virgilius niveos lacertos Veneris, Propertius niveum Adonin laudat.

4. *Movit.*] Ita quidem, ut ob eam ſibi ereptam a bello receſſerit, vixque ut alibi diximus, redierit. Homer. Iliad. 2. Ovid. Epiſt. 3. quæ eſt Briſeïdis ad Achillem. Vide & Dictyn. Cretenſem lib. 2. ubi ſcribit: *Lyrneſſum ab Achille paucis diebus pugnando captam: & propere inde expugnatam Pedaſum Lelegum urbem, ubi rex Briſes; abductamque filiam regis Hippodamiam.* Dares autem Phrygius ita deſcribit *Achillem pectoroſum, ore venuſto, membris valentibus & magnis, bene criſpatum, clementem, in armis acerrimum, vultu hilari, largum, dapſilem, capillo myrteo.* Briſeidem porro *formoſam, alta ſtatura, candidam, capillo flavo, & molli, ſuperciliis junctis, oculis venuſtis, corpore æquali, blandam, affabilem, verecundam, animo ſimplici, piam.*

5. *Movit Ajacem Telamone natum, &c.*] Dictys citatus, *Ajax*, inquit, *Telamonius iter ad Phrygas convertit, ingreſſuſque eorum regionem, Teuthrantem dominum locorum ſolitario certamine interficit, ac poſt paucos dies expugnata atque incenſa civitate, magnam vim prædæ trahit, abducens Tegmeſſam filiam regis.* Et poſtea, *Ajaci ob egregia laborum ejus facinora, Teuthrantis filiam Tegmeſſam concedunt*, Græci nempe, reliquam prædam inter ſe partientes. Dares item cit. ita deſcribit *Ajacem Telamonium valentem, voce clara, capillis nigris, in hoſtem atrocem.* Ovid. de Arte Amandi: lib. 3. v. 517.

Odimus & mæſtas: Tecmeſſam diligat Ajax.
. . . & v. 523.
Scilicet Ajaci mulier mœſtiſſima dixit;
Lux mea; quæque ſolent verba juvare viros.

7. *Arſit Atrides, &c.*] Agamemnon Atrei ex Aërope, vel Pliſthenis, ut ſcribunt alii, filius, Mycenarum & Argivorum rex, Græcorum in expeditione Trojana ſummus Imperator, in ipſo urbis excidio, media in victoria, Caſſandræ Priami filiæ amore incenſus captuſque, in prædæ partem eam depopoſcit, quæ tamen rapta ab Ajace Oileo & vitiata fuerat in ipſo Minervæ templo. Hinc Virgil. Æneid. 2. v. 403.

Ecce trahebatur paſſis Priameïa virgo
Crinibus a templo Caſſandra, adytiſque Minervæ.

Dictys Cretenſis, lib. 5. *Priamus ad aram Jovis confugit, Caſſandra in ædem Minervæ, multique ad reliqua Deorum templa . . . . Cæterum Caſ-*

Barbaræ

Barbaræ poſtquam cecidere turmæ
Theſſalo victore, et ademptus Hector
Tradidit feſſis leviora tolli
Pergama Graiis.
Neſcias an te generum beati
Phyllidis flavæ decorent parentes:
Regium certè genus, et Penates
Mœret iniquos.

poſtquam Phrygiæ cohortes profligatæ Theſſalico victore fuerant, Hectorque interemptus pertæſis Græcis dimiſit Trojam everti facilem. [165] *Quid ſi genero tibi aureæ Phyllidis parentes opulenti decus afferant? Origo profectò regia eſt; & quidem infeſtos Penates lamentatur.*

ANNOTATIONES.

ſandram Ajax Oilei e ſacro Minervæ captivam abſtrahit . . . Agamemnoni Caſſandra datur, poſtquam ejus formâ captus, quia palam deſiderium fateretur, diſſimulare nequiverat. Dares jam cit. refert *Caſſandram mediocri ſtatura, ore rotundo, rufam, oculis micantibus, futurorum præſciam:* & paulo poſt, *Agamemnonem albo corpore, magnum, membris valentibus, facundum, prudentem, nobilem.*

9. *Barbaræ poſtquam cecidere turmæ, &c.*] Poſt victos ac profligatos Trojanos ab exercitu Græcorum, maxime vero ab Achille e Lariſſa urbe Theſſaliæ oriundo.

Barbaræ.] Hoc nomine vocabantur a Græcis omnes aliæ gentes, imprimis autem Phryges & Trojani. Patet ex Dicty Cretenſi paſſim. Plutarch. de audiendis Poetis, diſparitatem Græcorum & Trojanorum commemorans, ait: *Probatam eſſe Græcorum providentiam, ferociam vero Barbarorum vitioſam:* & paulo poſt: in poteſtatem hoſtium Trojanos vivos complures veniſſe, Achæorum vero neminem; atque illorum nonnullos fuiſſe hoſtibus ſupplices, ut Adraſtum, Antimachi filios, Lycaonem, ipſumque Hectorem, qui Achillem de ſepultura exoravit: horum vero neminem: *Quod Barbarorum ſit ſupplicem eſſe in conflictibus, & ſummittere ſe ad pedes; Græcorum autem vincere dimicantem, aut occumbere, &c.* Itaque vox *Barbarus*, aliquando nihil aliud ſonat quam extraneus & peregrinus. Vide Turneb. lib. 9. cap. 18. ubi e Tuſcul. 1. n. 85. verba iſta, *Aſtante ope barbarica*, de Priamo, regno Phrygum florente, bene interpretatur, &c.

10. *Theſſalo victore.*] Quanquam a Paride jam interfectus erat Achilles, antequam Troja caperetur, is tamen rectè victor dicitur, ſine quo capi non potuiſſet, ita volentibus fatis. Vide lib. 1. Od. 15. in fine.

Ademptus Hector Tradidit feſſis, &c.] Poſtquam ab Achille peremptus Hector, adeoque Trojanis ademptus veluti ſuus clypeus, qui ſolus robore ac virtute ſingulari Græcos terrebat, ex Homero. *Quo ſtetit ſtante Ilium*, Senec. Troad. initio. Et poſtea chorus ejus ſic luget interitum: *Columen patriæ, mora fatorum, tu præſidium Phrygibus, tu murus eras, humeriſque tuis ſtetit illa decem fulta per annos. Tecum cecidit: ſummuſque dies Hectoris idem patriæque fuit.*

11. *Tradidit feſſis leviora tolli Pergama Graiis.*] Sublato ſcilicet Hectore jam capi evertique Troja facile potuit a Græcis decennali quamvis obſidione feſſis. Virgil. Æneid. 2. v. 108.

Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, & longo feſſi diſcedere bello.

Et Æneid. 9. v. 155.

——Decimum quos diſtulit Hector in annum.

Leviora tolli.] Tranſlatum ex ultimo Iliados, v. 243. ubi Priamus ſic alloquitur Trojanos de amiſſo Hectore: Jupiter mihi dolores dedit, filium ut optimum perderem: quod & vos ſentietis. *Deinceps enim Achivis faciliores eritis tolli, eo mortuo.* Ῥηΐτεροι γὰρ μᾶλλον Ἀχαιοῖσιν δὴ ἔσεσθε κείνου τεθνηῶτος ἐναιρέμεν.

Pergama.] Arces erant Trojanæ ex Servio: ſynecdochicôs Trojam ipſam ſignificant.

13. *Neſcias an te generum, &c.*] Pro Prolepſin ingenioſe occupat Horatius id quod objici poterat, puellas ante memoratas licet captivas, e regiâ tamen ſtirpe; non ita vero Phyllida; reſpondit igitur; An vero quis eam humili ſorte ac genere credat, quæ tam nobilem præfert indolem?

15. *Regium certe genus.*] Hinc igitur honos tibi & decus accedat, ſi talem tibi deſpondeas; ejuſque parentes familiam tuam illuſtrabunt potius quam dedecorent.

Penates Mœret iniquos.] Sententiam hanc vulgo jungunt cum præcedenti, eo ſenſu: Phyllis certe cum ſuam dolet vicem, regio ſe ortam genere lamentatur ad ſervitutem redactam, indeque Penates accuſat, qui tutelæ ſuæ fidentem tam miſerum in ſtatum labi permiſerint. Placuit tamen interpungere, atque ſententias ſeparare, non ſine aliqua venuſtate, ut viſum eſt. Suus tamen ſit honos antiquitati, Lectori vero judicandi jus atque arbitrium.

Penates.] Qui dicantur, Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 4. fuſe docet. Hyginus Deos patrios, alii domeſticos, quibus in penetralibus domus litari ſolebat, interpretantur; alii etiam aliter.

Sic habe non eam infelici de plebeculâ tibi electum : nec ita fidam, ita quæſtus aſpernatricem turpi matre gigni potuiſſe. Cæterùm *intactus laudo brachia, & faciem, & tibias rotundas* illius. *Noli ſuſpectum habere me, cujus ætas properavit octavum luſtrum finire.*

Crede non illam tibi de ſceleſtâ [166]
Plebe delectam ; neque ſic fidelem,
Sic lucro averſam potuiſſe naſci [167]
Matre pudendâ.
Brachia et vultum, teretéſque ſuras
Integer laudo. Fuge ſuſpicari,
Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere luſtrum.

ANNOTATIONES.

17. *Crede non illam tibi, &c.*] Nequaquam credenda eſt e fæce plebis illa, quæ nihil habet ſordidum ac vile. Plebeiæ animæ lucro ſeſe vendunt ultro ac ſponte ; meretrices in primis infidæ ac perjuræ, lucri vero perquam avidæ. lib. 1. Od. 35. *Vulgus infidum & meretrix perjura.* At Phyllis mirum quantum *fidelis*, tum quæſtui & *lucro averſa*. Honeſtam igitur educationem generoſus animus ; nobilis autem inſtitutio originem haud vulgarem indicat certe & arguit.

De ſceleſtâ Plebe.] Vel, impura & ſceleri praviſque affectionibus ut plurimum obnoxia ; vel, infortunata, & paupertatis incommodis ac ludibriis damnata velut & conſpurcata. Hinc non abludit quod Plaut. Moſtell. 3, 1, 1. ſcribit.

Sceleſtiorem ego annum argento fœnori (locando)
Nunquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit.

18. *Delectam.*] Alii legunt *dilectam*.

19. *Averſam.*] Alii *adverſam*, perinde eſt, & par utrobique ſenſus.

Fidelem.] Caſtitatis amantem, honeſti propoſiti tenacem, quam a fide non facile dimoveas, nec oblato quæſtu corrumpas.

20. *Matre pudendâ.*] Improbis ac flagitioſis moribus turpificata ; vel inope, & abjecta, cujus nomen ac memoria pudorem & verecundiam facere queat. Et moribus natales poſſe ac debere æſtimari, oſtendit Juvenalis, Sat. 6. v. 238.

Scilicet expectas, ut tradat mater honeſtos,
Aut alios mores, quàm quos habet ? utile porro
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.

22. *Integer laudo.*] Cæterum, O Phoceu, ſi laudo tuam illam Phyllidem, noli me arbitrari ſpecie illius captum. *Integer* ego caſtuſque laudo *brachia* toroſa & candida, *vultum* ſpecioſum, *ſuras teretes*, totamque formoſam. Itaque ne zelotypus inde fias, neque ſuſpiceris rivalem me tuum quoque modo eſſe.

23. *Cujus octavum trepidavit ætas Claudere luſtrum.*] Nimirum deferbuit ardor ille primus adoleſcentiæ, nec ita me jam, ut olim, cruciat amor. Annum ætatis quadrageſimum prætergreſſus æſtus illos priores evaſi.

24. *Luſtrum.*] Ex Varrone, Feſto, & aliis dictum a luendo, id eſt, ſolvendo ; pendebantur enim vectigalia quinto quoque anno. Eſt igitur annorum quinque ſpatium ; adeoque *luſtrum octavum* annos quadraginta *claudit* impletque. Cic. ad Attic. 2, 6. *Populi autem, nullo gemitu, publicanis, quibus hoc ipſo luſtro nihil ſolverant, etiam ſuperioris luſtri reddiderunt.* Ovid. in Ibin. v. 1. ſic orditur ;

Tempus ad hoc luſtris mihi jam bis quinque peractis.

Martial. lib. 4. Epigram. 45.

Ut qui prima novo ſignat quinquennia luſtro.

ODE V.

Coërcendus amor intempeſtivus virginis haud maturæ.

Nequit adhuc portare jugum ſubmiſſo collo, nec aſſequi officia conjugis, nec ſuſtinere impetum tauri Venerem appetentis.

NOndum ſubactâ ferre jugum valet [167]
Cervice, nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Nondum ſubactâ.*] An amicorum aliquem, an ſeipſum admoneat Horatius, plane incertum eſt. Rem vero cæteroqui turpiculam allegoria multiplici contexit ac prope honeſtavit. Cupidinem virginis intempeſtivæ indicat per appetentiam uvæ nondum maturæ. Puellæ vero junioris indolem belle notat per juvencam cum vitulis exultantem in campo, jugum portare aut Venerem ſequi adhuc ignorantem.

2. *Munia comparis Æquare.*] Onera conjugii ſuſtinere, æqualem operam præſtare marito, puellula ante pubertatem, nondum viro matura.

Circa

Circa virentes eſt animus tuæ
Campos juvencæ, nunc fluviis gravem
Solantis æſtum, nunc in udo
Ludere cum vitulis ſalicto
Prægeſtientis. Tolle cupidinem
Immitis uvæ: jam tibi lividos
Diſtinguet Autumnus racemos
Purpureo varius colore.
Jam te ſequetur, (currit enim ferox
Ætas, et illi, quos tibi dempſerit,
Apponet annos) jam protervâ
Fronte petet Lalage maritum;
Dilecta, quantum non Pholoë fugax,
Non Chloris; albo ſic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet

[168]

Circa virides agros verſatur mens buculæ tuæ, modò fluminibus temperantis moleſtos Solis ardores, modò gaudentis colludere cum vitulis inter humidas ſalices. Cohibe deſiderium uvæ acerbæ. Mox Autumnus varietate gratus pinget colore purpureo tibi racemos liventes. Mox curret poſt te. Nam properat ætas vehemens: atque illi addet annos, quos tibi detraxerit. Mox audaci vultu Lalage virum quæret, amata plus quam Pholoë viros abhorrens, vel Chloris ſplendens humero candido, non ſecus

ANNOTATIONES.

5. *Circa virentes eſt, &c.*] Aliud nihil amat aut cogitat virgo ea ætate teneriore, quam ludum cum pueris aut puellis æqualibus. Animuſque illius totus eſt in campis, in luſibus, &c. Sic Terent. Eunuch. 4, 7, 46.

Animus eſt in patinis.

Horat. lib. 3. Od. 11. v. 9.

Quæ, velut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, & adhuc protervo
Cruda marito.

9. *Prægeſtientis.*] Summopere cupientis. Ex Prisciano, & Feſto, *geſtire*, eſt rem aliquam tam vehementer appetere, ut corporis geſtus ejus deſiderium experimentes continere non valeamus.

Tolle cupidinem Immitis uvæ.] Deſine amare, aut ſaltem concupiſcere puellam impuberem, immaturam, atque, ut Varro appellavit, acerbam; utens eâdem, qua Poeta noſter, metaphorâ ab uvâ immiti ductâ. Exſpecta donec illam ætas idoneam fecerit ac nubilem. Tull. de Seneɛt. n. 53. *Uva primo eſt peracerba guſtu, deinde matura dulceſcit.*

10. *Jam tibi lividos Diſtinguet, &c.*] Autumnus varietate fructum abundans, & eorum multiplici diverſitate utilis pariter & jucundus, liventes ante immiteſque uvas purpureo ſtatim colore pulchras, ſimul & maturitate guſtui dulces facit. Sic tibi paulo poſt maturam ac tempeſtivam licebit ſectari Lalagen. Imo ipſa ætate jam perfecta virum petet: ſicut uva plane matura carpi deſiderat.

12. *Purpureo varius colore.*] Is color in racemo propinquam notat maturitatem. Hinc Virg. *rubentes* uvas, Ovid. *purpureas* laudat: Horatius autem Epod. 2, 20. *Certantem & uvam purpura* dixit. Theophraſt. de Cauſ Plant. lib. 3. cap. 22. ὅταν ἄρχωνται περκάζειν οἱ βότρυες. *Cum incipiunt uvæ nigreſcere*, ſeu *nigris diſtingui maculis*. Propert. 4. 2, 13.

Prima mihi variat liventibus uva racemis.

13. *Jam te ſequetur.*] Lalage, quæ te ſequentem nunc fugit, poſtmodo vel fugientem te proſequetur, ubi ferventis æſtu juventutis agitari cœperit. Quod quidem brevi fiet. *Currit enim ferox ætas.* Labitur celeriter imo *volat*, ut ait Tull. Tuſc. 1. n. 76.

Ferox Ætas.] Juventus, quæ valens, acris, ardens, vehemens, petulans, elata, ſuperba, ac niſi libidinis ſtimulos tum maxime prurientis virtute ſtregerit, etiam ferox, indomita, & impotens. Apage vero Cruquium dubitantem, numquid tranſpoſita ſint Epitheta iſta, ut legendum ſit: *Ætas fugax, & Pholoë ferox.*

14. *Illi, quos tibi dempſerit, Apponet annos.*] Dum tu annis decreſces, & imminueris viribus, illa creſcet atque augeſcet. Tu enim ab ætate perfecta vergis ad ſenium: illa ad annorum ætatiſque firmitatem, quam nondum attigit, properat.

16. *Lalage.*] Eam ipſam ætatis flore decoram laudat, lib. 1. Od. 22. quo patet Oden iſtam ab Horatio poſt hanc eſſe ſcriptam

17. *Dilecta, quantum &c.*] Cum vero Lalage juventutis pariter ac formæ perfectionem adepta fuerit, tum certo multos amatores habebit quos nunquam *Chloris* pulcherrima, vel ſpecioſa *Pholoë* Chloridis filia, quæ tamen eo diligitur amplius, quo magis amantes fugit aſpera & repellit. De hac Cyro adamatâ, ipſumque ſpernente; lib. 1. Od 33.

19. *Ut pura nocturno renidet Luna mari.*] Tam nitens, quam Luna nullis infuſcata nebu-

ac Luna clara noctu micat in mari, aut Gyges Cnidius: quem ſi miſceas cœtui virginum, ad veras maxime perſpicaces deciperet incerta differentia, paſſis capillis, dubiaque facie.

Luna mari, Cnidiúſve Gyges;
Quem ſi puellarum inſereres choro, [169]
Mirè ſagaces falleret hoſpites
Diſcrimen obſcurum, ſolutis
Crinibus, ambiguóque vultu.

ANNOTATIONES.

lis, ſudo cœlo, noctu ſplendet ac mari navigantibus, formoſa apparet.

20. *Cnidiuſve Gyges.*] Vel ut formoſus ille puer Gyges, virgineâ ſpecie inclytus, oriundus a Cnido urbe Cariæ maritima, hodie *Cabo di Cbiq:* ubi Veneris effigies valde celebris. Vide lib. 1. Od. 30. formoſos olim pueros in deliciis fuiſſe, vel è Virgil. Bucol. notum. Eclog. 2, 1.

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini.———

21. *Quem ſi puellarum inſereres, &c.*] Gygis nempe vultus lævis, tener, candidus, venuſtus, adeo virginis ſpecioſæ pulchritudinem refert, ut vix internoſci queat, *Si puellarum choro inſeratur:* puellam etenim non puerum Gygen affirmaverit hoſpes.

22. *Falleret hoſpites.*] Nos quidem cives, qui eum cognoſcimus, fortaſſe non falleret Gyges: hoſpites autem & peregrini nequaquam a puellis puellum hunc diſcernerent. Tam enim *obſcurum* eſt *diſcrimen.*

23. *Solutis Crinibus.*] Prolixis & paſſis more ſcilicet virginum; at contra nuptæ capillos religabant.

24. *Ambiguóque vultu.*] Ut ſexum non diſtinguas. Sic Juvenalis Sat. 15. v. 136. de pupillo a tutore defraudato,

. . . . .Cujus manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.

Ovid. Metam. 8. 323.

Talis erat cultus: facies, quam dicere vere
Virgineam in puero, puerilem in virgine poſſes.

Idem lib. 9. 711.

Cultus erat pueri: facies, quam ſive puellæ,
Sive dares puero fieret formoſus uterque.

Auſon. Epigram. 105.

Dum dubitat natura marem, faceretne puellam;
Factus es, O pulcher, pæne puella, puer.

ODE VI. Ad TIT. SEPTIMIUM.

Apud amœnum Tiburtinæ vel Tarentinæ regionis ſeceſſum tandem cum eo quietam degere ſenectutem exoptat.

O Septimi, perrecture mecum ad Gades & Cantabros nobis ſervire neſcios, atque ad Syrtes

SEptimi Gades aditure mecum, et [170]
Cantabrum indoctum juga ferre noſtra, et

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2. Lib. 1.

1. *Septimi.*] Tit. Hic Septimſus, Romanus Eques, Poeta etiam Lyricus & Tragicus, cum Horatio diuturnâ familiaritate conjunctus, imo & commilito. Hujus meminit lib. 1. Epiſt. 3, 5, 9. fertur & Auguſtus ad Horatium ita de eo ſcripſiſſe: *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio noſtro cognoſcere, &c.*

Gades aditure mecum, &c.] Hoc interpretes huc uſque fere omnes intellexerunt de magna Horatii Septimiique conſenſione: quaſi paratus eſſet alter alteri comes ire ad ultimas uſque orbis plagas: quemadmodum Catullus Carm. 11. Furium & Aurelium ſibi ſpondet comites, *Sive in extremos penetrarit Indos, &c.* Et Propert. lib. 1. Eleg. 6. Tullo ſeſe offert, ut cum eo *Riphæos etiam montes* ſuperare non vereatur, & *Ægæo ducere vela mari.* Cruquius autem opinatur hæc ab Horatio ſcripta, *Cum Auguſtus eſſet in expeditione Cantabricâ, quinto vix anno peractâ, quo Septimius Eques invitabat Horatium,* inquit ille; non male quidem ariolatus: credo tamen hæc ſcripta eſſe, cum Cæſar expeditionem illam moliretur & ad eam Horatius pariter ac Septimius ſeſe accingerent. *De Gadibus* ſupra, Od. 2. v. 11.

2. *Cantabrum.*] Cantabri Hiſpaniæ Tarraconenſis populi ad Oceanum Borealem, qui & inde Cantabricus vocatur: *Biſcaia.*

Indoctum juga ferre noſtra.] *Sera* nempe *domitum catena,* ut ait Od. 8. lib. 3. ab Auguſto tandem, ſive ab Agrippa Auguſti auſpiciis Cantabri devicti ſunt; teſte Suet. Octav. cap. 20, & 21. Dio lib. 51. & ſeq. Strab. lib. 3. &c. Flor. lib. 4. cap. 12. *Duæ validiſſimæ gentes, Cantabri & Aſtu-*

Barbaras Syrtes, ubi Maura ſemper [171]
Æſtuat unda;
Tibur Argæo poſitum colono
Sit meæ ſedes utinam ſenectæ;
Sit modus laſſo maris, et viarum,
Militiæque.
Unde ſi Parcæ prohibent iniquæ;
Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen, et regnata petam Laconi [172]

ſtras, ubi mare Mauritaniæ nunquam non fervet: faxint Dii ut Tibur ab Argivo colono conditum, meæ ſit domicilium ſenectutis: ſit requies pertæſo maris, itinerumque, & belli. Hinc vero ſi Parcæ me arceant improbæ; adibo fluvium Galeſum ovibus pelle coopertis jucundum, agroſque ubi rex fuit Pha-

ANNOTATIONES.

res, immunes Imperii agitabant. Cantabri et ut & pejor, & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit, qui non contenti libertatem ſuam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, &c. Cæſi vero *fugiunt in eminentiſſimum Vinnium montem, quo maria prius Oceani, quàm arma Rom. aſcenſura eſſe crediderant.* Et paulo poſt: *Ipſe præſens hos deduxit montibus: hos obſidibus aſtrinxit; hos ſub corona jure belli venundedit, &c.* Sil. Ital.

Cantaber ante omnes hyemiſque, æſtuſque, famiſque Invictus. ——

Obſervandum porro, ſic ſub jugum mitti ſolitos olim victos hoſtes: haſtæ duæ interjecto ſpatio in terram defigebantur, terra ſuperimpoſita atque hinc & inde alligata. Sub hanc igitur inermes & diſcincti tranſire coacti, jugum ſubire, victique eſſe cenſebantur. Vide Tit. Liv. lib. 9. cap. 6. ubi Rom. Coſſ. & legiones turpiter ad furculas Caudinas ſub jugum mittuntur.

3. *Barbaras Syrtes.*] Inhoſpitas, incultas, feras, ob æſtus ac motus maris dubios.

Ubi Maura ſemper Æſtuat unda.] Ubi mare Mauritaniæ ſeu Africæ crebris æſtuariis fervet, vadoſum paſſim & ſcopuloſum. Vide Plin. lib. 2. cap. 97. & Epod. 9. ſub finem, ibique Annot.

Tibur Argæo, &c.] Detur utinam mihi lætam agere ſenectutem apud Tibur Latii oppidum ædificatum a Tiburno Argivo, ibique quietem naniſci, poſt labores ac tædia navigationis, itinerum ac militiæ. Tiburtina ſua villa imprimis ſe delectari jam indicavit lib. 1. Od. 7. & 18. Vide ibi Annot.

7. *Laſſo maris, & viarum, Militiæque.*] Ex Suetonio in bellicam in Cantabros expeditionem ſuſcepit Auguſtus devicto jam Antonio: in bellis antecedentibus militaverat Horatius ut patebit ex Ode ſequenti: ad hoc etiam, ut dixi, ſeſe accingebat. Deos itaque rogat, ut ſibi fortunatam dent quietamque ſenectam, poſtquam eas iterum ærumnas exantlârit.

9. *Unde ſi Parcæ prohibent.*] Quod ſi fatis ita volentibus, non liceat apud Tibur conquieſcere; apud Tarentum ſaltem detur mihi ſecedere, ubi Galæſus leniter fluit, rigatque iſtam regionem Calabriæ; in qua paſcuntur oves exquiſito vellere ac lana, &c.

10. *Pellitis ovibus.*] Vel eximias pelles, eximium vellus, habentibus, per antonomaſiam: vel potius quæ ob lanam præ cæteris exquiſitam adverſus aëris injurias teguntur pellibus, ad conſervationem excellentis earum velleris, tenuioris, mollioris; neve illud inquinetur. Hinc Plin. *tectas*, Varro & noſter *pellitas* nuncupat Tarentinas illas oves, quas & Græcas alii vocant. Vide Columell. lib. 7. cap. 4. *Græcum pecus, quod & Tarentinum plerique nominant, niſi cum domini præſentia eſt, vix expedit haberi, &c. ex omnibus eſt molliſſimum, &c.* Polybius μαλακὰ πρόβατα ſimiliter appellat. Varro Rei Ruſt. lib. 2. cap. 2. 18. *Pleraque ſimiliter faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem (ut ſunt Tarentinæ & Atticæ) pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel inſici recte poſſit, vel lavari ac parari. Harum præſepia ac ſtabula, ut ſint pura, majorem adhibent diligentiam, quam hirtis;* id eſt, cæteris ovibus, quæ, & hirtæ, & montanæ, & ſoloces dicebantur, &c. Plin. lib. 8. cap. 47. *Ovium ſumma genera duo, tectum & colonicum: illud mollius, hoc in paſcuo delicatius; quippe cum tectum rubis veſcatur:* (colonicum vero ſolo gramine) *operamenta iis ex Arabicis præcipua.*

Galeſi flumen.] Quidam legunt *Galæſum*. Sic & lib. 4. Od. 4. *Metauri flumen*, ubi plures tamen, *Metaurum flumen*. Galæſus vel Galeſus, hodie *Galaſo*, Calabriæ fluvius agrum Tarentinum rigat, ac in ſinum defluit lenito curſu, umbris arborum, & paſcuorum copia circum amœnus. Hinc Propert. lib. 2. Eleg. 34. v. 67.

Tu canis umbroſi ſubter pineta Galæſi.

Et Virgil. Georg. 4. 126.

Quo piger (al. niger) *humectat flaventia culta Galæſus.*

11. *Regnata petam Laconi Rura Phalanto.*] Virgil. Æneid. 3. v. 14.

——*Acri quondam regnata Lycurgo.*

Et Æneid. 6. v. 793.

——*Regnata per arva Saturno.*

Sic Tull. pro Muræna, *Pugna cum rege commiſſa*

lantus Lacedæmonius. Illa mihi regio præ cæteris placet, in qua mel cum Hymetto, & olivæ cum Venafranis bonitate *contendunt. Illic ver diuturnum, & hyemes temperatas dat Jupiter; atque Aulon abundanti vino ferax nequaquam deſiderat racemos Falernos. Terra hæc & fortunatæ arces, me teque exoptant. Illic tu cineres*

Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet; ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridíque certat
Bacca Venafro;
Ver ubi longum, tepidáſque præbet
Jupiter brumas; & amicus Aulon [173]
Fertili Baccho minimùm Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Poſtulant arces; ibi tu calentem

ANNOTATIONES.

miſſa eſt, & ſummâ contentione pugnata. Porro ſenſus Horatii eſt hic: Si negetur mihi ſeceſſus Tiburtinus, ibo Tarentum, quam urbem Taras Neptuni filius olim condiderat. Phalantus autem Lacedæmonius cum Partheniis Sparta profectis & ſedes quærentibus inſtauravit, ibique regnavit. Juſtin. lib. 3. ubi *Parthenii vocati, cum ad annos triginta perveniſſent, metu inopiæ . . . ducem Phalantum aſſumunt, filium Araci . . . ad ſedes inquirendas proficiſcuntur . . . tandem in Italiam delati, occupata arce Tarentinorum, & expugnatis veteribus incolis ſedes ibi conſtituunt, &c.* Vide & Pauſan. lib. 10. in Phocaïcis.

14. *Angulus.*] Scilicet urbs ea Calabriæ in extremâ peninſulâ ſita eſt ad maris littus.

Ubi non Hymetto Mella decedunt.] In Tarentina regione mel optimum eſt, nec bonitate concedit ei quod provenit apud Hymettum, huncque Atticæ regionis collem excellentia ſua celebrem toto orbe fecit: ſicut & Hybla Siciliam pariter melle inclytam reddidit.

15. *Decedunt.*] De via decedit, qui honorem alicui defert, & primus fatetur deberi.

Viridique certat Bacca Venafro.] Ibi quoque creſcunt olivæ Venafranis adeo non deteriores ut cum eis de excellentia contendant & certent.

Certat.] Virgil. Eclog. 5. v. 8.

Solus tibi certet Amyntas.

16. *Venafro.*] Urbs hæc Campaniæ in Samnii confinio ſita, olearum optimarum laude præcelluit. Plin. lib. 15. cap. 2. *Principatum in hoc quoque bono* (oleo) *obtinuit Italia toto orbe, maxime agro Venafrano, &c.* Martial. Epigram. 12, 64, 1.

Uncto Corduba lætior Venafro.

Et lib. 13. Epigram. 98.

Hoc tibi Campani ſudavit bacca Venafri.

17. *Ver ubi longum.*] Ubi verna temperies perdurat. Ita Servius explicat Virg. Georg. 2. v. 149. *Hic ver aſſiduum*; citatque hunc locum Horatii.

Tepidaſque præbet Jupiter brumas.] Hybernis etiam menſibus nulla ibi eſt aëris inclementia. *Bruma,* ſolſtitium hybernum, quod ſic Ovid. explicat, Faſt. 1, 163.

Bruma novi prima eſt, veteriſque noviſſima Solis.

18. *Et amicus Aulon Fertili Baccho, &c.*] Eſt & proximus collis Aulon, in quo vinum provenit Falerno minime inferius; proindeque non ei invidet, a quo ſuperari nequaquam timet. In agris Tarentinis vinum creſcere generoſum, teſtis Plin. lib. 14. cap. 6. ubi vina recenſet exquiſita: *Verum & longinquiora Italiæ ab Auſonio mari non carent gloria, Tarentina, & Servitiana, &c.* Martial. lib. 13. Epigram. 125.

Nobilis & lanis, & felix vitibus Aulon
Det pretioſa tibi vellera, vina mihi.

Strabo lib. 6. Aulonia quaſi Vallonia a vicinâ convalle nominata, inquit: Hanc autem urbem ab Aulone monte, vel potius promontorio, puto dici, in Tarentino tractu ſitam. Porro textus Horatiani ordo hic eſt. Aulon fertili Baccho amicus minimum Falernis, &c. Sic apud Tibull. 1, 9, 34. dicitur.

———*Bacchi cura Falernus ager.*

21. *Ille te mecum locus, &c.*] Tam lætus & amœnus videlicet ſeceſſus te mecum invitat.

Beatæ arces.] Explicant alii, *editi colles optimis uvis beati:* quia edita quæque loca arces vocantur. Ego malim de urbe Tarento intelligere, ubi fuit arx munitiſſima ex Polybio lib. 8. Tit. Liv. lib. 25. *Beatæ* vero *arces,* & felix Tarentum ſatis exprimitur apud L. Florum lib. 1. c. 18. his verbis: *Tarentus Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam & Apuliæ, totiuſque Lucaniæ caput, cum magnitudine, & muris portuque nobilis tum mirabili ſitu: quippe in ipſis Adriatici maris faucibus poſita, in omnes terras, Iſtriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui ad proſpectum maris poſitum, majus theatrum, &c.*

22. *Ibi tu calentem Debita, &c.*] Ibi tu mihi

Debita

Debitâ ſparges lacrymâ favillam
Vatis amici.

tepidos familiaris poetæ juſto luctu proſequeris.

ANNOTATIONES.

juſta & extrema perſolves officia, cum fatis & vitâ functus fuero: cremato nempe cadavere, calentibus adhuc cineribus lachrymas impendes, infundes, ac velut immiſcebis: mortuum recens amicum luctu proſequeris, vatem vates, & decorabis. Ennius vero contra, & arrogantius paulo:

> *Nemo me lachrymis decoret: neque funera fletu*
> *Faxit. Cur? Volito vivu' per ora virûm.*

Miſerrimum etenim ac velut infauſtum veteribus putabatur, ſi ſine lachrymis humatio fieret, & funebri iſto honore privaretur. Virgil. Æneid. 11. v. 372.

> *Nos animæ viles, inhumata, infletaque turba.*

Hinc & præficas accerſebant olim, quæ luctum facerent. Imo & exiguam ampullam lachrymis plenam urnæ ferali inferebant, ſepulchroque inferebant; ut bene Torrentius obſervavit.

24. *Vatis amici.*] Horatii tui.

ODE VII.

Pompeio Varo felicem ex infelici militiâ reditum gratulatur.

O Sæpe mecum tempus in ultimum [74]
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonavit Quiritem
Diis patriis, Italóque cœlo,
Pompei, meorum prime ſodalium?

O Vare meorum prime commilitonum, mecum frequenter ad extremum diem redacte, Bruto belli principe, ecquis Romanum te reddidit numinibus patriæ, atque Italico aeri?

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

Athenis verſabatur Horatius Philoſophiæ dans operam ſub Academico preceptore, cum ad militiam eſt pertractus a Bruto tum Achaiam atque Athenas tenente, ut ait vetus interpres. Hæc ipſe de ſe teſtatur Epiſt. 2. lib. 2. v. 43. & ſeq. Deinde & Tribunus legioni Romanæ præfuit: quod declarat lib. 1. Sat. 6. v. 48. interfuitque demum ei pugnæ, Philippicis in campis, quâ Brutus cæſus tandem ac fuſus eſt. In eâ vero militiâ ſodalem habuit Pompeium Varum qui poſt cladem Philippicam, non, ut Horatius, armis valedixit, ſed Brutianis reliquiis, novoque bello ſe implicuit. Quibus extinctis, ſalvus tamen rediit Varus; quapropter incolumitatem ei gratulatur Horatius, ac Soteria canit hac Ode, atque ad convivium invitat.

1. *Sæpe mecum tempus in ultimum Deducte.*] Qui toties vitæ periculum adiiſti mecum in eo fatali bello, in quo Caſſius & Brutus Julii Cæſaris interſectores adverſus Auguſtum atque Antonium pro libertate publicâ dimicârunt; ſicuti antea Cn. Pompeius contra Jul. Cæſarem.

3. *Quis te redonavit Quiritem.*] Quis te patriæ reſtituit, vel Deus propitius, vel patronus apud victorem Auguſtum potens & gratioſus?

4. *Diis patriis.*] Dii patrii vocantur qui ſingulis præſunt urbibus, ſuntque illarum propugnatores; atque a civibus honore præcipuo coluntur eximiè: ut Mars Romæ; Athenis Apollo & Minerva; Apollo Delphis & Rhodo; Bæotiis Hercules & Bacchus; Juno Carthagini, Samo, Spartæ, Mycenis, Argis; Diana Cretenſibus; Venus Cypro, Papho, &c. Vide Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4. fortaſſe Horatius hic Penates Deos intelligit, ut gratuletur Varo, quod redux iterum videat ſuam domum ac Penates. *Extat Quinti Ennii carmen, Deorum continens Penatium nomina, quos patrios alii, Varro Terentius etiam urbanos nuncupat:*

> *Juno, Veſta, Minerva, Ceresque, Diana, Venus, Mars,*
> *Mercurii, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Cœl. Rhodig. lib. 25. cap. 30.

Italoque cœlo.] Cœlum pro aëre & climate poni conſtat, vel ex hoc Horatii, Epiſt. 1, 11, 26.

> *Cœlum non animum mutant qui trans mare currunt.*

5. *Meorum prime ſodalium.*] Vel amiciſſime; patet ex fine hujus Odes. Vel, cum quo militavi

Cum quo non ſemel bibendo *vino interrupi tardantem diem, redimitos* habens *crines unguento Syrio nitidos. Tecum expertus ſum Philippos, & fugam præcipitem, abjecto indecorè clypeo; quando virtus debilitata eſt, & terræ mentum fœdè ap-*

Cum quo morantem ſæpe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos, & celerem fugam
Senſi, relictâ non bene parmulâ;
Cùm fracta virtus, & minaces

ANNOTATIONES.

primum: ſic & condiſcipulus in philoſophiæ ſtudio videatur fuiſſe Varus Horatii, & cum eo ad civile bellum Athenis evocatus. Epiſt. 2, 2, 47.

Civiliſque rudem belli tulit æſtus in arma,
Cæſaris Auguſti non reſponſura lacertis,

6. *Morantem diem.*] Vel æſtivum, reipſa longiorem; vel morari viſum præ tædio civilium tumultuum, ac laborantis Reipublicæ, itemque ærumnarum bellicarum, quæ Horatio quidem ad ſtudia literarum Muſarumq; otium magis quam ad ſtrepitus militares nato, graves erant ac moleſtæ.

7. *Fregi.*] Per intervalla tecum potando rupi, transfegi; atque ita ſolicitudines ac dolorem feſelli utcunque, pertuli, ſuperavi.

Coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos.] Floreis quidem coronis inter epulandum ſolitos uti veteres oſtendimus Od. 38. lib. 1. unguentis etiam perfudiſſe caput, notum fere, & ex dicendis patebit. Ab Ionibus primum ad feminas Rom. delicatiores tranſlatus iſte mos coronarum in conviviis, atque unguentorum, maxime vero malobathri, quod & foliatum dicebatur: teſtis Galenus. Obſerva porro corollas iſtas unguentis interdum fuiſſe delibutas. Athenæus item lib. 15. Plin. lib. 21. cap. 3. *Lautiſſimum*, inquit, *dari coronas e nardi folio, aut verſicolores unguentis madidas.*

8. *Malobathro Syrio.*] Malobathrum; ſive malabathrum, unguentum erat exquiſitum e folio quod gignunt Indicæ paludes, in regione Malabar, & vernacule *bathrum* vel *bethrum* vocant Indi. Nomen hinc factum ſatis apparet. In Syriam apportabatur ex India; illinc autem Romani mercatores deferebant: unde Syrium Romæ vocabatur. Galen. cit. Dioſcorid. Plin. lib. 13. cap. 1. lib. vero 12. cap. 26. ita ſcribit: *Dat malobathron Syria, arborem folio convoluto, arido colore: ex quo paratur oleum ad unguenta: fertiliore ejuſdem Ægypto. Laudatius tamen ex India venit. In paludibus ibi gigni tradunt lentis modo,* (lenticulæ paluſtris modo aquis innatare. Dalecamp.) *odoratius croco nigricans, ſcabrumque, quodam ſalis guſtu . . . . ejus ſapor nardo ſimilis eſſe debet ſub lingua: odor autem in vino ſuffervefacti antecedit alios. In pretio quidem prodigio ſimile eſt, &c.*

9. *Tecum Philippos, &c.*] Adfui tecum in campis illis prope Philippos urbem Macedoniæ in Thraciæ confinio, ad Pangæi montis radices: quam Philippus Alexandri Magni pater inſtauravit, ac de ſuo nomine appellavit. Ibi nimirum commiſſo duplici prælio Auguſtus atque Antonius Caſſii & Bruti exercitus fuderunt, viceruntque eos qui triumphum ante victoriam & pugnam cecinerant. Vide infra.

10. *Relictâ non bene parmulâ.*] In ea clade fugam ſuam non diſſimulat hic Horatius, inſuper & clypei projectionem; quod ad primum attinet non ſemper caret excuſatione. Nam fortis eſt non modo reſiſtere, ſed & ſapienter cedere ac fugere. Sic Homerus Æneam laudat velut metuendi fugiendique peritum; & hanc ei laudem juſte dari agnoſcit Plato in Lachete. Vide & initium vitæ Pelopidæ apud Plutarch. Alterum vero culpâ nunquam vacare creditum eſt. Unde apud Germanos ſacris interdictum eſt ei, qui in acie ſcutum amiſiſſet. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. apud Spartanos autem capite luebat. Idem lib. 2. cap. 12. Vide Ariſtot. lib. 2. Rhetoric Modeſtin. Juriſc. lib. 3. de Re Militari. Hinc teſte Ammiano Marcell. lib. 25. paulo poſt initium: *Epaminondas ille dux inclytus lethaliter apud Mantinæam ſaucius, reverſus ex acie, ſcutum ſolicite conquirebat: quod cum vidiſſet propius, lætior vi vulneris interiit; & qui animam intrepidus amittebat, jacturam clypei, formidavit.* Quod idem ita refert Juſtinus lib. 6. *Relatus in caſtra ſemianimis Epaminondas, ut vocem ſpiritumque collegit, id unum a circumſtantibus requiſivit, num cadenti ſibi ſcutum ademiſſet hoſtis: quod ut ſervatum audivit, allatumque velut laborum gloriæque ſocium oſculatus eſt.* Apud Plutarch. Apophthegm. Lacon. Demaratus interrogatus, cur dedecus, & probrum ſit clypeum adjicere, non ita vero galeam aut gladium, reſpondit, quia hæc ſua ipſorum cauſa ſumunt, clypeum autem communis aciei gratia.

11. *Cum fracta virtus.*] Cum Bruti partis virtus victa eſt, fatis adverſantibus, & Auguſto imperium orbis deſtinantibus. Tum enim in ſummâ rerum deſperatione ille apud ſuos conqueſtus fertur; *Fruſtra coluiſſe ſe virtutem, quæ inane eſſet nomen, & fortunæ ſerviret.* Plutarch. in Bruto. Dio lib. 47. Appian. lib. 4. Tit. Liv. Epitome lib. 124. C. *Cæſar & Antonius apud*

Turpe

Turpe ſolum tetigere mento.
Sed me per hoſtes Mercurius celer
Denſo paventem ſuſtulit aëre:
Te rurſus in bellum reſorbens
Unda fretis tulit æſtuoſis.

[177] *plicuerunt qui minas jactabant. At velox Mercurius tremebundum me per hoſtes aëre ſpiſſo rapuit: te mare fremens & æſtuans retraxit, iterumque ad militiam deduxit*

ANNOTATIONES.

Philippos vario eventu contra Brutum & Caſſium pugnaverunt; ita ut utriuſque partis cornua dextra vincerent . . . . . Sed inæqualem fortunam partium mors Caſſii fecit, qui cum in eo cornu fuiſſet, quod pulſum erat, totum exercitum fuſum ratus, mortem ſibi conſcivit. Altero deinde prælio victus M. Brutus & ipſe vitam finivit, annorum circiter quadraginta; exorato Stratone fugæ comite, ut ſibi gladium adigeret. Xiphilinus in Auguſto ſic rem deſcribit: *Si Brutus cum Antonio decertaſſet, & Caſſius cum Auguſto Cæſare; ipſi pares inter ſe fuiſſent: ſed dum Brutus Cæſarem imbecillum vicit: Antonius autem Caſſio, qui par ei bellicis in rebus non erat, ſuperior fuit; victores quodammodo victi diſceſſerunt, &c.*

Minaces.] Milites Bruti ſcilicet ac eorum duces arrogantius jactabant minas in Cæſarianos, quos priori certamine ſuperaverant, tam apertâ quidem victoriâ, ut *caſtra Cæſaris & Antonii, quæque in caſtris erant, omnia capta ſint: ac Cæſar ipſe mirabiliter ſalvus evaſerit.* Ex Xiphil. loco modo cit. item ex Appiano lib. 4. Civ. Bell. Rom. Brutus ipſe hoſtes retroceſſiſſe accipiens, ſic illudit: *Hi ut defeſſos nos provocantes minime experiri auſi ſunt.* Cum autem Cæſarianos intelligeret inediâ & fame prope enectos, ac morando citra ſuorum periculum conficere vellet, *Conquerebantur milites, mulierum more intra vallum ſe contineri: excandeſcebant etiam eorum duces . . . . . hoſteſque ab exercitu prompto & parato facillime vinci poſſe exiſtimabant . . . . . tandem exercitus per cohortes, ac deinde per concurſus, apertius conqueritur: quid tandem Imperator noſter meditatur? In quo nuper victoriam adepti deliquimus? . . . . . Inſtantibus denique pertinaciter ducibus ac primoribus Brutus indignatus, eorum temeritati, proprioque diſcrimini aſſenſus eſt.* Xiphil. ibid.

12. *Turpe ſolum tetigere mento.*] Id eſt, victi procubuere, non ſine gravi turpitudinis nota, ob priorem arrogantiam ac minas: atenim meminiſſe oportebat, quod ſcribit Cic. ad Attic. lib. 7. Ep. 3. *Armorum exitus incertos eſſe ſemper:* atque *Ancipitem fortunam belli*, pro M. Marcello. Alii explicant *turpe ſolum*, terram cruore fœdatam, quam qui vulneribus confecti cadunt, dentibus ſolent apprehendere; aut ſaltem labra mordicus premere; ſeu dolore & irâ adacti, ſeu ne quam emittant vocem querelarum, ſuâ virtute & exiſtimatione indignam.

Tetigere mento.] Pronâ in terram facie, in pulvere volutati. Virgil, Æneid. 11. v. 418.

Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit.

Et v. 669. ibid.

Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, morienſque ſuo ſe in vulnere verſat.

13. *Sed me per hoſtes Mercurius celer, &c.*] Metaph. Tum vero fuſo exercitu noſtro, furtim me proripui, ac celeriter fugi, duce Mercurio, qui alatus fingitur & furti Deus. Od. 10. l. 1. in cujus etiam tutelâ ſunt docti, qui idcirco *Mercuriales* vocantur. Od. 17. libri hujus. Ingenioſe porro ſuæ fugæ alioquin indecoræ ac turpi colorem dat Horatius, ſubtractum ſe diſcrimini, protectumque a Mercurio dicens: id nempe fingens ſibi accidiſſe, quod Priamo ſcribit Homerus. Vide Annot. lib. 1. Od. 10. v. 14. quodque Paridi; Od. 15. lib. 1. Item Hectori, quem Apollo pari modo ſervat ἠέρι πολλῇ. Iliad. 20. Sic. & Virgil. Æneam a Neptuno de Achillis manibus ereptum inducit. Æneid. 5. v. 809.

. . . . . *Pelidæ tunc ego forti*
Congreſſum Ænean, nec diis, nec viribus æquis,
Nube cava eripui.——————

14. *Denſo aere.*] Nube, quæ denſatus eſt aer. Homer. Iliad. 3. de Paride ab impetu Menelai per Venerem exempto: τὸν δ' ἐξήρπαξ' Ἀφροδίτη, ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ.

Te rurſus in bellum reſorbens, &c.] Me quidem Horatium paventem Mercurius ſublimem rapuit, ac nebulâ protexit: te vero, Pompei, Martis ardor in nova pericula conjecit, ac recrudeſcenti bello implicuit, ſemper intrepidum ac publicæ libertatis pertinaciter vindicem.

Reſorbens Unda fretis tulit æſtuoſis.] Sicut in fretis æſtuoſis unda recedens iterumque accedens ea reſorbet, quæ evomuerat, ac in littore reliquerat: ſic bellum cæſis Caſſio Brutoque quaſi profligatum ejecerat te, Vare, non ſecus ac me, & modo non liberum fecerat: verum exardeſcens porro tumultus civilis in arma te rurſus abripuit. His Horatii verbis non abs re volunt quidam alludi ad prælium Sexti Pompeii in Siculo freto commiſſum: adeoque ad illum cum aliis Varum confugiſſe, poſt cladem Brutianam: unde tandem ſalvus ille, Romam redierit, & Auguſto reconciliatus ſit. Æſtus illos marinos egregie deſcribit Virgil. Æneid. 11. v. 624.

Debitum igitur epulum Jovi perſolve: & corpus diuturno fatigatum bello reclina ſub mea lauro: neque doliis abſtine tibi ſervatis. Polita vaſa reple Maſſico oblivionem malorum afferente: & unguenta de amplis vaſis effunde. Quis verò	Ergo obligatam redde Jovi dapem; Longâque feſſum militia latus [178] Depone ſub lauru mea, nec Parce cadis tibi deſtinatis. Oblivioſo lævia Maſſico, Ciboria exple; funde capacibus Unguenta de conchis. Quis udo [179]

ANNOTATIONES.

17. *Ergo obligatam redde Jovi dapem.*] Pro incolumitate iſta tua poſt tot labores & pericula, ô Vare, grates Diis perſolve, fac ſacrum Jovi Servatori, Dapali; de quo M. Cato de Re Ruſt. cap. 132. *Obligatam dapem*, ſacrificium inter diſcrimina promiſſum ac votum a Pompeio Varo, interpretari licet, ex Priſciano lib. 7.

18. *Longâque feſſum militiâ.*] Multo longiori quam mea, inquit Horatius; nempe ſub Caſſio & Bruto, deinde ſub Sexto Pompeio in Sicilia, ut dictum eſt. Ergo tot ærumnis vires exhauſtas recrea; epulare mecum, quieſce apud me; *ſub lauru mea* tutus; patrocinio meo confiſus, adeoque omni depoſitâ ſolicitudine. Spondet nempe Varo Horatius fortaſſe nondum perfecte ab Auguſto veniam conſecuto, favorem Mæcenatis, per quem ipſe cum illo victore metuendo jam reconciliatus fuerat. Cum enim proſcriptione bonorum, cum aliis partes adverſas ſecutis, mulctatus eſſet, inops rerum coactus eſt faciendo verſus victum quæritare. Quod ita narrat Epiſt. II, 2, 49.

Unde ſimul primum me dimiſere Philippi,
Deciſis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris & fundi, paupertas impulit audax
Ut verſus facerem ———

Itaque Mæcenatis primum animum demeruit, perque hunc Auguſti placare iram aggreſſus eſt: & quod ſcribit ad Piſones v. 404. quanquam alio ibi propoſito ...

. . . . . . *Gratia regum*
Pieriis tentata modis: luduſque repertus,
Et longorum operum finis ———

Mæcenatem autem potentem fuiſſe & idoneam laurum ad averruncandum Auguſti fulmen, patet ex Xiphilino cit. qui in Auguſto ſcribit: *Mæcenati tantam a Cæſare delatam poteſtatem in rebus omnibus, ut literas quaſcunque ad Senatum vel ad alios mitteret, ipſe prius legere poſſet, & ex eis quæ vellet immutare.* Et poſtea: *Cæſari Mæcenatem profuiſſe tum cæteris in rebus, tum vero quoties vehementius iraſcebatur, quod ejus iram leniebat: & quod in multos alioqui mortis dicturus ſententiam, a Mæcenate correptus nemine capitis condemnato ſtatim ſurrexerit, &c.*

22. *Oblivioſo lævia Maſſico Ciboria exple.*] Large pota vinum e Campania melioria notæ, quod oblivisci faciat ærumnas priores, omnemque mentis ægritudinem detergeat & diſcutiat. De *Maſſico* Od. 1. lib. 1. *exple*, vel imple, vel exhauri & ſicca ſcyphos & calices. Utrumque enim ſignificat ea vox, apud Ennium, Terent. Vide Donat. Nonium Marcellum.

22. *Ciboria.*] Vaſa ſeu pocula ſatis capacia ex Athen. l. 3. & l. 11. c. 7. quem in locum Caſaubonus ita ſcribit: *Græcis peregrinum poculum opinor & nomen, etſi poteſt videri derivatum, unde & κιβωτός. Sed conſtat in Ægypto primum cœpta fieri ciboria ex Ægyptiæ fabæ ciboriis, deinde ex alia materia, figura eadem. Heſychius diſerte,* Κιβώριον Αἰγύπτιον ὄνομά ἐστι ποτηρίου, *Eccleſia ejus fecit ſuum hoc nomen, &c.* Dalecamp. in Athen. cit. τὰ κιβώρια & κιβώτια id eſt, arculas in hujus fabæ capite vocabant eos loculos, quibus ſemen continetur; inquit. Fabæ iſtius deſcriptionem hic attexere non pigebat. *In Ægypti lacubus & ſtagnantibus aquis faba naſcitur, ſcapo ampliſſima, longitudine ad cubitos quatuor ſurrecto, digiti craſſitudine, arundinaceo, molli, non geniculato, qui totus rimis intrinſecus pertuſus atque diſtinctus eſt, ut in lilio. Huic inſidet caput rotundo veſparum favo ſimile. Fabæ in ſingulis veluti nucamentorum loculis, aliquantulum prominent, ad ſummum numero triginta. Flos duplo major quam papaveris, roſæ colore. Extat caput ſuper aquam. Singulis fabarum plantis adnaſcuntur folia magnitudine pilei Theſſalici; quorum caulis idem qui fabarum, &c.* Ex Theophraſto apud Athen. init. lib. 3.

Funde capacibus Unguenta de conchis.] Ne quid hilaritati deſit, adhibe unguenta & copioſe quidem. Vide ſupra Annot. ad v. 7. hujus Odes. Item quæ poſtea mox.

23. *Conchis.*] Vel accipe pro quolibet vaſe ex alabaſtro: vel ſimpliciter intellige repoſita pridem in *conchis unguenta*: quæ ſunt odorum permiſtio cum oleo vel balſamo, ad delicias, vel ad ſanitatem etiam corporis. Vide Cœl. Rhodig. lib. 27. cap. 26. Cur autem in compotationibus ungerent caput veteres, explicatur apud Athenæum l. 15. c. 13. nempe quod *vini vim imbecilliorem fore crederent, ſi eo pacto quaſi diluerent*

Depro

Deproperare apio coronas,
Curátve myrto? Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego ſanius
Bacchabor Edonis: recepto

texet diligenter corollas ex apio humido vel myrto? Quem potandi magiſtrum creabit [180] Venus? Ego certè non moderatius agam quam Edoni:

ANNOTATIONES.

tur, &c. De unguentorum luxu & mollitie, Plin lib. 13. cap. 3. & Plutarch. Apophthegm. Lacon. ubi ſcribit; *Unguentariis aditum Spartæ præcluſum a Lycurgo, unguentaque velut corruptelam & perniciem omnino præſcripta atque amandata.* Cœl. Rhodig. cap. 24. lib. 27. ex Xenophonte & Socrate, refert; cum bellariis corolliſque in ſecundas menſas veniſſe unguenta, profligatis congrua moribus atque impudicis.

23. *Quis udo Deproperare apio, &c*] Ad famulum hæc. Quis protinus texet nobis corollas ex apio vel myrto, quibus ex more inter epulas caput exornemus? *Udo*, vel recenti, vel potius quod humidis in locis creſcit affatim & colligitur. *De myrto* lib. 1. Od. 38.

24. *Apio.*] Plin. lib. 20. cap. 11. *Apio gratia vulgo ineſt. Namque rami largis portionibus per jura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Honos ipſi in Achaia coronare victores ſacri certaminis Nemeæ.* Hæc poſteriora addit idem Plin. lib. 19. cap. 8. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. Athenæus lib. 15. cap. 10. inter flores coronarios apium ita recenſet ex Pherecrate: *Age tu, qui malvam intueris, hyacinthum ſpiras, melilotum loqueris, roſas diſtractis labiis rides, amaracum oſcularis, dimoto corpore apium oles, coſmoſandalum inceſſis, vinum affunde, & acclama tertium Pæana, ut eſt lege ſancitum.* Sunt qui apio dicant ebrietatem impediri, ideoque veteres eo ſe coronare in conviviis. At repugnant botanici doctores; id vero hederæ quidem, non apio tribuunt.

25. *Quem Venus arbitrum Dicet bibendi?*] Quis erit & fiet convivii Rex, jactu Venereo in talis felici? Horat. Od. 4. lib. 1. *Nec regna vini ſortiere talis.* Vide & quæ ibi annotavimus. Ad intelligendum ſenſum Horatii duobus iſtis locis obſerva 1. in compotationibus veterum creari ſolitum Regem, a quo poculorum leges aliaque in convivio obſervanda præſcriberentur; eum porro Græcis appellatum συμποσιαρχὴν βασιλέα ςρατηγόν; Latinis autem convivii Dictatorem, Plaut. Modimperatorem, Varro. Arbitrum, Horat. Vulgo convivii Magiſtrum, Regem, Ducem, Sympoſiarchum. Strategum, etiam dixit Plautus, & Dictatricem. 2. Conſuetum id forte fieri, & quidem talorum vel teſſerarum ſummo jactu, qui Venus dicebatur; eratque cum tali quatuor diverſa facie cadebant: in teſſeris autem quando ter ſenarius contingebat. De his ludis plura ad Perſii Sat. 5. annotavimus. Vetus interpres hic aſcribit; *ἀστραγαλίαν ſignificat, id eſt, teſſerarum jactu datum in bibendo primatum. Veneris autem jactus lætiſſimus dicitur, qui numerum habet ter ſenarium.* Sic enim legendum eſt, non autem, *tricenarium*, cum inſanientibus librariis quibuſdam Acronis, Porphyrionis & aliorum. Quod optime ſenſit pridem & correxit Hadrianus Junius, Animadverſ. Heſychius τρὶς ἓξ πανυγήριος βόλος. Quo pertinet etiam Prov. ἢ τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι, cujus & meminit Jul. Pollux. lib. 9. cap. 7. id eſt, felix vel infelix jactus, ſenio, vel canis; ſeu, tres ſenarii, vel tres unitates. Nam κύβος idem ſonat, interdum quod μονάς, ſive κύων, & χῖος: quod fefellit nonnullos male feriatos interpretes. De talis autem Lucian. in Amor. Μηδενὸς ἀςραγάλω πεσόντος ἴσω χήματι καλεῖται Ἀφροδίτη.

Venus.] Is jactus dicebatur & Baſilicus. Plaut. Curcul. Act. 2. Scen. 3. Vide Euſtath. ad Il. 23. & Odyſſ. 1. Cic. de Divinat. 1. & 2. Martial. lib. 14. Epigram. 12. Propert. lib. 4. Eleg. 9. Iſidor. Origin. lib. 18. cap. 65, & 60, &c.

26. *Dicet.*] Deſignabit, præficiet, decernet, creabit velut edicto. Solenne verbum Juris.

Arbitrum bibendi.] Is convivii moderator ubi creatus erat, pro arbitrio condebat leges: quales expreſſas legere eſt apud Lipſium, antiq. Lect. lib. 3. capite unico. Unde & multa ad rem præſentem ſpectantia hauſimus: ergo & hæc accipe. Quindecim illic ſtatuta præſcribuntur; quorum præcipua ſunt iſta:

Vinum parum, putum puer infundito.
A ſummo ad imum more majorum bibunto.
Decem cyathi ſumma potio ſunto.
Muſis nonum, decumum Apollini libanto.
Dominum ſi quis habeſſit, indicium facito.
Rixæ, clamor, contentio, ad Thracas
Ablegantor: eorum vicem carmen,
Aliudve quid Muſæum proferunto, &c.

Non ego ſanius Bacchabor Edonis, &c.] Adeo me afficit, ac quaſi extra me rapit, ingens lætitia ob receptum præter ſpem Pompeium Varum mihi dilectiſſimum, ut mihi temperare nequaquam poſſim; nullumque gaudio modum adhibere queam. Itaque deſideratiſſimâ illius præſentiâ fruens totum me hilaritati tradam. Hinc & bibam largius, & ſaltabo, & diſcurram inſtar Bacchantium; & quamvis *furere*, & inſanire videar, hoc etiam *dulce* mihi futurum eſt.

27. *Edonis.*] Edon Servio, Edonus Plinio lib. 14. cap. 11. Mons Thraciæ a quo Thraces

Nam & mihi ſuave eſt inſanire amico recuperato.

Dulce mihi furere eſt amico.

ANNOTATIONES.

Edoni vel Edonii: Bacchus etiam Edonius, Bacchantes quoque Edonides & Edonæ cognominantur. Propert. 1, 3, 5.

Nec minus aſſiduis Edonis feſſa choreis
Qualis in herboſo concidit Apiano.

Porro cum Edoni, tum Thraces univerſi bibacitate ac petulantiâ famoſi noſcuntur. De quibus & ſupra ad Od. 27. lib. 1.

Natis in uſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare Thracum eſt.

ODE VIII. Ad BARINEN.

Juranti licet ei non eſſe cur credatur, quoniam amantium perjuria a Diis non plectuntur.

O Barine, ſiqua tibi punitio aliquando contigiſſet, ob fidem violatam: ſi deformior eſſes effecta atro dente, vel ungue uno, crederem. Verum ſimul ac promiſſis fallacibus caput obſtrinxiſti, longe formoſior ſplendes, ſiſque adoleſcentium communis ſolicitudo. Ergo juvat fraudare ſepultos cineres genitricis,

ULLA ſi juris tibi pejerati [181]
Pœna, Barine, nocuiſſet unquam;
Dente ſi nigro fieres, vel uno
Turpior ungui;
Crederem. Sed tu ſimul obligâſti [182]
Perfidum votis caput, eniteſcis
Pulchrior multo, juvenúmque prodis
Publica cura.
Expedit matres cineres opertos

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2. Lib. 1.

1. *Ulla ſi juris.*] Si non impune toties fregiſſes fidem, ſi vel ſemel pœnam inde aliquantulam pertuliſſes, atque ultores perjuriorum Dii tantulo deformiorem effeciſſent, dente vel ungue uno denigratam; (quo quidem gravius nihil accidere tibi poſſe exiſtimo) tibi juranti, Barine, crederem, ratus nimirum formidaturam ne deinceps ulterius mulcteris, ſi iterum pejeraris. Alii interpretantur, *crederem* vindices adeſſe Deos fidem violantibus. Ea nempe apud antiquos inoleverat opinio, mentientes quadam parte corporis illico pœnam ferre, ſeu puſtulam naſo, aut linguæ, ſeu notam vultu, oculis, dentibus, manibus, alibive, nigram ac deformem, &c. Hinc Theocrit. Idyll. 9.

Μηκέτ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φύσῃς.

Nec amplius in lingua extrema puſtulam produxeris.

Et Idyll. 12.

—Ἐγὼ δὲ σε τὸν καλὸν αἰνῶν,
Ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιᾶς οὐκ ἀναφύσω.

Ergo vero te pulchrum prædicans, mendacia ſuper ſummum naſum non produxero; id eſt, nihil falſi edidero. Hinc Ovid. Amor. 3. Eleg. 3. de amica quæ pejeraverat quaſi admirans ait:

Eſſe Deos credamne? Fidem jurata fefellit:
Et facies illi, quæ fuit ante, manet.
Quam longos habuit nondum perjura capillos,
Tam longos, poſtquam Numina læſit, habet.
Candida candorem roſeo ſuffuſa rubore
Ante fuit: niveo lucet in ore rubor.
Pes erat exiguus: pedis eſt aptiſſima forma.
Longa decenſque fuit, longa decenſque manet.
Argutos habuit, radios ut ſidus, ocellos,
Per quos mentita eſt perfida ſæpe mihi.

2. *Barine.*] Julia Barine, formâ ſpectabilis adoleſcentula; Romana, ut habent codices quidam, quanquam nomen iſtud Romani, Latini, Græcive nihil habet. Non abſurde igitur *Earine*, legendum ſuſpicantur viri certe eruditi, ab ἔαρ, quod ver ſonat.

3. *Dente ſi nigro, &c.*] Dentes albos ad pulchritudinem pertinere nemo neſcit.

Vel uno turpior ungui.] Vel parte minima corporis mutila vel deformata.

5. *Sed tu ſimul obligaſti, &c.*] At ubi malum omne ipſa tibi, ſi fallas, imprecata es, fallis tamen mali nihil metuens, mali nihil ferens: imo vero pulchrior evadis, pluresque nanciſceris amatores.

6. *Perfidum votis caput.*] Virg. Æn. 9. 300.
Per caput hoc juro, per quod pater ante ſolebat.

9. *Expedit matris cineres, &c.*] Ergo ſi e perjuriis enaſcuntur emolumenta, nedum incom-

Fallere,

Fallere, et toto taciturna noctis
Signa cum cœlo, gelidâque Divos
Morte carentes.
Ridet hoc, inquam, Venus ipſa; rident
Simplices Nymphæ, ferus & Cupido, [183]
Semper ardentes acuens ſagittas
Cote cruentâ.
Adde quòd pubes tibi creſcit omnis,
Servitus creſcit nova; nec priores
Impiæ tectum dominæ relinquunt
Sæpe minati.
Te ſuis matres metuunt juvencis,

aſtraque noctis ſilentia, olympumque univerſum, atque numina frigidæ mortis expertia. Id, inquam, ipſa ridet Venus: rident faciles Nymphæ, imò & ſævus Cupido ignitas aſſidue ſagittas exacuens cote ſanguinolentâ. Præterea juventus tibi cuncta adoleſcit, totidemque captivi parantur novi: veteres autem irreligioſæ dominæ domum, frequenter minati licet, haud deſerunt. Te matres ſuis adoleſcentibus,

ANNOTATIONES.

moda vel pœnæ ſubeantur, certè expedit religionem omnem flocci facere; adeoque promiſſa matri jam ſepultæ non valde refert implere, imo juvat non perſolvere, & *fallere*. Flagitium tamen ac nefas maximum, parentum cineres violare, veteres crediderunt. Virgil. Æneid. 4. v. 427.

Nec patris Anchiſæ cineres maneſve revelli.

10. *Et toto taciturna noctis Signa cum cœlo, &c.*] Expedit, inquam fallere, mentiri, perfidè teſtari ac jurare ſidera, Deos immortales, totumque cœlum. Virg. Æneid. 6. v. 458.

——Per ſidera juro,
Per ſuperos, &c.——

Taciturna noctis Signa.] Hypallage: ſidera nocte tacenti lucentia. Cæſar. lib. 7. de Bello Gall. *Id ſilentio noctis conati.* Et poſteà: *Silentio noctis Cæſar e caſtris egreſſus.* Virgil. Æneid. 4. v. 522.

. . . . . Cum medio volvuntur ſidera lapſu:
Cum tacet omnis ager,——
. . . .
. . . . ſub nocte ſilenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

13. *Ridet hoc, inquam, Venus, &c.*] Non offenditur, imo delectatur Venus perjuriis ejuſdem inter amantes frequentibus. Quare vero? Quoniam pejerantes in rebus amatoriis, ſimiles pueris, minimum mentis habent. Ὡς καθάπερ παίδων, τῶν ἡδονῶν οὐδὲ τὸν ὀλίγιστον κεκτημένων. *Voluptates*, id eſt, qui eas cæco impetu ſectantur, *velut pueri minimum rationis poſſident*, adeoque vix intelligunt quid agant; quo levius fit quod peccant. Plato in Philebo. Ov. amor. 2, 3, 21.

Scilicet æterni falſum jurare puellis
Dii quoque concedunt.——

Et Art. Am. 1. 633.

Jupiter ex alto perjuria ridet amantum,
Et jubet Æolios in freta ferre Notos.

Tibull. 1, 4, 21.

Nec jurare time: Veneris perjuria venti
Irrita per terras & freta ſumma ferunt.

Hinc & Proverb. *Aphrodiſium juramentum*, pro vano & futili.

14. *Simplices.*] Mites, benignæ, indulgentes, ad ignoſcendum *faciles*, ex Virgil. Eclog. 7. v. 9.

Et quo, ſed faciles Nymphæ riſere, ſacello.

Nymphæ.] Aſſeclæ comiteſque Veneris, Jocus, Riſus, Gratiæ, &c.

Ferus & Cupido.] Necnon ipſe, qui videtur *ferus*, Cupido ridet perjuria iſtiuſmodi, quamvis ad vindictam parata ſemper gerat arma, arcum, *ſagittaſque*, eaſque *ardentes* & *acutos cote cruenta*. Nimirum quas pugnas, quæ vulnera, quas cædes amor non gignit?

17. *Pubes tibi creſcit omnis, &c.*] Impuberes creſcere adoleſcere videntur ad tibi ſerviendum, augendumque captivorum tuorum numerum. *Nec priores* tamen *amatores relinquunt* te, licet experti perfidiam tuam; quamvis etiam relicturos te, aliamque fideliorem amicam quæſituros, non ſemel ante *minati* fuerint. Verum *ſinus hic eſt apud te animus eorum clavo Cupidinis*, ut eſt apud Plaut. Aſin. 1, 3, 4. Tibull. 2, 6, 13.

Juravi quoties rediturum ad limina nunquam?
Cum bene juravi, pes tamen ipſe redit.

Propert. 2, 3, 49.

Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti poſt hæc æqua & iniqua ferunt.

Vide Perſ. Sat. 5. v. 161. & ſeq.

21. *Te ſuis matres metuunt juvencis.*] Ne capti illecebris tuis adoleſcentes, meretriciiſque amoribus innexi puſſundato pudore *ſiccis dedecus obſtent cognatis.* Perſ. modo cit. *Te ſenes parci*, timent pariter; ne juvenes illi *rem patriam rumore ſiniſtro limen ad obſcœnum frangant*, ibid. id eſt, patrimonium dilapident in impura conſuetudine. Meretricem eſſe quaſi voraginem nihil non abſorbentem, alibi notavimus. Itaque filiis ſuis parentes metuunt te velut ſcopulum, ad quem rerum imperiti illiduntur, faciuntque naufragium honoris ac fortunarum.

Te

te ſenes avari timent; puellæ quoque recens matrimonio junctæ metuunt, *ne viros* ſuos *rimoretur fulgor tuus.*

Te ſenes parci, miſeræque nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

ANNOTATIONES.

22. *Miſeræque nuper Virgines nuptæ, &c.*] Puellæ denique recens nuptæ metuunt, ne maritos ſuos a ſe abalienet abducatque ac detineat *aura tua*, favor, odor, fragantia, venuſtas alte conquiſita; ſicque *miſeræ* ipſæ fiant, parum dilectæ, ſpretæ, neglectæ, dum tuis blanditiis illi occupantur.

ODE [illegible] Ad VALGIUM.

Ut deſinat tandem lugere Myſtem puerum.

Amice Valgi, haud perpetuo fluunt e nebulis pluviæ in campos aſperos: nec variæ tempeſtates agitant ſemper mare Caſpium: nec per menſes ſingulos pigrum gelu manet in Armeniæ regionibus: nec Gargani quercus vexantur Septentrionalibus ventis; *& frondibus ſpoliantur fraxini.*

NON ſemper imbres nubibus hiſpidos [184]
Manant in agros; aut mare Caſpium
Vexant inæquales procellæ
Uſque; nec Armeniis in oris, [185]
Amice Valgi, ſtat glacies iners
Menſes per omnes; aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

Inſcripta eſt Ode hæc ad Valgium, Poëtam, certe haud ignobilem, ipſius Horatii judicio; quippe illum nobilioris notæ vatibus accenſet. Sat. 1, 10, 81.

Plotius, & Varius, Mæcenas, Virgiliuſque,
Valgius, & probet hæc Octavius optimus, atque
Fuſcus, & hæc utinam Viſcorum laudet uterque.

Tibullus quoque eum ita commendat lib. 4. Eleg. 1. v. 179.

Eſt tibi, qui poſſit magnis ſe accingere rebus,
Valgius: æterno propior non alter Homero.

Conſularem virum produnt aliqui, quod non ita certum eſt: Romæ vero fuiſſe hujus nominis illuſtres conſtat vel ex Comment. lib. 6. de Bello Civili, ſeu de Bello Hiſpanienſi, ubi ſic habetur: *A. Valgius Senatoris filius, cujus frater in caſtris Pompeii fuiſſet, &c.* T. Valgii carmina quædam affert Servius in Æneid.

Sed nos ante caſam tepidi mulgaria lactis
Et ſinum vini ceſſamus fundere Baccho.

Iſidorus, ex Annotatione Lilii, hæc etiam citat.

Hic mea me longo ſuccedens prora remulco
Lætantem gratis ſiſtit in hoſpitiis.

1. *Non ſemper imbres.*] Vide Ovid. ex Ponto, lib. 4. Eleg. 4. *Hiſpidos agros* vel ſpicis ac frugibus maturis hiſpidos & hirſutos; vel potius hyemis aſperitate horridos ac deformes. Ovid. Metam. 2, 30.

Et glacialis hyems canos hirſuta capillos.

2. *Mare Caſpium.*] Hoc & Hyrcanum dicitur ab Hyrcania regione proxima, quam alluit, ut & Mediam, Albaniam, Margianam, Sogdianam, Scythiam. Hodie *Mer de Sala*, vel, *Mer de Baccu*, &c. Hoc *ſævum & procellis undique expoſitum* Mela refert: & proinde nominari illud potiſſimum hic dixeris. Adverte conglobatam figuram ſpeciei pro genere, *Mare Caſpium, Armeniis in oris, Aquilonibus querceta Gargani, orni*, pro quolibet mari, Boreali terra, vento, ſylva, arbore, monte: quâ non mediocris carmini venuſtas & elegantia comparatur.

3. *Inæquales procellæ.*] Inæquale reddentes æquor, ſeu mare antea pacatum turbantes, fluctuſque varios modo tollentes, modo deprimentes.

4. *Armeniis oris.*] Hæc Aſiæ Regio duplex eſt, utraque Turcis nunc paret: major quæ hodie *Turciſtan & Turcomania*; & minor, quæ *Aladulia* vocatur. Inter montes Taurum & Caucaſum ſita eſt.

5. *Glacies iners.*] Aqua nimirum congelata curſum non habet, vel quod pigros & inutiles agros faciat.

7. *Querceta Gargani.*] Altæ quercus in Gargano, Apuliæ monte, qui vetus nomen hodie ſervat, & dicitur etiam mons Sancti Angeli. De Gargano promontorio Lucanus, lib. 5, 380.

Appulus Hadriacas exit Garganus in undas.

Tu

Tu ſemper urges flebilibus modis
Myſten ademptum; nec tibi Veſpero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.
At non ter ævo functus amabilem [186]
Ploravit omnes Antilochum ſenex
Annos; nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiæ ſorores
Flevere ſemper. Deſine mollium
Tandem querelarum; et potiùs nova
Cantemus Auguſti trophæa

Tu vero modulis triſtibus ereptum tibi Myſten continuò proſequeris: neque tui deſinunt amores exorto Veſpere, neque cadente illo *Soli rapide exurgenti. Atqui* Neſtor *vetulus triplici ætate exactâ, haud cunctis annis deflevit Antilochum dilectum: neque Troilum impuberem indeſinenter luxerunt parentes vel ſorores Trojanæ. Aliquando ceſſa in teneris querimoniis; magis autem celebremus re.entes Auguſti Cæſaris victorias;*

ANNOTATIONES.

9. *Tu ſemper urges, &c.*] Haud hyems perpetuo ſævit, non imbres ſemper deciduunt, non continuæ ſunt in mari procellæ &c. Tu vero non deſinis lachrymari, ac lugere tuum *Myſten* morte ablatum.

Flebilibus modis.] Elegiacis verſibus luctui accommodatis. Vide Epiſt. ad Piſones v. 75. Tull. Tuſc. 1. n. 106. *Hæc cum preſſis & flebilibus modis, qui totis theatris mæſtitiam inferant, concinuntur, &c.*

10. *Myſten.*] Alicujus numinis initiatum ſacris, e nomine conjiciunt & augurantur aliqui. At puerumne dilectum Valgio, an ejus filium, quis afferat? Filium ſane fuiſſe indicare videntur exempla modo allata, quæ ſingula ſunt parentum filios lugentium.

Nec tibi Veſpero Surgente, &c.] Nec ceſſas deſideria et lamenta iterare, ſive cum ſtella Veneris exoritur, ſero nempe, & Veſper appellatur; ſive cum occidit, & ſurgentem Solem fugit, mane ſcilicet, & Lucifer dicitur. Cic. de Nat. Deorum, 2. n. 53. *Infima eſt quinque errantium, terræque proxima, ſtella Veneris, quæ* φωσφόρος *Græcè, Lucifer Latinè dicitur, cum antegreditur Solem; cum ſubſequitur autem Heſperus.* Plin. lib. 2. cap. 8. *Infra Solem ambit ingens ſidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipſiſque cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. Præveniens quippe & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut Sol alter diem maturans; contra ab occaſu refulgens, nuncupatur Veſper, ut prorogans lucem, &c.* Ovid. Metamorph. 2, 112.

. . . Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena roſarum
Atria: diffugiunt ſtellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cæli ſtatione noviſſimus exit.

11. *Decedunt amores.*] Virg. Georg. 4. v. 466.

Te veniente die, te decedente canebat.

13. *At non ter ævo functus, &c.*] Verum, O Valgi, conſidera Neſtorem ſenio & annis gravem, amiſſo perquam amabili Antilocho filio ſuo, modum tamen aliquem poſuiſſe fletibus & lachrymis: pariter & Priamum, &c.

Ter ævo functus.] *Tertiam enim jam ætatem hominum vivebat,* inquit Tull. de Neſtore, in Catone majore, n. 31. Porro trecentis licet annis illum vixiſſe Poetæ narrent, treſque ætates totidem ſeculis definiant: melius tamen hominis ætas triginta duntaxat annos complecti, ſeu vero Neſtor annos vixiſſe nonaginta dicatur; ut optime probat Lambinus e Plutarcho in Catone ſeniore: ubi is Servilium Galbam accuſaſſe nonaginta annos natus refertur, ſuæque patriæ, non ſecus ac Neſtor, dum tertiam ætatem viveret, utilem operam navâſſe. Vide Ovid. 12. Metamorph. cap. 3. Juvenal. Sat. 10. v. 246. & ſeq. Plin. lib. 7. cap. 38. Cœl. Rhodig. lib. 19. cap. 21. Apud Athen. lib. 10. cap. 9. Neſtor ter ſenex, ὁ τριγέρων dicitur.

Amabilem.] Seu valde dilectum patri natu minimum; ſeu quod ſaucio parenti & in acie periclitanti adverſus Memnonem impigram opem tulit, ac demum pro patre tuendo occubuit. Ut eſt apud Pindar. Pyth. Od. 6. *Ploravit Antilochum* ab Hectore occiſum.

15. *Nec impubem.*] Neque imberbem *Troilum* ab Achille interemptum ſine modo *flevere parentes,* Priamus & Hecuba; *aut Phrygiæ ſorores,* Polyxena, Caſſanura, Lycaſte, Creüſa, Ilione, &c. Virgil. Æneid. 1, 478.

Parte alia fugiens amiſſis Troilus armis.
Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli.

17. *Deſine mollium tandem querelarum.*] Phraſis Græca, Homer.

Ἀλλ' ἄγε λῆγ' ἔριδος.

18. *Et potius nova cantemus Auguſti trophæa.*] Quaſi aliud agens, nobili quadam arte Cæſaris Auguſti laudationem molitur Horatius. Hoc certe jucundius, quam ſi ſtatim celebrandas ejus victorias aſſumeret & exequeretur.

19. *Trophæa.*] Victoriæ monumenta a τρέπειν, *vertere in fugam.* Olim enim eo in loco quo fugere hoſtes cœperant ac vinci, detracta

dicamus et algentem Niphatem, fluviumque Medum ſubactis nationibus adjunctum, fluctus minores agere: atque Scythas anguſtis jam agris, nec ultra definitos limites excurrere.

Cæſaris, et rigidum Niphaten;
  Medúmque flumen gentibus additum [187]
Victis, minores volvere vortices:
Intráque præſcriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

ANNOTATIONES.

illis arma & ſpolia ramis arborum victores ſuſpendebant. Poſtea vero in montibus & locis eminentioribus trophæa conſtituta ſunt, ad poſteritatis documentum. Salluſt. victis Hiſpanis trophæa in jugis Pyrenæi montis a Pompeio erecta commemorat.

20. *Rigidum Niphatem.*] Vel fluvium, vel montem potius nivibus rigentem. Pars Tauri montis, inter Armeniam majorem & Meſopotamiam, Niphates appellatur; unde & manat fluvius ejuſdem nominis, Armenios rigans, Medos, & Meſopotamios; dein in Tigrin allabitur. Lucan. lib. 3, 445.

Armeniuſque tenens volventem ſaxa Niphaten.

21. *Medumque flumen, &c.*] Medus fluvius, a quo Media nomen accepiſſe creditur, in Araxem influit. Strab. lib. 15. Alii interpretantur Tigrin, Araxem, Euphratem. Virg. Georg. 5. 560.

. . . . . Cæſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorque volentes
Per populos dat jura.———

21. *Gentibus additum victis.*] Armenis, Parthis. Ovid. Triſt. 2, 227.

Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcus
Parthus eques, timidâ captaque ſigna manu.

Vide Virgil. Æneid. 8. in fine. Et quæ annotavi lib. 1. Od. 12. ſub finem: Od. 19. v. 12. & Od. 35, in fine . . . . . Quibus adde quæ narrat Xiphilinus in Auguſto: *Phraates per id tempus metuens ne Cæſar contra ſe exercitum duceret, captivos ad eum remiſit; & ſigna militaria, quæ a Craſſo ademerat. Quæ ex re Cæſar gloriâ efferebatur, quod ſine labore recuperâſſet ea, quæ alii magnis præliis amiſiſſent. Ob eam cauſam ſacra fecit, atque ſedens in equo urbem ingreſſus eſt . . . . Cum eſſet in Aſia, regnaque & principatus partim aliis confirmaſſet, partim ad alios tranſtuliſſet, condemnatis quibuſdam regibus, nonnullis etiam laudatis & in amicitiam receptis, quam plurimæ legationes ad eum venerunt. Nam & Indi, qui antea quoque legatos miſerant, tum amicitiam confirmaverunt, datis muneribus, &c.* Et poſtea, *Phraates Parthorum rex de Armenia juſſus decidere, Auguſto ſine regis nomine reſcribenti paruit.* Ibid. Vide & Luc. Florum, lib. 4. cap. ult. ſub finem: ubi Armeniorum ſubactio, Parthos rapta clade Craſſiana ſigna referentes ultro, tandemque clauſum tertio Jani templum ab Auguſto Cæſare obſervabis.

22. *Minores volvere vortices.*] Elegantur attribuit Poëta fluviis, quod gentium eſt. Niphates & Medus minores jam æſtus agunt, non ita fluctus tollunt, id eſt, minus ſuperbire didicerunt: quo fracta populorum audacia & arrogantia deſignatur. Sic Virgil. Æneidi 8. v. 726.

. . . . Euphrates ibat jam mollior undis

23. *Intraque præſcriptum, &c.*] Referamus etiam & canamus debellatos *Gelonos*, Scythiæ Europæ populos; id eſt, Scythas Armeniæ vicinos, ab Auguſto Cæſare intra certos fines compulſos, ut non liceret deinceps excurrere *equitando* ultra *præſcriptum* ſibi terminum, nec, ut antea, quolibet vagari, & prædas agere. Virg. Æneid. 8, 725.

Hic Lelegas, Caraſque, ſagittiferoſque Gelonos

ODE

ODE X. Ad LICINIUM.

Servandam eſſe animi æquabilitatem in utraque fortuna:

REctiùs vives, Licini, neque altum [188]
Semper urgendo, neque, dum procellas
Cautus horreſcis, nimiùm premendo
Littus iniquum.
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti; caret invidendâ
Sobrius aulâ.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus; et celſæ graviore caſu

O *Licini, melius ages, neque ſemper altum petendo, neque ripam plus quam decet ſtringendo haud tutam, dum tempeſtates ſolicitus fugis. Quicunque amat pretioſam mediocritatem, ſecurus, & immunis eſt à ſqualore domûs vetuſtæ,* pariter *temperans abſtinet aula invidiæ obnoxia. Frequentius excelſa pinus ventis concutitur, & turres editæ*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2. Lib. 1.

1. *Rectius vives, &c.*] Tritam hanc ſententiam non uno tractat Horatius loco, ſed novâ quadam ratione, novo ſemper ornatu: ut novum quid ubique eſſe videatur: nimirum præſtat ipſe quod in Arte Poeticâ præcipit eleganter, ac difficile eſſe fatetur; v. 128. *Proprie dicet communia.* Hic allegoriis conglobatis oſtendit, extrema ſemper fugienda: ne, quod aiunt, incidas in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Licini.] Quis ille, magna lis. Plerique M. Licinium Craſſum prætorem intelligunt: qui cum ad Conſulatum aſpiraret, tum ſpei fruſtrationem impatienter & ægre ferens, rite ab Horatio ſit monitus. Is vero poſtea conſulare munus adeptus eſt, geſſitque cum Auguſto, anno U. C. 723. Ita Acron. Porphyrio Lubin. Cruq. &c. Verum hos expugnat Epigraphe hujus Odes vetus, Cod. MS. quæ ſic legitur: *Ad Licinium Murænam:* optimum eſſe medium vitæ ſtatum. Quæ cum ita ſint, cum Torrentio & aliis intelligo Licinium Varronem Murænam, qui frater erat Proculeii, ac Terentiæ uxoris Mæcenatis. Is ambitione raptus, & cupiditati frænum laxans adverſus Auguſtum cum Fannio Cæpione conſpiravit, triſtemque merito ſuo nactus exitum eſt; de quibus Dio lib. 54. &c. Vide ſupra Od. 2. v. 5. Annot. Bene itaque, licet fruſtra, Licinius ille Muræna docebatur ab Horatio, ut ſibi temperaret, nec rapido huic & cæco indolis impetui obſequendum; mediocritatem vero eſſe tutiorem, auroque præferendam.

Neque altum Semper urgendo.] In alto mari ſemper navigando, id eſt, ſumma quæque ſemper appetendo; altas dignitates quærendo, altumque fortunæ ſtatum.

2. *Urgendo.*] Aſſidue, vehementer & avide proſequendo.

Neque dum procellas Cautus horreſcis, &c.] Neque decet, ut timidus plus æquo puſillusque animus deprimat te, & adigat ad infima nimis ac ſordida.

3. *Premendo Littus iniquum.*] Legendo littus ſemper, quod tamen ob ſcopulos & vada non caret periculis. Pythagoræ monitum erat; ἐπὶ γῆς μὴ πλεῖν, *circa terram non navigandum;* quo docebat terreſtribus haud ſic adhærendum ut non ad ſublimia aſſurgeretur. Cic. ad Q. fratrem l. 2. Epiſt. 1. *Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas aut demittas animum, neve te obrui tanquam fluctu, ſic magnitudine negotii ſinas: contraque erigas, ac reſiſtas, ſive etiam ultro occurras negotiis.* Vide ſupra Od. 3.

5. *Auream quiſquis mediocritatem diligit, &c.*] Medii ſtatus ac mediocris fortunæ demonſtrat emolumenta: quod nec paupertatis malum habeat, v. g. obſoletum domicilium, vetuſtate labens ac deforme, vel ſordibus putidum; nec ſummæ conditionis comitem invidiam: ac proinde curas & labores. Heſiodus vult ut ſapiens ſectetur *μέτρια, mediocria:* quod καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος. *Mediocritas in omnibus optima ſit.* Hinc Proverb. Μηδὲν ἄγαν, *Ne quid nimis.* Et Solomon ipſe rex ſapientiſſimus ſic Deum optimum precabatur: *Divitias & paupertatem ne dederis mihi.*

6. *Obſoleti Sordibus tecti.*] Horat. Epiſt. 2, 2, 99.

Pauperies, immunda domus procul abſit.——

7. *Invidenda aula.*] Martial. *Invidioſa regis atria,* dixit.

9. *Sæpius ventis agitatur ingens Pinus, &c.*] En ſummarum dignitatum mala & incommoda! O Licini, tibi cave. Ovid. R:m. Am. 369.

Summa petit livor; perflant altiſſima venti:
Summa petunt dextrâ fulmina miſſa Jovis.

Decidunt

majorem trahunt ruinam, ac tonitrua verberant altos montes. Animus ritè præmunitus ſpem non abjicit in *adverſis*, in *proſperis* autem *contrariam timet fortunam. Hyemes horridas revocat Jupiter, idemque pellit. Si modo* res ſe habent *male, non etiam poſt ita ſe habebunt. Muſas dudum ſilentes* aliquando *lyrâ Phœbus excitat, nec arcum ſemper intendit. Mœſtis rebus generoſum te & conſtantem exhibe: aurâ verò propitiâ, ipſe prudenter conſtringes vela pluſculum inflata.*

Decidunt turres, feriúntque ſummos
Fulmina montes.
Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus. Informes hyemes reducit
Jupiter: idem
Summovet: non, ſi male nunc, et olim
Sic erit. Quondam citharâ tacentem
Suſcitat Muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo.
Rebus anguſtis animoſus atque
Fortis appare: ſapienter idem
Contrahes vento nimiùm ſecundo
Turgida vela.

ANNOTATIONES.

Juvenal. Sat. 10. v. 105.

. . . *Numeroſa parabat,*
Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.

Claudian. in Ruf. 22. . . *Tolluntur in altum,*
Ut lapſu graviore ruant.——

13. *Sperat infeſtis.*] Jam monet quid in utraque fortunâ cavere oporteat virum prudentem; nempe ne frangatur ac deficiat animo in adverſis, neve proſperis infletur, ac benignæ nimium credulus auræ, ſupra ſe rapiatur. Quæ quidem Licinius cum nequaquam ſervaſſet, immodicæ cupiditatis ac ſuperbiæ pœnas luit. Sapientis eſt præceptum: *In die malorum, ne immemor ſis bonorum*: & vice verſa, *In die bonorum, ne immemor ſis malorum.* Menander apud Stobæum:

Ἐν ἐλπίσι χρὴ τοὺς σοφοὺς ἔχειν βίον.
Ἄνθρωπος ἀτυχῶν σώζεται ὑπὸ τῆς ἐλπίδος.

In ſpe decet ſapientes agere vitam,
Vir infelix ſervatur ſpe.

Hinc & apud Pindar. ſpes γηροτρόφος dicitur.

Metuit ſecundis.] Horatius Lib. 1. Epiſt. 10. v. 30.

Quem res plus nimio delectavere ſecundæ,
Mutatæ quatient.——

Sapienter itaque Philippus Macedo, cum tres uno die lætos accepiſſet nuncios, exclamâſſe fertur: *Magne Jupiter, pro his tantis bonis modicum reponas mali.*

14. *Bene præparatum Pectus.*] Virtutis ac ſapientiæ documentis inſtructus animus.

15. *Informes hyemes reducit Jupiter, &c.*] Non ergo deſperandum, deſperatis etiam rebus: quandoquidem quotidianæ vices abjectum ſæpe erigunt; ſummovetque tandem *Jupiter hyemes*, & ærumnas, quas invexerat. Hinc Cic. ad Brutum Epiſt. 17. *Rempublicam deſperatam quoque ſanari poſſe*, inquiebat.

17. *Non, ſi mala nunc, & olim ſic erit.*] Sophocl. in Electra: *fortaſſe cras erit melius.* Τάχ' αὔριον ἔσσεται ἄμεινον. Tibull. 2, 6, 19.

. . . . . *Credula vitam*
Spes fovet, & fore cras ſemper ait melius.

18. *Quondam cithara tacentem ſuſcitat Muſam, &c.*] Armatus ipſe arcu & ſagittis Apollo, hæc ponit interdum, & ad hilaritatem provocat Muſas, citharam prior accipiens & pulſans. Pæan a παίειν *ferire*, dicitur; ex Feſto. *Neque ſemper arcum tendit*: non ſemper nocet. Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 17. *Apollinem adoramus*, inquit, *cognominibus, modo ſoſpitatem, modo peſtem ſignificantibus.* Vide lib. 1. Od. 12. v. 23. Pingebatur olim Apollo dextrâ Gratias, lævâ ſagittas & arcum tenens: quod modo radiis & calore naturam recreet ac beet univerſam: modo æſtus immodicos, morbos, luem gignat.

23. *Contrahes vento nimium ſecundo Turgida vela.*] Si proſpero fortunæ utaris flatu, quod ait Tullius, ſi res fluant ad arbitrium, ne ſuperiora ſemper & ulteriora proſequere: imò & ambitionem coerce & arrogantiam, unde tibi fit ruinæ cauſa. Quemadmodum nautæ, cum remittit ventus, expanſis velis captant auram: at ſi vehementior evadet, vela contrahunt; ne validiore abrepti impetu, navim haud poſſint regere, atque in ſcopulos impellantur, illidanturque. Ovid. Triſt. 3, 4, 32.

Tu quoque formida nimium ſublimia ſemper,
Propoſitique precor contrahe vela tui.

Iſocrates ad Demonicum; Ὅταν εὐτυχῇς, μὴ ὑπερχαρὴς, ὅταν δυστυχῇς, περίλυπος ἔσῃ. Neque beatus ſupra modum exultes; neque infortunatus ſine modo mœreas & contriſteris.

ODE

ODE XI. Ad Q. HIRPINUM.

Hilariter vivendum, omiſſis curis.

Quid bellicoſus Cantaber, & Scythes, [191]
Hirpine Quinti, cogitet, Adriâ
Diviſus objecto, remittas
Quærere, nec trepides in uſum
Poſcentis ævi pauca: fugit retro
Levis juventas et decor, aridâ
Pellente laſcivos amores [192]
Canitie, facilémque ſomnum.
Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis, neque uno Luna rubens nitet
Vultu: quid æternis minorem
Conſiliis animum fatigas?

O Quinti Hirpine, deſine percontari quid meditetur bello ſtrenuus Cantaber, ac Scytha, ſeparatus interpoſito mari Adriatico: neque ſollicitus ſis utilium vitæ modica requirenti. Abit retrorſum polita juventus ac pulchritudo, ſicca ſenectute amovente amores luxurioſos ac ſoporem facilem. Haud eadem ſemper dignitas manet floribus vernis: nec pari facie micat Luna rubicundula. Quare mentem crucias ſempiternis propoſitis inferiorem?

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Quid bellicoſus Cantaber, &c.*] Ne tam anxie quæras, O Hirpine, quid moliantur exteri populi contra Rempublicam Imperiumque Romanum; neve metuas plus æquo, ne in Italiam irrumpant agroſque devaſtent eæ nationes, quas mare nobis disjungit. De *Cantabris* vide Annot. Od. 6. v. 2. De *Scythis* lib. 1. Od. 35. v. 9. Hic vero per *Scythas* intellige Illyrios, Dalmatas, Pannonios, Dacos. Eos enim, ut & omnes Septentrionales, Scytharum nomine veteres indigitabant: hos vero tunc bello fatigabat Tiberius Nero, Druſi Neronis frater, qui conſulatum geſſit cum T. Quinctio Criſpino, ut obſervat Cruq. unde & Criſpinum pro Hirpino hic legendum ac ſubſtituendum opinatur. Favet etiam quod inter Quinctiæ gentis cognomina haud *Hirpinus* recenſeatur: quod acute ſuo more Torrentius indicat. Verum enimvero nullus non codex habet Hirpinum. Vide paulo poſt. Vide & Epiſt. 16. lib. 1. huic eidem inſcriptam.

2. *Adria.*] Sinus eſt ingens Illyricum inter atque Italiam, hodie *Sinus Venetus*. De eo plura lib. 1. Od. 16. v. 4.

4. *Nec trepides in uſum, &c.*] Hinc videtur habuiſſe prædia Quinctius noſter, quibus calamitatem aut vaſtitatem metueret ab hoſtibus ſupra memoratis, ſi in Apuliam venirent; ubi fortaſſe & ſita erant illa, & ipſe fortaſſe natus, aut diu commoratus cognomen ſortitus erat. Nam Hirpini Apuliæ populi. Saltem id conjicere liceat, dum certi nihil aliunde ſuppetit.

5. *Poſcentis ævi pauca.*] Conſolatur itaque Horatius Hirpinum, quod, etſi detrimentum capita res ſua familiaris, ſatis ipſi ſuperfuturum ſit unde ſuſtentet vitam, quæ quidem brevis, & parvo contenta eſt. Unde poſtea recte infert Poeta, præſentibus utendum hilariter, ac jucunde vivendum, quandiu ſinunt fata.

Fugit retro Levis juventas, &c.] En vides abiiſſe dudum juventutem noſtram; inſtare jam canitiem ac ſenii incommoda: ergo carpamus diem & oblectamenta, dum licet adhuc.

6. *Levis.*] Lævis, imberbis, polita, λεῖα.

Arida Pellente laſcivos, &c.] Tum ob caloris naturalis, tum humidi radicalis diminutionem ac defectum. Valeant qui aridos ſenes hic interpretantur parcos & miſere victitantes. Parum enim ad rem.

9. *Non ſemper idem floribus eſt honos, &c.*] Nec miremur, aut conqueramur de prioris ætatis amiſſo decore: cum nec ver ſit perpetuum, aut vernis floribus perennis nitor: nec Luna ſuum ſervet integrum ſemper ſplendorem ac ſpeciem. Ovid. Art. Am. 2. 115.

Nec ſemper violæ, nec hiantia lilia florent,
Et riget amiſſâ ſpina relicta roſâ.

Propert. 1, 10, 8.

Et mediis cælo Luna ruberet aquis.

Cave autem ne *rubens Luna*, tibi aliter intelligatur, quam nitida, & rubore quodam interfuſo pulchra.

11. *Quid æternis minorem Conſiliis, &c.*] Cum fluxa ætas brevi prætereat, morſque advolans hominum conſiliis finem cito imponat, cum æterna ſtruis, & infinita conſilia meditaris? Quare animum diſcrucias iſtis longioribus propoſitis & curis; cum mens humana ſit imbecillior quam ut valeat conſulere, providere, ſtatuere aliquid

Quin ſub hac procerâ vel pinu vel platano, ut caſus tulerit proſtrati, bibimus, quamdiu per vitam *licet, alteſcentibus capillis odoriferâ roſâ, & nardo Syriâ delibutis. Bacchus ſollicitudines diſcutit mordaces. Quis ſervus calidi Falerni vaſa quam primum refrigerabit aqua defluente? Quis ædibus evocabit Lyden meretricem a viâ remotam? Heus jube cum eburnea cithara hæc feſtinet capillos* habens *incomptos, ſicut Laconica* mulier, *nodo collectos.*

Cur non ſub altâ vel platano, vel hâc
Pinu jacentes ſic temere, et roſâ
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriâque nardo
Potamus uncti? Diſſipat Evius [193]
Curas edaces. Quis puer ocyùs
Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lymphâ?
Quis devium ſcortum eliciet domo
Lyden? Eburnâ dic age cum lyrâ
Maturet, incomptam Lacænæ
More comam religata nodo.

ANNOTATIONES.

æternum: *Vel* quam ut æterna Dei conſilia poſſit comprehendere: quod minus placet. Ariſtot. Θνατὰ χρὴ τὸν θνατὸν, οὐκ ἀθάνατα θνατὸν φρονεῖν, *Mortalia mortalem, non immortalia decet cogitare.*

13. *Cur non ſub altâ vel platano, &c.*] Cur genio non indulgemus, poſthabitis omnibus curis, in umbrâ procumbentes?

14. *Temere.*] Sine ullis ceremoniis, Gall. *ſans façon; a la negligence.* Angl. at random, without order, careleſſly.

Roſa Canos odorati capillos, &c.] Perfuſis ſucco roſæ capillis, aliiſque pretioſis unguentis. Hoc enim pertinebat ad hilaritatem & læta veterum convivia, ut annotavi fuſe lib. 1. Od. ult. & alibi.

15. *Canos.*] Hinc liquet Horatium Hirpinumq; tum ſenes fuiſſe, cum hæc ab illo ſcriberentur.

16. *Aſſyriaque nardo.*] Nardino unguento, de quo Plin. lib. 13. cap. 1. *Nardinum ſive foliatum conſtat omphacio, balanino, junco, coſto, nardo, amomo, myrrha, balſamo.*

Aſſyria.] Pro Syra: non quod in Syria nardus creſcat; ſed quod ibi mercatores comparabant, indeque Romam advehebant nardum, quæ ad Syros deferebatur ex India, ubi copioſe provenit. Sic & malobathrum Syrium vocatur ſupra Od. 7. v. 8. Plin. cit. mox loco *nardum Indicam*, appellat. Et lib. 12. cap. 12. *In noſtro orbe laudatur Syriacum*, inquit. Et paulo poſt: *De folio nardi plura dici par eſt, ut principali in unguentis. Frutex eſt gravi & craſſa radice, ſed brevi & nigra, fragiliq; quamvis pingui .... folia parva denſaque, cacumina in ariſtas ſe ſpargunt, ideoque geminâ dote nardi ſpicas ac folia celebrant.* Hinc patet cur ſpicatum & foliatum appelletur nardinum unguentum, Marci cap. 14. v. 3. *Venit mulier habens alabaſtrum nardi ſpicati pretioſi.* Nardini velut exquiſiti meminit Athen. lib. 15. cap. 12 & 13. Cœl. Rhodig. lib. 30. cap. 24.

17. *Diſſipat Evius Curas.*] Cur Evius dicatur Bacchus, vid. Annot. lib. 1. Od. 18. v. 9. quod animo pellat curas & ſolicitudines, lib. 1. Od. 7, 18, 27.

18. *Edaces.*] Curas, quaſi cor urentes dici aiunt.

Quis puer ocyus.] Quaſi ſit jam in convivio, ſic iſta profert: quis vini ardorem aquâ temperabit? vel potius, quis lagenas, pocula, vaſa, refrigerabit aquis immerſa?

20. *Prætereunte lymphâ.*] In fonte qui frigidus præterit, ac in rivos defluit.

21. *Quis devium ſcortum eliciet.*] Lyden fidicinam, cithara canendo quæſtum facere ſolitam? quæ non ſe vulgare quibuſvis conſuevit, nec per vias oberrare. Hinc *deviam* vocat. Locum hunc amplius explanare nec licet, nec libet. Addam tamen fortaſſe comiſſatum vocari, atque hinc duntaxat *ſcortum* dici.

23. *Incomptam Lacænæ More comam religata nodo.*] Habens comam nodo religatam tantum, parum vero comptam, more puellarum Lacænicarum, quæ non eleganti corporis ornatui ſtudebant, ſed ad palæſtram, venationem, & alia ejuſmodi, neglecto cultu, exercebantur. Itaque vetat ne dum crines nodarentur in aurum, ac ſtudioſe comerentur, expectantes fatiget mora. Legunt quidam *incomptam, &, nodo:* alii; *in comptum, &, nodum;* alii *incomptum.* Varieque ſe torquent ut perturbata ſatis verba ordinent. Verum c... eodem recidat ſenſus utrobique non obſcurus; non eſt ita de cætero laborandum.

ODE XII. Ad MÆCENATEM.

Lyræ ſuæ haud convenire res graves: Mæcenas Auguſti bella ſcribat, dum a ſe cantabuntur Liciniæ laudes.

NOLIS longa feræ bella Numantiæ, [194]
Nec dirum Hannibalem, nec Siculum mare
Pœno purpureum ſanguine, mollibus
Aptari citharæ modis;
Nec ſævos Lapithas, et nimium mero [195]
Hylæum, domitóſque Herculeâ manu 6
Telluris juvenes; unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris. Túque pedeſtribus
Dices hiſtoriis prælia Cæſaris,

Ne carmine Lyrico lenibri decantari jubeas a me diuturna prælia ferocis Numantiæ, vel ſævum Hannibalem, vel mare Siciliæ Carthaginienſium cruore rubicundum, vel immanes Lapithas, & Hylæum vino immoderatum, & ſubactos Herculis dextra filios terræ, à quibus cladem timuit domus ſplendens antiqui Saturni. Tu verò, Mæcenas, ſolutis narrationibus

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 6. Lib. 1.

1. *Nolis, &c.*] Ne a me exigas, inquit Horatius, quod tu longe melius exequere, O Mæcenas: perge Auguſti bella deſcribere, & quod jam feliciter auſpicatus es, conſice. Ego vero Liciniæ tuæ laudes perſequar.

Longa feræ bella Numantiæ.] Longa quæ per annos tot exarſere; Strabo 20. Polyb. 18 Florus & Oroſius 14. numerant. Confecta tandem ſunt ab Æmiliano Scipione Africano, qui urbem iſtam octo jam annis obſeſſam cepit ac delevit; imo fame ad extrema compulit: Indeque Numantini cognomen alterum conſecutus eſt. L. Flor. lib. 2. c. 18. *Numantia, quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior, ita virtutis nomine & honoris par omnibus; ſummumque, ſi viros æſtimes, Hiſpaniæ decus. Quippe quæ ſine muro, ſine turribus, modice edito in tumulo apud flumen Durium ſita, quatuor millibus Celtiberorum, quadraginta millium exercitum per annos quatuordecim ſola ſuſtinuit, nec ſuſtinuit modo ſed ſævius aliquanto perculit, pudendiſque fœderibus affecit, &c.* Et poſtea, *exitu denique deplorato, in ultimam rabiem furoremque converſi . . . . duces ſuos, ſeque, patriamque ferro & veneno, ſubjectoque undique igne peremerant, &c.* Idem memorant Oroſ. lib. 5. cap. 6. Vide & Strabon. Polyb. lib. 1. Valer. Maxim. lib. 7. cap. 6. Eutrop. Plin. Tit. Liv. D. Auguſt. de Civit. Dei. lib. 3. cap. 21.

2. *Dirum Hannibalem.*] Romanorum hoſtem per annos ſeptemdecim infeſtiſſimum. Alii legunt *durum*, id eſt, *indefeſſum*. Vid. Tit. Liv. lib 21. cap. 4. ubi ſic ſcribit: *Annibali plurimum audaciæ ad pericula capeſſanda, plurimum conſilii inter ipſa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat, &c. . . . . . . virtutes æquabant vitia; inhumana crudelitas, perfidia pluſquam Punica; nil veri, nil ſancti, &c.*

Siculum mare Pœno purpureum ſanguine.] C. Duilius Conſul in mari Siculo primus omnium Carthaginienſes navali prælio ſuperavit, captis navibus triginta, merſis tredecim, tribus hominum cæſis millibus, captis ſeptem. Unde perpetuus illi honos habitus eſt, ut reverenti a cœnâ tibicines præcinerent, & funale præferretur. Aurel. Victor. de viris illuſt. Oroſ. lib. 4. cap. 7. Flor. lib. 2. cap. 2. &c.

5. *Sævos Lapithas.*] Vide lib. 1. Ode 18. v. 8. Metamorph. Ovid. lib. 12.

Nimium mero Hylæum.] E Centauris unum vini potu nimio ebrium, petulantem, ſuperbum, libidinoſum. Virgil. Georg. 2, 557.

Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

6. *Domitoſque Herculea manu Telluris juvenes.*] Gigantes terræ filii dicti ob ingentem corporis molem, *γηγενεῖς*, Homer.

7. *Unde periculum Fulgens contremuit domus Saturni veteris.*] A quibus periculum timuerunt Dii, totumque cœlum *contremuit*, cum illi bellum moverunt; at Herculis auxilio domiti ac debellati ſunt. Vide Diodor. Sicul. lib. 5. & poſtea Od. 19. hujus libri.

9. *Saturni veteris.*] Quia primus ante Jovem regnavit. Hinc & Virgil. Æn. 7, 180.

Saturnuſque ſenex.

Tuque pedeſtribus.] Et certe ipſe tu, Mæcenas, melius & ornatius referes egregia Cæſaris facinora & triumphos.

Pedeſtribus hiſtoriis.] Proſâ oratione; quam Græci πεζὸν λόγον dicunt contra Poeſim ἔποχον, orationem equo velut inſidentem; ſolitamque recitari ἐξ ἁμάξης, ἐξ ἅρματος, *e curru, e plauſtro*

 Mæcenas,

referes convenientius bella Cæſaris, ac reges ſuperbos domitâ *cervice per vias* Romæ *tractos.* At *Muſa me celebrare juſſit amicæ* tuæ *Liciniæ ſuaves modulos, oculos admodum nitentes, animumque amori* tuo *æquè & fideliter reſpondentem, quam decuit & choris intereſſe, & facetiis contendere, & ſaltantem* cum *puellis ornatis bracbia jungere, in religioſo celebrata Dianæ feſto.* Enimverò

Mæcenas, meliùs, ductáque per vias
Regum colla minacium.
Me dulces dominæ Muſa Liciniæ [196]
Cantus, me voluit dicere lucidùm
Fulgentes oculos, et bene mutuis
Fidum pectus amoribus;
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus ſacro
Dianæ celebris die.
Num tu, quæ tenuit dives Achæmenes,

ANNOTATIONES.

& quadrigis velut invectam. Unde Cic. ad Quinctum fratrem, lib. 2. Epiſt. 14. *Quoniam in iſto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule ſæpius excitante, curſu corrigam tarditatem, tum equis, tum vero (quoniam ſcribis poema ab eo noſtrum probari) quadrigis poeticis, &c.* Pindar. Ἀνάγεσθαι ἐν μοισᾶν δίφρῳ, *Tolli in curru Muſarum.* Porro Mæcenatem conſtat fuiſſe literarum peritum, & plura compoſuiſſe carmina. *Nam & Auguſti Cæſaris geſta deſcripſit,* inquit Servius ad 2 Georg. v. 42.

Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto.

Ubi & affert locum hunc Horatii. Ne vero quis inde arbitretur ſcriptam verſibus a Mæcenate Cæſaris hiſtoriam.

11. *Ductaque per vias Regum colla minacium.*] Reges in Triumpho ab Auguſto circumductos per mediam urbem, & Velabrum, perque Sacram viam ad Capitolium. Quo vero id fieret apparatu, qua pompa, fuſe narrat Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6. De triumphis Auguſti Sueton. in Octav. cap. 22. *Bis ovans ingreſſus eſt urbem, poſt Philippenſe, & rurſus poſt Siculum bellum. Curules triumphos tres egit. Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum: continuo triduo omnes.* Anno ſcilicet U. C. 724. *Jamque tantus erat Cæſar, ut poſſet triumphos contemnere,* inquit L. Flor. lib. 4, 12, 53. Adde quod ait Eutrop. 7, 10. *Multi autem reges ex regnis ſuis venerunt, ut ei obſequerentur: & habitu Romano, togati ſcilicet, ad vehiculum vel equum ipſius cucurrerunt.*

13. *Me dulces dominæ, &c.*] Dum tu Italiæ bella, & Auguſti bellicas laudes magnifica oratione celebrabis: ego dilectæ tibi Liciniæ tuoſque amores carmine Lyrico molli & dulci decantabo. Dicam quàm illa ſuaviter canat, quàm *fulgentes* habeat *oculos,* quàm fideliter te redamet, quàm molliter ac decore ſaltet, quàm ſcite & ingenioſe cavilletur, ac ſales jactet, &c.

Liciniæ.] Quidam *Lycymniæ.* Ea vero Terentia ſive Licinia fuit ſoror Licinii, cui eſt inſcripta Ode 10. hujus libri. Vide ibi Annot. Mæcenati vero, cum ſcriberet hanc Oden Horatius, nondum erat nupta Licinia. Patet ex eo quod virginum choris Dianam colentium in ejus feſto, inſerta dicatur mox; inde enim arcebantur nuptæ. Accedit quod *bene mutuis fidum pectus amoribus* hic laudatur: at longe aliter fuit poſteaquam nupta eſt. Senec. de Provid. cap. 3. refert *Mæcenati amoribus anxio, & moroſæ uxoris quotidiana repudia deflenti ſomnum per ſymphoniarum cantum ex longinquo lene reſonantium, quæſitum fuiſſe.* Ubi J. Lipſius anxium fuiſſe Mæcenatem dicit quod uxorem amabat, nec fortaſſe ſolus. Additque: Cæſarem Auguſtum ea ſuſpicione aſpergit Dio lib. 54. *Quod creditus Gallicanam peregrinationem ſuſcepiſſe, ut liberius & procul a vulgo ſermonibuſque, frueretur Terentia Mæcenatis.* Itaque & ob hanc cauſam occulte infenſus Cæſari Mæcenas: quod idem ſcriptor lib. 55. tangit, in Mæcenatis obitu. Potes tamen angorem hunc, fateor, alio referre, & ad nudum ipſum amorem, qui ſemper querulus & anxius, præſertim ubi non reſpondetur. Hæc Lipſ. cit. Idem Seneca Epiſt. 114. iterum de Mæcenate: *Hunc eſſe qui uxorem millies duxit, cum unam habuerit:* Terentiam nempe ſuam, cum qua aſſidua jurgia, divortia, iterumque conjugia, inquit Lipſ. ibid.

18. *Certare joco.*] Scite geſticulari, ut quidam interpretantur vel potius, ut alii, faceta, lepida, acuta jactare dicteria, ſive breves & ſalſas cavillationes. Quo quidem in certamine qui viciſſet, olim eum coronari inſtitutum fuit.

20. *Sacro Dianæ celebris die.*] In frequenti ac celebri Dianæ feſto, cujus ſacra virginum choris ac religioſis tripudiis peragi ſolita, Idibus Auguſti. Vide Od. 1, 21, 1. ubi.

Dianam teneræ dicite virgines.

21. *Achæmenes.*] Rex Perſarum primus, a quo Perſiæ Reges ad Darium uſque ſunt omnes orti ac denominati Achæmenidæ. Herodot. l. 1. & alibi.

Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes
Permutare velis crine Liciniæ,
Plenas aut Arabum domos?
Dum fragrantia detorquet ad oſcula
Cervicem, aut facili ſævitiâ negat,
Quæ poſcente magis gaudeat eripi;
Interdum rapere occupat.

[197] *tunc Liciniæ capillum mutare conſentias opibus quas poſſedit Achæmenes vel divitiis Mygdoniis opimæ Phrygiæ, vel refertis Arabum ædibus? quando collum flectit ad baſia ſuaveolentia, vel molli aſperitate denegat, quæ plus lætetur à petente ſurripi, nonnunquam ipſa præripit.*

ANNOTATIONES.

22. *Pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.*] Fertilem & opulentam ignorat nemo Phrygiam extitiſſe. Hujus rex Midas ille pecuniæ & auri tam avidus quam dives, vel unus teſtis fuerit locupletiſſimus. Adde Priami gazas, ac Trojanorum opes. Mygdonia porro Phrygiæ finitima erat regio; ex Plin. lib. 5. &c. Mygdones autem populi e Macedoniæ parte Thraciæ proxima in Aſiam veniſſe, Phrygiæ quandam regionem occupaſſe, nomenque ſuum indidiſſe, ibidem referuntur.

23. *Permutare velis crine Liciniæ.*] Sic quale placet dat pretium rebus amor, non quantæ ſunt, ſed quantus ipſe eſt.

24. *Arabum domos.*] Plenas opibus & aromatibus exquiſitis. Vide ſupra lib. 1. Od. 29. v. 1.

25. *Fragantia.*] Alii legunt *flagrantia*, id eſt, amoris ardore ferventia.

26. *Facili ſævitia negat.*] Ficta nimirum ſævitie, quæ facile vincatur; & poſtquam paulisper irritavit amorem, amanti ſponte cedat; interdum etiam ultro occurrat & occupet. Terent. Eunuch. 4, 7, 43.

Nolunt ubi velis; ubi nolis cupiunt ultro.

Ovid. Art. Amat. 3, 579.

Quod datur ex facili, longum male nutrit amorem.
Miſcenda eſt lætis rara repulſa jocis.

Cæterum Oden hanc allegorice interpretari ſane licet. Itaque per Gigantes & Lapithas Theſſaliæ quidem populos, junctis viribus in Deos bellum moventes, ab Hercule vero domitos, intellige Brutum & Caſſium in campis Philippicis ab Auguſto victos ac debellatos. Hylæus mero nimius, ab Atalanta interfectus, Antonium Cleopatræ amoribus & immodicis cum ea conviviis perditum, Bacchi inſuper nomen & inſignia affectantem optime deſignat. Denique ſicut Gigantes & Lapithæ domum Saturni pavore concuſſerunt: ita Brutus & Caſſius, atque Antonius totam commoverunt Italiam, ipſamque Romam, eâ ſitam regione, quæ Saturnia dicta eſt, a Saturno, poſtquam a Jove pulſus eſt, eo confugiente. Hæc recens auctor & Gallicus interpres ingenioſe, ut & cætera, ſagaciter & erudite.

ODE XIII.

In arborem, cujus caſu pene eſt oppreſſus.

ILLE & nefaſto te poſuit die
Quicunque primùm, et ſacrilegâ manu

[198] O arbos, quiſquis ille fuit qui olim & plantavit te, infauſto *die & impia dextra protulit ad*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Ille & nefaſto, &c.*] Deambulantem in agro ſuo Sabino Poetam noſtrum cadens inopinato fere oppreſſit arbos: atque, ut ait Od. 17. ſeq. *Truncus illapſus cerebro ſuſtulerat, niſi Faunus ictum dextrâ levaſſet.* Hinc illius beneficii memor, & quod *prope funeratus arboris ictu*, ac tantum non exanimatus fuerat, erga Deos gratus, *anno redeunte, die* ipſo quidem *feſto* Calendis Martiis ſacrificium parat, ac feſtivas epulas, Od. 8. lib. 3. Hic autem ominoſam illam arborem tanquam inauſpicato ſatam duntaxat execratur: ac velut œſtro quodam percitus in abruptas indignationis voces erumpit. Rem vero totam mira expolitione amplificat. Tum de variis humanæ vitæ caſibus belle diſſerit. Denique velut ἐν παρέργῳ & παρῳδῶν, occaſionem arripit Alcæi & Sapphonis verſus extollendi: et omnia quidem non ſine mirabili artificio. Valeat ergo Scaliger, qui & in hanc eximiam Oden ſtylum ſuum ſtrinxit, ut dicetur ad calcem.

Nefaſto.] Quid proprie ſit nefaſtus dies, in quo nimirum Prætor Jus non dicebat, Gall. *Jour non plaidoyable*; Angl. No Court-day, docet Ovid. Faſt. 1, 47.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur.

 Produxit

ruinam poſterorum, ac vici dedecus; Eum etiam patris ſui guttur præfocaſſe crediderim, atque domûs *interiora ſanguine hoſpitis noctu polluiſſe; Iſtoxica Colchidis, & quodcunque uſpiam flagitium* animo *volvitur, præparavit, qui* in *agro meo collocavit, te, lignum infelix, te ruinoſum in caput domini innocui. Nunquam ſatis homo providere* poteſt, *quid horis ſingulis ſibi fugiendum ſit. Nauta Carthaginienſis Boſphorum formidat, nec amplius occulta fata aliunde metuit.*

Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriúmque pagi;
Illum et parentis crediderim ſui
Fregiſſe cervicem, et penetralia [199]
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis: Ille venena Colchica,
Et quicquid uſquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui ſtatuit meo
Te, triſte lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quiſque vitet, nunquam homini ſatis
Cautum eſt in horas. Navita Boſphorum
Pœnus perhorreſcit, neque ultrà
Cœca timet aliunde fata;

ANNOTATIONES.

Scilicet, do, dico, addico. Contra dies faſtus, Gall. *Jour d' Audience.* Angl. à Court-day, Ovid. Ibid.

Faſtus erit per quem lege licebit agi.

At præterea *nefaſtus dies*, ut & hoc Horatii loco, ſignificat infortunatum & male ominatum; Græci *ἀποφράδας ἡμέρας dies infandos & conſceleratos*, dixere. Romani pariter, quoſdam atros & nefaſtos habuere, eo quod in iis clades acceperant; in primis poſtriduanos, ſeu qui ſunt poſtridie Calendas, Nonas, Id·s; Item alios aliquot: de quibus fuſe Macrob. mox citand. Cœl. Rhodig. lib. 14. cap. 9. Alex. ab Alex. lib. 4 cap. 20. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 16. *Dies poſtriduanos ad omnia majores noſtri cavendos putarunt: quos etiam atros velut infauſta appellatione damnarunt.* Gellius lib. 4. cap. 9. item lib. 5. cap. 17. *Religioſos ſeu triſti omine infames* nuncupat: additque; *Quos vulgus prave, perperam, & imperite nefaſtos dicit.* Non. Marcell. *Atri dies dicuntur,* inquit, *quos nunc nefaſtos vel poſteros vocant.* Afranius Fratriis: *Septembris heri Calendæ, hodie ater dies.* Claudat ſcenam Cicero ita ſcribens, 2 de Leg. 8. n. 21. *Quæ augur injuſta, nefaſta, vitioſa, dirave dixerit, irrita infectaque ſunto.*

5. *Illum & parentis, &c.*] Epod. 3, 1.

Parentis olim ſiquis impia manu
Senile guttur fregerit, &c.

6. *Penetralia ſparſiſſe nocturno cruore Hoſpitis.*] Jus hoſpitale violaſſe, hoſpite noctu interfecto, in ædium penetralibus, ubi colebantur Penates Dii, quod ſceleri ſcelus addere eſt. Virgil. Æneid. 1. v. 735.

Jupiter, hoſpitibus nam te dare jura loquuntur.

A. Gell. lib. 5. cap. 13. *Primum juxta parentes locum tenent pupilli; ſecundum clientes; tertium hoſpites; poſtea cognati, affines, &c.*

8. *Venena Colchica.*] Colchis Aſiæ regio ad oram Euxini maris, Ponto vicina, hodie *Mingrelia*, eſtque pars Georgiæ. Venenis autem eas regiones famoſas reddidit vel una Medea regis Colchorum filia veneficiis ſuis inclyta; vel quod *naſcantur plurima Ponto*, ut canit Virgil. Eclog. 8. Adde Mithridatem Ponti regem, qui venenis etiam impune veſcebatur.

Colchica.] Quidam legunt *Colcha*, ut opus non ſit ultimam hujus verſus ſyllabam rejicere ad ſequentem verſum.

11. *Triſte lignum.*] Infelices arbores quæ dicantur, enarrat Plin. lib. 13. c. 21. & lib. 16. cap. 26.

Caducum.] Quod minatur caſum & ruinam; hic vero ſignificat quod jam cecidit; quo ſenſu fulmen etiam caducum vocatur.

13. *Quid quiſque vitet, &c.*] Egregie divertit ad locum communem de periculis & caſibus improviſis, quibus ut plurimum ad mortem abripimur. Alius, inquit, maris, alius belli ſolum cavet diſcrimina: uterque vero quod non timet, ſubit genus mortis; v. g. morbo extinguitur.

14. *Boſphorum.*] Anguſtas fauces quaſlibet deſignat, per quas nemo ſine periculo ac formidine navigat. Duplex autem Boſphorus celebratur; Thracius inter Pontum Euxinum & Propontidem, ſeu Thraciam inter & Aſiam Minorem, quatuor ſtadiis patens: & Cimmerius, inter Mæotidem Paludem & Pontum Euxinum: hodie *Fretum Caffa*.

15. *Pœnus.*] Pro quolibet nautâ ponitur per ſynecdochen; vel antonomaſticôs *Pœnum* dicit; tum quod emporium orbe toto celeberrimum erat Carthago; tum quia ejus urbis cives navigatione longinqua clari. Quam inclytus fuerit Hanno dux ille Carthaginienſium, docet Mela, lib. 3.

16. *Timet aliunde.*] Obſerva vel cæſuram brevem licenter productam; vel tribrachyn pro dactylo.

Miles ſagittas & celerem fugam
Parthi; catenas Parthus, et Italum
Robur: ſed improviſa lethi
Vis rapuit rapiétque gentes.
Quàm pæne furvæ regna Proſerpinæ;
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedéſque diſcretas piorum, et
Æoliis fidibus querentem

[200] *Miles Parthorum ſpicula & fugam velocem: Parthi vincula & potentiam Romanorum reformidant. At mortis inopinatæ violentia populos abſtulit, & aufert. Quam prope aſpexi imperium nigræ Proſerpinæ: & judicem Æacum; &, bonorum domicilia ſeparata; & Sappho chordis Æolis expoſtulantem de vir-*

ANNOTATIONES.

18. *Parthi.*] De Parthis eorumque certandi ratione, lib. 1. Od. 19. ad v. 12.

21. *Quam pæne furvæ regna Proſerpinæ, &c*] Quantulum a morte abfui!

Furvæ.] Ex Varrone *fur* dicitur ex eo quod *furvum* atrum appellarent, & fures atra nocte facilius furentur. Nonius Marcellus. Contra tamen de ea etymologia ſentit A. Gellius lib. 1. cap. 18. vultque deduci ac antiqua voce φὼρ: quanquam aptius fortaſſe, furem a furvo, id eſt, nigro, dici putarit vir excellentis doctrinæ, Varro ſcilicet, inquit ille ibid.

Proſerpinæ.] De ea lib. 1. Od. 28. v. 20.

20. *Æacum.*] Ex eo quod Plato, in Gorgia, Rhadamanthum Aſianorum, Europæorum vero Judicem Æacum ſcribit; inde convenientius hunc quam illum ab Horatio quidem Europæo nominari, erudite nonnulli obſervant. Ego tamen crediderim reſpexiſſe potius noſtrum Poetam ad id quod lib. de luctu, Lucianus refert: *In Orci aditu portaque adamantina fuiſſe cuſtodem Æacum Regis patruelem; atque juxta eum canem tricipitem.* Bene igitur Horatius, qui morti proximus fuerit, ait ſe prope ſalutaſſe Æacum, Orci Janitorem, perinde ac judicem cum Minoe ac Rhadamantho, ob inſignem juſtitiæ famam, a Plutone conſtitutum.

23. *Sedeſque diſcretas piorum.*] Elyſios campos, quos deſcribit & laudat Virg. Æneid. 6. v. 638. Legunt alii *diſcriptas*, alii *deſcriptas*, id eſt, aſſignatas ac notatas; *diſcretas* habent tamen optimi codices: & vox illa pulchrum ſane ac nobilem ſenſum efficit, ut boni deſignentur a reliquis, & a vulgo ſegregati. Sic. Virgil. Æn. 5. v. 734.

> *. . . . . . . Non me impia namque*
> *Tartara habent triſteſque umbræ; ſed amœna piorum*
> *Concilia, Elyſiumque colo.*———

24. *Æoliis fidibus querentem Sappho, &c.*] De popularibus puellis, quas amabat, Sappho conquerentem, quod in amore ſibi non reſponderent. Tres vero potiſſimum Suidas recenſet ab ea dilectas, Atthin, Teleſillam, Megaram: plures Ovidius aliique numerant. Vel zelotypiâ Sappho percita de virginibus æmulis ſuis querebatur, quod Phaoni, quem ipſa deperibat, adhærerent, ejuſque amorem retardarent. Ovid. Epiſt. 15, 15. Sapphus ad Phaonem:

> *Nec me Pyrrhiades Methymniadeſve puellæ,*
> *Nec me Leſbiadum cætera turba juvant.*
> *Vilis Anactorie, vilis, mihi candida Cydno;*
> *Non oculis grata eſt Atthis, ut ante, meis.*
> *Atque aliæ centum quas non ſine crimine amavi,*
> *Improbe, multarum quod fuit, unus habes.*

Narrat Plinius lib. 22. cap. 8. in Phaonis amorem Sappho incidiſſe per herbam, centum capita, nuncupatam, cujus radix rara quidem inventu quibus contigerit, amabiles facit. Porro ex Suida, item ex Æliano duplex Sappho fuit, utraque e Leſbo inſula: prior Ereſia, Alcæi, Steſichori, & Pittaci coætanea, quæ tres habuiſſe fertur ſodales ſeu amicas ante memoratas, plectrum inveniſſe, ſcripſiſſe vero Lyricorum carminum libros novem, Epigrammata, Elegias, Iambos, & Monodias. Poſterior Mitylenæa, quæ pſaltria fuerit, Lyrica ſcripſerit etiam, atque ob amorem Phaonis Mitylenæi, a quo ſpernebatur, de Leucate promontorio in mare ſe præcipitem dederit. De quo vide quæ annotabo lib. 1. Epiſt. 19. v. 28. ad has voces *maſcula Sappho*. Utut ſit, quemadmodum unum Herculem, etſi plures extiterunt, nominant; & quod multorum eſt, eidem tribuunt; ut alibi notavimus: ita unam Sappho vulgo celebrant, Sapphici carminis autorem, tam venuſtam & elegantem, ut decimæ Muſæ cognomen obtinuerit. *Veris nuntiam, blandiloquam luſciniam*, vocat Sophoclis Scholiaſtes. Floruit Alcæo cum & Steſichoro, annis ante Chriſtum circiter ſexcentis. Ejus (quæ temporum injuria eſt) apud varios auctores ſparſas quaſdam poematum reliquias duntaxat veneramur; & mire laudant Strabo, Ariſtot. Socrates, Dionyſ. Halicarn. Plutarch. Longinus, &c. Catullus Carmen ſuum LII. quod eſt ad Leſbiam, tranſtulit e Sapphûs Græco, quod Longinus lib. de Sublimi genere dicendi, ſic habet:

> Φαίνεταί μοι κεῖνος ἴσος θεοῖσιν
> Ἔμμεν' ἀνὴρ ὅστις ἐναντίος τοι
> Ἱζάνει, καὶ πλασίον ἁδὺ φωνούσας ὑπακούει,
> Καὶ γελώσας ἱμερόεν, &c.

Æoliis fidibus.] Æolica nempe dialecto uſa eſt

majorem trahunt ruinam, ac tonitrua verberant altos montes. Animus ritè præmunitus ſpem non abjicit in *adverſis*, in *proſperis* autem *contrariam timet fortunam. Hyemes horridas revocat Jupiter, idemque pellit.* Si *modo* res ſe habent *male, non etiam poſt ita ſe habebunt. Muſas dudum ſilentes* aliquando *lyrâ Phœbus excitat, nec arcum ſemper intendit. Mœſtis rebus generoſum te & conſtantem exhibe: aurâ verò propitiâ, ipſe prudenter conſtringes vela pluſculum inflata.*

Decidunt turres, feriúntque ſummos
Fulmina montes.
Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum [190]
Pectus. Informes hyemes reducit
Jupiter: idem
Summovet: non, ſi male nunc, et olim
Sic erit. Quondam citharâ tacentem
Suſcitat Muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo.
Rebus anguſtis animoſus atque
Fortis appare: ſapienter idem
Contrahes vento nimiùm ſecundo
Turgida vela.

ANNOTATIONES.

Juvenal. Sat. 10. v. 105.

. . . *Numeroſa parabat,*
Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.

Claudian. in Ruf. 22. . . *Tolluntur in altum,*
Ut lapſu graviore ruant.——

13. *Sperat infeſtis.*] Jam monet quid in utraque fortunâ cavere oporteat virum prudentem; nempe ne frangatur ac deficiat animo in adverſis, neve proſperis infletur, ac benignæ nimium credulus auræ, ſupra ſe rapiatur. Quæ quidem Licinius cum nequaquam ſervaſſet, immodicæ cupiditatis ac ſuperbiæ pœnas luit. Sapientis eſt præceptum: *In die malorum, ne immemor ſis bonorum:* & vice verſa, *In die bonorum, ne immemor ſis malorum.* Menander apud Stobæum:

Ἐν ἐλπίσι χρὴ τοὺς σοφοὺς ἔχειν βίον.
Ἄνθρωπος ἀτυχῶν σώζεται ὑπὸ τῆς ἐλπίδος.

In ſpe decet ſapientes agere vitam,
Vir infelix ſervatur ſpe.

Hinc & apud Pindar. ſpes γηροτρόφος dicitur.

Metuit ſecundis.] Horatius Lib. 1. Epiſt. 10. v. 30.

Quem res plus nimio delectavere ſecundæ,
Mutatæ quatient.——

Sapienter itaque Philippus Macedo, cum tres uno die lætos accepiſſet nuncios, exclamâſſe fertur: *Magne Jupiter, pro his tantis bonis modicum repones mali.*

14. *Bene præparatum Pectus.*] Virtutis ac ſapientiæ documentis inſtructus animus.

15. *Informes hyemes reducit Jupiter, &c.*] Non ergo deſperandum, deſperatis etiam rebus: quandoquidem quotidianæ vices abjectum ſæpe erigunt; ſummovetque tandem *Jupiter hyemes*, & ærumnas, quas invexerat. Hinc Cic. ad Brutum Epiſt. 17. *Rempublicam deſperatam quoque ſanari puto poſſe*, inquiebat.

17. *Non, ſi mala nunc, & olim ſic erit.*] Sophocl. in Electra: *fortaſſe cras erit melius.* Τάχ' αὔριον ἔσεται ἄμεινον. Tibull. 2, 6, 19.

. . . . . *Credula vitam*
Spes fovet, & fore cras ſemper ait melius.

18. *Quondam cithara tacentem ſuſcitat Muſam, &c.*] Armatus ipſe arcu & ſagittis Apollo, hæc ponit interdum, & ad hilaritatem provocat Muſas, citharam prior accipiens & pulſans. Pæan a παίειν *ferire*, dictus; ex Feſto. *Neque ſemper arcum tendit:* non ſemper nocet. Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 17. *Apollinem adoramus*, inquit, *cognominibus, modo ſoſpitatem, modo peſtem ſignificantibus.* Vide lib. 1. Od. 12. v. 23. Pingebatur olim Apollo dextrâ Gratias, lævâ ſagittas & arcum tenens: quod modo radiis & calore naturam recreet ac beet univerſam: modo æſtus immodicos, morbos, luem gignat.

23. *Contrahes vento nimium ſecundo Turgida vela.*] Si proſpero fortunæ utaris flatu, quod ait Tullius, ſi res fluunt ad arbitrium, ne ſuperiora ſemper & ulteriora proſequere: imo & ambitionem coerce & arrogantiam, unde tibi ſit ruinæ cauſa. Quemadmodum nautæ, cum remittit ventus, expanſis velis captant auram: at ſi vehementior evadet, vela contrahunt; ne validiore abrepti impetu, navim haud poſſint regere, atque in ſcopulos impellantur, illidanturque. Ovid. Triſt. 3, 4, 31.

Tu quoque formida nimium ſublimia ſemper,
Propoſitique precor contrahe vela tui.

Iſocrates ad Demonicum; Οὔτ' εὐτυχῶν ὑπερχαρής, οὔτε δυστυχῶν περίλυπος ἔσῃ. Neque beatus ſupra modum exultes; neque infortunatus ſine modo mœreas & contriſteris.

ODE

ODE XI. Ad Q. HIRPINUM.

Hilariter vivendum, omiſſis curis.

Quid bellicoſus Cantaber, & Scythes, [191]
Hirpine Quinti, cogitet, Adriâ
Diviſus objecto, remittas
Quærere, nec trepides in uſum
Poſcentis ævi pauca: fugit retro
Levis juventas et decor, aridâ
Pellente laſcivos amores [192]
Canitie, facilémque ſomnum.
Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis, neque uno Luna rubens nitet
Vultu: quid æternis minorem
Conſiliis animum fatigas?

O Quinti Hirpine, deſine percontari quid meditetur bello ſtrenuus Cantaber, ac Scytha, ſeparatus interpoſito mari Adriatico: neque ſolicitus ſis utilium vitæ modica requirenti. Abit retrorſum polità juventus ac pulchritudo, ſicca ſenectute amovente amores luxurioſos ac ſoporem facilem. Haud eadem ſemper dignitas manet floribus vernis: nec pari facie micat Luna rubicundula. Quare mentem crucias ſempiternis propoſitis inferiorem?

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Quid bellicoſus Cantaber, &c.*] Ne tam anxie quæras, O Hirpine, quid moliantur exteri populi contra Rempublicam Imperiumque Romanum; neve metuas plus æquo, ne in Italiam irrumpant agroſque devaſtent eæ nationes, quas mare a nobis disjungit. De *Cantabris* vide Annot. Od. 6. v. 2. De *Scythis* lib. 1. Od. 35. v. 9. Hic vero per *Scythas* intellige Illyrios, Dalmatas, Pannonios, Dacos. Eos enim, ut & omnes Septentrionales, Scytharum nomine veteres indigitabant: hos vero tunc bello fatigabat Tiberius Nero, Druſi Neronis frater, qui conſulatum geſſit cum T. Quinctio Criſpino, ut obſervat Cruq. unde & Criſpinum pro Hirpino hic legendum ac ſubſtituendum opinatur. Favet etiam quod inter Quinctiæ gentis cognomina haud *Hirpinus* recenſeatur: quod acute ſuo more Torrentius indicat. Verum enimvero nullus non codex habet Hirpinum. Vide paulo poſt. Vide & Epiſt. 16. lib. 1. huic eidem inſcriptam.

2. *Adria.*] Sinus eſt ingens Illyricum inter atque Italiam, hodie *Sinus Venetus*. De eo plura lib. 1. Od. 16. v. 4.

4. *Nec trepides in uſum, &c.*] Hinc videtur habuiſſe prædia Quinctius noſter, quibus calamitatem aut vaſtitatem metueret ab hoſtibus ſupra memoratis, ſi in Apuliam venirent; ubi fortaſſe & ſita erant illa, & ipſe fortaſſe natus, aut diu commoratus cognomen ſortitus erat. Nam Hirpini Apuliæ populi. Saltem id conjicere liceat, dum certi nihil aliunde ſuppetit.

5. *Poſcentis ævi pauca.*] Conſolatur itaque Horatius Hirpinum, quod, etſi detrimentum capita res ſua familiaris, ſatis ipſi ſuperfuturum ſit unde ſuſtentet vitam, quæ quidem brevis, & parvo contenta eſt. Unde poſtea recte infert Poeta, præſentibus utendum hilariter, ac jucunde vivendum, quandiu ſinunt fata.

Fugit retro Levis juventas, &c.] En vides abiiſſe dudum juventutem noſtram; inſtare jam canitiem ac ſenii incommoda: ergo carpamus diem & oblectamenta, dum licet adhuc.

6. *Levis.*] Lævis, imberbis, polita, λεία.

Arida Pellente laſcivos, &c.] Tum ob caloris naturalis, tum humidi radicalis diminutionem ac defectum. Valeant qui aridos ſenes hic interpretantur parcos & miſere victitantes. Parum enim ad rem.

9. *Non ſemper idem floribus eſt honos, &c.*] Nec miremur, aut conqueramur de prioris ætatis amiſſo decore: cum nec ver ſit perpetuum, aut vernis floribus perennis nitor: nec Luna ſuum ſervet integrum ſemper ſplendorem ac ſpeciem. Ovid. Art. Am. 2. 115.

Nec ſemper violæ, nec hiantia lilia florent,
Et riget amiſſâ ſpina relicta roſâ.

Propert. 1, 10, 8.

Et mediis cœlo Luna ruberet aquis.

Cave autem ne *rubens Luna*, tibi aliter intelligatur, quam nitida, & rubore quodam interfuſo pulchra.

11. *Quid æternis minorem Conſiliis, &c.*] Cum fluxa ætas brevi prætereat, morſque advolans hominum conſiliis finem cito imponat, cum æterna ſtruis, & infinita conſilia meditaris? Quare animum diſcrucias iſtis longioribus propoſitis & curis; cum mens humana ſit imbecillior quam ut valeat conſulere, providere, ſtatuere aliquid

Quin ſub hac procerâ vel pinu vel platano, ut caſus tulerit proſtrati, bibimus, quamdiu per vitam *licet, albeſcentibus capillis odoriferâ roſâ, & nardo Syriâ delibutis. Bacchus ſollicitudines diſcutit mordaces. Quis ſervus calidi Falerni vaſa quam primum refrigerabit aqua defluente? Quis ædibus evocabit Lyden meretricem a viâ remotam? Heus jube cum eburnea cithara huc feſtinet capillos* habens *incomptos, ſicut Laconica* mulier, *nodo collectos.*

Cur non ſub altâ vel platano, vel hâc
Pinu jacentes ſic temere, et roſâ
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriâque nardo
Potamus uncti? Diſſipat Evius [193]
Curas edaces. Quis puer ocyùs
Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lymphâ?
Quis devium ſcortum eliciet domo
Lyden? Eburnâ dic age cum lyrâ
Maturet, incomptam Lacænæ
More comam religata nodo.

ANNOTATIONES.

æternum: *Vel* quam ut æterna Dei conſilia poſſit comprehendere: quod minus placet. Ariſtot. Θνατὰ χρὴ τὸν θνατὸν, οὐκ ἀθάνατα θνατὸν φρονεῖν, *Mortalia mortalem, non immortalia decet cogitare.*

13. *Cur non ſub altâ vel platano, &c.*] Cur genio non indulgemus, poſthabitis omnibus curis, in umbrâ procumbentes?

14. *Temere.*] Sine ullis ceremoniis, Gall. *ſans façon; a la negligence.* Angl. at random, without order, careleſly.

Roſa Canos odorati capillos, &c.] Perſuſis ſucco roſæ capillis, aliiſque pretioſis unguentis. Hoc enim pertinebat ad hilaritatem & læta veterum convivia, ut annotavi fuſe lib. 1. Od. ult. & alibi.

15. *Canos.*] Hinc liquet Horatium Hirpinumq; tum ſenes fuiſſe, cum hæc ab illo ſcriberentur.

16. *Aſſyriaque nardo.*] Nardino unguento, de quo Plin. lib. 13. cap. 1. *Nardinum ſive foliatum conſtat omphacio, balanino, junco, coſto, nardo, amomo, myrrha, balſamo.*

Aſſyria.] Pro Syra: non quod in Syria nardus creſcat; ſed quod ibi mercatores comparabant, indeque Romam advehebant nardum, quæ ad Syros deferebatur ex India, ubi copioſe provenit. Sic & malobathrum Syrium vocatur ſupra Od. 7. v. 8. Plin. cit. mox loco *nardum Indicam*, appellat. Et lib. 12. cap. 12. *In noſtro orbe laudatur Syriacum*, inquit. Et paulo poſt: *De folio nardi plura dici par eſt, ut principali in unguentis. Frutex eſt gravi & craſſa radice, ſed brevi & nigra, fragiliq; quamvis pingui .... folia parvo denſoque, cacumina in ariſtas ſe ſpargunt, ideoque geminâ dote nardi ſpicas ac folia celebrant.* Hinc patet cur ſpicatum & foliatum appelletur nardinum unguentum, Marci cap. 14. v. 3. *Venit mulier habens alabaſtrum nardi ſpicati pretioſi.* Nardini velut exquiſiti meminit Athen. lib. 15. cap. 12 & 13. Cœl. Rhodig. lib. 30. cap. 24.

17. *Diſſipat Evius Curas.*] Cur Evius dicatur Bacchus, vid. Annot. lib. 1. Od. 18. v. 9. quod animo pellat curas & ſolicitudines, lib. 1. Od. 7, 18, 27.

18. *Edaces.*] Curas, quaſi cor urentes dici aiunt.

Quis puer ocyus.] Quaſi ſit jam in convivio, ſic iſta profert: quis vini ardorem aquâ temperabit? vel potius, quis lagenas, pocula, vaſa, refrigerabit aquis immerſa?

20. *Prætereunte lymphâ.*] In fonte qui frigidus præterit, ac in rivos defluit.

21. *Quis devium ſcortum eliciet.*] Lyden fidicinam, cithara canendo quæſtum facere ſolitam? quæ non ſe vulgare quibuſvis conſuevit, nec per vias oberrare. Hinc *deviam* vocat. Locum hunc amplius explanare nec licet, nec libet. Addam tamen fortaſſe comiſſatum vocari, atque hinc duntaxat *ſcortum* dici.

23. *Incomptam Lacænæ More comam religata nodo.*] Habens comam nodo religatam tantum, parum vero comptam, more puellarum Laconicarum, quæ non eleganti corporis ornatui ſtudebant, ſed ad palæſtram, venationem, & alia ejuſmodi, neglecto cultu, exercebantur. Itaque vetat ne dum crines nodarentur in aurum, ac ſtudioſe comerentur, expectantes fatiget mora. Legunt quidam *incomptam, &, nodo:* alii; *incomptum, &, nodum;* alii *incomptum.* Varieque ſe torquent ut perturbata ſatis verba ordinent. Verum c[illegible] eodem recidat ſenſus utrobique non obſcurus; non eſt ita de cætero laborandum.

ODE

ODE XII. Ad MÆCENATEM.

Lyræ ſuæ haud convenire res graves: Mæcenas Auguſti bella ſcribat, dum a ſe cantabuntur Liciniæ laudes.

NOLIS longa feræ bella Numantiæ, [194]
Nec dirum Hannibalem, nec Siculum mare
Pœno purpureum ſanguine, mollibus
Aptari citharæ modis;
Nec ſævos Lapithas, et nimium mero [195]
Hylæum, domitóſque Herculeâ manu 6
Telluris juvenes; unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris. Tûque pedeſtribus
Dices hiſtoriis prælia Cæſaris,

Ne carmine Lyrico leniori decantari jubeas a me diuturna prælia ferocis Numantiæ, vel ſævum Hannibalem, vel mare Siciliæ Carthaginienſium cruore rubicundum, vel immanes Lapithas, & Hylæum vino immoderatum, & ſubactos Herculis dextra filios terræ, à quibus cladem timuit domus ſplendens antiqui Saturni. Tu verò, Mæcenas, ſolutis narrationibus

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 6. Lib. 1.

1. *Nolis, &c.*] Ne a me exigas, inquit Horatius, quod tu longe melius exequere, O Mæcenas: perge Auguſti bella deſcribere, & quod jam feliciter auſpicatus es, conſice. Ego vero Liciniæ tuæ laudes perſequar.

Longa feræ bella Numantiæ.] Longa quæ per annos tot exarſere; Strabo 20. Polyb. 18 Florus & Oroſius 14. numerant. Confecta tandem ſunt ab Æmiliano Scipione Africano, qui urbem iſtam octo jam annis obſeſſam cepit ac delevit; imo fame ad extrema compulit: Indeque Numantini cognomen al·eium conſecutus eſt. L. Flor. lib. 2. c. 18. *Numantia, quantum Carthaginis, Capuæ, Oorinthi opibus inferior, ita virtutis nomine & honoris par omnibus; ſummumque, ſi viros æſtimes, Hiſpaniæ decus. Quippe quæ ſine muro, ſine turribus, modice edito in tumulo apud flumen Durium ſita, quatuor millibus Celtiberorum, quadraginta millium exercitum per annos quatuordecim ſola ſuſtinuit, nec ſuſtinuit modo ſed ſævius aliquanto perculit, pudendiſque fœderibus affecit, &c.* Et poſtea, *exitu denique deplorato, in ultimam rabiem furoremque converſi . . . . duces ſuos, ſeque, patriamque ferro & veneno, ſubjectoque undique igne peremerant, &c.* Idem memorant Oroſ. lib. 5. cap. 6. Vide & Strabon. Polyb. lib. 1. Valer. Maxim. lib. 7. cap. 6. Eutrop. Plin. Tit. Liv. D. Auguſt. de Civit. Dei. lib. 3. cap. 21.

2. *Dirum Hannibalem.*] Romanorum hoſtem per annos ſeptemdecim infeſtiſſimum. Alii legunt *durum*, id eſt, *indefeſſum*. Vid. Tit. Liv. lib 21. cap. 4. ubi ſic ſcribit: *Annibali plurimum audaciæ ad pericula capeſſanda, plurimum conſilii inter ipſa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat, &c. . . . . . . virtutes æquabant vitia; inhumana crudelitas, perfidia pluſquam Punica; nil veri, nil ſancti, &c.*

Siculum mare Pœno purpureum ſanguine.] C. Duilius Conſul in mari Siculo primus omnium Carthaginienſes navali prælio ſuperavit, captis navibus triginta, merſis tredecim, tribus hominum cæſis millibus, captis ſeptem. Unde perpetuus illi honos habitus eſt, ut revertenti a cœnâ tibicines præcinerent, & funale præferretur. Aurel. Victor. de viris illuſt. Oroſ. lib. 4. cap. 7. Flor. lib. 2. cap. 2. &c.

5. *Sævos Lapithas.*] Vide lib. 1. Ode 18. v. 8. Metamorph. Ovid. lib. 12.

Nimium mero Hylæum.] E Centauris unum vini potu nimio ebrium, petulantem, ſuperbum, libidinoſum. Virgil. Georg. 2, 557.

Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

6. *Domitoſque Herculea manu Telluris juvenes.*] Gigantes terræ filii dicti ob ingentem corporis molem, *γηγενέες*, Homer.

7. *Unde periculum Fulgens contremuit domus Saturni veteris.*] A quibus periculum timuerunt Dii, totumque cœlum *contremuit*, cum illi bellum moverunt; at Herculis auxilio domiti ac debellati ſunt. Vide Diodor. Sicul. lib. 5. & poſtea Od. 19. hujus libri.

9. *Saturni veteris.*] Quia primus ante Jovem regnavit. Hinc & Virgil. Æn. 7, 180.

Saturnuſque ſenex.

Tuque pedeſtribus.] Et certe ipſe tu, Mæcenas, melius & ornatius referes egregia Cæſaris facinora & triumphos.

Pedeſtribus hiſtoriis.] Proſâ oratione; quam Græci πεζὸν λόγον dicunt contra Poeſim ἔποχον, orationem equo velut inſidentem; ſolitamque recitari ἐξ ἁμάξης, ἐξ ἅρματος, *e curru, e plauſtro*

referes convenientius bella Cæſaris, ac reges ſuperbos domitâ *cervice per vias* Romæ *tractos.* At *Muſa me celebrare juſſit amicæ* tuæ *Liciniæ ſuaves modulos, oculos admodum nitentes, animumque amori* tuo *æquè & fideliter reſpondentem, quam decuit & choris intereſſe, & facetiis contendere, & ſaltantem* cum *puellis ornatis brachia jungere, in religioſo celebrata Dianæ feſto.* Enimverò

Mæcenas, meliùs, ductáque per vias
Regum colla minacium.
Me dulces dominæ Muſa Liciniæ [196]
Cantus, me voluit dicere lucidùm
Fulgentes oculos, et bene mutuis
Fidum pectus amoribus;
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus ſacro
Dianæ celebris die.
Num tu, quæ tenuit dives Achæmenes,

ANNOTATIONES.

& quadrigis velut invectam. Unde Cic. ad Quinctum fratrem, lib. 2. Epiſt. 14. *Quoniam in iſto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule ſæpius excitante, curſu corrigam tarditatem, tum equis, tum vero (quoniam ſcribis poema ab eo noſtrum probari) quadrigis poeticis, &c.* Pindar. Ἀναγῖσθαι ἐν μοισᾶν δίφρῳ, *Tolli in curru Muſarum.* Porro Mæcenatem conſtat fuiſſe literarum peritum, & plura compoſuiſſe carmina. *Nam & Auguſti Cæſaris geſta deſcripſit,* inquit Servius ad 2 Georg. v. 42.

Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto.

Ubi & affert locum hunc Horatii. Ne vero quis inde arbitretur ſcriptam verſibus a Mæcenate Cæſaris hiſtoriam.

11. *Ductaque per vias Regum colla minacium.*] Reges in Triumpho ab Auguſto circumductos per mediam urbem, & Velabrum, perque Sacram viam ad Capitolium. Quo vero id fieret apparatu, qua pompa, fuſe narrat Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6. De triumphis Auguſti Sueton. in Octav. cap. 22. *Bis ovans ingreſſus eſt urbem, poſt Philippenſe, & rurſus poſt Siculum bellum. Curules triumphos tres egit. Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum: continuo triduo omnes.* Anno ſcilicet U. C. 724. *Jamque tantus erat Cæſar, ut poſſet triumphos contemnere,* inquit L. Flor. lib. 4, 12, 53. Adde quod ait Eutrop. 7, 10. *Multi autem reges ex regnis ſuis venerunt, ut ei obſequerentur: & habitu Romano, togati ſcilicet, ad vehiculum vel equum ipſius cucurrerunt.*

13. *Me dulces dominæ, &c.*] Dum tu Italiæ bella, & Auguſti bellicas laudes magnifica oratione celebrabis: ego dilectæ tibi Liciniæ tuoſque amores carmine Lyrico molli & dulci decantabo. Dicam quàm illa ſuaviter canat, quàm *fulgentes* habeat *oculos,* quàm fideliter te redamet, quàm molliter ac decore ſaltet, quàm ſcite & ingenioſe cavilletur, ac ſales jactet, &c.

Liciniæ.] Quidam *Lycymniæ.* Ea vero Terentia ſive Licinia fuit ſoror Licinii, cui eſt inſcripta Ode 10. hujus libri. Vide ibi Annot. Mæcenati vero, cum ſcriberet hanc Oden Horatius, nondum erat nupta Licinia. Patet ex eo quod virginum choris Dianam colentium in ejus feſto, inſerta dicatur mox; inde enim arcebantur nuptæ. Accedit quod *bene mutuis fidum pectus amoribus* hic laudatur: at longe aliter fuit poſteaquam nupta eſt. Senec. de Provid. cap. 3. refert *Mæcenati amoribus anxio, & moroſæ uxoris quotidiana repudia deflenti ſomnum per ſymphoniarum cantum ex longinquo lene reſonantium, quæſitum fuiſſe.* Ubi J. Lipſius anxium fuiſſe Mæcenatem dicit quod uxorem amabat, nec fortaſſe ſolus. Additque: Cæſarem Auguſtum ea ſuſpicione aſpergit Dio lib. 54. *Quod creditus Gallicanam peregrinationem ſuſcepiſſe, ut liberius & procul a vulgo ſermonibuſque, frueretur Terentia Mæcenatis.* Itaque & ob hanc cauſam occulte infenſus Cæſari Mæcenas: quod idem ſcriptor lib. 55. tangit, in Mæcenatis obitu. Potes tamen angorem hunc, fateor, alio referre, & ad nudum ipſum amorem, qui ſemper querulus & anxius, præſertim ubi non reſpondetur. Hæc Lipſ. cit. Idem Seneca Epiſt. 114. iterum de Mæcenate: *Hunc eſſe qui uxorem millies duxit, cum unam habuerit:* Terentiam nempe ſuam, cum qua aſſidua jurgia, divortia, iterumque conjugia, inquit Lipſ. ibid.

18. *Certare joco.*] Scite geſticulari, ut quidam interpretantur: vel potius, ut alii, faceta, lepida, acuta jactare dicteria, ſive breves & ſalſas cavillationes. Quo quidem in certamine qui viciſſet, olim eum coronari inſtitutum fuit.

20. *Sacro Dianæ celebris die.*] In frequenti ac celebri Dianæ feſto, cujus ſacra virginum choris ac religioſis tripudiis peragi ſolita, Idibus Auguſti. Vide Od. 1, 21, 1. ubi.

Dianam teneræ dicite virgines.

21. *Achæmenes.*] Rex Perſarum primus, a quo Perſiæ Reges ad Darium uſque ſunt omnes orti ac denominati Achæmenidæ. Herodot. l. 1. & alibi.

Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes
Permutare velis crine Liciniæ,
Plenas aut Arabum domos?
Dum fragrantia detorquet ad oſcula
Cervicem, aut facili ſævitiâ negat,
Quæ poſcente magis gaudeat eripi;
Interdum rapere occupat.

[197] *tunc Liciniæ capillum mutare conſentias opibus quas poſſedit Achæmenes vel divitiis Mygdoniis opimæ Phrygiæ, vel refertis Arabum ædibus? quando collum flectit ad baſia ſuaveolentia, vel molli aſperitate denegat, quæ plus lætetur à petente ſurripi, nonnunquam ipſa præripit.*

ANNOTATIONES.

22. *Pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.*] Fertilem & opulentam ignorat nemo Phrygiam extitiſſe. Hujus rex Midas ille pecuniæ & auri tam avidus quam dives, vel unus teſtis fuerit locupletiſſimus. Adde Priami gazas, ac Trojanorum opes. Mygdonia porro Phrygiæ finitima erat regio; ex Plin. lib. 5. &c. Mygdones autem populi e Macedoniæ parte Thraciæ proxima in Aſiam veniſſe, Phrygiæ quandam regionem occupaſſe, nomenque ſuum indidiſſe, ibidem referuntur.

23. *Permutare velis crine Liciniæ.*] Sic quale placet dat pretium rebus amor, non quantæ ſunt, ſed quantus ipſe eſt.

24. *Arabum domos.*] Plenas opibus & aromatibus exquiſitis. Vide ſupra lib. 1. Od. 29. v. 1.

25. *Fragantia.*] Alii legunt *flagrantia*, id eſt, amoris ardore ferventia.

26. *Facili ſævitia negat.*] Ficta nimirum ſævitie, quæ facile vincatur; & poſtquam paulisper irritavit amorem, amanti ſponte cedat; interdum etiam ultro occurrat & occupet. Terent. Eunuch. 4, 7, 43.

Nolunt ubi velis; ubi nolis cupiunt ultro.

Ovid. Art. Amat. 3, 579.

Quod datur ex facili, longum male nutrit amorem.
Miſcenda eſt lætis rara repulſa jocis.

Cæterum Oden hanc allegorice interpretari ſane licet. Itaque per Gigantes & Lapithas Theſſaliæ quidem populos, junctis viribus in Deos bellum moventes, ab Hercule vero domitos, intellige Brutum & Caſſium in campis Philippicis ab Auguſto victos ac debellatos. Hylæus mero nimius, ab Atalanta interfectus, Antonium Cleopatræ amoribus & immodicis cum ea conviviis perditum, Bacchi inſuper nomen & inſignia affectantem optime deſignat. Denique ſicut Gigantes & Lapithæ domum Saturni pavore concuſſerunt: ita Brutus & Caſſius, atque Antonius totam commoverunt Italiam, ipſamque Romam, eâ ſitam regione, quæ Saturnia dicta eſt, a Saturno, poſtquam a Jove pulſus eſt, eo confugiente. Hæc recens auctor & Gallicus interpres ingenioſe, ut & cætera, ſagaciter & erudite.

ODE XIII.

In arborem, cujus caſu pene eſt oppreſſus.

ILLE & nefaſto te poſuit die
Quicunque primùm, et ſacrilegâ manu

[198] O arbos, quiſquis ille fuit qui olim & plantavit te, infauſto *die & impia dextra protulit ad*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Ille & nefaſto, &c.*] Deambulantem in agro ſuo Sabino Poetam noſtrum cadens inopinato fere oppreſſit arbos: atque, ut ait Od. 17. ſeq. *Truncus illapſus cerebro ſuſtulerat, niſi Faunus ictum dextrâ levaſſet.* Hinc illius beneficii memor, & quod *prope funeratus arboris ictu*, ac tantum non exanimatus fuerat, erga Deos gratus, *anno redeunte, die* ipſi quidem *feſta* Calendis Martiis ſacrificium parat, ac feſtivas epulas, Od. 8. lib. 3. Hic autem ominoſam illam arborem tanquam inauſpicato ſatam duntaxat execratur: ac velut œſtro quodam percitus in abruptas indignationis voces erumpit. Rem vero totam mira expolitione amplificat. Tum de variis humanæ vitæ caſibus belle diſſerit. Denique velut ἐν παρέργῳ & παρῳδῶν, occaſionem arripit Alcæi & Sapphonis verſus extollendi: et omnia quidem non ſine mirabili artificio. Valeat ergo Scaliger, qui de in hanc eximiam Oden ſtylum ſuum ſtrinxit, ut dicetur ad calcem.

Nefaſto.] Quid proprie ſit nefaſtus dies, in quo nimirum Prætor Jus non dicebat, Gall. *Jour non plaidoyable*; Angl. No Court-day, docet Ovid. Faſt. 1, 47.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur.

ruinam poſterorum, ac vici dedecus; Eum etiam patris ſui guttur præfocaſſe crediderim, atque domûs *interiora ſanguine hoſpitis noctu polluiſſe; Is toxica Colchidis, & quodcunque uſpiam flagitium* animo *volvitur, præparavit, qui in agro meo collocavit, te, lignum infelix, te ruinoſum in caput domini innocui. Nunquam ſatis homo providere* poteſt, *quid horis ſingulis ſibi fugiendum ſit. Nauta Carthaginienſis Boſphorum formidat, nec amplius occulta fata aliunde metuit.*

Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriúmque pagi;
Illum et parentis crediderim ſui
Fregiſſe cervicem, et penetralia [199]
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis: Ille venena Colchica,
Et quicquid uſquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui ſtatuit meo
Te, triſte lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quiſque vitet, nunquam homini ſatis
Cautum eſt in horas. Navita Boſphorum
Pœnus perhorreſcit, neque ultrà
Cœca timet aliunde fata;

ANNOTATIONES.

Scilicet, do, dico, addico. Contra dies faſtus, Gall. *Jour d' Audience.* Angl. a Court-day, Ovid. Ibid.

Faſtus erit per quem lege licebit agi.

At præterea *nefaſtus dies*, ut & hoc Horatii loco, ſignificat infortunatum & male ominatum; Græci *ἀποφράδας ἡμέρας dies infandos & conſceleratos*, dixere. Romani pariter, quoſdam atros & nefaſtos habuere, eo quod in iis clades acceperant; in primis poſtriduanos, ſeu qui ſunt poſtridie Calendas, Nonas, Idus; Item alios aliquot: de quibus fuſe Macrob. mox citand. Cœl. Rhodig. lib. 14. cap. 9. Alex. ab Alex. lib. 4 cap. 20. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 16. *Dies poſtriduanos ad omnia majores noſtri cavendos putarunt: quos etiam atros velut infauſta appellatione damnarunt.* Gellius lib. 4. cap. 9. item lib. 5. cap. 17. *Religioſos ſeu triſti omine infames* nuncupat: additque; *Quos vulgus prave, perperam, & imperite nefaſtos dicit.* Non. Marcell. *Atri dies dicuntur*, inquit, *quos nunc nefaſtos vel poſteros vocant.* Afranius Fratriis: *Septembris heri Calendæ, hodie ater dies.* Claudat ſcenam Cicero ita ſcribens, 2 de Leg. 8. n. 21. *Quæ augur injuſta, nefaſta, vitioſa, dirave dixerit, irrita infectaque ſunto.*

5. *Illum & parentis, &c.*] Epod. 3, 1.

Parentis olim ſiquis impia manu
Senile guttur fregerit, &c.

6. *Penetralia ſparſiſſe nocturno cruore Hoſpitis.*] Jus hoſpitale violaſſe, hoſpite noctu interfecto, in ædium penetralibus, ubi colebantur Penates Dii, quod ſceleri ſcelus addere eſt. Virgil. Æneid. 1. v. 735.

Jupiter, hoſpitibus nam te dare jura loquuntur.

A. Gell. lib. 5. cap. 13. *Primum juxta parentes locum tenent pupilli; ſecundum clientes; tertium hoſpites; poſtea cognati, affines, &c.*

8. *Venena Colchica.*] Colchis Aſiæ regio ad oram Euxini maris, Ponto vicina, hodie *Mingrelia*, eſtque pars Georgiæ. Venenis autem eas regiones famoſas reddidit vel una Medea regis Colchorum filia veneficiis ſuis inclyta; vel quod *naſcantur plurima Ponto*, ut canit Virgil. Eclog. 8. Adde Mithridatem Ponti regem, qui venenis etiam impune veſcebatur.

Colchica.] Quidam legunt *Colcha*, ut opus non ſit ultimam hujus verſus ſyllabam rejicere ad ſequentem verſum.

11. *Triſte lignum.*] Infelices arbores quæ dicantur, enarrat Plin. lib. 13. c. 21. & lib. 16. cap. 26.

Caducum.] Quod minatur caſum & ruinam; hic vero ſignificat quod jam cecidit; quo ſenſu fulmen etiam caducum vocatur.

13. *Quid quiſque vitet, &c.*] Egregie divertit ad locum communem de periculis & caſibus improviſis, quibus ut plurimum ad mortem abripimur. Alius, inquit, maris, alius belli ſolum cavet diſcrimina: uterque vero quod non timet, ſubit genus mortis; v. g. morbo extinguitur.

14. *Boſphorum.*] Anguſtas fauces quaſlibet deſignat, per quas nemo ſine periculo ac formidine navigat. Duplex autem Boſphorus celebratur; Thracius inter Pontum Euxinum & Propontidem, ſeu Thraciam inter & Aſiam Minorem, quatuor ſtadiis patens: & Cimmerius, inter Mæotidem Paludem & Pontum Euxinum: hodie *Fretum Caffa*.

15. *Pœnus.*] Pro quolibet nautâ ponitur per ſynecdochen; vel antonomaſticôs *Pœnum* dicit; tum quod emporium orbe toto celeberrimum erat Carthago; tum quia ejus urbis cives navigatione longinqua clari. Quam inclytus fuerit Hanno dux ille Carthaginienſium, docet Mela, lib. 3.

16. *Timet aliunde.*] Obſerva vel cæſuram brevem licenter productam; vel tribrachyn pro dactylo,

Miles

Miles ſagittas & celerem fugam
Parthi; catenas Parthus, et Italum
Robur: ſed improviſa lethi
Vis rapuit rapiétque gentes.
Quàm pæne furvæ regna Proſerpinæ;
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedéſque diſcretas piorum, et
Æoliis fidibus querentem

[200] *Miles Parthorum ſpicula & fugam velocem: Parthi vincula & potentiam Romanorum* reformidant. *At mortis inopinatæ violentia populos abſtulit, & aufert. Quam prope aſpexi imperium nigræ Proſerpinæ: & judicem Æacum; &, bonorum domicilia ſeparata; & Sappho chordis Æolis expoſtulantem de vir-*

ANNOTATIONES.

18. *Parthi.*] De Parthis eorumque certandi ratione, lib. 1. Od. 19. ad v. 12.

21. *Quam pæne furvæ regna Proſerpinæ, &c.*] Quantulum a morte abfui!

Furvæ.] Ex Varrone *fur* dicitur ex eo quod *furvum* atrum appellarent, & fures atra nocte facilius furentur. Nonius Marcellus. Contra tamen de ea etymologia ſentit A. Gellius lib. 1. cap. 18. vultque deduci ac antiqua voce φὼρ: quanquam aptius fortaſſe, furem a furvo, id eſt, nigro, dici putarit vir excellentis doctrinæ, Varro ſcilicet, inquit ille ibid.

Proſerpinæ.] De ea lib. 1. Od. 28. v. 20.

20. *Æacum.*] Ex eo quod Plato, in Gorgia, Rhadamanthum Aſianorum, Europæorum vero Judicem Æacum ſcribit; inde convenientius hunc quam illum ab Horatio quidem Europæo nominari, erudite nonnulli obſervant. Ego tamen crediderim reſpexiſſe potius noſtrum Poetam ad id quod lib. de luctu, Lucianus refert: *In Orci aditu portaque adamantina fuiſſe cuſtodem Æacum Regis patruelem; atque juxta eum canem tricipitem.* Bene igitur Horatius, qui morti proximus fuerit, ait ſe prope ſalutaſſe Æacum, Orci Janitorem, perinde ac Judicem cum Minoe ac Rhadamantho, ob inſignem juſtitiæ famam, a Plutone conſtitutum.

23. *Sedeſque diſcretas piorum.*] Elyſios campos, quos deſcribit & laudat Virg. Æneid. 6. v. 638. Legunt alii *diſcriptas*, alii *deſcriptas*, id eſt, aſſignatas ac notatas; *diſcretas* habent tamen optimi codices: & vox illa pulchrum ſane ac nobilem ſenſum efficit, ut boni deſignentur a reliquis, & a vulgo ſegregati. Sic. Virgil. Æn. 5. v. 734.

> . . . . *Non me impia namque*
> *Tartara habent triſteſque umbræ; ſed amœna piorum*
> *Concilia, Elyſiumque colo.*———

24. *Æoliis fidibus querentem Sappho, &c.*] De popularibus puellis, quas amabat, Sappho conquerentem, quod in amore ſibi non reſponderent. Tres vero potiſſimum Suidas recenſet ab ea dilectas, Atthin, Teleſillam, Megaram: plures Ovidius aliique numerant. Vel zelotypiâ Sappho percita de virginibus æmulis ſuis querebatur, quod Phaoni, quem ipſa deperibat, adhærerent, ejuſque amorem retardarent. Ovid. Epiſt. 15, 15. Sapphus ad Phaonem:

> *Nec me Pyrrhiades Methymniadeſve puellæ,*
> *Nec me Leſbiadum cætera turba juvant.*
> *Vilis Anactorie, vilis, mihi candida Cydno;*
> *Non oculis grata eſt Atthis, ut ante, meis.*
> *Atque aliæ centum quas non ſine crimine amavi,*
> *Improbe, multarum quod fuit, unus habes.*

Narrat Plinius lib. 22. cap. 8. in Phaonis amorem Sappho incidiſſe per herbam, centum capita, nuncupatam, cujus radix rara quidem inventu quibus contigerit, amabiles facit. Porro ex Suida, item ex Æliano duplex Sappho fuit, utraque e Leſbo inſula; prior Ereſia, Alcæi, Steſichori, & Pittaci coætanea, quæ tres habuiſſe fertur ſodales ſeu amicas ante memoratas, plectrum inveniſſe, ſcripſiſſe vero Lyricorum carminum libros novem, Epigrammata, Elegias, Iambos, & Monodias. Poſterior Mitylenæa, quæ pſaltria fuerit, Lyrica ſcripſerit etiam, atque ob amorem Phaonis Mitylenæi, a quo ſpernebatur, de Leucate promontorio in mare ſe præcipitem dederit. De quo vide quæ annotabo lib. 1. Epiſt. 19. v. 28. ad has voces *maſcula Sappho.* Utut ſit, quemadmodum unum Herculem, etſi plures extiterunt, nominant; & quod multorum eſt, eidem tribuunt; ut alibi notavimus: ita unam Sappho vulgo celebrant, Sapphici carminis autorem, tam venuſtam & elegantem, ut decimæ Muſæ cognomen obtinuerit. *Veris nuntiam, blandiloquam luſciniam,* vocat Sophoclis Scholiaſtes. Floruit Alcæo cum & Steſichoro, annis ante Chriſtum circiter ſexcentis. Ejus (quæ temporum injuria eſt) apud varios auctores ſparſas quaſdam poematum reliquias duntaxat veneramur; & mire laudant Strabo, Ariſtot. Socrates, Dionyſ. Halicarn. Plutarch. Longinus, &c. Catullus Carmen ſuum LII. quod eſt ad Leſbiam, tranſtulit e Sapphûs Græco, quod Longinus lib. de Sublimi genere dicendi, ſic habet:

> Φαίνεταί μοι ᾽κεῖνος ἴσος θεοῖσιν
> Ἔμμεν᾽ ἀνὴρ ὅςις ἐναντίον τοι
> Ἰζάνει, καὶ πλασίον ἆδυ φωνούσας ὑπακούει,
> Καὶ γελώσας ἱμερόεν, &c.

Æoliis fidibus.] Æolica nempe dialecto uſa eſt

ginibus patriæ ſuæ; necnon te, ô Alcæe, aureâ cithará canentem altius moleſta navigationis, mœſta exilii, gravia militiæ incommoda! Manes autem admirantur ambos loquentes religioſo dignas res ſilentio: verum turbæ ſcapulis confertæ libentius excipiunt auribus prælia & expulſos tyrannos. Quid mirum? Ubi attonita cantilenis iſtis beſtia centum

Sappho puellis de popularibus; [101]
Et te ſonantem pleniùs aureo,
Alcæe, plectro dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli!
Utrumque ſacro digna ſilentio
Mirantur umbræ dicere; ſed magis [102]
Pugnas & exactos tyrannos
Denſum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum? ubi illis carminibus ſtupens
Demittit atras bellua centiceps.

ANNOTATIONES.

Sappho. Æoles Græciæ populi cum eam Aſiæ Minoris regionem, quæ ante Myſia dicebatur, invaſiſſent, quaſdam inſuper Leſbi inſulæ tenuere civitates, ac in primis aliarum caput Mitylenen Sapphûs patriam. Hinc noſter lib. 4. Od. 9. v. 12. *Æoliæ fidibus puellæ.* Et Ovid Epiſtola Sapphonis ante citata. v. 200.

Leſbides, Æolidæ nomina dicta lyræ.

26. *Et te ſonantem plenius aureo, Alcæe, plectro.*] Ovid. Epiſt. modò cit. v. 29.

Nec plus Alcæus, conſors patriæque lyræque,
Laudis habet: quamvis grandius ille ſonet.

Herodot. lib. 5. de Alcæo multa refert, quæ redarguuntur a Plutarcho, in ſuo de Herodoti malignitate libello. Vide quæ de illo amplius annotavi lib. 1. Od 32. v. 5. & ſeq. Item lib. 4. Od. 9. v. 7. ubi *Alcæi minaces Camœnæ* appellantur.

27. *Dura navis, Dura fugæ mala, dura belli.*] Ea videlicet quæ pertulit Alcæus atque exantlavit pericula, mala, difficultates, ærumnas, cum navigando fugere, patriaque exulare coactus eſt, eo quod civibus, ut aiunt, ſuis amorem libertatis ſuaderet, inviſus Tyrannis; quos tandem collecta exulum manu Mitylene exegit, patriamque vindicavit.

29. *Utrumque ſacro digna ſilentio Mirantur umbræ dicere.*] Alcæum & Sappho *umbræ mirantur* canentes *digna* ſilentum concilio, de quo Virgil. Æneid. 6 v. 432. Vel Ditis ſigna ſacrariis, quæ aſſerit idem Virgil. Æneid. 12. v. 199. vel auſcultari digna cum eo *ſilentio*, quod adhibetur in ſacris. Vel denique, *Sacro digna ſilentio*, id eſt, non profanis revelanda, nec evulganda quibuſlibet, veluti quædam myſteria. Huc facit μυςηριώδης ἡ σιγή, apud Plutarch. lib. de Garrulitate.

30. *Sed magis pugnas & exactos tyrannos.*] Quamvis autem uterque admiranda loqueretur, & ab ore utriuſque penderent umbræ; hoc tamen erat diſcrimen, quod amatoria quidem Sapphûs carmina eximia prorſus atque divina vulgus admirans auſcultaret; at longe tamen attentius, cupidius, jucundius audiebat *pugnas* ab Alcæo deſcriptas, & qua ratione *exactos tyrannos* Pittacum, Myrſilum, Megalagirum inſectari non deſtiterat, donec omnino exterminaret.

32. *Denſum humeris, &c.*] Confertum, turmatim aggregatum, contente & certatim appropinquans, auresque arrigens, præ aviditate capiendi quæ dicebantur de expulſis tyrannis, quos odit *vulgus* maxime, & de reſtituta civibus libertate, quam omnibus antefert, ipſiuſque interdum vitæ periculo redimit ac vindicat. Virgil. Æneid. 10. v. 361.

Concurrunt: hæret pede pes, denſuſque viro vir.

Bibit aure vulgus.] Hunc locum imitatus. Perſius Sat. 4, 50.

Nequicquam populo bibulas donaveris aures.

35. *Quid mirum? Ubi illis carminibus ſtupens, &c.*] Neque vero mirandum, quod ita curioſe umbræ affluant, audiantque verſus Alcæi & Sapphonis; ſiquidem iis etiam oblectatur terribilis inferorum canis Cerberus, atque voluptatem ſuam præ ſe fert *demiſſis auriculis*, quibus depoſitam iram ac furorem indicat. Contrarium oſtendunt *ſublatæ aures*, Epod. 6. Lactant. de Ira Dei, 7. *Riſus homini proprius eſt*, inquit, *& tamen videmus in aliis quoque animalibus ſigna quædam lætitiæ, cum ad luſum geſtiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, oculos in laſciviam reſolvunt.*

34. *Bellua centiceps.*] *Canis apud inferos fabuloſus*, ut ait Suidas; *immanis trifauci latratu tria pandens guttura, horrentia colubris colla exerens*; Virgil. Æneid. 6. v. 417. & ſeq. *Plutonis canem ærea voce*, πεντηκοντακέφαλον *quinquaginta capitum, crudivorum impudentemque fortemque* appellat Heſiodus in Theogonia: τρίκρανον ᾅδου σκύλακα, *tricipitem orci canem*, Sophocles in Trachiniis. Cerberus quaſi κρεοβόρος, *carnivorus*, Mythol. terram deſignat cadavera conſumentem. Quoniam vero mortales univerſi triplici extinguuntur mortis genere, naturali, violento, & fortuito, quæ tria rurſus infinita ſunt; hinc Cerbero quidam tria capita, alii quinquaginta,

Aures:

Aures; et intorti capillis
    Eumenidum recreantur angues. [203]
Quin & Prometheus, & Pelopis parens
Dulci laborum decipitur ſono;
    Nec curat Orion leones,

capitum, nigras deprimit auriculas, atque demulcentur ſerpentes Furiarum crinibus implexi. Imo etiam Prometheus, & Pelopis pater ſuavi cantu captus *ærumnas obliviſcitur, nec Orion ſatagit venari leones, vel lyncas*

ANNOTATIONES.

nonnulli denique centum affinxerunt. Sic Horat. *bellua centiceps.*

35. *Intorti capillis Eumenidum recreatur angues.*] Eumenides per antiphraſin dictæ, quia nequaquam benignæ, tres cenſentur, Alecto, Megæra, Tiſiphone. Senſus eſt: Infernales illæ Furiæ ejuſmodi carminibus placari, imo & ſerpentes earum crinibus intorti iis recreari pariter ac demulceri videbantur. Virgil. Georgic. 4. v. 482.

. . . . . Cæruleoſque implexæ crinibus angues

Eumenides. ————————

Hæ quidem ſcelerum ultrices multiplici colubrorum morſu belle exprimunt conſcientiæ ſtimulos, quibus ſcelerati vellicantur intus, ſemperque plectuntur.

36. *Recreantur angues.*] Proprie dictum. Nam cantu delectari naturaliter ſerpentes aiunt: & Plinius auctor eſt, lib. 8. cap. 16.

37. *Quin & Prometheus, &c.*] Prometheus queq; item Tantalus ſuum uterq; laborem ac ſupplicium non ſentit, velut raptus extra ſe, & deceptus amœnitate carminum Alcæi & Sapphonis. Illum ignis cœleſtis raptorem, in furti pœnam, aquilæ roſtro jecur depaſcentis excruciari Caucaſo affixum vulgo fabulantur: in inferis tamen collocat Ariſtot. Poetices cap. 17. quod idem facit hic Horat. De Prometheo jam lib. 1. Od. 3. & 16.

Pelopis parens.] Tantalus *Deorum conviva*, ut eſt lib. 1. Od. 28. v. 7. quid ſciant ac poſſint numina, auſu temerario experturus, filium ſuum Pelopem coctum iis appoſuit. Tanti vero ſceleris pœnas luit apud inferos detruſus ubi perpetuâ fame ac ſiti cruciatur, ita ut aquis Eridani mento tenus immerſus, & poma cernens ex arbore capiti impendentia, nec tamen has neque illas capere queat. Cic. Tuſ. 1. n. 10. *Mento ſummam aquam attingens ſiti enectus Tantalus.* Ovid. Met. 4, 458.

———————— *Tibi, Tantale, nullæ*
Deprenduntur aquæ: quæque imminet, effugit arbos.

38. *Laborum decipitur.*] Græca dictio ἐπιλανθάνεται πόνων. Sic & ſupra Od. 9. *Deſine querelarum.* Od. ſeq. 14. *Damnatus longi laboris Siſyphus.* Lib. 3 Od. 27. *Abſtineto irarum calidæque rixæ.* Od. ult. ejuſdem libri: *Regnavit populorum.* Nec Horatius vero ſolus ejuſmodi locutionibus atque Hellenifmis uſus. Plaut. Mercat. *Animi pendeo.* Virg. Æneid. 1, 219.

Implentur veteris Bacchi, pinguiſque ferinæ.

Et Æneid. 11, 126.

Juſtitiæne prius mirer, belline laborum?

Unde igitur hoc dicendi genus tam novum aliquibus viſum? Et quæ mens læva doctos alioqui viros impulit, ut aut lectionem comprobatam, aut ſenſum pervertèrent? Porphyrione duce, quidam legunt *laborem*, & *decipitur* accipiunt pro *decipit*. Quorſum vero tam audax figura atque mutatio? Turnebus Alcæi labores intelligit; ut ſit ſenſus, Prometheum ac Tantalum proprias obliviſci pœnas, delinitos ſcilicet ac veluti deceptos ſuavi cantu & narratione laborum Alcæi: de quibus ſupra. Verum de Promethei Tantaliq; laboribus hic ſermo eſt apertus quidem & manifeſtus; ſenſuſque eſt: *Prometheus & Pelopis parens dulci ſono* & modulatione Alcæi carminum & Sapphûs uterque adeo *capitur* & fallitur, ut quaſi ſenſum atque memoriam amittat *laborum* & cruciatuum ſuorum.

39. *Nec curat Orion leones, &c.*] Denique Orion cum aliis ad audiendum properat, abjectaque venandi cura, qua ſolet occupari, ad dulces cantus accurit. Aiunt nimirum eadem apud Inferos umbris ineſſe ac vigere ſtudia, quibus viventes tenebantur. Virgil. Æneid. 6. v. 653.

Quæ gratia currûm
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
Paſcere equos; eadem ſequitur tellure repoſtos.

Ovid. Metamorph. 4, 433.

Errant exangues ſine corpore & oſſibus umbræ:
Parſque forum celebrant, pars imi tecta tyranni;
Pars aliquas artes antiquæ imitamina vitæ
Exercent. ————————

Vide & Odyſſ. 11. & Macrob. in Somn. Scip. l. 1. c. 9, &c. En vero quo ſolet in Horatium animo bellum movet Scaliger hoc etiam loco; *Nondum*, inquit, *apud inferos hæc inveni, aut Prometheum tormentis addictum, aut Oriona venantem.* Ergone vir perſpicax, quicquid rerum ibi geritur perſpexiſti? an illic diverſatus aliquando ſingula otioſe tamque luculenter indagaſti, ut aſſeveranter dicas, ſcribaſque, hæc a te tibi minime viſa aut reperta; quæ tamen, ex Ariſtotelis citati, item ex Homeri mox citandi fide, inveniri ego credam; teque exploſo credent alii.

Orion.] De eo varie fabulantur: illum conſtat, acrem & ſtrenuum venatorem extitiſſe. Homer. Odyſſ. λ. paulo ante finem, narrat hunc *apud Inferos etiam viſum Ulyſſi per floridum pratum feras perſequentem, in deſertis autem montibus clava ferrea occidentem, &c.*

Aut

meticuloſos.

Aut timidos agitare lyncas. [204]

ANNOTATIONES.

40. *Lyncas.*] Lynx animal pardo non prorſus abſimile, ex Geſnero de quadrup. periade maculoſum, Virgil. Æn. 1. v. 327. acutiſſimi viſûs, ex Plutarch. Plin. lib. 28. cap. 8. &c.

ODE XIV. Ad POSTUMUM.

Vitari mortem non poſſe.

Heu, Poſtume, Poſtume, anni cito prætereunt. Neque religio rugas, & urgens ſenium, fatumque ineluctabile retardabat: nec ſi tauros quotidie trecentos immoles Plutoni inexorabili, qui ter magnum Ge-

EHEU, fugaces, Poſtume, Poſtume,
Labuntur anni; nec pietas moram [205]
Rugis & inſtanti ſenectæ
Afferet indomitæque morti.
Non ſi trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris; qui ter amplum

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. lib. 1.

1. *Eheu, fugaces.*] Dolet vitæ brevitatem, mortiſque duram neceſſitatem. Virgil. Georg. 3. 284.

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus. Ovid. Met. 15, 183. *Tempora ſic fugiunt.* Perſ. 5, 151. *Fugit hora.*

Poſthume.] Parvi refert ſeu legas, *Poſtume*, quo ſignificatur ultimo loco natus; ſive *Poſthume*, id eſt, qui poſt humatum patrem in lucem editus. Hic cognomen eſt, ut volunt quidam, parvo certe nixi fundamento, Julii Flori, ad quem Horatius inſcribit Epiſt. 3. lib. 1. & ſecundam ſecundi. Conjectori tamen danda venia, cum certi nihil aliunde ſuppetat. Virgil. Æneid 6. v. 763. Agell. lib. 2. cap. 16, &c.

2. *Nec pietas moram, &c.*] Etſi Deos colas religioſiſſime, haud proinde vita continget tibi diuturnior. Ita quidem Ethnicus de falſis Numinibus non falsò. At ſacris nos codicibus inſtructi multis dilatam ope Dei præpotentis mortem non ambigimus. Exod. cap. 20. & Deuteron. cap. 5. *Honora patrem & matrem, ut longo vivas tempore, ac bene tibi ſit in terra, &c.* lib. 4. Reg. cap. 20. Ezechias uſque ad mortem ægrotans, ſanitatem oratione piiſque lachrymis obtinet, mereturque audire Deum ita pollicentem; *Vidi lacrymas tuas: ecce ſanavi te: & addam diebus tuis quindecim annos, &c.*

3. *Rugis & inſtanti ſenectæ.*] Deficientibus in ſenectute humoribus ſubtilioribus, paulatim areſcit corpus ac dureſcit, & cutis in rugas contrahitur.

5. *Non ſi trecenis.*] Etiamſi tribus quotidie Hecatombis Plutonem ſatagas placare: non litabis tamen, & mortem fruſtra deprecabere. Æſchyl. Μόνος, θεῶν γάρ θάνατος ὐ δώρων ἐρᾷ, ὐδ' ὦν ἐπισπένδων ποιῇς, &c. *Sola Deorum mors non capitur muneribus; nec ſi ſacrifices in templis.*

Trecenis.] Perperam aliqui, *tricenis*, cujus prima ſyllaba, cum ſit longa, metri lege arcetur.

6. *Illacrymabilem.*] Lacrymabiles dicuntur ii, qui ad miſericordiam facile moventur per lacrymas & preces: e contrario Pluto vocatur illacrymabilis, quia nunquam flectitur. Sic Eraſm. ἀδακρυς, *implacabilis*, cujus ob inexorabilem ſævitiam illacrymemus, inquit Torrentius.

7. *Plutona.*] Inferorum & mortuorum Deum. Is Saturni filius, frater autem Jovis ac Neptuni. Hi tres ita paternum regnum diviſere. Jupiter quidem orientalis plagæ ſortitus eſt imperium; & cum indè lux oriatur, Cœlum dictus eſt occupaſſe. Neptunus inſulas habuit, unde & maris dominus ac Deus appellatus eſt. Pluto natu minimus occidentalem obtinuit regionem, ſecus inferum mare. Hinc fabula dominari inferis ait: & quoniam terræ viſceribus conduntur metalla auri & argenti, Divitiarum Deus exiſtimatus eſt, & Ditis & Plutus dictus. Lactant. lib. 1. Divin. Inſtitut. Neque vero prætermittendum quod teſtatur Cœl. Rhodig. lib. 17. cap. 21. Eorum quæ ad defunctorum ſpectant cultum Plutonem fuiſſe auctorem primum. Quo nomine creditum, modò vitâ functis præſidere.

Qui ter amplum Geryonem, &c.] Qui potentes quoſque & magnos domat, v. g. Geryonem & Tityum, ſcil. ut ſcribit Juvenal. Sat. 10. 172.

. . . . *Mors ſola fatetur*
Quantula ſint hominum corpuſcula. ——

Ter amplum Geryonem vocat Horatius; *tergeminum* Virgil. Æneid. 8. v. 202. ex eo quod fabulantur, triplex ei corpus fuiſſe. Hinc Virgil. Æn. 6, 289.

——— *Forma tricorporis umbræ.*

Geryonem,

Geryonem, Tityónque triſti [206]
Compeſcit undâ, ſcilicet omnibus,
Quicunque terræ munere veſcimur,
Enavigandâ; ſive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Fruſtra cruento Marte carebimus,
Fractíſque rauci fluctibus Adriæ; [207]
Fruſtra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.

[Ge]ryonem & Tityum coercet fluvio lethali, nempe tranando cunctis, quotquot nutrimur frugibus telluris, ſeu principes, ſeu egeni agricolæ fuerimus. Abſtinebimus incaſſum ſanguinolento Marte, & illiſâ undâ maris Adriatici frementis. Incaſſum cavebimus Notum corporibus noxium Autumnali tempeſtate.

ANNOTATIONES.

Fingendi porro anſam præbuit triplex regnum, ſive triplicis circa Hiſpaniam inſulæ dominium; vel potius trium fratrum corporis robore præſtantium concordia, quæ tanta erat, *ut uno regi animo viderentur*, inquit Juſtin. ad calcem libri ultimi. Quod idem fere narrat Diodor. Sicul. lib. 5. c. 2. ubi decimum Herculis laborem in debellando Geryone exponit. Porro valde arridet ſententia Palæphati aſſerentis, e Tricarenia ad Pontum Euxinum inſula Geryonem fuiſſe, adeoque Tricarenum; & ex ambigua vocis ſignificatione tricipitem ac proinde tricorporem dictum.

1. *Tityon.*] Is mole corporis plus quam Gigantæa fertur, quod Latonæ vim inferre tentâſſet, ab Apolline ſagittis truſus ad inferos, ubi vulture jecur perpetuo renaſcens exedente & laniante torquetur. Virgil. Æneid. 6, 595.

Necnon & Tityon, terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur; roſtroque immanis vultur adunco
Immortale jecur tundens, fœcundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.

9. *Compeſcit unda triſti.*] Detinet in Inferis, & coercet *unda* Stygia, ſeu palude illa horrida & irremeabili, de qua Virgil. Æn. 6, 436.

. . . . *Quam vellent æthere in alto*
Nunc & pauperiem & duros perferre labores!
Fata obſtant, triſtique palus inamabilis undâ
Alligat, & novies Styx interfuſa coercet.

10. *Terræ munere veſcimur.*] Plin. lib. 2. c. 63. *Terra, quæ hominum, ut cælum Dei, nos náſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper! . . . ſola quæ nunquam iraſcatur homini. Aquæ ſubeunt in imbres, rigeſcunt in grandines, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes. Aer denſatur in nubibus, furit procellis. At hæc benigna, mitis, indulgens, uſúſque mortalium ſemper ancilla, quæ coacta generat! Quæ ſponte fundit! Quos odores ſaporeſque! Quos ſuccos! Quam bona fide creditum fœnus reddit! Quæ noſtri cauſâ alit!* &c. quæ lege.

11. *Enaviganda.*] Mors omnibus ſubeunda; mortali cuilibet *calcanda eſt ſemel via lethi*, ut eſt in Ode 28. l. 1. Styx tranandâ & *enaviganda* vectore & portitore Charonte, qui *ferruginea ſubvectat corpora cymba.* Virgil. Æn. 6. Vide locum a v. 295. ad 317.

Sive reges, ſive inopes.] Vide lib. 1. Od. 4. & 28.

13. *Fruſtra cruento Marte carebimus, &c.*] Nihilo ſecius moriemur, etſi abſtinuerimus bello, mari, &c. fruſtra cavebimus pericula militiæ & navigationis, aut peſtiferi Auſtri flatus, in Autumno præſertim. Quamvis enim mortis unum aliquod ſpiculum eluctemur, at altero percuſſi occumbemus. *Improviſa lethi vis rapuit rapietque gentes:* ut eſt in Ode ſuperiori.

14. *Fractis fluctibus.*] Virg. Æn. 1, 165.

. . . . *Omnis ab alto*
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.

Adriæ.] Supra Od. 11. v. 2.

Rauci.] Horrendum frementis quando tumentes fluctus ad ſcopulos illiduntur, ingenti ſonitu & fragore.

15. *Per autumnos nocentem Corporibus Auſtrum.*] *Autumno* quidem morbi ſemper acutiſſimi & exitiales, ex Hippocrat. lib. 5. Aphor. 9. Hinc Juvenal. Sat. 4. v. 56. *letiferum* appellat: & Sat. 10. v. 221.

Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.] In cauſa ſunt inæqualitas caloris & frigoris eodem ſæpius die ingruentium. Deinde æſtati ſucceſſio; in qua bilioſi humores accumulati dein facile computreſcunt. Adde cutis conſtipationem a frigore, per quam tetri halitus retinentur intus, & morbos creant. Denique debilitatæ per æſtatem vires corporis, fructuumq; copia noxiorum humorum colluviem gignens, Autumnum vere θηριώδη *ferinum* ab Hippocrate dici fecerunt. Cauſas afferunt iſtas quinque Galen. aliique, necnon Plutarch. Sympoſ. lib. 8. cap. ult.

16. *Auſtrum.*] Hujus natura cum calida ſit & humida, valet ad procreandas ægritudines, replendumque caput, indeque ad gravedinem inducendam, ſenſus torpore inficiendos, vireſque diſſolvendas & enervandas. Hippocrat. lib. 3. Aphoriſmo 3. *Auſter auditum hebetat, caliginem offundit, caput gravat, pigros & languidos facit.*

Viſendus

Adeundus niger Cocytus lentâ fluens aquâ, Danaique ſtirps conſcelerata, & Siſyphus Æoli filius æternæ pœnæ addictus. Deſerenda terra, & domicilium & grata conjax. En harum, quas educas, arborum nulla te comitabitur haud diuturnum poſſeſſorem, præter ferales cupreſſos.

Viſendus ater flumine languido
Cocytus errans, et Danaï genus
Infame, damnatúſque longi [208]
Siſyphus Æolides laboris.
Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum,
Te, præter inviſas cupreſſos,
Ulla brevem dominum ſequetur.

ANNOTATIONES.

17. *Viſendus ater flumine languido.*] Id eſt; migrare tandem ad inferos oportebit; illicque viſere Cocytum, &c. Vide lib. 1. Od. 28.

Flumine languido.] Virgil. ante cit. *tardam* Stygem vocat.

18. *Cocytus.*] Ejus derivatur nomen, a κωκύω, *lamentor*. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 10. Quicquid homines in luctum lacrymaſque compellit, *Cocytum*: quod in gurgite mergit odiorum, *Stygem* interpretati ſunt, inquit. Sic & ipſas pœnas, quas apud inferos memorant. Vulturem jecur immortale tundentem, intellige tormenta conſcientiæ indefeſſa ſceleris admiſſi admonitione lanianti a, &c. Vide cætera ibidem.

Danaï genus Infame.] Danaus Argis regnavit an. M. 3716. Euſeb. Chron. hujus filii quinquaginta ſuos, unâ exceptâ, viros jugulavere, patris mandato nefario obſequentes: quam ob noxam pertuſum aquis implere dolium in Inferis coguntur. Vide lib. 3. Od. 11. Virgil. Æn. 10, 497.

. . . . . . *Unâ ſub nocte jugali*
Cæſa manus juvenum fœde, thalamique cruenti.

Tibull. 1, 3, 79.

Et Danai proles, Veneris quæ numina læſit,
In cava Lethæas dolia portat aquas.

19. *Damnatuſque longi, &c.*] Ellipſis, ſupp. pœna.

20. *Siſyphus Æolides.*] Latrociniis, ut aiunt, infamis a Theſeo eſt occiſus: alii dicunt virum fuiſſe rerum multarum notitia pollentem; & cum immortalitatem ſibi parare attentaſſet, longo iſto labore damnatum, ut ad apicem montis portaret ſaxum inde relapſurum. Vide Epod. ult. Ovid. Metamorph. 4, 460.

Aut petis, aut urges ruiturum, Siſyphe, ſaxum.

Virgil. Georgic. 3, 39.

———*Non exſuperabile ſaxum.*

Lucret. lib. 3, 1013.

. . . . . . *Nixantem trudere monte*
Saxum, quod tamen a ſummo jam vertice rurſum
Volvitur, &c.———

Vid. & Odyſſ. 11. ubi Siſyphi labor graphice deſcribitur ac pingitur, ut obſervari oculis videatur Siſyphus trudens ſaxum, connitens, totoque ſudans corpore.

21. *Linquenda tellus.*] Supra Od. 3, 17.

Cedes coëmptis ſaltibus, & domo,
Villaque, &c.

Et placens uxor.] Vel decora & pulchra, vel *bene conveniens*, ut eſt apud Sueton. Tiber. cap. 7. & hinc viro dilecta & omnino placens.

22. *Quam colis, arborum.*] In colendis arboribus luxum atque delicias Romanorum alibi notavi. Vino etiam platanos irrigaſſe Q. Hortenſium, teſtis Macrobius lib. 3. cap. 13. Valer. Max. lib. 9. cap. 1. art. 4. de Cn. Domitio, & Luc. Craſſo altercantibus: *Uter luxurioſior?* inquit Craſſus: *Egone qui decem columnas centum millibus nummûm emi: an tu qui decem arbuſcularum umbram tricies ſeſtertiûm ſummâ compenſas?* Idem fere narrat Plin. lib. 17. cap. 1. Vide ſeq. Od. Annot. initio.

23. *Cupreſſos.*] Funebres arbores, ideoque *inviſas* appellat Horatius: Proſerpinæ Ditique ſacras, ex Servio, Feſto, Plinio. Hic lib. 16. cap. 33. ita ſcriptum reliquit: *Natu moroſa, fructu ſupervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratioſa.*

24. *Brevem dominum ſequetur.*] *Sequetur*, toris tuis ex more appoſita, cum vitâ exceſſeris.

Brevem.] Paucis annis uſum, & poſſeſſionem ὀλιγοχρόνιον. Valeant qui ad tumuli vel urnæ anguſtias redactum interpretantur. Quæ ſi cui placeat explicandi ratio, lucem huic afferet Juvenal. Sat. 10. v. 168. & quinque ſequentibus.

Dominum.] Te potentem ac divitem. Plin. modò cit. *Cupreſſus*, inquit, *Diti ſacra, & ideo funebri ſigno ad domos poſita; adde nobilium*, ex Lucano.

Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus.

Ad rem præterea faciunt, quæ de cupreſſo ſcribunt. Præciſo capite moritur, & ſubſecta non renaſcitur, ſicut ex mortuis nihil ſperatur: Servius. Rogis adhibetur, & cremandis utilis eſt cadaveribus, ob gravem uſtrinæ nidorem; quoniam fœtorem cadaveris cum uritur, odoris ſui jocunditate lenit. Ita Varro. Leges publicas & ſacrorum ritus, ob æternam firmitatem, in tabulis cupreſſinis deſcribi Plato jubebat. Vide Cœl. Rhod. lib. 25. cap. 2.

Abſumet

Abſumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus; et mero
Tinget pavimentum ſuperbum
Pontificum potiore cœnis.

[209] 26 *Hæres dignior conſumet vina Cæcuba centenis clavibus cuſtodita: ſuperbumque pavimentum aſperget vino meliore Pontificum epulis.*

ANNOTATIONES.

25. *Abſumet hæres Cæcuba dignior, &c.*] Hæres dignior te, quia liberalior, & ſciens uti iis, quæ ad uſum ſuat facta, quibus improbe avari velut ſacris parcunt. Quæ vero tu parce nimis ſervaſti vina exquiſita, hæc ille abſumet, & ſine modo fundet.

Cæcuba.] Lib. 1. Od. 20. Vinum optimum profundet diſperdetque.

26. *Mero Tinget pavimentum.*] Cic. Philipp. 2. *Natabant pavimenta vino.* Porro in deliciis fuiſſe olim reſpergi pavimentum vino fragrantiſſimo, auctor eſt Athen. lib. 15. Alii referunt ad cottabiſmum; quo veteres inter potandum uſi, non ſiccantes omnino calicem, ſed arte quadam vini reliquias in terram elidentes, ut ſonus inde redderetur. Ita J. Lipſ. antiq. lect. lib. 3. de eo more & joco a Siculis invento, Heſychio teſte. Suidas paulo aliter, in κοτταβίζειν. Athen. variis locis, maxime vero lib. 15. Jul. Pollux, lib. 6. cap. 19. Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 26, &c.

27. *Pavimentum ſuperbum.*] *Marmoreum ſolum* vocat Tibull. lib. 3. Eleg. 3. & Cic. Parad. 6. de pavimentis arte & pictura elaboratis, deque lithoſtrotis ac vermiculatis, Plin. lib. 36. c. 25. Quidam legunt *ſuperbo*, referuntque ad vocem, *mero*; ut per Hypallagen ſignificetur hæres ſuperbus vinum pretioſum effundere. Alii *merum ſuperbum* aiunt, quod non amplius clavibus incluſum jam marmoreo libere decurrat pavimento. Sed vix id veniſſe in mentem Horatio, ſi dicam; plus credat mihi quiſque cordatus injurato, quam juratis illis.

28. *Pontificum potiore cœnis.*] Meliore, pretioſiore, quam illud quod adhibetur in ſumptuoſis illis Pontificum cœnis: quando novi quidam inaugurabantur, & in eorum collegium admittebantur. Varro lib. 3. cap. 6. Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 13. Chiliad. 3. Centur. 2. Adag. 36. lib. 1. Od. 37. v. 2.

ODE XV.

Immoderatum ſui ſeculi circa ædificia luxum reprehendit.

JAM pauca aratro jugera regiæ
Moles relinquent: undique latiùs
Extenta viſentur Lucrino

[210] *Regales deinceps ſubſtructiones modicam terram relinquent arandam. Undequaque venient ſpectatum ſtagna magis*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Jam pauca, &c.*] Hæc Ode ſuperiori juncta legitur in quibuſdam exemplaribus: ſed perperam; ut ſatis oſtendit argumentorum diverſitas.

Pauca aratro jugera regiæ Moles relinquent.] Occupantibus fere omnia ædificiis ſumptuoſis, operoſis, rege dignis. Cic. pro Milone, *Inſanas ſubſtructiones.* Et poſtea, *Subſtructionum inſanas moles* vocat.

2. *Undique latius extenta viſentur, &c.*] In illis ædibus magnifice ſtructis viſentur piſcinæ, vivaria, ſtagna, Lucrino lacu ampliora; qui tamen ingens & ſpatioſus. V. Max. lib. 9. cap. 1. *C. Sergius Orata, ne gulam Neptuni arbitrio ſubjectam haberet, peculiaria ſibi maria excogitavit, æſtuariis intercipiendo fluctus, piſciumque diverſos greges, ſeparatos molibus includendo: ut nulla tum ſæva tempeſtas incideret, qua non Oratæ menſæ varietate ferculorum abundarent. Ædificiis etiam ſpatioſis & excelſis deſerta ad id tempus ora Lucrini lacus preſſit, &c.*

3. *Lucrino lacu.*] Hic & Baianus appellabatur, inter Puteolos & Baias ſitus, ac inter Avernum lacum & mare Tyrrheaum: maxime piſcoſus, & proinde afferens lucrum: hinc nomen. Ita quidem olim: et anno 1538. terræ motus novum excitavit extulitque montem Cinereum dictum: nihilque reliquit e lacu Lucrino præter cœnoſam paludem cum arundineto, quod quidem in ſuo Lexico affirmat Michael Anton. Baudrandus rerum Geographicarum ſtudioſiſſimus, teſtiſque oculatus. Strabo lib. 5. ſtadiis octo longum fuiſſe refert. Suet. Aug. cap. 16. *Portum Julium apud Baias immiſſo in Lucrinum & Avernum lacum mari, effecit.* Virgil. Georgic. 2. 161.

An memorem portus, Lucrinoq; addita clauſtra:
Atq; indignatum magnis ſtridoribus æquor? &c.

Stagna

ſpatioſa, quam ſit *lacus Lucrinus*. *Platanus quoque ſterilis ulmos excludet*. *Dein violaria, myrteta & uberes odoratûs opes afflabunt ſuavitatem per loca oleis* antè *conſita*, quæ *priori poſſeſſori fructum dabant*. *Mox denſa laurus ardentes* Solis *radios ramis arcebit*. *Non ſic erat licitum per leges Romuli & Ca-*

Stagna lacu: platanúſque cœlebs
Evincet ulmos: tum violaria, et [211]
Myrtus, et omnis copia narium, 6
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori.
Tum ſpiſſa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli 10
Præſcriptum, et intonſi Catonis [212]

ANNOTATIONES.

4. *Platanuſque cœlebs evincet ulmos.*] Arbores ad umbram, delicias, & mollitiem duntaxat utiles, frugiferis arboribus præferentur. Plin. lib. 12. cap. 1. *Quis non miretur arborem umbræ gratia tantùm ex alio petitam orbe? Platanus hæc eſt, per mare Ionium in Diomedis inſulam ejuſdem tumuli gratia primum invecta; inde in Siciliam tranſgreſſa, atque inter primas donata Italiæ . . . tantumque poſtea honoris increvit, ut mero infuſo enutriantur. Compertum id maxime prodeſſe radicibus: docuimuſque etiam arbores vina potare.* Platani folia latiſſima, umbram peramœnam, alibi notat. Vide apud Herodot. lib. 4. Xerxem cum ingenti exercitu in Lydiam pergentem platani pulcherrimæ admiratione captum, circa illam ſtantem, aureo monili donantem, ejus denique curam viro immortali committentem. Decem erant nempe millia virorum ſelectorum e Perſica militia, qui dicebantur immortales: quoniam uno moriente, ſtatim alter ſubſtituebatur, ut completus eſſet ſemper ille numerus. Horum meminit Q. Curtius lib. 3. Porro platanum auream ſibi fundi juſſit Xerxes, quæ ſupra memoratam exprimeret, ejuſque leniret deſiderium, et regii mentis ob ejus abſentiam æſtuationem. Cœl. Rhodig. lib. 25. cap. 2. Vide ſupra Od. 14. ſub finem Annot. ad ea verba, *quas colis arborum.*

Platanus cœlebs.] Martial. lib. 3. Epigram. 57. *viduam* appellat: intellige ſterilem, vel non vitibus, ut ſolet ulmus, maritatam. Vide Plin. lib. 16. cap. 17. Senec. lib. 5. Epiſt. 6.

5. *Evincet ulmos.*] Expellet, quaſi dimovebit loco, earumque plantaria occupabit.

Tum violaria. &c.] Similiter & flores odoriferi exterminabunt fructuoſas arbores, hiſque neglectis & ejectis, excolentur. Quidam legunt, *myrtuſque & omnis, &c.* ut metri conſtet ratio. Alii volunt hic *myrtus* 4. declin. eſſe, & num. plural. adeoque ultimam ſyllabam produci. Plin. lib. 21. cap. 11. *In Italia violis ſuccedit roſa: huic intervenit lilium: roſam cyanus excipit, cyanum amarantus.* De myrto plura lib. 1. annotavi ad Od. 38. v. 5.

6. *Omnis copia narium.*] Abundantia florum & odorum, qui ſunt odoratus opes quaſi ac divitiæ, voluptas ac delectatio. Eſt qui *dormitaſſe* hic Horatium cavilletur, nec ſatis *intendiſſe animum*. Quaſi vero temere quidquam ſcribere ſoleat tantus Poëta. Imo feliciter *intendebat animum*, forſan *vivos & roſtrat ungues, & in verſu faciendo ſæpe caput jam ſcaberat*, atque, ut ait etiam Perſius, *Pluteum ceciderat*; cum ſcripſit: *Omnis copia narium*: dictio ſane tam grandis quam inſolens, tam pulchra & dives, quam audax & nova.

7. *Spargent olivetis odorem fertilibus domino priori.*] Odoriferæ omnis generis plantæ diffundent fragrantiam iis in locis, quæ prius olivis conſita uberem domino proventum afferebant.

9. *Tum ſpiſſa ramis laurea fervidos Excludet ictus.*] Seu quod adverſus fulmen ejuſque ignitos ictus valere laurus dicatur ex Plinio lib. 15. cap. ultimo. Sueton. Tiber. cap. 69. &c. Sive quod arte quadam laurus apud Romanos veluti ſilveſcebat, ramoſque tam alte lateque extendebat, ut ſpiſſam & opacam umbram prætexeret, Solíſque arborem arceret, *ictuſque fervidos*; qui Lucretio *verbera Solis* nuncupantur. *Spiſſam* quoque *ramis lauream* referunt aliqui ad hortos operis topiarii. De quibus omnibus Plin. citato loco. Laurus nempe aliique frutices gradatim modicis intervallis inflecti, annectique, & cancellatim pingi poſſunt, inquit Cruq. hic.

10. *Non ita Romuli Præſcriptum, &c.*] Non ita majores noſtri: nec iſta graſſabatur luxuria temporibus *Romuli*; qui ſingulis civibus duo tantum agri jugera diſtribuit, aut *Catonis* Cenſorii, Portiæ familiæ principis, luxuriæ hoſtis infenſiſſimi: qui Dux, Orator ac Senator præclarus, frugalitate & continentia longe clarior, quater & quadragies accuſatus, toties eſt abſolutus. Plutarch. in ejus vita. Plin. lib. 7. cap. 27. Valer. Max. lib. 3. cap. 7.

11. *Intonſi.*] Nimirum Romani uſi tonſoribus anno ab urbe condita 454. *antea* vero *intonſi fuere*: quod ex Varrone aſſerit Plin. lib. 7. cap. 59. Vide Gell. lib. 3. cap. 4. Quod ſi Catonem intelligere Uticenſem placet: hic etiam intonſus, quia ex quo civilia bella exarſere, tonderi nunquam voluit: Lucan. 2, 372.

Auſpiciis, veterúmque normâ.
Privatus illis cenſus erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton;
Nec fortuitum ſpernere ceſpitem [213]
Leges ſinebant, oppida publico
Sumptu jubentes, & Deorum

tonis criniti, vel priſcorum inſtituta. Res familiaris aderat eis exigua, publica autem *divex. Nemini privato porticus menſa decem pedum portica colligebat auram Septentrionalem umbroſam. Neque fas erat contemnere glebam obvenientem: urbes au*tem *communibus impenſis, ac*

ANNOTATIONES.

Ille ut horriferam ſancto dimovit ab ore
Cæſariem, durôque admiſit gaudia vultu:
Ut primùm tolli feralia viderat arma,
Intonſas rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mœſtámque genis increſcere barbam.

13. *Privatus illis cenſus erat brevis.*] Exiguæ tunc erant privatorum opes: nec dives eſſe quiſquam ſatagebat: at univerſi Reipublicæ decus, gloriam, potentiam augere & amplificare ſtudebant. Vide paupertatem laudatam apud Valer. Maxim. lib. 4. cap. 4. ubi inter exempla non pauca, hæc affert: Valerii Poplicolæ, *Cui mortuo lectus funebris & rogus defuit: exequiæ vero pecunia publica ductæ ſunt.* Agrippæ Menenii, *qui publicæ ſalutis arbiter ita pecuniæ inops deceſſit, ut ſepulturæ honore caruiſſet, niſi a populo collatis in capita ſextantibus funeratus eſſet.* Et paulo poſt, idem ſic ſcribit: *Imo vero quos pericula Reipublicæ Imperatores afferebant, anguſtiæ rei familiaris (quid ceſſo proprium nomen veritati reddere?) bubulcos fieri cogebat.* Et poſtea: *Quid Ælia familia, quam locuples? Sexdecim eodem tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula erat eodem loci, quo nunc ſunt Mariana monimenta: & unus in Agro Veiente fundus minus multos cultores deſiderans, quam dominos habebat, &c.*

14. *Commune magnum.*] Τὸ κοινὸν apud Cicer. Senſus eſt; magni putabatur publica res, ſalus, auctoritas: commodo privato Reipublicæ utilitas anteponebatur. Cic. pro Flacco n. 28. *In privatis rebus minimo contenti erant majores noſtri: in imperio et publica dignitate omnia ad gloriam ſplendoremque revocabant.*

Nulla decempedis Metata privatis, &c.] Privatorum nemini porticus erat pluribus metata decempedis, adeoque valde longa, ex arte, & magno proinde ſumptu extructa.

15. *Opacam excipiebat Arcton.*] Quæ porticus Septentrioni obverſa, apta eſſet ad captandum æſtate frigus plurimum, & ad amœnam ambulationem, fervente etiam die. *Arctos* Græcis Urſa, Latinis ſidus, Boreale, polo Arctico nomen fecit: regionem ſeptentrionalem deſignat, unde frigidæ & ſalubriores ſpirant auræ. *Porticus* definiri poteſt ambulacrum columnis ſeptum, Gall. *une Gallerie.* Ang. a Cloyſter. Aliæ centenariæ, aliæ milliariæ dicebantur a longitudine & numero paſſuum, quos continebant. Sueton. Vitruv. lib. 5. cap. 9. & 11. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22. & 23. ubi & multiplex porticus recenſetur: præ cæteris autem Porticus Claudia, in qua ſubdiales ambulationes, miro ingenio elaboratæ: item porticus Auguſti, in Palatio cum bibliotheca Græca Latinaque, Numidico marmore per ſymmetriam extructa, &c. Vide & Cæl. Rhodig. lib. 28. cap. 32. Juv. Sat. 7, 182.

Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cœnatio Solem.

17. *Nec fortuitum ſpernere ceſpitem Leges ſinebant, &c.*] Legum pœnis erat obnoxius, quiſquis operoſas ædes ſibi molitus eſſet a ſaxo quadrato; quæ quidem ſtructura templorum erat. At privatis vel crudo ceſpititio ſolo, aut coctis tantum lateribus ædificare licebat. Turneb. lib. 10. cap. 21. Itaque nemo ſpernebat caſam hæreditate ſibi obvenientem, agellum, prædiolum. Neminem pigebat habitare domunculas,

Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen.

Virgil. Eclog. 1, 69. vel, paſſim, & ſine diſcrimine cibum aut quietem captabant majores noſtri ubicunque fors tulerat. Ovid. Faſt. 1. 205.

Nec pudor in ſtipula placidam cepiſſe quietem,
Nec fœnum capiti ſuppoſuiſſe, fuit.

Tibull. 2, 5. 99.

At ſibi quiſque dapes & feſtas extruet alte
Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque thorum.

Huc facit quod de Tiberio Sueton, ait, cap. 18. *Trans Rhenum vero eum vitæ ordinem tenuit, ut ſedens in ceſpite nudo cibum caperet: ſæpe etiam ſine tentorio pernoctaret.*

Fortuitum.] Hujus vocis penultimam corripit Juven. Sat. 13, v. 225. hic vero productam vides, a *fortuna & ire.* Servius in Æneid. 6. v. 179.

18. *Oppida publico Sumptu jubentes & Deorum Templa, &c.*] Hinc Ædiles, ſeu publicarum ædium, totiuſque urbis curatores. Hoc & ad Auguſti laudem ſcripſiſſe Horatius creditur. Sueton. Auguſt. cap. 30. *Spatium urbis in regiones*

Templa

numinum fana lapidibus novis exornare præſcriptum erat.

Templa novo decorare ſaxo

ANNOTATIONES.

vicoſque diviſit: inſtituitque ut illas annui magiſtratus ſortito tuerentur . . . Ædes ſacras vetuſtate collapſas, aut incendio abſumptas, refecit: eaſque & ceteras opulentiſſimis donis exornavit, &c.

20. *Novo ſaxo.*] Vel ſecto, quadrato, & polito; vel e longinquis terris Romam advecto; quale eſt marmor ex Armenia, Paro, Chio, Ægypto; Numidia, &c. Juvenal. Sat. 14. v. 86. & ſeq.

Ædificator erat Centronius . . . .
. . . . Alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longeque petitis
Marmoribus, &c.

ODE XVI. Ad GROSPHUM.

Animi tranquillitatem non niſi cupiditates coërcendo parari.

O Groſphe, quietem à numinibus petit quilibet in aperto mari Ægæo deprehenſus, ſimul atque nigra nubila texerunt Lunam, neque apparent nautis aſtra non dubia. Quietem Thracia bello efferata; Parthi inſignes pharetrâ quietem po-

OTium Divos rogat in patenti [214]
Prenſus Ægæo, ſimul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:
Otium bello furioſa Thrace,
Otium Medi pharetrâ decori, [251]

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2. lib. 1.

Ad Groſphum.] Hunc Pompeium Groſphum nobilem & Magiſtratibus perfunctum innuit, quod in fine hujus Odes purpurâ veſtiri ſcribit. Sicilienſem aiunt nonnulli, eo quod ibidem Horatius Siculis gregibus & armentis opulentum notat, Virum autem frugi celebrat Epiſt. 1, 12, 22.

Utere Pompeio Groſpho; & ſi quid petet ultro
Defer: uti Groſphus, niſi verum orabit, & æquum.

1. *Otium Divos rogat, &c.*] Otium poſcunt omnes, & tamen omnes avaritiam & ambitionem colunt, per quas aſſiduis laboribus & periculis exercentur, atque otio frui prohibentur. Sic impiger ad Indos, quæſtûs cauſa currens mercator, cum ſe jactatum tempeſtatibus, & mortis diſcrimini proximum ſentit, tum mare & navigationem deteſtatur, otiumque rogat a Caſtore & Polluce: at ultra pergit tamen, urgente avaritia, cum primum periculum præteriit. Od. 1, 1, 15.

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium & oppidi
Laudat rura ſui.

2. *Ægæo.*] Quod mare altum & ſcopuloſum, & multis adeo naufragiis infeſtum. Unde Proverb. Τὸ Αἰγαῖον πλεῖν, ab Æga inſula, vel ab Ægis Eubœæ inſulæ oppido, ut Straboni placet, Ægæum mare dictum eſt. Alii alia fabulantur. Situm eſt Græciam inter & Aſiam, plures habet inſulas quaſi paſſim diſſeminatas; hodie Archipelagus nominatur.

5. *Neque certa fulgent Sidera.*] Cum ortis nubibus obducta cœli facies, non oſtendit ea ſidera certa ſemper regione apparentia, quibus dirigi navigantes ſolent, & tutus eſſe curſus ac non dubius. Æneid. 1, 92.

Eripiunt ſubito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis. Ponto nox incubat atra.

Lucan.

—— Miſeros fallentia nautas
Sidera non ſequimur.

5. *Otium bello furioſa Thrace.*] In mediis belli periculis & ærumnis, fatigatæ gentes etiam maxime bellicoſæ otium deſiderant: vix tamen poſtea bello abſtinent, præda alliciente.

Furioſa Thrace.] An quod atris infuſcati ſagulis (qui furiarum color eſt) ad bellum procedunt Thraces? An quod terribili ſpecie? Sic apud Plutarch. in vita Pauli Æmilii, *Pugnantium Thracum aſpectu Naſica maxime exhorruit. Erant nempe in acie prima, homines proceris corporibus, albis ac lucentibus ſcutis, ocreis armati, tunicas induti nigras; graves enſes & rectos a dextris humeris quatientes.*

6. *Medi pharetrâ decori.*] Parthos indicat Medorum victores: de quibus lib. 1. Od. 12. & 19. arcubus armatos in Xerxis exercitu teſtis Herodot. lib. 7. Sagittas ab inguine jaculari ſed torquere ſolitos, annotavi ad Perſ. Sat. 5. v. 4. ex Caſaubono.

Groſphe,

Groſphe, non gemmis, neque purpurâ ve-
nale, nec auro.
Non enim gazæ, neque conſularis
Summovet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet in menſâ tenui ſalinum,
Nec leves ſomnos timor aut Cupido [216]
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? Quid terras alio calentes
Sole mutamus? Patriæ quis exul

ſcunt *nec lapillis, nec purpurâ, nec auro venalem: enimvero divitiæ vel Conſulis apparitor haud pellunt graves animi turbas ac ſollicitudines circa palatia laquearibus ornata volitantes. Ei fœlix eſt è modico vita, cui majorum ſalinum rutilat in frugali menſâ, neque tranquillum ſoporem metus adimit vel turpis cupiditas. Exiguo tempore valentes cur plura intendimus? Cur petimus regiones diverſo calefactas Sole? Ecquis*

ANNOTATIONES.

7. *Non gemmis, neque purpura, &c.*] Non emitur aut vendi ur ullo pretio liberalis illa animi pax & tranquillitas, imo generoſa virtus, quam movere aut concutere nihil poteſt. Eam vero ſibi parat, quiſquis affectus atque appetitus cogit rationi morem gerere & obtemperare.

9. *Non enim gazæ, &c.*] Nec divitiæ, nec dignitates conferunt immunitatem a curis & ſollicitudinibus.

Conſularis lictor.] Miniſter publicus ante Conſulem alioſq; magiſtratus tum honoris cauſâ, tum ſummovendæ turbæ gratiâ præcedens, Imperiique inſignia, faſces & ſecures, præferens. Tit. Liv. lib. 3. cap. 48. *I lictor, ſummove turbam.*

10. *Miſeros tumultus Mentis.*] Animi perturbationes, metum, iram, cupiditatem, quibus miſer homo efficitur, quando ſe illis huc illuc diſtrahi patitur, & diſcruciari. Tumultus quaſi timor multus.

11. *Curas laqueata circum Tecta volantes.*] Palatia divitum curis obſidentur: & quo majores adſunt opes, eo plures & graviores comitantur atque urgent curæ, quaſi cor urentes dictæ. Cornel. Tacit. *Invidia ſumma quæque appetit.* Juvenal. Sat. 14. v. 303.

Tantis parta malis, curis majore, metuque
Servantur. *Miſera eſt magni cuſtodia cenſus.*

Tull. 2. de Legib. *Magnificas villas, pavimenta marmorea, & laqueata tecta contemno.*

12. *Volantes.*] φροντίδες πτερὰ ἔχουσαι, *Alas habentes curæ.* Theognis.

13. *Vivitur parvo bene, cui, &c.*] Contra vero lætam ducit ille vitam, qui parvo contentus, modicam ſupellectilem & menſam ſatis habet, gaudetque ſua conditione mediocri. Unde pacatum capit ſomnum, quem non interrumpit vel habendi cupiditas, vel timor perdendi.

Paternum Splendet in menſa tenui ſalinum.] Egregie locum hunc illuſtrat Turneb. lib. 10. cap. 22. Inſulſus, inquit, videatur ſenſus, niſi intelligas ſalis olim quandam in menſa religionem fuiſſe, unde ἱερὰς ἅλας Græci dicunt: & appoſitus ſal menſam conſecrare videbatur. Arnob. lib. 2. *Sacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris Deorum.* Sed tamen potiſſimum tenuem & parcum pauperemque victum Horatius ſignificat hominum pro obſonio ſalem lingentium, quod pauperes olim faciebant, ut apud Perſ. Sat. 5.

Varo regustatum digito terebrare ſalinum
Contentus perages?

Huc uſque Turnebus. Salinum vero præcipue memorat Horatius; tum quia primo loco ſolet apponi: tum præſertim quod veteres poculo & ſalino a majoribus accepto libenter utebantur. Et quibus nullum erat argenteum vas, ſalinum tamen ex argento habebant. Ex quibus intelliguntur hæ voces, *ſplendet*, &, *paternum*.

15. *Leves ſomnos.*] Dulces, molles, placidos, & tranquillos; vel ſolvi faciles.

Cupido ſordidus.] Amor pecuniæ ſordidus, turpis avaritia. *Sæva cupido indomiti cenſus.* Juvenal. Sat. 14. v. 175.

17. *Quid brevi fortes jaculamur ævo Multa?*] Cum ſciamus paucis non annis eſſe victuros, cur tam multa & magna proſequimur & captamus? Lib. 1. Od. 4.

Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.

Et Od. 11.

Spatio brevi ſpem longam reſeces.

18. *Quid terras alio calentes Sole mutamus?*] Cur, patria relicta, pergimus in alia plane climata, remotaſque valde regiones, alio veluti Sole caleſcentes? Virgil. Georg. 2. v. 511.

Exilioque domos & dulcia limina mutant;
Atque alio patriam quærunt ſub ſole jacentem.

Contra Juvenalis, Sat. 12. v. 103.

Noſtro ſub ſidere.

19. *Patriæ quis exul Se quoque fugit?*] Translata ſententia è Græco; Τίς πατρίδος φυγὰς ὢν, καὶ

L Se

extorris à patria, procul eſt etiam à ſeipſo? Naves ære munitas ingreditur parva ſolicitudo, nec deſerit equitum cohortes, velocior cervis, & Euro nubes diſcutiente rapidior. Mens præſentibus contenta caveat inquirere quidquam ulterius: moleſta verò quadam lætitiâ moderetur. Non eſt aliquid omni ratione perfectum. Achillem glorioſum ſuſtulit mors repentina: Tithonum debilitavit ſenecta prolixior. Mihique forſitan indulgebit tempus id quod tibi non conceſſerit. Greges numéroſi &

Se quoque fugit?
Scandit æratas vitioſa naves [217]
Cura: nec turmas equitum relinquit,
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro.
Lætus in præſens animus, quod ultra eſt
Oderit curare; & amara lento
Temperet riſu. Nihil eſt ab omni
Parte beatum.
Abſtulit clarum cita mors Achillem:
Longa Tithonum minuit ſenectus:
Et mihi forſan, tibi quod negârit,
Porriget hora.
Te greges centum, Siculæque circum [218]

ANNOTATIONES.

αὑτὸν ἔφυγε; id eſt, Quis paternum deſerens ſolum, pravam ſimul indolem pravoſque affectus relinquit? Imo ſe quiſque ſecum defert, id eſt, animum ſuum ſeu probum ſeu improbum. Senec. de Tranquill. vit. *Hoc ſe quiſque modo ſemper fugit. Sed quid prodeſt, ſi non effugit? Sequitur ſeipſum, & urget graviſſimus comes.* Sic mercator avarus, quolibet peregrinatus fuerit, avaritiam circumfert. Horat. lib. 1. Epiſt. 11. v. 27.

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Epiſt. 14. v. 13.

In culpa eſt animus, qui ſe non effugit unquam.

Lucret. lib. 3. ſub finem,

Hoc ſe quiſque modo fugit. At quem ſcilicet, ut fit,
Effugere haud potis eſt, ingratis hæret & angit.

Varro & Petronius *longe fugit, qui ſuos* (id eſt ſe) *fugit.*

21. *Scandit æratas, &c.*] Seu navim ſeu equum conſcendas, ut effugias curam, hæc te facile conſequentur, utpote cervis pernicior & ventis. Horat. lib. 3. Od. 1.

Sed timor & minæ
Scandunt eodem quo dominus, neque
Decedit æratâ triremi, &
Poſt equitem ſedet atra cura.

23. *Ocyor Cervis.*] Cervorum pernicitas cuivis nota.

24. *Euro.*] Ab ortu flat iſte ventus. Ovid. Metamorph. 1. cap. 2.

Eurus ad auroram Nabathæaque regna receſſit,
Perſidaque, & radiis juga ſubdita matutinis.

25. *Lætus in præſens animus, &c.*] In diem vive; *Dona præſentis rape lætus horæ*, lib. 3. Od. 8. utere preſenti fortuna; quod ultra præſens tempus eſt, ne cura, ne futuro te diſtorque.

26. *Amara lento Temperet riſu.*] Si quid ingruit adverſi & amari, id animo læto perfer. Nam *levius fit patientiâ quicquid corrigere eſt nefas.* Lib. 1. Od. 24.

Lento riſu.] Moderata lætitia. Alii legunt *læto.*

27. *Nihil eſt ab omni Parte beatum.*] Cic. 1. de Invent. *Nihil omni ex parte perfectum atque beatum.* Οὐδεὶς πάντ᾽ ἐστι πανόλβιος, *Nemo per omnino felix & beatus.*

29. *Abſtulit clarum cita mors Achillem.*] Quod modo protulit, exemplis comprobat Poeta. Fuit illuſtris *Achilles*, at paucis annis inclaruit, & cita mors finem gloriæ ſubitum impoſuit. E contrario *Tithonus* diu vixit quidem, ſed incommoda ſenii perſenſit adeo, ut vitæ pertæſus fuerit, optâritque in cicadam mutari, quod & a Diis obtinuit. Vide lib. 1. Od. 28. De Achille vero eodem lib. 1. Od. 6. v. 6. Od. 8. ſub finem; Od. 15. ad finem lib. 2. Od. 4 v. 3. lib. 4. Od. 6. Epod. 13.

31. *Et mihi forſan, tibi quod negârit, Porriget hora.*] Parvo mihi fortaſſe vitam dabit longiorem, tibi vero diviti negabit.

32. *Hora.*] Vel, tempus: ſic Perſ. Sat. 5. v. 14. *Fugit hora.* Vel horoſcopus: Idem Perſ. ibid. v. 48.

Seu nata fidelibus hora
Dividit in geminos concordia fata duorum.

33. *Te greges, &c.*] Tu te beatum exiſtimas gregibus & armentis abundans, & optima purpura veſtitus. At ego mihi videor æque ac tu fortunatus, tenuibus prædiis victitans & contentus, poeticâ gaudens facultate, & vulgi ſpernens rumores. Divites Homero πολύῤῥηνες καὶ πολυβοῦται, *agnis & bobus affluentes*; Heſiodo πολύμηλοι, *ovibus abundantes* nuncupantur.

Siculæque vaccæ.] Opimis è Siciliæ paſcuis valde pingues.

Mugiunt

Mugiunt vaccæ: tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa: te bis Afro
Murice tinctæ
Veſtiunt lanæ: mihi parva rura, &
Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, & malignum [219]
Spernere vulgus.

boves è Siciliâ circa te mugientem edunt, hinniunt tibi equi trahendis curribus idonei. Te operiunt panni è *lanâ ſemel atque iterum Africano murice imbutâ. Mihi Parca verax largita eſt agellum, & aliquantulam Græcæ Muſæ facultatem, necnon contemnere improbum vulgus.*

ANNOTATIONES.

34. *Tibi tollit hinnitum, &c.*] Equorum etiam greges tibi adſunt, hinnitu generoſitatem exhibentium. Æneid. 3. v. 672. *Clamorem immenſum tollit.* Cic. ad Q. fratrem Epiſt. 1 lib. 2. *Clamorem ſatis magnum ſuſtulerunt.*

35. *Apta quadrigis equa.*] Curulibus & circenſibus ineundis certaminibus hoc aptior, quo velocior. In illis bigæ, trigæ, quadrigæ: ſive currus duobus, tribus, quatuor equis tracti. Vide lib. 1. Od. 1. Annot. ad hæc verba: *Sunt quos curriculo, &c.* Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. &c.

Te bis Afro Murice tinctæ Veſtiunt lanæ.] Pretioſæ nobileſque te operiunt & decorant veſtes ex optima purpura, ſeu e panno ſanguine muricis piſcis ſemel atque iterum imbuto; ſic enim purpureus color efficitur exquiſitus, præſertim cum murex eſt e mari Africano, vel Tyrio. Teſtis Plinius lib. 9. cap. 36. ubi *murices & purpuræ,* inquit, *florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis habent faucibus. Liquor is nimirum eſt in candida vena, unde pretioſus ille bibitur nigricantis roſæ color ſublucens . . Præcipuus hic in Meninge Africæ & Getulo littore Oceani . . . . Huic faſces & ſecures Romanæ viam faciunt, idemque pro Majeſtate pueritiæ eſt. Diſtinguit ab Equite Curiam, in triumphali miſcetur auro, &c.*

Bis tinctæ.] Dipapham purpuram vocant, Plin. lib. 9. cap. 39. *Huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi . . . dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta eſſet, veluti magnifico impendio. Qualiter nunc omnes pene commodiores purpuræ tinguntur.* Cic. lib. 2. Epiſt. 16. *Curius noſter dibaphum cogitat: ſed eum infector moratur.*

38. *Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ*] Lyricæ poëſeos ab Alcæo aliiſque Poetis Græcis deſumptæ facultatem, qua *ſublimi feriam ſidera vertice,* tribuit mihi.

Camœnæ.] Quaſi Canenæ a canendo dictæ, teſte Macrob. in Somn. Scip. lib. 2. cap. 3. Vide lib. 4. Od. 6.

Spiritum Phœbus, mihi Phœbus artem
Carminis nomenque dedit Poetæ.

39. *Parca non mendax.*] Perſ. Sat. 5. v. 48. *Parca tenax veri.* Immutabile fatum. Hujus intelligentia loci pendet e vetere ritu. Ultima ſcilicet hebdomadis die, qua quis in lucem editus erat, fata vocabantur, quæ ſcriberentur: quod eo die viderentur Parcæ in totam ſtatuere vitam, qua fortuna futurus quis eſſet. Tertullianus: *Dum per totam hebdomadam Junoni menſa proponitur: dum ultima die fata ſcribenda advocantur:* Hæc Turneb. lib. 10. cap. 22. Credebant veteres naſcenti cuilibet adnaſci genium: deinde vero ſeptimo, a quo natus erat die, Parcas ſtatuere, quâ ille per totam vitam fortunâ uſurus eſſet.

Et malignum Spernere vulgus.] Populi malignitatem, invidiam, opinionem, favorem etiam & applauſum. Quæ qui non ſpernit, is nunquam beatè vixerit.

ODE XVII. Ad MÆCENATEM, ægrotum.

Superſtitem ei ſe non futurum.

CUR me querelis exanimas tuis?
Nec Dis amicum eſt, nec mihi, te prius

Quare mihi vitam aufers per querimonias tuas? Neque numinibus placet, neque mihi,

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Cur me querelis, &c.*] Vix e pertinaci morbo convaleſcentem inviſerat Mæcenatem Horatius, atque ſeu affectæ valetudinis tædio, ſeu integræ ſalutis deſperatione, graviores in querelas erumpentem, ærumnoſæ etiam iſti vitæ mortem præoptantem audierat. Quo ipſe dolore perculſus Oden hanc ei ſcribit.

Exanimas.] Mærore conficis ac perimis. Cic. pro Milone. *Me quidem exanimant & interimunt hæ voces Milonis.* Virg. Æn. 4. v. 360.

Deſine meque tuis incendere teque querelis.

2. *Dis amicum.*] Dictio Græca θεοῖς φίλον Epod. 1. ad eundem Mæcenatem.

ut prior moriaris, ô Mæcenas, inſigne ornamentum ac tutela rerum mearum. Ah! ſi promptior mors aufert te dimidium vitæ meæ, quorſum ego reſt bo, dimidium *alterum haud pariter dilectus, neque remanens totus? Dies iſte feret ambobus exitium. Haud falſum juravi: pergemus* unà, *quo te modo anteibis, per gemus ultimam inire viam expediti ſocii. Neque me ſeparabit unquam* à te *Chimæra flammas ſpirans, neque red vivus Gyas centum manus habens. Ita decretum Themidi prævalenti & Fatis, Sive Libra, ſive Scorpius ti-*

Obire, Mæcenas mearum
Grande decus columenque rerum.
Ah! te meæ ſi partem animæ rapit [220]
Maturior vis, quid moror altera,
Nec charus æquè, nec ſuperſtes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi ſacramentum: ibimus, ibimus,
Utcunque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimæræ ſpiritus igneæ,
Nec ſi reſurgat centimanus Gyas,
Divellet unquam: ſic potenti [221]
Juſtitiæ, placitumque Parcis.
Seu Libra, ſeu me Scorpius aſpicit

ANNOTATIONES.

Quid nos, quibus te vita ſit ſuperſtite
Jucunda; ſi contra gravis?

4. *Grande decus columenque.*] Vide Od. 1. lib. 1. *Partem animæ.* lib. 1. Od. 3. *Animæ dimidium meæ.* Pythagoras aiebat amicum eſſe animam unam duobus in corporibus.

6. *Maturior vis.*] Celerior quàm ferat naturæ lex.

7. *Nec charus æque.*] Vel populo Romano non perinde charus, ut Mæcenas; vel ipſi ſibi moleſtus, ablato amico.

Nec ſuperſtes integer.] S. Aug. Conf. lib. 4. cap. 6. *Senſi ego,* inquit, *animam meam & animam illius* (amici) *unam fuiſſe . . . . . ideoque eo morte ſublato, mihi horrori vita erat; quia nolebam dimidius vivere, &c.* S. Gregorius Naz. ſuam cum D. Baſilio animi conjunctionem & amicitiam συμψυχίαν vocat, *eandem animam.*

8. *Ille dies utramque Ducet ruinam.*] Qui te dies e vivis auferet, is & me videbit morientem. Hoc fere ita contigit: nam obiit Mæcenas ann. U. C. 746. Horatius vero anno præcedenti, qui Imperii Auguſti 34. erat. Dio, Euſeb. Chron.

9. *Non ego perfidum Dixi ſacramentum.*] Non temere, aut fallaciter, ſed ex animo & ſincerè ſpondeo fore me tibi vitæ mortiſque comitem, atque devoveo. Itaque Horatius oſtendit eſſe ſe ex eorum numero, qui Principibus devoti appellabantur. Cæſar de Bell. Gall. lib. 3. cap. 23. *Alia ex parte oppidi Adcantuanus, qui ſummam Imperii tenebat, eruptionem facere conatus eſt cum ſexcentis devotis; quos illi Soldurios appellant, quorum hæc eſt conditio, ut omnibus in vita commodis unà cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dediderunt: ſi quid eis per vim accidat, aut eundem caſum una ferant, aut ſibi mortem conſciſcant: neque adhuc hominum memoria repertus eſt quiſquam, qui, eo interfecto, cujus ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſaret.* Dio. lib. 53. morem iſtum fluxiſſe ab Hiſpanis ait, favetque Salluſtius: *Hiſpani ſe regibus devovent, & poſt eos vitam refutant.* Et Valer. Max. lib. 2. cap. 6. *Celtiberi nefas eſſe ducebant prælio ſupereſſe, cum is occidiſſet, pro cujus ſalute ſpiritum devoverant.*

11. *Supremum Carpere iter.*] Diſceſſum e vita hac ad inferas regiones, mortiſque imperium.

13. *Me nec Chimæræ, &c.*] Non divellar ego a te ulla re quantumvis terribili. De Chimæra lib. 1. Od. 27. Πῦρ πνέοισα, *Ignem ſpirans* dicitur Pindaro.

14. *Nec ſi reſurgat, &c.*] Epod. 1.

Et te vel per Alpium juga,
Inhoſpitalem & Caucaſum,
Vel occidentis ad uſque ultimum ſinum
Forti ſequemur pectore.

Centimanus Gyas.] Is unus e natis cœlo terraque, de quibus Appollodorus. Legunt alii, *Gyges;* alii *Gigas.* In ſcirpo eſt nodum quærere. De nomine controverſia eſt. Deſignatur certe Gigas aliquis, qualis Briareus, de quo Virgil. Æn. 10. v. 565.

———Centum cui brachia dicunt,
Centenaſque manus; quinquaginta oribus ignem
Pectoribuſque arſiſſe.

15. *Sic potenti Juſtitiæ placitumque Parcis.*] Has cum illâ jungit, quaſi juſtæ Deorum ac fatorum legis ac decreti vindices & adminiſtras.

17. *Seu Libra, ſeu me, &c.*] Quodcunque naſcenti mihi ſidus affulſit, ac dominatum vitæ meæ obtinuit; eundem affirmaveris tuis natalibus horoſcopum fuiſſe. Adeo id comparabant eventa nobis paria. Enimvero tu emergis vix è periculoſa ægritudine; ego prope caſu ſum arboris oppreſſus. Scilicet ex ea parte Zodiaci, quæ noſtræ genituræ tempore in hemiſphærium no-

Forte

Formidoloſus, pars violentior
Natalis horæ, ſeu tyrannus
Heſperiæ Capricornus undæ,
Utrumque noſtrûm incredibili modo
Conſentit aſtrum. Te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucriſque fati
Tardavit alas, cùm populus frequens

mendus mihi dominatur, parte temporis natalitii periculoſior; ſive Capricornus occidentalis Oceani potens: vix credibili ratione convenit ſidus noſtri amborum. Te à crudeli Saturno defendit Jovis fulgor propitius; atque fati præcipitis volatum remoratus eſt, quando pleb

ANNOTATIONES.

ſtrum aſſurgit, natalitias ſuas prædictiones colligunt Aſtrologi; quorum tamen vanitatem ſugillat Juvenalis Sat. 6. v. 552 & ſeq.

Libra.] Septimum hoc eſt e duodecim Zodiaci ſignis, quod Sol ingreſſus circa diem 20 Septembris, æquinoctium Autumnale facit. Vide Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 18. Virgil Georgic. 1. v. 208. Manil. lib. 2.

Quoſque dabunt chelæ (Libra) *& quos dat Aquarius ortus,*
Unum pectus habent, fideique immobile vinclum.

Et lib. 5.

Felix æquato genitus ſub pondere Libræ.

Perſ. Sat. 5.

Noſtra vel æquali ſuſpendit tempora Libra,
Parca tenax veri.

Scorpius.] Octavum eſt hoc Zodiaci Signum, tunc oriens cum Orion occidit. Hinc fabula, interemptum Scorpionis aculeo Orionem, qui juvenili robore ferox nullam eſſe feram jactaret, quam conficere non poſſet. Ejus vero ſuperbiam ultus Jupiter mortales docere voluit, non plus æquo viribus ſuis fidere. Hygin. lib. 2. de Sign. Cœleſt.

18. *Formidoloſus, pars violentior Natalis horæ.*] Nempe ſidus hoc ad Martem pertinet, qui & inclemens, maleficus, horribilis. Unde referri huc poteſt Horatii in Philippenſi clade periculoſa fuga, de qua ſupra Od. 7. Vide Cic. 2. ad Nat. Deor. n. 113. Virgil. Georg. 1. v. 38. Manil. lib. 4.

Scorpius armata violenta cuſpide cauda,
In bellum ardentes animos, & Martia caſtra
Efficit, &c.

Hinc & Arat.

Scorpius infeſtus præportans flebile acumen.

Quidam codices habent, *lethalis horæ.* Sed apage. Aiunt porro ſub hoc natis aſtro & horoſcopo vitam eſſe breviorem.

19. *Seu tyrannus Heſperiæ Capricornus undæ.*] Sive prodii in lucem ſub Capricorni ſidere, quod, cum Saturnus obtinet, graves excitat pluvias atque tempeſtates in mari præſertim occiduo; teſte Servio in Georgic. 1. cit. Et Manil. lib. 4.

Tu, Capricorne, regis quicquid ſub Sole cadente, &c.

Propert. lib. 4. Eleg. 1.

Lotus & Heſperia quid Capricornus aqua?

Decimum hoc ſignum Zodiac ſolſtitium Decembri menſe facit hybernum: Unde Cic. 2. de Nat. Deor.

Tum gelidum valido de pectore frigus anhelans
Corpore ſemifero, magno Capricornus in orbe,
Quem cum perpetuo veſtivit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore currum.

21. *Utrumque noſtrum incredibili modo Conſentit aſtrum.*] Senſus eſt; etſi non eſt idem mihi, qui tibi horoſcopus; at certe magna & incredibilis inter meum natalitium ſidus ac tuum conſenſio eſt, convenientia, ſimilitudo: quapropter ut mutuus dudum coaluit inter nos amor, ut etiam mortis pariter effugimus periculum, iſta quidem efficiente cœleſtium vi; ſic licet ſpondere, alterum ab altero nec in morte ſejungendos aut divellendos. Perſius Horatii perpetuus imitator hoc loco videatur ſuperaſſe, Sat. 5. v. 45.

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Conſentire dies, & ab uno ſidere duci.

22. *Te Jovis impio Tutela, &c.*] Benignus Jovis aſpectus Saturni (ut fit) malignitatem correxit infregitque, contra fulgendo, in hora natali. Perſ. cit. mox v. 50.

Saturnumque gravem noſtro Jove frangimus una.

Impio Saturno.] Fabulantur nimirum Saturnum proprios devoraſſe filios: hinc & aiunt ſub ejus ſidere genitos ſævos & impios eſſe. Propertius & Perſ. cit. Saturnum *gravem*, Juvenalis *triſtem* appellat.

24. *Eripuit.*] E gravi morbo incolumem præſtitit, ac veluti rapuit violentiæ Saturni falcem jam tibi ſuam intentantis ad vitam in ſuccidendam.

Volucriſque fati Tardavit alas.] Advolantem propere, ut ſolet, mortem retardavit.

25. *Cum populus frequens, &c.*] Iſtam Jovis tutelam animadvertit, ac celebravit; teque ſibi redditum Populus Romanus gratulatus eſt, Jovique gratias retulit, ſublatâ in lætitiæ ſignum triplici acclamatione & plauſu, quando te poſt morbi periculum, melius habentem in theatrum adventare conſpexit. Vide lib. 1. Od. 20.

numeroſa alacrem ter ſuſtulit acclamationem in theatro. Me decidens in caput arbor oppreſſiſſet, niſi manu caſum avertiſſet Faunus, tutor clientium Mercurii. Cura ut offeras victimas, & promiſſum templum: ego parvulam agnam immolabo.

Lætum theatris ter crepuit ſonum:
Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum [223]
Dextrâ levâſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum. Reddere victimas,
Ædemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

ANNOTATIONES.

27. *Me truncus illapſus cerebro, &c.*] Ut te Jupiter, ſi me Faunus imminenti exitio ſubtraxit, cum *triſte lignum* declinavi *caducum in domini caput immerentis*; ut eſt Od. 13. hujus libri. Vide ibidem.

28. *Niſi Faunus ictum dextra levaſſet.*] Perieram, niſi ſubveniſſet Faunus Mercurii amicus, & ſecundum aliquos, idem Deus; certe literatorum uterque patronus. De Mercurio dictum jam non ſemel, maxime vero ſupra Od. 7. Porro quod ruri beneficium, ſervatam nempe ſalutem accepit, bene refert ad ruris ſylvarumque Deum. Porro dicitur Faunus doctorum virorum *cuſtos* ac tutor, vel ob hoc quod ſtudioſi ſeceſſum & quietem, ac liberale otium ruri conquirunt & captant, quæ quidem in urbibus, ac inter populares ſtrepitus, obtinere vix poſſunt.

29. *Mercurialium.*] Viros eruditos Mercuriales nuncupat: eo quod illi clientes habeantur Mercurii. Hic enimvero diſciplinarum & artium repertor aſſeritur a Diodoro Siculo lib. 4. cap. 1. & lib. 1. cap. 2. inventor literarum, vocum, palæſtræ, numerorum, lyræ, medicinæ, aſtronomiæ, denique interpretationis verborum: unde cognominatus Hermes. Idem affirmat Plinius lib. 7. cap. 56. et Gellius. Mercurio ſacras eſſe linguas ob eloquentiam, refert Athenæus lib. 1. cap. 14. et lib. 13. cap. 1. ſtatuis Mercurii tanquam orationis & facundiæ præſidis ornata fuiſſe Gymnaſia. Quod & teſtatur Tullius ad Attic. ut obſervat Caſaubonus in citatum Athenæi locum.

Reddere victimas, &c.] Votivas offer victimas Jovi Servatori: ædem quoque ſeu templum, quod æger voviſti, ſi convaleſceres, jam voti reus, Saluti ædifica & perſolve.

32. *Nos humilem feriemus agnam.*] Jovi taurus, aliæque id genus majores hoſtiæ cædebantur; minores autem cæteris Diis. Hinc Horatius, non pro ſua præ Mæcenatis opulentia tenuitate, ut garriunt aliqui: ſed more majorum, & ex ſolenni inſtituto ſcribit, & ſpondet Fauno *humilem* ferire *agnam*. Sic lib. 1. Od. 4.

Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis,
Seu poſcat agnam, ſive malit hædum.

ODE XVIII.

Mediocri ſe fortunâ beatum eſſe: deſipere eos qui luxui & avaritiæ ſtudent, mortis immemores.

Nec ebur nec aurum ſplendet in laqueari ædium mearum:

NON ebur, neque aureum [224]
Mea renidet in domo lacunar:

ANNOTATIONES.

Hæc Ode eſt dicolos diſtrophos Metrum dicitur vel Hipponactium, ab auctore; vel Euripideum, quod eo frequenter uſus ſit Euripides.

Primus verſus eſt Trochaicus dimeter catalecticus; ubi deeſt una ſyllaba ad perfectionem: & ſcanditur hoc modo:

Nōn ĕ | būr nĕ | que āurĕ | ūm.

Alii volunt eſſe Iambicum Archilochum dimetrum acatalectum; qui conſtat Amphimacro, & duobus Iambis; hac ratione;

Nōn ĕbūr | nĕque āu | rĕūm.

Alter verſus eſt Iambicus Archilochius trimeter catalecticus, conſtans quinque Iambis & una ſyllaba; admiſſo locis imparibus Spondæo; & ſic ſcanditur.

Mĕā | rĕnī | dĕt īn dŏm ŏ | lăcū | nar.

1. *Non ebur, neque, &c.*] Opes & divitias nec poſſideo, nec cupio, quæ omnibus appeti ſolent; at ea quæ paucorum ſunt, habeo; indeque me beatum exiſtimo. Fide integer, ingenio valens, cuilibet me oſtento & præfero.

Neque aureum Meâ renidet in domo lacunar.] Domus non habito magnificas, ebore & auro exornatas, marmore peregrino ædificatas & fulgentes. Arnob. lib. 6. *Laquearibus renideant aureis.* Lucret. lib. 2. ſub init.

Non

Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultimâ recíſas [225]
Africâ. Neque Attali
Ignotus hæres regiam occupavi:
Nec Laconicas mihi
Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.
At fides & ingenî [226]

Haud Hymettiæ trabes innituntur columnis extremâ in Africâ excíſis. Neque Attali hæres incognitus, regalem potentiam invaſi. Nec clientæ haud viles nent mibi purpuram Laconicam. Verum fidelitas adeſt & copioſus inge-

ANNOTATIONES.

Nec domus argento fulgens, auroque renidens:
Nec citharis reboant laqueata aurataque templa.

3. *Non trabes Hymettiæ Premunt columnas, &c.*] In meis ædibus non ſunt pretioſæ ex Hymetto trabes, columnis exquiſiti marmoris ſuſtentatæ. Hymettus Atticæ mons regionis, melle quidem abundans, inſigni vero marmore clarus. Plin. lib. 17. cap. 1. columnas quatuor Hymetti marmoris ad ſcenam ornandam advectas refert. Has porro centum millibus nummûm emptas ait Valer. Max. Idem Plin. lib. 36. cap. 3. ita ſcribit; *L. Craſſus orator primus peregrini marmoris columnas habuit in eodem palatio Hymettias.* Valer. Max. lib. 9. cap. 1. *Cn. Domitius L. Craſſo collegæ ſuo, altercatione orta, objecit, quod columnas Hymettias in porticu domûs haberet.* Magna porro lis, fuerintne trabes illæ ligneæ, an marmoreæ. Verum enim e ligno potius Hymettio quam e marmore crediderim: quanquam & ex lapide trabes extitiſſe clare docet Plin. lib. 36. cap. 8. ubi ſic habet: *Circa Syenen vero Thebaidis Syenites, quem ante Pyrropœcilon vocabant. Trabes ex eo fecere Reges quodam certamine, obeliſcos vocantes, Solis numini ſacratos.* Vide Strabon. lib. 9. ubi ex Hymetto advectas trabes longas & denſas commemorat.

4. *Ultimâ recíſas Africâ.*] Columnas intelligit e marmore Numidico, cujus pretium ingens fuiſſe teſtatur Plinius lib. 36. cap. 6. his verbis. *M. Lepidus Catuli in conſulatu collega, primus omnium limina è Numidico marmore in domo poſuit magna reprehenſione.* Numidia Africæ regio ultima, & maxime occidentalis.

5. *Neque Attali Ignotus hæres regiam occupavi.*] Nec divitis cujuſquam hæreditatem captavi, ullave fraude & arte malâ invaſi, opulentus quoquo modo eſſe volens: ſicut Ariſtonicus (quem ſane reſpexit hoc loco Horatius) regnum Aſiæ ſibi vindicavit. Duo fuerunt Attali Pergami Reges; prior Eumenis frater, poſterior autem filius. Hic Attalo patruo ſucceſſit in Aſiæ Imperium. Poſt annos vero quinque inſtare ſibi mortem ſentiens, Populum Romanum opum ſuarum regniq; hæredem nuncupavit. Quod ut accepit Ariſtonicus Eumenis ex pellice filius, regiam ſtirpem oſtentans, conſcripto exercitu, Pergamenum invaſit, &c. principatum ac dominationem Aſiæ obtinuit; Craſſi a Romanis miſſi Prætoris fractis viribus & auctoritate. Poſt annos vero fere quatuor debellatus a Perpenna, moxque ab Aquilio Conſulibus plane extinctus eſt. Juſtinus lib. 36. ſub finem: *In Aſia Rex Attalus florentiſſimum, & ab Eumene patruo acceptum regnum cædibus fœdabat . . . . . morbum ex Solis fervore contraxit, & ſeptima die deceſſit. Hujus teſtamento hæres Populus Romanus tunc inſtituitur. Sed erat ex Eumene Ariſtonicus non juſto matrimonio, ſed ex pellice Epheſia citharistæ cujuſdam filia genitus, qui poſt mortem Attali velut paternum regnum Aſiam invaſit, &c.* Vide & Luc. Florum Hiſtor. Rom. lib. 2. cap. 20. ubi *Ariſtonicus,* inquit, *regii ſanguinis, ferox juvenis, urbes regibus parere conſuetas partim ſolicitat; paucas reſiſtentes vi recepit: Craſſi quoque Prætoris cecidit exercitum . . . . . mox a Perpenna domitus & captus . . . Aquilius Aſiatici belli reliquias confecit; mixtis (nefas!) veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium, &c.*

7. *Nec Laconicas mihi Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.*] Nec habeo clientes, quos ſoli divites ac potentes habent; nec adeo clientium uxores nent mihi lanas, e quibus pannus confectus, ac imbutus humore piſcis muricis ad Tænarum Laconiæ promontorium capti, ſuppeditet mihi veſtes purpureas, eaſque valde exquiſitas, quæ ad ſolos nobiles, Patricios, ac Magiſtratus pertinent. Cic. Ver. 4 n. 59. *Ipſe dabat purpuram tantum, amici operas.* Laconia Peloponneſi regio purpuræ excellentiâ nobilis. Plin. lib. 21. cap. 8. *Unguento naturam viciſſe gaudens luxuria, veſtibus quoque provocavit eos flores, qui colore commendantur. Hos animadverto tres eſſe principales: unum in cocco, qui in roſis micat. Gratius nihil aſpectu. Trahitur in purpuras Tyrias, dibaphaſque & Laconicas, &c.* Et lib. 35. cap 6. *E liquidis coloribus, quos a dominis dari diximus propter magnitudinem pretii, ante omnes eſt purpuriſſum . . . . . . laudatur Laconicum, unde pretioſiſſimæ purpuræ.* Vide ſupra Od. 16. ſub finem Annot. an has voces: *Te bis Afro murice tinctæ veſtiunt lanæ.*

9. *At fides & ingeni Benigna vena eſt.*] Quod ſi deſint opes, et opibus quidpiam melius ac præſtantius habere contigit, nimirum fidei virtutem, nec non ingenii lumen & facultatem.

Benigna vena.] Metaphora a terræ venis equi-

nii fons. Et exiguum me opulentus requirit. Nihil præterea a Numinibus flagito: neque ab amico divite majora poſco, contentus admodum agro tantum Sabino. Urgetur dies die: & novæ Lunæ properant deficere. Tu morti vicinus incidenda marmora paciſceris: & tumuli oblitus ædificas; atque ſatagis extendere littus maris ad Baias

Benigna vena eſt: pauperemque dives
Me petit. Nihil ſuprà
Deos laceſſo, nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novæque pergunt interire Lunæ,
Tu ſecanda marmora [227]
Locas ſub ipſum funus, & ſepulchri
Immemor ſtruis domos;
Mariſque Baiis obſtrepentis urges

ANNOTATIONES.

bus fontes promanant uberes: deſignat optime diſcendi ſcribendique facilitatem, qua qui deſtitutus fuerit, is invitâ Minervâ, invitis Apolline ac Muſis, literarum ſtudium capeſſit, hoc eſt, oleum & operam perdit. Epiſt. ad Piſones, v. 385.

Tu nihil invita dices facieſve Minerva.

Et v. 408.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium.

10. *Pauperemque dives me petit.*] Me diligit, ac familiaritatem meam petit Mæcenas, tum ob fidem, cum propter ingenium ad artes liberales idoneum. Epiſt. ad Piſones v. 405. *Gratia regum Pieriis tentata modis.* Quoties vero Doctores & Sapientes a Principibus viris ſunt honorati ac accerſiti!

11. *Nihil ſupra Deos laceſſo.*] Ut largiantur quidquam præter iſta, non importunis Deos precibus fatigo, non urgeo, non efflagito. Sed nec Mæcenatem *amicum*, plura ſi cogitem, dare paratum ac *potentem*, nequicquam ego laceſſo, nec ampliora flagito, quam quæ jam donavit, videlicet agrum in *Sabinis*, quo victito beatus & contentus. Sic cupiditatem averſatur omnem ac libidinem, ut vocat Tullius. Hanc ferocienti equo ſimilem faciebat Plato in Phædro. Diogenes autem Cynicus *arcem omnium malorum* vocitabat.

13. *Flagito.*] Quid valeat iſta vox docet Cic. lib. 9. Epiſt. 8. ad Varronem: ubi ſic ſcribit; *Mutuo ut te forte flagitent: ego autem mandavi ut rogarent.*

14. *Satis beatus unicis Sabinis.*] Prædio in Sabinis, quo donatus ſum a Mæcenate, ſatis me locupletem exiſtimo, nec ab eo quidquam ultra peto, vel cupio. Vide lib. 3. Od. 13. v. 1. ibique Annot. Item Epiſt. 16. initium, ubi ſuam ipſe villam deſcribit Poeta.

15. *Truditur dies die.*] Epod. 17.

Urget diem nox, & dies noctem.

Senec. Epiſt. 24. *Nullius rei finis eſt. Sed in orbem nexa ſunt univerſa. Fugiunt ac ſequuntur. Diem nox premit; dies noctem. Æſtas in Autumnum deſinit. Autumno Hyems inſtat; quæ Vere compeſcitur. Omnia tranſeunt, ut revertantur.* Sic fere ad rem noſtram Eccleſiaſtes cap. 1. *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum revertitur: ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Vide Perſ. Sat. 5. v. 66. ſeq.

16. *Novæque pergunt interire Lunæ.*] Ita labuntur menſes annique: novæ Lunæ complentur: tum decreſcunt, ac intereunt: rurſumque renaſcuntur, & creſcunt, perpetuis vicibus. Ita fugit tempus, ita fluit ac perit ætas & vita noſtra. Tu tamen, O ſuperbe & ambitioſe, quaſi vitæ ſit tibi ſecuritas, & immunitas a morte, inſanas moliris ſubſtructiones.

17. *Tu ſecanda marmora Locas.*] Mercede conducis ſectores marmoris & ſculptores: vel redemptori negotium das ſecandorum marmorum, ad extruendas domos ſuperbas.

20. *Mariſque Baiis obſtrepentis urges Summovere littora.*] Molibus in mare jactis extendis littus, ut ibi ædifices, amœno loco, ad Baias, ubi fluctus marini ventis agitati fremunt & obſtrepunt vehementer: quaſi non ſufficiat continens terra, ad conſtruendas ædes. Salluſt. *Divitias profundunt in extruendo mari, & montibus æquandis.* Senec. Controverſ. 5. *Maria ſummoventur projectis molibus.* Vide ſupra Od. 15. init. ibique Annot. Item poſtea, lib. 3. Od. 1. v. 33. & Od. 24. v. 3.

Baiis.] Baiæ civitas Campaniæ, a Baio Ulyſſis ſocio ibi ſepulto nominata; ſita Puteolos inter & Cumas, in eo ſinu qui nunc dicitur *Golfo di Pozzuolo, & di Napoli*: calentibus aquis ad ſanitatem valde utilibus, cœli temperie, amœno ſeceſſu, Romanorum Procerum nitidas illic ædes habentium frequentia, perquam felix: ut etiam vitanda, velut occaſio luxuriæ dicatur a Seneca ad Lucil. Epiſt. 51. *Illic, inquit, tanquam loco debeatur licentia, magis luxuria ſolvitur. Non tantum corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus.*

Summovere

Summovere littora,
 Parùm locuples continente ripâ.
Quid, quòd uſque proximos
 Revellis agri terminos, & ultra
Limites clientium
 Salis avarus? Pellitur paternos [228]
In ſinu ferens Deos
 Et uxor & vir, ſordidoſque natos,
Nulla certior tamen
 Rapacis Orci fine deſtinatâ
Aula divitem manet
 Herum. Quid ultrà tendis? Æqua tellus
Pauperi recluditur,
 Regumque pueris; nec ſatelles Orci
Callidum Promethea
 Revexit auro captus. Hic ſuperbum
Tantalum, atque Tantali

frementis, non ſat dives ſtabili terra. Quid dicam, quod vicinos etiam agri limites removes, & clientium terminos tranſilis, per avaritiam? Ejicitur & maritus, & conjux portans in gremio Penates, & pueros ſqualidos. Attamen potentem dominum haud expectat ulla baſilica melior paratâ ſede inferorum omnia abſorbentium. Quid amplius quæris? Terra pariter inopi ſinum *aperit, atque principum filiis: neque Inferorum cuſtos auro corruptus aſtutum Prometheum reportavit. Ille Tantalum,*

ANNOTATIONES.

23. *Quid, quod uſque proximos, &c.*] Quinetiam ſacrilegâ ratione rem augere non vereris; tum vicinorum, tum etiam clientium terminos removendo. Duo ſunt itaque delicta, alterum contra fidem clientibus debitam, alterum contra juſtitiæ & religionis virtutem. Quod ad primum attinet: illatam clienti injuriam eo conſtat graviorem eſſe, quod poſt parentes & pupillos fidei tutelæque noſtræ creditos proximum obtineant locum clientes, qui ſeſe pariter in fidem patrocinii-umque noſtrum dederunt; ut aſſerit A. Gellius lib. 5. cap. 13. & lex 12. Tab. hæc eſt: *Si clienti patronus fraudem fecerit, ſacer eſto.*

26. *Revellis agri terminos.*] Hoc alterum eſt peccati genus, & ſacrilegum quidem, ex iſta Numæ Pompilii lege, quæ jubebat ut qui terminum exaraſſet, ipſe & boves Deo ſacri fierent. Eodem pertinet, quod terminum Deum conſecrabant colebantq; veteres. Tranſlator etiam terminorum damnatus lege Divina noſcitur, Deuteron. cap. 19. v. 14. Proverb. cap. 22. v. 28, &c.

26. *Pellitur paternos, &c.*] Expoſitio ad augendam invidiam. Sic poſſeſſione legitima deturbatur cliens a te, & ad inopiam redactus abit cum uxore gemebunda, ſed religioſa, quæ portat *in ſinu Deos* familiares, pueroſq; ob egeſtatem *ſordidos.*

29. *Nulla certior tamen, &c.*] Quod ſi opibus mortem eluctari liceret, aut ſi potiorem apud Inferos ſedem opulentus quiſque occuparet: libens ergo tibi fate condonatem, quod quà jure, quà injuriâ, divitias accumules. Verum non ita ſe res habet; nec enim *divitem manet herum ulla certior aula aut finis*, quam quæ *Orco deſtinata* eſt. Non ſors ibi aut conditio melior opulento cuilibet quam inopi. *Quid* ergo *ultra tendis*, quam ſancitum decretumque tibi eſt fatorum ac Numinum lege immutabili? Horat. lib. 2. Epiſt. 2.

Quid vici proſunt, aut horrea, quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani, ſi metit Orcus
Grandia cum parvis non exorabilis auro?

32. *Æqua tellus pauperi recluditur, &c.*] Lib. 1. Od. 4.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

34. *Nec ſatelles Orci, &c.*] Nec mors muneribus ac donis corrumpitur, ut ſuam dimittat prædam; omnes mortales rapit. Æſchyl. Μόνος θεῶν θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ, *Inter Deos ſola mors non capitur muneribus.* Theognis: Οὔτις ἄποινα δοὺς θάνατον φύγοι. *Nemo pretium offerens ſeſe a morte redemit.* Vide ſupra Od. 3. & 14.

Satelles Orci.] Charon, de quo ſupra Od. 3. ad v. ult. & alibi.

35. *Callidum Promethea.*] De eo lib. 1. Od. 3. v. 27. & Od. 16. v. 13. Senſus eſt; nec Charon oblato captus auro tranſvectum in alteram Cocyti ripam Prometheum revexit ad vivos rediturum. Et Prometheus quantumvis ſagax, qui hominem ſapienter e luto finxerat, qui cæleſtem ignem ferula ad Solis currum extenſa callide ſuffuratus in terras detulerat, is tamen nec aſtu nec pretio Satellitem Orci vicit, ut mortem evadere poſſet. Lib. 2. Epiſt. 2. mox cit.

Metit Orcus
Grandia cum parvis non exorabilis auro.

36. *Hic ſuperbum Tantalum, &c.*] Hic ipſe Charon neque ſuperbos veretur, imo domat, & in Inferis coercet. De Tantalo ſupra Od. 12. ad finem.

37. *Tantali genus.*] Pelopem, Atreum, Agamemnonem, Oreſtem.

Genus

Tantaliſque poſteros tenet. Ille ipſe egenum ærumnas perpeſſum ſive rogatus, ſive non rogatus, auſcultat levatque.

Genus coërcet: hic levare functum [229]
Pauperem laboribus,
Vocatus, atque non vocatus, audit.

ANNOTATIONES.

38. *Hic levare functum Pauperem, &c.*] Idem ille pauperi præſto eſt; atque laborioſa & ærumnoſa defunctum vita ultro ſublevat, cymba excipit, & transfert in ſedes quietas. Cic. Catilin. 4. n. 7. ſcribit; *Mortem a diis immortalibus non eſſe ſupplicii cauſa conſtitutam, ſed aut neceſſitatum naturæ, aut laborum ac miſeriarum quietem eſſe.*

40. *Vocatus, atque non vocatus.*] Alludit ad oraculum Lacedæmoniis redditum; Καλούμενος κ᾽ἄκλητος θεὸς παρέσται, *Vocatus & non vocatus Deus aderit.*

ODE XIX.

Bacchi laudes eò canit aptiùs, quod ejus numine eſt plenus.

Bacchum verſus dictantem in ſecretis aſpexi cautibus, & Nymphas auſcultantes, arrectaſq; aures Satyrorum caprinos pedes habentium. Fidem habete, nepotes. Euhoë, timore nuper incuſſo agitatur animus, et ob repletum Baccho pectus, non

BAcchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite poſteri) [230]
Nymphaſque diſcentes: & aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evœ, recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 9. lib. 1.

1. *Bacchum in remotis, &c.*] Feſtum Poetis Bacchi idem, epulumque tum Poeticum fuiſſe, ſacrumque celebre, & hymnum ſolemnem decantari ſolitum conſtat: auctoreſque ſunt Ovid. Triſt. lib. 5. Eleg. 3. & Propert. lib. 4. Eleg. 6. ſive quod Liber & Apollo Deus idem eſt, ut pluribus aſſerit Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 18. ac evincunt Æſchyli Euripidiſque teſtimonia ibidem allata. Æſchyl. Ἄπολλον ὦ Βάκχε ὦ Μάντις. Euripid. Φιλόδαφνε, Βάκχε, Παιὰν, Ἄπολλον, Εὔλυρε. Sive quod Bacchus, id eſt, vinum ſcribendis verſibus ingenium exacuat. Unde,

—Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus, &c.

Ut noſter egregie docet, lib. 1. Epiſt. 19. Iſtius igitur generis hymnus eſt Ode hæc elegantiſſima, & quæ ſane probet *benignam ingenii venam*, qua gloriabatur Poeta Ode ſuperiori. Talis etiam Od. 25. lib. 3. Et Propert. Eleg. 16. lib. 3.

In remotis carmina rupibus.] Longe a ſtrepitu tumultuque populari, urbano, forenſi. Nam

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

2. *Vidi docentem.*] Sic & apud Virgil. Eclog. 6. Silenus in antro a pueris Nymphiſque deprehenſus petita dudum carmina tandem pangit;

Satis eſt potuiſſe videri
Carmina quæ vultis cognoſcite, &c.

3. *Nymphaſque diſcentes.*] Muſas intellige. Sic Eclog. 7. v. 21.

Nymphæ noſter amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite.

Aures Capripedum Satyrorum acutas.] Vel in acumen factas & formatas: tales enim habere dicuntur Satyri: vel ad audiendum erectas, paratas, avidas. Lucian. Οἱ δὲ σάτυροι ὀξεῖς τὰ ὦτα, καὶ αὐτοὶ φαλακροί. Et alibi: ὦτα μεγάλα ὄρθια, dicit habuiſſe unum e Bacchici exercitus ducibus, *magnas aures rectas*. Dialog. cui tit. *Bacchus*. Ovid. Triſt. lib. 5. Eleg. 3.

Fer, bone Liber, opem: &
Sic tibi cum Bacchis Satyrorum grava juventus
Adſit; & attonito non taceare ſono.

Vid. lib. 1. Od. 1. De Satyris plura ad v. 31.

5. *Evœ.*] Vel, Euhoe: ut doctiores aliqui volunt: qua voce Bacchantes in ſacris divino ſe furore concitabant, ut aiunt, Juv. Sat. 7. v. 62.

Satur eſt, cum dicit Horatius, euhoe.

Vide lib. 1. Od. 18. ibique Annot.

Recenti mens trepidat metu, &c.] Enthuſiaſmum ſibi affingit Poeta, quem ſemper comitatur ſacer quidam ac religioſus horror, ob Numinis præſentis agentiſque reverentiam vehementemque vim, qua turbatur nonnihil ſimulque lætatur mens divinitus afflata, extra ſe poſita & alienata, ſuperiorisque potentiæ arbitrio mota.

6. *Plenoque Bacchi pectore turbidum Lætatur.*] Numine incidente correptus de divino gaudet

Lætatur. Evoe: parce, Liber,
Parce, gravi metuende thyrſo.
Fas pervicaces eſt mihi Thyadas,
Vinique fontem, lactis & uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapſa cavis iterare mella.
Fas & beatæ conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disjecta non levi ruinâ,
Thracis & exitium Lycurgi.

ſine gaudio conturbatur. Euboë: indulge, Bacche, indulge, verendo thyrſo formidande. Licet mihi canere Baccbantes [231] *protervas, & vinum defluens, & lac copiosè manans, & mel ex cavatis arboribus ſtillans celebrare; necnon felicis uxoris ornamentum aſtris inſertum: Pentheique domum gravi deturbatam caſu, & Lycurgi Thracii mortem.*

ANNOTATIONES.

conſortio, non tamen ſine perturbatione.

7. *Parce, Liber, parce.*] Indignum tali ſe indignatione profeſſus veniam rogat, ne in ultionem viſi numinis id ſibi contingat mali, quod Actæoni, Pentheo, Lycurgo, aliiſque acciderat. Deprecatur & vehementiorem Dei agitationem, qua de ſua ſede mens omnino dejiciatur.

8. *Gravi metuende thyrſo.*] Quo tot adverſarios perculiſti ac perdidiſti.

Thyrſo.] Haſta erat hederis & pampinis intecta, quibus obvoluta etiam cuſpis inopinatos ictus certumque exitium inferebat.

9. *Fas pervicaces, &c.*] Divino itaque ſpiritu correptus Poeta, vimque Numinis ſentiens, recte ait, fas tibi eſſe Dei laudes exequi.

Pervicaces.] Concepto furore petulantes & protervas. Pervicacia interdum eſt bonarum rerum perſeverantia, pertinacia ſemper malarum; inquit Non. Marcell. Acciique ad Myrmidones verba hæc affert: *Tu pertinaciam, Antiloche, eſſe hanc prædicas: ego pervicaciam aio . . . . Tu addis quod vitio eſt: demis quod laudi datur.*

Thyadas.] A θύω *ſacrifico, feror impetu quodam furibundo.* Thyades appellatæ ſunt Bacchi ſacrificuli ſeu Bacchantes.

10. *Vinique fontem, lactis & uberes, &c.*] Licet mihi referre & cantare patrata Baccho prodigia & miracula. Perperam, ut videtur, afferunt hic aliqui morem veterem Baccho ſeu Dionyſio in ſpelæis ſacrificandi vino, lacte & melle. Sane reſpexit ea ſcribens Horatius Euripidis locum, in Bacchis Act. 3. in quo *Baccharum una thyrſo dicitur petram verberâſſe, & mox inde proſiluiſſe aquæ fons; alia ferulam projiciente in terram, rivum deus emiſiſſe: quæ vero candidi potus cupidæ fuerunt, ſummis digitis terram ſcalpentes, lactis flumina ſtatim elicuiſſe: e thyrſis autem hederaceis flava mella guttis dulcibus ſtillâſſe.*

13. *Fas & beatæ conjugis additum Stellis honorem.*] Dicam & Ariadnes coronam nuptialem inter ſidera relatam. Hujus meminit Virgil. Georgic. 1. v. 222. Ovid. Triſt. 5. Eleg. 3.

Sic micet æternum, vicinaque ſidera vincat
Conjugis in cœlo clara corona tuæ.

Quomodo vero deſertam a Theſeo Ariadnen ſibi in uxorem adoptârit Liber, coronamque in cœlum tranſtulerit, canit idem Ovid. lib. 8. Metam. cap. 2.

Deſertæ & multa querenti
Amplexus & opem Liber tulit; utque perenni
Sidere clara foret, ſumptam de fronte coronam
Immiſit cælo. Tenues volat illa per auras,
Dumque volat, gemmæ nitidos vertuntur in ignes;
Conſiſtuntque loco; ſpecie remanente coronæ;
Qui medius nixique genu eſt, anguemque tenentis.

14.] *Tectaque Penthei Disjecta.*] Et hic alludit ad Euripid. cit. loc. ubi Penthei palatium brevi ſubvertendum minatur Bacchus: Διατινάξατε Βακχὶς δῶμα Πενθέως. Pentheus rex Thebarum Bacchantes noctu diſcurrentes, quod nefas, ſpectans, iram in ſe numinis concitavit, unde & ab ipſa matre ſua Agave ſociiſque Bacchantibus diſcerptus miſere periit. Ita Pauſan. in Corinth. Euripid. cit. &c. Hyginus autem a Libero patre inſaniâ & furore perculſum violentas ipſum ſibi manus intuliſſe refert. Vide Ovid. Metamorph. lib. 3. cap. 7. & ſeq. Perſ. Sat. 1. v. 100. Diodor. Sicul. lib. 4.

15. *Non levi ruina.*] Legunt alii, *non leni ruina*, id eſt, ſæva. Alii, *non levi*, ſeu *lævi*, id eſt, aſpera.

16. *Thracis & exitium Lycurgi.*] Referam quoque vindicatum Bacchi numen, proſtratis quotquot huic adverſari refragarive auſi ſunt: quales Pentheus, de quo mox; & Lycurgus, qui ſpreto illo pœnas luit, ſeu a Jove privatus oculis vitaque ipſa, ut ſcribit Homerus: ſeu ab ipſo interfectus Baccho, ut volunt alii. Is Thracum Rex multa per temulentiam prave committi videns, excidi vineta juſſit omnia, vinumque aboleri: hinc porro fabulati ſunt, ultore Baccho, verſum in furorem crura ſibi amputâſſe, face vinitoria. Hygin. & Plutarchus, aliter paulo, quod nimirum in carcerem Bacchas & Satyros

Tu

Tu domas fluvios, & mare longinquum. Tu ſecretis in montibus Thraciarum mulierum capillos nodo ſerpentino citra periculum conſtringis vino madens. Cum verò ſcelerata Gigantum turma per ſublime appeteret Imperium Jovis patris tui, tu Rhœcum dejeciſti leonis unguibus, ac terribili maxillâ: quamvis ſaltationibus, cavillationibus, luſibusque habebaris magis idoneus, nec ita ad certamina habilis: veruntamen paci atque bello communis eras. Innocuus te Cerberus aſpexit

Tu flectis amnes, tu mare barbarum: [232]
Tu ſeparatis uvidus in jugis
 Nodo coërces viperino
  Biſtonidum ſine fraude crines.
Tu, cùm parentis regna per arduum
Cohors Gigantum ſcanderet impia,
 Rhœcum retorſiſti leonis
  Unguibus, horribilique mala;
Quanquam choreis aptior & jocis, [233]
Ludoque dictus, non ſat idoneus
 Pugnæ ferebaris: ſed idem
  Pacis eras mediuſque belli.
Te vidit inſons Cerberus aureo

ANNOTATIONES.

conjeciſſet. Lycurgo exitum accidiſſe narrant Apollodorus lib. 3. & Euripides antea citatus, Ovid. Triſt. 5. Eleg. 3.

Oſſa bipenniferi ſic ſint male preſſa Lycurgi;
Impia nec pœna Pentheos umbra vacet.

Propert. lib. 3. Eleg. 16.

Veſanumque nova nequicquam in vite Lycurgum;
Pentheos in triplices funera grata greges.

17. *Tu flectis amnes.*] Gangen & Indum fluvios intelligunt quidam: alii Hydaſpen & Orontem, quos Bacchus tranſiit in Indiam pergens. Alii Strymonem Thraciæ fluvium, cujus accolæ Edoni cum ſuo rege Lycurgo primum reluctati, poſtea vero domiti a Baccho, ejus ſe legibus ac diſciplinæ ſubdiderunt. Favet Ovid. mox cit.

Nec patria eſt habitata tibi; ſed ad uſque nivoſum
Strymona veniſti, Marticolamque Geten,
Perſidaque, & lato ſpatiantem flumina Gangem,
Et quaſcunque bibit decolor Indus aquas.

Tu mare barbarum.] Indicum mare, populoſque Indos ſub jugum tuum miſiſti. Ex Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 1. Triumphator Bacchus eſt appellatus, quoniam ille primus de Indis cum ſpoliis opimis in patriam reverſus triumphavit.

18. *Tu ſeparatis uvidus in jugis, &c.*] Per te fit, ut Bacchantes viperis ac ſerpentibus implicitos habeant crines, ſine ullo damno ſuo. Scribit Plutarchus in Alexandro, mulieres iſtas Orgia Baccho celebrantes impune ſerpentes tractâſſe; volunt alii alludi ad fabulam, qua Bacchus infans anguibus a Parcis cinctus fertur, qui nihil intulerint mali, ſed ora pueri lamberint.

20. *Biſtonidum.*] A Biſtone ſtagno vel lacu dicti Biſtonii & Biſtones Thraciæ populi; & Biſtonides mulieres ibidem ſacra Baccho facientes. Eſt et Biſtonia urbs prope mare, hodie *Bourcn* dicta.

21. *Tu cum parentis, &c.*] Quin & præclare a te in bello geſta celebrabo. Tu enim, Bacche, opem Jovi patri tuo egregiam operamque navâſti, quando impiè tentarunt Gigantes cœlum ſcandere, montes montibus imponendo. Tum ſiquidem aſſumptâ leonis ſpecie, unguibus et dentibus decertando, Rhœcum alioſque viciſti, dejeciſti, profligâſti. Leonis pelle indutum pugnâſſe Bacchum aiunt alii, leoninaque audacia: quod quidem minus fabuloſum. Diodor. verò pardorum pellibus uſum refert,

25. *Quanquam choreis aptior, &c.*] Duo extitere Dionyſii, inquit Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 1. Prior ſenex promiſſâ barbâ, ex veteri more. Alter juvenis, ſpecioſior, et delicioſus. Is Satyrorum ſaltatione, riſu, et joco delectabatur. Omnes etiam qui in exercitu muſicis exercerentur, immunes fecit. Hæc Diod. ex quibus mollities Bacchi notatur, qui etiam in Indiam duxerit exercitum mulierum & delicatorum hominum tripudiis & cantionibus operam dantium. Lucian. in Dial. cui titulus, *Dionyſus*. Diodor. cit. &c.

Aptior & jocis, Ludoque dictus.] Huc pertinet quod vulgo circumfertur adagium: *Sine Cerere & Baccho friget Venus.*

27. *Idem pacis eras mediuſque belli.*] Ad utrumque pariter, ſeu ad pacem ſanciendam, ſeu ad bellum movendum paratus & accommodatus. Diodor. cit. loco; *Quidam duplicem ei formam attributam volunt, quoniam ebrietas & iracundos efficiat & hilares.* Medium belli paciſque, communem interpretatus ſum.

29. *Te vidit inſons Cerberus.*] Cum ad Inferos denique deſcendiſti, Semelen matrem, vel, ut alii narrant, Ariadnen conjugem inde reducturus, Cerberus, ultro tuum numen reveritus eſt, caudâ leniter motâ blandiens, tibias etiam & pedes lambens. De Cerbero plura ad Od. 13. hujus libri, ſub finem.

Aureo cornu decorum.] Cornua tribuuntur Baccho, quod immoderate bibentes quemlibet obvium ferire ſoleant. Unde & tauro ſimilem faciunt, quod, perinde ut ille, bibaces ſint, iracundi, & petulci: teſte Athenæo lib. 1. Non ita videtur ad rem quod ex eodem Athenæo affe-

Cornu decorum, leniter atterens [234]
Caudam, & recedentis trilingui 31
Ore pedes, tetigitque crura.

aureo cornu inſignem, mitis leviter caudam lenitur, & regredientis pedes cruraque triplici lingua & ore delinit.

ANNOTATIONES.

rant quidam, cornua pro poculis fuiſſe olim; nec quod, ex Diodoro, lib. 4. primus ille terram junctis bobus exercuerit; multo minus quod idem alibi ait, cornutum dici Bacchum, ab acumine in excogitandis rebus ad vitam utilibus.

Cæterum ſacros Moyſis libros haud Ethnicis Auctoribus incognitos fuiſſe alibi quidem annotavimus: inde vero pleraque veri Dei miracula expiſcatos imitatoſque fabulatores falſis numinibus & heroibus ſuis affinxiſſe, ſciolus quilibet vix ignorat. At cum id abunde probet & oſtendat vel una hæc Ode, non eſt leviter prætermittenda, quin rem penitus excutiamus, atque paulo otioſius inſpiciamus & perſcrutemur. Enimvero quanta & quot attribuuntur Baccho, quæ vel Noachi ſunt, vel ipſius Moyſis? Singula perſtringamus; quorum plurima tamen alii non abſurde jam protulerant, occuparuntque. Bacchus inventor vini viteſque plantare docuiſſe jactatur. Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 1. Atqui hoc longe verius Noacho vindicatur. Geneſ. cap. 9. v. 20. ubi & inebriatus ille & nudatus in tabernaculo ſuo, necnon majori filio ludibrio habitus refertur: quæ ad Bacchum tranſtulere fere omnia.

Bacchus in ſylvis & rupibus Satyris & Muſis documenta varia tradidit. Noachus poſt diluvium, devaſtata ac in ſolitudinem redacta terra, de cultu Dei præcepta hominibus ſedulo inculcavit.

Bacchus amnes & mare flexit; Noachus aquarum eluvionem arca evaſit, ſeparavitque.

Bacchus Gigantes Jovi bellum moventes expugnavit. Noachus Chamo filio impie ſe colendum Numinis inſtar exhibenti, poſteriſque ejus idololatris vel atheis fortiter repugnavit.

Bacchus pacis bellique medius & arbiter extitit; Noachus ſequeſter & conciliator Deum inter & homines, audire meruit; *Non erunt ultra aquæ diluvii, ad delendum univerſam carnem:* item; *Ponam arcum meum in nubibus, eritque ſignum fœderis inter me & inter terram.* Geneſ. cap. 9. cit.

Quod ſi Moyſen, Joſuen, & quæ ad eos pertinent, conferamus cum iis quæ Baccho aſſignat Horatius, eadem prope eſſe agnoſcemus. Moyſes in monte Sina acceptas Dei leges populo Hebræo perfert. *Bacchus in rupibus Satyros & Nymphas docet.*

Bacchi *thyrſus*, quid aliud quam virga Moyſis? Per hanc patrata certo prodigia, per illum ſimiliter facta mentiti ſunt.

Vini fontem, lactis rivos, mel ſtillans, quis non intelligat ficta, vel ex promiſſa Hebræis terra lacte & melle manante; vel ex erutis e ſilice per Moyſen aquis? Virga Moyſis in ſerpentem verſa, & ſine damno apprehenſa, ſerpens item æneus in deſerto juſſu Moyſis erectus, Exod. 4. &c. nonne locum dederunt *viperis & anguibus* Baccharum *crines* implicandi *ſine fraude* quidem *& coercendi*? Jam domita Baccho *flumina* ipſumque *mare*, vel lippientibus oſtendunt Jordanis mariſque Rubri ſicco veſtigio tranſitum, ducibus Moyſe & Joſue. *Disjecta* vero *Penthei tecta, Lycurgique* fatale *exitium*, adumbrant ſatis clare urbes deletas, reges victos, genteſque fractas ab Iſraelitis, Deo ſuffragante & opitulante. Denique Gigantes & potentes a ſeculo viri famoſi, Geneſ. cap. 6. & monſtra filiorum Enochi de genere giganteo. Num. cap. 13. v. 34. necnon turris Babel, Geneſ. c. 11. gigantomachiam, cœlique per arduum oppugnationem fabuloſam peperere.

Cornutum vero Bacchum dixere, juxta id quod Exodi cap. 34. v. 29. & ſeq. legitur de cornuta Moyſis facie, ſeu duplici luminis radio conſpicua, ex conſortio ſermonis Domini, quem Iſraelitæ non ſine metu ac ſtupore animadverterant.

Adde, ſi lubet, Bacchi deſcenſum ad Inferos, ac reditum incolumem, imaginem videri germanam Moyſis in monte nebuloſo dies quadraginta commorantis, quem omnium opinione mortuum cum rurſus viderunt Iſraelitæ, velut ab Inferis reducem ac redivivum exceperunt.

ODE

ODE XX. Ad MÆCENATEM.

Famam ſui nominis ſemper & ubique celebrem futuram.

Nec ſolitâ nec levi per aëra fluentem alâ vehar ego Poëta duplici formâ pollens. Nequaquam in terris manebo diutius: invidiâque ſuperior deſeram civitates. Ego proles majorum inopum, ego quem appellas, Chariſſime, o Mæcenas, haud moriar, nec Stygia palude coercebor. En modo tibiis increſcunt pelles ſcabræ, atque in avem candidam transformor ſecundum *ſuperiores* par es; *& plumæ tenues exoriuntur in brachiis & ſcapulis.*

NON uſitatâ nec tenui ferar [135]
Pennâ, biformis per liquidum æthera
Vates: neque in terris morabor
Longiùs: invidiâque major
Urbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte, Mæcenas, obibo,
Nec Stygiâ cohibebor undâ. [136]
Jamjam reſidunt cruribus aſperæ
Pelles, & album mutor in alitem
Supernè, naſcunturque læves
Per digitos humeroſque plumæ.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. lib. 1.

1. *Non uſitata, &c.*] Scaliger lib. 6. Poet. Oden hanc ait *magni ſpiritus, & tanto dignam ingenio.* Se ſuoſque verſus immortales futuros præſagit Horatius, atque ſuo nomine & fama implendum orbem totum gloriatur. Quo ſi quis offendatur, ſummis quibuſque Poetis magna de ſe, nec omnino ſine cauſa, jactare ſolitis ſuccenſeat neceſſe eſt. Paulo certe audacius canebat & vaticinabatur Ovidius, in fine Metamorph.

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Nec tenui ferar Penna.] Non tenui aut fragili volatu, qui diſſolvatur, & brevi cadat, famamque meam perire ſinat. Ovid. mox cit.

Parte tamen meliori mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar: nomenque erit indelebile noſtrum.

2. *Penna.*] Alæ naturam commune quidpiam cum Deo habere aſſerit Plato in Phædro.

Biformis.] Lyricus vates atque Satyricus, inquiunt plerique. At videntur alii ſapere pluſculum, ſic interpretantes: paulo ante homo, jam vero cycnus: binâ formâ præditus, humana & cycnea.

4. *Invidiaque major, &c.*] Plutarch. de Invidia & Odio; Ut Sol, inquit, ſupra verticem extans aut umbram adimit, aut certe parvam facit; ita ſumma felicitas comprimit invidiam, quaſi ſupra caput ejus conſiſtens.

5. *Pauperum Sanguis parentum.*] Obſcuro loco natus, avo nempe liberto, patre libertino.

6. *Quem vocas, Dilecte.*] Sic interpunge ſedulo: id eſt, quem tibi dilectum vocas, pro tua in me animi propenſione, O Mæcenas, qua me ignobilem & humilem proſequeris, exornas, beas. Mæcenatis in Horatium morte ſublatum næniola erat:

Lugens te, mea vita, nec ſmaragdos,
Beryllos neque, Flacce, pernitentes,
Nec mi candida margarita quæro, &c.

8. *Nec Stygia cohibebor unda.*] Id eſt, non moriar, nec proinde in Inferis detinebor aut coercebor. Ovid. cit.

Quaque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi; perque omnia ſecula fama,
Si quid habent veri vatum præſagia, vivam.

Vide ſupra Od. 14. v. 8. De *Styge* dixi lib. 1. Od. 34. v. 10.

9. *Jamjam reſidunt cruribus, &c.*] Sentio me transformari in cycnum: jamque meis tibiis humana carne & cute ſpoliatis ſuccreſcunt pelles aſperæ, quales ſunt in cruribus cycnorum.

10. *Album mutor in alitem.*] Ex Pythagoræ ſententia loquitur Horatius. Aiebat ille Poetarum animas tranſire in canoras aves: ac viciſſim luſciniarum ac cycnorum animas Poetis immitti. Porro cycnos, ut & Poetas, in tutela eſſe Apollinis creditum eſt. Unde cycni appellantur boni Poetæ, mali autem anſeribus comparantur. Cic. Tuſc. 1. n. 73. *Cycni non ſine cauſa Apollini dicati ſunt; ſed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes quid in morte boni ſit, cum cantu & voluptate moriantur.* Virgil. Eclog. 9.

—Vare, tuum nomen——
Cantantes ſublime ferent ad ſidera cycni.

Infra noſter de Pindaro, Od. 2. lib. 4.

Multa Dircæum levat aura cycnum.

Jam Dædaleo ocyor Icaro
Viſam gementis littora Boſphori,
Syrteſque Getulas canorus
Ales, Hyperboreoſque campos.
Me Colchus, & qui diſſimulat metum [237]
Marſæ cohortis Dacus, & ultimi
Noſcent Geloni; me peritus
Diſcet Iber, Rhodanique potor.
Abſint inani funere næniæ,
Luctuſque turpes, & querimoniæ:
Compeſce clamorem, ac ſepulchri
Mitte ſupervacuos honores.

Nunc ad littus Boſphori frementis, & Libycas Syrtes, regioneſque Boreales pergam, factus avis canens ſuaviter, velocior autem *Icaro Dædali filio. Me Colchus, Dacuſque Italum exercitum ſimulans non timere, atque extremi celebrabunt Geloni. Me cognoſcet doctus Hiſpanus, & qui bibit* aquas *Rhodani. Apage cantus lugubres inutilibus exequiis, fletuſque indecoros, & querelas. Comprime ejulatus, & prætermitte vana tumuli ornamenta.*

ANNOTATIONES.

13. *Dædaleo ocyor Icaro.*] Id eſt, non ego temere volatum tentabo, velut Icarus, neque pennas aſſumo fictitias & adſcititias. De *Icaro* ejuſque patre *Dædalo*, lib. 1. Od. 3. ſub finem.

14. *Viſam gementis littora Boſphori, &c.*] Barbaris etiam populis, & regionibus innoteſcam; meaque poeſis ad remotiſſimas orbis partes celebris erit. De *Boſphoro*, ſupra Od. 13. v. 14.

Gementis.] Illic enim horrendum ſtridet ac fremit mare auguſto coarctatum ſpatio, & ad comprimentes ripas fluctus alliduntur ac gemunt.

15. *Syrteſque Getulas.*] Ad Africæ littora. Vide lib. 1. Od. 22. v. 5. *Getulia* regio Libyæ circa Syrtes; de qua lib. 1. Od. 23. v. 10.

Canorus Ales.] Cycni more, canens dulciter. Sitne vero fabuloſus iſte cantus, diſſerui ad Juvenalem.

16. *Hyperboreoſque campos.*] Ad polum Arcticum, ultimumque Septentrionem, quaſi ultra Boreæ flatus & originem. Vide lib. 1. Od. 12. ad penultimum ſtrophen Annot.

17. *Me Colchus.*] Aſiæ populus ad oram Euxini maris Orientalem. Ea regio vocatur hodie *Mingrelia*.

Qui diſſimulat metum.] Iſtâ periphraſi videtur Horatius indicare Parthos, de quibus vide Annot. lib. 1. Od. 19. v. 12. Quidam tamen referunt ad ſequentem vocem *Dacus*.

18. *Marſæ cohortis.*] Vel per ſynecdochen Marſos pro Italis ponit; vel potius illos præ cæteris nominat, quod in bello erant *genus acre virûm*, ut vocat Virg. Georg. 2. v. 167. Marſi Italiæ populi fuere, ubi nunc eſt pars Aprutii ulterioris, juxta lacum Fucinum; nomenque regiuncula conſervat adhuc Marſi ducatûs titulo inſignita.

Dacus.] Gens vicinam Danubio regionem incolens, Tranſylvani, Moldavi, &c.

19. *Geloni.*] Scythiæ populi ad fluvium Boryſthenem, a Gelono Herculis filio cognominati. De illis jam ſupra Od. 9. v. penult. Intelligi poſſunt etiam Scythæ remotiſſimi, de quibus lib. 1. Od. 19. v. 10.

Peritus Iber.] Hiſpaniæ populus ab Ibero ſeu Rege, ſeu fluvio ductus.

Peritus.] Literarum ſtudioſus, variaque inſtructus doctrina. Alii referunt ad navigandi peritiam.

20. *Rhodanique potor.*] Lugdunenſes Gallos innuit & deſignat, apud quos facundiæ certamen erat: cujus meminit Juvenalis Sat. 1. v. 44. *Palleat*, inquit,

Ut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

Rhodanus fluvius Galliæ præcipuus, apud Helvetios ſcaturiens, per lacum Lemanum tam rapidè fluens, ut ſuas non coinquinet aut permiſceat aquas: Genevam alluit: Galliam a Sabaudia, Delphinatum a Breſſia diſcernit; ad Lugdunum excipit Ararim amnem, Iſaram autem ad Valentiam & Vivarium; Occitaniam inter & Provinciam, ad Avenionem perlabitur: inde vero non procul, Druentia fluvio arctus Arelate adit. Demum oſtiis quinque mare Mediterraneum ingreditur. Rhodani magnitudinem commendat M. Varro, nec inferiorem Iſtro prædicat, Apud Agell. lib. 10. cap. 7.

21. *Abſint inani funere næniæ, &c.*] Funus velut inane, nænias, luctus & querimonias ut turpes viris, denique ſepulchri honores tanquam ſupervacuos reſpuit, quippe vivens immortaliſque futurus; quibus expreſſit Ennii Epitaphium ita de ſe ominati;

Nemo me lacbrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? Volito vivu' per ora virûm.

Næniæ.] De his ſupra Od. 1. ad finem.

23. *Sepulchri Mitte ſupervacuos honores.*] Plane loquitur ex mente ipſius Mæcenatis, cujus hæc apud Senec. Epiſt. 92. refertur ſententia.

Nec tumulum curo: Sepelit natura relictos,

Q. HORATII FLACCI

Carminum, ſeu Odarum,

LIBER TERTIUS.

ODE I.

Non opibus aut honoribus, ſed mediocri fortunâ, vitâque tranquillâ conſtat felicitas.

Imperitum vulgus averſor atque amoveo. Obſecundate me: Muſarum ego antiſtes in

ODI profanum vulgus, & arceo: [235]
Favete linguis: carmina non prius [239]

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Odi profanum.*] Quod Perſius ſub finem Satiræ primæ, hoc odes hujus initio præſtat Horatius. Nimirum quibus ſcribat, & quos lectores velit, uterque imperioſe ſtatuit. Eſt igitur prima ſtrophe velut proœmium graviſſimi carminis graviſſimè quidem tractati, documenta pleraque ad mores pertinentia continentis. Certe in hujus & ſequentis libri carminibus potiſſimum eniteſcit illa, quam laudat Petronius, *Horatii curioſa felicitas.* Audiatur hic Scaliger hypercritic. tertii libri Ode prima *magnifico dicendi genere ſtructa eſt.* Et poſtea; *Sequuntur carmina plena ſapientiæ, numeroſa, ardua.* Secunda Ode pariter altiloqua: tertia graviſſima: quarta nec Pindaro cedit, ac ne quinta quidem. Sexta altiſſime ſonat, &c. Hæc ille.

Profanum vulgus.] Orpheus: Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐςὶ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοις, *Loquar, quibus fas eſt, at fores occludite profanis.* Arcet vulgus indoctum & rude, utpote Muſarum ſacris haud initiatum. Solennis erat ſacrorum formula, quam habet Virgil. Æneid. 6. v. 258.

——*Procul, ô procul eſte, profani.*

Callimach. Ἑκὰς, ἑκὰς ἐςὶ βέβηλοι.

In Petronii Satyrico, Eumolpus ita præcipit: *Effugiendum eſt ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate: & ſumendæ voces à plebe ſummotæ, ut fiat, Odi profanum vulgus, & arceo:* quibus verbis explicari, quid voluerit Horatius per *vulgus profanum*, bene movet Cruq. A. Gell. ad finem lib. ult. ſic ait: *Commentariis his legendis dabo legem, ut ne eam attingat, neve adeat profeſtum & profanum vulgus a ludo muſico diverſum.* Apud Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 2. Philoſophia ex fabulis quædam abs ſe abdicat, ac *velut profana ab ipſo veſtibulo ſacræ diſputationis excludit.*

2. *Favete linguis.*] Vox in ſacris olim uſitata, qua ſilentium imperabatur. Et certe nihil eſt, quo reverentiam numinis aptius aut amplius liceat declarare, quam profunda illa taciturnitate atque attentione animi ad divina quaſi ſtupentis. Huc facit Pſal. 64. v. 1. Interpretatio ſancti Hieronymi ex Hebræo: *Tibi ſilentium laus, Deus, in Sion.* Ariſtophanes. *Linguis faveat omnis populus ore clauſo: ædes enim ingreſſus eſt Muſarum antiſtes.* Seneca de Vita Beat. c. 27. *Hoc verbum, Favete linguis; non, ut plerique exiſtimant, a favore trahitur; ſed imperatur ſilentium, ut rite peragi ſacrum poſſit, nullâ voce malâ obſtrepente.* Quæ poſtrema verba favent iis, qui interpretantur: bene precamini; cavete ne quidquam loquamini infauſtum, & mali ominis. Cicero. 1. de Divin. n. 102. *Non ſolum Deorum voces Pythagorei obſervaverunt, ſed etiam hominum, quæ vocant, omina. Quæ majores noſtri, quia valere cenſebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, fauſtum, fortunatumque ſit, præfabantur: rebuſque divinis, quæ publicè fierent, ut faverent linguis, imperabatur.* Feſtus: *Faventia bonam ominationem habet: nam præcones clamantes populum ſacrificiis favere jubebant. Favere eſt bona fari.*

Carmina non prius Audita.] Nova, Lyrica, ſci-

Audita

Audita, Muſarum Sacerdos
Virginibus pueríſque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis, [140]
Clari Gigantæo triumpho,
Cuncta ſupercilio moventis.
Eſt ut viro vir latiùs ordinet
Arbuſta ſulcis; hic generoſior
Deſcendat in campum petitor:
Moribus hic meliórque famâ
Contendat: illi turba clientium

auditos antea verſus cano puellis ac juvenibus. Reges metuendi poteſtatem habent ſuos in populos, ipſos autem *in reges* poteſtatem habet *Jupiter victis gigantibus inclytus, omnia nutu concutiens. Fit ut alius alio ſpatioſius diſponat arbores ſcrobibus. Ille candidatus in campum* Martium *nobilior veniat, iſte virtutibus & exiſtimatione potior concertet. Huic adſit amplior clientium numerus;*

ANNOTATIONES.

cet, à nemine Latinorum hactenus ſaltem exactè, facta. In hujus libri ultima Ode pariter gloriatur. *Princeps Æolium carmen ad Italos deduxiſſe modos.*

3. *Muſarum Sacerdos.*] Bonus omnis Poëta Muſarum & Apollinis antiſtes & Sacerdos audit. Virgil. Æneid. 6. v. 645. de Orpheo.

Necnon Threïcius longâ cum veſte Sacerdos.

Ovid. Amor. lib. 3. Eleg. 8. v. 23.

Ille ego Muſarum purus Phœbique Sacerdos.

Tibull. lib. 2. Eleg. 5.

Phœbe fave, novus ingreditur tua templa Sacerdos;
Huc age cum citharâ carminibuſque veni.

4. *Virginibus pueriſque canto.*] Velut caſtis & docilibus, proindeque idoneis tum ad ſacra, tum ad præcepta morum capeſſenda. Sic & in carmine ſæculari ait a Sibyllis moneri. *Virgines lectas pueroſque caſtos Diis dicere carmen.* Et lib. 1. Od. 21.

Dianam teneræ dicite virgines;
Intonſum, pueri, dicite Cynthium.

5. *Regum timendorum, &c.*] Docet in primis in quo non ſit felicitas ſtatuenda; & quam aberrent, qui ſupremâ poteſtate præditum cenſeant beatum, quod ab aliis timeatur, nullum vero timeat. Enimvero mortalium nemo quantumvis potens ejuſmodi eſt; cum ſupra ſe Deos habeat æqui & iniqui vindices, & regum perinde, ut hi populorum, cervicibus incubantes. Plaut. Caſin. 2. 5. 26. *Quaſi tu neſcias repente ut emoriantur humani Joves,* id eſt, Reges & Principes.

In proprios greges.] Sunt Reges quaſi paſtores populorum. Pſal. 76. *Deduxiſti ſicut oves populum tuum in manu Moyſis & Aaron.* Et Pſal. 77. *Abſtulit ſicut oves populum ſuum, & perduxit eos tanquam gregem.*

6. *Reges in ipſos imperium eſt Jovis.*] Sueton. Jul. Cæſar. cap. 6. *Eſt in genere & ſanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent; & ceremonia Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt reges.*

7. *Clari Gigantæo triumpho.*] Apparuit ſatis quantum Dii hominibus prævaleant, cùm Gigantes immani robore ſuperbientes Jupiter debellavit. Vide L. 2. Od. 12. & 19. & Od. 4. hujus libri.

8. *Cuncta ſupercilio moventis.*] Orbem univerſum nutu unico quatientis. Virg. Æn. 9. v. 106.

Annuit; & totum nutu tremefecit Olympum.

Egregia divinæ Majeſtatis declaratio: ex Homeri Iliad. 1, Ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων, *Superciliis annuit Saturnius,* id eſt, Jupiter; hinc & concuſſis comis cœlum concuſſiſſe ibidem dicitur. Quibus è verſibus Phidias aiebat Jovis ſe Olympii ſimulachrum mira arte effinxiſſe. Plin. lib. 2. cap. 37. ita ſcribit: *Superciliis negamus, annuimus. Hæc maxime faſtum indicant.* Ibid. *Frons ſeveritatis index ut & clementiæ.* Ammianus Marcell. *Supercilia vulut cornua erigi,* dixit. Vide Cœl. Rhodig. l. 3. c. 27.

9. *Eſt ut viro vir, &c.*] Nec eos eſſe felices putâris, qui ingentibus prædiis, magiſtratibus, palatiis fruuntur. Nam ſint quidem alii opulentiores aliis, nobiliores, potentiores, famâ celebriores, at nemini propterea mors parcit; omnes æquat, & pariter aufert. Quæ ſententia variis eſt locis apud Horatium variâ ubique dictione expolita. Lib. 1. Od. 1. &c.

Latius ordinet Arbuſta ſulcis.] Vineta vel arbuſta plantet agro ampliora, ſpatioſiora.

10. *Hic generoſior deſcendat, &c.*] Ille claritate generis fretus ambiat magiſtratum, proindeque veniat, *in Campum* Martium, quo ad ferenda ſuffragia Populus Romanus conveniebat.

Deſcendat.] Erat campus ille inferior urbe in collibus ædificatâ. Adde quod in edito colle ſpectandum ſe populo præbebat candidatus antequam in campum deſcenderet. Vide Alex. ab Alex. l. 4. c. 3. ubi fuſe de comitiis, & de ratione creandorum apud Romanos magiſtratuum.

12. *Moribus hic meliorq; famâ Contendat.*] Alius accedat minus fortaſſe domi nobilis, ſed virtutum gloriâ conſpicuus; & de eodem honore & magiſtratu capeſſendo adverſus alterum contendat.

13. *Illi turba clientium Sit major.*] Alius potentiam oſtentet numeroſâ clientium turbâ ſtipatus, ut ad munera publica evehatur.

at pari jure magnos & parvos regit mors: quodlibet nomen urna complectitur & versat. Cui supra ſceleratum caput ſtrictus gladius impendit, guſtum ſuavem haud comparabunt epulæ Siculæ: nec ſoporem revocabit volucrum aut lyræ modulatio. Quietus ſopor haud aſpernatur abjectas hominum agreſtium caſas, & littus umbrâ amœnum, nec Tempe Zephyris afflata. Qui cupit duntaxat *quod ſufficit,* hunc *nec angit mare procelloſum, nec violentia occidentis Arcturi, vel*

Sit major. Æquâ lege neceſſitas
Sortitur inſignes et imos; [241]
Omne capax movet urna nomen.
Diſtrictus enſis cui ſuper impiâ
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent. Somnus agreſtium
Lenis virorum non humiles domos
Faſtidit, umbroſámque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
Deſiderantem quod ſatis eſt, neque [242]
Tumultuoſum ſollicitat mare,
Nec ſævus Arcturi cadentis

ANNOTATIONES.

14. *Æquâ lege neceſſitas, &c.*] Numinis voluntas, æternum decretum, fatum, ſine delectu ſummos æque ac infimos complectitur, movet, amovet, abſumit. Benè apud Suidam, *Lex quidem ſimilis eſt Tyrannidi: terrore enim & vi cuncta perficit.*

16. *Omne capax movet urna nomen.*] Omnium perinde mortalium nomina fatalis urna continet, donec ſuo quæque tempore educantur. Atque ita cuncti ſeriùs ocyùs ultimæ neceſſitati mancipantur & traduntur. Vide lib. 2. Od. 3.

16. *Diſtrictus enſis cui ſuper, &c.*] Quod ſi legitima dominatio non reddit fortunatum, ut initio aſſeruit, multo minus tyrannica & per ſcelus occupata. Nam, ex Tullio mox citando, *Cui ſemper aliquis terror impendeat, nihil ei beatum:* is nec epularum nec ſomni dulcedinem experitur. Quod ſane Damocles impius ille Dionyſii Syracuſarum Tyranni aſſentator intellexit, vel ab ipſo Tyranno edoctus. Cùm enim regiam experiri fortunam ab eo petiiſſet, aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo, magnificis operibus picto collocatus eſt. Aderant unguenta & coronæ: odores incendebantur: menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebantur: ad menſam eximiâ formâ delecti miniſtrabant pueri. Jamque fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc autem medio apparatu fulgentem gladium e lacunari ſetâ equinâ appenſum demitti juſſit Tyrannus, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pompam, nec dapes, nec pueros aſpiciebat. Jam ipſæ defluebant coronæ. Denique exoravit Tyrannum, ut ſibi abire liceret, quòd jam beatus eſſe nollet. Hæc Cicero Tuſcul. 5. n. 61.

18. *Siculæ dapes.*] Harum ut lautiſſimarum meminit Plato 3. de Rep. Tullius 2. de finibus, & Tuſcul. 5. n. 100. Athenæus lib. 1. cap. 59. Coquos item Siculos velut ciborum optime condiendorum artifices eximios laudat l. 14. cap. 23.

21. *Somnum reducent.*] Quem abſtulit mortis pavor imminentis.

Somnus agreſtium Lenis virorum, &c.] Ruſticis contra viris ſomnus adeſt ultro ſuavis & placidus, ſeu in agreſti tugurio, ſeu ad fluminis ripam ſub arboribus frigus, umbram, & amœnitatem prætendentibus. Virgil. Georgic. 2. v. 467.

At ſecura quies . . . . .
Speluncæ, vivique lacus; at frigida Tempe
. . . *molleſque ſub arbore ſomni*
Non abſunt. . . . .

24. *Tempe.*] Accuſativus eſt pluralis neutrius generis. Nomen erat vallis amœniſſimæ in Theſſaliâ, Peneo irrigatæ fluvio, montibus Oſſa, Pelio, Olympo circundatæ. Pro locis quibuſlibet amœnis uſurpari ſolet. Vide lib. 1. Od. 7. v. 4.

Zephyris agitata.] Leniter aſpirante eo vento, qui *genitalis ſpiritus mundi* appellatur a Plinio l. 16. c. 25. *Flat ab Æquinoctiali occaſu, ver inchoat, aperitque terras tenui frigore ſaluber. Favonius* Latinis a favendo vel fovendo: *Zephyrus Græcis nominatus, quaſi* ζωηφόρος, *vitam ferens,* Id. Plin. lib. 18. cap. 34.

Agitata.] *Incertas Zephyris mutantibus umbras,* ut canit Virgil. Eclog. 5. Quæ quidem omnia ſomnos dulces faciunt.

25. *Deſiderantem quod ſatis eſt, &c.*] Qui parvo contentus agit, & neceſſaria tantùm deſiderat, is pecunias augendi parum cupidus, longinquam negotiationem minime ſuſcipit, adeoque maris pericula declinat; nec ille angitur valde, ſi quando calamitatem grando, aut agrorum ſterilitas annonæ penuriam invehat. Senec. *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper: ſi ad opiniones, nunquam eris dives.*

26. *Tumultuoſum mare.*] In fine Odes 29. hujus libri *Ægæos tumultus,* vocat.

27. *Sævus Arcturi cadentis impetus.*] Arcturus ſive Arctophylax, quòd Urſam ſequatur ac

Impetus, aut orientis Hœdi
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundúſque mendax; arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera nunc hyemes iniquas.
Contracta piſces æquora ſentiunt, [243]
Jactis in altum molibus. Huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominúſque terræ
Faſtidioſus. Sed timor et minæ
Scandunt eodem quo dominus: neque
Decedit æratâ triremi, et
Poſt equitem ſedet atra cura.

Caprorum ſurgentium; neq; vineæ per grandinem percuſſæ, vel ager fallax, arboribus modo pluviis accuſantibus, modo conſtellationes arva exurentes, modo frigoris ſævitiam. Aquas molibus in mare projectis coarctatas ſentiunt piſces. Illuc cæmenta ſæpius immittit operum conductor cum ſervis, necnon poſſeſſor terram contemnens. At metus & formido eodem quo dominus aſcendunt: neque triremem ære munitam deſerit moleſta ſolicitudo, imo equitanti aſſidet.

ANNOTATIONES.

velut cuſtodiat dicta conſtellatio, magnas tempeſtates, movet, præſertim cùm occidit, videlicet Octobri ineunte. Vide Plaut. Rudent. Prolog. v. 69. ubi ſic loquens inducitur illud ſidus;

Increpui hybernum, & fluctus movi maritimos.
Nam Arcturus ſignum omnium ſum acerrimum;
Vehemens ſum exoriens: cum occido, vehementior.

28. *Orientis Hædi.*] Pro *hædorum*. Sunt enim duæ ſtellæ in ſiniſtrâ manu Aurigæ, quibus orientibus ſævit mare: tum ſcilicet cùm Sagittarium Sol decurrit. Virgil. Georg. 1. v. 204.

Præterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis
Hædorumque dies ſervandi, &c.

30. *Fundúſque mendax.*] Ager infructoſus, ſpemque & laborem agricolæ deſtituens, *Spem mentita ſeges*, ut ait Epiſt. ad Mæcen. Petronius ait ſimiliter, *Fundos mendaces.* Et Pſal. 32. *Fallax equus ad ſalutem.*

Arbore nunc aquas culpante, &c.] Arbore ſterilitatem ſuam quaſi excuſante, tres ejus afferente cauſas, culpamque derivante vel in *aquas* & imbres nimios, quibus putrefactio generatur; vel *in torrentia agros ſidera*, æſtus nimirum & calores immoderatos, qui ſuccum & humorem abſumunt omnem: atqui ex humido & calido attemperatis fructum ac fœtum quemlibet ſuum natura producit & procreat: vel in aſperitatem denique *hyemis*, & immodicum gelu, quod nimis aſtringit, fruges adurit, arboreſque enecat, dum vegetandi vim prorſus extinguit. Lucret. 5, 214.

Et tamen interdum magno quæſita labore,
Cùm jam per terras frondent, atque omnia florent;
Aut nimiis torret fervoribus æthereus ſol,
Aut ſubiti perimunt imbres, gelidæque pruinæ.

33. *Contracta piſces æquora ſentiunt, &c.*] Invehitur modo in inſanas ſubſtructiones, inque ſtultam ædificandi in mari libidinem, de quibus jam lib. 2. Od. 15. & 18. Item poſtea Od. 24. hujus libri. Petronius in Satyrico: c, 120.

. . . . . . *Aſpice late*
Luxuriam ſpoliorum, & cenſum in damna furentem.
Ædificant auro, ſedeſque ad ſidera mittunt.
Expelluntur aquæ ſaxis; mare naſcitur arvis;
Et permutatâ rerum ſtatione rebellant.
En etiam mea regna petunt: perfoſſa dehiſcit
Molibus inſanis tellus, jam montibus hauſtis
Antra gemunt, &c.

Sall. Bell. Cat. c. 13. *Nam quid ea memorem, quæ niſi his qui videre, nemini credibilia ſunt? à privatis compluribus ſubverſos montes, maria conſtrata*; alii legunt, *conſtructa, &c.* Sueton. Caligul. c. 37. *In exſtructionibus Prætoriorum atque villarum, omni ratione poſthabitâ, nihil tam efficere concupiſcebat, quàm quod poſſe effici negaretur. Et jactæ itaque moles infeſto ac profundo mari: exciſæ rupes duriſſimi ſilicis: & campi montibus aggere æquati: & complanata foſſuris montium juga incredibili quidem celeritate; cùm moræ culpa capite lueretur.*

34. *Huc frequens Cæmenta demittit, &c.*] Variam è rudi ſaxo lapidumque cæſorum fruſtis & fragmentis materiam in mare dejecit, ut ſubſtratis molibus poſitoque fundamento ædificium ſuperſtruat ille fabricæ ſuſceptor, ἐργολάβος, manceps apud Cicer. Item *redemptor*, qui nempe quodlibet opus ſuo periculo, certâ mercede faciendum aſſumit.

36. *Dominuſque terræ Faſtidioſus.*] Superbus & ambitioſus dominus faſtidiens ædes habere in terrâ, jamque novi quidpiam moliri volens, in mari ædificat.

37. *Sed timor & minæ ſcandunt eodem, &c.*] Verum ſive ille dives & luxurioſus habitet in ædibus ejuſmodi maritimis; ſive naves & triremes; ſive equum inſcendat, non effugiat uſquam ſolicitudines & metus. Vide lib. 2. Od. 16.

Quod

Quòd ſi malè ſe habentem haud ſublevat Phrygium ſaxum, nec veſtis purpurea aſtris ſplendidior, neque vinum Falernum & unguentum Perſicum; quare celſas ædes conſtruam poſtibus invidiam cientibus, & ratione ſingulari? Quare vallem Sabinam commutem opibus nimium laborioſis?

Quòd ſi dolentem nec Phrygius lapis, [244]
Nec purpurarum ſidere clarior
  Delenit uſus, nec Falerna
    Vitis, Achæmeniúmque coſtum;
Cur invidendis poſtibus, et novo
Sublime ritu moliar atrium?
  Cur valle permutem Sabinâ
    Divitias operoſiores?

ANNOTATIONES.

41. *Quòd ſi dolentem nec, &c.*] Quod ſi magnifica palatia, ſi veſtes molles & nitidæ, ſi lautæ dapes, ſi odores & unguenta nihil proſunt ad levandam corporis aut animi ægritudinem, cur fortunam ego meam tenuem, ſed tranquillam & felicem non anteferam opibus ſummis, quas magni perinde labores & curæ nunquam non comitantur?

Phrygius lapis.] Innixæ & exornatæ baſilicæ columnis è marmore Phrygio rubris inſperſo maculis. Tibull. lib. 3. Eleg. 3. v. 13.

Quidve domus prodeſt Phrygiis innixa columnis?

44. *Achæmeniumque coſtum.*] Unguentum pretioſum & exquiſitum e coſto frutice, cujus *radix guſtu fervens, odore eximio*; proveniente in Perſiâ; ubi regnavit Achæmenes. Vide Plin. lib. 12. cap. 12. Dioſcorid. &c.

45. *Invidendis poſtibus.*] Invidiæ expoſitis ob luxum & pompam. Sic lib. 2. Od. 10. dixit *aulam invidendam.* Et Martial. Spectac. Epigr. 2. *invidioſa atria.*

47. *Cur valle permutem Sabinâ, &c.*] Cur præ majoribus poſſeſſionibus curarum feracibus, præ baſilicis atque divitiis Regum, non amem & colam prædiolum meum, in Sabinis, amœnâ ſitum valle, unde mihi quod ſatis eſt ſuppeditatur; & quo valde contentus & quietus victito, Regibus proinde beatior?

ODE II.

Pueros ab ineunte ætate aſſuefaciendos eſſe rei militari & vitæ laborioſæ.

O amici, puer gravi bello fortis diſcat tolerare arctam

ANguſtam, amice, pauperiem pati [245]
Robuſtus acri militiâ puer

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 9. Lib. 8.

1. *Anguſtam, amici, &c.*] Horatii mentem & propoſitum in hac Ode præ cæteris expiſcatus eſt Theod. Marcilius. Hujus itaque non ſolùm interpretandi rationem, ſed ipſa verba libet afferre. *Tria*, inquit, *Reipublicæ quaſi membra complexus eſt* Poëta; *artes belli, artes pacis, religionem*: in tribus nempe hujus Odes partibus. In primâ laudat *diſciplinam militarem*: in ſecundâ *virtutem*, quam *ad forum & campum refert*; in tertiâ denique *ſilentium, quod ad religionem.* Tribus iſtis ſanè tota Reſpublica continetur.

Amici.] In quibuſdam codicibus legitur, *amice*, in nonnullis etiam adverbialiter, *amicè*; quod ita explicant: tam libenter amanterque colendam eſſe paupertatem, ut jam gravis non ſit, aut videatur, toleranti.

Pauperiem pati.] Id eſt, ut miles Romanus fiat robuſtus ac ſtrenuus, aſſueſcat puer militiæ laboribus; diſcatq; In primis ferre *pauperiem*, qua priſce inclaruere tum Romani cum Græci. Apuleius in Apolog. *Paupertas*, inquit, *populo Romano imperium a primordio fundavit.* Et paulo ante, *Hæc in Ariſtide juſta, in Phocione benigna, in Epaminonda ſtrenua, in Socrate ſapiens, in Homero diſerta.* Vide Valer. Maxim. lib. 1. cap. 5. & 7. lib. 3. cap. 3. lib. 4. cap. 4. Plutarch. in vitâ Phocionis; ubi Dux ille eximius Athenienſium refertur nudis ſemper fuiſſe pedibus cùm ruri tum militiæ, niſi ad calceos impuliſſet hyems atrocior. Unde jocantes milites aſperum & crudele frigus arguebant, ex eo quod calceatus eſſet Phocion. Cicero Tuſc. 2. n. 34. *Cretum leges* . . . . . . *itemque Lycurgi, laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, eſuriendo, ſitiendo, algendo; æſtuando.* Theocrit. Idyll. 22. init. Πενία μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει· αὕτα τῶ μόχθοιο διδάσκαλος. *Paupertas ſola artes excitat: ipſa laboris magiſtra eſt.* Menander: Πενία γάρ ἐστι τῶν τρόπων διδάσκαλος. *Paupertas morum eſt magiſtra.* Paupertatis e contrario incommoda, ſi vacat & libet, vide apud Juvenal. Sat. 3. v. 143. & ſeq.

Condiſcat,

Condiſcat, et Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſtâ:
Vitámque ſub divo & trepidis agat
In rebus: illum ex mœnibus hoſticis
Matrona bellantis tyranni
Proſpiciens, et adulta virgo
Suſpiret, Eheu! ne rudis agminum
Sponſus laceſſat regius aſperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.
Dulce et decorum eſt pro patriâ mori.
Mors et fugacem perſequitur virum;
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidóque tergo.
Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus:

inopiam; atque bellicoſos Parthos urgeat equitans, telo formidabilis. Sub aperto cœlo
[246] *degat etiam inter pericula.*
6 *Illum e muris hoſtium videns uxor Regis prœliantes, & grandior puella, ingemat: Heu! ne maritus regalis certaminum imperitus incurrat in* iſtum *leonem conſtictu ſævum, quem furor ſanguinolentus agit in medias ſtrages. Jucundum atque glorioſum eſt occumbere pro patriâ. Fugientem etiam hominem mors conſectatur: nec indulget ignavis adoleſcentibus genu trementibus & dorſum* vertentibus. *Virtus*
[247] *turpem repulſam ignorat: puris honoribus decoratur:*

ANNOTATIONES.

3. *Parthos feroces Vexet eques metuendus haſtâ.*] Equitando jaculandoq; ſe valde exerceat, ut par evadat propulſandis Romani nominis hoſtibus, præcipue vero Parthis equitandi & ſagittandi ſolertiâ pollentibus. Vide lib. 1. Od. 8. De Parthis autem jam ante ſæpius.

5. *Sub dio.*] Sub ardoribus Solis, ſub imbri, ſub frigore, ut quamlibet aeris inclementiam æquo animo ferat, robuſto corpore perferat. Lib. 1. Od. 1. *Sub Jove frigido.*

Trepidis agat in rebus] Inter belli tumultus, perpetuamque trepidationem verſetur, ut fiat intrepidus impavidusque: nam, ex Philoſophis, aſſuetis parum aut nihil movemur & afficimur.

6. *Illum ex mœnibus hoſticis, &c.*] Egregiè tractatus per proſopopœiam locus; in quo virtutem Romanam facit exhibetque hoſti admirabilem, quo eam Romanis juvenibus amabilem reddat. Tam acer, inquit, inter dimicandum appareat, ut eum in acie decertantem e muris aſpiciens Tyranni contra pugnantis uxor aut filia, cum gemitu ſtatim exclamet; Heu! de viro eo, vel ſponſo conclamatum eſt, ſi in talem incidat adverſarium. Hic enim in prœliis exercitatus; ille *rudis agminum*, ſcilicet inſtruendorum ac ducendorum. Romanus iſte quaſi leo ferox & ſævus quidquid objicitur dejicit & vaſtat: ſponſus autem meus nihil par habet iſti bellico ardori.

13. *Dulce & decorum eſt pro patriâ mori.*] Mortis pavorem & metum adimere etiam Poëta ſolers conatur, gloriam certam generoſis, meticuloſis autem nihilo ſecius inſtare exitum aſſeverans. Cic. 1. Offic. n. 57. *Pro patriâ quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?* Ad Attic. lib. 8. Epiſt. 2. *Pro patriâ mori præclarum eſt.* Quam ſententiam Tyrtæus carm. de virtute bellicâ non uno loco jactitat: occumbere pro patria *pulchrum eſt*, inquit, καλὸν ἐϛι, *honorabile & ſplendidum*, τιμῆέν τε καὶ ἀγλαόν, &c.

14. *Mors, & fugacem perſequitur virum.*] Per prolepſin diluit quod objici poſſet: ſatius eſſe fuga ſaluti conſulere, quam ſe prædam inſtanti morti dedere. Atqui inglcriam velle vitam protrahere, ſtultum eſt & vanum, inquit: nam *mors apprehendit eum quoque qui pugnam refugit*, ex Simonide: Θάνατος ἔφικε καὶ τὸν φυγόμαχον. Et Tyrtæus modo cit. ait: *Eum qui è prælio teliſque ſæpe elapſus eſt, domi à morte corripi.*

15. *Nec parcit imbellis juventæ Poplitibus, timidoque tergo.*] Huc revocari poſſunt & debent plures & variæ fugacium & delinquentium in bello punitiones, quas fusè refert Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

17. *Virtus repulſæ neſcia ſordidæ, &c.*] Hæc ſecunda pars eſt Odæ, in quâ Stoice prorſus omnia. Virtus, inquit, puris fruitur honoribus; proprios in ſemet ipſâ fulgores habet, quos ei vel auferre vel obſcurare nihil poteſt. Contra honores à populi arbitrio pendentes, ambitionis, largitionum, corruptelæ ſordibus contaminantur; abjectarum prenſationum adulationumque maculis fœdantur, turpis etiam repulſæ ignominiâ dehoneſtantur. Quot & quàm indecoris artibus utentur candidati ad plebeculæ favorem aucupandum, vide apud Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 3.

Repulſæ neſcia ſordidæ.] Cato cùm peteret magiſtratum repudiatus populi judicium contempſit, aiebatq; familiaribus perperam & incaſſum pudibundis, non ſibi qui rectè petiiſſet, ſed populo, qui malè judicâſſet, ignominioſum illud eſſe.

neque accipit vel deponit faſces ad voluntatem plebis faventis. Virtus Olympum aperiens dignis immortalitate, ſemitas init arduas: vulgi turbam deſpicit, ac terram humidam linquit, *alá fuga i* aſſurgens. *Fidæ taciturnitati ſecurum quoque ſtat præmium. Qui revelárit ſecreta myſteria Ce-*

Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus, recludens immeritis mori
Cœlum, negatâ tentat iter viâ:
Cœtúſque vulgares, & udam [148]
Spernit humum fugiente pennâ.
Eſt et fideli tuta ſilentio
Merces. Vetabo, qui Cereris ſacrum

ANNOTATIONES.

Vide Plutarch. Cicer. Tuſc. 5. n. 54. *Si in virtute ſatis eſt præſidii ad bene vivendum, ſatis eſt etiam ad beate . . . . . Cùm ſapiens & bonus vir ſuffragiis prætèritur; populus a bono Conſule potiùs, quàm ille a vano populo repulſam fert.*

19. *Nec ſumit aut ponit ſecures Arbitrio popularis auræ.*] Inſignia magiſtratûs faſces & ſecures extitiſſe, & pro eo ſæpius uſurpari, nemo qui vel primoribus labris litteras attigit aut delibavit, ignorat. Craſſus petens conſulatum, populo blandiri & ſupplicare noluit, coram ſocero ſuo Scævolâ viro graviſſimo. Apud Græcos autem Phocioni minime plebem palpitanti, imo ejus voluntatibus ſæpe acriter & mordaciter reluctato, comitiis etiam adeſſe recuſante, honores delati ſunt. Plutarch. cit. &c. Adeo verum eſt quod canit Claudianus; Carm. xvii.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex altâ mortalia deſpicit arce.
Attamen invitam blande veſtigat, & ultro
Ambit honor. Docuit toties a rure profectus
Lictor, & in mediis Conſul quæſitus aratris.

20. *Popularis auræ.*] Favor populi vento levioris Lene ſic appellatur: Virg. Æn. 6. v. 815.

. . . . . . *Jactantior Ancus,*
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.

21. *Virtus, recludens immeritis mori Cœlum.*] Iis qui ſemper vivere digni forent, cum urgente fati neceſſitate cedunt hâc vitâ, nominis immortalitatem æternumque decus virtus confert; cœleſtes etiam honores tribuit heroibus inter Deos relatis. Apud Senec. Trag. Herc. Oet. v. 1943. Hercules de ſe ita jactat:

. . . . *Virtus mihi*
In aſtra, & ipſos fecit ad Superos iter.

22. *Negata tentat iter via, &c.*] Contendit ad cœlum per excelſa facinora ignavis haud conceſſa: vel ſimpliciter, per *liquidum aëra* ſubvolat, *in terris non morando*, ut eſt in Ode ult. lib. 2. Quæ *negata* eſt hominibus *via*, quippe non volucribus, aut alis a natura donatis. Sic lib. 1. Od. 3. dicitur,

Expertus vacuum Dædalus aëra,
Pennis non homini datis.

At virtus ſupra vulgares ſenſus plebeioſque affectus aſſurgens, *penna*, id eſt, alto ſpiritu & generoſo, *udum ſpernit* & fugit *humum*, quaſi cœnoſam & lutoſam, id eſt, cupiditates ſordidas, in quibus vulgi mens demerſa hærere ſolet.

25. *Eſt & fideli tuta ſilentio merces.*] Pars hæc eſt Odes tertia, in quâ ſilentii laudationem agnoſcit vulgus Interpretum. Verum non tam ſilentii religio, quàm religionis ſilentium & ſanctitas hic commendatur. Errant ergo qui Horatium ab inſtituto vel aberrare vel digredi exiſtimant. Imo ut Deorum cultum univerſe perſuadeat, ſacra Eleuſinæ Cereris religioſo quidem ſilentio peragi ſolita, velut ſpeciem pro genere, aſſumit; eorumq; violationem pro quolibet ſacrilegio affert. Quæ quidem ſagaciter obſervarunt tum Parthenius, tum Marcilius jam citatus. Vide apud Valer. Maxim. initio lib. 1. emolumenta obſervatæ religionis, neglectæ vero pœnas & mala Tertull. Apologet. cap. 7. *Vel ex formâ omnibus myſteriis ſilentii fides debetur.* Et contra Valentin. cap. 1. *Eleuſinia Valentiniani fecerunt lenocinia ſancta ſilentio magno ſola taciturnitate cæleſtia.* Vide S. Auguſt. de Civit. Dei, lib. 7. cap. 20. Arnob. lib. 5. &c.

Fideli tuta ſilentio merces.] Grande ſemper credidere piaculum, tacenda effutire, ſeu Reipublicæ arcana, ſeu privatæ fidei commiſſa evulgando. Unde vindices perfidiæ aut temerariæ loquacitatis Deos ſemper jactavere. Servius in Georgic. 1. ſub finem ſcribit Tribunum in Crucem actum, quod urbis nomen, quod nefas erat nominari, enunciaſſet. Euripides ait, *κόσμον σιγῆς στέφανον ἀνδρὸς ὐ κακῶ*, pulchram ſilentii coronam viri boni. Et ex Simonide, *nulli unquam tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.* Vide Plutarch. de garrulitate.

26. *Vetabo, qui Cereris ſacrum, &c.*] Si quis arcana ſacrorum Eleuſinorum myſteria revelarit, adeoque ſancti ſilentii religionem violaverit, ejuſmodi hominem qui tantum crimen admiſit procul arcebo, ne, ſi contubernalis fuerim cum eo, plectar ab ultoribus violatæ religionis Diis. Itaque ſub eodem tecto manere, aut ſimul navigare, fugiam. Proverb. eſt: Cum viro ſceleſto ne viæ comes fueris:

Κακῷ σὺν ἀνδρὶ μηδ' ὅλως ὁδοιπόρει.

Vulgaris

Vulgârit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilémque mecum
Solvat phaſelum. Sæpe Dieſpiter
Neglectus inceſto addidit integrum : [249]
Raró antecedentem ſceleſtum 31
Deſeruit pede pœna claudo.

reris, prohibebo ne ſub eodem tecto maneat, neve cymbam levem impellat mecum. Etenim *haud rarò Jupiter ſpretus innocentum ſcelerato junxit: & vix unquam flagitioſum fugientem dimiſit punitio lento greſſu* inſequens.

ANNOTATIONES.

Æſchyl. in ſeptem ad Thebas;

Ἢ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ,
Ναύτῃσι θερμοῖς ἐν πανουργίᾳ τινὶ,
Ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτύςῳ γένει.

Ingrediens navim pius quiſpiam, nautis improbitate ferventibus, cum hominum gente Diis inviſa perit.

29. *Phaſelum.*] Navis erat oblonga & velox, quæ tam velis, quàm remis agi poterat, myoparoni non abſimilis. Erat fluviale navigium. Virgil. Georgic. 4. v. 289.

Et circum pictis vehitur ſua rura phaſelis.

Sæpe Dieſpiter, &c.] Diei pater, ſcilicet Jupiter iratus repertum cum nocente innocentem ſimul plectit, & quaſi participes ejuſdem improbitatis utrumque mulctat. Heſiod. Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ. *Sæpe civitas univerſa viri improbi pœnas luit.* In ſacris etiam codicibus ob unius peccata in omnes exarſiſſe divina ultio legitur, lib. 4. Reg. cap. 21. *Quia fecit Manaſſes Rex Judæ abominationes iſtas . . . ecce ego inducam mala ſuper Jeruſalem & Judam, &c.*

31. *Raro antecedentem, &c.*] Pœna licet *claudo*, id eſt, tardo *pede* gradiens, *ſceleſtum* aſſequitur tandem, nec inultum *deſerit*, quamvis ille fuga evadere malum ſperet. Huc pertinet quod ex adagio feruntur, *Dii laneos habere pedes.* Vide Plutarch. de ſera Dei vindicta. Valer. Maxim. lib. 1 cap. 1. *Lento gradu ad vindictam ſui divina procedit ira: tarditatem vero ſupplicii gravitate compenſat.* Quam ſententiam prior extulit Homerus Iliad. 4. v. 160. Tibull. lib. 1. Eleg. 9. v. 4.

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Juvenal. Sat. 13. v. 100.

Ut ſit magna, tamen certè lenta ira Deorum eſt.

ODE III.

Virum juſtum nihil extimeſcere. Item de non reparanda Troja.

JUſtum & tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium, [250]

Virum integrum & in ſententia conſtantem de firmo propoſito non dimovet vehementia

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Juſtum & tenacem, &c.*] *Non uſitata* profecto *nec tenui penna* hæc Ode ſcripta eſt, in qua cæco velut impetu fertur vates, ac certe divino; divino, inquam, ubi graves prorſus ac ſublimes ſunt cùm res, tum dictio; cæco tamen, ut videtur; quandoquidem temere quolibet abripitur, atque a viri juſti laudatione ſubito digreſſus, longiuſque evagatus ad canenda Trojæ fata prorumpit; ipſe *propoſiti* parum tenax, ac immemor ſui ad Piſones v. 242. moniti, quod ita præcipit:

. . . Tantum ſeries juncturaque pollet!

Quid ergo navus Poeta? Quid interpretes? Horum plerique obvia certatim explicant, finem vero & propoſitum Odes ſatis abſtruſum, minime ſcrutati, quod præcipuum eſt, omittunt. Nonnulli Oden hanc nec inſcriptione, nec literis a præcedenti ſejunctam in antiquis codicibus legi duntaxat admonent. Quidam Apotheoſim Romuli, alii Auguſti laudationem eſſe volunt. Verum quò tam accurata illa Junonis oratio Trojam reſtitui vetantis? Hoc in ſumma ſua felicitate Romani tunc fortaſſe moliebantur, inquit Georg. Fabritius. At Fabritio ſagacior Faber, in paucis eruditus vir acriſque judicii, mentem Horatii ſubodoratus, aut feliciter indagavit, aut certe conjecturam omnino vero ſimilem, pulchram ſane protulit. Is ita rem ſtatuit. Ex Sueton. Jul. c. 79. Cæſar Ilium migrare, eoque Imperii opes transferre cogitaverat. Atque ne Auguſtus Julii hæres idem moliretur, non abs re trepidatum eſt; quo Roma dubio procul extincta foret. Itaque ſolerter quidem, oblique & arte ſingulari, ut tale conſilium diſcutiat Horatius, exhibet ac minatur Junonis iram, quam jam tum a primordiis ſuis gravem experti fuerant Romani.

2. *Prava jubentium.*] *Velitis, jubeatis, Quirites?* verba Tribuni ſolemnia, *volumus jubemuſque*, populi erant legem ſancientis.

Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolidâ, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ:
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.
Hâc arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arces attigit igneas; [251]
Quos inter Auguſtus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hâc te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres indocili jugum
Collo trahentes: hâc Quirinus
Martis equis Acheronta fugit;
Gratum elocutâ conſiliantibus

civium improba præſcribentium, nec facies tyranni urgentis, neque Notus turbator Adriatici maris procelloſi, *nec potens dextra Jovis fulmen vibrantis. Si ruat mundi ſoluta* compages, *intrepidum opprimet caſus. Iſtâ pollens virtute Pollux, & errabundus Hercules, ædes ad ignitas aſcendit: inter quos Auguſtus jacens ore roſeo nectar potat. Iſtâ clarum te, Liber pater, traxere tuæ tigres indomitâ cervice jugum ferentes. Per iſtam Romulus Martis equis effugit inferos; Junone apud Deos conſilium habentes di-*

ANNOTATIONES.

3. *Non vultus inſtantis tyranni.*] Ita Q. *Scævola truculentius ſibi minitanti Syllæ; Licet, inquit, mihi agmina militum, quibus Curiam circumſediſti, oſtentes, licet mortem miniteris, nunquam tamen efficies, ut propter exiguum ſenilemque ſanguinem meum, Marium, a quo urbs atque Italia conſervata eſt, hoſtem judicem.* Alia vides exempla apud eundem Valer. Maxim. lib. 3. cap. 8.

4. *Auſter Dux inquieti turbidus Adriæ.*] Lib. 1. Od. 3.

. . *Nec timuit præcipitem Africum*
. . . . . *nec rabiem Noti,*
Quo non arbiter Adriæ
Major, tollere ſeu ponere vult freta.

7. *Si fractus illabatur orbis.*] Alludit ad veterum quorundam opinionem, cœlum conſtare lapidibus, & aliquando ruiturum. Vide Ariſtot. Metaphyſ. 5. Diog. Laert. lib. 2. in Anaxagora. Celtæ quærenti Alexandro, quid potiſſimum formidarent, hoc reſponderunt, ne cadente cœlo opprimerentur, Quint. Curt. Eſt & proverb. apud Eraſm. *Quid ſi cœlum ruat?*

9. *Hac arte Pollux, &c.*] Eâ virtute, æquitate, & conſtantia heroes immortalitatem adepti, divinoſque honores ſunt conſecuti, Pollux, Hercules, Bacchus, Romulus, de quibus lib. 1. Od. 12.

Vagus Hercules.] Qui varias orbis regiones peragravit, & multa paſſim, monſtris etiam domitis, virtutis ſuæ monimenta reliquit.

10. *Arces attigit igneas, &c.*] Adiit cœlum ſideribus micans & ardens.

11. *Quos inter Auguſtus, &c.*] Deorum epulis accumbens nectar potat, jam tum cùm in terris degeret, factus Divus; nimirum poſt debellatum omnino Sext. Pompeium. De quo vide Appian. lib. 5. de Bell. Civil. antea tamen quoque, ſed per adulationem, in Virgilio appellatus, Ecloga 1.

——— *Deus nobis hæc otia fecit.*

12. *Purpureo bibit ore.*] Deorum ſtatuis os ſeu vultus minio pingebatur. Quo reſpexiſſe Horatium non dubitaverim.

Nectar.] Vide quæ mox annotabo ad eas voces, *ducere nectaris ſuccos.*

13. *Hac te merentem, Bacche, &c.*] Iſtâ pariter virtute clarus, O Bacche, meruiſti divinos honores, feraſque intractabiles ad currum tuum junxiſti, ac numine tuo domitas jugum ferre docuiſti natura ſua indociles. Tigres ebrioſorum feritatem optime deſignant: unde iis Bacchi currum trahi dixere; ſeu quod nullum ſit tam ferox ingenium, quod non vino manſueſcat & cicuretur.

15. *Hac Quirinus Martis equis Acheronta fugit.*] Romulus etiam virtute bellicâ inſignis, veluti Martis patris ſui equis invectus ad Superos evaſit, adeoque infernales effugit lacus. Vide Cic. de Leg. l. 1. n. 3. Ovid. Faſt. 2.

Fit fuga: Rex patriis aſtra petebat equis.
. . . . *Quirites*
Thura ferant; placentque novum pia turba Quirinum.
. . . .
Templa Deo fiunt: collis quoque dictus ab illo eſt.

17. *Gratum elocuta conſiliantibus Junone Divis.*] Junone in Deorum conſilio elocuta rem Marti aliiſque gratam; ſcilicet non prohibere ſe, quominus immortalibus accenſeatur Romulus, quòd graves iras adverſus Trojanos eorumque poſteros Paridis cauſâ dudum conceptas ipſa ex animo jam depoſuerat.

Conſiliantibus.] Deliberantibus de recipiendo in cœlum Romulo, deque fato Imperii Romani. Cic. ad Attic. lib. 15. Epiſt. 10. *Difficili ad conſiliandum legatione.* Cornel. Tacit. Hiſtor. 2. *Rediere omnes Bononiam conſiliaturi.*

Junone

Junone Divis: Ilion, Ilion
  Fatalis inceſtúſque judex,
    Et mulier peregrina vertit [252]
In pulverem, ex quo deſtituit Deos 21
Mercede pactâ Laomedon, mihi
  Caſtæque damnatum Minervæ,
    Cum populo et duce fraudulento.
Jam nec Lacænæ ſplendet adulteræ
Famoſus hoſpes; nec Priami domus
  Perjura pugnaces Achivos
    Hectoreis opibus refringit:
Noſtríſque ductum ſeditionibus
Bellum reſedit. Protinus et graves
  Iras, et inviſum nepotem, [253]
    Troïa quem peperit ſacerdos,
Marti redonabo. Illum ego lucidas

cente rem jucundam: funeſtus (dixit) *& flagitioſus arbiter, & barbara fœmina in favillas redegit Trojam, mihi & pudicæ Palladi cum plebe & rege fallaci addictam, ex quo* tempore *Laomedon numina defraudavit promiſſo ſtipendio. Non amplius mœchæ Lacedæmoniæ fulget hoſpes infamis; neque Priami gens fraudulenta Græcos feroces expugnat viribus Hectoris; quievitque bellum noſtris diſcordiis protractum.* Ergò *etiam deinceps grandes inimicitias, & nepotem odioſum, quem genuit ſacrificula Trojana, Marti remittam. Hunc ego ſinam ingredi domicilium*

ANNOTATIONES.

18. *Ilion, Ilion.*] Motum animi gravem indicat geminatio vocis, veteremque iram exprimit. Porro ſicut a Troë rege Troja & Troas; ſic ab Ilo ejus filio Ilium & Ilienſes nomen ſortiti ſunt; cum hic eam ampliâſſet urbem, quam priores condiderant reges, aut exornârant.

19. *Fatalis inceſtuſque judex, &c.*] Ilium, inquit Juno, perdidit Paris inter Deas de pulchritudine contendentes malo ſuo patriæque *fato*, *judex* electus, cum Junone & Minervâ poſthabitis, Veneri primas detulit.

Inceſtus.] Qui Helenam Menelai conjugem, violatâ hoſpitii ſanctitate, *rapuit*. Vide lib. 1. Od. 15.

20. *Et mulier peregrina vertit In pulverem.*] Helena Spartana, a Paride e Græcia in Phrygiam abducta, cauſa fuit, cur Græci injuriam ulturi conjurârint in Trojanos, Trojamque decennali bello captam ferro flammâque devaſtârint. Vide Senec. Trag. Troad.

21. *Ex quo Laomedon, &c.*] Hic declaratur prima excidii Trojani origo, nimirum fraus Laomedontis patris Priami. Is enim Trojæ muros ædificans, Neptuni & Apollinis opera uſus, eos *mercede pacta* defraudavit. Quo Jupiter offenſus regni iſtius perniciem & ruinam decrevit. Tam notæ fabulæ dedit locum, quòd rex ille cùm extruendis urbi muris vel reparandis pecunia deeſſet, Deorum iſtorum theſauros, accepit, repoſiturum ſacramento ſe obligans. Quod tamen poſtea minime præſtitit. Homer. Iliad. 21. paulo ante finem.

22. *Mihi Caſtæque damnatum Minervæ, &c.*] Addictum, damnatum, traditum ad quamcunque perniciem in ultionem injuriæ judicio Paridis nobis illatæ. Loquitur Horatius ex more Romanorum, debitores qui non erant ſolvendo, creditoribus obnoxios facere, addicere, tradere conſuetorum.

24. *Cum populo & duce fraudulento.*] Apud Homerum Iliad. modo cit. Neptunus Apollini exprobrât, quòd pro Trojanis fœdifragis militat, immemor ſuperbiæ & injuriæ Laomedontis, qui locatæ in annum operæ pactam mercedem nedum perſolviſſet, ſed etiam minas ſibi Diis intendiſſet. Virg. Æneid. 5. v. 810.

Cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.

25. *Jam nec Lacænæ ſplendet, &c.*] Non vivit amplius Paris, nec jam ſpecioſum ac ſplendidum Helenæ ſe oſtentat, ut in adulterium pelliciat.

26. *Famoſus Hoſpes.*] Impurus. Vide lib. 3. Od. 15. v. 3. Annot.

Nec Priami domus, &c.] Nec Trojani Græcis jam repugnant, Hectoris fere unius virtute nixi. Vide lib. 2. Od. 4. v. 10. ibique Annot.

29. *Noſtriſque ductum ſeditionibus bellum reſedit.*] Tandemque finitum eſt illud bellum, quod noſtris erat diſcordiis ad annos decem productum & dilatum. Pro Trojanis videlicet ſtabant Apollo, Mars, Diana, Latona, Venus; pro Græcis autem Neptunus, Mercurius, Vulcanus, Juno, Minerva. Homer. Iliad. 20.

30. *Reſedit.*] Quievit, pacatum eſt bellum. Cic. ad Famil. lib. 8. Epiſt. 2. *Marcelli impetus reſederunt, non inertia, ſed (ut mihi videbatur) conſilio.* Tuſcul. 3. *Timor animi reſedit.* Tit. Liv. *Poſtquam iræ reſediſſent.*

Protinus & graves Iras. &c.] Deinceps igitur condonabo priores inimicitias, & Marti concedam, ut in cœlum admittatur Romulus ejus filius, meus

Inire

ſplendens, bibere nectares liquores, atque numinum felici numero accenſeri. Dummodo Trojam inter & Romam ingens mare fremat, quacumque in regione imperent fortunati extorres. Modo ſuper ſepulchrum Priami & Paridis greges laſciviant, & belluæ illæſæ fœtus ſuos abſcondant, ſtabile floreat Capitolium, & Roma bellicoſa leges imponat victis Medis. Illa formidibilis procul ad extremas orbis *partes famam propaget*; ſive *ubi mare interfuſum ſeparat Europam ab Africa*; ſive *ubi Nilus intumeſcens agros perfundit:*

Inire ſedes, ducere nectaris
  Succos, et adſcribi quietis
    Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter ſæviat Ilion
Romámque pontus; qualibet exules
  In parte regnanto beati:
    Dum Priami Paridíſque buſto [254]
Inſultet armentum, et catulos feræ
Celent inultæ; ſtet Capitolium
  Fulgens, triumphatiſque poſſit
    Roma ferox dare jura Medis,
Horrenda latè nomen in ultimas
Extendat oras, quà medius liquor
  Secernit Europen ab Afro,
    Quà tumidus rigat arva Nilus;

ANNOTATIONES.

vero *nepos* eo mihi *inviſus* quòd e ſtirpe Trojanâ ſit, matre ſcilicet Ilia, ſeu Rhea Numitoris filia, Veſtæ Sacerdote: Virg. Æneid. 1. v. 278.

> . . . . *Donec Regina Sacerdos*
> *Marte gravis geminum partu dabit Ilia prolem.*

Et Æneid. 7. v. 293.

> *Heu ſtirpem inviſam, & fatis contraria noſtris*
> *Fata Phrygum.*

At cit. modo Æneid. 1. v. 213. Veneri prædicit Jupiter meliora, & ſic ſpondet:

> . . . . *Quin aſpera Juno,*
> *Quæ mare nunc terraſque metu cœlumque fatigat,*
> *Conſilia in melius referet, mecumque fovebit*
> *Romanos rerum dominos, gentemque togatam, &c.*

34. *Ducere nectaris Succos.*] Cœleſti cibo potuque, adeoq; immortalitate frui: Deorum conſortem eſſe. Apud Pindar. dicitur Tantalus Deorum furatus nectar & ambroſiam, in quibus Dii immortalitatem poſuerunt. Vide Lucian. in fabuloſis, Dialog. 25. cui titul. *Deorum conſilium*: ubi facete & lepide nectar & ambroſia deficere dicuntur ob multitudinem bibentium, ſic ut nam jam conſtet ſextarius; unde & ſtatuitur animadvertendum in falſo aſcriptos, & neſcio quomodo exiſtimatos Deos.

35. *Quietis Ordinibus Deorum.*] Apud Boetium Deus ſtabilis *Immotuſque manens dat cuncta moveri.* Virgil. Æneid. 4, 379.

> *Scilicet is ſuperis labor eſt, ea cura quietos*
> *Sollicitat.*

Nempe ſolius divinitatis eſt quies.

37. *Dum longus inter, &c.*] Dummodo Ilium inter & Romam magnum interfluat mare, quo Romani a reſtituendâ Trojâ repetendâque vetere patriâ deterreantur, arceanturque: *qualibet in* orbis *parte* ſint *beati*; quin & *regnent*, ac dominentur: at *exulent* procul a regione & ſolo patrio.

40. *Dum Priami Paridiſque buſto, &c.*] Modo tam deſerta ſit Trojana terra, ut gramen producat armentis paſcendis idoneum; ſit & luſtrum ferarum, ubi impune illæ catulos eniti & educare queant ſine ullo metu. Eâ conditione *ſtet Capitolium, Roma* floreat, atque *nomen*, famam, Imperiumque *ad ultimas extendat oras.* Ad Orientem *det jura Medis*; ad Occidentem Hiſpanis, *qua medius liquor, &c.* ad Meridiem Afris; *qua tumidus rigat, &c.*

44. *Dare jura Medis.*] Ubi regnum aliquod in provinciam redegerant victores Romani, eo ſtatim mittebant viros, qui jus & leges præſcriberent.

Medis.] Id eſt Parthis, ut jam non ſemel annotavi.

46. *Quà medius liquor ſecernit. Europen ab Afro.*] Ad fretum uſque Gaditanum. Solin. *Oceanus ab occaſu irrumpens lævo latere Europam radit, Africam dextro; ſciſſis Calpe & Abyla montibus, quos dicunt columnas Herculis; inter Mauros funditur & Hiſpaniam.*

48. *Quà tumidus rigat arva Nilus.*] Per Africam, Æthiopiam, Ægyptum. Cic. de Nat. Deorum, 1. n. 130. *Ægyptum Nilus irrigat, &, cùm totâ æſtate obrutam, oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitoſque, & oblimatos agros ad ferendum relinquit.* Plin. lib. 5. cap. 9. *Nilus incertis ortus fontibus it per deſerta & ardentia, immenſo longitudinis ſpatio ambulans . . . obſervatum eſt, prout in Mauritania nives imbreſve ſatiaverint, ita Nilum increſcere . . . . . . Africam ab Æthiopia diſpeſcens, feris & belluis frequens . . . . . medios Æthiopas ſecat . . . . . Inſulas innumeras*

Aurum

Aurum irrepertum, et ſic melius ſitum [255]
Cùm terra celat, ſpernere fortior,
Quàm cogere humanos in uſus,
Omne ſacrum rapiente dextrâ.
Quicumque mundi terminus obſtitit,
Hunc tangat armis; viſere geſtiens,
Quâ parte debacchentur ignes,
Quâ nebulæ pluviiſque rores.
Sed bellicoſis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimiùm pii,
Rebúſque fidentes, avitæ
Tecta velint reparare Trojæ, [256]
Trojæ renaſcens alite lugubri

Generoſior contemnendo aurum nondum inventum, atque ita convenientius poſitum, dum terra contegit; quam addicendo illud uſui hominum, manu quodlibet ſanctum deprædante. Quiſquis mundi finis impedivit, hunc bello obtineat, cupiens inveſtigare, quo loco æſtus, quo nubila & imbres ſæviant. Verum fata ſancio Romanis militiâ inclytis, eâ conditione, ut non plus quàm fas eſt pii, neve opibus innixi ſatagant antiquæ Trojæ domos inſtaurare. Namque *ſors Trojæ reſurgens*

ANNOTATIONES.

ſpargit . . . . certis diebus auctu magno per totam ſpatiatus Ægyptum, fœcundus innatat terræ. Cauſas incrementi varias prodidere . . . . incipit creſcere Luna novâ, quæcunque poſt ſolſtitium eſt, ſenſim modiceque, Cancrum Sole tranſeunte, abundantiſſime autem Leonem. Reſidit in Virgine iiſdem quibus accrevit, modis. In totum autem revocatur intra ripas, in Libra, ut tradit Herodotus, centeſimo die. Juſtum incrementum eſt cubitorum ſexdecim. Minores aquæ non omnia rigant: ampliores detinent, tardius recedendo . . . . in duodecim cubitis famem ſentit Ægyptus; in tredecim eſurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt, quindecim ſecuritatem, ſexdecim delicias. Maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum octodecim, Claudio principe, &c. Nili aquas laudant Ariſt. Galen. &c. originem nuper inquiſivit Iſaacus Voſſius. De eo multa Herodot. lib. 2. Senec. nat. qu. lib. 4. Agell. lib. 10. cap. 7. &c.

40. *Aurum irrepertum, &c.*] Ordo eſt: Roma fortior ſpernendo aurum, quod e fodinis nondum erutum eſt, quam illud inde eruendo, & ad uſum fabricando, nummoſque cudendo. De contemptu divitiarum apud priſcos Romanos uſitato Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3. De Curio, Fabricio, Camillo, aliiſque diximus lib. 1. ad Od. 12. & alibi.

Sic melius ſitum, cùm terra celat.] Seu quòd raptoribus non eſt expoſitum, dum latet in viſceribus terræ; ſeu potius, quòd tunc avaritiam & cupiditatem non accendat, nec ac ſcelus impellat, aut ad explendas libidines fomitem præbeat & facultatem. Ovid. Metam. 1, 140.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

51. *Cogere, &c.*] Vis ſiquidem inferri metallis videtur, cùm e terræ viſceribus extrahuntur.

52. *Omne ſacrum rapiente dextra.*] Duplici hoc ſenſu poteſt accipi: vel quòd a Romanis ſpernatur aurum, cujus rapiendi cauſâ nec ſacris parcunt homines; vel quod ipſi Romani, priſci nempe, fortiores & nobiliores, aurum contemnendo, ſe præbuerint, quam poſteri illud ab exteris nationibus devictis auferendo, ſacra etiam e templis ac pretioſa quælibet ornamenta vi armorum & jure belli diripiendo. Dionyſ. Tyrannus Syracuſanus Jovi Olympio detraxit amiculum aureum, addito etiam ludibrio, quod æſtate gravius, hyeme frigidius eſſet. Val. Maxim. 1, 1, ext. 3.

53. *Quicumque mundi terminus obſtitit, &c.*] Si quis ante orbis angulus Romanis haud patuit. deinceps pateat, eoque victricia inferant arma; ſeu ad Zonam torridam, ubi *debacchantur ignes*, ſævitque æſtus: ſeu ad mundi polos, ubi *nebulæ*, glacies, caligo perpetua, *pluvii rores*, imbres. Vid. lib. 1. Od. 22. Lucret. Lib. 1. ponit etiam *rores* pro imbribus & aquis pluviis.

57. *Sed bellicoſis fata Quiritibus, &c.*] Bis jam dixi, & tertiùm repeto, me Romanis indulgere, ut ſint orbis domini, ſed ea tantum lege, ne præpoſterâ moti pietate in patriam avorum ſuorum Trojam, ejus muros & *tecta velint reparare*, neve ſuis opibus ac *rebus* proſperis *fidentes* id unquam moliantur. Quod ſi fecerint, malis auſpiciis & *alite lugubri* faxint: enimvero *triſti clade* iterum ſubvertetur Troja, quamvis *muris aheneis*, *auctore* etiam *Apolline*, ſtabiliatur.

Avitæ.] Æneas cum Trojanorum coloniis. *Ilium in Italiam portat victoſque Penates.* Æn. 1.

60. *Tecta velint reparare Trojæ.*] Patriæ certe charitatis in illum antiquæ ſuæ originis locum Romani ſenſum habere ſe teſtati ſunt non ſemel: Nam deletum a C. Fimbria Cinnæ legato Ilium reſtaurarunt. Vide Tit. Liv. Epit. 83. Appian. Sueton. Claud. cap. 25. *Ilienſibus quaſi Romanæ gentis auctoribus tributa in perpetuum remiſit: recitata vetere epiſtola Græca Senatus Populique Romani Seleuco Regi amicitiam & ſocietatem ita demum pollicentis, ſi conſanguineos ſuos Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet.*

61. *Alite lugubri.*] *Mala ave*, lib. 1. Od. 15.

Fortuna

infauſtis auſpiciis, repetetur, caſu iterum luctuoſo, triumphantis exercitus ductrice me Jovis uxore & ſorore. Si ter ex ære mænia reparentur, favente Apolline, ter quoque *diruta proſternantur a Græcis mihi dilectis: ter captiva conjux plangat maritum ac filios. At ludenti citharæ iſta minime congruunt. Quo pergis, ô Muſa? ceſſa audax Deorum verba narrare, atq; humili carmine diminuere grandia.*

Fortuna triſti clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis & ſorore.
Ter ſi reſurgat murus aheneus,
Auctore Phœbo; ter pereat meis
Exciſus Argivis; ter uxor [257]
Capta virum pueróſque ploret.
Non hæc jocoſæ conveniunt lyræ.
Quò, Muſa, tendis? Deſine pervicax
Referre ſermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

ANNOTATIONES.

Ex avium aſpectu, volatu, cantu, auſpicia captari ſolita, notum eſt.

64. *Conjuge me Jovis & ſorore.*] Virgil. Æneid. 1. v. 50.

> *Aſt ego, quæ Divum incedo Regina, Joviſque*
> *Et ſoror et conjux.*

Servius ibid. *Phyſici*, inquit, *ætherem Jovem, id eſt, ignem volunt intelligi, Junonem vero aërem: & quia tenuitate hæc elementa paria ſunt, dixerunt eſſe germana: & quoniam Juno, id eſt aër, igni ſubjectus eſt, jure ſuperpoſito elemento mariti nomen inditum.* Cic. de Nat. Deor. 2. n. 66. *Aer, ut Stoici diſputant, interjectus inter mare & cælum Junonis nomine conſecratur; quæ eſt ſoror & conjux Jovis; quod & ſimilitudo eſt ætheris, & cum eo ſumma conjunctio. Effœminârunt autem eum, Junonique tribuerunt, quod nihil eſt eo mollius.* Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 17. *Apud Theologos*, inquit, *Jupiter eſt mundi anima; hinc illud,*

> Ab Jove principium, Muſæ: Jovis omnia plena.

Quod alii Poetæ ſunt mutuati de Arato, qui de ſideribus locuturus, a Cælo, in quo ſunt ſidera, exordium ſumendum eſſe decernens, ab Jove incipiendum memoravit. Hinc Juno & ſoror ejus & conjux vocatur. Eſt autem Juno aër, diciturque ſoror, quia ſeminibus iiſdem, quibus cælum, etiam aër eſt procreatus: conjux, quia cælo ſubjectus eſt aër.

66. *Auctore Phœbo.*] Hunc impensè Trojanis faviſſe compertum eſt. Legunt quidam, *ductore.*

Ter pereat.] Alluſum videtur ad triplex Ilii excidium, primo ab Hercule, deinde a Græcis, poſtea a C. Fimbriâ, Syllanis temporibus, ut ante annotavi. Vide Appianum.

Meis Exciſus Argivis.] Argivos Juno fovebat maxime, quod ipſa præcipue Argis colebatur; quæ urbs Argiæ Peloponneſi regionis princeps & caput erat. In eâ ſe:lebat Rex Agamemnon Græcæ in Trojanos expeditionis Dux & Imperator. Virgil. Æneid. 1, v. 27.

> . . . . . . *Memor Saturnia belli,*
> *Prima quod ad Trojam pro charis geſſerit Argis.*

67. *Ter uxor Capta, &c.*] Vel Trojanæ mulieres quælibet cæſos aut captos lugeant & ipſæ captivæ, aliæ viros ſuos, aliæ filios. Vel, *uxor, capta virum*, Hecuba Priamum, Andromache Hectorem, *pueroſque ploret*, hæc Aſtyanacta, illa vero Hectorem, Parin, Deiphobum, Troilum, &c.

69. *Non hæc jocoſæ conveniunt lyræ, &c.*] Egregie ſe Poëta comprimit in ipſo Poëtici ardoris impetu, quaſi tam grave argumentum haud Lyricis verſibus bene conveniat: ipſe tamen ad Piſones ita docet:

> *Muſa dedit fidibus Divos, pueroſque Deorum,*
> *Et juvenum curas, & libera vina referre.*

Et Pindarus aliique res quaſque graves lyrâ graviter cecinerunt. Verum belle Horatius tum deſinit, cum ultra vix ſine offenſione Auguſti progredi ſe poſſe intelligeret.

ODE

ODE IV.

Muſarum ſe præſidio tutum ſemper & ubique fuiſſe, gratus profitetur.

DEſcende cœlo, & dic age tibiâ,
Regina longum, Calliope, melos, [258]
Seu voce nunc mavis acutâ,
Seu fidibus citharâve Phœbi.
Auditis? An me ludit amabilis
Inſania? Audire, et videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos et aquæ ſubeunt et auræ.
Me fabuloſæ Vulture in Appulo,

O Princeps Calliope, veni ex Olympo; & cantionem longiorem cane fiſtulâ, ſive placet magis, voce clarâ, vel chordis vel lyrâ Apollinis. An auditis? An me decipit jucundus furor? Videor audire & cernere illam ambulantem in ſacris nemoribus, per quæ rivi penetrant ac venti. Me pue-

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 9. Lib. 1.

Oden hanc inter eximias cenſet eruditus quiſque: reſpondere ſuperiori, imo & continuari, placuit nonullis; ſed perperam. Muſis accepta refert Horatius pleraque, id vero potiſſimum, quod redierit in gratiam cum Auguſto, contra quem militaverat. Hanc ejus Principis moderationem & clementiam extollit egregie: eoque duntaxat ſpectâſſe, non immerito videatur.

1. *Deſcende cœlo.*] Gravis & ſolemnis invocatio res graves notat, gravemque enthuſiaſmum præſagit.

Cœlo.] Illic etiam Muſis ſua ſedes eſt. Heſiod. init. Theogon. nec ſemel, Muſas nuncupat *Olympiades Jovis filias*; pariter & Homer. Hymn. in Mercur. &c. Iliad. vero 2. in cœlo domos habere ſcribit.

Ἕσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι
Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.

Ennius ſimiliter.

Muſæ, quæ pedibus magnum pulſatis Olympum. Vide & Macrob. in Som. Scip. lib. 2. cap. 3.

2. *Regina Calliope.*] Muſarum princeps vel cantu aliis præſtans; Regum etiam comes. Heſiod. Theogon. Ἀπασῶν προφερεστάτη, *Omnium excellentiſſima*, Βασιλεῦσιν ὀπηδεῖ, *Reges comitatur.* Diod. Sicul. lib. 3. cap. 1. *Muſis nomina, cuique a proprio munere tribuerunt. Clio propter gloriam, &c. . . . . . Calliopen quod cantus ſuavitate cæteris antecedens magni ab auditoribus æſtimatur.*

Longum melos.] Certe eſt Ode hæc e longioribus. Vide A. Gell. lib. 16. cap. 18.

5. *Seu voce, Seu fidibus, &c.*] Iſtis nempe conſtat exerceturque Muſica, voce, lyra, tibia. De cithara ab Apolline inventa, lib. 1. Od. 21.

5. *Auditis? An me ludit, &c.*] O ſodales, an mecum auditis Calliopen canentem, meiſque jam votis reſpondentem?

Amabilis Inſania.] Voluptatem ſane maximam præſtat ardor poëticus iis, qui divinâ illâ facultate ſunt donati.

6. *Audire, & videor pios Errare per lucos.*] Veluti præſentiam numinis ſentiat, atque enthuſiaſmo correptus ita loquitur.

7. *Lucos.*] In ſolitariis maxime locis delubra ſtatuebant veteres; ibiq; Deos credebant libentius habitare, ubi quies & ſilentium, ubi nullæ turbæ aut ſtrepitus mentium integritatem labefactarent; ubi *Sapientiæ Gymnaſium, ubi mores bene inſtituuntur, & animi virorum diriguntur.* Hæc enim ſolitudo præbet, ex Plutarcho.

8. *Quos & aquæ ſubeunt & auræ.*] Perfluentes aquæ, & aſpirantes ſeu perflantes auræ ac Zephyri amœnos faciunt in primis lucos.

9. *Me fabuloſæ, &c.*] Hæc ſtrophe magnam interpretibus crucem fixit hactenus. Etenim quo referenda vox *fabuloſæ?* Deinde, quid ait Poeta de *Vulture Appulo, extra Apuliam?* Quod primum ſpectat; ſunt qui Apuliam dici fabuloſam velint, ac de inſulis etiam Diomedeis Apuliæ proximis meras ipſi fabulas taxant. Quidam nutricem Horatii Apuliam vocari, quæ fabuloſa narrare ſolita ſit, comminiſcuntur, nec cadere ſe anile figmentum advertunt. Verum enim, an palumbes (quod reſtat) fabuloſas dicat poëta, quando rem ut vere geſtam commemorat? Ita ſane melioris notæ interpretes. Imo *palumbes fabuloſæ*, inquam ego; ſicut *Hydaſpes fabuloſus*, lib. 1. Od. 22. v. 8. Et apud Plin. lib. 5. c. 1. Atlas *mons Africæ vel fabuloſiſſimus*: nimirum quod de illis valde multa ſcribunt, dicunt, fabulantur; præſertim vero poëtæ. Sic palumbes currui Veneris trahendo jungunt; eique numini ſacras, atque, ut in hoc loco, miniſtras faciunt.

Vulture in Appulo Altricis extra limen Apuliæ.] Eſt Vultur mons in Apuliæ Lucaniæque confinio, quemadmodum & Venuſia Horatii patria & altrix. Itaque nullo negotio omnis ſolvetur, ſi quis eſt, nodus. Erat *in Appulo Vulture* poëta, ibique ob-

Altricis

Altricis extra limen Apuliæ, [259]
Ludo fatigatúmque ſomno;
Fronde novâ puerum palumbes
Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicumque celſæ nidum Acherontiæ,
Saltúſque Bantinos, et arvum
Pingue tenent humilis Ferenti:
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et urſis; ut premerer ſacrâ
Lauróque collatâque myrto,
Non ſine diis animoſus infans.
Veſter, Camœnæ, veſter in arduos
Tollor Sabinos; ſeu mihi frigidum [260]
Præneſte, ſeu Tibur ſupinum,
Seu liquidæ placuere Baiæ.
Veſtris amicum fontibus et choris,
Non me Philippis verſa acies retro,
Devota non extinxit arbor,
Nec Siculâ Palinurus undâ.
Utcumque mecum vos eritis, libens

rum defeſſum ludendo, ſomnoque oppreſſum *celebratæ palumbes recentibus foliis cooperuere in Vulture Appulo extra fines Apuliæ nutricis* meæ. *Quæ res admirationem cunctis faceret, quotquot ſublimis Acherontiæ domos incolunt, & Bantiæ campos, agroſq; opimos Ferenti depreſſi: quo pacto ſomnum caperem ſecuro corpore a nigris viperis atque urſis:* qua etiam *ratione contectus eſſem ſacratâ lauro & myrto congeſtâ, puerulus* ego *non ſinè numinum* tutelâ *impavidus. Veſter,* ô *Muſæ, veſter* ſum; *ſeu vehor ad Sabinos aſperos: ſive algidum Præneſte, ſeu declive Tibur, ſeu Baias amœnas* adire *libuerit. Veſtros fontes & choros amantem haud me vitâ privavit actus in fugam exercitus apud Philippos, neq; arbor execranda, neq; Palinurus* in *mari Siciliæ. Quandocunq; mihi præſt aderitis, ultrò*

ANNOTATIONES.

dormivit puer; extra fines tamen Apuliæ tum fuit: ſiquidem verſatur in iſtius latere montis ad Lucanos reſpiciente & pertinente. Sic de ſeipſo ait, Sat. 1. lib. 2. v. 34.

Lucanus, an Appulus, anceps:
Nam Venuſinus arat finem ſub utrumq; colonus.

12. *Fronde nova puerum palumbes Texere.*] Jam tum ſuam mihi tutelam obtulere Dii, quam poſtea abunde expertus ſum.

Palumbes.] Columbæ ſilveſtres.

14. *Nidum Acherontiæ.*] Acherontia eſt urbs Lucaniæ in montis vertice, ut nidus in arboris faſtigio, poſita. Cicero 1. de Orat. n. 196. *Tanta vis patriæ eſt, ut Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulam affixam ſapientiſſimus vir immortalitati anteponerit.*

15. *Saltuſque Bantinos.*] Bantia oppidum eſt Apuliæ in Lucaniæ confinio, paſcuis abundans. Venuſiæ proxima.

16. *Humilis Ferenti.*] Hæc etiam urbs Apuliæ Lucaniæ fines attingit inter Venuſiam & Acherontiam ſita.

17. *Ut tuto ab atris, &c.*] Circumſtantibus nempe iſtarum urbium incolis mirum viſum eſt, quî fieret, ut puer ego dormirem tutus illic cùm a viperarum venenis, tum & ab urſorum voracitate. Quo etiam præſagio obtectus eſſem laureâ Apollini, myrtoque Veneri conſecratâ. Illic autem oſtentum eſt Poetam me fore, hinc vero ad canendas res amatorias deſtinari.

20. *Non ſine Diis.*] Pindar. Pyth. Od. 5. ὐ θεῶν ἄτερ. Virg. *Non ſine numine Divûm.* Salluſt. *Tanta repente mutatio non ſine Deo videretur.*

21. *Camœnæ.*] A cantu Servius, a caſtitate mentis Feſtus nomen hoc factum ait.

In arduos Tollor Sabinos.] Sive quando montoſam Sabinorum regionem ſcando, pergens ad prædium meum ibi ſitum. Supra, in fine primæ Odes hujus libri.

22. *Frigidum Præneſte.*] Latii oppidum frigidas habens & ſalubres aquas. Strabo lib. 5.

23. *Tibur ſupinum.*] In montis aſcenſu ædificatum. De eo lib. 1. Od. 7. & 18.

24. *Liquidæ Baiæ.*] Urbs Campaniæ maritima, calidis aquis, aëre puro, ſeceſſu grato celebrata, Lib. 2. Od. 18.

25. *Veſtris amicum fontibus, &c.*] Ope veſtrâ & patrocinio quoties ſalvus fui? Primo non perii in cæde ac fugâ exercitûs Bruti & Caſſii ad Philippos urbem Theſſaliæ, Lib. 2. Od. 7. Deinde me non oppreſſit arbor *cerebro* prope *illapſa*, de quâ lib. 2. Od. 13. & 17.

27. *Devota.*] Diris nempe, ſacra, deteſtabilis. Poſtea cùm a Philippenſi bello redirem in Italiam, periclitatus ſum graviter quidem, at naufragium tamen non feci ad promontorium Lucaniæ nominatum a Palinuro Æneæ nauclero illic merſo, quod mari Siculo profunditur.

29. *Utcumque mecum vos eritis.*] Veſtram ergo tutelam ſæpe expertus, nihil eſt quod uſquam formidem, nullum certe non periculum intrepidus adibo, veſtrâ fretus ope & præſidio.

Inſani-

Inſanientem navita Boſphorum
  Tentabo, et arentes arenas
    Littoris Aſſyrii viator.
Viſam Britannos hoſpitibus feros,
Et lætum equino ſanguine Concanum: [261]
  Viſam pharetratos Gelonos,
    Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Cæſarem altum, militiâ ſimul
Feſſas cohortes reddidit oppidis,
  Finire quærentem labores,
    Pierio recreatis antro.
Vos lene conſilium et datis, et dato [262]

Boſphorum æſtuoſum navigabo, & peragrabo ſicca ſabula finium Syriæ: pergam ad Britannos advenis crudeles, atque ad Concanos cruoris equini potu *gaudentes: Gelonos pharetram geſtantes, atque fluvium Scythiæ adibo illæſus. Vos magnum Auguſtum finem laboribus petentem oblectatis* in *ſpecu Pierio, quando fatigatas bello turmas* in *urbibus collocavit. Vos manſuetum animum & donatis, & donati*

ANNOTATIONES.

30. *Inſanientem Boſphorum.*] Æſtuoſas ac frementes maris anguſtias. Lib. 2. Od. 13. v. 14. Virgil. Eclog. 9. v. 43.

Hic ades, inſani feriant, ſine, littora fluctus.

31. *Arentes arenas Littoris Aſſyrii.*] Quidam legunt *urentes*. Intellige Syriæ ſeu Aſſyriæ, vel fines extremos: nam veteribus quælibet regionum & agrorum extremitates, littora vocabantur: vel ſolitudines arenoſas & ferventes, in quibus viatores æſtu ſoluti nonnunquam intereunt. Ab Aſſur filio Sem dicta Aſſyria, Aſiæ regio, Meſopotamiæ affinis, ab eâ Tigri flumine diſtinctà. Iſidor. Etym. S. Aug. Quod ſi placet Aſſyriam poni pro Syria, hæc certe ad mare extenditur, ejuſque tenet littus. Plin. 5. cap. 12. *Juxta Syria littus occupat quondam terrarum maxima, & pluribus diſtincta nominibus . . Aſſyria ante dicta, &c.*

33. *Britannos hoſpitibus feros.*] Ab his olim hoſpites immolari ſolitos aiunt: ſicut apud Tauricæ regionis populos id factum conſtat. Vide Euripid. Iphigen. in Tauris.

34. *Lætum equino ſanguine Concanum.*] Concani Cantabrorum pars, apud Hiſpaniam Tarraconenſem, Maſſagetarum colonia fuere; quædam habuere communia cum Thracibus & Scythis, quod ſpectat ad crudelitatem belluinumque ritum, ex Strabone lib. 5. Iſtis omnibus, ſicut et Sarmatis mos erat, e pedis vel cruris equini venis eductum ſanguinem lacti permixtum potare. Plin. lib. 18. cap. 10. *Pulte aluntur, & cruda etiam farinâ, equino lacte, vel ſanguine e cruris venis admiſſo.* Virgil. Georg. 3. v. 460.

. . . . Inter
Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam:
Biſaltæ quo more ſolent, acerque Gelonus,
Et lac concretum cum ſanguine potat equino.

Martial. Spectac. 3. n. 4.

Venit & epoto Sarmata paſtus equo.

Sil. Italic. lib. 3. 360.

Nec, qui Maſſageten monſtrans feritate parentem.
Cornipedis fuſâ ſatiaris, Concane, venâ.

35. *Pharetratos Gelonos*] Scythiæ populos, de quibus Lib. 2. Od. 9. & 20. Virgil. Æneid. 8. *Sagittiferos.*

36. *Scythicum amnem.*] Tanaim fluvium (vernac. *Don*) inter Europam & Aſiam limitem celeberrimum. Lucan. lib. 3. v. 272.

. . . Vertice lapſus
Riphæo Tanais diverſi nomina mundi
Impoſuit ripis, Aſiæque & terminus idem
Europæ, mediæ dirimens confinia terræ.

37. *Vos Cæſarem, &c.*] Vos etiam, O Muſæ, Auguſtum Cæſarem, poſt bellicos labores, recreatis cantionibus veſtris ac modulis poeticis, *in antro Pierio*, ſeceſſu & otio liberali.

Militia ſimul feſſas cohortes abdidit oppidis.] Cum in urbibus copias, hyemandi causâ, ſeu in hybernis collocavit.

39. *Finire quærentem labores.*] His quidam alludi volunt ad id quod refertur Auguſtus quietem optâſſe & vacationem a Republicâ petiviſſe. Vide Sueton. Octav. cap. 28. Sed potius notatur Auguſti conſuetudo per hyemes vacandi literarum ſtudio, ingenii deliciis, carminum ſcriptioni. Sueton. Octav. cap. 84. *Eloquentiam ſtudiaque liberalia ab ætate prima & cupide & laborioſiſſime exercuit, &c.* cap. 85. *Multa varii generis proſa oratione compoſuit . . . Poeticam ſummatim attigit. Unus liber extat ſcriptus ab eo hexametris verſibus, cujus & argumentum & titulus eſt, Sicilia. Extat alter æque modicus Epigrammatum, quæ fere tempore balnei meditabatur. Tragœdiam magno impetu exorſus, non ſuccedente ſtylo abolevit.* De Ajace illa erat, &c.

40. *Pierio recreatis antro.*] Pierius mons eſt Theſſaliæ, Muſis ſacer. Inde Pierides illæ dictæ ſunt, & quicquid ad eas pertinet Pierium vocari, notum eſt ac tritum. Cicero de Natura deorum, à Pierio patre nomen deſumit: at Pomp. Feſtus a dicto monte, cujus amœnitas & ſolitudo opportuna eſt & grata ſtudioſis.

41. *Vos lene conſilium & datis.*] Humanæ literæ, quæ ad humanitatem & lenitatem inſtituant,

benignæ lætamini. Novimus quomodo ſceleratos Gigantes, ac ferocem phalangem miſſo fulmine profligârit is, qui terram immobilem, qui mare ventis obnoxium moderatur, atque oppida, mæſtamque regionem, Deoſque & homines ſolus gubernat poteſtate legitima. Jovi metum ingentem incuſſerant immanes illi juvenes lacertis confiſi, & fratres Pelion ſuperaddere conati Olympo umbroſo.

Gaudetis almæ. Scimus ut impios
 Titanas, immanémque turmam
  Fulmine ſuſtulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
 Ventoſum, et urbes, regnáque triſtia,
 Divóſque, mortaléſque turmas
  Imperio regit unus æquo.
Magnum illa terrorem intúlerat Jovi [263]
Fidens juventus, horrida brachiis,
 Fratréſque tendentes opaco
  Pelion impoſuiſſe Olympo.

ANNOTATIONES.

dictæ. Suet. Octav. cap. 51. *Clementiæ civilitatiſque ejus multa & magna documenta ſunt, &c.* Vide cap. ſeq. ibid. Erga literatos & ingenioſos benignitate ac liberalitate ſummâ uſum, nemo neſcit. Sueton. cap. 89. *Ingenia ſui ſeculi modis omnibus fovit. Recitantes & benigne & patienter audivit, &c.*

Conſilium] Adverte duas breves pro una longa: ſic & poſtea Od. 6.

Hinc omne principium.

Dato Gaudetis.] Non vos pœnitet datæ Cæſari humanitatis, qua veſtros clientes fovet. Sueton. modo cit.

42. *Scimus ut Impios Titanas, &c.*] Clare patet per Jovem deſignari Auguſtum, per Titanas & Gigantes omnes Auguſti adverſarios, quibus ſublatis, ac virtute domitis, rerum potitus eſt. Mire vero Auguſto blanditur, dicens pro eo ſtetiſſe Palladem, id eſt, ſapientiam cum virtute conjunctam; Bruto vero & Caſſio fuiſſe vim conſilii expertem, quæ propriâ mole corruerit. Porro iſta Cæſaris elogia allegoricis ambagibus ingenioſe exornat.

Impios Titanas.] Terræ ac Titanis filios Gigantes, qui Deos laceſſere auſi, Jovemque cœlo pellere moliti ſunt: quaſi patris ulciſcendi causâ, cujus hæreditario jure cœli regnum erat, utpote fratrem Saturni natu majorem. Vide lib. 2. Od. 12. & 19. Virgil. Æneid. 6. v. 580.

. . . *Genus antiquum terræ, Titania pubes,*
Fulmine dejecti.

Diodor. Sicul. lib. 4. cap. 3: ſcribit Cœlum e Titæâ uxore decem & ſeptem filios procreâſſe, proprioque nomine ſingulos, communi autem omnes a matre Titanas appellâſſe.

Impios.] Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 20. *Quid Gigantes aliud fuiſſe credendum eſt, quàm hominum impiam quandam gentem, Deos negantem; & ideo exiſtimatum Deos pellere de cæleſti ſede voluiſſe? Horum pedes in dracenum volumina deſinebant, quod ſignificabat nihil eos rectum, nihil ſuperum cogitâſſe, totius vitæ eorum greſſu atque proceſſu in inferna mergente.*

45. *Terram inertem.*] Lib. 1. Od. 34. *Bruta tellus.*

46. *Regnaque triſtia.*] Inferos. Nec enim credendum Cruquio interpretanti, Tyrannidem, ob vocem, *urbes*, Inferis haud convenientem, inquit ille: quaſi vero jungenda eſſent hæc, *urbes regnaque triſtia.* Imo Jovis imperium extendit Poeta ad Superos Inferoſque, & orbem hunc ſeu mare, terramque, in quâ urbes. Quæ omnia complectitur his vocibus, *Divoſque mortaleſque turmas regit unus*, ſcilicet Jupiter. Virgil. Æn. 1, 65.

. . . . *Divûm pater, atque hominum rex.*

49. *Magnum illa terrorem intulerat Jovi, &c.*] Illa Gigantum turma immani robore prædita Jovem, cæteroſque Deos terruit, ac *periculum in de- fulgens contremuit domus Saturni veteris*, ut eſt lib. 2. Od. 12. Vide Heſiod. Theogon. Ovid. Metamorphoſ. lib. 5. v. 321.

Emiſſumque ima de ſede Typhœa terræ
Cœlitibus feciſſe metum; cunctoſque dediſſe
Terga fugæ: donec feſſos Ægyptia tellus
Ceperit, &c.

50. *Fidens juventus horrida brachiis.*] Virgil. Æneid. 6. v. 582.

. . . . *Immania vidi*
Corpora: qui manibus magnum reſcindere cælum
Aggreſſi, ſuperiſque Jovem detrudere regnis.

51. *Fratreſque tendentes, &c.*] Intelligunt nonnulli Otum & Ephialtem, *Aloidas geminos*, quos memorat Virgil. mox cit. ſed Gigantes omnes eodem patre, vel eâdem matre genitos, adeoque fratres, melius eſt accipi. De his Virgil. Georgic. 1. v. 280.

Et conjuratos cælum reſcindere fratres.
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam
Scilicet, atque Oſſæ frondoſum involvere Olympum:
Ter Pater extructos disjecit fulmine montes.

52. *Pelion imp[illegible] Olympo.*] Montes montibus aggerere.

Pelion.] Mons Theſſaliæ, Olympo & Oſſæ conti-

Sed

Sed quid Typhoëus et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion ſtatu,
Quid Rhœcus, evulſiſque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra ſonantem Palladis ægida [264]
Poſſent ruentes? Hinc avidus ſtetit
Vulcanus; hinc matrona Juno, et
Nunquam humeris poſiturus arcum;
Qui rore puro Caſtaliæ lavit
Crines ſolutos; qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalémque ſilvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis conſilî expers mole ruit ſuâ:
Vim temperatam Dii quoque provehunt
In majus: îdem odêre vires
Omne nefas animo moventes.

Verum quid Typhon & fortis Mimas, vel quid Porphyrion ſtaturâ terribili, quid Rhœcus & Enceladus eradicatas arbores torqueri niſus, valeant adverſus crepantem Minervæ clypeum irrumpentes? Ex hac parte certabat ardens Vulcanus, & domina Juno, necnon Phœbus arcum ſemper humeris geſtans, qui Caſtalii fontis aquâ liquidâ paſſos capillos perfundit, qui Lyciæ nemora & ſilvam natalem obtinet, Patareus atque Delius hinc dictus. Robur ſine prudentiâ proprio cadit pondere. Moderatum robur ipſa numina promovent ad amplius; vires autem quodlibet ſcelus machinantes averſantur.

ANNOTATIONES.

gone, *Olympus* Theſſaliam à Macedonia dirimit, nubes attingit vertice. Unde pro Cœlo ponitur ſæpius apud Poëtas. Sunt & alii montes ejuſdem nominis tres, primus in Myſiâ, alter in Lyciâ, tertius in Cypro. Sed de his non agitur.

53. *Sed quod Typhoëus.*] Quid gigantum vis, inſolentia, temeritas, adverſus Deos? Ne legas cum aliis *Typhœus*. Τυφωεὺς qui & Τυφεὺς vel Τυφῶν, à τῦφος *arrogantia* duplici fuiſſe naturâ, humanâ & ferinâ, dicitur ab Apollodoro, lib. 1. & à Jove percuſſus, eminus quidem fulmine, cominus autem adamantinâ falce.

Validus Mimas.] Hic totam Lemnon inſulam jaculari in Deos niſus dicitur apud Claudianum: at ipſâ Prochytâ Tyrrheni maris inſulæ ſubjectus. Sil. Ital. lib. 12. v. 147.

Apparet Prochyta ſævum ſortita Mimanta.

54. *Minaci Porphyrion ſtatu.*] Ingenti ſtaturâ inſolens & minax. De eo Claud. in Gigantomach.

55. *Rhœcus.*] Is & *Rhœtus.* Lib. 2. Od. 19.

56. *Enceladus jaculator audax.*] Tam robuſtus, ut evulſas arbores intorqueret: omnium Gigantum maximus fuiſſe perhibetur. De eo poſtea ad verſus, *Nec peredit Impoſitam celer ignis Ætnam.*

57. *Palladis ægida.*] Iſte Palladis clypeus, quo dicitur Jupiter Gigantum repreſſiſſe audaces conatus, ſignificat ſapiens conſilium virtutis comes & præſidium, ſine quo ipſa parum valet. Utrumque verò Auguſto adfuiſſe, ut ante jam annotavi, Horatius indicat. De *Ægide*, lib. 1. Od. 15.

58. *Hinc avidus ſtetit Vulcanus, &c.*] Pro Jove dimicavit *Vulcanus*; *avidus*, ſeu quòd ignis omnia corripiat & depaſcatur; ſeu quòd ille pugnæ avidus, præliumque ardens capeſſeret.

59. *Matrona Juno.*] Ovid. Faſtor. 6. v. 33.

Si torus in pretio eſt, dicor matrona Tonantis.

60. *Et nunquam humeris poſiturus arcum, &c.*] Apollo pharetrâ ſemper & arcu inſtructus, quæ ſunt ejus arma & inſignia, de quibus vide Macrob.

61. *Qui rore puro Caſtaliæ, &c.*] Cui ſacer fons Caſtalius ad radices Parnaſſi Lib. 4. Od. 6.

Phœbe, qui Xantho lavis amne crines.

62. *Qui Lyciæ tenet Dumeta.*] Sacrum erat Phœbo delubrum in ſilvâ Lyciæ, Aſiæ Minoris provinciæ, cujus civitas inſignis Patara, in quâ & ille præcipue colebatur, & oracula edebat: hinc dictus *Patareus.* Strab. lib. 14. A Pataro Apollinis filio Pataram nomen habuiſſe ſcribit Stephanus.

63. *Natalemque ſilvam, Delius.*] Apud Delum inſulam & Cynthi montis nemora natus Apollo fertur: ſexque ibi menſibus æſtivalibus reſponſa dabat; ſex autem hyemalibus, apud Pataram, teſte Servio. Ovid. de Arte Amandi, 2. v. 80.

. . . . *Clario Delos amata Deo.*

65. *Vis conſilî expers mole ruit ſuâ.*] Robur quantum fuerit, niſi conſilio & prudentiâ temperetur & regatur, parum juvat aut proficit; quin potiùs ut plurimum nocet, ex Euripide,

Ῥώμη δ' ἀμαθὴς πολλάκις τίκτει βλάβην.

Sic Bruti virtus & Caſſii Romanæ juventutis ac nobilitatis delectu & robore quamvis ſtipata ad irritum cecidit, quia conſilio caruêre: ſuâque illi clade & ruinâ totam prope Rempublicam implicuere. Contrà Auguſti virtutem ſapientiâ temperatam Dii provexêre ad Romani clavum Imperii, & ad orbis univerſi dominationem. Ipſi

Dicta mea manifeſte comprobat Gyas centum manus habens, pariter & Orion oppugnator caſtæ Dianæ, hujus Virginis telis confoſſus. Terra ſuis portentis impoſita ægre fert; atque filios ad fœtida Tartara fulmine detruſos dolet. At vorax flamma non abſumit Ætnam injectam; neque libidinoſi Tityi hepar dimittit vultur luxuriæ vindex appoſitus: amantem verò Pirithoum trecenta coërcent vincula.

Teſtis mearum centimanus Gyas [265]
Sententiarum notus, et integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virgineâ domitus ſagittâ.
Injecta monſtris terra dolet ſuis;
Mœrétque partus fulmine luridum
Miſſos ad Orcum: nec peredit
Impoſitam celer ignis Ætnam:
Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiæ additus [266]
Cuſtos: amatorem trecentæ
Pirithoum cohibent catenæ.

ANNOTATIONES.

verò Dii omnibus iis adverſantur, qui ſuâ fortitudine abutuntur ad ſcelus.

69. *Gyas.*] Vel *Gyges*, Briarei frater, vel ipſe Briareus, aut Gigantum quiſpiam ad Tartara cum aliis deturbatus. Vide lib. 2. Od. 17.

70. *Integræ Tentator Orion Dianæ.*] Hanc ille auſus interpellare de ſtupro, ejus ſagittis eſt confoſſus ac peremptus. De eo tamen longè aliter alii fabulantur. Vide lib. 1. Od. 28. v. 21. & lib. 2. Od. 13. v. penultimo.

73. *Injecta monſtris terra dolet ſuis.*] Monſtroſis filiis, nempe gigantibus fulminatis, terra dolet quòd etiam pœnæ ac ſupplicio illorum ſervire, eoſque premere cogatur ipſis injecta: unde & in ultionem ſuique doloris qualecunque ſolatium, famam, quæ Deorum probra evulgaret, dicitur genuiſſe, *irâ irritata Deorum*, ut canit Virgil. Æneid. 4. v. 178.

Injecta.] Gigantes præcipui variis ſunt inſulis obruti, Otus Creta: Prochytâ Mimas ex Silio ante cit. vel Typhoëus, ut aliis placet, inſulâ Co Polybœtes; Siciliâ Enceladus, vel ut alii ſcribunt, Typhon ſeu Typhoëus. Virgil Æneid. 3. v. 578.

Fama eſt, Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus
Urgeri mole hac: ingentemque inſuper Ætnam
Impoſitam, ruptis flammam expirare caminis,
Et feſſum quoties mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cælum ſubtexere fumo.

Ovid. Metamorphoſ. 5. v. 346.

Vaſta Giganteis ingeſta eſt inſula membris
Trinacris: & magnis ſubjectum molibus urget
Æthereas auſum ſperare Typhoëa ſedes.
Nititur ille quidem, pugnatque reſurgere ſæpe:
Dextra ſub Auſonio manus eſt ſubjecta Peloro:
Læva, Pachyne, tibi: Lilybæo crura premuntur.
Degravat Ætna caput, ſub quo reſupinus arenas
Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhoeus,
&c.

74. *Luridum.*] Plumbei coloris, lividum pallore & nigrore mixtum.

75. *Nec peredit Impoſitam celer ignis Ætnam.*] Neque tamen ignis per Ætnæ hiatus e Gigantis ſuppoſiti ore prorumpens abſumit eum montem: adeóque non minuuntur ejus cruciatus. Vide Lucret. lib. 6. Ætnæ deſcriptionem, &c.

77. *Incontinentis nec Tityi jecur Relinquit ales.*] Vultur Tityi jecur vellicans haud illum unquam patitur interquieſcere; quòd Latonæ vim inferre tentaverit. Vide lib. 2. Od. 14.

78. *Nequitiæ.*] Libidinem non rarò notat ea vox. Cic. in Verrem: *Veſtigia libidinis & nequitiæ.* Tuſcul. 3. n. 17. *Frugalitatis eſt motus animi appetentis regere & ſedare, ſemperque adverſantem libidini, moderatam in omni re ſervare conſtantiam, cui contrarium vitium nequitia dicitur, frugalitas a fruge . . . nequitia ab eo quod ne quidquam eſt in tali homine: ex quo item nihili dicitur*, Gell. lib. 7. cap. 11. *Nequam hominem Græci dicunt ἀκόλαςον, libidinoſum; vel μιαρὸν, ſceleſtum, &c.* Vide Macrob. Saturnal. lib. 2. in fine.

79. *Amatorem trecentæ Pirithoum cohibent catenæ.*] Amator ille temerarius Proſerpinam ut raperet ad Inferos profectus, ibi catenis conſtrictus pœnas luit graves ac diuturnas ſuæ intemperantiæ.

ODE

ODE V.

Auguſti laudes. Craſſi vituperium. Reguli virtus, fides, conſtantia.

CŒLO tonantem credidimus Jovem
Regnare: præſens divus habebitur
Auguſtus, adjectis Britannis
Imperio, gravibúſque Perſis.
Miléſne Craſſi conjuge barbarâ [267]

Non dubitavimus Jovem Cœlo dominari, quando intonuit: & Auguſtus vivens cenſebitur numen, additis Imperio Romano *Britannis, & Perſis terribilibus.* Ergo *ne Craſſi miles uxoris peregrinæ*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 9. lib. 1.

1. *Cœlo tonantem, &c.*] Quando potentiam ſuam Jupiter oſtendit fulguribus ac tonitruis, tum credidimus eum in Cœlo regnare; ſic Auguſtum degentem in vivis ac nobis præſentem nemo dubitabit inter numina recenſere, & colere, qui facinora pluſquam humanæ virtutis ediderit; reparans gloriam nominis Romani per Craſſum ejuſque milites obſcuratam & infractam. Porrò quas gentes & quot Auguſtus ſubegerit; vide apud Sueton. L. Flor. lib. ult. Sext. Aurel. Victor. Oroſ. lib. 6. &c.

Tonantem credidimus Jovem regnare,] Cic. de Nat. Deor. 2. *Nonne perſpicuum eſt ex primâ admiratione hominum, quod tonitrua jactuſque fulminum extimuiſſent, credidiſſe ea efficere rerum omnium præpotentem Jovem?* Sueton. Octav. 29 *Tonanti Jovi ædem conſecravit liberatus periculo, cùm expeditione Cantabricâ per nocturnum iter, lecticam ejus fulgur perſtrinxiſſet, ſervumque prælucentem exanimaſſet.* Lucan. lib. 3. v. 319,

. . . . . Per fulmina tantùm
Sciret adhuc ſolum Cœlo regnare tonantem.

2. *Præſens divus habebitur.*] Non à Romanis tantùm ſed & ab exteris nationibus. Nam ex Sueton. *Pleraque provinciarum templa & aras conſtituerunt, quod aliis non niſi poſt mortem contigerat.* Id factum Pergami in Aſiâ. Nicomediæ in Bithyniâ refert Dio, lib. 51. Virgil. Eclog. 1.

O Melibæe, Deus nobis hæc otia fecit,
Namque erit ille mihi ſemper Deus: illius aram,
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

3. *Adjectis Britannis Imperio.*] Ille tamen ipſe *Intactus Britannus,* Epod. 7. & *poſt Divum Julium nulli tentatus,* nec niſi ab Imperatore Claudio triumphatus dicitur. Sueton. Claud. 17. Tacit. in vitâ Agricolæ, &c. Ergo quaſi futuræ victoriæ præſagium ſcripta eſt hæc Ode proficiſcenti ad bellum Britannicum Auguſto, unde tamen revocatus eſt motibus ac tumultibus Dalmaticis & Pannonicis, ex Dione, lib. 49. vel eos quaſi victos Poëta canit, qui ad Auguſtum aliquot poſt annos arma rurſum eò parantem inferre, jamque *iturum Cæſarem in ultimos orbis Britannos,* legatos de pace miſerunt: quâ impetratâ, Capitolio dona intulerunt, ſuamque Romanis inſulam prope totam addixerunt. Teſtis Strabo, lib. 4. Οἰκείαν χεδὸν παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον, &c. Alii; quod per Druſum Auguſti privignum ſint ſuperati, ejus nempe felicibus auſpiciis. Vide lib. 4. Od. 14. ad finem.

4. *Gravibuſque Perſis.*] Graves Perſas quidam intelligunt, quia gravis armaturæ: melius alii ob Craſſi graviſſimam certe cladem, de quâ mox. Hi porrò, qui pro Parthis ponuntur ſine dubio, dicuntur Subacti, quod *Armeniam vindicanti Auguſto facile ceſſerunt: obſides obtulerunt.* Jus creandi regis permiſerunt: adempta denique M. Craſſo & M. Antonio ſigna militaria remiſerunt. Sueton. Octav. cap. 2. Eutrop. Flor. Aurel. Victor. &c. Vide etiam quæ annotavi lib. 1. Od. 19. ad v. 12. Adde Xiphilinum, in Auguſti Monarchiâ: *Phraates per id tempus metuens ne Cæſar contra ſe exercitum duceret, captivos ad eum remiſit, & ſigna militaria, quæ à Craſſo acceperat: quâ ex re Cæſar gloriâ efferebatur, quod ſine labore recuperaſſet ea, quæ alii magnis præliis amiſiſſent: ob eam cauſam ſacra fecit, atque ſedens in equo urbem ingreſſus eſt. Tum laudabatur, quod ſibi nihil præterea acquirendum eſſe putaret . . . cum eſſet autem in Aſiâ, regnaque & principatus partim aliis confirmâſſet, partim ad alios tranſtuliſſet, condemnatis quibuſdam regibus, nonnullis etiam laudatis, atque in amicitiam receptis, quam plurimæ legationes ad eum venerint, &c.*

5. *Mileſne Craſſi conjuge barbarâ, &c.*] Auget Poëta invidiam ac turpitudinem Craſſiani exercitûs, ut hinc majorem paret Auguſto gloriam, qui dedecus illud abſterſerit, eos vincendo qui anteà victores, & *clade Craſſianâ altius animos crexerant,* ex Flor. lib. 4. cap. 9. exinde Romanis formidabiles: ut dixi lib. 1. ad Od. 19. cit.

Craſſi.] Jul. Flor. lib. 3. cap. 11. *Cupiditas Conſulis Craſſi, dum Parthico inhiat auro, undecim ſtrage*

vir infamis extitit? Etiamne Marſus & Appulus in agris hoſtium ſocerorum conſenuit ſub principe Medo, Anciliorum, nominis, togæque, & perennis Veſtæ immemor, ſtante Jove & civitate Romanâ? O Senatus & corrupti mores! Reguli prudens animus id præſenſerat, cum refragatus eſt ignominioſis legibus & exemplo in poſterum damnoſo, niſi juvenes bello capti interire ſinerentur, ſine miſeratione.

Turpis maritus vixit? Et hoſtium [268]
(Proh Curia, inverſíque mores!)
Conſenuit ſocerorum in armis
Sub rege Medo, Marſus & Appulus,
Anciliorum, nominis, et togæ
Oblitus, æternæque Veſtæ,
Incolumi Jove et urbe Româ?
Hoc caverat mens provida Reguli
Diſſentientis conditionibus [269]
Fœdis, et exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum;
Si non periret immiſerabilis

ANNOTATIONES.

legionum & ipſius capite mulctata eſt . . . Filium ducis verò in conſpectu patris telis operuêre hoſtes, Reliquiæ infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque diſtractæ, vix nuntium cladis retulerunt. Caput ejus reciſum cum dextra manu ad Regem reportatum, ludibrio fuit, nec indignè. Aurum enim liquidum in rictum oris infuſum eſt; ut cujus animus arſerat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exangue corpus auro ureretur.

Conjuge barbarâ Turpis maritus vixit?] In eâ nimirùm clade Romani exercitûs ad viginti millia deſiderati ſunt, ad decem vero millia capti turpitudine barbararum conjugum vitam redemerunt, imò & conſueverunt cum hoſtibus ſoceris, & in eorum caſtris militârunt. Appian. lib. 2. de bello Parthico: Plutarcho, &c.

6 *Turpis maritus.*] Juſtum enim matrimonium eſt inter cives tantùm, ex Juriſc. In eo prætereà turpitudo, quod uxores ducerent filias Parthorum, qui inter Aſſyrios, Medos, ac Perſas obſcuriſſimi; quique Scytharum ferebantur exules ac profugi, quod & ſonat vocabulum; denique, quod conſcripti in eorum exercitu, qui totus pene e ſervis conſtaret. Nam & cùm M. Antonio occurriſſent millia Parthorum equitum quinquaginta, quadringenti ad ſummum fuerunt ingenui.

7. *Proh Curia inverſique mores!*] O Senatûs infracta majeſtas Conſulis turpi cæde! O mores corrupti militum Craſſianorum, qui contra nominis Romani honorem ſerviant hoſtibus; Orodi Parthorum Regi fidem & ſacramentum præſtare non erubeſcant *Marſus & Appulus*, optimi Italiæ bellatores, ut ibi jam annotavi.

10. *Anciliorum, nominis, & togæ Oblitus, &c.*] Dignitatem nominis Romani, ſacra & religionem peſſumdantes. *Ancilia* ſcuta erant brevia duodecim, *dicta ab Anciſa, quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum, inciſa*, ex Varrone 6. de Ling. Lat. Horum unum cœlo emiſſum ibi fore imperium ſpondebat: quod ne dignoſceretur ac ſurriperetur, undecim ei ſimilia fabricari Numa juſſit, ſimulque omnia in æde Martis condi & ſervari. Dionyſ. Halic.

11. *Æternæque Veſtæ.*] Ignis illius æterni, qui in Veſtæ templo debebat a Virginibus Veſtalibus cuſtodiri, ut Imperium Romæ ſtaret perpetuum. Dionyſ. Halic. lib. 2. Cic. 2. de Legibus; *Virgines Veſtales in urbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum.* Virg. Æneid. 4. v. 200.

. . . . . Vigilemque ſacraverat ignem
Excubias Divûm æternas.——

12. *Incolumi Jove & urbe Româ.*] Si quidem Roma non fuiſſet ampliùs, culpandi ſanè non eſſent, qui apud exteros ſedem & familiam figerent. At ſtante Urbe & Capitolino Jove Romanos protegente, barbaris nomen & manus dare, hoc certè probroſum Romanis militibus.

13. *Hoc caverat mens provida Reguli.*] Hoc grande malum præcavebat M. Attilius ille Regulus, *primi Punici belli gloria cladeſque maxima*, ut ait Valer. Maxim. lib. 4. cap. 4. quando reddi pro ſe captivos Carthaginienſium vetuit: timebat nempè ne ſpem vitæ milites ignavi ponerent in captivitate, adeóque remiſſiùs in acie dimicarent, ac mortis metu ad fugam, abjiciendave arma incitarentur. Noluit itaque pernicioſum de ſe exemplum poſteris relinqui, quo diſciplina militaris, ipſaque ſubinde Reſpublica deperiret.

17. *Si non periret immiſerabilis Captiva pubes.*] Ut ergo totam duntaxat in virtute & armis vitæ ſpem collocarent milites, volebat eos, qui ſeſe dedentes vitam ab hoſte precati eſſent, ei necandos permitti, nec quemquam redimi: quod quidem ſanxerat & Plato 5 de Rep. Cic. 3. Offic. n. 114. *Octo hominum millia tenebat Hannibal, non quos in acie cepiſſet, aut qui periculo mortis diffugiſſent, ſed qui relicti in caſtris fuiſſent à Paulo & Varrone Conſulibus: eos Senatus non cenſuit redimendos, cum id parvâ pecuniâ fieri potuiſſet; ut eſſet inſitum militibus noſtris, aut vincere, aut emori. Quod quidem re auditâ fractus animus Hannibalis, quod Senatus P. Q. R. rebus afflictis tam excelſo animo fuiſſet.*

Captiva

Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus ſine cæde, dixit,
Direpta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portáſque non clauſas, et arva
Marte coli populata noſtro.
Auro repenſus ſcilicet acrior
Miles redibit? Flagitio additis
Damnum. Neque amiſſos colores
Lana refert medicata fuco:
Nec vera virtus, cùm ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata denſis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus:
Et Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners, timuitque mortem.

Ego, inquit ille, templis Carthaginienſibus appenſa conſpexi vexilla Romana, *atque arma militibus haud repugnantibus adempta. Ego civium* Romanorum *conſpexi manus poſt dorſum ingenuum inverſas; & portas apertas: & agros arari noſtris armis* paulò ante *devaſtatos. Nimirum redemptus auro miles animoſior fiet?* Imò *criminis jungitis detrimentum. Nec deperditum colorem lana reparat fuco tincta: nec ſincera virtus, ſi quando fuerit labefactata, ſatagit reſtitui depravatis. Si* quidem *cerva ſtrictis retibus expedita, dimicat, erit* etiam *ſtrenuus is qui perjuris hoſtibus ſe commiſit: atque in alio certamine* Carthaginienſes *conculcabit, qui lignes retro brachiis vincula tulit ignavus, ac mori formidavit.*

ANNOTATIONES.

18. *Signa ego Punicis, &c.*] Hæc Reguli verba ſunt, ullum cum hoſtibus pactum diſſuadentis in Senatu; oſtenſáque militum inertium indignitate & honoris Romani labe, omnem erga illos miſericordiæ ſenſum ex animo Senatorum amovere ſatagentis. Ego vidi, inquit, ſigna Romana hoſtium delubris affixa, vidi arma ignavis illis militibus erepta, per quæ tamen vitam ſervare & tueri debuiſſent: vidi cives Romanos vinctis poſt tergum manibus fœdam ſervitutem glorioſæ morti, quod nefas ingenuis, antepoſuiſſe.

19. *Affixa delubris.*] Ex more veteri, qui etiamnum viget apud varias nationes: ut ſic recepta Deo victoria referatur.

23. *Portáſque non clauſas, &c.*] Vidi & Carthaginis portas præ ſecuritate non clauſas, velut in mediâ pace; adeò procul aberat omnis metus hoſtilis, poſt cladem noſtri exercitûs, agróſque liberè arari & coli: quos tamen paulò ante armis populati fueramus. Flor. lib. 2. cap. 2. *M. Attilio Regulo duce jam in Africam navigabat bellum . . . . ventis remiſque properatum eſt; tantúſque terror hoſtici adventûs Pœnis fuit, ut apertis pene portis Carthago caperetur . . . . nec cum hominibus, ſed cum monſtris quoque dimicatum eſt . . . . . Sed omnium victor Regulus cùm terrorem nominis ſui latè circumtuliſſet, ... Carthaginem belli caput urgebat obſidio, ipſiſque portis inhærebat.*

25. *Auro repenſus ſcilicet, &c.*] Ironicè. Redemptus ſcilicet miles in altero certamine fortior & acrior erit. Quiſquis hoc ſperat, quantò verſatur in errore? & pretium diſperdere eſt, & ignaviam augere atque infamiam. Enimvero ſicut *lana fuco medicata* genuinum & nativum colorem ſeu candorem amiſſum nunquam recuperat; ità virtus ſemel deformata & detrita ad priſtinum ſplendorem nunquam redit, nec reparatur in iis, qui per inertiam & ſocordiam deteriores facti fuèrint. Virgilius tamen contra ſcribit Æn. 2. v. 367.

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

Repenſus.] Æs olim non numerabatur ut nunc, ſed pendebatur.

28. *Fuco.*] Fucus herba eſt marina veſtibus tingendis idonea. Plin. l. 26. c. 10. *Tria ſunt genera; latum, & alterum longius, quadantenus rubens: tertium criſpis foliis, quo in Cretâ veſtes tinguntur; omnia ejuſdem uſus; cap.* 12. *fucum maris* appellat.

31. *Si pugnat extricata, &c.*] Altera ſimilitudo. Si vidiſtis aliquando cervam plagis extricatam in venatorem inſurgere, & animoſè aggredi, videbitis quoque militem e captivitate redemptum ad hoſtes majori animo debellandos ire. Atqui cerva retibus expedita meticuloſior fit: ſic & miles. *Vulpes quæ plagas effugit, non rurſum irretitur.* Plutarch. & Horat. lib. 2. Sat. 7. v. 70.

. . . . Quæ bellua ruptis
Cum ſemel effugit, reddit ſe prava, catenis?

33. *Perfidis hoſtibus.*] Adag. *Punica fides*, pro perfidiâ. Pœnos etiam Tit. Liv. hac aſpergit labe.

Ignorans ille unde vitam acciperet, pacem cum bello confudit. Proh dedecus! O glorioſa Carthago turpibus Italiæ cladibus excelſior! Regulus velut capite diminutus, a ſe dicitur repuliſſe ſuavium caſtæ uxoris, atque filiolos, & faciem generoſum ferox in terrâ defixiſſe, uſque dum vacillantes Senatores ſuaſor confirmaret monitione haud unquam datâ;

Hic unde vitam ſumeret inſcius,
Pacem duello miſcuit. O pudor!
O magna Carthago probroſis [271]
Altior Italiæ ruinis!
Fertur pudicæ conjugis oſculum,
Parvóſque natos, ut capitis minor,
Ab ſe removiſſe, et virilem
Torvus humi poſuiſſe vultum;
Donec labantes conſilio patres [272]
Firmaret auctor nunquam alias dato,

ANNOTATIONES.

37. *Hic unde vitam ſumeret, inſcius, &c.*] Iners & ignavus iſte miles velut ignorans armis non precibus, non cedendo ſed reluctando fortiter, vitam eſſe duntaxat tuendam; *pacem duello miſcuit*, unius ab altero diſcrimen male ſtatuens, utrumque confudit: nam in medio bello abjecit arma in pace tantùm deponenda; & in ardentiſſimo conflictu ſegnis fuit: ſeque tum hoſti dedidit, cùm maxime repugnandum fuiſſet.

39. *Magna Carthago.*] Carthago æmula urbis orbis dominæ, cujus tanta fuit olim potentia, ut totâ Africâ cultiore potiretur: In Hiſpaniâ verò ab Herculis columnis, ad uſque Pyrenæos Montes maximis civitatibus imperaret. Polybius, Strabo. Ab Æmiliano Scipione tandem bello Punico tertio exciſa & *finita eſt:* at ait L. Flor. lib. 2. cap. 15. *Quanta verò urbs deleta ſit*, inquit ille ibid. *ignium morâ probari poteſt: quippe per continuos decem & ſeptem dies vix potuit incendium extingui.*

40. *Altior Italiæ ruinis!*] Poſt fuſum Romanum exercitum, captumque Imperatorem Regulum, *ſpirantibus altius Pœnis*, ut ait Luc. Flor. lib. 2. cap. 2. cit. ubi & ſic habetur: *Tum fœda clades, Romaniſque uſu incognita. Vivus in manus hoſtium venit fortiſſimus imperator, &c.*

41. *Fertur pudicæ conjugis, &c.*] Attilius ille Regulus *nec uxori ſuæ loqui voluit, nec intrare urbem, quaſi exul eſſet.* Dio. Reguli conjux Martia dicebatur ex Silio lib. 6. v. 403.

Ecce trahens geminum natorum Martia pignus,
Infelix nimia magni virtute mariti,
Squalentem crinem & triſtis lacerabat amictus,
. . . .
Atque ea poſtquam habitu juxta & velamine Pœno
Deformem aſpexit, fuſis ululatibus ægra
Labitur, & gelidos mortis color occupat artus.
. . . .
. . . . *me voce quietâ*
Affatus, jubet & veſtros, & conjugis unà
Arcere amplexus. Patet impenetrabilis ille
Luctibus, &c.

42. *Ut capitis minor.*] Capite diminutus, id eſt, mutatâ ſorte & conditione: Jam non civis Romanus, nedum Senator; ſcilicet factus e libero ſervus, ex Imperatore, & Duce captivus Carthaginienſium. Capitis diminutio vocatur prioris ſtatus mutatio. Caput enim ſtatum ſignificat. Cic. Top. *Si mulier teſtamentum fecit, quæ ſe capite nunquam diminuit*, id eſt, quæ per conjugium in viri manum non convenit. Paul. Juriſc. *Tria ſunt*, inquit, *quæ habemus, libertatem, civitatem, familiam. Cùm tria hæc amittimus maxima eſt capitis diminutio. Cum amittimus civitatem, & libertatem retinemus, media eſt diminutio. Denique cum libertatem & civitatem retinemus, familia verò ſola putatur*, (potà per adoptionem) *eſt diminutio capitis minima.* Ex his intelligitur cur ſervi non habere caput, nec diminui capite dicantur: quia nullum ſtatum habent, videlicet, neque libertatem, neque civitatem, nec familiam. Vide Cæl. Rhodig. lib. 25. cap. 23.

45. *Donec labantes conſilio patres Firmaret, &c.*] Incertos etenim quid ſtatuerent Senatores ipſe *firmavit auctor*, & compulit traduxitque in utiliſſimam Reipublicæ, quamvis ſibi gravem, ſententiam. Cic. 3. Offic. n. 99. *Cum Regulus iterum Conſul in Africa ex inſidiis captus eſſet, juratus miſſus eſt ad Senatum, ut niſi redditi eſſent Pœnis captivi nobiles quidam rediret ipſe Carthaginem . . . Is cum Romam veniſſet, . . . in Senatum venit; mandata expoſuit: ſententiam ne diceret recuſavit: quamdiu jurejurando hoſtium teneretur, non eſſe Senatorem: reddi captivos negavit eſſe utile, illos enim adoleſcentes eſſe & bonos duces; eſſe ſe jam confectum ſenectute. Cujus cum valuiſſet auctoritas, captivi retenti ſunt: ipſe Carthaginem rediit . . .* n. 110. *Senatui niſi ipſe auctor fuiſſet, captivi profectò Pœnis redditi eſſent; incolumis in patriâ Regulus reſtitiſſet.*

Conſilio nunquam aliàs dato.] In propriam nempe ſui perniciem, ſolius utilitatis publicæ habitâ ratione: piâ etiam fraude uſus, ut pacem & captivorum permutationem diſſuaderet. Nam affirmavit, *Venenum ſibi Carthaginienſes dediſſe, non præſentaneum, ſed ejuſmodi, quod mortem in diem proferret; eo conſilio ut viveret quidem tantiſper, quoad fieret permutatio: poſt autem graſſante ſenſim veneno, cor tabeſceret.* Gellius auctor eſt lib. 6. cap. 4.

Interque

Intérque mœrentes amicos
Egregius properaret exul.
Atqui ſciebat quæ ſibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen [273]
Dimovit obſtantes propinquos
Et populum reditus morantem,
Quàm ſi clientum longa negotia
Dijudicatâ lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

& per medios familiares dolentes illuſtris exul abiret. Noverat tamen quæ ſibi ſtatuerat immanis carnifex. At nihilominus cognatos deborrantes, plebemque diſceſſui obſiſtentem amolitus eſt, non ſecus ac ſi poſt litem deciſam negotia prolixa dimitteret, in campos Venafri properans, vel Tarentum Spartanum.

ANNOTATIONES.

48. *Egregius properaret exul,*] Egregius ſanè & ſingularis exul, qui patriâ carere conſenſerit, caritatis patriæ gratiâ, quique ultro ſua omnia deſereret, ſalutis publicæ causâ. Ad cujus exemplum illuſtre poſtea decem nobiliſſimi captivi ab Hannibale ad Senatum miſſi, poſt Cannenſem pugnam, jurati ſe redituros, niſi de redimendis captivis impetraviſſent, re non impetratâ reverſi ſunt. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius bonus auctor in primis ſcribit, novem ex iis revertiſſe: unum vero per fraudem & ſtultam calliditatem quaſi jurejurando liberatum Romæ remanſiſſe: quem deinde ſenatus vinctum ad Hannibalem duci juſſit. Hæc & alia Cic. 3. Offic. n. 113. Florus jam cit. lib. 2. cap. 2. *Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. Nam nec Punico carcere infractus eſt; nec legatione ſuſcepta. Quippe diverſa quàm mandaverant hoſtes, cenſuit; ne pax fieret, ne commutatio captivorum reciperetur. Sed nec voluntario ille ad hoſtes reditu, nec ultimo ſive carceris ſive crucis ſupplicio deformata majeſtas; imo his omnibus admirabilior, quid aliud quam victus de victoribus, atque etiam, quia Carthago non ceſſerat, de fortunâ triumphavit?*

49. *Atqui ſciebat quæ, &c.*] Cic. Epiſt. ad Famil. lib. 6. epiſt. 6. de ſeipſo ita ſcribit: *Ut in fabulis Amphiaraus, ſic ego prudens & ſciens ad peſte ante oculos poſita ſum profectus.* De Regulo verò cit. Offic. 3. *Neque verò tum ignorabat, ſe ad crudeliſſimum hoſtem, & ad exquiſita ſupplicia proficiſci.* Valer. Max. lib. 1. cap. 1. *Regulus ex victore ſpecioſiſſimo ad miſerabilem captivi fortunam deductus . . . . . Carthaginem repetiit, non ignarus ad quam crudeles, quamque etiam merito ſibi infeſtos Deos reverteretur.*

Quæ ſibi barbarus Tortor pararet.] Tullius in Piſonem, n. 43 *M. Regulum illigatum in machina reſectis palpebris Carthaginienſes vigilando necaverunt.* Valer Maxim. lib. 9 cap. 2. *Regulum palpebris reſectis, machinâ, in qua undique præacuti ſtimuli eminebant, incluſum vigilantiâ pariter & continuo tractu doloris necaverunt.* Tertull. ad Martyres, cap. 4. *Maluit hoſtibus reddi, & in arcæ genus ſtipatus, undique extrinſecus clavis confixus tot cruces ſenſit.* Aurel. Vict. de Viris illuſtr. *In arcam ligneam conjectus, clavis introrſum adactis vigiliis ac dolore punitus eſt.* Ex Appiano, poſitus in caveâ ſtimulos undique habente. Sen. de Tranquill. Animi, lib. 1. cap. 15. *An fleam Regulum, quòd tot clavis configitur?* Suidas. *Regulus Carthaginem reverſus omni ſuppliciorum genere conficitur. Nam præter cæteros cruciatus, domunculâ anguſtâ incluſus, quæ magnitudini corporis ejus reſponderet, intus crebris clavis ferreis transfixâ, periit: cum nec immotus ſtare poſſet & quieturus ſtatu corporis utcunque inclinato, in ferreas cuſpides incideret.* Gell. cit. lib. 6 cap. 4. *In atras & profundas tenebras Regulum includebant: ac diu poſt, ubi erat viſus ſol ardentiſſimus, repente educebant; & adverſus ictus ſolis oppoſitum continebant, atque intendere in cœlum oculos cogebant. Palpebras quoque ejus, ne connivere poſſet, ſurſum ac deorſum diductas inſuebant.* Ex Tuberone hæc. *Tuditanus autem, ſomno diu probibitum, atque ita vitâ privatum, refert: idque ubi Romæ cognitum eſt, nobiliſſimos Pœnorum captivos liberis Reguli à Senatu deditos, & ab iis in armario muricibus præfixo deſtitutos, eâdemque inſomniâ cruciatos interiiſſe.* Gell. ibid.

Barbarus Tortor] Apud Feſt. & Non. Marcell. Ennius Annal.

Nam Pœni ſoliti ſuos ſacrificare puellos.

51. *Dimovit obſtantes propinquos*] Cic. jam cit. *Neque eum patriæ caritas retinuit, nec ſuorum.* Suidas. *Lacrymis & lamentationibus ſuorum invicto animo neglectis.*

55. *Tendens Venafranos in agros, &c.*] Quaſi poſt forenſes ſtrepitus, poſt litium & negotiorum ambages ac tædia, relaxandi causâ animi otiique captandi, pergens Venafrum in urbem Campaniæ deliciis accommodatam. Vide lib. 2. Od. 6. v. 16.

56. *Lacedæmonium Tarentum.*] Civitatem à Phalanto Lacedæmonio conditam: de quâ lib. 1. Od. 28 ſub finem & lib. 2. Od. 6. v. 12.

ODE VIII. Ad ROMANOS.

E religionis contemptu, & depravatione morum, fluxiſſe Italiæ calamitates.

O Romane, ſolves pœnas quas non es meritus, ob peccata patrum, donec reſarcieris fana & delubra Numinum decidentia atque imagines atro ſqualore deformatas. Regnas, quia te præſtas inferiorem Numinibus. Inde omne primordium: illuc finem reduc.

DElicta majorum immeritus lues, [274]
Romane, donec templa refeceris
Ædéſque labentes Deorum, et
Fœda nigro ſimulacra fumo.
Diis te minorem quod geris, imperas. [275]
Hinc omne principium, huc refer exitum. 6

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Delicta majorum, &c.*] Quanquam pœnas debet luere ſolus peccans, tamen ad quarti gradûs poſteros peccatorum pœnas interdum vel extendi vel reſervari exiſtimabat Plato. Quod dubio procul hauſerat è notitiâ ſacrorum codicum. Exod. cap. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia bis qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Idem reperitur cap. 34. ſeq. & Deuteronom. cap 5. &c. poſteriorem iſtam ſententiæ partem videtur quoque expreſſiſſe Ariſtoteles Rhetor. ad Alex. c. 3. ubi ſcribit, æquum eſſe ut benevolentiores Dii ſint in eos, à quibus magis coluntur.

Delicta.] Is peccare dicitur, qui viam rectam delinquit, & à legis præſcripto recedit.

Immeritus lues.] Deuteron. 24. v. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* Id habetur 4 Reg. cap. 14. v. 6. *Non morientur filii pro patribus, &c.* Ezekiel, cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris . . . Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Et paulò ante: *Quid eſt quòd inter vos parabolam vertitis in proverbium iſtud, in terra Iſrael dicentes; Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt? &c.* ubi Chald. *Patres peccaverunt, & filii vapulant.* Sic & Jerem. 31. v. 29. *In diebus illis non dicent ultra, Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt. Sed unuſquiſque in iniquitate ſua morietur: omnis homo qui comederit uvam acerbam, obſtupeſcent dentes ejus.*

2. *Donec templa refeceris.*] Seu vetuſtate collapſa, ſeu bellorum civilium incendio correpta, labefactata, fœdata, abſumpta; quin & victorum avaritiâ direpta. Quò ſpectat id quod eſt in Od. 35. lib. 1.

Quid intactum nefaſti
Liquimus? Unde manus juventus
Metu Deorum continuit: Quibus
Pepercit aris?

Porrò quod hic, itemque ſub finem Od. 15. l. 1. dixit Horatius, totum vergit in laudem & commendationem Auguſti, qui non modo ſacras ædes ipſe multas exſtruxit, ſed & cæteros principes viros hortatus eſt, ut pro facultate quiſque reficerent, excolerent, adornarent: ut *jure gloriatus ſit urbem ſe marmoream relinquere, quam lateritiam accepiſſet.* Sueton. cap. 28, & 29.

5. *Diis te minorem quod geris, imperas.*] Quoniam pius es in Deos, quos, ut decet, obſervas & colis; idcirco imperium orbis tibi donant illi. Hæc ad Auguſtum ſanè pertinent, de quo jam lib. 1. Od. 12.

Te minor latum reget æquus orbem.

6. *Hinc omne principium.*] Cicer. de Haruſpic. Reſponſ. n. 18. & 19. *Ego vero primum habeo auctores ac magiſtros religionum colendarum majores noſtros . . . . . Quis tam vecors, qui aut, cùm ſuſpexerit in cœlum, Deos eſſe non ſentiat; . . . . aut cum Deos eſſe intellexerit, non intelligat eorum numine hoc totum Imperium eſſe natum, & auctum, & retentum? Quam volumus licet ipſi nos amemus, tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipſo hujus gentis ac terræ domeſtico nativoque ſenſu Italos ipſos ac Latinos, ſed pietate ac religione, atque hac una ſapientiâ, quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perſpeximus, omnes gentes nationeſque ſuperavimus.*

Principium.] Ut ſuprà Od. 4. *Vos lene conſilium:* utrobique in cæſurâ accipe vel duas breves pro unâ longâ, vel Craſin, vel converſionem vocalis in conſonantem, quemadmodum fieri ſolet in *ariete, abiete, genua, &c.*

Huc refer exitum.] Diis accepta refer tum Imperii primordia, tum propagationis & amplificationis incrementa, & felicem quarumcumque rerum exitum. Nam ſicut à religione imperii hujus fundamenta locata ſunt, ita quoque per eamdem in Deos pietatem illud retinebis exornabiſque. Tit. Liv. *Invenietis omnia proſpera evenire ſequentibus Deos, adverſa ſpernentibus.* Vide Dion. Halicarn. l. 3. ubi à Martio Rege inſtaurata diligenter ſacra, quæ ante neglecta aut pravè culta.

Dii multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.
Jam bis Monæſes, et Pacori manus
Non auſpicatos contudit impetus
Noſtros, & adjeciſſe prædam
Torquibus exiguis renidet.
Pæne occupatam ſeditionibus
Delevit urbem Dacus et Æthiops;
Hic claſſe formidatus, ille
Miſſilibus melior ſagittis.

Spreta Numina plures calamitates intulerunt afflictæ Italiæ. Jam ſemel atque iterum Monæſes & Pacori exercitus repulit noſtros conatus inauſpicatos: gaudetque noſtros *ſpolia addidiſſe torquibus* ſuis *minoribus.* [276] *Civitatem diſſenſionibus detentam propemodum extinxit Dacus & Æthiops, hic navibus potens, ille telis jaciendis peritus.*

ANNOTATIONES.

7. *Dii multa neglecti, &c.*] Religio Deorum neglecta cauſa fuit calamitatum, quas tulit Italia, quæ *Heſperia* dicitur, ut notavi lib. 2. Od. 1. Plurima tum obſervatæ tum neglectæ religionis exempla pete e Valer. Max. lib. 1. cap. 1. Pariter & bona ingentia promittit ſua præcepta ſervantibus, negligentibus autem mala gravia minitatur Deus Opt. Max. Levit. cap. 26. Deuter. cap. 28.

9. *Jam bis Monæſes, &c.*] Jam bis victi ſumus à Parthis contra auſpicia ſcilicet dimicantes. Impetus noſtros contudit Monæſes apud Parthos inſignis vir potentiâ & opibus, qui fortaſſe idem ac Surena, à quo deletus cum exercitu Craſſus. Appian. lib. de Bellis Parthicis. Iterum profligati ſumus à Pacoro Orodis Parthorum Regis majore natu filio: quem tamen paulò poſt Ventidius Antonii legatus, univerſamque ſimul Parthorum manum delevit; ut ait Juſtin. lib. 42. Vide & Dion. lib. 48. & 49. Tit. Liv. lib. 127 Flor. lib. 4. cap. 9 & 10. &c.

10. *Non auſpicatos.*] Cic. de Divin. 1. n. 28. *Nihil ferè quondam majoris rei, niſi auſpicatò; nec privatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auſpices declarant,* . . . . Ubi multis exemplis auſpiciorum contemptum aut vitium, magnarum populo Romano calamitatum fuiſſe cauſam oſtendit. *Quid vetera?* inquit, *M. Craſſi quid acciderit, vidimus, dirarum obnuntiatione neglectâ, &c.* De Haruſp. reſp. cit. *Majores noſtri rerum benè gerendarum auctoritates, augurio . . . . . . contineri putârunt.* V. de Valer. Maxim. lib. 1. cap. 4. & ſeq. cap. 6. *Craſſus inter graviſſimas noſtri Imperii jacturas numerandus, plurimis & evidentiſſimis ante rui nam monſtrorum pulſatus ictibus* . . . . . *Sic Dii ſpreti excandeſcunt. Sic humana conſilia caſtigantur, ubi ſe cæleſtibus præferunt.* De Craſſo vide & Appian. Dion. lib. 40. Oroſ. lib. 6. Flor. lib. 3. cap. 11. & quæ annotavi ſuperiori Od. v. 5.

11. *Et adjeciſſe prædam Torquibus exiguis renidet.*] E ſpoliis noſtris, detractoque nobis auro auxêre Parthi ſuos torques, majoreſque fecêre eos, qui ante erant exigui. *Torques* nimirùm colli erant ornamenta, ſeu aurea, ſeu argentea, ſic etiam in præmium dari ſolita, qui ſtrenuam in bello operam navârant. His inſignibus ornabant ſe pridem Parthi, Galli, aliique, etiamnum verò Germani.

12. *Renidet.*] Quidam interpretantur, ſplendet: meliùs alii geſtit, lætitiam præ ſe fert.

13. *Pæne occupatam ſeditionibus, &c.*] Bellis civilibus diſtractam ac laceram urbem & Rempublicam Romanam propè delevit exercitus e Dacis atque Æthiopibus conflatus. Ex illis nempe conſtabant terreſtres Antonii copiæ; Ægyptiis verò Cleopatræ navales & maritimæ. *Daci,* ſeu Scythæ ſagittas mittere periti, cum ad Cæſarem miſſis legatis non impetrâſſent quæ petebant, ad Antonium ſe converterunt. Dio. lib. 51. *Daci* proprie ſunt hodie accolæ Danubii fluminis, Moldavi, Tranſilvani, Valachi.

14. *Æthiops.*] Populus Ægypto conterminus. Æthiopia, regio Africæ perampla. Duplex eſt: Una inferior, ultra Æquatorem, veteribus incognita; ſuperiori autem ſeculo detecta Luſitanis & perluſtrata. De hac itaque non agitur nunc; ſed de alterâ, quæ ſuperior, & ſub Ægypto appellatur, proque illâ nonnunquam ſumitur: Abyſſiniam continet ad ſinum Arabicum porrecta.

15. *Hic claſſe formidatus.*] Plutarchus in Anton. refert ejus claſſem octingentas habuiſſe naves cum onerariis, quarum Cleopatra ducentas Ægyptiis militibus armatas contulit, quæ magna pars maritimarum copiarum; Cæſarem auditâ celeritate Antonii & magnitudine exercitûs, vehementer trepidaſſe; nimirùm Auguſto naves duntaxat adfuiſſe ducentas & quinquaginta, Antonio verò bellicas quingentas, eaſque tam firmas & ligneis turribus inſtructas, ut tanquam e terrâ pugnaturi eſſent; atque una earum tres & quatuor hoſtium naves decertando occuparet, &c. Flor. lib. 4. cap. 11. *Hoſtium naves turribus atque tabulatis allevatæ, caſtellorum &*

Fœcunda

Ævum delictis fertile primo fœdavit conjugia, & ſtirpem, & familias. Ex iſtâ origine manans calamitas in patriam & populum graſſata eſt. Nubilis puella ſtudet ediſcere ſaltationes Ionum, & jam formatur membris: atque flagitioſos amores cogitat ab ætate molliori. Deindè mœchos adoleſcentiores ſectatur

Fœcunda culpæ ſæcula nuptias [277]
Primùm inquinavêre, et genus, et domos.
  Hoc fonte derivata clades
    In patriam populúmque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, et fingitur artubus
  Jam nunc, & inceſtos amores [278]
    De tenero meditatur ungui.
Mox juniores quærit adulteros

ANNOTATIONES.

urbium ſpecie, non ſine gemitu maris & labore ventorum ferebantur. Quæ quidem ipſa moles exitio fuit. . . . Nec ullâ re magis hoſtilium copiarum apparuit magnitudo, quam poſt victoriam. Quippe immenſa claſſis, naufragio belli facto, toto mari ferebatur: Arabumq; & Sabæorum, & mille aliarum gentium Aſiæ ſpolia, purpuram, aurumque in ripam aſſiduè mota ventis maria revomebant. Vide Epod. 9.

17. *Fœcunda culpæ ſæcula, &c.*] In depravatis iſtis ſæculis crebra perpetrata ſunt adulteria, quibus inquinatæ ſunt familiæ; quin & inde *clades in patriam fluxit.* Nam procreati ſunt degeneres, imbelleſq; homines à priſcâ Romanorum indole ac virtute prorſùs alieni. Hinc vitia graſſata in populum: hinc ignaviâ militum exercitus profligati: hinc prima Reipublicæ gloria multùm defloruit. Hinc deniq; violatâ ſanctitate nuptiarum, & Pronubâ Junone illarum præſide, aliiſq; numinibus graviter læſis, *in populum derivatæ clades*, calamitates, peſtilentiæ, ab iratis atque ultoribus Diis immiſſæ.

Nuptias Primùm inquinâvere.] Tanta verò fuit aliquando Romæ ea licentia, ut lege Juliâ coërceri oportuerit. Vide lib. 4. Od. 5. ver. 21.

21. *Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo.*] Unde porrò tot adulteria, totque flagitiorum infamia & pravitas? Nimirum quod nubiles puellæ ad impuras artes formantur, Ionicis indulgent ſaltationibus, quibus mens pariter & corpus corrumpuntur. Hoc fonte manant tot mala. Nam primò inceſtos amores adoleſcentula meditatur, antequam nubat; nupta mœchos ſectatur; demum lenocinante marito palam ſervit meretricio quæſtui. Animadverte gradus ad ſummam impudicitiæ labem.

Motus Ionicos.] Laſcivas ſaltationes ab Ionibus inventas. Cœl. Rhodig. lib. 18. cap. 25. *Ionicam mollitiem, & choreis mancipatos animos* vocat. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25. *Saltationis genera, & motus Ionicos ediſcere Romanam juventutem aliquando mos fuit*, inquit: *ſiquidem Iones pſallendi normam, & molles ſaltus primi inveniſſe traduntur.* Plut. Stich. ſub finem. *Quis Ionicus aut cinædicus, qui hoc tale facere poſſet?* Apud Ariſtophan. ἰωνικῶς ponitur pro ἁβρῶς, *molliter, delicate, feſtivè.* Athen. lib. 2. cap. 5. *Iones molles, delicatis amicti veſtibus, voluptate diffluentes*, appellantur. Ibid. ex Theophraſto, Ionum luxus immodicus in proverbium abiiſſe dicitur, ad ſuum uſque ſeculum, lib. 14. cap. 5. *Ionum mores deliciis perditiſſimi, cantus à vetuſto longè diverſus, harmonia remiſſior*, nuncupatur cap. 7. ἦν δέ τις καὶ Ἰωνικὴ ὄρχησις παροίνιος, *Ionica ſaltus inter vina.*

Ionicos.] Iones in Aſiâ Minori, ab Ionibus Græciæ populis oriundi, regionem tenebant Æolidis & Cariæ mediam cœli clementiâ & bonitate, ſoli etiam amœnitate & ubertate præſtantem.

22. *Fingitur artubus.*] Alii *artibus*: eodem certe recidit ſententia: id eſt, ſecundum artem moveri & ſaltare docetur. Quidam, *frangitur artubus*, Mollia ſtudet membra ad motus queſlibet efficere. Macrob. lib. 3. cap. 14. *Saltandi cura non inhoneſta, dummodo non curioſa & uſque ad artis perfectionem. Quid enim Salluſtius pſallere, ſaltare elegantius quàm neceſſe eſt probæ?* nimirum matronæ, aut virgini. Addit ille; *Nobilium verò filios, & (quod dictu nefas eſt) filias quoq; virgines inter ſtudia numeráſſe ſaltandi meditationem, teſtis eſt Scipio Æmilianus, qui in oratione contra legem judicariam Tib. Gracchi ſic ait: docentur præſtigias inhoneſtas: cum cinædulis . . . diſcunt cantare: cum ſambucâ & pſalterio eunt, &c. quæ majores noſtri ingenuis probro duci voluerunt. Eunt, inquam, in ludum ſaltatorium, inter cinædos, virgines puerique ingenui . . . In eo ludo vidi plus pueris & virginibus quingentis: in his vero unum (quo me maximè Reipublicæ miſertum eſt) puerum bullatum petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis ſaltare: quam ſaltationem impudicus ſervulus honeſtè ſaltare non poſſet, &c.*

23. *Inceſtos.*] Non caſtos, impuros.

24. *De tenero meditatur ungui.*] A teneris, ut Græci dicunt, unguiculis, ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων, Cic. ad Famil. Ep. 6. lib. 1.

25. *Mox juniores, &c.*] Cùm verò nupta eſt, marito ſuo juniores mœchos quærit, vel inter ipſas nuptiales epulas, vel dum ille amicos convivio excipit, vel cùm *invitavit ſeſe in cœnâ pluſculum, atque appotus probè eſt*, quod ait Plaut. Amphitr.

Inter mariti vina: neque eligit
Cui donet intermiſſa raptim
Gaudia, luminibus remotis.
Sed juſſa coràm non ſine conſcio
Surgit marito, ſeu vocat inſtitor,
Seu navis Hiſpanæ magiſter, [279]
Dedecorum pretioſus emptor.
Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine Punico;
Pyrrhúmque, et ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalémque dirum:

inter viri ſui convivia: nullumque delectum adhibet, cui voluptates haud licitas furtim indulgeat, extinctis lucernis. Sed præſente & conſentiente viro pergit vocata, ſive petit negotiator, ſive dominus navis Hiſpanicæ flagitia remunerans ingenti mercede. Non ejuſmodi parentibus nati juvenes mare tinxerunt cruore Carthaginienſium: & profligavêre Pyrrhum, magnumque Antiochum, & ſævum Hannibalem:

ANNOTATIONES.

26. *Neque eligit Cui donet, &c.*] Eò tàndem impudentiæ progreditur, ut non clàm, raptim, furtim, aut per tenebras noctis, remotiſque lucernis, adulteria perpetret, mœchiſque indulgeat; ſed palam, & quod turpius, *conſcio marito*, quemlibet vocantem ſequitur, ac ſine ullo diſcrimine obvio cuivis pretium offerenti, non ſecùs ac publicum & vile ſcortum, venalem ſe proſtituit.

29. *Non ſine conſcio Surgit marito*] Vidente & ſciente marito, ſurgit e triclinio, & ad mœchum accerſentem, pergit: ſive ille conniveat & mercede corruptus uxoris flagitiis annuat, Inde lucrum faciens. Juvenal. Sat. 1. v. 56.

. . . . Doctus ſpectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo.

Sive ille imperioſæ non auſit petulentiam uxoris coërcere. Juv. Sat. 6. v. 135. & ſeq. Item v. 269.

Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor.
. . . .
. . . . olim convenerat, inquit,
Ut faceres tu quod velles; necnon ego poſſem
Indulgere mihi. Clames licet, & mare cœlo
Confundas, homo ſum. Nihil eſt audacius illis
Deprenſis. Iram atque animos a crimine ſumunt.

30 *Inſtitor.*] Gall. *Facteur de Marchand.* dictus quod inſtet gerendo negotio. Angl. *A Factor.*

31. *Navis Hiſpanæ magiſter.*] Seu nauclerus, ſeu navis dominus, ſeu mercator & negotiator. Hiſpani frequentes in Italiam negotiaturi commeabant & navigabant, vina ſcilicet advehebant, alias autem reportabant merces. Vide lib. 1. Od. 31.

32. *Dedecorum pretioſus emptor.*] Quovis pretio emens & remunerans flagitia & adulteria Italicarum mulierum.

33. *Non his juventus orta, &c.*] Non talibus effœminatis & corruptis orti parentibus fuerant ii milites, qui præclaros Populo Romano triumphos pepererunt: qui navali certamine vicerunt Carthaginienſes, & *Siculum mare Pœno purpureum ſanguine* reddiderunt: ut eſt in Od. 12. lib. 2. Vide ibi annot. qui Pyrrhum, qui Antiochum, qui Annibalem ſuperaverunt ac ceciderunt.

35. *Pyrrhum.*] Is Epirotarum rex, paternum genus ad Herculem, maternum ad Achillem, referebat. Imperium orbis animo verſans, de bello Romanis inferendo Apollinis oraculum conſuluit, deluſuſque eſt ancipiti reſponſo: *Aio te, Æacida, Romanos vincere poſſe.* Itaque Tarentinis ferens auxilium adverſus Romanos, ingenti quidem apparatu, à Curio Fabricioque Conſulibus profligatus eſt. L. Flor. lib. 1. cap. 18. ita ſcribit: *Quinam illi fuerunt viri, quos ab Elephantis primo prælio obtritos accepimus? Omnium vulnera in pectore: quidam hoſtibus ſuis immortui, omnium in manibus enſes; & relictæ in vultibus minæ, & in ipſâ morte ira vivebat. Quod adeò miratus eſt Pyrrhus, ut diceret: O quàm facile erat orbis Imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis, &c.*

Ingentem Antiochum.] Commune regum Syriæ nomen hoc erat, teſte Appiano. Hîc apertè deſignatur Antiochus cognomento Magnus. Bellum movit impellente Annibale, qui *victus & profugus hoſtem populo Romano toto orbe quærebat.* Acilio Glabrione Conſule debellatus eſt, cæſis quadraginta millibus, captis ad quinque millia. Tullius pro Sextio: *Antiochum illum Magnum majores noſtri magnâ belli contentione, terrâ marique ſuperatum, intra montem Taurum regnare juſſerunt.* Et pro Dejotaro: *Antiochus magnus ille rex . . . cùm omnem hanc Aſiam, quæ nunc eſt noſtra provincia, amiſiſſet; dicere eſt ſolitus, benignè ſibi à populo Romano eſſe factum, quod nimis magnâ procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur.* Vide Oroſ. lib. 4. cap. 20. Flor. lib. 2. cap. 8. Juſtin. lib. 31. T. Liv. 46. Appian. &c.

36. *Hannibalemque dirum.*] Vide Annot. lib. 2. Od. 12.

Sed ſtrenui filii militum agreſtium, aſſueti terram colere bipalio Sabino, & ad auſteræ matris voluntatem amputata referre ligna, cum montium vertit umbras & juga feſſis bobus detrahit Sol, horam adducens jucundam, recedente curru. Quid tempus edax non corrumpit? Ævum patrum noſtrorum avis deterius produxit nos pejores, deinde prolem ecituros etiam improbiorem.

Sed ruſticorum maſcula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus [280]
Verſare glebas, et ſeveræ
Matris ad arbitrium reciſos
Portare fuſtes; Sol ubi montium
Mutaret umbras, et juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens, abeunte curru.
Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos [281]
Progeniem vitioſiorem.

ANNOTATIONES.

37. *Sed ruſticorum maſcula militum Proles.*] Sed filii virorum ruſtico labore & militiâ robuſtorum, & ipſi pariter agreſti vitâ indurati, diuturnoque operi aſſueti; proindeque virili animo junctâ & forti corpore, non molles & voluptatibus fracti.

38. *Sabellis docta ligonibus Verſare glebas.*] Jam notavimus alibi optimos Italiæ bellatores exiſtimatos pridem Appulos & Samnites, qui & Sabelli, à Sabinis orti, ex Strabone, lib. 5. & Plin. lib. 3. cap. 12.

39. 40. *Et ſeveræ Matris ad arbitrium, &c.*] Qui & matris imperio & ſeverâ diſciplinâ facti ad virtutem laborioſam: nam jubebat illa poſt diuturnum opus, ligna etiam cædere, atque ad uſum domeſticum reportare.

41. *Sol ubi montium Mutaret umbras.*] Veſperi, cùm vergens Sol ad occaſum auget umbras, aut convertit ad orientem, quæ mane ad occidentem fuerant. Prior interpretatio magis arridet. Virgil. Eclog. 1. v. 84.

Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Eclog. 2. v. 67.

Et Sol creſcentes decedens duplicat umbras.

Sol.] Cicer. de Nat. Deorum n. 68. *Sol dictus vel quia ſolus ex omnibus ſideribus eſt tantus: vel quia cum eſt exortus, obſcuratis omnibus ſolus apparet.*

42. *Et juga demeret Bobus fatigatis.*] Quo tempore demitur jugum bobus arando fatigatis ſolutique ab aratro domum reducuntur. Virgil. modò cit.

Aſpice, aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci;
Et Sol creſcentes decedens duplicat umbras.

43. *Amicum Tempus agens, abeunte curru.*] Adducens tempus optimæ & jucundæ poſt laborem quieti deſtinatum, *Cum ſe convolvens Sol elabitur atque abit*, ut ait Cicer. 1. de Divinat. n. 46. Virgil. Æneid. 2. v. 9.

. . . . . . Et jam nox humida cœlo
Præcipitat; ſuadentque cadentia ſidera ſomnos.

Georgic. 3. v. 358.

Nec cum invectus equis (Sol) *altum petit æthera, nec cum*
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.

45. *Damnoſa quid non imminuit dies?*] Quid non abſumit tempus, rebus omnibus ferens damnum interitumque? Cic. pro Marc. *Nihil eſt opere aut manu factum, quod non aliquando conficiat & conſumat vetuſtas.*

46. *Ætas parentum pejor avis, &c.*] Avis pejores fuêre patres noſtri; nos patribus deteriores ſumus: nobis etiam vitioſiores poſteros relinquemus: Homer. Odyſſ. 2.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Pauci enim filii ſimiles patri;
Plerique pejores, pauci verò patre meliores ſunt.

ODE

ODE VII.

Aſterien conſolatur de Gygis Abſentiâ, & ad Fidem hortatur.

QUID fles, Aſterie, quem tibi candidi
Primo reſtituent vere Favonii,
Thynâ merce beatum,
Conſtanti juvenem fide
Gygen? Ille Notis actus ad Oricum, [282]
Poſt inſana Capræ ſidera, frigidas 6
Noctes non ſine multis
Inſomnis lacrymis agit.

O Aſterie, quare ploras Gygen, ſtabili fidelitate adoleſcentem, quem boni Zephyri initio verni temporis tibi reddent Bithynis mercibus opulentum? hic ad Oricum ab Auſtris pulſus, poſt violentum Capræ aſtrum, noctes algentes ducit non dormiens, & abunde plorans.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſuprà Od. 5. lib. 1.

1. *Quid fles, Aſterie, &c.*] Accommodata valdè apoſtrophe iſta cum leni increpatione, principio conſolatorii ſermonis, & ad demulcendum muliebrem animum idonea. Propert. l. 2. Eleg. 20.

Quid fles abductâ graviùs Briſeide? Quid fles
Anxia captivâ triſtiùs Andromache? &c.

Aſterie.] Amica, vel uxor Gygis: ab ἀςὴρ, ſtella factum nomen.

Quem tibi candidi, &c.] Paulò poſt frueris tuo Gyge; cùm primùm licebit navigare, ad te advolabit cupientem & ipſe cupiens.

2. *Primo vere.*] Cùm flare ob occaſu incipiunt Zephyri, ſeu *Favonii: candidi*, ſereni, mites, propitii, faventes. Plin. lib. 2. cap. 47. *Ver aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii hybernum molliunt cœlum.* Vid. lib. 1. Od 4. initio.

Favonii.] Plaut. Mercat. 5, 2, 35. *Hic Favonius ſerenus eſt, iſtic Auſter imbricus: hic facit tranquillitatem, iſte omnes fluctus conciet.* Vide lib. 3. Od. 1.

3. *Thynâ merce.*] Vel annulis Thynicâ limâ perpolitis, quorum mentio eſt in næniola de morte Horatii, apud Iſidor. lib. 19. cap. 32. vel cultellis Bithynicis, de quibus Non. Marcell. ex Varrone, in Satyr. ſeu γεροντοδιδάσκαλος: fortaſſe & thynnis piſcibus, qui bene multi capiuntur à Thynis populis, inde etiam adeptis nomen; ut placet quibuſdam. Perſ. Sat. 5. v. 183.

. . . Rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni.

Ex Ammiano Thynia pars eſt Bithyniæ. Plin. lib. 5. cap. 32. *Thyni ex Europâ tranſiêre, à quibus appellantur Bithyni.* Et paulò poſt: *Tenent oram omnem Thyni, interiora Bithyni. Is finis Aſiæ eſt*, &c. ibid. cap. 27. *Eſt etiam Thynos oppidum Ciliciæ.* Et lib. 4. cap. 11. *Thyni ſunt Thraciæ populi.* De his Claudian.

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Vide lib. 1. Od. 35. v. 7.

4. *Conſtanti juvenem fide.*] Hac lectione vulgatâ memoriam vetuſtatis aboleri quidam indignantur; leguntque ex vett. codd. *conſtantis juvenem fide*, pro *fidei* nimium: quod ita pridem uſurpatum docent Priſcianus, A. Gellius lib. 2. c. 14. Virgil. Georgic. 1. v. 208.

Libra die (id eſt diei) *ſomnique pares ubi*
fecerit horas.

5. *Ille Notis ad Oricum, &c.*] Cùm Italiam appeteret Gyges, reditumque maturaret, prohibitus eſt ventis ab Auſtro flantibus, actuſque ad Oricum; quæ prima eſt Epiri civitas à Colchis condita; ex Plin. cap. 23. lib. 3. urbs illa ad oram maris Ionii in Epiro ſita, ad radices montis Acroceraunii, cum portu ſatis amplo, Oreum Strabone, Horicum Ptolemæo, Orcha Nigro dicitur. Multa de illâ Tit. Livius.

6. *Poſt inſana Capræ ſidera.*] Poſtquàm ille jactatus fuit magnis tempeſtatibus, quas excitavit ſidus Capræ, quæ eſt in humero Aurigæ ſiniſtro, ſicut in manu ſunt Hœdi. Hygin. Capram Amaltheæ, cujus lacte nutritus eſt Jupiter, ab eo inter aſtra collocatum fabulantur. Oritur ſub finem Septembris: pariter & Hœdi: de quibus Ode 1. hujus libri. Pluvialem Capram vocat Plinius. Ex Aratro, Capra & Hœdi jactatas in mari naves, & pavidos homines frequenter viderunt.

Frigidas Noctes, non ſine lacrymis, &c.] Coactus hyemare Orici Gyges, Aſteriæ deſiderio contabeſcit, ſomno caret, lacrymatur ubertim, aliis mulieribus friget, etiam tentatus non cedit. Adverte ſingulas voces amoris ſignificationem habentes, a Poëtâ coacervatas. Quid verò jucundius ſeu amicæ ſeu uxori proferri poterat? Quid efficacius ad leniendum vel abſtergendum dolorem; imò & ad excitandam fidem?

Atqui

Verum internuncius hoſpitæ anxiæ declarans afflictam Chloën ingemiſcere, tuiſque flammis ardere, variis illum *rationibus aſtute ſolicitat. Exponit quemadmodum infidelis fœmina levem Prœtum injuſtis calumniis excitarit mortem accelerare Bellerophonti nimium pudico. Refert Peleum tantùm non interfectum, cum temperans evitatur Hippolytam e Magneſiâ. Quin etiam deceptor narrat hiſtorias crimen admittere ſuadentes.* Sed *incaſſum. Etenim rupibus Icarii* maris *durior* iſta *verba excipit hucuſque incorruptus. Tibi verò cave nè, pluſquam par eſt, arrideat Enipeus vicinus.*

Atqui ſollicitæ nuntius hoſpitæ,
Suſpirare Chloën, et miſeram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vaſer modis.
Ut Prœtum mulier perfida credulum
Falſis impulerit criminibus nimis [283]
Caſto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat pæne datum Pelea Tartaro,
Magneſſam Hippolyten dum fugit abſtinens:
Et peccare docentes
Fallax hiſtorias monet.
Fruſtra. Nam ſcopulis ſurdior Icari
Voces audit adhuc integer. At tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus juſto placeat, cave.

ANNOTATIONES.

9. *Atqui ſollicitæ nuntius hoſpitæ, &c.*] Interea verò Chloë, apud quam diverſatur & manet Gyges, ejus animum ſolicitat interpoſito nuntio, qui *mille vaſer modis* ſuadere conatur, ut obſequatur amori hoſpitæ ſuæ.

10. *Chloën.*] Χλόη, *viriditas,* adoleſcentiæ florem vox deſignans.

Tuis dicens ignibus uri.] Tui Gygis amore incenſam, adeóque tuo flagrantem igne, quo tu nempe ureris & flagras ipſa. Virgil. Eclog. 3.

At mihi ſeſe offert ultrò meus ignis Amyntas.

13. *Ut Prœtum mulier, &c.*] Pluribus exemplis Gygen movere incuſſo metu nititur Chloæ nuntius. Narrat Bellerophontem ſimili cauſâ & occaſione prope interemptum. Scilicet is Glauci Regis Ephyræ filius apud Prœtum Regem Argivorum hoſpes erat. Antea ex Homero, ex aliis Sthenobœa ejus uxor, Bellerophontis amore capta ſtuprum obtulit. Hic reſpuit. Tum illa perfidiæ ſuæ crimen in eum conjecit, innocentem criminata apud Prœtum; qui credulus irâ exarſit. Cùm tamen hoſpitii jura violare, hoſpitemque ipſe perimere nollet, ad alios occidendum tranſmiſit. Vide Homer. Iliad. 6. Apollodor. lib. 2. &c.

14. *Impulerit Maturare necem.*] Ne temporis morâ & cunctatione, Bellerophontis innocentia, à ſe verò cogitati facinoris infamia detegeretur, tandemque non ſine gravi dedecore à viro ipſa mulctaretur. De Bellerophonte jam lib. 1. Od. 27. in fine.

17. *Narrat pæne datum Pelea Tartaro, &c.*] Refert etiam quemadmodum erepta fere ſit vita Peleo Achillis patri, dum caſtus amantem fugit ac repulit Hippolyten. Hæc enim excandeſcens velut inſidiatum ſuo pudori juvenem detulit viro ſuo. Jovis quidem Hoſpitalis iram veritus ille, Centauris inermem, dubioque procul interficiendum tradere cogitavit. At innocenti opem tulerunt Dii, miſſo Vulcano; à quo accepto Peleus gladio Centauros debellavit, mortemque evaſit. Vide Pindar. Nem. Carm. 4. & 5. Ovid. Metam. 11. Apollodor. lib. 3. &c.

18. *Magneſſam Hippolyten.*] Uxorem Acaſti Regis Magneſiæ, quæ Theſſaliæ regio. Hinc cognomen, quo diſtinguitur ab Hippolytâ Amazonum Reginâ.

19. *Peccare docentes Fallax hiſtorias monet.*] Quoniam periculi mortiſque metus parum valuit, aliâ jam ratione Gygis animum impellit Chloës internuntius. Affert hiſtorias & exempla eorum, qui rejectis primis amoribus, novos non injucunde nec infeliciter admiſerunt. Ipſum Jovem commemorat Alcmenæ, Danaës, & aliarum amores conſectatum, &c. Fortaſſe addit Paridem & Helenam, &c. *Peccare docentes.* Certe nihil magis, quam exemplum, vitium ſuadet. Viam enim oſtendit quaſi tritam & facilem, atque à notâ criminis prope immunem. Apud Cicer. *Hiſtoria Magiſtra Vitæ.* Sunt qui legunt, *Hiſtorias movet,* nec abſurde.

21. *Scopulis ſurdior Icari Voces audit, &c.*] At Gyges *adbuc integer, voces* internuntii Chloæ ſolicitantis *audit* immotus, veluti ſcopulus *Icarium* mare, hodie *Nicarium*; pars eſt Ægæi, verſus Icariam inſulam; frequentes habet ſcopulos. Nomen ab Icaro in illud lapſo, cùm volare tentâſſet. De eo lib. 1. Od. 1. v. 15. lib. 2. Od. 20. v. 13. lib. 4. Od. 2. v. 2.

22. *At tibi ne vicinus, &c.*] Tu vero, Aſterie, fac ut æque fidelis tuo Gygi permaneas. Cave itaq; ne vincaris aút indulgeas amoribus Enipei vicini, etiamſi habeat unde amari poſſit.

Quamvis

Quamvis non alius flectere equum ſciens [284]
Æquè conſpicitur gramine Martio :
Nec quiſquam citius æquè
Thuſco denatat alveo.
Primâ nocte domum claude : neque in vias
Sub cantu querulæ deſpice tibiæ :
Et te ſæpè vocanti
Duram, difficilis mane.

Tametſi nemo tam peritus equum regendi in Campo Martio ſpectatur ; nullusque tam expedite flumen Hetruſcum tranat. Ædes occlude nocte ineunte : nec in vias deorſum aſpice ad ſonitum canoræ fiſtulæ : & crudelem frequenter appellanti, crudelis perſiſte.

ANNOTATIONES.

25. *Quamvis, non alius, &c.*] Quamvis Enipeus equitandi peritiam in Campo Martio, in Tiberi verò ſolertiam natandi & agilitatem præ cæteris oſtentet. Vide lib. 1. Od. 8.

28. *Thuſco alveo.*] Tiberino fluvio, qui Hetruriam ab Umbriâ, Sabinis, & Latio diſterminat, Romam interluit, in mare Tyrrhenum delabitur.

29. *Primâ nocte domum claude.*] Ne irrumpat Enipeus, noctis umbrâ & ſilentio abuſus. T. Livius *primas tenebras*, dixit, pro *noctis initio*.

Neque in vias Sub cantu querulæ deſpice tibiæ.] Ne per feneſtram in vias deſpecta, neve ſic videaris Enipei reſpondere amoribus, cùm ille, ex more amantium, ante fores tuas noctu canet tibiâ. Vide lib. 1. Od. 25. & hujus libri Od. 10. ibique annot.

30. *Querulæ.*] Suaviter ludentis ac reſonantis ; vel molliori ſono exprimentis amorem Enipei & ejus querimoniam, quòd erga ipſum dura ſis.

31. *Vocanti Duram, difficili mane.*] Licet ille te incuſet velut ferream, quæ laborantis ægritudine parum movearis ; inexorabilis tamen & inexpugnabilis perſevera libidinoſam Enipei contentionem eluctari.

ODE VIII.

Ad MÆCENATEM.

Reddit rationem cur Martiis Calendis ſacrificet.

MArtiis cœlebs quid agam Calendis, [285]
Quid velint flores, et acerra thuris
Plena, miraris, poſitúſque carbo in
Ceſpite vivo,
Docte ſermones utriuſque linguæ.

O Mæcenas, *callens utramque linguam, demiraris quid ego ſine uxore faciam Calendis Martiis, quid denotent flores, & vaſculum thure refertum, atque prunæ conſtitutæ in gramine virenti.*

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod Od. 2. Lib. 1.

1. *Martiis cœlebs quid agam, Calendis, &c.*] Miraris quòd ego cœlebs diem hunc feſtum habere videar ſolis conjugibus celebrari ſolitum. Singulorum menſium Calendæ, præcipue verò Martiæ Junoni dicatæ erant : dictaque Matronalia, quoniam pro conjugii felicitate matroni ſacrificabant. Adde quod eâ die coli cœpta eſt ædes Junonis, quæ conjugio præſidet. Macrob. lib. 1. c. 9. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4. Belli etiam per Sabinas mulieres compoſiti memoria tunc colebatur. Ovid. Faſtor. 3. Hinc *femineas* vocat has Calendas Juvenalis Sat. 9. v. 53. At mariti quoque Junoni ſupplicabant, ut uxorum pudicitiam tueretur. Porrò quòd primus anni menſis apud Romanos erat Martius, & unde Calendæ appellatæ, diſce ex Macrob. lib. 1. cap. 12. & 15.

Cœlebs.] Romani cœlibem dicebant quaſi cœlitem, qui vitam ageret in terris cœleſti ſimilem. Donat in Terent.

2. *Quid velint flores, &c.*] Omnia nempe Horatius ad ſacrificium perſolvendum comparabat, tanquam voti reus.

Acerra.] Vas fictile ſeu patera, in quâ ponebatur thus adolendum.

3. *Poſitúſque carbo, &c.*] Ignis in arâ è vivo ceſpite, ſeu virenti grandine ſtructâ. Vide lib. 1. Od. 19.

5. *Docte ſermones utriuſque linguæ.*] Qui libros tam Græcos quàm Latinos cognitos habes. Cic. Offic. initio. *Ut ipſe ad meam uti-*

Voveram

Scilicet arboris ego ictu lapſâ fere exanimatus lautas dapes & hœdum candidum Baccho promiſeram. Ea dies iſte lætus anno vertente recurrens corticem pice affixum auferet dolio quod fumum contrahere cœpit ſub *Conſulatu Tulli. O Mæcenas, accipe centenos ſcyphos, ob amicum incolumem, & lychnos*

Voveram dulces epulas, et album
Libero caprum, propè funeratus [286]
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, feſtus
Corticem aſtrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.
Sume, Mæcenas, cyathos amici [287]
Soſpitis centum; et vigiles lucernas

ANNOTATIONES.

ſtatem ſemper cum Græcis Latina conjunxi; neque id in philoſophia tantùm, ſed etiam in dicendi exercitatione feci: idem tibi cenſeo faciendum, ut par ſis utriuſque orationis facultate.

5. *Voveram dulces epulas, &c.*] Graviorem itaque cæteris habeo cauſam celebrandi Martias Calendas, in quibus mortis evaſi periculum; unde & ſacrificium vovi & ſacras epulas.

Album Libero caprum.] Albæ victimæ Diis Superis, nigræ Inferis mactabantur: Arnob. l. 7. &c. Baccho præſertim caper, qui vitibus infeſtus, eas arrodendo. Virgil. Georg. 2. v. 380.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur.

Ovid. Faſtor. lib. 5. v. 357.

Rode, caper, vitem: tamen hinc cùm ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.
Verba fides ſequitur: noxæ tibi deditus hoſtis
Spargitur affuſo cornua, Bacche, mero.

7. *Propè funeratus Arboris ictu.*] Cadente arbore propemodum oppreſſus & extinctus. Vide l. 2. Od. 13. & 14.

9. *Hic dies, anno redeunte, feſtus, &c.*] Anniverſarius adeſt iſte dies in feſtivis epulis mihi ducendus: quare vinum vetuſtate præcipuum hodie promam.

Anno redeunte.] Ita cum Græcis Horatius. Virgil. *Volventem annum*, ait. Cic. *Vertentem annum.* Somn. Scip. 17. *Cum ad idem unde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierint, eamdemque totius cœli deſcriptionem, longis intervallis, retulerint, tum ille vere vertens annus appellari poteſt.*

10. *Corticem aſtrictum pice dimovebit, &c.*] Reſignabit, relinet operculum amphoræ, e ſubere vel cortice, pice quidem aſtrictum. Cato. *In amphoram muſtum indito, & corticem oppicato.* Tibull. l. 2. Eleg. 1. v. 28.

. . . *Chio ſolvite vincla cado.*

11. *Fumum bibere inſtitutæ.*] Fumo dudum expoſitæ, unde contentum in eâ vinum jam maturum & lene prorsùs.

Ovid. Faſt. 5.

Fumea vina.

Martial. l. 3. Epigram. 81.

Cocta fumis muſta Maſſilitanis.

Idem lib. 10. Epigram. 35.

Improba fumaria dicit; &,
Accipit ætatem quiſquis ab igne cadus.

Tibull. modò cit.

Nunc mihi fumoſos veteris proferte Falernos
Conſulis.

Columell. l. 1. cap. 6. apothecæ ſuperponuntur locis, unde plerumque fumus exoritur: quoniam vina fumo celeriùs vetuſteſcunt: ejus tenore præcocem maturitatem trahunt, &c. Plin. l. 23. cap. 1. *Minus infeſtat nervos, quod vetuſtate dulceſcit . . . Nos fumi amaritudine vetuſtatem indui perſuaſum habemus.* Meminit & Cæl. Rhodig. l. 26. cap. 21.

12. *Conſule Tullo.*] Conſulum nomine ſolebant notari vina, ut alibi ampliùs dixi. Vide l. 1. Od. 20. & l. 2. Od. 3. Hic certum nomen pro quolibet incerto poni, vinumque vetus duntaxat commendari crediderim. Quòd ſi vinum illud conditum fuerat ſub L. Volcatio Tullo, qui Conditæ 687, prolatum verò eſt ab Horatio poſt ſubjugatos ab Agrippâ Cantabros, de quibus ſub hujus finem Odes, anno ſcilicet 734, ut ait Cruquius, vinum illud vetus fuiſſet annos 47. Intereà meminiſſe oportet, quod ſcribit Plin. modò cit. *Falernum nec in novitate, nec in nimiâ vetuſtate corpori ſalubre eſt. Media ejus ætas à 15 anno incipit. . . Si ſit fumo inveteratum, inſalubre eſt. Mangones iſta in apothecis excogitavêre. Jam & patres familias ætatem ademêre his, quæ per ſe cariem traxêre. Quo certe vocabulo ſatis conſilii dedêre priſci:* nempe vina ad extremam ſenectutem, quæ carioſa eſt, non eſſe recondenda. Dalecamp.

13. *Sume cyathos centum.*] Ob lætitiam de amici ſoſpitis incolumitate, ſeu de Horatii tui ſalute, bibe centum cyathos, id eſt, plures & plures, & totâ nocte mecum perpota. Numerus finitus pro infinito.

14. *Vigiles lucernas Perfer in lucem.*] Prandium ignorabant veteres: at cœnam maxime, non

Perſe-

Perfer in lucem : procul omnis eſto
Clamor et ira.
Mitte civiles ſuper urbe curas.
Occidit Daci Cotiſonis agmen :
Medus infeſtus ſibi luctuoſis [288]
Diffidet armis.
Servit Hiſpanæ vetus hoſtis oræ
Cantaber, ſerâ domitus catenâ ;
Jam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,

lychnos accenſos produce uſque ad diem. Longè abſit vociferatio quælibet & rixa. Dimitte ſolicitudines de civitate. Deletus eſt exercitus Cotiſonis Daci. Medus ſibimet adverſarius bello fatali diſtrahitur. Cantaber Hiſpaniæ fines incolens, *antiquus* noſter *inimicus, ſubactus eſt,* quamvis *tardâ profligatus victoriâ. Jam Scythæ arcu remiſſo incipiunt agris diſcedere.*

ANNOTATIONES.

non quidem ut nos ad candelas, ſed ad lychnos & lucernas, producebant uſque ad lucem poſteram, pergræcando, id eſt, ritu Græcorum totâ nocte computando. Plaut. Menæch. 1, 2, 62. *Inde uſque ad diurnam ſtellam craſtinam potabimus.* Horat. Od. 3. 21, 23.

Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

Propert lib. 4. Eleg. 6. v. 85.

Sic noctem paterâ, ſic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

Erat etiam olim perpotandi certamen, propoſitumque victoribus bibonibus præmium placenta, ut amplius exponam, Epiſt. 19. ad hæc verba, *Nocturno certare mero.* Nocturnas autem cœnas utiliores eſſe corpori, ob Lunæ ſidus vim habens putrefaciendi, adeoque cibos concoquendi ; crede, ſi lubet, aſſerenti Athenæo, l. 7. c. 1. Quin potius auſculta Caſaubono eo loci, concoctionem cum putrefactione confundi perperam, Athenæumq; Philologiæ quam Philoſophiæ ſacris auſpicatius initiatum, bene decteq; redarguenti.

15. *Procul omnis eſto Clamor & ira.*] Ebrietatis incommoda & vitia Horatius arcet à ſuis epulis : quo fortaſſe etiam notat bonitatem & lenitatem vini ſui, cujus cyathos queat Mæcenas centum bibere, citra noxam ; ut nec ad vociferandum nec ad rixandum impellatur. Vide Lib. 1. Od. 27.

17. *Mitte civiles ſuper urbe curas.*] His verbis patet urbis præfecturam tunc geſſiſſe Mæcenatem ; qui ſi *privatus* mox appellabitur, ne accipe aliter quam par eſt, & illic explicabo.

18. *Occidit Daci Cotiſonis agmen, &c.*] O Mæcenas, omitte paululum curas & ſolicitudines, quibus civitati provides ſedulus ; en hoſtes populi Romani jam domiti ſunt ; nec ab ullo quidquam metuendum. *Cotiſon* Dacorum Rex ab Auguſto victus L. Flor. lib. 4. cap. 12. *Daci montibus inhærent : Cotiſonis Regis imperio, quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, decurrere ſolebant & vicina populari. Viſum eſt Auguſto gentem aditu difficillimam ſubmovere. Miſſo igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam ; citra, præſidia conſtituit. Sic tunc Dacia non victa, ſed ſummota atque dilata eſt.* Illud vero poſtea factum eſt. Sueton. Octav. cap. 21. *Coërcuit & Dacorum incurſiones, tribus eorum ducibus cum magnâ copiâ cæſis,* &c. cap. 63. *M. Antonius ſcribit, primum eum Antonio filio ſuo deſpondiſſe Juliam, dein Cotiſoni Getarum regi : quo tempore ſibi quoque invicem filiam Regis in matrimonium petiſſe.* De *Dacis* jam lib. 2. Od. 10. Hos porro eoſdem eſſe ac Getas, certum eſt. Plin. lib. 4. cap. 12. *Getæ, Daci Romanis.* Xiphilin. in Domitiano ita ſcribit, *Per id tempus bellum fuit populo Romano cum Dacis . . . Porro eam gentem Dacos appello. Nam ita ſe ipſi nominant : eodemque nomine a Romanis appellantur : etſi non ignoro eos a quibuſdam Græcis Getas eſſe dictos. Quod an recte factum ſit, neſcio : illud quidem ſcio Getas trans Hæmum apud Danubium incolere.*

19. *Medus infeſtus ſibi, &c.*] Medi ſeu Parthi bellis civilibus occupati ſunt. Vide Strabonem lib. 10. & quæ antea nec ſemel de iis annotavi, lib. 1. Od. 26. v. 5. & alibi.

21. *Servit Hiſpanæ, &c.*] Cantabri ab Agrippa, ſero licet, fracti & ſubacti ſunt. Vide lib. 2. Od. 6 Sueton. Octav. cap. 20. Auguſtus *externa bella duo omnino per ſe geſſit : Dalmaticum adoleſcens adhuc, & Antonio devicto, Cantabricum.* Et cap. 21. *Domuit autem partim ductu, partim auſpiciis ſuis Cantabriam,* &c.

23. *Jam Scythæ laxo, &c.*] Scythæ armis depoſitis cedunt. Vide lib. 2. Od. 9. in fine, ibique annot. Sueton. Octav. cap. 22. *Ea virtutis moderationiſque fama, Indos ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam ſuam Populique Romani ultro per legatos petendam.*

25. *Negligens, ne qua populus, &c*] Dum mei ſacrificii particeps ſacras mecum epulas carpes, ita lætitiæ vaca, ut ſi privatus eſſes. Ergo paululum abjice omnem curam urbis, & ſolicitudines de Republicâ.

Tu quaſi privatus omitte curare, & pluſculum conſulere ne quid detrimenti capiat populus: atque temporis præſentis uſurâ fruere, genio indulgens, & moleſta abjice.

Parce privatus nimium cavere:
Dona præſentis rape lætus horæ, et
Linque ſevera.

ANNOTATIONES.

26. *Privatus.*] Quidam explicant, inter privatos parietes, genio indulge. Alii interpretantur abſolute: quandoquidem non geris magiſtratum: volunt nimirum urbis præfecturam eſſe officium duntaxat, nec inter magiſtratus cenſeri: Ex Sueton. Octav. cap. 37. *Quo plures adminiſtrandæ Reipublicæ partem caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum . . . præfecturam urbis,* &c. Quod minime placet. Sic igitur intelligo: tu *linque ſevera* tantiſper, i. e. ſerias & graves occupationes intermitte: *præſentis horæ dona,* ſeu gaudia *rape,* cape, animo plane tranquillo, teque privatum hoc nocturno ſaltem convivio finge & cogita.

ODE IX.

Dialogus Horatii & Lydiæ.

Hor. Quamdiu charus tibi extiti, neque alius præſtantior adoleſcens brachia referebat collo tuo candido, felicior ego vixi Rege Perſarum. Lyd. Quamdiu non alteram plus dilexiſti, nec Lydia poſthabita eſt Chloë, Ego Lydia magnæ famæ illuſtrior florui quam Ilia Romana. Hor. Mihi jam dominatur Chloë è Creta,

Hor. DONEC gratus eram tibi, [289]
Nec quiſquam potior brachia candidæ
Cervici juvenis dabat;
Perſarum vigui Rege beatior.
Lyd. Donec non aliâ magis
Arſiſti, neque erat Lydia poſt Chloën;
Multi Lydia nominis
Romanâ vigui clarior Iliâ.
Hor. Me nunc Creſſa Chloë regit,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 3. Lib. 1.

1. *Donec gratus,* &c.] Amœbæum carmen eſt, cujus hæc lex eſt, ut qui poſterior dicit, priorem vincat, majus aliquid ſubjiciendo. Ode porro hæc tanti æſtimatur à Scaligero, ut ejus deſcribere ſententiam non pigeat. Sic ait lib. 6. Poet. *Omnes Horatii Odæ tantæ ſunt venuſtatis, ut & mihi, & aliis prudentioribus omnem ademerit ſpem talium ſtudiorum. Inter cæteras vero, duas animadverti quibus ne ambroſiam quidem aut nectar dulciora putem. Altera eſt tertia quarti libri.* Quem tu, Melpomene, ſemel, &c. *Altera eſt nona tertii:* Donec gratus eram tibi, &c. *Quarum ſimiles à me compoſitas malim, quam Pythionicarum multas Pindari & Nemeaconicarum: quarum ſimiles malim compoſuiſſe, quam eſſe totius Tarraconenſis Rex.* Vide in Virgil. Eclog. 3, & 7. Hic zelotypiam uterque ſuam belle exprimit, reſtituendiſque amoribus prioribus viam ſternit.

2. *Nec quiſquam potior,* &c.] Dum non amplexus tuos alteri conceſſiſti, nec alium mihi prætuliſti in amore.

4 *Perſarum vigui rege beatior.*] Antiqui Perſarum Reges, Cyrus, Darius, ad ſummas opes elati proverbio locum dedere. Illorum quiſque Regem Regum ſe jactabat. Quin & Perſarum montes pro montibus aureis dicti, Plaut. Stich. 1, 1, 14.

Neque ille mereat Perſarum ſibi
Montes, qui eſſe perhibentur aurei.

5. *Non alia magis Arſiſti.*] Alii legunt, *aliam,* Æque eleganter utrumque.

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin.

Virgil. Ecl. 2. v. 1.

6. *Neque erat Lydia poſt Chloën.*] Dum non amâſti Chloën præ Lydia. De hâc jam. lib. 1. Od 8, 13, 25.

8. *Romanâ vigui clarior Iliâ.*] Ego me fortunatiorem exiſtimabam, quam fuit unquam Ilia, ſeu Rhea, quæ Marte gravida Romulum Romanæ gentis auctorem protulit. De illa lib. 1. Od. 2.

9. *Me nunc Creſſa Chloë regit.*] Nunc ego ſervio amoribus Chloës, quam præter formam commendat Vocis & Muſicæ ſuavis modulatio. Quidam legunt *Threſſa,* i. e. è Thracia: verum lectioni noſtræ favet quod Cretes Muſicæ valde ſtudioſos refert Ælianus.

Dulces

Dulces docta modos et citharæ ſciens:
Pro quâ non metuam mori,
Si parcent animæ fata ſuperſtiti.
Lyd. Me torret face mutuâ
Thurini Calais filius Ornithi;
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata ſuperſtiti.
Hor. Quid ſi priſca redit Venus,
Diductóſque jugo cogit aheneo?
Si flava excutitur Chloe,
Rejectæque patet janua Lydiæ?
Lyd. Quanquam ſidere pulchrior
Ille eſt; tu levior cortice, et improbo
Iracundior Adriâ;
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

perita ſuavium modulorum, ac pulſandæ lyræ: pro qua non verebor vitam profundere, ſi fata indulgeant animæ reſiduæ. Lyd. *Me urit mutuo amore Calais filius Ornithi è Thurio, pro quo bis mortem oppetam ultro, ſi juveni vivo fata indulgeant.* Hor. *Quid ſi vetus amor reviviſcat, & divulſos copulet æneo vinculo? Si formoſa Chloë rejicitur, & oſtium meum aperitur pulſæ Lydiæ?* Lyd. *Tametſi eſt ille aſtro ſplendidior; tu vero es levior ſubere, atque Adriatico mari procelloſo ferocior; tecum vivere cupiam, tecum gaudeam mori.*

ANNOTATIONES.

12. *Si parcent animæ fata ſuperſtiti.*] Moriar ego libens ad redimendam Chloës vitam; ut illa ſuperſtes vivat, quæ eſt altera pars mei. De ſuperſtitione veterum pro alterius ſalute ſeſe devoventium, alibi dixi.

13. *Me torret face mutuâ, &c.*] Mutuo me amore detinet Calais adoleſcens pulcherrimus. Alludi volunt aliqui ad notum Callaidis lapilli, quem Sapphiri æmulum dixit Plin. 37. cap. 10.

14. *Thurini*] Thuria, ſive Thurium, civitas erat in Sinu Tarentino.

16. *Si parcent puero.*] Pro Calai bis ego mortem oppetere velim.

17. *Quid ſi priſca redit Venus?*] Quid faceres, O Lydia, ſi Horatii vetus in te amor denuò accendatur; noſque diſſociatos reconciliet, arctiuſque jungat quam olim, imo conſtringat *jugo aheneo*, ſeu ære firmiori & nunquam diſſolvendo. Vide lib. 1. Ode 23.

22. *Levior cortice.*] Ode ſuperiori, *corticem aſtrictum pice*: pro ſubere nomine ponitur cortex, teſte Plinio, lib. 16. cap. 8. Proverbium eſt in inconſtantes, *Cortice levior*; ſuber enim naturali ſua levitate ſuper aquas fertur & natat.

23. *Iracundior.*] Hoc ſibi vitium imputat Horatius non ſemel. Epiſt. 1, 20, 25.

Iraſci celerem, tamen ut placabilis eſſem.

Adria.] De eo lib. 1. Od. 33.

24. *Tecum vivere amem, &c.*] Ita facile reconciliantur diſcordiæ amantium. Et vere dixit Terentius Andria 3, 3, 23.

Amantium iræ amoris integratio eſt.

Plaut. Amphitr. Act. 3. 2, 59.

Iræ interveniunt; redeunt rurſum in gratiam;
Verum Iræ, ſi quæ forte eveniunt hujuſmodi,
Inter eos, rurſum ſi reventum in gratiam eſt,
Bis tanto amici ſunt inter ſe quam prius.

ODE X.

Lycen admonet ut paulum manſueſcat erga ſe.

O Lyce, ſi potares ultimum Tanaim marito juncta barbaro, nihilominus fleres me ante januam tuam *duram extenſum exponere ventis Septentrionalibus* illic *habitantibus.* Nonne *audis quo murmure* tuæ *fores, quo nemus in ædibus magnificis conſitum reſonet ventis* perflantibus? *utque Jupiter puro numine conſtringat nives demiſſas? Abjice faſtum Veneri odioſum,*

EXtremum Tanaïm ſi biberes, Lyce, [291]
Sævo nupta viro; me tamen aſperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulchra ſitum tecta remugiant [292]
Ventis? Et poſitas ut glaciet nives
Puro numine Jupiter?
Ingratam Veneri pone ſuperbiam,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſuprà Od. 6. lib. 1.

1. *Extremum,* &c.] Ejuſmodi cautiones & querelas noctu canebant amantes ad fores meretricum aliarumque mulierum quas deperibant, ut ſic eas demererentur, atque ab illis tandem ſuâ patientiâ victis admitterentur in domum antea ſibi clauſam. Vide quæ annot. l. 1. Od. 25. Plura vero dixi ad Perſ. Sat. 5. v. 165. ubi ſic habetur.

Limen ad obſcænum . . . dum Chryſidis udas
Ebrius ante fores extinctâ cum face canto.

Extremum Tanaim ſi biberes.] Si nata in Scythia in remotiſſimis illis & frigidiſſimis partibus ubi ſcaturit Tanais; ſi barbaro proinde, & *ſævo* quoque *viro nupta* eſſes, quem vereri deberes; te tamen oporteret moveri meis amoribus, cum ante fores tuas excubantem cerneres in iſta aëris intemperie.

Tanaim.] Fluvius iſte notiſſimus, è Riphæis montibus vel è Caucaſo monte fluere dictus, Aſiam ab Europâ dividit: hodie *Don* vocatur. Eſt maxime Septentrionalis, et qui Nomades Tanaim accolebant, erant agreſtiores, ex Strabône lib. 11. De eo jam antea Od. 4. hujus libri, ubi *Scythicum amnem* appellat Horatius.

2. *Me tamen aſperas,* &c.] Non tam dura eſſes ut me jacentem ſuper limen januæ tuæ, frigidiſſima & moleſtiſſima tempeſtate, videres ſine ullo humanitatis ſenſu, Ovid. A. Am. 2, 237.

Frigidus inque uda ſæpe jacebis humo.

3. *Objicere incolis Plorares Aquilonibus.*] Doleres, ægre ſineres me objici noctu ventis iſtis a Scythiæ regione flantibus, ac velut incolis. Ovid. Met. 1. 64.

. . . . . Scythiam ſeptemque trionem
Horrifer invaſit Boreas.———

4. *Plorares objicere*] Sic & locutus Plaut. Aul. 2, 4, 29. *Aquam hercle plorat, cùm lavat, profundere.*

5. *Audis quo ſtrepitu,* &c.] Quam vehemens ſæviat ventus, judica è concuſſione tuæ januæ, & è murmure arborum viridarii tui graviter ſtridentium.

Nemus Inter pulchra ſitum tecta.] In ſeptis domorum nemora etiam habebant veteres, quorum ſtruendorum rationem docet Vitruv. l. 5. c. 11. *Sint,* inquit, *inter duas Porticus ſita, & in his perficiantur inter arbores deambulationes,* &c. Sueton. Oct. c. 72. *Prætoria ſua quamvis modica non tam ſtatuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xyſtis & nemoribus excoluit,* &c. Tibull. lib. 3. Eleg. 3. v. 15.

Et nemora in domibus ſacros imitantia lucos.

Cic. ad Quintum fratrem, l. 3. Ep. 1. *Nunc domus ſuppeditat mihi hortorum amœnitatem.* Vide Senec. Epiſt. 122. Item ſupra l. 2. Od. 3. & Epiſt. 1, 10, 20.

Nempe inter varias nutritur ſylva columnas.

7. *Et poſitas ut glaciet nives Puro numine Jupiter.*] Æſtimare potes etiam quantum frigus perpetiar, ex eo quod purum ſit cœlum, æther ſudus ac ſerenus, quo nives gelu concreſcunt & conſtringuntur: quia tunc facile diffunditur, quando ſcilicet in aëre nihil eſt quo reprimatur frigus: contra nebuloſo æthere coërcetur ne ad nos uſque perveniat, ut docet Ariſtot. in Problem.

Poſitas.] E cœlo delapſas, & humi jacentes.

Glaciet.] Per licentiam poeticam uſurpatur hoc verbum active, quod tamen abſolute poni ſolet, pro *coaleſcit, concreſcit.* Cic de Nat. Deor. 2. n. 26. *Tum aquæ declarat effuſio, quæ neque conglaciaret frigoribus, neque nive, pruinaque concreſceret, niſi eadem ſe admiſto calore liquefacta & dilapſa diffunderet. Itaque & Aquilonibus, reliquiſque frigoribus adjectis dureſcit humor,* &c.

8. *Puro numine Jupiter.*] Bene ſic legito; alii, *Puro lumine,* vel *limine*; ſed perperam. Jovem pro æthere non rarò uſurpari, notum: huic ergo reſpondet vox *numine.* Puro lumine Sol quidem dicatur; at non Jupiter, præſertim concubiâ nocte, qua Lyces januam occentabat, de more, Poëta noſter.

9. *Ingratam Veneri pone ſuperbiam.*] Venus enim jocis, gratiis, amoribus ſtipata ubique moratur, quibus adverſatur omnino ſuperbia, lib. 1. Od. 2. v. 33.

. . . . . . Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat & Cupido.

Ne currente retro funis eat rotâ.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens. [293]
O, quamvis neque te munera nec preces
Nec tinctus violâ pallor amantium,
Nec vir Pieriâ pellice ſaucius
Curvat; ſupplicibus tuis
Parcas, nec rigidâ mollior æſculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.

ne funiculus retrorſum abeat rotâ verſatâ. Tyrrhenus pater haud procreavit te Penelopen amantibus intractabilem. O licet te nec dona flectant, nec vota, nec violaceus pallor amore tabeſcentium, *neque maritus tuus amore pellicis Pieriæ vulneratus, indulge ſupplicantibus tibi,* quæ hactenus es *durâ quercu non flexibilior neque manſuetior ſerpentibus Mauritaniæ.*

ANNOTATIONES.

10. *Ne currente retro funis eat rotâ.*] Ne offenſa Venus iram in te ſuam ſtringat: tuque favore ejus deſtituta contemnaris, ut nunc me contemnis. Time ergo ſapienter fortunæ vices. Tibull. lib. 1. Eleg. 5. v. 67.

Heu canimus fruſtra: nec verbis victa pateſcit
Janua, ſed plena eſt percutienda manu.
At tu, qui potior nunc es, mea fata caveto:
Verſatur celeri ſors levis orbe rotæ.

Iſto tamen loco metaphora videtur eſſe ducta non a rotâ fortunæ volubili & inſtabili; ſed potius a rotis & trochleis, quibus circumvolutus funis ingentia ſublevat & trahit pondera, ſi bene teneatur; at ſi dimiſſus fuerit, & rota & funis & pondus in partem contrariam feruntur, currunt, fugiunt, deturbantur. Senſus itaque Horatii erit: O Lyce, ne Veneris tu vincula, nexuſque ſperne, quæ ſi dimiſeris, cave ne res tuæ retro & peſſum eant ac diſſolvantur. Virg. Ecl. 8, 78.

. . . . *Veneris dic vincula necto.*

11. *Non te Penelopen difficilem*, &c.] Non es ut Penelope Spartana, nec educata inſtructaque duris moribus auſteraque vivendi ratione; imo venuſtam, lepidam, tractabilem genuit te pater Hetruſcus. Hetruſcos ludorum ac voluptatum amatores nemo neſcit; refert Cœl. Rhodig. l. 15. c. 11. atque a Lydis traxiſſe originem ſuſpicatur.

Penelopen difficilem procis.] Hæc Ulyſſis uxor viro ſuo fidem ſervans viginti annos abſenti, procos bene multos acriter ſolicitantes, patrem etiam novas nuptias ſuadentem eluctata eſt. Homer. Odyſſ. 2, 6, 7.

12. *Tyrrhenus.*] Tyrrheni Hetruriæ populi. Tyrrhenia Straboni eadem regio ac Thuſcia. Ovid. Metam. 14. v. 452.

Concurrit Latio Tyrrhenia tota.——

Porro ſynecdochicōs illi pro Italis univerſis vel Romanis accipi poſſunt.

14. *Tinctus violâ pallor.*] Color vultus mei pallidus inſtar violarum, quo etiam pallentes vocavit Virgil. Ecl. 2. Sunt enim aliæ purpureæ, aliæ luteæ, aliæ albæ; ex Plin. lib. 21. c. 6. Quanquam duo tantum genera violarum agnoſcit Nicander, pallidum & luteum: apud Athenæum lib. 15. cap. 9. *Pallor amantium.* Ovid. Art. Amat. lib. 1. v. 729.

Palleat omnis amans: hic eſt color aptus amanti.

Nimirum recurrente ad cor amoris centrum calore naturali, & quoniam intenſior in amantibus eſt, ſpiritus vitales magis diſſipante, in vultu pallor efficitur.

15. *Nec vir Pieriâ pellice ſaucius.*] Quanquam nec offenſa viri tui pellicem Pieriam depereuntis injuriâ ad me amandum inclinaris. Hoc certe eſt irritamentum uxoris maximum, ut inducatur in alterius amorem. Ex Euripide, quædam alia minus gravate fert uxor; at ſi a marito fallatur, quicquid eſt in vita jucundi perdit. Ovid. Art. Amat. lib. 2. v. 373.

Sed neque fulvus aper mediâ tam ſævus in irâ eſt.
. . . .
Nec lea, ...
Fœmina quam ſocii deprensâ pellice lecti
Ardet, &c.——

Pieriâ] Vel nomen factum a ſolo natali, ad augendam invidiam, quaſi diceret, peregrina, & ex ea Macedoniæ regione: vel notat fidicinam, pſaltriam, ob Pierium montem Muſis ſacrum; cujuſmodi mulieres ut plurimum exercebant meretriciam artem.

16. *Supplicibus tuis Parcas.*] Indulge aliquid ſupplicanti etiam apud te. Quis enim ſupplices unquam acerbe repulit, niſi qui humanitatem exuit? Ex ſententia veterum, qui talem hominem velut execrabilem averſabantur; cum & natura ſupplicibus parcere doceat.

17. *Æſculo.*] Arbor eſt glandifera, quam pro duritie ponit Horatius. De ea Plin. lib. 16. & nos jam lib. 1. Od. 22.

18. *Mauris.*] Mauritania Africæ regio ab ortu in occaſum extenſa, ubi nunc Barbaria Occidentalis. Arenoſa iſta loca aquarum penuriâ & Solis æſtu arentia & fervida, omne genus ſerpentum alunt etiam ſæviſſimorum.

Latus iſtud haud ſemper erit tolerans liminis & pluviæ.

Non hoc ſemper erit liminis, aut aquæ [294]
Cœleſtis patiens latus.

ANNOTATIONES.

19. *Non hoc ſemper erit liminis*, &c.] Amores meos tibi ſponte oblatos ne ſperne: nec enim ero ſemper ea robuſta & ferventi ætate, qua tui gratiâ poſſim & velim pernoctare ante januam, & cubare ſuper durum limen ædium tuarum, Epod. 11. v. 30.

Ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu, mihi poſtes, & heu
Limina dura quibus
Lumbos & infregi latus.

19, 20. *Aquæ Cæleſtis patiens.*] Imbres aliaque hyemalis tempeſtatis incommoda perpeti non ſemper libebit. Certe contra in Lycen jam vetulam acriter ſcripſit Ode 13. lib. 4. Ovid. A. Am. 2, 237.

Sæpe feres imbrem cæleſti nube ſolutum
Frigidus, inque udâ ſæpe jacebis humo.

ODE XI. Ad MERCURIUM.

Ut ſibi dictet cantus quibus Lyde flectatur.

O Mercuri, (ſiquidem te præceptore Amphion ſaxa cantu movit) & tu, lyra, chordis ſeptenis reſonare perita; neque canora pridem neque jucunda, jam verò familiaris tum opulentorum menſis, tum fanis Deorum, *numeros ede, quibus pervicaces auriculas admoveat Lyde.*

MERCURI (nam te docilis magiſtro
Movit Amphion lapides canendo)
Túque, teſtudo, reſonare ſeptem
Callida nervis,
Nec loquax olim, neque grata, nunc et [295]
Divitum menſis et amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obſtinatas
Applicet aures.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2. Lib. 1.

1. *Mercuri.*] De eo multa Lib. 1. Od. 10.

2. *Movit Amphion lapides canendo.*] Jovis ille ex Antiopa filius ſuavi lyræ ſono dicitur moviſſe lapides, ut, ipſis inter ſe compoſitis & ſuperſtructis, Thebarum muri atque urbs ædificata fuerint. Vide Epiſt. ad Piſones, ver. 394. Plutarch. de Muſicâ. Propert. Lib. 3. Eleg. 2. v. 5.

Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte ſuâ muri membra coiſſe ferunt.

3. *Teſtudo, reſonare ſeptem Callida nervis.*] E teſtudine lyra per Mercurium facta atque exornata, ut annotavi, lib. 1. Od. 10. Tribus primo chordis, deinde quatuor, tum ſeptem, poſtea novem inſtructa; demum etiam pluribus. Vide Macrob. lib. 1. Saturn cap. 19. Diodor. Sicul. lib. 1. Pindar. φόρμιγγι ἑπτάγλωσσον, id eſt, ἑπτάφωνον, vocat. Virg. Eclog. 2. v. 36.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.———

Et Æneid. 6. v. 646.

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Porro ſeptenas diapaſon ſpecies ſeu modos, quos nunc tonos appellant, debere intelligi locis iſtis ſingulis, non abs re contendit Glareanus.

5. *Nec loquax olim, neque grata.*] Prius muta & ſine ullo pretio; at, poſtquam in lyram eſt concinnata, gratum edidit ſonum, dulceſque modos ac numeros expreſſit; ut requiſita & adhibita ſit in divitum conviviis & Deorum ſacris.

6. *Divitum menſis*] Quod vini vim fervidiorem elidere valeat Muſica, hanc ideo priſci adhibebant in ſuis conviviis. Teſtis Plutarch. lib. de Muſicâ: & Homer. Odyſſ. ubi cithara convivii ſodalis nuncupatur.

Et amica templis.] Vide T. Liv. lib. 9. cap. 30. ubi de tibicinibus ad præcinendum in ſacrificiis Deorum ſolerter revocatis, hiſtoriam narrat ſat lepidam.

7. *Dic modos, Lyde, quibus obſtinatas Applicet aures.*] Cantûs dulcedine contumacem Lydes animum flecte, per aures delinitas ad cor penetra, demulce, viam ſterne, ſenſimque meos amores inſinua. Ex Plutarcho, Muſica concinno ſuo temperamento corpora menteſque revocat & emollit. Et lib. de Superſtit. ait ex Platone, Muſicam non deliciarum cauſa, & pruritûs aurium datam, ſed ut animi motiones improbè laſcivientes decenter reducat.

Quæ,

Quæ, velut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuítque tangi,
Nuptiarum expers, et adhuc protervo
Cruda marito.
Tu potes tigris comitéſque ſilvas
Ducere, et rivos celeres morari.
Ceſſit immanis tibi blandienti [296]
Janitor aulæ
Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter ſaniéſque manet
Ore trilingui.
Quin et Ixion, Tityúſque vultu
Riſit invito: ſtetit urna paulùm
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde ſcelus atque notas
Virginum pœnas, et inane lymphæ

que ſicut equa trium annorum exultat & ludit per apertos agros; fugitque attrectari, à nuptiis immunis, necdum petulanti viro idonea. Tu vales trahere tigres ſilvaſque ſimul, & rapidos tardare fluvios. Tibi demulcenti morem geſſit Cerberus crudelis aulæ janitor; licet caput illius furiis æquale ſtipent ſerpentes multi, & ex ore tres linguas habente halitus peſtilens & tabum fluat. Quinetiam Ixion & Tityus facie prætulerunt hilaritatem non ſponte: ſtetit dolium tantiſper aridum, dum ſuavi cantu Danai filias detineres. Diſcat Lyde crimen & ſupplicia famoſa puellarum, & vacuum aquæ

ANNOTATIONES.

9. *Quæ, velut latis equa trima campis, Ludit.*] Velut equa non domita juveniliter laſcivit & ludit per campos diſcurrendo & exiliendo: ſic Lyde juveniles ſectatur cum æqualibus ludos, à virili autem conſortio hactenus abhorret. Lib. 2. Od. 5. v. 5.

Circa virentes eſt animus tuæ
Campos juvincæ, &c.

10. *Ludit exultim.*] Anacreon.

Πῶλι Θρηκίη, τί δέ με
. . . .
Νηλεῶς φεύγεις
. . . .
Νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι,
Κῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις, &c.
Equulea Thrcicia quid me
Crudeliter fugis?
At nunc prata depaſceris,
Et agiliter exiliens ludis.

13. *Tu potes tigres, &c.*] Nota eſt Orphei fabuli feras & arbores trahentis ad lyræ dulces modos; Vide lib. 1. Od. 12. & Epiſt. ad Piſones v. 393.

14. *Rivos celeres morari.*] Virgil. Eclog. 8. v. 3.

Quorum ſtupefactæ carmine lynces,
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.

15. *Ceſſit immanis tibi blandienti, &c.*] Et hoc ad Orpheum pertinet, qui profectus ad Inferos ut reduceret inde dilectam Eurydicen, Cerberum demulſiſſe lyrâ fertur. De eo jam lib. 2. Od. 13. & Virgil. Georg. 4. v. 481.

Quin ipſæ ſtupuere domus, atque intima letbi
Tartara, cæruleoſque implexæ crinibus angues
Eumenides; tenuitque inhians tria Cerberus ora;
Atque Ixionei vento rota conſtitit orbis.

21. *Quin & Ixion, Tityúſque vultu Riſit.*] Pulſante citharam Orpheo recreari viſi ſunt illi, ſuaſque pœnas oblviſci; ut vultu quædam ſigna lætitiæ dederint.

22. *Invito.*] Ob acerbitatem ſupplicii, triſtitiam exigentis. De Tityo Od. 4. hujus libri ſub finem. Ixion Junoni ſtuprum inferre conatus ad inferos pulſus eſt, & rotæ inter ſerpentes alligatus aſſidue circumvolvitur. Tibull. lib. 1. Eleg. 3. v. 73.

Illic Junonem tentare Ixionis auſi
Verſantur celeri noxia membra rotâ.

Vide Pindar. Pyth. Od. 2. ubi refert. Ἰξίονα ἐν πτερόεντι τροχῷ πάντᾳ κυλινδόμενον. *Ixionem in alata rota circumquaque verſatum.*

Stetit urna paulùm Sicca, &c.] Danai Argivorum Regis filiarum diri ceſſaverunt cruciatus paululum, dum caneret Orpheus. Vide lib. 2. Od. 14. Lucret. lib. 3. v. 1021.

Hoc (ut opinor) id eſt, ævo florente puellas
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas,
Quod tamen expleri nullâ ratione poteſtur.

Hinc Proverb. apud Plaut. Pſeud. 1, 3, 135. *in pertuſum ingerimus dicta dolium, operam ludimus.*

25. *Audiat Lyde ſcelus, &c.*] Diſcat Lyde quas pœnas Dii attribuant mulieribus in ſuos amatores crudelibus: hincque deſinat mihi dura eſſe.

26. *Virginum.*] Danaidum.

Inane lymphæ Dolium, &c.] Vide ſupra.

Scilicet arboris ictu lapſæ fere exanimatus lautas dapes & hœdum candidum Baccho promiſeram. En dies iſte lætus anno vertente recurrens corticem pice aſtrictum auferet dolio quod fumum contrahere cœpit ſub Conſulatu Tulli. O Mæcenas, accipe centenos ſcyphos, ob amicum incolumem, & lychnos

Voveram dulces epulas, et album
Libero caprum, propè funeratus [286]
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, feſtus
Corticem aſtrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.
Sume, Mæcenas, cyathos amici [287]
Soſpitis centum; et vigiles lucernas

ANNOTATIONES.

litatem ſemper cum Græcis Latina conjunxi; neque id in philoſophia tantùm, ſed etiam in dicendi exercitatione feci: idem tibi cenſeo faciendum, ut par ſis utriuſque orationis facultate.

5. *Voveram dulces epulas, &c.*] Graviorem itaque cæteris habeo cauſam celebrandi Martias Calendas, in quibus mortis evaſi periculum; unde & ſacrificium vovi & ſacras epulas.

Album Libero caprum.] Albæ victimæ Diis Superis, nigræ Inferis mactabantur: Arnob. l. 7. &c. Baccho præſertim caper, qui vitibus infeſtus, eas arrodendo. Virgil. Georg. 2. v. 380.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur.

Ovid. Faſtor. lib. 5. v. 357.

Rode, caper, vitem: tamen hinc cùm ſtabis ad
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit. (aram,
Verba fides ſequitur: noxæ tibi deditus hoſtis
Spargitur affuſo cornua, Baccho, mero.

7. *Propè funeratus Arboris ictu.*] Cadente arbore propemodum oppreſſus & extinctus. Vide l. 2. Od. 13. & 14.

9. *Hic dies, anno redeunte, feſtus, &c.*] Anniverſarius adeſt iſte dies in feſtivis epulis mihi ducendus: quare vinum vetuſtate præcipuum hodie promam.

Anno redeunte.] Ita cum Græcis Horatius. Virgil. *Volventem annum*, ait. Cic. *Vertentem annum.* Somn. Scip. 17. *Cum ad idem unde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierint, eamdemque totius cœli deſcriptionem, longis intervallis, retulerint, tum ille vero vertens annus appellari poteſt.*

10. *Corticem aſtrictum pice dimovebit, &c.*] Reſignabit, relinet operculum amphoræ, e ſubere vel cortice, pice quidem aſtrictum. Cato. *In amphoram muſtum indito, & corticem oppicato.* Tibull. l. 2. Eleg. 1. v. 28.

. . . Chio ſolvite vincla cado.

11. *Fumum bibere inſtitutæ.*] Fumo dudum expoſitæ, unde contentum in eâ vinum jam maturum & lene prorsùs.

Ovid. Faſt. 5.

Fumea vina.

Martial. l. 3. Epigram. 81.

Cocta fumis muſta Maſſilianis.

Idem lib. 10. Epigram. 35.

Improba fumaria dicit; &,
Accipit ætatem quiſquis ab igne cadus.

Tibull. modò cit.

Nunc mihi fumoſum veteris proferte Falernum
Conſulis.

Columell. l. 1. cap. 6. apothecæ ſuperponuntur locis, unde plerumque fumus exoritur: quoniam vina fumo celeriùs vetuſteſcunt: ejus tenore præcocem maturitatem trahunt, &c. Plin. l. 23. cap. 1. *Minus infeſtat nervos, quod vetuſtate dulceſcit . . . Nos fumi amaritudine vetuſtatem indui perſuaſum habemus.* Meminit & Cœl. Rhodig. l. 26. cap. 21.

12. *Conſule Tullo.*] Conſulum nomine ſolebant notari vina, ut alibi ampliùs dixi. Vide l. 1. Od. 20. & l. 2. Od. 3. Hic certum nomen pro quolibet incerto poni, vinumque vetus duntaxat commendari crediderim. Quòd ſi vinum illud conditum fuerat ſub L. Volcatio Tullo, qui Conditæ 687, prolatum verò eſt ab Horatio paulò poſt ſubjugatos ab Agrippâ Cantabros, de quibus ſub hujus finem Odes, anno ſcilicet 734, ut ait Cruquius, vinum illud vetus fuiſſet annos 47. Intereà meminiſſe oportet, quod ſcribit Plin. modò cit. *Falernum nec in novitate, nec in nimiâ vetuſtate corpori ſalubre eſt. Media ejus ætas a 15 anno incipit . . . Si ſit fumo inveteratum, inſalubre eſt. Mangones iſta in apothecis excogitavêre. Jam & patres familias ætatem ademêre bis, quæ per ſe cariem traxêre. Quo certe vocabulo ſatis conſilii dedêre priſci:* nempe vina ad extremam ſenectutem, quæ carioſa eſt, non eſſe recondenda. Dalecamp.

13. *Sume cyathos centum.*] Ob lætitiam de amici ſoſpitis incolumitate, ſeu de Horatii tui ſalute, bibe centum cyathos, id eſt, plures & plures, & totâ nocte mecum perpota. Numerus finitus pro infinito.

14. *Vigiles lucernas Perfer in lucem.*] Prandium ignorabant veteres: at cœnam maxime, non

Perfe-

Perfer in lucem : procul omnis eſto
Clamor et ira.
Mitte civiles ſuper urbe curas.
Occidit Daci Cotiſonis agmen :
Medus infeſtus ſibi luctuoſis [288]
Diſſidet armis.
Servit Hiſpanæ vetus hoſtis oræ
Cantaber, ſerâ domitus catenâ ;
Jam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,

lychnos accenſos produce uſque *ad diem. Longè abſit vociferatio qualibet & rixa. Dimitte ſolicitudines de civitate. Deletus eſt exercitus Cotiſonis Daci. Medus ſibimet adverſarius bello fatali diſtrahitur. Cantaber Hiſpaniæ fines* incolens, *antiquus* noſter *inimicus, ſubactus eſt*, quamvis *tardâ profligatus victoriâ. Jam Scythæ arcu remiſſo incipiunt agris diſcedere.*

ANNOTATIONES.

non quidem ut nos ad candelas, ſed ad lychnos & lucernas, producebant uſque ad lucem poſteram, pergræcando, id eſt, ritu Græcorum totâ nocte computando. Plaut. Menæch. 1, 2, 62. *Inde uſque ad diurnam ſtellam craſtinam potabimus.* Horat. Od. 3. 21, 23.

Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

Propert lib. 4. Eleg. 6. v. 85.

Sic noctem paterâ, ſic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

Erat etiam olim perpotandi certamen, propoſitumque victoribus bibonibus præmium placenta, ut amplius exponam, Epiſt. 19. ad hæc verba, *Nocturno certare mero.* Nocturnas autem cœnas utiliores eſſe corpori, ob Lunæ ſidus vim habens putrefaciendi, adeoque cibos concoquendi ; crede, ſi lubet, aſſerenti Athenæo, l. 7. c. 1. Quin potius auſculta Caſaubono eo loci, concoctionem cum putrefactione confundi perperam, Athenæumq; Philologiæ quam Philoſophiæ ſacris auſpicatius initiatum, bene docteq; redarguenti.

15. *Procul omnis eſto Clamor & ira.*] Ebrietatis incommoda & vitia Horatius arcet à ſuis epulis : quo fortaſſe etiam notat bonitatem & lenitatem vini ſui, cujus cyathos queat Mæcenas centum bibere, citra noxam ; ut nec ad vociferandum nec ad rixandum impellatur. Vide lib. 1. Od. 27.

17. *Mitte civiles ſuper urbe curas.*] His verbis patet urbis præfecturam tunc geſſiſſe Mæcenatem : qui ſi *privatus* mox appellabitur, ne accipe aliter quam par eſt, & illic explicabo.

18 *Occidit Daci Cotiſonis agmen, &c.*] O Mæcenas, omitte paululum curas & ſolicitudines, quibus civitati provides ſedulus : en hoſtes populi Romani jam domiti ſunt : nec ab ullo quidquam metuendum. *Cotiſon* Dacorum Rex ab Auguſto victus L. Flor. lib. 4. cap. 12. *Daci montibus inhærent : Cotiſonis Regis imperio, quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, decurrere ſolebant & vicina populari. Viſum eſt Auguſto gentem aditu difficillimam ſubmovere. Miſſo igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam ; citra, præſidia conſtituit. Sic tunc Dacia non victa, ſed ſummota atque dilata eſt.* Illud vero poſtea factum eſt. Sueton. Octav. cap. 21. *Coërcuit & Dacorum incurſiones, tribus eorum ducibus cum magnâ copiâ cæſis*, &c. cap. 63. *M. Antonius ſcribit, primum eum Antonio filio ſuo deſpondiſſe Juliam, dein Cotiſoni Getarum regi : quo tempore ſibi quoque invicem filiam Regis in matrimonium petiſſe.* De *Dacis* jam lib. 2. Od. 10. Hos porro eoſdem eſſe ac Getas, certum eſt. Plin. lib. 4. cap. 12. *Getæ, Daci Romanis.* Xiphilin. in Domitiano ita ſcribit, *Per id tempus bellum fuit populo Romano cum Dacis . . . Porro eam gentem Dacos appello. Nam ita ſe ipſi nominant : eodemque nomine a Romanis appellantur : etſi non ignoro eos a quibuſdam Græcis Getas eſſe dictos. Quod an recte factum ſit, neſcio : illud quidem ſcio Getas trans Hæmum apud Danubium incolere.*

19. *Medus infeſtus ſibi, &c.*] Medi ſeu Parthi bellis civilibus occupati ſunt. Vide Strabonem lib. 10. & quæ antea nec ſemel de iis annotavi, lib. 1. Od. 26. v. 5. & alibi.

21. *Servit Hiſpanæ, &c.*] Cantabri ab Agrippa, ſero licet, fracti & ſubacti ſunt. Vide lib. 2. Od. 6 Sueton. Octav. cap. 20. Auguſtus *externa bella duo omnino per ſe geſſit : Dalmaticum adoleſcens adhuc, & Antonio devicto, Cantabricum.* Et cap. 21. *Domuit autem partim ductu, partim auſpiciis ſuis Cantabriam*, &c.

23. *Jam Scythæ laxo, &c.*] Scythæ armis depoſitis cedunt. Vide lib. 2. Od. 9. in fine, ibique annot. Sueton. Octav. cap. 22. *Ea virtutis moderationiſque fama, Indos ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam ſuam Populique Romani ultro per legatos petendam.*

25. *Negligens, ne qua populus, &c*] Dum mei ſacrificii particeps ſacras mecum epulas carpes, ita lætitiæ vaca, ut ſi privatus eſſes. Ergo paululum abjice omnem curam urbis, & ſolicitudines de Republicâ

Tu quaſi privatus omitte curare, & pluſculum conſulere ne quid detrimenti capiat populus: atque temporis præſentis uſurâ fruere, genio indulgens, & moleſta abjice.

Parce privatus nimiùm cavere:
Dona præſentis rape lætus horæ, et
Linque ſevera.

ANNOTATIONES.

26. *Privatus.*] Quidam explicant, inter privatos parietes, genio indulge. Alii interpretantur abſolute: quandoquidem non geris magiſtratum: volunt nimirum urbis præfecturam eſſe officium duntaxat, nec inter magiſtratus cenſeri: Ex Sueton. Octav. cap. 37. *Quo plures adminiſtrandæ Reipublicæ partem caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum . . . præfecturam urbis,* &c. Quod minime placet. Sic igitur intelligo: tu *linque ſevera* tantiſper, i. e. ſerias & graves occupationes intermitte: *præſentis horæ dona*, ſeu gaudia *rape*, cape, animo plane tranquillo, teque privatum hoc nocturno ſaltem convivio finge & cogita.

ODE IX.

Dialogus Horatii & Lydiæ.

Hor. *Quamdiu charus tibi extiti, neque ullus præſtantior adoleſcens brachia referebat collo tuo candido, felicior* ego *vixi Rege Perſarum.* Lyd *Quamdiu non alteram plus dilexiſti, nec Lydia poſthabita eſt Chloë,* Ego *Lydia magnæ famæ illuſtrior florui* quam *Ilia Romana.* Hor. *Mihi jam dominatur Chloë è Creta,*

Hor. DONEC gratus eram tibi, [289]
Nec quiſquam potior brachia candidæ
Cervici juvenis dabat;
Perſarum vigui Rege beatior.
Lyd. Donec non aliâ magis
Arſiſti, neque erat Lydia poſt Chloën;
Multi Lydia nominis
Romanâ vigui clarior Iliâ.
Hor. Me nunc Creſſa Chloë regit,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 3. Lib. 1.

1. *Donec gratus,* &c.] Amœbæum carmen eſt, cujus hæc lex eſt, ut qui poſterior dicit, priorem vincat, majus aliquid ſubjiciendo. Ode porro hæc tanti æſtimatur à Scaligero, ut ejus deſcribere ſententiam non pigeat. Sic ait lib. 6. Poet. *Omnes Horatii Odæ tantæ ſunt venuſtatis, ut & mihi, & aliis prudentioribus omnem ademerit ſpem talium ſtudiorum. Inter cæteras vero, duas animadverti quibus ne ambroſiam quidem aut nectar dulciora putem. Altera eſt tertia quarti libri.* Quem tu, Melpomene, ſemel, &c. *Altera eſt nona tertii:* Donec gratus eram tibi, &c. *Quarum ſimiles à me compoſitas malim, quam Pythionicarum multas Pindari & Nemeaconicarum: quarum ſimiles malim compoſuiſſe, quam eſſe totius Tarraconenſis Rex.* Vide in Virgil. Eclog. 3, & 7. Hic zelotypiam uterque ſuam belle exprimit, reſtituendiſque amoribus prioribus viam ſternit.

2. *Nec quiſquam potior,* &c.] Dum non amplexus tuos alteri conceſſiſti, nec alium mihi prætuliſti in amore.

4 *Perſarum vigui rege beatior.*] Antiqui Perſarum Reges, Cyrus, Darius, ad ſummas opes elati proverbio locum dedere. Illorum quiſque Regem Regum ſe jactabat. Quin & Perſarum montes pro montibus aureis dicti, Plaut. Stich. 1, 1, 14.

Neque ille mereat Perſarum ſibi
Montes, qui eſſe perhibentur aurei.

5. *Non alia magis Arſiſti.*] Alii legunt, *aliam,* Æque eleganter utrumque.

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin.

Virgil. Ecl. 2. v. 1.

6. *Neque erat Lydia poſt Chloën.*] Dum non amâſti Chloën præ Lydia. De hâc jam. lib. 1. Od 8, 13, 25.

8. *Romanâ vigui clarior Iliâ.*] Ego me fortunatiorem exiſtimabam, quam fuit unquam Ilia, ſeu Rhea, quæ Marte gravida Romulum Romanæ gentis auctorem protulit. De illa lib. 1. Od. 2.

9. *Me nunc Creſſa Chloë regit.*] Nunc ego ſervio amoribus Chloës, quam præter formam commendat Vocis & Muſicæ ſuavis modulatio. Quidam legunt *Threſſa*, i. e. è Thracia: verum lectioni noſtræ favet quod Cretes Muſicæ valde ſtudioſos refert Ælianus.

Dulces

Dulces docta modos et citharæ ſciens:
Pro quâ non metuam mori,
Si parcent animæ fata ſuperſtiti.
Lyd. Me torret face mutuâ
Thurini Calais filius Ornithi;
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata ſuperſtiti.
Hor. Quid ſi priſca redit Venus,
Diductóſque jugo cogit aheneo?
Si flava excutitur Chloe,
Rejectæque patet janua Lydiæ?
Lyd. Quanquam ſidere pulchrior
Ille eſt; tu levior cortice, et improbo
Iracundior Adriâ;
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

perita ſuavium modulorum, ac pulſandæ lyræ: pro qua non verebor vitam profundere, ſi fata indulgeant animæ reſiduæ. Lyd. *Me urit mutuo amore Calais filius Ornithi è Thurio, pro quo bis mortem oppetam ultro, ſi juveni vivo fata indulgeant.* Hor. *Quid ſi vetus amor reviviscat, & divulſos copulet æreo vinculo? Si formoſa Chloë rejicitur, & oſtium meum aperitur pulſæ Lydiæ?* Lyd. *Tametſi eſt ille aſtro ſplendidior;* tu vero es *levior ſubere, atque Adriatico* mari *proceloſo ferocior; tecum vivere cupiam, tecum gaudeam mori.*

ANNOTATIONES.

12. *Si parcent animæ fata ſuperſtiti.*] Moriar ego libens ad redimendam Chloës vitam; ut illa ſuperſtes vivat, quæ eſt altera pars mei. De ſuperſtitione veterum pro alterius ſalute ſeſe devoventium, alibi dixi.

13. *Me torret face mutuâ,* &c.] Mutuo me amore detinet Calais adoleſcens pulcherrimus. Alludi volunt aliqui ad nomen Callaidis lapilli, quem Sapphiri æmulum dixit Plin. 37. cap. 10.

14. *Thurini*] Thuria, ſive Thurium, civitas erat in Sinu Tarentino.

16. *Si parcent puero.*] Pro Calai bis ego mortem oppetere velim.

17. *Quid ſi priſca redit Venus?*] Quid faceres, O Lydia, ſi Horatii vetus in te amor denuò accenderetur; noſque diſſociatos reconciliet, arctiuſque jungat quam olim, imo conſtringat *jugo aheneo,* ſeu ære firmiori & nunquam diſſolvendo. Vide lib. 1, Ode 23.

22. *Levior cortice.*] Ode ſuperiori, *corticem aſtrictum pice:* pro ſubere nimirum ponitur cortex, teſte Plinio, lib. 16. cap. 8. Proverbium eſt in inconſtantes, *Cortice levior;* ſuber enim naturali ſua levitate ſuper aquas fertur & natat.

23. *Iracundior.*] Hoc ſibi vitium imputat Horatius non ſemel. Epiſt. 1, 20, 25.

Iraſci celerem, tamen ut placabilis eſſem.

Adria.] De eo lib. 1. Od. 33.

24. *Tecum vivere amem,* &c.] Ita facilè reconciliantur diſcordiæ amantium. Et vere dixit Terentius Andria 3, 3, 23.

Amantium iræ amoris integratio eſt.

Plaut. Amphitr. Act. 3. 2, 59.

Iræ interveniunt; redeunt rurſum in gratiam;
Verum Iræ, ſi quæ forte eveniunt hujuſmodi,
Inter eos, rurſum ſi reventum in gratiam eſt,
Bis tanto amici ſunt inter ſe quam prius.

ODE

ODE X.

Lycen admonet ut paulum manſueſcat erga ſe.

O Lyce, ſi potares ultimum Tanaim marito juncta barbaro, nihilominus fleres me ante januam tuam *duram extenſum exponere ventis Septentrionalibus* illic *habitantibus.* Nonne *audis quo murmure* tuæ *fores, quo nemus in ædibus magnificis conſitum reſonet ventis* perflantibus? *utque Jupiter puro numine conſtringat nives demiſſas? Abjice faſtum Veneri odioſum,*

EXtremum Tanaïm ſi biberes, Lyce, [291]
Sævo nupta viro; me tamen aſperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulchra ſitum tecta remugiant [292]
Ventis? Et poſitas ut glaciet nives
Puro numine Jupiter?
Ingratam Veneri pone ſuperbiam,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſuprà Od. 6. lib. 1.

1. *Extremum*, &c.] Ejuſmodi cautiones & querelas noctu canebant amantes ad fores meretricum aliarumque mulierum quas deperibant, ut ſic eas demererentur, atque ab iis tandem ſuâ patientiâ victis admitterentur in domum antea ſibi clauſam. Vide quæ annot. l. 1. Od. 25. Plura vero dixi ad Perſ. Sat. 5. v. 165. ubi ſic habetur.

Limen ad obſcænum . . . dum Chryſidis udas
Ebrius ante fores extinctâ cum face canto.

Extremum Tanaim ſi biberes.] Si nata in Scythia in remotiſſimis illis & frigidiſſimis partibus ubi ſcaturit Tanais: ſi barbaro proinde, & *ſævo* quoque *viro nupta* eſſes, quem vereri deberes; te tamen oporteret moveri meis amoribus, cum ante fores tuas excubantem cerneres in iſta aëris intemperie.

Tanaim.] Fluvius iſte notiſſimus, è Riphæis montibus vel è Caucaſo monte fluere dictus, Aſiam ab Europâ dividit: hodie *Don* vocatur. Eſt maxime Septentrionalis, et qui Nomades Tanaim accolebant, erant agreſtiores, ex Strabone lib. 11. De eo jam antea Od. 4. hujus libri, ubi *Scythicum amnem* appellat Horatius.

2. *Me tamen aſperas*, &c.] Non tam dura eſſes ut me jacentem ſuper limen januæ tuæ, frigidiſſima & moleſtiſſima tempeſtate, videres ſine ullo humanitatis ſenſu, Ovid. A. Am. 2, 237.

Frigidus inque uda ſæpe jacebis humo.

3. *Objicere incolis Plorares Aquilonibus.*] Doleres, ægre ſineres me objici noctu ventis iſtis a Scythiæ regione flantibus, ac velut incolis. Ovid. Met. 1. 64.

. . . . . Scythiam ſeptemque trionem
Horrifer invaſit Boreas.————

4. *Plorares objicere*] Sic & locutus Plaut. Aul. 2, 4, 29. *Aquam hercle plorat, cùm lavat, profundere.*

5. *Audis quo ſtrepitu*, &c.] Quam vehemens ſæviat ventus, judica è concuſſione tuæ januæ, & è murmure arborum viridarii tui graviter ſtridentium.

Nemus Inter pulchra ſitum tecta.] In ſeptis domorum nemora etiam habebant veteres, quorum ſtruendorum rationem docet Vitruv. l. 5. c. 11. *Sint*, inquit, *inter duas Porticus ſita, & in his perficiantur inter arbores deambulationes*, &c. Sueton. Oct. c. 72. *Prætoria ſua quamvis modica non tam ſtatuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xyſtis & nemoribus excoluit*, &c. Tibull. lib. 3. Eleg. 3. v. 15.

Et nemora in domibus ſacros imitantia lucos.

Cic. ad Quintum fratrem, l. 3. Ep. 1. *Nunc domus ſuppeditat mihi hortorum amœnitatem.* Vide Senec. Epiſt. 122. Item ſupra l. 2. Od. 3. & Epiſt. 1, 10, 20.

Nempe inter varias nutritur ſylva columnas.

7. *Et poſitas ut glaciet nives Puro numine Jupiter.*] Æſtimare potes etiam quantum frigus perpetiar, ex eo quod purum ſit cœlum, æther ſudus ac ſerenus, quo nives gelu concreſcunt & conſtringuntur: quia tunc facile diffunditur, quando ſcilicet in aëre nihil eſt quo reprimatur frigus: contra nebuloſo æthere coërcetur ne ad nos uſque perveniat, ut docet Ariſtot. in Problem.

Poſitas.] E cœlo delapſas, & humi jacentes.

Glaciet.] Per licentiam poeticam uſurpatur hoc verbum active, quod tamen abſolute poni ſolet, pro *coaleſcit*, *concreſcit*. Cic de Nat. Deor. 2. n. 26. *Tum aquæ declarat effuſio, quæ neque conglaciaret frigoribus, neque nive, pruinave concreſceret, niſi eadem ſe admiſto calore liquefacta & dilapſa diffunderet. Itaque & Aquilonibus, reliquiſque frigoribus adjectis dureſcit humor*, &c.

8. *Puro numine Jupiter.*] Bene ſic legito; alii, *Puro lumine*, vel *limine*; ſed perperam. Jovem pro æthere non rarò uſurpari, notum: huic ergo reſpondet vox *numine*. Puro lumine Sol quidem dicatur; at non Jupiter, præſertim concubiâ nocte, qua Lyces januam occentabat, de more, Poëta noſter.

9. *Ingratam Veneri pone ſuperbiam.*] Venus enim jocis, gratiis, amoribus ſtipata ubique memoratur, quibus adverſatur omnino ſuperbia, lib. 1. Od. 2. v. 33.

. . . . . . Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat & Cupido.

Ne

Ne currente retro funis eat rotâ.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens. [293]
O, quamvis neque te munera nec preces
Nec tinctus violâ pallor amantium,
Nec vir Pieriâ pellice ſaucius
Curvat; ſupplicibus tuis
Parcas, nec rigidâ mollior æſculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.

ne funiculus retrorſum abeat rotâ verſatâ. Tyrrhenus pater haud procreavit te Penelopen amantibus intractabilem. O licet te nec dona flectant, nec vota, nec violaceus pallor amore tabeſcentium, *neque maritus tuus amore pellicis Pieriæ vulneratus, indulge ſupplicantibus tibi,* quæ hactenus es *durâ quercu non flexibilior neque manſuetior ſerpentibus Mauritaniæ.*

ANNOTATIONES.

10. *Ne currente retro funis eat rotâ.*] Ne offenſa Venus iram in te ſuam ſtringat: tuque favore ejus deſtituta contemnaris, ut nunc me contemnis. Time ergo ſapienter fortunæ vices. Tiboll. lib. 1. Eleg. 5. v. 67.

Heu canimus fruſtra: nec verbis victa pateſcit
Janua, ſed plena eſt percutienda manu.
At tu, qui potior nunc es, mea fata caveto:
Verſatur celeri ſors levis orbe rotæ.

Iſto tamen loco metaphora videtur eſſe ducta non a rotâ fortunæ volubili & inſtabili; ſed potius a rotis & trochleis, quibus circumvolutus funis ingentia ſublevat & trahit pondera, ſi bene teneatur; at ſi dimiſſus fuerit, & rota & funis & pondus in partem contrariam feruntur, currunt, fugiunt, deturbantur. Senſus itaque Horatii erit: O Lyce, ne Veneris tu vincula, nexuſque ſperne, quæ ſi dimiſeris, cave ne res tuæ retro & peſſum eant ac diſſolvantur. Virg. Ecl. 8, 78.

. . . . *Veneris dic vincula necto.*

11. *Non te Penelopen difficilem,* &c.] Non es ut Penelope Spartana, nec educata inſtructaque duris moribus auſteraque vivendi ratione; imo venuſtam, lepidam, tractabilem genuit te pater Hetruſcus. Hetruſcos ludorum ac voluptatum amatores nemo neſcit; refert Cœl. Rhodig. l. 15. c. 11. atque a Lydis traxiſſe originem ſuſpicatur.

Penelopen difficilem procis.] Hæc Ulyſſis uxor viro ſuo fidem ſervans viginti annos abſenti, procos bene multos acriter ſolicitantes, patrem etiam novas nuptias ſuadentem eluctata eſt. Homer. Odyſſ. 2, 6, 7.

12. *Tyrrhenus.*] Tyrrheni Hetruriæ populi, Tyrrhenia Straboni eadem regio ac Thuſcia. Ovid. Metam. 14. v. 452.

Concurrit Latio Tyrrhenia tota.——

Porro ſynecdochicôs illi pro Italis univerſis vel Romanis accipi poſſunt.

14. *Tinctus violâ pallor.*] Color vultus meî pallidus inſtar violarum, quo etiam pallentes vocavit Virgil. Ecl. 2. Sunt enim aliæ purpureæ, aliæ luteæ, aliæ albæ; ex Plin. lib. 21. c. 6. Quanquam duo tantum genera violarum agnoſcit Nicander, pallidum & luteum: apud Athenæum lib. 15. cap. 9. *Pallor amantium.* Ovid. Art. Amat. lib. 1. v. 729.

Palleat omnis amans: hic eſt color aptus amanti.

Nimirum recurrente ad cor amoris centrum calore naturali, & quoniam intenſior in amantibus eſt, ſpiritus vitales magis diſſipante, in vultu pallor efficitur.

15. *Nec vir Pieriâ pellice ſaucius.*] Quanquam nec offenſa viri tui pellicem Pieriam depereuntis injuriâ ad me amandum inclinaris. Hoc certe eſt irritamentum uxoris maximum, ut inducatur in alterius amorem. Ex Euripide, quædam alia minus gravate fert uxor; at ſi a marito fallatur, quicquid eſt in vita jucundi perdit. Ovid. Art. Amat. lib. 2. v. 373.

Sed neque fulvus aper mediâ tam ſævus in irâ eſt.
. . . .
Nec lea, ...
Fœmina quam ſocii deprensâ pellice lecti
Ardet, &c.——

Pieriâ] Vel nomen factum a ſolo natali, ad augendam invidiam, quaſi diceret, peregrina, & ex ea Macedoniæ regione: vel notat fidicinam, pſaltriam, ob Pierium montem Muſis ſacrum; cujuſmodi mulieres ut plurimum exercebant meretriciam artem.

16. *Supplicibus tuis Parcas.*] Indulge aliquid ſupplicanti etiam apud te. Quis enim ſupplices unquam acerbe repulit, niſi qui humanitatem exuit? Ex ſententia veterum, qui talem hominem velut execrabilem averſabantur; cum & natura ſupplicibus parcere doceat.

17. *Æſculo.*] Arbor eſt glandifera, quam pro duritie ponit Horatius. De ea Plin. lib. 16. & nos jam lib. 1. Od. 22.

18. *Mauris.*] Mauritania Africæ regio ab ortu in occaſum extenſa, ubi nunc Barbaria Occidentalis. Arenoſa iſta loca aquarum penuriâ & Solis æſtu arentia & fervida, omne genus ſerpentum alunt etiam ſæviſſimorum.

Latus iſtud haud ſemper erit tolerans liminis & pluviæ.

Non hoc ſemper erit liminis, aut aquæ [294]
Cœleſtis patiens latus.

ANNOTATIONES.

19. *Non hoc ſemper erit liminis,* &c.] Amores meos tibi ſponte oblatos ne ſperne: nec enim ero ſemper ea robuſta & ferventi ætate, qua tui gratiâ poſſim & velim pernoctare ante januam, & cubare ſuper durum limen ædium tuarum, Epod. 11. v. 30.

Ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu, mihi poſtes, & heu
Limina dura quibus
Lumbos & infregi latus.

19, 20. *Aquæ Cœleſtis patiens.*] Imbres aliaque hyemalis tempeſtatis incommoda perpeti non ſemper libebit. Certe contra in Lycen jam vetulam acriter ſcripſit Ode 13. lib. 4. Ovid. A. Am. 2, 237.

Sæpe feres imbrem cœleſti nube ſolutum
Frigidus, inque udâ ſæpe jacebis humo.

ODE XI. Ad MERCURIUM.

Ut ſibi dictet cantus quibus Lyde flectatur.

O Mercuri, (ſiquidem te præceptore Amphion ſaxa cantu movit) & tu, lyra, chordis ſeptenis reſonare perita; neque canora pridem neque jucunda, jam verò familiaris tum opulentorum menſis, tum fanis Deorum, *numeros ede, quibus pervicaces auriculas admoveat Lyde.*

MERCURI (nam te docilis magiſtro
Movit Amphion lapides canendo)
Túque, teſtudo, reſonare ſeptem
Callida nervis,
Nec loquax olim, neque grata, nunc et [295]
Divitum menſis et amica templis, 6
Dic modos, Lyde quibus obſtinatas
Applicet aures.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2. Lib. 1.

1. *Mercuri.*] De eo multa Lib. 1. Od. 10.

2. *Movit Amphion lapides canendo.*] Jovis ille ex Antiopa filius ſuavi lyræ ſono dicitur moviſſe lapides, ut, ipſis inter ſe compoſitis & ſuperſtructis, Thebarum muri atque urbs ædificata fuerint. Vide Epiſt. ad Piſones, ver. 394. Plutarch. dé Muſicâ. Propert. Lib. 3. Eleg. 2. v. 5.

Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte ſuâ muri membra coiſſe ferunt.

3. *Teſtudo, reſonare ſeptem Callida nervis.*] E teſtudine lyra per Mercurium facta atque exornata, ut annotavi, lib. 1. Od. 10. Tribus primo chordis, deinde quatuor, tum ſeptem, poſtea novem inſtructa; deinum etiam pluribus. Vide Macrob. lib. 1. Saturn cap. 19. Diodor. Sicul. lib 1. Pindar. φόρμιγξ ἑπτάγλωσσον, Id eſt, ἑπτάφωνον, voçat. Virg. Eclog. 2. v. 36.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.———

Et Æneid. 6. v. 646.

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Porro ſeptenas diapaſon ſpecies ſeu modos, quos nunc tonos appellant, debere intelligi locis iſtis ſingulis, non abs re contendit Glareanus.

5. *Nec loquax olim, neque grata.*] Prius muta & ſine ullo pretio; at, poſtquam in lyram eſt concinnata, gratum edidit ſonum, dulceſque modos ac numeros expreſſit; ut requiſita & adhibita ſit in divitum conviviis & Deorum ſacris.

6. *Divitum menſis*] Quod vini vim fervidiorem elidere valeat Muſica, hanc ideo priſci adhibebant in ſuis conviviis. Teſtis Plutarch. lib. de Muſicâ; & Homer. Odyſſ. ubi cithara convivii ſodalis nuncupatur.

Et amica templis.] Vide T. Liv. lib. 9. cap. 30. ubi de tibicinibus ad præcinendum in ſacrificiis Deorum ſoleiter revocatis, hiſtoriam narrat ſat lepidam.

7. *Dic modos, Lyde, quibus obſtinatas Applicet aures.*] Cantûs dulcedine contumacem Lydes animum flecte, per aures delinitas ad cor penetra, demulce, viam ſterne, ſenſimque meos amores inſinua. Ex Plutarcho, Muſica concinno ſuo temperamento corpora menteſque revocat & emollit. Et lib. de Superſtit. ait ex Platone, Muſicam non deliciarum cauſa, & pruritûs aurium datam, ſed ut animi motiones improbè laſcivientes decenter reducat.

Quæ,

Quæ, velut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuítque tangi,
Nuptiarum expers, et adhuc protervo
Cruda marito.
Tu potes tigris comitéſque ſilvas
Ducere, et rivos celeres morari.
Ceſſit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter ſaniéſque manet
Ore trilingui.
Quin et Ixion, Tityúſque vultu
Riſit invito: ſtetit urna paulùm
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde ſcelus atque notas
Virginum pœnas, et inane lymphæ

que ſicut equa trium annorum exultat & ludit per apertos agros; fugitque attrectari, à nuptiis immunis, necdum petulanti viro idonea. Tu vales trahere tigres ſilvaſque ſimul, & rapidos tardare fluvios. Tibi [296] *demulcenti morem geſſit Cerberus crudelis aulæ janitor; licet caput illius furiis æquale ſtipent ſerpentes multi, & ex ore tres linguas habente halitus peſtilens & tabum fluat. Quinetiam Ixion & Tityus facie prætulerunt hilaritatem non ſponte: ſtetit dolium tantiſper aridum, dum ſuavi cantu Danai filias detineres. Diſcat Lyde crimen & ſupplicia famoſa puellarum, & vacuum aqua*

ANNOTATIONES.

9. *Quæ, velut latis equa trima campis, Ludit.*] Velut equa non domita juveniliter laſcivit & ludit per campos diſcurrendo & exiliendo: ſic Lyde juveniles ſectatur cum æqualibus ludos, à virili autem conſortio hactenus abhorret. Lib. 2. Od. 5. v. 5.

Circa virentes eſt animus tuæ
Campos juvincæ, &c.

10. *Ludit exultim.*] Anacreon.

Πῶλε Θρηκίη, τί δή με
. . . .
Νηλεῶς φεύγεις
. . . .
Νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι,
Κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις, &c.
Equulea Threïcia quid me
Crudeliter fugis?
At nunc prata depaſceris,
Et agiliter exiliens ludis.

13. *Tu potes tigres, &c.*] Nota eſt Orphei fabula feras & arbores trahentis ad lyræ dulces modos; Vide lib. 1. Od. 12. & Epiſt. ad Piſones v. 393.

14. *Rivos celeres morari.*] Virgil. Eclog. 8. v. 3.

Quorum ſtupefactæ carmine lynces,
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.

15. *Ceſſit immanis tibi blandienti, &c.*] Et hoc ad Orpheum pertinet, qui profectus ad Inferos ut reduceret inde dilectam Eurydicen, Cerberum demulſiſſe lyrâ fertur. De eo jam lib. 2. Od. 13. & Virgil. Georg. 4. v. 481.

Quin ipſæ ſtupuere domus, atque intima lethi
Tartara, cæruleoſque implexæ crinibus angues
Eumenides; tenuitque inhians tria Cerberus ora;
Atque Ixionei vento rota conſtitit orbis.

21. *Quin & Ixion, Tityúſque vultu Riſit.*] Pulſante citharam Orpheo recreari viſi ſunt illi, ſuaſque pœnas obliviſci; ut vultu quædam ſigna lætitiæ dederint.

22. *Invito*] Ob acerbitatem ſupplicii, triſtitiam exigentis. De Tityo Od. 4. hujus libri ſub finem. Ixion Junoni ſtuprum inferre conatus ad inferos pulſus eſt, & rotæ inter ſerpentes alligatus aſſidue circumvolvitur. Tibull. lib. 1. Eleg. 3. v. 73.

Illic Junonem tentare Ixionis auſi
Verſantur celeri noxia membra rotâ.

Vide Pindar. Pyth. Od. 2. ubi refert. Ἰξίονα ἐν πτερόεντι τροχῷ πάντα κυλινδόμενον. *Ixionem in alata rota circumquaque verſatum.*

Stetit urna paulùm Sicca, &c.] Danai Argivorum Regis filiarum diri ceſſaverunt cruciatus paululum, dum caneret Orpheus. Vide lib. 2. Od. 14. Lucret. lib. 3. v. 1021.

Hoc (ut opinor) id eſt, ævo florente puellas
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas,
Quod tamen expleri nullâ ratione poteſtur.

Hinc Proverb. apud Plaut. Pſeud. 1, 3, 135. *in pertuſum ingerimus dicta dolium, operam ludimus.*

25. *Audiat Lyde ſcelus, &c.*] Diſcat Lyde quas pœnas Dii attribuant mulieribus in ſuos amatores crudelibus: hincque deſinat mihi dura eſſe.

26. *Virginum.*] Danaidum.

Inane lymphæ Dolium, &c.] Vide ſupra.

mus evaheſcente ex imo fundo, perennemque ſortem delictis etiam apud Inferos reſervatam. Scelerata (quid enim pejus valuerint?) Sceleratæ, inquam, illæ ſævo gladio perimere ſponſos valuerunt. At è pluribus, una tædis nuptialibus idonea, egregie fraudulenta erga patrem fallacem, & in cuncta ſecula illuſtris virgo extitit: Quæ ait adoleſcenti ſponſo, Exurge, ne diuturnus tibi ſopor unde non metuis comparetur: ſocerum & impias ſorores effuge; quæ tanquam leænæ vitulos adeptæ totidem, (heu!) diſcerpunt. Ego illis clementior neque te percutiam, neque detinebo intra ſepta. Me parens duris vinculis obruat,

Dolium fundo pereuntis imo, [297]
Seráque fata,
Quæ manent culpas etiam ſub Orco.
Impiæ, (nam quid potuere majus?)
Impiæ ſponſos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendidè mendax, et in omne virgo
Nobilis ævum:
Surge, quæ dixit juveni marito,
Surge; ne longus tibi ſomnus, unde
Non times, detur: ſocerum et ſceleſtas [298]
Falle ſorores;
Quæ velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos (eheu!) lacerant: ego illis
Mollior, nec te feriam, neque intra
Clauſtra tenebo.
Me pater ſævis oneret catenis,

ANNOTATIONES.

28. *Seráque fata.*] Vel, longa & diuturna; vel tarde venientia, eoque graviora.

33. *Una de multis, &c.*] Hypermneſtra Lynceo ſponſo pepercit, ſalvumque abire & fugere juſſit; dum ſorores juſſu patris ſuos ſponſos nefariè jugularent; at ipſa noluit exequi impie præſcripta; unde & nomen ſibi fecit immortale. Quidam ſcribunt duas fuiſſe quæ ſponſis vitam adimere non ſuſtinuerunt. Hypermneſtram & Bebrycen. Euſtath. in Dionyſ. Alex.

Face nuptiali Digna.] Honore matrimonii digna. Quod noctu ſeu veſperi nuptæ deducebantur domum ſponſi, hinc fax præferebatur. Feſtus. *In nuptiis*, inquit, *facem præferebant in honorem Cereris, & aquâ ſpargebatur nova nupta, ſive ut caſta puraque ad virum perveniret, ſive ut ignem & aquam cum viro communicaret.*

34. *Perjurum in parentem Splendidè mendax.*] Recte fallens patrem Danaum, qui Ægyptum fratrem ejuſque filios generos ſuos impia & cruenta fraude circumveniebat. Ægyptus quinquaginta filiis ſuis Danai fratris totidem filias in matrimonium popoſcit. Hic recuſavit, quod ex Oraculo accepiſſet a genero ſibi mortem inferendam. At cum inſtaret ille, fraudulenter annuit, filias monens, ut ipſâ nocte nuptiarum, ſponſos vino luxuriaque ſopitos cultro ſingulæ conficerent. Itaque patri contra fas morem gerentes, captatâ horâ viros enecarunt, excepta Hypermneſtra, quæ Lynceum ſervavit. Hic vero poſtea Danao interempto Argivum regnum invaſit, atque Oraculi fidem implevit.

35. *In omne virgo Nobilis ævum.*] Hypermneſtram virginem manſiſſe, hocque pactum cum Lynceo ſponſo, nonnulli tradunt. Vide Pauſan. in Corinthiacis Pindar. Nem. Od. 10. &c.

38. *Ne longus tibi ſomnus, &c.*] Ne tibi mors afferatur a Danao patre ſororibuſque meis; Ægypti enim patris tui ſtirpem extinguere conjurârunt. Ovid. Epiſt. 14, 73.

Surge age, Belide, de tot modò fratribus unus;
Nox tibi, ni properas, una perennis erit.

Apud Heſiod. *Somnus mortis frater*; apud Virg. *Conſanguineus, lethi ſopor*, dicitur Catull. Eleg. 5. v. 6.

Nox eſt perpetua una dormienda.

39. *Sceleſtas Falle ſorores.*] Celeriter fugiendo, prava ſororum mearum conſilia elude.

45. *Me ſævis oneret catenis, &c.*] Obſerva quam artificioſe Poeta amplificet ac laudet fidem & lenitatem Hypermneſtræ, ut ejus exemplo Lyden impellat at ſibi amanti favendum. Vide Ovid. Epiſt. 14. v. 3. ubi Hypermneſtra Lynceo ita ſcribit:

Clauſa domo teneor, gravibuſque coërcita vinclis,
Eſt mihi ſupplicii cauſa, fuiſſe piam.
. . . .
Me pater igne licet, quem non violavimus, urat,
. . . .
Aut illo jugulet, quem non bene tradidit, enſe,
Ut qua non cecidit vir nece, nupta cadat.

Quod

Quòd viro clemens miſero peperci :
Me vel extremos Numidarum in agros
Claſſe releget.
I, pedes quò te rapiunt et auræ,
Dum favet Nox et Venus : I ſecundo
Omine, et noſtri memorem ſepulcro
Sculpe querelam.

quoniam ſponſum infelicem benigna ſervavi : me navi amandet ad ultimos etiam Numidarum campos. Abi quo te ferent pedes & venti, dum nox et Venus obſecundant : abi fauſtis auſpiciis, & tumulo inſcribe querimoniam, quâ *noſtri recordatio* permaneat.

ANNOTATIONES.

47. *Extremos Numidarum in agros.*] Me in barbaras nationes exulem mittat, etiam trans mare. Numidia proprie litoralis Africæ pars erat ubi nunc regnum Algerii. Hic vero non ita ſtricte ſumitur. Ex Plin. lib. 5. cap. 3. Numidia præter marmor & feras nihil habet inſigne ; Maſiniſſæ nomine tantum clara. Hodie *Biledulgerid* quibuſdam vocatur.

49. *I, pedes quo te rapiunt & auræ.*] Seu terra ſeu mari fuge quamprimum : *dum favet nox & Venus*, *i. e.* amor in te meus.

51. *Noſtri memorem ſepulchro Sculpe querelam.*] Cum me a patre morti addictam acceperis, Epitaphium ſcribe, quo diſcat poſteritas meam in te Pietatem Danai crudelitate male penſatam. Pauſan. in Corinth. refert Hypermneſtram in judicium vocatam a patre, quod Lynceo ſalutem dederit ſibi pernicioſam, &c. Ovid. Epiſt. 14.

Et ſepeli lacrymis perfuſa fidelibus oſſa ;
Scriptaque ſint titulo noſtra ſepulcra brevi :
Exul Hypermneſtra pretium pietatis iniquum,
Quam mortem fratri depulit, ipſa tulit.

ODE XII. Ad NEOBULEN.

Hebri Amore contabeſcentem.

Miſerarum eſt neque amori dare ludum, [299]

Ærumnoſarum eſt, nec amori

ANNOTATIONES.

Hæc Ode eſt dicolos triſtrophos : Metrum ſingulare. Sotadicum vocant aliqui, quod ſæpe a Sotade uſurpatum. Alii Rhythmicum, quod fere nullus pedum numerus inſit.

Primi quique duo verſus tribus conſtant Ionicis a minore, tertius vero quatuor : hoc modo :

Mĭſĕrārūm ēſt | nĕquĕ ămōrī dărĕ lūdūm.

Alii longe aliter, volunt carmen eſſe tricolon tetraſtrophon ; ut duos priores verſus ſint Sapphici trimetri acatalecti ; tertius Anacreonticus dimeter catalecticus ; quartus Adonicus : ſicque ſcribunt,

Miſerarum eſt neque amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere aut ex-
animare metuentes patruæ
Verbera linguæ, &c.

1. *Miſerarum eſt, &c.*] Magna diſſenſio de metro, de ordine verſuum, deque fine & propoſito hujus Odes. De carmine diximus, de verſuum ſerie, vide annot. ad v. 9. denique quid velit Poeta, & qua mente ſcribat, haud liquet. Quidam putant hortatoriam eſſe Oden, qua Neobulen in Hebri amore confirmet adverſus patrui ſeu cujuſlibet cenſoris reprehenſiones. Alii ironicam arbitrantur, nec abſurde ; ut Horatius irrideat mulierculam adoleſcentis amore perculſam, opus diurnum deſerentem, ac præ animi impotentiâ deſidem.

Miſerarum eſt neque amori dare ludum, &c.] Sane puella & mulier omnis miſera eſt, quæ nullam carpit hilaritatem & gaudium, vel ex amore vel è vino, quæque ita metuit reprehenſiones & caſtigationes hominum, ut nihil genio quidquam indulgere auſit. Peſſimi profecto exempli monitum, niſi ſarcaſmi ſale condiatur, & corrigatur, ut ante dixi.

Amori dare ludum.] Ita Plaut. Bacchid. 4, 10, 7.

Ego dare me ludum meo nato inſtitui, ut animo obſequium
Sumere poſſit, æquum eſſe puto : ſed nimis nolo deſidiæ
Ei dare ludum.——

Theophraſt. apud Athen. l. 13. *Quis negabit eos ſolos vivere qui amant ?* &c. Theophil. ibid. *Qui amantes amentes eſſe putat, ipſe deſipit*, &c.

Neque

indulgere, nec mærores diluere vino ſuavi, vel diſcruciari, timentes ictus linguæ patruæ. At tibi calathum, ô Neobule, filius pennatus Veneris, tibi telas & laborioſæ Minervæ opus excutit pulchritudo Hebri Liparenſis; qui eques ſolertior ipſo Bellerophonte, nec pugillatu nec tardo curſu superatus,

Neque dulci mala vino lavere, aut ex-
  animari metuentes patruæ verbera linguæ.
Tibi qualum Cythereæ puer ales, [300]
Tibi telas operoſæque Minervæ
  Studium aufert, Neobule, Liparæi nitor Hebri:
Eques ipſo melior Bellerophonte, [301]
Neque pugno neque ſegni pede victus,

ANNOTATIONES.

2. *Neque dulci mala vino lavere.*] Vino pelli curas jam dictum alibi ſæpius, eoque exhilarari animum, teſtis etiam ſacer codex.

Lavere.] Ita veteres; *lavo, lavis;* & *ſonere* pro *ſonare, &c.*

3. *Exanimari metuentes.*] Metu reprehenſionis prope mori.

Metuentes patruæ verba linguæ.] Pater filio ſemper indulgens, & patruus ſeverior: & hinc proverbio locus, *Patrua lingua, ſapere patruum.* Perſ. Sat. 1. v. 11. *Cum ſapimus patruos.* Noſter poſtea l. 2. Sat. 3. *Ne ſis patruus mihi.* Cic. pro Cælio; *Qui in reliqua vita mitis eſſet . . . fuit in hac cauſa pertriſtis quidam patruus, cenſor, magiſter: objurgavit M. Cælium, ſicut neminem unquam parens.* Et de Quinto fratris filio, Cicero patruus ad Atticum ejus avunculum, Lib. 10. Epiſt. 6. *Vellem ſuſcepiſſes juvenem regendum; pater enim nimis indulgens quicquid ego aſtrinxi, relaxat. Si ſine illo poſſem, regerem, quod tu potes.*

4. *Tibi qualum Cythereæ, &c.*] At tu, Neobule, quid valeat amor, experiris: ipſius imperio domita ſponte obtemperas: ipſi tota vacas, lanificio & quotidiano opere prorſus abjecto.

Qualum] Quaſillum, calathum, in quo reponunt mulieres penſum, filum, ſtamen, fuſos, forficulas.

Cythereæ.] Ita dicta Venus, vel à Cythero Cypri inſulæ oppido; vel potius à Cytheris inſula, hodie *Carigo*, contra Cretam, in mari Ægæo, ipſius nomini ſacra; in quam & dicitur primum advecta marina concha. Ovid. Faſt. 4. v. 286.

. . . . *Veneri ſacra Cythera petit.*

Puer ales.] Cupido Veneris filius, cui alas affingunt & appingunt. Vide apud Athen. l. 13 cap. 2. de alato Cupidine verſus plane lepidos. Eubulus quidem hoc fere ſenſu ibi ſcribit: *Quiſquis mortalium primus alatum Amorem pinxit, aut cerâ finxit, is hujus Dei ingenium ignorabat; levis enim minime eſt, aut facilis; imo gravis ſupra modum. Quorſum ergo illi pennæ?* &c. Alexis ibid. *Aiunt vulgo non volare Deum Amorem ſed illos qui amant; alia vero de cauſa alas affingi,* Ariſt. ibid. *Amor, apud Superos perturbans omnia, e Deorum eſt ejectus concilio. & huc ad nos exilio depulſus. Audaci autem & petulanti præciſæ alæ, ne revolare in cælum poſſet: ablatas vero pennas dederunt Victoriæ geſtandas, præclara hoſtis ſpolia, &c.*

5. *Operoſæ Minervæ Studium.*] Lanificio textriniſque artibus præeſt Minerva. Heſiod. oper. dier. v. 63.

Ἀθήνην
Ἔργα διδασκῆσαι, πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν.
Minervam
Opera docere, ingenioſam telam texere.

Virgil. Æneid. 5. v. 284.

. . . . . *Operum haud ignara Minervæ.*

Æneid. 7. v. 805.

Bellatrix, non illa colo calathiſve Minervæ
Femineas aſſueta manus.———

6. *Studium aufert, &c.*] Sic amor die noctuq; rem amatam animo duntaxat objicit, aliarum omnium rerum cogitationem & curam aufert. Sappho.

Γλυκεῖα μᾶτερ, οὔ τοι
Δύναμαι κρέκειν τὸν ἱστόν,
Πόθῳ δαμεῖσα παιδός,
Βραδινὰν δι' Ἀφροδίταν.
Dulcis mater haud poſſum ordiri telam,
Correpta amore pueri per lentam Venerem.

Apud Virgil. Dio, amore capta Æneæ cætera negligit omnia. Æneid. v. 86. Vide lib. 1. Od. 8. ibique annot.

Neobule.] Νέα βουλή, *juvenile conſilium:* vel νέος βῶλος, *nova gleba.*

Liparæi nitor Hebri.] Species & decor adoleſcentis Hebri e Lipara oriundi: quæ præcipua eſt inter Æolias inſulas, in mari Tyrrheno; hodie *Lipari*; pendet à Sicilia; nunc bene culta, & arce munita eſt.

7. *Eques ipſo melior Bellerophonte, &c.*] In Campo Martio paſſim victor.

Bellerophonte.] Hujus inventum eſſe, equo vehi, affirmat Plin. lib. 7. cap. 56. Vide lib. 1. Od. 27. in fine, ibique annot.

8. *Neque pugno neque ſegni pede victus, &c.*] Exercebat ſe Romana juventus pugilatu, curſu pedeſtri, equitando, natando, &c. lib. 1. Od. 8.

Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis:
Catus idem per apertum fugientes
Agitato grege cervos jaculari, et
Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum.

ſimul humeros oleo perfuſos abluit in flumine Tiberi, atque peritus etiam configere cervos ex agitato agmine fugientes patenti campo, atque velox opprimere aprum denſo virgulto abditum.

ANNOTATIONES.

9 *Simul unctos Tiberinis humeros, &c.*] Hunc verſum interſerunt aliqui ſeptimo loco, planiori quidem ſenſu, verum præterquam quod repugnat carminis lex, & inſtituta verſuum ſeries; ſiquidem hoc pacto duo tetrametri continui ponerentur; id inſuper rectum perturbaret ordinem exercitationum Romanis uſitatarum. Nam poſt decurſionem in Campo Martio duplicem, equo nempe & pedibus, poſtq; luctam, ſeu pugilatum, ſequebatur natatio in Tiberi, ad detergendum ſudorem ac pulverem: quod Horatius bellè hic expreſſit. Vide Veget. de re milit. lib. 1. cap. 10.

10. *Catus idem, &c,*] Hebrus non tantùm campeſtri victoria inſignis, ſed & venandi ſolertia.

11. *Agitato grege cervos.*] Turmatim cervi per ſilvas & campos vagari ſolent. Virg. Georg. 3. v. 369.

. . . . . *Confertoque agmine cervi.*

12. *Alto latitantem fruticeto.*] Quidam legunt *arto* ſive *arcto*, id eſt, denſo. Videtur tamen Horatius Homerum ſecutus, Iliad. 11. circa medium, *de apro.*

Ὁ δέ τ' εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο.

Ille vero prodit è profundo fruticeto, ſeu loco arboribus condenſo.

Excipere.] Incautum & ex inſidiis capere.

ODE XIII.

Ad FONTEM BLANDUSIÆ.

O Fons Blanduſiæ ſplendidior vitro, [302]
Dulci digne mero, non ſine floribus,
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus
Primis, et Venerem, et prælia deſtinat
Fruſtra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro ſanguine rivos
Laſcivi ſoboles gregis.

O Fons Blanduſine, vitro lucidior, digne vino ſuavi, cum floribus: cras tibi mactabo capreolum, cui frons tumet cornibus novis; quique *laſciviam & certamina incaſſum præparat; nam proles gregis luxurioſi tibi tinget frigidas aquas rubro cruore.*

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod ſupra Od. 5. Lib. 1.

1. *O fons, &c.*] Hic fontis Blanduſiæ apotheoſim quandam agnoſcunt nonnulli. At ſaltem notare licet, ex mente veterum fontes ſacros fuiſſe, & aliquid numinis habuiſſe: quare illis ſacrificabant, ut & Horatius præſtat Lib, 1. Od. 1. *Aquæ caput ſacræ.* Vide ibi annot.

Fons Blanduſiæ.] Is apud Sabinorum fines, ad Mandelam pagum, ſitus erat in prædio noſtri Poetæ, de quo l. 2. Od. 18. v. 14. and Ep. 16. init. ubi,

Fons etiam rivo dare nomen idoneus.

2. *Dulci digne mero.*] Digne ſacrificiis, in quibus adhibetur vinum ac libatur.

Non ſine floribus.] Libantes vina coronabant. Virgil. Georg. 2. v. 528.

. . . . *Socii cratera coronant,*
Te libans, Lenæe, vocat.———

Et Æneid. 1. v. 728.

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.

Tibull. lib. 1. Eleg. 5. v. 98.

. . . . *Coronatus ſtabit & ipſe calix.*

Ex Homer. Iliad. 9.

Κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Quidam flores iſtos referunt ad hœdum mactandum. Nam mos erat coronari victimas. Alii, eò quod floribus ſpargebantur fontes.

3. *Cras donaberis hœdo.*] Immolabitur tibi hœdulus tener cui erumpere cornua incipiunt. Is ergo fruſtra mediatur prœlia in alios hœdos. Ovid. Faſtor. 3. v. 300.

. . . *Fonti Rex Numa mactat ovem,*
Plenaque odorati diſponit pocula Bacchi.

5. *Venerem, & prælia deſtinat.*] Laſcivum & petulans animal hœdus. Sic & Od. 22. ſeq. v. 7.

Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

Te minime attingit aſperum tempus ardentis Caniculæ. Tu amœnum frigus ſuppeditas tauris aratro fatigatis atque erranti gregi. Tu cenſeberis etiam inter illuſtres fontes, cùm prædicavero ilicem extenſam ſuper rupibus excavatis è quibus defluunt aquæ tuæ leniter *ſtrepentes.*

Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Neſcit tangere: tu frigus amabile [303]
Feſſis vomere tauris
Præbes, et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impoſitam ilicem
Saxis; unde loquaces
Lymphæ deſiliunt tuæ.

ANNOTATIONES.

9. *Te flagrantis atrox, &c.*] Diebus etiam Canicularibus æſtum nequaquam ſentis; tuque vel tuam umbram & frigus præbes, cum Sol primam partem Leonis ingreditur, menſe Julio; quando per dies multos ſævit *inſana Canicula & ſiccas meſſes coquet*; ut ait Perſ. Sat. 5. v. 5. Vide lib. 1. Od. 17. v. 17. annot. Plin. 2. cap. 40. *Caniculæ exortu accendi Solis vapores quis ignorat? Cujus ſideris effectus ampliſſimi in terra ſentiuntur. Fervent eo exoriente maria, fluctuant in cellis vina, moventur ſtagna* .... Eodem. lib. cap. 47. *ardentiſſimo æſtatis tempore exortum Caniculæ ſidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies 13. ante Auguſti Cal. eſt .... Solis vapor geminatus ardore ſideris.* Idem. lib. 9. cap. 17. *totum mare ſentit exortum hujus ſideris* .... lib. 18. cap. 28. *Canis ortum vocamus, Sole primam partem Leonis ingreſſo. Hoc fit poſt Solſtitium* xxiii. *die. Sentiunt id maria & terra .... accenditque Solem; & magnam æſtus obtinet cauſam.*

13. *Fies nobilium tu quoque fontium.*] Tu eris unus e fontibus nominatiſſimis, me celebrante amœnitatem tuam, aquarum perſpicuitatem ac ſuave murmur, loquacitatem umbræ tuæ, aliaque quæ hinc enaſcuntur commoda: *cavis impoſitam ilicem ſaxis*, innatam ſaxis quercum; & ex iis deſilientes cum jucundo ſtrepitu aquas: unde

..... *Quercus & ilex*
Multâ fruge pecus, multâ dominum juvet umbrâ.
....
Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hæ latebræ dulces, etiam (ſi credis) amœnæ,
Incolumem tibi me præſtant Septembribus horis.

Epiſt. 1, 16, 9.

ODE XIV. Ad POPULUM ROMANUM.

De Auguſti Reditu ex Hiſpania, Cantabris devictis.

O Popule Romane, *Auguſtus quem paulò ante dicebamus quæſiviſſe lauream morte emendam, inſtar Herculis,* jam *ex Hiſpaniâ regione domum redit triumphans.* Ergo *fœmina, ſingulari*

Herculis ritu modò dictus, ô plebs, [304]
Morte venalem petiiſſe laurum
Cæſar, Hiſpanâ repetit Penates
Victor ab orâ.
Unico gaudens mulier marito

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod Od. 5. lib. 1.

Herculis ritu, &c.] Horatius hac Ode Auguſto gratulatur incolumi tum è morbo ſat diuturno, tum è periculis belli difficillimi. Nimirum ex Sueton. cap. 20. *Externa duo bella per ſe geſſit: Dalmaticum adoleſcens adhuc, & Antonio devicto Cantabricum.* Et. cap. 21. *Domuit autem partim ductu, partim auſpiciis ſuis Cantabriam,* &c. Porro ad expeditionem Cantabricam profectus Cæſar Tarracone detentus eſt morbo pertinace, è quo tamen convaluit; rebuſque per legatos feliciter confectis Romam rediit Cantabrorum victor: quanquam illi ſubinde rebellarunt. Vide lib. 2. Od. 6. init. ibique annot.

Dictus Morte venalem petiiſſe laurum, &c.] De Auguſto ægrotante dicebamus nuper illum periculo vitæ comparandam ſibi quæſiviſſe laurum & gloriam; nobis vero pacem: ſicut Hercules orbem ſuſcepit monſtris liberandum, non ſine gravi diſcrimine. At ecce victor & ſalvus redit ad nos ex Hiſpaniâ, ut Hercules olim profligato Geryone.

5. *Unico gaudens mulier marito Prodeat, &c.*] Ergo ſinguli gratias Diis agant pro ſalute Impe-

Prodeat, juſtis operata Divis;
Et ſoror clari ducis, et decoræ
Supplice vittâ
Virginum matres juvenúmque nuper [305]
Soſpitum. Vos ô pueri, et puellæ
Jam virum expertæ, malè nominatis
Parcite verbis.
Hic dies verè mihi feſtus atras
Eximet curas: ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Cæſare terras.
I, pete unguentum, puer, & coronas,
Et cadum Marſi memorem duelli:
Spartacum ſi qua potuit vagantem [306]
Fallere teſta.

læta viro procedat, ſacro facto æquis numinibus: nobilis etiam Imperatoris ſoror; atque matres puellarum & adoleſcentium haud ita pridem ſalvorum, ornatæ tæniâ ſupplicanti. Vos ô juvenes & adoleſcentulæ marito junctæ, abſtinete vocibus inauſpicatis. Iſta lux mihi ſanè feſtiva depellet moleſtas ſolicitudines. Ego neque bellum civile formidabo, neque interire per vim hoſtilem, *Auguſto orbis domino. Perge, famule, affer unguentum & coronas, atque amphoram teſtem belli Marſorum, ſi* forte *aliquod fictile dolium potuit latere Spartaco graſſanti.*

ANNOTATIONES.

ratoris optimi, præ cæteris autem Livia Druſilla Auguſti conjux amantiſſima, eique pariter dilectiſſima, & forma ac pudicitia perinde inſignis. De eâ quædam ſatis ſingularia narrat Dio lib. 58. v. 9. illam obvios forte nudos habuiſſe, quos majeſtatis reos agi intelligens, periculo exemerit, dicendo: apud caſtas illos nihil a ſtatuis differre, &c. Vix ad rem attinet quod aliqui hic obſervant monogamiam pudicitiæ eſſe notam; atque eas coronâ ſolitas honorari caſtimoniæ, quæ uno contentæ matrimonio fuerant, ex Valer. Maxim. lib. 2. Quidam legunt *Unice.*

6. *Prodeat.*] Supplicet ad Deorum pulvinaria, aras, templa.

Operata Divis.] Facto prius ex more domi ſacrificio, placatiſque Diis domeſticis, *Juſtis,* qui Imperatoris virtuti ac merito debitam felicitatem & incolumitatem præſtitere. Quidam pro *Divis,* legunt *ſacris.*

7. *Et ſoror clari ducis.*] Pariter etiam Octavia Auguſti ſoror, Antonio nupta: procedant & matronæ Romanæ, *matres juvenum,* quo ex eo bello ſalvi redierunt. *Decoræ ſupplice vitta;* qui veſtitus & ornatus matronarum erat proprius; in primis autem ſupplicantium & ſacrificantium. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27.

10. *Vos ô pueri, & puellæ.*] Hos in ſacris adhiberi patet ex Ode prima hujus libri. Quidam legunt, *virûm expertes.*

11. *Malè nominatis Parcite verbis.*] Et hæc intelliguntur facile ex dictis in Ode mox cit. *male nominatis,* quæ nefas eſt nominari, quæque malum omnem afferrent. Non abſurde legunt aliqui, *male ominatis.*

12. *Parcite verbis.*] Favete linguis, ne ſacra violate; ſilentio potius & mente attentâ juvate.

14. *Ego nec tumultum, &c.*] Dum rerum potietur Auguſtus, nec ullas civiles turbas metuo, nec hoſtiles impetus & incurſiones.

Tumultum.] Cic. Philip. 8. n. 3. *Poteſt eſſe bellum ſine tumultu: tumultus eſſe ſine bello non poteſt. Quid enim eſt aliud tumultus, niſi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? Unde etiam nomen ductum eſt tumultus.*

15. *Nec mori per vim metuam, tenente Cæſare terras.*] Sueton. Octav. cap. 22. *Janum Quirinum ſemel atque iterum a condita urbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, terra marique pace parta ter clauſit.* Lib. 4. Od. 5. v. 25.

Quis Parthum paveat? Quis gelidum Scythen?
Quis Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæſare? Quis feræ
Bellum curet Iberiæ?

Et Od. 15. v. 17.

Cuſtode rerum Cæſare, non furor
Civilis, aut vis eximet otium, &c.

17. *I, pete unguentum, puer, &c.*] Lætitiæ ſigna plurima; epulæ, & in his vinum vetuſtate exquiſitum, unguenta, flores, coronæ, muſica. Vide lib. 1. Od. 9. 38, &c.

18. *Cadum Marſi memorem duelli.*] Vinum diffuſum & in cellâ conditum tempore belli, quod Marſicum, Italicum, Sociale, nuncupatum eſt; nimirum ante annos plus ſexaginta. Tum *ab omni parte Italiæ, duce & auctore belli diſcurſante Popedio,* qui Marſos ſubſignis habebat, *diverſa per populos, & urbes ſigna cecinere.* Tandem *Marſos Gabinius diſcuſſit.* Vide L. Flor. lib. 1. cap. 18.

19. *Spartacum ſi qua potuit vagantem Fallere teſta.*] O Puer, quære nobis vinum Marſici belli notam habens; ſi quidem ex eo ſuper

Jube quoque Neæræ canoræ ut feſtinet in nodum colligere capillos myrrheos. Quod ſi impediaris ab importuno januæ cuſtode, abſcedito. Caneſcentes crines mitigant animum appetentem jurgiorum ac petulcæ contentionis. Id verò minime toleráſſem juventute fervidus, ſub Munatii Conſulatu.

Dic et argutæ properet Neæræ
Myrrheum nodo cohibere crinem:
Si per inviſum mora janitorem
Fiet, abito.
Lenit albeſcens animos capillus [307]
Litium et rixæ cupidos protervæ.
Non ego hoc ferrem calidus juventâ,
Conſule Planco.

ANNOTATIONES.

fuit, & effugit Spartaci vaſtationem & depopulationes, quæ annis circiter ſexdecim graſſatæ ſunt poſt bellum Marſicum. Luc. Flor. lib. 3. cap. 20. *Bellum Spartaco duce concitatum quo nomine appellem neſcio,* inquit, *quippe cùm ſervi militaverint, gladiatores imperaverint,* &c. . . . . . . *Spartacus, Crixus, Oenomaus effracto Lentuli ludo cum triginta aut amplius ejuſdem fortunæ viris eruperunt Capuâ: ſerviſque ad vexillum & ad auxilium vocatis, cum ſtatim decem amplius millia coiſſent hominum, non modo effugiſſe contenti, jam vindicari volebant* . . . . . . *totam pervagantur Campaniam* . . . . *terribili ſtrage populantur. Affluentibus in diem copiis, cùm jam eſſet juſtus exercitus, è viminibus pecudumque tegumentis inconditos ſibi clypeos, e ferro ergaſtulorum recocto gladios ac tela fecerunt,* &c . . . . *Ille* Spartacus *de ſtipendiario Thrace miles, de milite deſertor, inde latro, deinde in honore virium gladiator* . . . . *Conſulares quoque aggreſſus in Apennino Lentuli exercitum percecidit: apud Mutinam C. Caſſii caſtra delevit. Quibus elatus victoriis de invadenda urbe Roma deliberavit. Tandem totis Imperii viribus contra mirmillonem conſurgitur: pudoremque Rom. Licinius Craſſus aſſeruit* . . . . . *Spartacus, in primo agmine fortiſſime dimicans, quaſi imperator, occiſus eſt* Vide Plutarch. in Vita Craſſi. Appian. Lib. 1. Bell. Civil. Oroſ. lib. 5. cap. 26, &c.

21. *Dic & argutæ properet Neæræ, &c.*] Adduc, ô puer, & Neæram voce ac fidibus canoram, ad plenam hilaritatem convivii noſtri. Veniat autem protinus vel incompta, & collectis tantùm in nodum capillis. Nam *dum comuntur annus eſt:* repentinum vero gaudium noſtrum haud fert moram. Vide Lib. 2. Od. 11. in fine.

22. *Myrrheum crinem.*] Vel myrhino unguento delibutum; vel, ſubflavum & myrrhei coloris. Quibuſdam placet legere *myrtium,* id eſt, medium inter flavum & nigrum.

23. *Si per inviſum mora janitorem Fiet, abito.*] Redi vero quamprimum, ſi non ſtatim admittaris, ſique moram faciat cuſtos januæ ædium Neæræ. Ovid. Amor. Lib. 1. Eleg. 6.

Janitor, indignè durâ religate catenâ,
Difficilem moto cardine pande forem.
. . . .
Aſpice ut invideas, inimicaque clauſtra relaxa.
. . . .
Non te formoſæ decuit ſervare puellæ
Limina: ſolicito carcere dignus eras.

Et Lib. 2. Eleg. 2.

Quem penes eſt dominam ſervandi cura, Bagoë
. . . .
. . . .
Si ſapis, ô cuſtos, odium (mihi crede) mereri
Deſine. ———

25. *Lenit albeſcens animos capillus.*] Jam nempe deferbuit prima ætas & ardor juvenilis, injuriæ ac repulſæ impatiens. At, ſi olim ſimile quid contigiſſet, continuò exarſiſſem ira & mox vecte, armis, vi effractum fores properaſſem: quando Munatius Plancus conſulatum gerebat anno U. C. 711. ego vero Horatius annum ætatis agebam vigeſimum quartum. Vide poſtea Od. 26. v. 7. Annotat.

ODE

ODE XV.

In Chlorin jam Vetulam.

UXOR pauperis Ibyci,
Tandem nequitiæ fige modum tuæ,
Famoſíſque laboribus.
Maturo propior deſine funeri
Inter ludere virgines,
Et ſtellis nebulam ſpargere candidis.
Non ſi quid Pholoën ſatis,
Et te, Chlori, decet. Filia rectiùs
Expugnat juvenum domos, [308]
Pulſo Thyâs uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Laſcivæ ſimilem ludere capreæ.
Te lanæ prope nobilem
Tonſæ Luceriam, non citharæ, decent,
Nec flos purpureus roſæ,
Nec poti vetulam fæce tenus cadi.

Tu conjux Ibyci egeni, impone finem aliquando tuæ libidini & infami operæ. Jam propinqua morti feſtinanti ceſſa colludere cum adoleſcentulis, atque pulchris ſideribus caliginem inſpergere. Si quidpiam Pholoë convenit, haud etiam tibi, O Chlori. Nata tua aptiùs aggreditur ædes adoleſcentium, velut Baccha pulſato tympano concitata. Eam Nothi amor adigit laſcivire capræ inſtar petulantis. Tibi exoletæ convenit lana ad celebrem Luceriam detonſa, minime verò lyra, aut ſertum è roſis rubicundis, vel amphora ad fundum exhauſta.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 3. lib. 1.

1. *Uxor,* Cum meretricem appellet, abutitur hoc nomine; ſiquidem dignitatis eſt, non autem voluptatis, ut aiebat Commodus imperator. Porrò ſolebant exoletæ meretrices pauperibus nubere: Ita Chloris vetula Ibyco.

2. *Nequitiæ.*] Luxuriæ & laſciviæ. Vide annot. ſupra Od. 3. in fine.

3. *Famoſiſque laboribus.*] Quæſtui meretricio: nec plura comminiſci decet nos cum nonnullis, gravi quidem pudoris injuria. Cic. de Rep. l. 4. apud Non. Marcell. *Si qua erat famoſa, ei cognati oſculum non ferebant.* De Orat. 2. n. 277. *Ad famoſos vetuit me mater accedere.* Plaut. Fragm. 3, 15. *Miſerum me famoſum facit ſuis flagitiis.*

4. *Maturo propior deſine funeri ludere.*] Publ. Syrus ad rem prorſus ita ſcribit, *Anus cum ludit, morti delicias facit.* Cic. Offic. 1. n. 123. *Luxuria cum omni ætate turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt. Sin autem libidinum intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt, quod & ipſa ſenectus concipit dedecus, et facit adoleſcentium impudentiorem intemperantiam.* Ovid. *Turpe ſenilis amor.*

10. *Thyas.*] Bacchi ſacerdos, à θύειν. Unde & Thyonæus dicitur Bacchus. Vide lib. 2. Od. 12. v. 6. annot.

Concita tympano.] Furore percita. Vide lib. 1. Od. 18. ſub finem, ibique annot.

11. *Nothi.*] Hoc amatoris nomen erat.

13. *Te lanæ, &c.* Te lanificium decet jam ad ſenium vergentem; non autem laſcivia vel ebrietas.

14. *Luceriam.*] Ea civitas Apuliæ Dauniæ, quibuſdam Nuceria dicitur, hodie *Lucera,* ſita et in planitie paſcuis abundante, in qua educantur multi ovium greges, quarum lanæ in primis laudantur. Columell. lib. 7. cap. 2. *De ovibus generis eximii, Calabras Appulaſque milites noſtri exiſtimabant.* Plin. lib. 8. cap. 48. *Lanæ Appulæ laudatiſſimæ . . . villo breves, penulis celebres,* &c. Martial, lib. 14. Epig. 155.

Velleribus primis Appulia, Parma ſecundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.

In ea quoq; urbe templum erat ſacrum Minervæ, ex Strab. l. 6. quod ad rem facit; nam illi curæ fuiſſe lanificium, fuſe dixi ad Od. 12. præced.

Non citharæ, decent.] Alibi notavi citharistrias ut plurimum fuiſſe meretrices: patet è Terentio aliiſque paſſim.

15. *Nec flos purpureus roſæ.*] Coronæ & ſerta e roſis in conviviis uſitata tibi minime conveniunt: ſiquidem ætati ſolùm florenti flores idonei.

16. *Nec poti vetulam, &c.*] Quidam legunt *ſed* pro *nec*; ut bibacis Vetulæ vitium notetur. Sed Poëta voluit magis indicare vetulam Chlorim minus jam bibacitati aptam: meretricium porro id proprium fuiſſe conſtat. Vide lib. 1. Od. 36. v. 13. & ſeq. Contra honeſtis mulieribus, & quidem *matronis Romanis, uſus vini*

ODE

pridem ignotus; ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſuevit: Inquit Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Idem teſtatur Polybius l. 6. Plut. Athen. l. 10.

Vetulam fæce tenus, &c.] Quidam legunt *vetula, fæce tenus*, voluntque deſignari vetus vinum: ſed O nugæ: tu lector adverte potius expreſſam Theocriti ſententiam Idyl. 7. 70.

Πίομαι . . . .
. . . κυλίκεσσι καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρείδων.

Bibam,
. . . *Calicibus ad fæcem labrum infigens.*

ODE XVI. Ad MÆCENATEM.

Auro expugnari omnia: ſe tenui Re contentum ac beatum vivere.

Turris ex ære, & validæ januæ, necnon vigilantium canum mæſta cuſtodia clauſam Danaën abundè tuebantur noctu à mœchis, niſi Jupiter & Venus irriſiſſent Acriſium incluſæ puellæ meticuloſum obſervatorem: quippe viam fore ſecuram apertamque numini in aurum mutato. Aurum ſolet pervadere medios cuſtodes, ac rupes frangere, vi fulminis validius. Vatis Argolici

INcluſam Danaën turris ahenea, [309]
Robuſtæque fores, et vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acriſium virginis abditæ
Cuſtodem pavidum Jupiter et Venus
Riſiſſent: fore enim tutum iter et patens
Converſo in pretium Deo.
Aurum per medios ire ſatellites, [310]
Et perrumpere amat ſaxa, potentius
Ictu fulmineo. Concidit auguris
Argivi domus ob lucrum,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Ode 6. lib. 1.

1. *Incluſam Danaën, &c.*] Continet hæc Ode Stoica pleraque dogmata, & gravia adverſus avaros axiomata, quibus vix acrius aut ſanctius quidquam habet aut pronunciat Schola Chriſtianorum.

Danaën turris ahenea, &c.] Danaës pater Acriſius Rex Argivorum, cum ex oraculo accepiſſet ſe occiſum iri ab eo qui e filia ſua naſceretur, eam tenebat arcta cuſtodia incluſam. At Prœtus Acriſii frater auro primum cuſtodes, dein ipſam Danaën corrupit, ex eaque Perſeum ſuſcepit. Vide Apollodor. lib. 2. Fabulantur autem Jovem ad illum veniſſe in aureum imbrem verſum. Vide Pindar. Pyth. Idyll. 12. Ovid. Amor. 3. Eleg. 4. v. 29.

Jupiter, admonitus nil eſſe potentius auro,
Corruptæ pretium virginis ipſe fuit.

Turris ahenea, &c.] Validiſſima, firmiſſima.

2. *Vigilum canum.*] Ex Epiro canes illi ingentes cuſtodiendis ædibus abducebantur, præſertim è Laconia & Arabica regione. Vide Cœl. Rhodig. lib. 17. cap. 28. Plin. lib. 8. cap. 40. ubi de canum fide pluribus diſſerit, vocatque *fidiſſima auxilia, nec ſtipendiorum indiga.*

3. *Triſtes excubiæ.*] Latratu & ululatu triſtitiam ingenerantes. Adde carceris horrorem.

4. *Nocturnis.*] Qui ut plurimum noctu graſſantur, quaſi ſua flagitia tenebris occultare cupientes. Nam *qui male agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus.*

5. *Si non Acriſium, &c.*] Si libido auro munita inanem Acriſii diligentiam non reddidiſſet.

6. *Cuſtodem pavidum.*] Qui ſuæ vitæ timebat, ob Oraculi reſponſum, de quo ante.

9. *Aurum per medios ire ſatellites, &c.*

Χρυσὸς ἀνοίγει πάντα, κ' ἀΐδου πύλας.

Aurum aperit omnia, etiam inferorum portas.

Apul. lib. 9. auro ſolent adamantinæ etiam perfringi fores. Huc facit epithetum *εὐρυσθενής, viribus late potens*, quod Plutoni tribuitur, Homer. Odyſſ. v. Pindar Pyth.

11. *Concidit Auguris Argivi domus, &c.*] Adraſtus Argivorum Rex Polynici genero ſuo Thebarum regnum aſſerere armis ſuſcepit; ad bellum autem trahere voluit Amphiaraüm vatem. Hic auguriis ſuis doctus male ceſſuram in Thebanos expeditionem, avertere illam fruſtra conatus eſt; ipſe vero fugit, & latuit, una conſcia Eriphyle uxore ſua. Cum ergo quæreretur, latebras illa detexit, pacta monile aureum ſibi dandum ab Argia uxore Polynicis, Adraſti filia; quod olim ſumma arte Vulcanus fabricarat gemmiſq; exor-

Demerſa

Demerſa exitio. Diffidit urbium
Portas vir Macedo, et ſubruit æmulos
Reges muneribus: Munera navium [311]
Sævos illaqueant duces.
Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorúmque fames. Jure perhorrui
Late conſpicuum tollere verticem,
Mæcenas equitum decus.
Quanto quiſque ſibi plura negaverit,
A Diis plura feret. Nil cupientium
Nudus caſtra peto; et transfuga divitum
Partes linquere geſtio:

familia interiit propter quæſtum. Vir Macedonius portas civitatum perrupit, ac Reges invidos próſtigavit donis. Dona irretiunt feroces navarchos. Augeſcentes opes comitatur ſolicitudo, & cupiditas ampliorum. O Mæcenas equitum gloria, non ſine causâ timui caput erigere valde ſplendidum. Quò majora ſibi quiſque ademerit; eò ampliora conſequetur à Numinibus. Pauper tranſeo ad partes nihil appetentium, atq; opulentorum caſtra fugitivus deſerere aveo,

ANNOTATIONES.

narat. Tractus itaque eſt Amphiaraus ad id bellum, exitium in eo ſibi ſuiſq; impendere non ignarus. Porro cum didiciſſet ſe ab Eriphyle proditum, filio Alcmæoni, ut matrem interficeret, mandavit. Quod cum præſtitiſſet, Furiis agitatus periit. Amphiaraus in primo belli Thebani conflictu dehiſcente terra cum ſuo curru & auriga abſorptus eſt: Amphilochus etiam alter ejus filius in acie cecidit. Sic tota *concidit* ejus *domus ob lucrum demerſa excidio*; vel, ut legunt alii, *exitio*. Vide Stat. Thebaid. l. 6. Cic. l. 6. Epiſt. 6. ad Cæcinam ita ſcribit: *Veritus ſum deeſſe Pompeii ſaluti, cum ille aliquando non defuiſſet meæ. Itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, ſic ego prudens & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus.* Et in Verrem lib. 4. n. 39. *Eriphylen accepimus in fabulis, ea cupiditate, ut cum vidiſſet monile (ut opinor) ex auro & gemmis, pulchritudine ejus incenſa ſalutem viri proderet.* Et de Invent. lib. 1. n. 94. *Eriphyle auro viri vitam vendidit.* Ejus quoque meminit Plato 9. de Republ. quod in perniciem viri monile aureum acceperit. Virg. Æneid. 6. v. 445.

. . . . . Mæſtamque Eriphylen
Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit.

13. *Diffidit urbium Portas vir Macedo.*] Philippus Macedoniæ rex, Alexandri Magni pater, urbium cuſtodes pecunia ſolebat corrumpere: & cum expugnari vix poſſe nunciaretur arcem quandam undique præmunitam, reſpondit, annon aſellus auro onuſtus in eam penetrare poterit? Hinc dicebatur non Philippus, ſed ejus aurum Græciam ſubegiſſe. Plut. in Pauli Æmilii vita, & Valer. Max. l. 7. c. 2. ait *Philippum majore ex parte mercatorem Græciæ ante fuiſſe quam victorem*; a Juvenale Satyr. lib. 2. appellatur *Callidus emptor Olynthi*. Porro id faciebat rite, ex Pythii Apollinis Oraculo, quod ita ei conſulenti reſponderat:

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις.

Argenteis haſtis pugna, & omnia expugnabis.

14. *Subruit æmulos Reges.*] Vel ſibi invidentes Græciæ imperium, vel inter ſe de eo contendentes. Certe, eum infirmiores juvaret ſemper donec mutuis contentionibus omnes conciderent, omnium tandem factus eſt dominus. Vide Juſtin. lib. 8. & 9. Oroſ. lib. 3. cap. 12. Plutarch. in Æmilio.

17. *Creſcentem ſequitur cura pecuniam, &c.*] *Cura* ſervandi, & *majorum fames* ſeu deſiderium & cupiditas quam eſſe infinitam aſſerit Ariſtot. de Rep. 6. unde & ait, avaris pecuniam eſſe τέλος *finem*, non πέρας *terminum*, Juv. Sat. 14. v. 139.

Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit.
Et minus hanc optat qui non habet. ———

18. *Jure perhorrui Latè conſpicuum tollere verticem.*] Merito abhorrui a magnis opibus nimiaque potentia: quia noveram in his curas & ſolicitudines certas eſſe & moleſtas; contra, in mediocri fortuna ineſſe felicitatem.

21. *Quanto quiſq; ſibi plura negaverit.*] Quanto paucioribus quiſque fuerit contentus, infinitæ cupiditati frænum injiciens, negansque ambitioni quod petit: tanto plura obtinebit à Diis. Interrogatus Epicurus quo pacto quis diteſceret, reſpondit: non pecuniæ ſuæ apponens, ſed multa de rebus neceſſariis amputans. Stob. Serm. 39.

22. *Nil cupientium Nudus caſtra peto, &c.*] Malo nihil habere: ſeu omnibus nudari & nihil cupere quam dives eſſe & ſolicitus. Democritus aiebat: *Si multa non deſideres, pauca tibi multa videbuntur.* Juvenal Sat. 14. v. 311.

Senſit Alexander, teſtâ cùm vidit in illâ
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum ſibi poſceret orbem,
Paſſurus geſtis æquanda pericula rebus.

23. *Transfuga divitum Partes linquere geſtio.*] Ratus divites eſſe miſerrimos, ab his libens transfugio ad eos qui beatiores ſunt nihil cupiendo, parvo contenti.

bonorum ſpretorum poſſeſſor magis illuſtris, quam ſi meis granariis conderem id omne quod colit Appulus laborioſus; ego interim *egens ſummis in divitiis. Rivus aquæ liquidæ, & ſilva paucorum jugerum, meſſiſque meæ ſpes ſecura eſt ignota illi qui fœcundæ Libyæ dominatur;* ejuſque *fortunâ melior* eſt. *Licet mihi neque apes Calabricæ mel producant, neque vinum* apud *me ſeneſcat in cado Formiano, neque lanæ pretioſæ creſcant in Galliæ paſcuis: at gravis egeſtas non adeſt: ſique majora cuperem, tu donare minime recuſares. Exigua tributa ſolvam facilius refrænata cupiditate,*

Contemptæ dominus ſplendidior rei,
Quàm ſi, quidquid arat impiger Appulus, [312]
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ rivus aquæ, ſilváque jugerum
Paucorum, et ſegetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit forte beatior.
Quanquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læſtrigoniâ Bacchus in amphorâ
Langueſcit mihi, nec pinguia Gallicis
Creſcunt vellera paſcuis;
Importuna tamen pauperies abeſt: [313]
Nec, ſi plura velim, tu dare deneges.
Contractâ meliùs parva cupidine
Vectigalia porrigam,

ANNOTATIONES.

25. *Contemptæ dominus ſplendidior rei.*] Quia imperioſe dominor exiguis meis bonis, & majora deſpicio, mihique ipſe ea denego; hinc ſplendide me oſtento. Contra dives avarus velut mancipium ſervit opibus, ſordideque vivit: eſtque *inter opes inops.* Senec. Epiſt. 73. *occurrunt (quod genus egeſtatis graviſſimum eſt) in divitiis inopes.* Nam *deeſt avaro tam quid habet, quam quod non habet.* Claudian. in Ruf. lib. 1. v. 200.

Semper inops quicunque cupit.——

29. *Puræ rivus aquæ. &c.*] Eſt mihi apud Sabinos in valle amœniſſima prædiolum, ubi e fonte Blanduſiæ Digentia rivus limpidiſſimus in fluvium Farſarum dimanat: de quo ſupra Ode 13. Eſt *ſilva paucorum jugerum,* ſed ad neceſſitatem uſumque foci ſufficiens: eſt *ſeges certa &* fundus non mendax ad panem. Hæc, inquam, pauca habens, *ſorte beatior* ſum eo, qui *fulget* imperio fertilis Africæ, *& condit borreo Quidquid de Libycis verritur areis,* lib. 1. Od. 1. Mea tamen felicitas illum *fallit:* id eſt, neſcit me beatum, ſeque infelicem & miſerum eſſe, quod & parta ſervandi, & majora acquirendi nunquam non cura diſcrucietur.

33. *Quanquam nec Calabræ, &c.*] Etſi nihil exquiſitum poſſideo, nec mel Calabriæ, qua in regione ſunt flores apibus gratiſſimi: unde & optimum conficiunt mel: nec vetus vinum ac delicatum; nec lanas maxime laudatas: at res habeo neceſſarias ad victum; neque mala paupertatis ſane importuna experior.

34. *Nec Læſtrygoniâ Bacchus in amphorâ Langueſcit mihi.*] Nec domi habeo vinum Formianum quod reſervem donec vetuſtate pretioſum fiat. Læſtrygones, qui & Cyclopes, olim Siciliam, dein Formias Campaniæ urbem, incoluerunt. Vide lib. 1. Od. 20. in fine, ubi de Formianis collibus, vitibus, vino.

35. *Langueſcit.*] Sic Od. 21. ſeq. *languidiora vina* ponit pro exquiſitis, ob maturitatem quam vetuſtas attulit.

Nec pinguia Gallicis creſcunt vellera paſcuis.] Nec mihi ſunt greges lanigeri in præpinguibus Galliæ paſcuis, lanam afferentes laudatiſſimam. Columell. lib. 8. de ovibus emendis ſcribit: *generis eximii Calabras Appulaſque milites noſtri exiſtimabant, earumque optimas Tarentinas. Nunc Gallicæ pretioſiores babentur, earumque præcipue Altinates.* Altinum urbs olim præclara Venetiæ, quæ regio Galliæ Tranſpadanæ erat. Iſtius regionis atque urbis lanas commendat Martial. lib. 14. Epig. 155.

Velleribus primis Appulia, Parma ſecundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.

Plin. lib. 8. cap. 48. idem teſtatur; additque *albæ Circumpadanis nulla præfertur.*

38. *Nec, ſi plura velim, tu dare deneges.*] Ita Mæcenati gratias agit, laudemque tribuit egregie Poëta, accepti beneficii memor & toties præco. Vide lib. 2. Ode 18. v. 12. & Epod. 1. ſic eidem ſcribit:

Satis ſuperque me benignitas tua
Ditavit.

39. *Contractâ meliùs parva cupidine, &c.*] Vitam facilius ſuſtentabo, & exigua pendam vectigalia, pauca poſſidens, quam ſi ingentes habenti divitias magna perinde tributa eſſent exſolvenda.

Quàm ſi Mygdoniis regnum Alyatteï
Campis continuem. Multa petentibus
Deſunt multa. Bene eſt cui Deus obtulit
Parcâ quod ſatis eſt manu.

quam ſi Lydiæ ditionem agris Phrygiis adjungam. Plurima cupientes egent plurimis. Felix eſt is cui manu contractâ Dii dederunt quantum ſufficit.

ANNOTATIONES.

41. *Quam ſi Mygdoniis regnum, &c*] Quam ſi totas Phrygiæ Lydiæque opes poſſiderem. Vide lib. 2. Od. 12. ſub finem.

Regnum Alyattei.] Alyattes Crœſi pater fuit: uterque rex fuit Lydiæ, & divitiis celebratus eſt, quas e Lydiæ metallis hauſerat. Vide Herodot. lib. 1. Strabo lib. 9. 14. 15.

42. *Multa petentibus Deſunt multa.*] Vide lib. 9. cap. 8. *Verum profectò eſt*, inquit, *quod obſervato rerum uſu ſapientes viri dixere, multis egere qui multa habeat, ... & minus habendum eſſe, ut minus deſit, &c.*

43. *Bene eſt cui Deus obtulit Parcâ, &c.*] Sapientiſſimus Regum ita Deum optimum maximum rogabat; *Divitias & paupertatem ne dederis mihi: ſed tantum victui meo tribue neceſſaria.*

ODE XVII.

Ad ÆLIUM LAMIAM.

Ejus Nobilitatem commendat: deinde monet ut Diem craſtinum hilariter agat.

ÆLI vetuſto nobilis ab Lamo, [314]
(Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, et nepotum
Per memores genus omne faſtos;
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, et innantem Maricæ
Litoribus tenuiſſe Lirim

O Æli illuſtris ab Lamo antiquo, (quandoquidem aiunt inde priores etiam Lamias appellatos, ac univerſam poſterorum familiam in annalibus mentionem eorum facientibus genus refers ad eum conditorem, qui primus traditur incoluiſſe Formiarum civitatem; & circa Liris Maricæ ripas alluentem

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Æli.*] Ælia gens etſi plebeia Romæ inclaruit honoribus & præclare geſtis. Variis cognominibus totidem illuſtres habuit familias, in quibus Tuberones, Poeti, Galli, Sejani, Ligures, Lamiæ, &c. nec omittendus eſt ortus ex ea ſtirpe Antoninus Imperator. Lamiarum porro tam celebre nomen, ut Juvenalis Sat. 6 v. 384. ſcripſerit; *quædam Lamiarum*, pro una matronarum vetuſta nobilitate ſuperbarum. Hinc intelligendus videtur idem, qui lib. 1. Od. 26. & 26. ſcilicet Q. Ælius Lamia, bello Auguſti Cantabrico præfectura & bellicis rebus inſignis.

Nobilis ab Lamo.] Nobilitatem trahens & appellationem ab Lamo Neptuni filio, Rege & conditore Formiarum. Has tamen a Laconibus ædificatas alii contendunt. Euſtath. Strabo lib. 5. Plin. lib. 3. cap. 5. *Oppidum Formiæ, Hormiæ dictum, ut exiſtimavere, antiqua Laſtrigonum ſedes.* His vero Lamus imperavit.

2. *Hinc Lamias ferunt Denominatos.*] A Lamo tamen Lamides, ut Priamides a Priamo rectius efferatur.

4. *Faſtos.*] Annalium libros in quibus totius anni fit deſcriptio; atque nomina Conſulum, & res egregie confectæ annuatim & breviter notantur. Feſt.

6. *Qui Formiarum, &c.*] Urbs illa pridem in litorali ora Campaniæ inter Cajetam & Minturnas, ubi nunc Mola pagus elegans; a Saracenis exciſa eſt anno Domini 956.

7. *Innantem Maricæ Litoribus tenuiſſe Lirim.*] Liris fluvius, qui & Liternus Appiano, Latium ſeparat a Samnio & Campania, in mare Tyrrhenum labitur, Minturnas perfluit, ubi Marica Nympha uxor Fauni colitur, vel, ut placet quibuſdam, Venus marina, cui ſacellum erat ad ripam Liris. De eo flumine jam, lib. 1. Od. 31. v. 7.

Maricæ.] Illa ante dicta Circe, ut Quirinus ante Romulus; ex more veterum mortuis nomina mutantium. Lactant. Inſtitut. lib. 1. cap. 21. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4. ita ſcribit; *ob æter-*

longe regnaſſe, craſtinâ die procella ab Euro excitata nemus frondibus plurimis, ripam autem inani algâ conſperget; ſi me non decipit cornix longæva, pluviam præſagiens: ſicca ligna congere, dum licet; cras genium placabis vino & porcello duorum menſium, cum ſervis à labore vacantibus.

Latè tyrannus) cras foliis nemus [315]
Multis, et algâ litus inutili
Demiſſa tempeſtas ab Euro
Sternet; aquæ niſi fallit augur
Annoſa cornix. Dum potes, aridum
Compone lignum: cras genium mero [316]
Curabis, et porco bimeſtri,
Cum famulis operum ſolutis.

ANNOTATIONES.

nam gloriam Dii Indigetes dicti, nominibus plerumque mutatis, novis & cooptatis: ſi quidem Romulus Quirinus, Juno Matuta . . . . Circe Marica &c. Virg. Æneid. 7. v. 47. ait Latinum Regem *Fauno & Nympha genitum Laurente Marica.* Fuit & Marica ſilva in Latio novo, & Campaniæ confinio, ad Lirin fluvium, à Nympha Marica denominata. Martial. lib. 13. Epig. 83.

Liris quem ſilva Maricæ
Protegit.————

9. *Tyrannus.*] Regis ac tyranni, ut Græca probat etymologia, diſcrimen nullum: vox tamen odioſa cœpit eſſe ob aliquorum ſævitiam. Senec. de clementia, lib. 1. cap. 2. *Tyrannus factis a Rege diſtat, non nomine . . . . ſpecies ipſa fortunæ, ac licentia par eſt: niſi quod tyranni ex voluptate ſæviunt; Reges ex cauſa & neceſſitate. Quid ergo? Non Reges quoque occidere ſolent? Sed quoties utilitas ſuadet: Tyrannis ſævitia cordi eſt.*

Cras foliis nemus, &c.] Cras vehemens tempeſtas erit, quæ arborum folia decutiet, & agitato mari algas ad littus bene multas aggeret, nec proinde licebit in agris verſari & operi ruſtico incumbere; ergo interim hilaritati & genio indulge, & ad id omnia hodie ante pluviam compara.

10. *Algâ.*] Herba eſt marina ad nihil utilis.

11. *Euro.*] Plin. lib. 2. cap. 47. flat *ab Oriente hyemali Vulturnus, quem Eurum Græci appellant.* Epod. 16. v. 54.

. . . . *Ut neque largis*
Aquoſus Eurus arva radat imbribus.

12. *Aquæ niſi fallit augur annoſa cornix.*] Pluvium autem fore cœlum ac fœdam tempeſtatem, auguror è cornice crocitante. Hæc ſi ter aut quater liquida voce crocitet, ſerenitatem indicat. Servius in Virgil. Georgic. 1. v. 410.

Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces
Aut quater ingeminant.————

At ſi plena voce & rauca, diuque, pluviam. Ibid. v. 388.

Tum cornix plenâ pluviam vocat improba voce.

Ex. Plin. lib. 18. cap. 35. hyemem præſagiunt terreſtres volucres contra aquam dantes clangorem, perfundentes ſeſe: ſed maxime cornix.

13. *Annoſa cornix.*] De hujus vivacitate Heſiodus apud Plutarch. de oraculorum defectu. Heſiodi verſus ita Latine vertit quidam:

Secla viri novies pubentis garrula cornix
Vincit, cornicis cervus quater; at tria cervi
Tempora corvus agit, quem deinceps Indica phœnix
Egreditur novies, &c.

Quos ſi mavis ex Auſonio, vide Idyll. 18.

Dum potes, aridum Compone lignum, &c.] Igne frigus, mœſtitiam ex aëris intemperie naſci ſolitam hilari convivio propulſa. Certe cœlo male affecto, affici pariter corpus noſtrum & ingraveſcere, non raro experimur. Contra id incommodi valet focus luculentus, & *Lætitiæ Bacchus dator.*

14. *Genium mero Curabis, & porco bimeſtri.*] Sacrificium Genio, die natali Lamiæ, nonnulli perperam commenti ſunt hic. Imo verba iſta contrarium oſtendunt. Nam quo die hauſerant vitales auras, eo vitam adimere victimæ religioni ducebant veteres; nec proinde ſanguinem fundebant, aut mactabant hoſtias, ut annotavi, ad Perſ. Sat. 2. v. 3. Suadet igitur duntaxat Horatius epulas & hilaritatem, curandamque cuticulam. Quod quoties faciebant, curare genium & placere ſe exiſtimabant. Unde manarunt iſtæ loquendi formulæ; genio indulgere, genium defraudare, ut bene obſervat Caſaubonus.

15. *Porco bimeſtri.*] Porcellus tener etiam priſcis exquiſitum ferculum. Varro de Re Ruſtic. lib. 2. cap. 4. *Suillum pecus donatum ab naturâ dicunt ad epulandum: iis itaque animam eſſe datam proinde ac ſalem, quæ ſervaret carnem.* Hinc Juvenal. Sat. 1. v. 14. vocat.

. . . *Animal propter convivia natum.*

16. *Cum famulis.*] Familiares adhibebant in epulis placandi Genii cauſa celebratis. Hunc vero ita curabant non in natali ſolum, ſed quolibet anni die.

ODE XVIII.

Ad FAUNUM.

Ut ſibi ſuiſque propitius ſit.

FAUNE Nympharum fugientum amator,
Per meos fines et aprica rura
Lenis incedas, abeáſque parvis [317]
Æquus alumnis:
Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec deſunt Veneris ſodali
Vina crateræ; vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboſo pecus omne campo,
Cùm tibi Nonæ redeunt Decembres;
Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum bove pagus.

Faune amans Nymphas fugientes, tranſi benignus per meos limites agroſque Soli expoſitos, ac diſcede propitius tenellis fœtibus; ſiquidem tibi mactatur capreolus anno completo, additurque vinum copioſum in paterâ Veneri amicâ, a que ara antiqua plurimo thure incenditur. Quoties Nonæ Decembris tibi ſacræ recurrunt, pecudes cunctæ laſciviunt in pratis: vicus feſtum celebrans herboſo campo requieſcit cum bobus non laborantibus.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 2. Lib 1.

1. *Faune.*] Is Pan Græcis, Faunus Latinis dictus, ex Varrone, 6. de Ling. Lat. quod *ſoleat fari in ſilveſtribus locis:* unde & ſilvarum & agrorum Deus habitus eſt. Huic Romæ ſacra fiebant bis in anno, ineunte vere, ut novam ſementem ſervaret ac foveret; & Nonis Decembribus, cum jam conditæ ſunt omnes fruges: utque pecori ſanitatem & fœcunditatem daret. Tunc ergo nuncupatam Fauno Oden hanc, & in ſacris decantatam patet. De eo jam l. 1. Od. 4. & 17.

Nympharum fugientum amator.] Faunis, Silvanis, Satyris affingebant Priſci caprorum pedes & ſalacitatem. Hinc inviſi erant Nymphis, caſtiſque Dryadibus & Hamadryadibus, quas ſilvis & arboribus præeſſe ethnici credebant. De laſcivia agreſtium illorum numinum S. Auguſtin. de Civit. Dei lib. 15. cap. 33. Virg. Georg. 1. v. 10.

Et vos agreſtum præſentia numina Fauni,
Ferte ſimul Faunique pedem, Dryadeſq; puellæ:
Munera veſtra cano ———

3. *Lenis incedas.*] Optat hunc lenem & placidum habere; etenim iracundus putabatur & peſtilens, utpote inſtabilis Deus: ex Theognide Theocrit. Idyll. 1. πικρὸς *amarulentus* dicitur. Ab eo quoque pueris nocturna inſomnia & terriculamenta immitti credita Unde *Panici terrores* nominati, vani ſcilicet & inanes.

Abeáſque parvis Æquus alumnis.] Quoniam ea erat ſuperſtitio veterum, ut a quibuſdam Numinibus mala, ab aliis bona tribui crederent, precatur Horatius hunc, ut dixi, peſtilentem Deum, ne agnis & capreolis noceat, qui aluntur in agris & villis. Fruſtra nonnulli interpretati ſunt vernas, famulos, pueros, per vocem *alumnis.*

5. *Si tener plero, &c.*] Si tibi rite quotannis ſacrifico, vel, quemadmodum pius in te ſum, ita mihi propitius ſis.

6. *Larga nec deſunt, &c.*] In ſacris anniverſariis hœdum tibi immolo tenerum; vinumque copiose libo.

Veneris ſodali crateræ.] Scilicet abſque Baccho friget Venus. Ex Ariſtophane apud Athen. lib. 10. cap. 12. Οἶνος Ἀφροδίτης γάλα, *Vinum lac Veneris.* Ovid. Art. Amat. 1. v. 237.

Vina parant animos Veneri.

7. *Vetus ara.*] Vel quod ab Horatio dudum erecta; vel quia Faunus Aboriginum Rex primus, pater Latini, antiquam religionem tradidit ruſticis iſtis Numinibus ab eo trahentibus originem.

8. *Fumat odore.*] Incenſo thure bene olentem fumum tulit odoremque Superis gratum.

9. *Ludit herboſo, &c.*] Cum Faunalia celebrantur Nonis, ſeu die quinta menſis Decembris, tum ex more pecus otioſum aratro omnique opere ſolutum quieſcit & ludit in campis; ut & pagani ipſi feſta hæc agentes lætitiæ vacant. Quem certe ritum depromſerant e ſacris codicibus. Exod. cap. 20. *Septimo die Sabbatum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo, tu & filius, & filia, & ſervus, & ancilla, & jumentum tuum:* & cap. 23. *Septimo die ceſſabis, & requieſcent bos & aſinus tuus, &c.*

Pecus omne.] Fauno rei pecuariæ præſidenti ædes Romæ ædificatæ pridem e multatitiis pecuariorum pecuniis.

Lupus vagatur inter agnos nihil timentes: nemus ſternit folia in tuum honorem; agricola humum moleſtam ter plantâ ferire lætatur.

Inter audaces lupus errat agnos: [318]
Spargit agreſtes tibi ſilva frondes;
Gaudet inviſam pepuliſſe foſſor
Ter pede terram.

ANNOTATIONES.

13. *Inter audaces lupus errat agnos.*] Tunc agni tuam cuſtodiam & tutelam quaſi ſentientes in lupum audacter incurrunt, ſeu nil mali ab eo metuunt.

14. *Spargit agreſtes tibi ſilva frondes.*] Velut in honorem tuum arbores ſuis ſe foliis exuunt, atque humi ſpargunt; nimirum ſub Autumni finem. Hoc enim pertinet ad ruſticum ſolenne. Virgil. Eclog. 5. v. 40.

Spargite humum foliis.——

15. *Gaudet inviſam pepuliſſe foſſor, &c.*] Choreas & ſaltationes in feſtis celebrari mos erat.

16. *Ter pede.*] Hinc tripudiare factum videtur. Turneb.

Inviſam terram.] Cujus opere & cultura quotidie fatigatur. Itaque agricola, vinitor, foſſor, intermiſſo diurno labore, tunc otio, quieti, hilaritati indulget. Lucret. lib. 5. v. 1393. ruſticam feſtivitatem & ſaltationem ita deſcribit:

Non magnis opibus jucunde corpora habebant.
. . . .
. . . .
Tum joca, tum ſermo, tum dulces eſſe cachinni
Conſuerant: agreſtis enim tum muſa vigebat.
Tum caput, atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus, & foliis laſcivia læta monebat:
Atque extra numerum procedere membra moventes
Duriter, & duro terram pede pellere matrem,
&c.

Ovid. Faſt. 2. lib. 6. v. 293.

Hi ludunt: hos ſomnus habet: pars brachia nectit,
Et viridem celeri ter pede pulſat humum.

ODE XIX. Ad TELEPHUM.

Quod veteres Hiſtorias curioſius ſectetur; Voluptatem vero negligat.

Quàm longè remotus ab Inacho ſit Codrus, pro patriâ occumbere non veritus, refers, atque ſtirpem Æaci,

QUantùm diſtet ab Inacho [319]
Codrus, pro patriâ non timidus mori,
Narras, et genus Æaci,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Quantum diſtet, &c.*] Telephus Poëta Horatii familiaris, ejus certe rivalis in amore Lydiæ, ex Ode 13. Lib. 1. Is Græcorum antiquas hiſtorias evolvere & eloqui amabat. Ejuſmodi itaque res intempeſtive & prolixe narrantem interpellat Horatius, in medio, ut videtur, convivio: ad ſermones traducit loco & tempori magis congruos: invitatque ad lætitiam pleniorem, ob factum Augurem Licin Murenam utriuſque amicum.

Quantùn diſtet ab Inacho Codrus.] O Telephe, diligenter numeras quot anni effluxerint ab Inacho Argivorum primo Rege ad Codrum Athenienſium Regum ultimum: verum nunc quærendum eſt potius unde & quo pretio mercemur vinum optimum,

Ab Inacho Codrus.] Inachus Argis primus imperavit, circa finem annorum Abrahæ Patriarchæ. Ex. Euſeb. Chron. ann. M. 3344. Ex Beda ann. M. 2508. Alii etiam aliter. De illo Apollod. Lib. 2. Inter Inachum & Codrum interceſſerunt anni ſeptingenti & ſeptuaginta quinque, aut non multo ſecus.

2. *Pro patriâ non timidus mori.*] Codrus Rex Athenienſium, cum ex Oraculo didiciſſet eos fore victores in eo bello quod cum Dorienſibus ſui gerebant, quorum Dux cecidiſſet, hoſtium caſtra vili habitu adiit, militem jurgio laceſſivit, atque vulneratum ad ſui cædem provocavit. Quod ubi Dorienſes accepere, ſponte ſe victos confeſſi abſceſſerunt. Vide Juſtin. Lib. 2. Valer. Maxim. lib. 5. c. 6. &c. Ex Euſeb. Chron. ann. M. 4130. *Codrus juxta reſponſum ſeipſum morti tradens interimitur bello Peloponneſiaco, in quo Heraclidarum regnum deſtructum eſt, quod 382 annis perſeveraverat.*

3. *Genus Æaci.*] Narras quæ pertinent ad

Et pugnata ſacro bella ſub Ilio.
Quo Chium pretio cadum [320]
Mercemur; quis aquam temperet ignibus;
Quo præbente domum, et quotâ
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunæ properè novæ,
Da noctis mediæ, da, puer, auguris
Murenæ; tribus aut novem
Miſcentur cyathis pocula commodis. [321]
Qui Muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet

& certamina commiſſa ad Trojam ſacratam. Siles autem quo pretio emamus amphoram vini Chii; quis calefaciat aquam; quis domum ſuppeditet, & quâ horâ frigus Pelignum repellam. Da cito, famule, poculum novæ Lunæ, da noctis mediæ, da Murenæ Auguris. Tribus aut novem ſcyphis aptè pocula miſcentur. Qui colit Muſas impari numero, poëta ſtupeſcens novem poſcet ſcyphos.

ANNOTATIONES.

Jovem Æaci patrem, vel quæ ad ipſum Æacum, ejuſque poſteros Pelea, Achillem, Pyrrhum, &c. Apollodor. lib. 3.

4. *Pugnata ſacro bella ſub Ilio.*] Bis capta fuit Troja: primum ab Hercule: deinde Græcis, quinquaginta poſt annis.

Sacro.] Vel quod urbis ejus muri a Diis ſunt ædificati. Supra Od. 3. v. 21. Vel quod multa illic erant templa. Vel potius ex Homeri ſententia, apud quem non ſemel ἱρὴν Ἴλιον, leg. Alii *ſacram* pro execrabili hic ſumunt, ut exiſtimo, abſurde.

5. *Chium.*] In Græcis vinis Chium excellebat, ut Falernum in Italicis. Ex Athen. lib. 5. cap. 20. Chii vites ſeverunt primi. Ex Plin. lib. 14. 7. *In ſumma gloria fuit Chium.*

6. *Quis aquam temperet ignibus.*] Quis paret balneum; quod veteres ſemper ante convivium inibant. Alii interpretantur de Thermopolio ſeu de potione calida, quam quidem in deliciis apud veteres fuiſſe multis probavi ad Juvenal. Sat. 5. v. 64.

7. *Quo præbente domum, &c.*] Quis nobis domum præbebit, ſeu apud quem epulabimur, dum in Pelignis verſabimur. Nam vel eo erant perrecturi, vel ibi jam erant, cum hæc Horatius ſcribebat; vel certe Pelignum frigus metonymice dicit: ſpeciem pro genere. *Quota* hora menſæ accumbam, & cum quibus; & in cujus domo luculentus accendetur mihi focus ad propulſandum frigus, quod riget in Pelignorum regione, ob montes plurimos: et nunc *Valva* dicitur, eſtque in Aprutio; olim in Samnitio.

9. *Da Lunæ properè novæ.*] Invitat, imo traducit Telephum ad hilaritatem ex tempore Horatius, jubens affundi vinum copioſe, ipſeque prior arripit ſcyphum & propinat. *Lunæ novæ* poculum petit, vel quod oriente Luna & veſperi convivia adibant veteres; vel quia feſtæ erant Calendæ & epulis veſpertinis celebrabantur.

10. *Noctis mediæ.*] Ad id tempus producebatur Cœna.

Da, Puer, auguris Murenæ.] Propter novæ dignitatis acceſſionem optimo & amico viro factam, impenſe lætemur; nec vino temperemus. Auguratus in primis honoribus Romæ cenſebatur, ſoluſque erat perpetuus. Augures auſpiciis, ut Pontifices ſacris, præfuere: velut interpretes internunciique Deorum tantæ dignationis habiti ſunt, ut qui aruſpicinam fecerat, in Senatum aſcribi & inter Patres legi fas eſſet. Et à prima urbis origine iidem Reges & Augures, ipſeque Romulus hoc munere eſt functus. Fab. Maximus proditur duobus & ſexaginta annis ſumma cum laude Auguratum geſſiſſe ad ultimam ſenectam. Horum proprium fuit ex avibus vaticinia obſervare; a Diis monita contemplari: de, ſomniis, auguriis, oraculis, extis, portentis, reſponſa dare: prodigia procurare & expiare, vatum libros explanare, &c. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 19. nec non lib. 2. cap. 8.

11. *Murenæ.*] Iſ putatur fuiſſe L. Licinius Varro Murena Terentiæ Mæcenatis uxoris frater, de quo lib. 2. Od. 10. Non moror quod ſomniarunt aliqui, ab Horatio indicari, ad mane poſterum cœnam eſſe protrahendam: nimirum quia mane Auguria captari conſueverant, & ſub ortum Solis. O ſagax nimis commentum!

Tribus aut novem, &c.] Cuique fas eſt tres aut novem cyathos poſcere: nimirum qui demereri volet Charites ſed Gratias, ob ternarium earum numerum, tria ſibi pocula miſceri jubebit: qui vero colit Muſas novenas Poëta, is novies bibet in honorem illarum. Auſon.

Ter bibe, vel toties ternos: ſic myſtica lex eſt.

12. *Commodis.*] Juſtæ magnitudinis, inquiunt aliqui; alii, plenis & perfectis; alii contra; minoribus & ebrietatem non inducentibus: optime convenientibus; ut ſit ſenſus: commodo & convenienter quiſque impari numero vel ter vel novies potat.

14. *Ternos ter cyathos attonitus. &c.*] Etiamſi inde fieri debeam attonitus è vino, novies ta-

Gratia nudis ſororibus comitata contentiones timens vetat ſumere pluſquam tria pocula. Placet furere. Quare tacet ſonus fiſtulæ Phrygiæ? Quare tibia cum citharâ pendens non reſonat? Manus ego ceſſantes averſor. Sterne roſas, puer. *Strepitum inſanum audiat Lycus invidus, necnon vicina Lyco vetulo minime idonea. O Telephe, nubilis Chloë quærit te denſis capillis ſplendidum, te nitido parem Veſpero: me incendit lentus amor Glyceræ meæ.*

Vates. Tres prohibet ſupra
Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis juncta ſororibus.
Inſanire juvat. Cur Berecynthiæ
Ceſſant flamina tibiæ?
Cur pendet tacitâ fiſtula cum lyrâ?
Parcentes ego dexteras
Odi. Sparge roſas. Audiat invidus [322]
Dementem ſtrepitum Lycus,
Et vicina ſeni non habilis Lyco.
Spiſsâ te nitidum comâ,
Puro te ſimilem, Telephe, Veſpero,
Tempeſtiva petit Chloë:
Me lentus Glyceræ torret amor meæ,

ANNOTATIONES.

men ego Poeta bibam, tum ob Muſarum numerum, tum quod hilaritatis modum neſciam in iſta Murenæ honoris amplitudine. Auſon. *Propter mediam noctem, & novam Lunam, & Murenæ auguratum, ternos ter cyathos attonitus petit Vates.*

15. *Tres prohibet ſupra, &c.*] Charites rixarum metuentes, quæ ex ebrietate & nimio vino ſæpius excitantur, amantes autem pacem & animi tranquillitatem, tria tantum pocula indulgent, plura vero prohibent.

17. *Nudis.*] Sine dolo, fraude, fuco.

Sororibus.] Tres numerantur enim, Aglaia, Thalia, Euphroſyne. Vide lib. 4. Od. 27. v. 5. ibique annot.

18. *Inſanire juvat.*] Lib. 1. Od. 27. de inſania ex immodica compotatione. *Verecundum Bacchum ſanguineis prohibete rixis, &, impium clamorem lenite, ſodales.* De liberiore paulo animi geſtientis laſcivia, lib. 2. Od. 7. v. 26.

Non ego ſanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere eſt amico.

18, 19. *Cur Berecynthiæ Ceſſant flamina tibiæ?*] Cur non jam inflantur & inſonant tibiæ & citharæ, ad integram convivii hilaritatem? Illæ adhibebantur in Sacris Cybeles, quæ a Berecyntho Phrygiæ monte, ubi colebantur, Berecynthia dicta eſt. Alii dicunt tibias inventas primum in Phrygia & Lydia; ac præterea Berecynthias hic vocari, Lydas autem lib. 4. Ode ult. in fine. Porro harum modus & numerus concitatior, proindeque bacchantibus Matris Deûm ſacrificulis magis etiam permovendis (de quibus lib. 1. Ode 18.) quibuſvis epulantibus etiam & compotantibus pluſculum excitandis accommodatus. Contra, Doricus modus gravis ac ſedatus, eumque docendos pueros præcipit Ariſt. Polit. 8. Æolius, ſaltationi aptus. Ionius vetus aſperior, novus mollior.

21. *Parcentes dexteras.*] Vel parce vinum miniſtrantes, vel a cantu pulſandiſque inſtrumentis Muſicis ceſſantes, torpentes, otioſas.

22. *Sparge roſas.*] Ut nihil lætitiæ deſit, O puer, etiam floribus ſterne menſam ac triclinium.

22, 23. *Audiat invidus Dementem ſtrepitum Lycus.*] Clamor ac ſtrepitus noſter ebrioſis conſuetus & hilaritatis index, Lyci vicini noſtri, capularis, moroſi auribus obſtrepat, bilemque & invidiam moveat.

24. *Vicina ſeni non habilis.*] Quippe junior adoleſcentula. Ergo & ipſa, quæ triſtiori ſeni nubere voluerit, noſtram audiat lætitiam, quo perperam ſe feciſſe non ſine dolore agnoſcat.

25. *Spiſſâ te nitidum comâ.*] Denſi capilli juvenem indicant: nam in ſenibus caloris defectus calvitiem gignit.

26. *Veſpero.*] Sideri Veſpertino.

27. *Chloë.*] Alias *Rhode.*

28. *Me lentus Glyceræ, &c.*] Cantabeſcere facit, languore afficit, & conſumit; *lentis penitus macerat ignibus*, ut eſt in Od. 13. lib. 1.

ODE XX.

Ad PYRRHUM.

Ne a Puella Nearchum dilectum conetur abſtrahere.

NON vides quanto moveas periclo,
   Pyrrhe, Getulæ catulos leænæ? [323]
Dura poſt paulò fugies inaudax
      Prælia raptor;
Cùm per obſtantes juvenum catervas
Ibit inſignem repetens Nearchum:
Grande certamen, tibi præda cedat
      Major, an illi.
Interim, dum tu celeres ſagittas
Promis, hæc dentes acuit timendos:
Arbiter pugnæ poſuiſſe nudo
      Sub pede palmam
Fertur, et leni recreare vento [324]
Sparſum odoratis humerum capillis:

O Pyrrhe, an non agnoſcis, quàm periculoſe Getulæ leænæ foetus auferas? Paulò poſt tu prædo timidus ſæva certamina detrectabis, quando per turmas adoleſcentum obſiſtentes perget illa excellentem Nearchum requirens. Magna contentio utrum *præda tibi potior an illi eveniat. Interea, dum tu velocia tela educis, illa verò dentes formidandos exacuit; dicitur controverſiæ judex collocaſſe victoriam ſub nudâ plantâ ac levi aurâ oblectare crines odoribus perfuſos, in ſcapulam pendentes:*

ANNOTATIONES.

Metrum id quod Od. 2. Lib. 1.

1. *Non vides quanto, &c.*] Miſſis figmentis ad ſomniatores quoſdam, qui hic commenti ſunt neſcio quam allegoriam de Pyrrho Epirotarum Rege pro Tarentinis adverſus Romanos bellante, & per *leænam* urbem Romam, per *catulos* Rom. principes interpretati ſunt; exploſis etiam aliis, qui M. Antonii res geſtas metaphorice hic notari, perperam dixere: tu, Lector emunctæ naris, intellige ſimpliciter Pyrrhum Horatii quendam ſodalem mulieri amanti puerum Nearchum eripere atque ſibi addicere nitentem: quem a tali conſilio dimovere conatur Poeta.

Quanto moveas periclo, &c.] Nimirum tam periculoſe amaſium ſuum puellæ abſtrahis quam leænæ catulos rapere. Vid Plin. l. 8. cap. 16.

2. *Getulæ.*] Getulia Africæ regio, leonum aliarumque ferarum nutrix: de qua jam l. 1. Od. 22. v. 10. & l. 2. Ode 20. v. 15.

3. *Dura poſt paulò fugies, &c.*] Nil enim acrius irritata muliere, præſertim ſibi quod amat aſſerere laboranti. Senec. Herc. Oet. v. 233.

Cruentus fœminas ſtimulat dolor. . . .

Scylla & Charybdis Sicula contorquens freta
Minus eſt timenda. Nulla non melior fera eſt.

Inaudax.] Vox nova ab Horatio uno uſurpata. De jure voces novas fingendi ipſe ad Piſones diſſerit v. 46. & ſeq. ubi, inter alia, hæc ſcribit.

. . . . . . Ego cur acquirere pauca
Si poſſum, invideor; cùm lingua Catonis & Ennî
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit? licuit ſemperque licebit
Signatum præſente notâ producere nomen; &c.
. . . . ſi volet uſus
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

5. *Cùm per obſtantes juvenum catervas.*] Obſerva, lector, quam eleganter in allegoria ſua perſiſtat. Senſus eſt: cum illa, ſpretis amatoribus bene multis, unum quærit Nearchum.

6. *Inſignem.*] Præclarum ſemper videtur quodcunque amatur.

7. *Grande certamen, tibi præda, &c.*] An tibi potius quam illi cedat Nearchus, quem uterque ardetis ac deperitis.

9. *Dum tu celeres ſagittas Promis.*] Dum tu artes omnes inſumis ad puerum tibi afferendum: illa iram, odium, probra, vindictam in te raptorem comparat, omnique ope ſuum ſibi vindicat.

11. *Nudo ſub pede.*] Nearchus, citra periculum, imo cui cedat parum ſolicitus, vos de ſe contendentes otioſe & frigide ſpectat, ſuoſque duntaxat cura capillos comere & odoribus aſpergere.

14. *Sparſum odoratus, &c.*] Vide Lib 2. Ode 11. v. 15.

ſimilis vel Nireo, vel Ganymedi ex Idâ aquis abundante ſubtracto.

Qualis aut Nireus fuit, aut aquoſâ
Raptus ab Idâ.

ANNOTATIONES.

15. *Nireus.*] Hic Naxi Rex. Græcorum poſt Achillem formoſiſſimus; de quo Hom. Iliad. 2. Propert. lib. 3. Eleg. 18.

Nirea non facies, non vis exemit Achillem.

16. *Raptus ab Idâ.*] Ganymedis Trois Regis filius, ob pulchritudinem a Jove aquilæ ſpeciem induto raptus, cum in Ida monte puer venaretur; atque in conviviis Deorum factus pocillator. De eo vide Luciani Dialogum; & Metam. lib. 10. cap. 4. Hæc porro fabula indicatur ſapientem virum luminibus & claritate virtutum refulgentem Dei conſuetudine dignum effici, atque ad Deum per ſapientiam rapi & ſublevari. Vide Cic. Tuſcul.

Idâ.] Mons duplex hujus nominis; alter apud Cretam inſulam, de quo non mentio eſt hic; alter in Troade apud Phrygiam Aſiæ minoris regionem; Paridis judicio famoſus, omnium qui circa Helleſpontum ſunt, altiſſimus. Diodorus Siculus, lib. 6. cap. 15. & lib. 17. cap. 1.

Aquoſâ.] Ex illo Troadis monte dicuntur manaſſe pridem flumina quindecim: at eorum plurima ſuo tempore jam exaruiſſe, ſcribit Plin. Apud Athen. lib. 15. cap. 1. vocatur ὄρος πολυπιδάκας Ἴδας, *Mons Idæ plures habens fontes.* Præ cæteris autem fluviis ibi ſcaturientibus nominantur Xanthus ſeu Scamander, Simoïs, &c. Hom. Iliad. λ.

ODE XXI.

Ad AMPHORAM.

Monet eam facete, ut Vinum fundat optimum in Corvini gratiam.

O bona amphora, ſub Manlii Conſulatu mecum facta, ſive querimonias, ſive riſus, ſive jurgia & dementes amores, ſive placidum ſoporem producis, quocunque titulo condis exquiſitum Maſſicum, mereris proferri celebri die; veni fundere vina ſceneſcentia volente Corvino. Hic

O Nata mecum Conſule Manlio,
Seu tu querelas, ſive geris jocos, [315]
Seu rixam, et inſanos amores,
Seu facilem, pia teſta, ſomnum;
Quocumque lectum nomine Maſſicum
Servas, moveri digna bono die,
Deſcende, Corvino jubente
Promere languidiora vina.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *O Nata mecum.*] Vina impleta & condita in horreo tum cum ego natus ſum Venuſii in urbe Apuliæ; Conſulatum Romæ gerente L. Manlio Torquato cum L. Aurelio Cotta anno Urbis conditæ 688. Vide Epod. 13. v. 8. ubi hunc Torquatum vocat ſuum Conſulem.

2. *Seu tu querelas, ſive geris jocos, &c.*] Varios effectus vini juxta varias hominum affectiones belle exprimit. Nam qui a natura bilioſus, vino fit iracundior; qui libidinoſus, laſcivior, petulantior, &c. Quidam jocoſi poſt vinum, alii ſomniculoſi, &c.

5. *Quocumque lectum nomine, &c.*] Cujuſcumque nomen Conſulis inſcriptum habes, quo ætas notetur vini quod contines. Vide l. 2. Ode 3. v. 8. annot. De Maſſici bonitate & patria, lib. 1. Ode 1.

6. *Bono die.*] Feſtivum mihi fortunato & honorabili, cum dignatur Corvinus divertere apud me, cœnare domi meæ, & poſcere ſi quod habeo melioris notæ vinum.

7. *Deſcende.*] Ex iſta voce patet olim vaſa vinaria non, ut apud nos hodie, in ſubterraneis ſed in editioribus apothecis atque horreis collocari ſolita, ut fumoſa indeque matura fierent; quod jam alibi notavi, iterumque Poeta noſter innuit, ſequenti Ode 28. v. 7. Vide ſupra Ode 8. hujus libri

Corvino jubente.] M. Valerius Meſſala Corvinus Auguſti ævo vir clariſſimus, Conſul anno U. C. 722. ubi & de Gallis quatuor poſt annis triumphavit. Is eſt quem ſuis carminibus adeo celebrat Tibullus, l. 1. El. 3. & lib. 4. ſic incipit:

Te Meſſala canam; quanquam tua cognita virtus
Terret, ut infirmæ valeant ſubſiſtere vires.

8. *Promere.*] Hoc jungunt alii cum voce *deſcende*; alii cum *jubente*. Quicquid ſentiant aliqui, parvi refert ad utrum referas.

Languidora vina.] Senectute ſeu vetuſtate matura, mitiora, ſalubriora. Vide ſupra Ode 16. v. 35. ibique annot.

Non

Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus.
Narratur et priſci Catonis [326]
Sæpe mero incaluiſſe virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves [327]

licet imbutus ſit Socraticis diſciplinis, haud auſterus te aſpernabitur. Refertur antiqui virtus Catonis etiam vino frequenter calefacta fuiſſe. Tu dulcem vim adhibes

ANNOTATIONES.

9. *Non ille, quanquam Socraticis, &c.*] Etſi refertus, id eſt, apprime inſtructus eſt Corvinus Socratica & Academica Philoſophia, non te deſpiciet, O pia teſta: & quanquam madet totus placitis ejuſmodi ſeverioribus, haud tamen refugit interdum madere etiam vino, ad diluendas curas levandoſque animi labores ſuos pro Republica: nam & hoc novit ſapientiſſimo cuique uſurpatum. Plato ſcribit vinum hominibus a Deo contributum velut remedium adverſus ſenectutem, ut redire ad juventutem videantur, & mœſtitiæ eos capiat oblivio. Seneca Stoico ſupercilio mire gravis aiebat nonnunquam uſque ad ebrietatem veniendum, non quæ mergat nos, ſed deprimat curas. Vide Cœl. Rhodig. Lib. 21. cap. 32. alibi.

Socraticis Sermonibus.] Socrates hominum ſapientiſſimus Apollinis Oraculo declaratus eſt. Ejus dogmata amplexi ſunt præ cæteris bene multis illuſtriores iſti, Plato, Xenophon, Antiſthenes, Diogen, Laert. Lib. 2. &c. Cic. Tuſcul. 3. ait ab eo *omnem, quæ de vita & moribus eſt, Philoſophiam manaſſe:* Tuſc. 5. n. 10. *Primum illum devocaſſe Philoſophiam e cœlo . . . . & coëgiſſe de vita, moribus, rebuſque bonis & malis quærere.* Noſter ad Piſon. v. 310.

Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.

11. *Narratur & priſci Catonis, &c.*] Ipſe Cato virtute inſignis narratur vino liberalius hauſto ſæpe incaluiſſe. Hic vero quæri poteſt, an vino corpus incaleſcat, ut calido medicamento? Reſpondit Galenus Conſtat. 3. non incaleſcere niſi ut alimonia corpori accommoda. Nam ſicut igni congruens materia incendium facit majus, ita corporibus ſimile alimentum quæ natura calent ſatis, & robur adjicit, & calorem auget, &c. Hæc ille. Vide Cœl. Rhodig. lib. 28. cap. 29. ubi explicat cur proſit ſenibus vinum.

Catonis.] Quis ille, an Major, an Uticenſis & junior? De Uticenſi proditur ſane, integras duxiſſe perpotando noctes. Teſtes Plutarchus, aliique, Et, cum Memmius quidam in conventu dixiſſet, Catonem totas noctes in vino permanere & ebrium eſſe, ſuſcepto ſermone Cicero reſpondit: quin addis etiam totos dies alea ludere? Seneca de Tranq. cap. 15. *Cato,* inquit, *vino laxabat animum curis publicis fatigatum.* Ubi Lipſius de Uticenſi diſerte explicat, huncque affert Horatii locum: quem jam tractamus. Idem Cato menſam maxime amicorum parentem & procreatricem exiſtimavit, idem ſolitus erat dicere Cæſarem ſobrium acceſſiſſe ad evertendam Rempublicam. Vide Cœl. Rhodig. lib. 28. cap. 8. & 32. At duo tamen arguunt Catonem hunc juniorem minime hic ab Horatio indicari. Alterum eſt vox *narratur,* quæ nequaquam adhiberetur a Poëta, ſi innueret Catonem illum Uticenſem cum quo vixerat, quemque florentem viderat; ſiquidem Horatius annos ætatis habebat viginti, quando ſe Cato Uticæ interemit. Alterum eſt epithetum *priſci,* quod omnino Porcio Catoni, non ita vero Uticenſi congruit. Nec enim ſatisfaciunt qui priſcam virtutem pro ſolida, vera, ſeveraq; poni obtendunt. Ergo Cato Major accipiendus. Quamvis etenim valde ſobrium fuiſſe conſtet: at ei nihilominus ebrietas ſeu vinoſitas ab æmulis & adverſariis objecta eſt; ad quod alluſit Poëta. Adde quod apud Ciceronem de Senectute, n. 46. ille ipſe Cato Major profitetur ita de ſe: *Ego propter ſermonis delectationem tempeſtivis quoque conviviis delector, nec cum æqualibus ſolum, qui pauci admodum reſtant, ſed cum veſtra ætate etiam atque vobiſcum: habeoque ſenectuti magnam gratiam, quæ mihi ſermonis aviditatem auxit, potionis & cibi ſuſtulit. Quod ſi quem delectant, (ne omnino bellum indixiſſe videor voluptati, cujus eſt etiam fortaſſe quidam naturalis modus,) non intelligo, ne in iſtis quidem voluptatibus ipſis carere ſenſu ſenectutem. Me vero delectant & ſermo in poculis, & pocula. . . . . . conviviumque vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem quàm maxime poſſumus vario ſermone producimus.* Huc etiam facit quod ſcribit Plin. lib. 14. cap. 1. *Catonem ille primus,* inquit, *triumpho, & cenſura inſignis, magis tamen claritate literarum, præceptiſque . . . . agrum colendi . . . . . de vitibus uviſque ita prodidit; qui locus vino optimus,* &c.

13. *Tu lene tormentum, &c.*] Per te leniter ingenia torquentur, & qualia ſint explorantur: ſeveriora mitigantur, duriora molliuntur, &c. Plato de Legibus ait vinum eſſe tormentum minime ſumptuoſum aut periculoſum ad explorandos hominum affectus. Theognis dicebat aurum & argentum igne probari & dignoſci, at vino mentem hominis quamlibet ſapientis. Vide Ep. ad Piſon. v. 434. Non abludit adagium, *In vino veritas,* & Perſæ cujuſdam apophthegma,

Plerumque

animo interdum aſperiori: tu ſapientum intimas & anxias cogitationes revelas per vinum feſtivum. Tu reddis fiduciam & robur ſolicito ingenio: daſque animi inopi poſt te nec timenti Regum diademata nec bellatorum tela. Te expromunt Bacchus, & Venus ſi favens adſuerit, necnon Charites vinculum laxare tardiores, atque ardentes lychni, donec Sol reverſus expellat ſidera.

Plerumque duro: tu ſapientium
Curas et arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo.
Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Vireſque; et addis cornua pauperi,
Poſt te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, et ſi læta aderit, Venus,
Segneſque nodum ſolvere Gratiæ, [328]
Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

ANNOTATIONES.

Nequaquam opus tormentis eſſe ad exquirendum verum, vino enim rectius elici. Vide Eraſm. Sunt qui putent hic alludi ad arietes aliaſque machinas ejuſmodi bellicas, quibus admotis urbium muri concutiuntur, dejiciuntur, expugnanturque: pace tamen illorum, prior interpretatio non eſt poſthabenda, multo minus, ut ſanciunt, explodenda.

14. *Tu ſapientium Curas, &c.*] Graviores cogitationes reconditaque conſilia hilari compotatione in lucem aliquando proferuntur.

16. *Lyæo.*] Unum eſt e Bacchi cognominibus a λύειν, quod ſolvit & diſcutit ægritudines & curas.

17. *Tu ſpem reducis.*] Apud Athen. Lib. 2. cap. 1. ex Diphilo, *Bacchus cordatis & prudentibus viris amicus, ipſeque ſapiens æque ac ſuavis abjectos & humiles facit aſſumere magnos ſpiritus, ſuperciliosis ac tetricis perſuadet ut rideant, ignavis ut audeant, timidis ut fortes ſint.* Ex Chæremone, *per vinum conciliantur bibentibus riſus, ſapientia, docilitas, bona omnia.*

18. *Addis cornua pauperi.*] Baccho veteres affingebant cornua, quoniam e nimio vino truces fiunt ebrioſi inſtar belluarum, inquit Feſius. Vide ſupra lib. 2. Ode 19. in fine. Ovid. Art Amat. l. 1. v. 239.

Tunc veniunt riſus; tunc pauper cornua ſumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.

Per cornua deſignantur audacia, confidentia, robur, ſuperbia, temeritas etiam & petulantia, Athen. lib. 10. cap. 14. *τῶν ἀγαθῶν βασιλεὺς οἶνος*, *Bonorum omnium rex vinum.* Lib. 2. cap. 1. *Ἰσχὺν δίδωσι ταῖς ψυχαῖσι καὶ τοῖς σώμασι*, *Robur & vires dat animis & corporibus.* Eodem lib. cap. 2. *Ἐσθλὸν ἀλεξίκακον πάσῃ ἄιῃ*, *Potens remedium adverſus omnem triſtitiam.*

19. *Poſt te neque iratos trementi, &c.*] Vino ſumpto roboratus inops & timidus quiſque, jam nec iratos Regum vultus aut minas expaveſcit, nec militum arma.

21. *Te Liber, &c.*] O Teſta, amphora, O bonum vinum, te in convivio *producent* Bacchus, *Venus læta, Gratiæ, lucernæ* accenſæ.

Liber.] Cur pater Liber dicitur? An quod bibenti ſit cauſa libertatis? Fiunt enim audaciores ex vino homines plerique. An quia pro libertate Bœotia depugnavit? Plutarch. Probl.

Læta Venus] Mitis, bella, propitia, placida, non miſcens contentiones & rixas aut etiam prælia, ut ſæpius fit.

22. *Segneſque nodum ſolvere Gratiæ.*] Detrectantes, nolentes ſeparari, diſtrahi, abalienari quos junxerunt: concordiæ tenaces, amanteſque, inſolubiles. Unde illæ implexis & conſertis inter ſe manibus pingi ſolent. Vide l. 1. Ode 4. & 30.

ODE

ODE XXII.

In DIANAM.

Ei conſecrat pinum Villæ ſuæ.

MOntium cuſtos nemorùmque virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimiſque letho,
Diva triformis;
Imminens villæ tua pinus eſto, [329]
Quam per exactos ego lætus annos 6
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

O Virgo præſes montium & ſilvarum, Dea formæ triplicis, quæ ter invocata ſubvenis mulieribus parturientibus, & eas morti eripis: ſit tibi ſacra pinus fundo meo impendens; quam ego ſingulis annis evolutis gaudens aſpergam cruore porci tranſverſam morſionem tentantis.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 2. Lib. 1.

1. *Montium cuſtos, &c.*] Venatrix incola ſilvarum. Adde quod herbis, plantis, arboribus vegetandi vim impertitur Luna.

2. *Quæ laborantes utero, &c.*] Parturientes juvas ad infantem edendum in lucem: quæ & matri fratrem Apollinem parturienti opem & munus obſtetricis exhibuiſti. Luna ſcilicet poros & meatus corporis tempeſtive relaxans dat facilitatem partui & ſalubritatem. Cic. de Nat. Deor. 2. n. 69. *Adhibetur ad partus, quod ii matureſcunt aut ſeptem nonnunquam, aut ut plerumque novem Lunæ curſibus, qui quia menſa ſpatia conficiunt menſes vocantur.* Idem fere Varro 4. de Ling. Lat. ubi *Luna naſcentium dux . . . . . parientes eam invocant.* Diodor. Sicul. lib. 6. Plutarch. Sympoſ. 3. Probl. 1. *&c.*

3. *Ter vocata.*] Ternarius numerus religione conſecratus Lib. 1. Ode 28. v. ult.

Audis, adimiſque letho.] Terent. And. act. 3. ſc. 1. v. 15.

> *Juno Lucina, fer opem, ſerva me obſecro.*

Catull. Carm 32. v. 13.

> *Tu Lucina dolentibus*
> *Juno dicta puerperis.*

Ovid. Faſt. lib. 2. v. 451.

> *Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis;*
> *Maturumque utero molliter aufer onus.*

Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 5. in ædem Junonis Lucinæ recens natorum infantium nomina ætatemque referri ſolita teſtatur. Cic. ante cit. *ut apud Græcos Dianam eamque Luciferam, ſic apud noſtros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Ne, Lector, mirere quod videantur confundi Junonis ac Dianæ munia. Nam Deos omnes ad Solem, Deas ad Lunam referri, egregie docet Macrob. Saturnal. Lib. 1. cap. 17. & ſeq.

4. *Diva triformis.*] Triplex quaſi numen habens: Luna in cœlo, Diana in terris, Proſerpina apud inferos. Virg. Æneid. 4. v. 511.

> *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.*

Hinc illud,

> *Terret, luſtrat, agit, Proſerpina, Luna, Diana,*
> *Ima, ſuperna, feras, ſceptro, fulgore, ſagitta.*

Alii, quod modo gibboſa, modo dimidiata, modo plena.

5. *Imminens villæ tua pinus eſto.*] Volo tibi ſacram eſſe pinum meæ villæ imminentem; & ad eam quotannis tibi mactabo aprum.

6. *Per exactos annos.*] Completo & finito unoquoque anno.

7. *Obliquum meditantis ictum.*] Qui licet junior jam ex ſua natura meditatur obliquo dentium exertorum ictu vulnerare. Quidam aprum in mactantem ſævire & tranſverſum ictum meditari: alii in ipſam illam pinum dentes intentaſſe: nonnulli ab apri ſævitie Poetam noſtrum Dianæ patrocinio ſervatum, comminiſcuntur: ſed gratis & perperam.

ODE

ODE XXIII.

Ad PHIDYLEN.

Puris tantum Manibus Deos placari.

O Agreſtis Phidyle, ſi manus ſupplices ad cœlum tollas Luna incipiente; ſi Lares placaveris thure & hornotinis frugibus atque ſue edaci; neque fertilis vinea experietur Africum pernicioſum, neque ſpicæ rubiginem ſterilitatis cauſam, *nec teneri fœtus noxiam tempeſtatem anni parte fructiferâ. Etenim hoſtia* Diis *deſtinata, quæ in Algido nivoſo educatur inter quercus & ilices, vel creſcit in Albano gramine,*

COELO ſupinas ſi tuleris manus [330]
Naſcente Lunâ, ruſtica Phidyle;
Si thure placâris et hornâ
Fruge Lares, avidâque porcâ;
Nec peſtilentem ſentiet Africum
Fœcunda vitis, nec ſterilem ſeges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno. [331]
Nam quæ nivali paſcitur Algido
Devota, quercus inter et ilices,
Aut creſcit Albanis in herbis,

Metrum idem quod ſupra Od. 9. Lib. 1.

1. *Cœlo ſupinas, &c.*] Si Deos rite colueris & pie ſupplicaveris, licet modica offerens munera, placatos illos habebis.

Supinas.] Verſis ad cœlum palmis; quæ contra invocando Inferos Deos ad terram vertebantur.

2. *Naſcente Luna.*] In novilunio & Calendis ſolebant ruſticæ mulieres ſacra Lunæ facere plantarum matri, altrici, cuſtodi.

Phidyle.] Hæc videtur fuiſſe villica, ſeu Horatianæ villæ procuratrix; convenit nomen, ſive proprium fuerit, ſeu factum ſit a Poeta φειδύλη, *Parca.* Gall. *Menagere.* Angl. Thrifty.

3. *Hornâ Fruge.*] Vino vel ſpicis novellis atque hujus anni. Diis enim primitias & quod novum optimumque, offerri æquum eſt.

4. *Porcâ.*] Hac utpote fœcunda placabantur Dii Lares & domeſtici ad fœcunditatem familiæ ac rei domeſticæ impetrandam.

5. *Peſtilentem Africum.*] Ventum humidum & calidum adeoque peſtilentem & noxium frugibus ac vitibus Italiæ. Plin. l. 2. cap. 47. De eo jam lib. 1. Od. 1.

7. *Rubiginem.* Gall. *la Nielle.* Ang. Blaſting [illegible], qua nigreſcunt ſpicæ & ſterileſcunt. Oritur ex pluvia vel rore, ſi quando non decuſſa fuerint e ſpicis, ſed Sole ſuperveniente calefacta computreſcant. Ita Scaliger. Plin. lib. 18. c. 17. *Cæleſte frugum vinearumque malum nullo minus noxium eſt rubigo. Frequentiſſima hæc in roſcido tractu, convallibuſque ac perflatum non habentibus. E diverſo carent ea ventoſa, & excelſa.* Et cap 28. in fine. *Alia ſunt mala, quæ ſilente cœlo ſereniſque noctibus fiunt, nullo ſentiente niſi cum facta ſunt . . . . . Aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus, omnibus vero ſterilitatem.* Hinc Romæ ad eam peſtem avertendam colebatur Rubigus Deus: & agebantur Rubigalia feſta ſub finem Aprilis. Plin. cit. l. 18. c. 29. *Rubigalia Numa conſtituit anno regni ſui 11. quæ nunc aguntur ad 7. Calend. Maii, quoniam tunc fere occupat ſegetes rubigo: quo tempus Varro determinat Sole Tauri partem decimam obtinente.* Ex Plutarchi quæſt. natural. poſt init. Rubigo humeſcentia occupat ſemina. Theophraſt. de cauſ. plantar. l. 4. c. 15. & alibi, &c.

Dulces alumni.] Dulces & charos filios interpretantur aliqui, magis tamen intelligendi videntur catuli pecudum, agni, capreoli, &c. ut ſupra Od. 11. v. 4.

8. *Pomifero grave tempus anno.*] Grave peſtilenſq; cœlum: adeoq; morbos haud ſentient greges ea anni tempeſtate qua fructus colliguntur, ſcilicet Autumno, quem *letiferum* vocat Juven. Sat. 4. v. 55. Vide & ſupra l. 2. Od. 14. v. 15.

9. *Nam quæ nivali, &c.*] Pontificum eſt in ſacris publicis immolare victimas ſumptuoſas: at te, Phidyle, ruſticam & privatam muliérculam decet offerre Diis familiaribus minuſcula quæque dona & ſacrificia.

Quæ nivali paſcitur Algido.] Paſcebantur olim greges ad ſacrificia publica deſtinati ac devoti.

Algido.] De eo monte l. 1. Od. 21. v. 6.

11. *Albanis in herbis.*] In paſcuis Albani montis, qui ab urbe Roma diſtat 12. mill. paſſ. ortum verſus. Martial. Lib. 4. Epig. 64.

Albanos quoque Tuſculoſque colles.

Arnob. Lib. 2. *In Albano antiquitus monte nullos*

Victima,

Victima, Pontificum ſecures
Cervice tinget. Te nihil attinet
Tentare multâ cæde bidentium
Parvos coronantem marino
Rore Deos fragilíque myrto.
Immunis aram ſi tetigit manus, [332]
Non ſumptuoſa blandior hoſtia
Mollivit averſos Penates
Farre pio et ſalente micâ.

cultros Pontificum collo imbuet. Te verò Deos exiguos rore marino tenuique myrto coronantem nihil juvat ſolicitare plurimo cruore pecudum. Etſi manus ſine munere tenuerit aram, offenſos Penates haud placabit efficacius per majorem victimam, quam per religioſum ador & ſal crepitans.

ANNOTATIONES.

alios licebat quam ſivvi tauros immolare tenderis; nunc ipſum morem religionemque mutaſtis? &c.

13. *Te nihil attinet, &c.*] Tuum non eſt mactare pecudes: Deos perfecte coles & placabis, nectendo tantum & adornando ſerta & corollas ex herbis & floribus, quæ illis dones.

14. *Bidentium.*] Nonius Marcellus ita dictas oves, quod duos dentes habeant, mordicus negat: aſſerit vero dici quaſi biennes; auctoritate Pomponii in Attellana. Vide Macrob. lib. 7. cap. 9. & Gellium lib. 16. cap. 6. ubi uterque idem aſtruunt, contenduntque, *Non oves ſolas, ſed omnes bimas hoſtias bidentes appellari.*

15. *Parvos Deos.*] Lares, Penates, quorum imagines *parvæ* ſcilicet in privatis ædibus: in fanis autem ac templis majores Deorum ſtatuæ, majora ſimulacra habentur & coluntur.

Coronantem marino Rore, fragilique myrto.] In ſacrificiis multiplices adhibebantur, ejuſmodi corollæ. Ipſe ſacrificans coronabatur hoſtia quoque, imago Deorum & ara, &c.

Marino Rore.] Plin. lib. 24. cap. 11. *Eſt & roſmarinum. . . . foliis odor thuris, &c.* De *Myrto*, lib. 1. Od. 38.

17. *Immunis.*] Innocens, a ſcelere vacua & eximia, ex quibuſdam; alii aliter & melius, ut exiſtimo, hoc ſenſu: etiamſi non offeras Diis ingentia munera, tam litabis, tamque obtinebis quod poſtulas, exiguo quovis ſacrificio, quam magno & ſumptuoſo, ſi modo vitæ innocentiam & pietatem & religionem erga eos exhibeas. Luc. cap. 21. Chriſtus pauperculæ viduæ minuta duo laudat præ ingentibus divitum muneribus in gazophylacium miſſis. Ex Plutarcho Lycurgus interrogatus, cur vilia & parva conſtituiſſet ſacrificia? reſpondit: Ut nunquam deſinamus Deos venerari. Vide Perſ. Sat 2. in fine: ubi

Dicite, Pontifices, in ſacris quid facit aurum?
. . . . farre litabo.

Aram ſi tetigit manus.] Ara quaſi anſa dicta pridem, quoniam eam tenebant ſeu tangebant quicumque vel ſacra operabantur, vel jurabant vel preces & vota faciebant. Varro, Macrobius, Saturnal. lib 3. cap. 2. &c. Vide & Plin. lib. 2. cap. 7.

20. *Farre pio & ſaliente micâ.*] Mola ſalſa quæ conſtabat ex aqua, farre, & ſale. Seneca Epiſt. 114. *Crepacem molam.*

ODE

ODE XXIV.

Ad AVAROS.

Quamvis totum mare Tyrrhenum atque Apulicum tuis ædificiis teneas, ditior nondum tentatis gazis Arabum ac Indiæ opulentæ; ſi fatum ſævum clavos adamantinos excelſis culminibus infigit, neque mentem formidine, neque caput mortis retibus liberabis. Felicius in campis degunt Scythæ; quorum

INtactis opulentior
Theſauris Arabum, et divitiis Indiæ,
Cæmentis licèt occupes [333]
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum;
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira neceſſitas
Clavos; non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campeſtres meliùs Scythæ, [334]

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 3. lib. 1.

1. *Intactus, &c.*] Sui vitia ſeculi hæc Ode proſcribit. Animadverte, quæſo, Lector ſtudioſe, quam varie quamque feliciter idem ſæpius ita retractet argumentum, ut novum quid ſemper eſſe videatur. Et hoc eſt quod ipſe præcipit ac docet ad Piſones Epiſt. v. 128. & 240. quæ duo loca ſpectant eodem, & egregie declarant rerum communium & cuivis notarum novam diſpoſitionem ex arte atque ingenio, ſcitamque & callidam tractationem longe præſtare rerum novarum inventioni. Quod quidem literatores ac de trivio homines & ſciolos latet, norunt verò ſentiuntque quotquot ſano & ſagaci pollent judicio. Vide quæ ibi annotabuntur.

Intactis opulentior Theſauris Arabum.] Ipſis opulentior Arabibus, quorum adeo jactatur opulentia. Vide lib. 1. Ode 29. & lib. 2. Od. 12. Stroph. penult.

Intactis.] Vel Theſauris nondum effoſſis, vel Arabibus bello nondum petitis ac ſubactis populo Romano. *Ælius* enim *Gallus ex Equeſtri Ordine, ſolus Romana arma in eam terram intulit . . . oppida diruit, &c.* Plin. lib. 6. c. 28. Strabo, lib. 6. *Recens Rom. expeditio noſtro tempore duce Ælio Gallo in Arabiam facta.* Miſſus ille cum exercitu ab Auguſto decimum Conſule, Arabes tentaturus. Propert. lib. 2. Eleg. 10. v. 15.

India quin, Auguſte, tuo dat colla triumpho,
Et domus intactæ te tremit Arabiæ.

2. *Divitis Indiæ.*] Hæc enim Aſiæ regio dives eſt auro, argento, lapillis, gemmis. Strabo lib. 16. &c.

3. *Cæmentis licèt occupes, &c.*] Licet præclaras ædes habeas in maris littoribus extructas, quid hoc ad vitam beatam? An ſic effugies curas & mortem? Vide Od. 1. hujus lib. Stroph. 9. ibique annot.

4. *Tyrrhenum mare.*] Idem eſt quod Thuſcum & Inferum: pars eſt Mediterranei, Thuſciam alluens, Ditionem Pontificiam, ac regnum Neapolitanum, a fluvio Macra ad Fretum Siculum.

Et mare Apulicum.] Omnes fere codices habent *Ponticum*, id eſt, Euxinum: Quidam *Punicum*, id eſt, Africanum; & hanc lectionem defendunt eo quod mare Punicum ſeu Africanum continetur cum Tyrrheno, quod nunc nominatur. Verum enimvero quid hoc ad Italiam & Romanos? An ut notetur veſania ædificare cupientium non modo in littoribus maris proximi ſed & longinqui? Longe ſane petita reprehenſio, Lectori tamen judicandi ſit plena libertas: ut fuit hactenus. Alii etiam *Publicum* abſurde quidem legunt. Placuit lectio, *Apulicum*, non nobis primum, ſed gravibus viris pridem ante nos; ut denotetur utrumque Italiæ littus maris; per *Apulicum* ſuperi ſive Adriatici, inferi vero per *Tyrrhenum*.

5. *Si figit adamantinos, &c.*] Si magnificas illas ædes mors etiam obſidet ingrediturque & habitatores earum non mitius tractat quam infirmos & egentes, & in illis ædium *ſummis verticibus clavos figit adamantinos*, id eſt, imperii ac dominatus ſui jura exercet: metaphora ducta ab annali clavo, qui in parietibus ædium ſacrarum figebatur ſingulis annis ut numerus annorum inde colligeretur. De quibus Liv. paſſim. Alii ſic explicant; ſi ſummos etiam apices ſeu capita virorum principum ſpiculis ſuis duriſſimis transfigit mors, & enecat.

Adamantinos.] Adamante firmiores, lib. 1. Od. 35. *trabales clavos.* Sic belle exprimit Poëta fatum ineluctabile, mortis neceſſitatem, & nunquam mutabile Jovis ac Deorum decretum. Pindar.

Τίς κίνδυνος κεφαλαῖς ἀδάμαντος δῆσεν ἅλοις.

9. *Campeſtres melius Scythæ, &c.*] Avaris divitibus ſapientiores ac beatiores ſunt ii populi

Quorum

Quorum plauſtra vagas ritè trahunt domos,
Vivunt, et rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera liberas
Fruges & Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annuâ;
Defunctúmque laboribus
Æquali recreat ſorte vicarius.
Illic matre carentibus [335]
Privignis mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum
Conjux, nec nitido fidit adultero.

incertas habitationes carpenta circumferunt, nec non aſperi Getæ, quibus arva minimè circumſcripta producunt communes ſegetes ac meſſes; neque exercetur cultura diuturnior uno anno; atque alter vices aſſumens pari fortunâ quietem tribuit alteri *laboribus exſoluto. Ibi fœmina innoxia parcit privignis matrem non habentibus, neque uxor dote potens marito imperitat, nec ſplendido auſcultat mœcho.*

ANNOTATIONES.

qui inopes quidem, at ſine curis vivunt. Scythæ nullas domos extruunt, per campos vagantur, modò in his paſcuis, modò in illis ſubſiſtentes, ſuamque ſecum familiam plauſtris vehunt, hinc ἁμαξόβιοι & ἁμαξοφόρητοι dicti; *quibus plauſtra ſedes ſunt*, inquit Salluſt. Vide l. 1. Od. 19. v. 10. & Od. 35. v. 9. & l. 2. Od. 9. in fine: ibique annot. Juſtin. l. 2. ſub initium: *Scythis inter ſe nulli fines, nec enim agrum exercent, nec domus illis ulla, aut tectum, aut ſedes eſt, armenta & pecora ſemper paſcentibus & per incultas ſolitudines errare ſolitis. Uxores liberoſque ſecum in plauſtris vehunt, quibus coriis imbrium hyemiſque causâ tectis pro domibus utuntur. Juſtitia gentis ingeniis culta, non legibus . . . . aurum & argentum non appetunt. Lacte & melle veſcuntur. Lanæ iis uſus ac veſtium ignotus . . . . . pellibus veſtiuntur ferinis. Hæc continentia illis morum quoque juſtitiam dedit, nihil alienum concupiſcentibus . . . . . utinam reliquis mortalibus ſimilis moderatio . . . . . prorſùs ut admirabile videatur hoc illis naturam dare, quod Græci longâ ſapientium doctrinâ præceptiſque Philoſophorum conſequi nequeunt; cultoſque mores incultâ barbarie ſuperari, &c.* Hinc apud Homerum Iliad v. δικαιότατοι, *juſtiſſimi*, vocantur Scythæ. De his Strabo 7. Herodot. l. 4. Virgil. Georgic. 3. &c.

11. *Rigidi Getæ, &c.*] Et hi Scythis affines duram pariter vitam agunt, frigidiſſimâ regione. Ex Strabone, ad Pontum Orientem verſus circa oſtium Danubii ſedes habent. Plin. l. 4. c. 12. *Ab eo in plenum quidem omnes Scytharum ſunt gentes; variæ tamen litori appoſita tenuere: aliàs Getæ, Daci Romanis dicti, &c.*

12. *Immetata quibus, &c.*] Scythis nimirùm atque Getis agri nullis definiuntur limitibus, nullique ſunt cuiquam proprii; omnes omnibus communes viciſſim coluntur ab aliquibus, duntaxat quantum ſatis eſt ad annonam & victum unius anni.

15. *Defunctúmque laboribus, &c.*] Alii poſt alios culturam agrorum, ſationem ac meſſem curant, & quieſcunt; atque ad annuum opus ac laborem alii aliis ſuccedunt. De Suevis idem propè refert Cæſar de bello Gallico initio lib. 4. *Gens maxima & bellicoſiſſima Germanorum, Suevi: centum pagos habent, ex quibus quotannis ſingula millia armatorum, bellandi causâ ſuis è finibus educunt. Reliqui domi manent: pro ſe atque illis colunt. Hi rurſus invicem anno poſt in armis ſunt; illi domi remanent . . . . . privati ac ſeparati agri apud eos nihil eſt: neque longius anno remanere uno in loco incolendi causâ licet, &c.*

17. *Illic matre carentibus, &c.*] Ubi nulla eſt cupiditas, illic nec ulla novercalia odia, flagitia, veneficia: nulla uxorum aut adulteria, aut imperioſa inſolenſque dominatio in viros. Ea eſt Scythicarum mulierum fides, pudicitia, virtus, probitas.

18. *Privignis mulier temperat innocens.*] Noverca non ſævit in *privignos*, id eſt, mariti ſui è priori conjuge filios, nec eos veneno tollere meditatur; quod Romæ non infrequens. Juven. Sat. 6. v. 152.

Hippomanes, carmenque loquar, coctúmque venenum,
Privignoque datum?

19. *Nec dotata regit virum.*] Plaut. Aulul. in fine ſcen. 17. *Quæ indotata eſt, ea in poteſtate eſt viri: dotatæ mactant & malo & damno viros.* Et Aſinar. Scen. 1. *Argentum accepi, dote imperium vendidi.* Juvenal. Sat. 6. v. 223. *Imperat ergo viro.* Vide ibid. in ſuperbiam mulierum plurima. Et Juſtino l. 3. Lycurgus apud Spartanos *virgines ſine dote nubere juſſit; ut uxores eligerentur, non pecuniæ: ſeveriúſque matrimonia ſua viri coercerent, cùm nullis dotis frænis tenerentur.*

20. *Nec nitido fidit adultero*] Non ſinit ſe in adulterium pertrahi ab adultero bene compto; vel, amatori & mœcho potenti non confidit poſt flagitia ſperans ab eo defendi tum adverſus leges adulterium punientes, tum adverſus maritum ſuum vindictam meditantem.

Illic maxima dos æſtimatur virtus parentum, & pudicitia inſolubili pacto alterum virum abhorrens. Illic non licet delinquere, vel merces eſt mors. O quicunque voluerit ſceleratas ſtrages furoremque civilem abolere, ſi cupiet imagini ſubſcribi parens civitatum, is infrænatam coërcere cupiditatem ſuſcipiat à poſteris celebrandus; quandoquidem (pro ſcelus!) viventem virtutem averſamur invidentes, ereptam verò aſpectui deſideramus. Quorſum mæſtæ querelæ, ſi pœnâ crimen amputatur? Quid leges proſunt abſque moribus inutiles, ſi negotiatorem haud deterrent vel orbis regio æſtu ferventi præcluſa, nec pars Aquiloni proxima, nivibuſque humo conſtricta:

Dos eſt magna parentium
Virtus, et metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas;
Et peccare nefas, aut pretium eſt mori.
O quiſquis volet impias
Cædes, aut rabiem tollere civicam;
Si quæret pater urbium [136]
Subſcribi ſtatuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam,
Clarus poſtgenitis: quatenus (heu nefas!)
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.
Quid triſtes querimoniæ,
Si non ſupplicio culpa reciditur?
Quid leges ſine moribus
Vanæ proficiunt; ſi neque fervidis
Pars incluſa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Duratæque ſolo nives

ANNOTATIONES.

21. *Dos eſt magna parentium Virtus, &c.*] In deligendis uxoribus ibi non ſperantur opes, ſed virtus majorum & parentum, ac puellæ caſtimonia. Plaut. Amphitr. Act. 2. Scen. 2. ſub finem.

Non ego illam mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur;
Sed pudicitiam, & pudorem, & ſedatum cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, &c.

Repete modò allatam Lycurgi legem de dote virginum Spartanarum. Juvenal. Sat. 6. v. 166.

— *Malo Venuſinam, quàm te, Cornelia, &c.*

23. *Certo fœdere caſtitas.*] Fides conjugalis, quam illic violare *nefas*, aut peccanti *mors* certa eſt, certumque *peccati ſtipendium*, quod ait Paulus Apoſtolus.

25. *O quiſquis volet impias, &c.*] Profectò cupiditas tollenda, ſi quis bonus Princeps velit ſeditiones tollere, tumultus, cædes, bella civilia, aliaſque civitatum peſtes. His videtur Auguſtum reſpicere: nam ſic ei poſteà gratulatur, Lib. 4. Od. 15. v. 9.

——— *ordinem*
Rectum & vaganti fræna licentiæ
Injecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes, &c.

27. *Si quæret pater urbium Subſcribi ſtatuis.*] Si volet dignus eſſe, cui ſtatua erigatur cum hâc epigraphe, *pater patriæ*. Quæ quidem appellatio honorifica contigit Camillo, Ciceroni, Julio Cæſari, Auguſto, aliis item poſtea bonis Imperatoribus. Tit. Liv. Appian. Flor. Sueton. &c. Hic Octav. c. 58. *Senatus te conſentiens cum Populo Romano conſalutat* Patriæ Patrem. *Cui Auguſtus . . . compos factus votorum meorum, P. C. quid habeo aliud Deos immortales precari, &c.* Juv. Sat. 8 v. 244.

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

30. *Clarus poſtgenitis*] Quidem legunt *charus*, Lib. 1. Od. 28. *Poſt modo te natis.*

Quatenus (heu nefas !) Ea ſiquidem eſt pravitas morum noſtrorum, ut invideamus virtuti, excellentiæ, honoribus eorum qui nobiſcum vivunt: mortuis autem gloriam ſponte deferimus & laudationem. Egregie Vell. Paterc. *Præſentia invidiâ, præterita veneratione proſequimur. Et his nos obrui, illis inſtrui credimus.*

32. *Sublatam ex oculis quærimus.*] Sic fit: ſic vivitur. Homines quæ habent præ manibus bona vix antè cognoſcunt, aut ut par eſt æſtimat, quàm ea amiſerint. Quam ſententiam expolitam efferunt, inter tot alios, Sophocles in Ajace, Plaut. Captiv. Cic. in Orat. poſt reditum, ad Quirites.

34 *Si non ſupplicio culpa reciditur?*] Si culpæ non puniuntur: vel, ſi non ceſſant improbi crimina perpetrare, quamvis ea puniri interdum cernant.

35. *Quid leges ſine moribus Vanæ proficiunt?*] Quid proſunt leges, ſi non obſerventur, ſique ad earum amuſſim mores non fingantur?

36. *Si neque fervidis Pars incluſa caloribus &c.*] Si homines lucri causâ nihil non tentant,

Mercatorem

Mercatorem abigunt? horrida callidi [337]
Vincunt æquora navitæ?
Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis et facere et pati,
Virtutíſque viam deſerit arduæ.
Vel nos in Capitolium,
Quò clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas et lapides, aurum et inutile,
Summi materiam mali,
Mittamus. Scelerum ſi bene pœnitet,
Eradenda cupidinis
Pravi ſunt elementa; et teneræ nimis [338]
Mentes aſperioribus
Formandæ ſtudiis. Neſcit equo rudis

& ſolertes nautæ maria formidabilia exſuperant? Inopia dedecus ingens impellit quidlibet & moliri & perferre; atque iter aſperæ virtutis relinquit. Ergo nos *aut deferamus in Capitolium, ad quod invitat applauſus & concurſus* populi *acclamantis, aut in mare vicinum* projiciamus *gemmas & lapillos, atque aurum exitiale, omnis mali cauſam. Si verò crimina deteſtamur, extirpanda ſunt improbæ cupiditatis principia; animique molliores quam oportet durioribus inſtituendi* ſunt *exercitationibus. Nobilis adoleſcens ignorat equo*

ANNOTATIONES.

& ad præcluſas veluti à naturâ partes mundi contendunt; ad Zonam torridam, atque ad frigidam & glacialem, ubi *nives* aſperitate ac diuturnitate frigoris *duratæ* ſunt inſtar *ſoli*, vel, *ſolo* aſtringuntur. Vide lib. 1. Od. 22. ſub finem. Et lib. hujus Od. 3. Stroph. 14.

40. *Mercatorem.*] Qui quærit opes, ac paupertatem fugit per mare, per ſaxa, per ignes.

Horrida callidi Vincunt æquora navitæ?] Sic Mare Glaciale, ſic Bonæ Spei quod vocant promontorium, ubi horrorem faciunt omnia, quotidiè tamen tentatur atque ſuperatur.

42. *Magnum pauperies opprobrium, &c.*] Ex opinione vulgi ſcilicet. Nam longè aliter ſentiunt vel Ethnicorum ſapientes. Vide Apuleii Apolog. ubi, *Paupertas*, inquit, *etiam Populo Romano Imperium fundavit, &c.*

44. *Arduæ.*] Heſiodus ait viam ad virtutem longam eſſe & arduam, ſaxiſque aſperam, Deóſque velle eam ſudore parari.

45. *Vel nos in Capitolium, &c.*] Ex ante dictis rectè concludit: ſi opes non juvant, imò impedimento ſunt bonis moribus, certè debemus eas abjicere: itaque, ut ex malis boni aliquid faciamus, deferamus eas ad Jovem Capitolinum, ad ornatum templi. Ac ſi minus movet nos religio Deorum, at moveat ſaltem honos & gloria nominis noſtri. Nam illuc *vocat* & proſequetur nos *clamor & turba faventium.* Iſtæ nempè donationes magno populi applauſu fiebant, quaſi triumphum parantis ei qui cupiditates ſubegiſſet. Petron. *Ipſe Senatus recti bonique præceptor mille pondo auri promittere ſolet Capitolino.* Sueton. Octav. cap. 30. *In cellam Capitolini Jovis ſedecim millia pondo auri, gemmaſque ac margaritas quingenties H. S. unâ donatione contulit.*

47. *Vel nos in mare proximum, &c.*] Sic Crates Philoſophus Thebanus magnum auri pondus in mare dejiciens aiebat: Abite peſſum, malæ cupiditates; vos eo mergam, ipſe ne mergar à vobis.

48. *Gemmas & lapides.*] Gemmæ pellucent, lapides minimè, margaritæ nec inter gemmas, nec inter lapillos cenſentur.

Aurum inutile.] Vel nihil juvans ad beatè vivendum; vel quo non utimur, per avaritiam defraudentes genium.

49. *Materiam mali.*] *Lycurgus aurum argentúmque velut omnium ſcelerum materiam ſuſtulit.* Juſtin. lib. 3. Ovid.

———*Opes irritamenta malorum.*

51. *Eradenda cupidinis, &c.*] Tull. Tuſc. 4. n. 24. *Cum eſt concupita pecunia, nec adhibita, continuò ratio quaſi quædam Socratica medicina, quæ ſanet eam cupiditatem, permanat in venas, & inhæret in viſceribus illud malum, exiſtitque morbus & ægrotatio, quæ avelli inveterata non poſſunt; eique morbo nomen eſt avaritiæ.*

Cupidinis Pravi.] Pravè quidam legunt *pravæ.* Cupidinem pro cupiditate in genere maſculino uſurpat Horatius, lib. 2. Od. 16. v. 15. *Cupido ſordidus*, & Satir. 1. v. 61.

Pars hominum decepta cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, inquit.

52. *Elementa.*] Primordia. Juv. Sat. 14. v. 123.

Sunt quædam vitiorum elementa.

52, 53, 54. *Teneræ nimis Mentes aſperioribus Formandæ ſtudiis.*] Vel à teneris, ut aiunt, unguiculis: vel ad laborem reſque duras & aſperas *formandæ* ſunt mentes nimis effœminatæ & delicatæ. Vide Oden 2. hujus libri.

54. *Neſcit equo rudis Hærere, &c.*] Generoſus ac nobilis puer (proh dedecus!) neſcit equitare, timétque venari: ſcit verò & amat

inſiſtere haud aſſuetus, ac venari fugit peritior ludere; ſive magis placuerit aleâ legibus prohibitâ: dum parens fide perjuriò fractâ defraudat conſortem ſocium & hoſpitem; atque divitias accumulat hæredi immerito. Nimirùm iniquæ augeſcunt opes: veruntamen aliquod ſemper deeſt anguſtis bonis.

Hærere ingenuus puer,
Venaríque timet; ludere doctior
Seu Græco jubeas trocho,
Seu malis vetitâ legibus aleâ.
Cûm perjura patris fides
Conſortem ſocium fallat et hoſpites; [639]
Indignóque pecuniam
Hæredi properet. Scilicet improbæ
Creſcunt divitiæ; tamen
Curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei.

ANNOTATIONES.

ludere mollioribus ludis Græcorum. De Romanis exercitationibus ingenuo juvene dignis, vide lib. 1. Ode 8. De venatione lib. 1. Epiſt. 18. v. 49. ita canit:

Romanis ſolemne viris opus, utile famæ
Vitæque, & membris.———

57. *Græco trocho.*] Duplex fuit trochus: alter dicebatur turbo, eratque *buxum volubile* ſenticâ agitari à pueris ſolutim; de quo Virg. Æneid. 7. v. 378. Alter ludus trochi erat, circuli cujuſdam ferrei vel ænei impulſio, artem requirens ac ſtudium; neque ſolis conveniebat pueris. De hoc videtur loqui noſter iſtic ut & ad Piſones Epiſt. v. 380. ubi rem vide fuſiùs explicatam in annotationibus noſtris.

58. *Vetitâ legibus aleâ.*] In Saturnalibus permittebatur alea, menſe Decembri: reliquis anni menſibus probroſa erat; puniebatúrque legibus Corneliâ, Publicâ, Titiâ. Ædilibus ea cura incumbebat. Cicer. Philip. 2. *Licinium de aleâ condemnatum colluſorem ſuum reſtituit.* Vide Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 21. & quæ annotabo ad lib. 1. Epiſt. 18. v. 21. ad has voces:

Quem præceps alea nudat.

59. *Cùm perjura patris fides, &c.*] Dum puer indulget mollibus & futilibus ſtudiis, interim pater ei congerit opes per fas & nefas, quas malè partas malè dilapidet. Nam ille ſocietatis fidem atque hoſpitii jura violare non dubitat.

60. *Conſortem ſocium.*] Has voces alii ſeparant explicantque *conſortem* cohæredem; *ſocium* qui negotiationis ſocietatem ac fœdus initio contractum fecit. Alii jungunt & ad unam poſteriorem ſententiam referunt. Nempè conſors vocatur, qui tantumdem ſortis ad mercaturam confert. Nam prima pecunia in ſocietatem, ut lucrum inde fiat, collata ſors & caput nuncupatur: quod verò ex illâ per communem negotiationis laborem accedit accreſcitque, corpus ſocietatis vocitant. Itaque ille fallit conſortem ſocium, cum ſubtrahit quidpiam è ſocio, & in privatam rem convertit id quod eſſe commune oportuit. Cicero pro Sexto Roſcio: *Rectè majores noſtri eum, qui ſocium fefelliſſet, in bonorum virorum numero habendum nullo modo putaverunt.* Vide eundem pro Publio Quinctio. Animadverte porrò quot & quanta mala committat ille avarus pater. 1. Periculis & laboribus ſe conficit. 2. Paupertatem eſſe malum ſtultè credit. 3. Omne fas violat quæſtûs causâ. 4. Pravo exemplo filium corrumpit. 5. Seipſum defraudat victu neceſſario, *inter opes inops.*

64. *Curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei.*] Nam *multa petentibus deſunt multa.* Suprà Od. 16. in fine. Benè Seneca in Hercule Oetæo. v. 625.

Cupit hic gazis implere famem:
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Iſtri; nec tota ſitim
Lydia vincit; nec quæ Zephyro
Subdita tellus, ſtupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum;
Nec ſi totus ſerviat Hebrus,
Ruráque dives cingat Hydaſpes;
Intráque ſuos currere fines
Spectet toto flumine Gangem.
Avidis, avidis Natura parum eſt.

ODE

ODE XXV.

Ad BACCHUM.

Se afflatu ejus de Auguſto eximia dicturum.

QUO me, Bacche, rapis tuî
Plenum? Quæ nemora aut quos agor in ſpecus, [340]
Velox mente novâ? Quibus
Antris egregii Cæſaris audiar
Æternum meditans decus
Stellis inſerere et concilio Jovis?
Dicam inſigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. Non ſecus in jugis
Exſomnis ſtupet Evias,
Hebrum proſpiciens, et nive candidam
Thracen, ac pede barbaro
Luſtratam Rhodopen; ac mihi devio [341]

Quò me agis, Bacche, te repletum? Quas in ſilvas atque antra præceps rapior ſpiritu inſolenti? Quibus ſpeluncis meditabor immortales honores Auguſti, ut audiar inſerens illum ſideribus ac Jovis concilio? Canam ſplendores novos, necdum ab aliis celebratos. Haud aliter attonita eſt Baccha, in montibus expergiſcens, cùm cernit Hebrum & Thraciam nivibus albeſcentem, atque Rhodopen pedibus barbarorum peragratam. Quàm placet mihi longè aberranti

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 3. Lib. 1.

1. *Quo me, Bacche, rapis, &c.*] Ad quid me rapis, méque ſuprà me tollis? Inſtruis me ſcilicet ad canendas Divi Auguſti laudes; quod ſine divinâ ope nequaquam tentarem. De Baccho vide lib. 2. Od. 19. ibique annot. Auguſti elogia perſequitur Horatius lib. 1. Od. 12. l. 3. Od. 5. 14. l. 4. Od. 5. 14, 15. l. 2. Ep. 1.

2. *Quæ in nemora.*] Lib. 2. Epiſt. 2. v. 77.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes
Rite cliens Bacchi. ———

Item,

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

3. *Mente novâ.*] Divino inſtinctu, dicendi facultate pluſquam humanâ. Adverte, ſtudioſe Lector, inciſam paſſim orationem. Talis enim entheum decet.

Quibus Antris, &c.] Quibus in locis à turbâ ſemotis, ſacriſque animo ſoluto meditabor dignos Auguſto verſus; quibus illum cœlo conſociem? Vide ſuprà Od. 5. Stroph. 1. ibique annot.

6. *Concilio Jovis.*] Deorum cœtui. Fingunt enim Jovem in gravioribus Deos convocare & conſulere. Vide Homer. Iliad. 20.

8. *Indictum ore alio.*] Seu quòd primus Latinorum Horatius Lyrica ſcripſerit, ſeu quia Auguſti geſta & virtutes ſunt quid novum ac inauditum, adeoque mortalium nemini cognita aut relata ſunt adhuc ejus inſignia.

Non ſecus in jugis, &c.] Tantus me ſtupor divina Cæſaris encomia canere meditantem corripit, quantus invadit Bacchas è furore divino & ſomno exſolutas. Vel tanto ardore aggredior Auguſti laudes, quanto Bacchæ Orgia.

9. *Evias.*] Bacchi ſacrificula, ab Evio Bacchi cognomine, de quo lib. 1. Od. 18. v. 9. *Exſomnis*, vel: excitata ab eo ſomno, qui poſt divinum furorem occupare ſolet, animoque tranquillitatem reddit. Vel, pervigil; noctu enim celebrantur Orgia, in Thraciæ præſertim montibus. Unde & mox Hebri Rhodopeſque mentio.

10. *Hebrum.*] Hic Thraciæ fluvius oritur à monte Rhodope non procul Adrianopoli, labitur in Ægeum mare, è regione inſulæ Samothraciæ, volvens aureas arenulas. Solin. lib. 15. De eo jam lib. 1. Od. 25. v. ultimo.

Nive candidam Thracen.] Regio hæc frigidiſſima nunquam non habet nives, *nec cœlo læta, nec ſolo*, ex Pomp. Mela. Inter alios montes tollit *Rhodopen*, incoliturque gente, cui velut inſita à naturâ barbaries. Vide lib. 1. Od. 27.

11. *Pede barbaro Luſtratam Rhodopen.*] Hîc ſubtiliores aliqui afferunt Orpheum *pede barbaro*, id eſt, carminibus, illuſtrantem Thraciam ſuam patriam, & in eâ montem Rhodopen: eo ſenſu, ut tam ſit omnibus admirabilis Horatius Auguſti laudes celebrans, quam Bacchis Thrax Orpheus canens, & ob cantum toto orbe nominatus. Sed O commentum, quod noſtrum etiam Poëtam latuiſſe credendum eſt!

12. *Ac mihi devio, &c.*] Afflatus numine Horatius duntaxat ea loquitur, quæ meditabundum juvant Poëtam, deſertas regiones, ſpecus, rupes, nemora.

admirari cautes & ſilvam deſertam! O Rex Naiadum & Baccbantium altas fraxinos manibus revellere potentium, nihil exiguum aut vile, nihil humanum canam. Suave eſt periclitari, O Bacche, ſequendo numen quod circumdat caput virenti palmite.

Rupes et vacuum nemus
 Mirari libet! O Naïadum potens,
Baccharúmque valentium
 Proceras manibus vertere fraxinos;
Nil parvum, aut humili modo,
 Nil mortale loquar. Dulce periculum eſt,
O Lenæe, ſequi Deum
 Cingentem viridi tempora pampino

ANNOTATIONES.

13. *Rupes.*] Sic appoſitè Muretus doctis viſus correxiſſe, quia *rupes* ad rem convenientiores: cùm tamen plerique codices habeant *ripas*; nec ita abſurdè, ut quidam volunt. Nam & flumina & fluminum ripæ ad ſolitarium & cogitabundum pertinent.

14. *O Naïadum potens, &c.*] Quòd aquis vinum eſt potentius ac validius, hinc veteres Naïadum, id eſt, Nympharum fluminibus præſidentium Regem finxêre Bacchum.

15. *Baccharum.*] Bacchi ſacerdotum. Quod additur, *valentium Proceras manibus vertere fraxinos,* videtur alluſiſſe Horatius ad id quod ſcribit Euripides in Bacchis Actu 4. cùm evaſiſſet in abietem Pentheus rabiem fugiens Bacchantium, eò ſtatim accurriſſe illas omnes, ac duce Agave ſaxa primum molitas in eum contorſiſſe, poſteà verò ipſam arborem radicitus concuſſiſſe, ac tandem proſtraviſſe.

17. *Aut humili modo.*] Quidam legunt *humile modo.*

18. *Dulce periculum eſt.*] Scio me periculoſum tentare opus & arduum; at, duce Deo, non indignum immortali Cæſare carmen edam.

19. *Lenæe.*] Unum eſt è Bacchi cognominibus, ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, *torculari,* in quo vinum exprimitur. Ex Diod. Sic. lib. 4. cap. 5. & lib. 5. cap. 1. Donatus perperam Latinam commentus eſt orginem, a *leniendo.* Cui & refragatur Servius in Virgil. Georg. 2. 4.

20. *Cingentem viridi tempora pampino.*] Hoc & ſuos clientes, & ſeipſum coronare amat Bacchus. Infra lib. 4. Od. 8.

Ornatus viridi tempora pampino.

ODE XXVI.

Ad VENEREM.

Ut Chloës arrogantiam coërceat.

Haud ita pridem vigebam aptus virginibus, nec ingloriùs bellavi. Jam arma & perfunctam militia iſtâ lyram tenebit murus ille, qui ſtipat latus

VIXI puellis nuper idoneus, [342]
 Et militavi non ſine gloriâ.
Nunc arma, defunctúmque bello
 Barbiton hic paries habebit,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Od. 9. Lib. 1.

1. *Puellis nuper idoneus.*] Jam verò annos quadraginta natus ab eis contemnor; quare ab iſtâ militiâ ceſſare debeo in poſterum. Vide lib. 1. Od. 9. lib. 4. Od. 1.

2. *Militavi.*] Ovid. Art. Am.

Militat omnis amans: & habet ſua caſtra Cupido.

3. *Nunc arma, &c.*] Jam abjicienda mihi ſunt arma, atque ex more ſuſpendenda in templo Veneris, ſignalia, vectes, arcus.

4. *Barbiton.*] Verſus lyricos & amatorios. De hoc inſtrumento muſico, lib. 1. Od. 1.

4, 5, 6. *Paries habebit, Lævum marinæ qui Veneris latus Cuſtodit.*] Quia fortunatus fui in eâ Veneris militiâ, hinc volo ſuſpendi arma mea congruo loco & meæ felicitatis indice. Videlicet ſtatuæ Deorum meridiem aſpiciebant, proindeque occaſum habebant ad dextram, ortum ad ſiniſtram: porrò ex Etruſcâ diſciplinâ pars orientalis boni ominis erat, ideoque fauſta quælibet ad ortum auguria & auſpicia habebantur. Unde Virg. *intonuit lævum.* Seu quòd ea erat Horatii dextra ad Veneris imaginem converſi, & pars quoque templi dextra: quæ quidem ſemper felix cenſetur. Hinc igitur ad lævum ſimulacri

Lævum

Lævum marinæ quæ qui Veneris latus
Cuſtodit. Hic, hic ponite lucida
Funalia, et vectes, et arcus
Oppoſitis foribus minaces.
O, quæ beatam, Diva, tenes Cyprum, et [343]
Memphim carentem Sithoniâ nive,
Regina, ſublimi flagello
Tange Chloën ſemel arrogantem.

ſiniſtrum Veneris maritimæ. Iſtic, iſtic deponite faces accenſas & vectes, & arcus præcluſis januis minitantes. O Dea, quæ fortunatam obtines Cyprum atque Memphim nivibus Sithoniis immunem regis, ſemel feri ſuperbam Chloën elato flagello.

ANNOTATIONES.

Veneris latus, hoc eſt, ad dextrum fani parietem arma collocat, quibus non ſine gloriâ militârat.

5. *Marinæ Veneris.*] E maris ſpumâ genitæ: ut fabulantur. Heſiod. Theogon. Inde Græcum nomen Ἀφροδίτη, nam ἀφρὸς, *ſpuma* dicitur.

7. *Funalia.*] Noctu amatores ad amicarum fores, accenſis facibus pergebant, atque illas, his demum extinctis, occentabant, Perſ. Sat. 5. v. 166.

Chryſidis . . . . . ante fores extincta cum face canto.

Vide ſuprà Od. 10. hujus libri.

Vectes, & arcus, &c.] His ſcilicet armis atque inſtrumentis quatiebant effringebantque fores meretricum occluſas. Vide ſupra Ode 14. ſub finem. Et lib. 1. Ode 25. Apud Terent. in Eunucho, Thraſo Thaidis ædes expugnaturus, *Procede*, inquit, *huc cum vecte.* Bellè Cato vecticulariam appellat vitam furum, qui vecte parietes domorum ſoleant perfodere.

4. *Beatam Cyprum.*] Inſulam, de qua lib. 1. Ode 3.

Beatum.] Vel opibus, vel patrocinio Veneris.

10. *Memphim.*] Ægypti urbem, in qua celebre Veneris templum, teſte Strabone, lib. 17.

Carentem Sithoniâ nive.] Ea regio utpote fervida non habet nives, ut Sithon Thraciæ mons. Virg. Eclog. 10.

Sithoniaſque nives hyemis ſubeamus aquoſæ.

11. *Regia.*] Mentium dominatrix Venus.

Sublimi flagello, &c.] Ictu vehementiori percute; faſtidium Chloës & ſuperbiam tibi ingratam ulciſcere: ferociam elide. Animadverte porrò amantium levitatem ac ſtultitiam. Videbatur Horatius primò velle amores abjicere; ecce verò, ſeu amans, ſeu iratus, ſupplicat Veneri, ut frangat Chloës arrogantiam, eamque tangat, à quâ ipſe ſpernebatur.

ODE XXVII.

Ad GALATEAM.

Eam à navigando deterret, præſertim exemplo Europæ.

IMPIOS parræ recinentis omen
Ducat, et prægnans canis, aut ab agro [344]

Sceleratos deducat augurium parræ cantum iterantis, & canis gravida, vel lupa ruſa

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2. lib. 3.

1. *Impios parræ, &c.*] Hæc Ode præ cæteris involuta multum negotii ſemper Interpretibus faceſſivit; multum quoque habet gravitatis & elegantiæ. Quæ & qualis ſit Galatea illa, & cur ita ſtudioſè ad eam ſcribat Horatius, haud notum eſt.

Impios parræ recinentis omen Ducat, &c.] Impii iter facturi triſte quodlibet auſpicium habeant, pro ſuo malo merito: tibi verò, Galatea, fauſta quæcomque adſint.

Parræ.] Inaratæ & infauſtæ fuit vocis parra avis; quæ verò fuerit, illa, minimè liquet. Quibuſdam *meſange*, aliis *vanneau*, aliis aliter appellatur, Angl. a Jay. Plin. lib. 11. 37. init. *voluc ribus apices diverſi quidem generis: Phœnici plumarum ſerie . . . . Phaſianæ corniculis: præterea parræ* (alii tamen legunt, *parvæ*) *quæ ab illo galerita appellata quondam, poſtea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dedit alaudæ. Dedit cirros Pico quoque Martio, &c.* Lib. verò 18. cap. 29. manifeſtè ac disertè ſcribit, *avem parram, oriente Sirio, ipſo die non apparere, donec occidat.*

Recinentis.] Quædam aves cantu omen faciebant, ut noctu, corvus, cornix, picus, parra; hinc oſcines, quaſi oricines: aliæ volatu & alis, unde alites ac præpetes dictæ; ut aquila, vultur, milvus, accipiter, aliæque altum volantes. Virg Æneid. 3. v. 361.

Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

2. *Prægnans canis, aut, &c.*] Veteres ſuperſtitioſi multa quidem ominoſa exiſtimabant

veniens ab agro Lanuvino, & vulpes catulos enixa. Anguis quoque viam inceptam remoretur, cùm velut ſagitta è tranſverſo equis pavorem injecit. Ego cui metuam augur prævidens futura?

Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fœtáque vulpes:
Rumpat et ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquum ſimilis ſagittæ
Terruit mannos. Ego cui timebo
Providus auſpex?

ANNOTATIONES.

nullâ aut levi ratione; ut ſi quid malè ceſſerat, cùm v. g. prægnans canis occurriſſet, inde talem occurſum deinceps habuerunt infelicem & mali ominis. Ejuſmodi plurima profert hîc Poëta noſter. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13, &c.

3. *Lanuvino.*] Pro quolibet poſitum quibuſdam videtur; non ita verò aliis, eo quod per illud ad viam Appiam oppidulum iter erat Galateæ Brunduſium pergentis ad conſcendendam ibi navem. Res exigui momenti.

5. *Rumpat & ſerpens, &c.*] Græcis ἀκοντίας, Latinis *jaculus*, ſerpentis genus eſt, ex arboribus in prætereuntes ſeſe vibrantis ad modum ſagittæ. Ælian. l. 6. hiſt. animal. c. 18. Plin. l. 8. c. 23. *Vulgatum eſt*, inquit, *jaculum ex arborum ramos vibrari, nec pedibus tantum cavendas ſerpentes, ſed & miſſili volare tormento.*

6. *Similis ſagittæ.*] Nolunt hîc intelligi miſſilem ex arcu ſagittam; quanquam nihil vetat, ut patet ex annot. præced. At placet indicari eam ſurculi partem in vitibus poſtremam & ſuperiorem, quæ incurva & contorta ſerpentem refert, vocaturque ſagitta. Columell. l. 3. c. 17. Plin. l. 17. c. 21. *Sagittæ vocantur* ſurculi, *cùm intorti panguntur . . . ſagittas ſerere minus utile, quoniam in transferendo facile rumpitur quod intortum fuit.*

7. *Terruit mannos.*] Exterruit equos currum trahentes, in eos inſiliens, eo modo quo mox explicuimus. *Mannus* vocatur equus minor ad manum facilis & obſequens. Torrentio eſt gradarius equus, tolutim & ſine equitis moleſtiâ decurrens.

Ego cui timebo Providus auſpex?] Ita ferè omnes codices. Senſus eſt; non eſt quod timeam tibi, Galatea; cùm nullo ſis crimine obſtricta, felici exitu ut & auſpicio fluent tibi omnia: nec non fauſtum tibi augurium & ego precabor navigare cupienti; ſis ubique felix. Quòd ſi liceat aperire quod ſentio, malim certè, cum eruditis nonnullis, interrogationis notam expungere, & continuato ſenſu & oratione, jungere cum ſequentibus hoc ſenſu: Ego Horatius, ſi cui timebo auſpex providus (ut tibi navigaturæ timeo, Galatea) huic *prece ſuſcitabo oſcinem ab ortu Solis corvum*, quo deterreatur à conſcendendo mari, iſto ſcilicet malo augurio. Vide mox annotanda.

8. *Auſpex.*] Is augurium captans ſedebat capite velato: lituum ſine nodo tenens aduncum, quo cœli regiones & certa ſpatia notabat, quibus videnda ad ſe pertinere deſignabat, &c. Alex. ab Alex. ante cit. Quam verò mundi partem ſpectabat augur? hinc enim pendet multarum ſolutio quæſtionum, nimirum ubi dextra pars, ubi læva conſtituenda; adeóque quod felix, quod infelix omen. Primi Rom. Augures orientem ſpectârunt ab Albanis & Latinis edocti. Patet ex Virg. Æn. 8. v. 61. Æn. 12. 172. Subinde verò, ex Hetruſcâ diſciplinâ, ad meridiem converſi omen capiebant & auſpicium. Vide Varron. lib. 6. Plin. lib. 1. c. 54. Quæ cùm ita ſint, ortus Solis erat eis ad lævam, occaſus ad dextram: ergo quod mox ait Horatius, *Corvum ab ortu Solis oſcinem*, ſiniſtrum infelixque augurium denotet. Adde quòd vulgò putabantur auſpicia corvi dextri fauſta, lævi infelicia: cornicis contra. Plaut. Aſinar. infra citand. Item Aulul. Scen. 20. *Non temere eſt quod corvus cantat mihi nunc ab læva manu, &c.* Cic. de Divin. 1. *Quid augur, cur à dextra corvus, à ſiniſtrâ cornix faciat ratum?* Et antea. *Panætius requirit Jupiterne cornicem à lævâ, corvum a dextrâ canere juſſiſſet?* Et de Divin. 2. v. 81. *Cur aliis à dextrâ, à læva datum eſt avibus, ut ratum auſpicium facere poſſint?* Verum enimvero *magna hujus obſervationis vanitas*, ut ait ipſe Plin. modò cit. Et Cic. de Divin. 2. n. 82. *Quæ autem eſt inter Augures conveniens & conjuncta conſtantia? Ad noſtri augurii conſuetudinem, dixit* Ennius.

Cum tonuit lævum bene tempeſtate ſerenâ.

At Homericus Ajax, apud Achillem querens de ferocitate Trojanorum, neſcio quid hoc modo nunciat:

Proſpera Jupiter his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis ſiniſtra, Graiis & Barbaris dextra meliora eſſe videntur. Quanquam haud ignoro quæ bina ſint ſiniſtra nos dicere, etiamſi dextra ſint. Sed certè noſtri ſiniſtrum nominaverunt (quod a ſinendo dictum putant) *externique dextram, quia plerumque melius id videbatur.* Vide Juſt. Lipſ. Elect. 2. c. 2. Ex his, Lector, vides non abſurdam quoque ſententiam priorem illorum, qui corvum oſcinem ab ortu felix augurium fuiſſe ſcripſerunt, tametſi ad lævam eſſet: ubi & diſtinguendam aiunt inter Auguris dextram manum lævamque, & mundi partem dextram ac ſiniſtram, cum Poëtæ nunc hoc nunc illo modo loquantur. Adde Plutarchum in quæſt. Centur. Rom. ita ſeri-

Antequàm ſtantes repetat paludes [345]
Imbrium divina avis imminentum, [346]
Oſcinem corvum prece ſuſcitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix ubicumque mavis,
Et memor noſtri, Galatea, vivas;
Téque nec lævus vetet ire picus,
Nec vaga cornix.
Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion? Ego quid ſit ater
Adriæ novi ſinus, et quid albus
Peccet Iapyx.
Hoſtium uxores puerique cæcos [247]
Sentiant motus orientis Auſtri, et
Æquoris nigri fremitum, et trementes
Verbere ripas.

Priuſquàm avicula pluviæ proximæ prænuncia redeat ad paludes minimè fluentes, votis vocabo corvum ab oriente canentem. Eſto fortunata ubicunque volueris, ô Galatea, & vive noſtri memoriam ſervans: & te nec pergere impediat ſiniſter picus, nec cornix vagabunda. At crnis quanto fragore properet Orion declivis? Ego ſcio quàm periculoſum ſit Adriaticum mare, neque fallat Iapyx ſerenus. Conjuges & filii hoſtium experiantur occultos motus Auſtri ſurgentis, & tumultus atri maris, ac litora ictibus fluctuum concuſſa.

ANNOTATIONES.

bentem: *Cur avis ſiniſtra eſt ſecunda? . . . Nam ſiniſtrum lævum ſignificat. Poteſt etiam deduci à verbo ſinere. Eam igitur quæ rem ſinit avem . . . vocat vulgus ſiniſtram. Cur vero? An quod Æneæ in acie contra Mezentium ſtanti fulgur à ſiniſtrâ victoriæ index micaſſet, in augurium id verterunt; ac deinceps ita obſervant? Etenim Thebani cum ſiniſtro ſuo cornu ad Leuctra hoſtem profligaſſent, deinde obſervârunt ut in omnibus conflictibus ſiniſtro cornu imperium tribuerent. An potius, ut auctor eſt Juba, reſpicientibus orientem Aquilo ad ſiniſtram eſt, quam mundi partem dextram & ſupremam habent . . . An quia terreſtria & caduca cœleſtibus & divinis cum ſint oppoſita, putabant nobis ea quæ ſiniſtra ſunt, Deos à dextrâ oſtendere?* Vide & Arnob. l. 4. paulò poſt init. ubi *læva naturâ eſſe ulla* negat egregiè. Nec omitte quod Non. Marcell. docet; aliquando etiam *lævum* in bonam partem, & à levando dici.

9. *Antequàm ſtantes repetat paludes*, &c.] Antequàm tempeſtatem denunciet cornix ad paludes ſuo more volitans ac ſedens: ibique præſentiens imbrem divinánſque & voce indicans. Suprà Ode 17. *aquæ augur cornix* dicitur. Vide ibi annotata.

11. *Oſcinem corvum*, &c.] Ore futura præcinentem, Vide Gell. l. 6. c. 6. Plin. l. 10. c. 12. *Peſſima corvorum ſignificatio, cum glutiunt vocem velut ſtrangulati.* Et l. 18. c. ult. *corvi ſingultu quodam latrantes, ſéque concutientes, ſi continuabunt, ventos; ſi vero carptim vocem reſorbebunt, ventoſum imbrem præſagiunt.* Contra ſi ab ortu clarè vocem ediderit corvus, felix auſpicium fuiſſe narrant quidam. Vide ſupra annot.

15. *Nec lævus vetet ire picus, Nec vaga cornix.*] Plaut. Aſinar. Scen. 4. *Picus & cornix ab lævo eſt: corvus porro* (aliàs parra) *à dextrâ; conſuadent*, Plin. lib. 10. c. 12. *Cornix inauſpicatæ eſt garrulitatis, à quibuſdam tamèn laudata.* Id. eod. l. c. 18. *Pici* (Gallice *piverts*) *Martio cognomine, inſignes & magni in auſpiciis . . . . Ipſi, principales Latio ſunt in auguriis à Rege quo nomen huic avi dedit. Unus eorum in capite Prætoris urbani L. Tuberonis in foro jura pro tribunali reddentis, ſedit ita placide, ut manu prehenderetur. Reſpondere Vates, exitium Imperii portendi, ſi dimitteretur; at, ſi exanimaretur, Prætori. Et ille avem protinus concerpſit; nec multò poſt implevit prodigium.* C. Cœlio ſive Lælio id tribuit Frontinus in Stratagem.

17. *Sed vides quanto*, &c.] Attamen, ô Galatea, ne temere te perfido committas mari: animadverte imminentem ab Orione tempeſtatem.

18. *Pronus Orion.*] Devexus, ad occaſum vergens. De eo lib. 1. Ode 28. v. 21. lib. 2. Ode 23. in fine.

Ego quid ſit ater Adriæ novi ſinus, &c.] Cave etiam & time Adriatici maris navigationem. Hujus ego pericula ſum expertus, inquit Horatius, cùm Athenas profecturus, conſcendi mare Brundufii. Tunc etiam intellexi *quid albus peccet Iapyx*, quàm ſæpe fallat & decipiat ventus ille flans ex Apuliâ, in Græciam pergentibus initio propitius, at repentè è cœlo ſereno procellas ciens, & naufragia parans. De eo lib. 1. Od. 3. v. 4.

21. *Hoſtium uxores*, &c.] In hoſtes vertantur & irruant mala quæque: à Galatea avertantur.

Cæcos Sentiant motus orientis Auſtri.] Meridianum hunc ventum ignorat nemo valdè eſſe procelloſum.

Cæcos motus.] Quidam interpretantur, nocturnos, eo quod *noctu Auſter, interdiu Aquilo vehementior . . . . & Auſtro majores fluctus*

Ita etiam Europa fallaci tauro commiſit latus candidum; atque mare beſtiis refertum & apertos dolos expavit antè imperterrita. Paulo ante flores in pratis colligens, texenſque corollas Nymphis meritas, noctè parum lucidâ nihil aſpexit niſi ſidera & aquas. Cum verò pervenit ad Cretam centenis urbibus validam, irâ percita ait: O parens, nomen à filiâ neglectum, & pietas etiam *relicta! Unde & quo deveni? Unica mors* pœna *eſt minor flagitio virginum. An experrecta fleo crimen fœdum? An ſcelere immunem* me *decipit ſpecies inanis, quæ dilap-*

Sic et Europe niveum doloſo,
Credidit tauro latus, et ſcatentem
Belluis pontum mediáſque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis ſtudioſa florum, et
Debitæ Nymphis opifex coronæ,
Nocte ſubluſtri, nihil aſtra præter
Vidit et undas.
Quæ ſimul centum tetigit potentem [348]
Oppidis Creten: pater ô relictum
Filiæ nomen, pietáſque! dixit
Victa furore;
Unde? Quò veni? Levis una mors eſt
Virginum culpæ. Vigilánſne ploro
Turpe commiſſum? An vitio carentem
Ludit imago

ANNOTATIONES.

eduntur. Plin. lib. cap. 47. in fine. Alii legunt *orientis Hœdi.* De Hœdorum exortu tempeſtuoſo, vide annot. hujus libri Od. 1. Stroph. 7. Nunquid verò ſagax Poëta junxiſſet Hœdorum ortum cum occaſu Orionis, quem modo attulit; Hic ſiquidem longè eſt poſt illum. Verumtamen quid vetat Horatium Galateæ interminari Orionis, hoſtibus verò Hœdorum malignitatem?

25. *Sic & Europe, &c.*] Vide ne tibi contingat id quod contigit Europæ. Hæc manſuetam & amabilem taurum conſpicata, non eſt verita ejus tergo inſidere, atque etiam maris inire fluctus & inambulare. At pœnituit ſeriùs, cum ſe avectam longius ſenſit. Sic tu, Galatea, placidum nunc mare ultro conſcendis: at mox pœnitebit te, cum turbatum ac procellis elatum intuebere. Europa à Jove in tauri formam converſo decepta, avecta, vitiata eſt; tu ab Iapyge Auſtróque, ventis, & ab Orione Hœdóque ſideribus noxiis poteris falli. Vide Herodot. Diodor. Sicul. lib. 6. cap. 15. Ovid. Metamorph. 2. Fab. ult. & Faſt. 5. Apollodor. lib. 3.

Niveum latus.] Candore inſignis Europa celebrata eſt.

27. *Mediáſque fraudes Palluit audax.*] Quæ audacter ac ſine ullo metu tauri dorſum inſcenderat, tum expalluit cùm in alto mari nil præter undas & marina monſtra aſpexit. Hæc & quæ ſequuntur è Moſcho tranſtulit Horatius, pariterque Ovidius, aliique. Scripſit Theod. Marcilius è Theocrito, quoniam inter hujus opera, Eidyll. 19. reperitur inſcriptum *Europa*; quod tamen Moſchi eſſe non eſt ambigendum.

29. *Nuper in pratis, &c.*] Legentem pariter flores, cùm rapta eſt à Dite, Proſerpinam exhibent. Ovid. Metamorph. 5. item Lucanus.

33. *Centum potentem Oppidis Creten.*] Homer. ἑκατόμπολιν. Hinc Vir. Æn. 3. de Cretenſibus,

Centum urbes habitant magnas.

Plin. lib. 12. cap. 1. *Eſt Gortynæ in inſulâ Creta juxta fontem platanus una, inſignis utriuſque linguæ monumentis, nunquam folia dimittens: ſtatimque ei Græciæ fabuloſitas adfuit: Jovem ſub ea cum Europâ concubuiſſe.*

34. *Pater ô relictum, &c.*] Tandem planè deceptam ſe intelligens Europa, ſic ingemuit: Miſeram me, quæ inſano tauri amori obſecuta patris domum reverentiámque deſerui!

37. *Levis una mors eſt Virginum culpæ.*] Scilicet irreparabilis eſt jactura virginitatis. Catull. Carm. 60. v. 46.

. . . . *Virgo dum intacta manet, dum cara ſuis eſt:*
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.

40. *Imago Vana, quæ portâ fugiens eburnâ.*] Poſt Homer. Odyſſ. 19. v. 562. alii Poetæ fabulati ſunt, duas eſſe ſomniorum portas, alteram corneam, eburneam alteram: per hanc falſa, per illam vera emitti ſomnia. Vide Virg. Æneid. 6. v. 893. Hujus figmenti rationem alii aliter inveſtigant. Quidam in etymologia rem verſari opinantur: ἐλεφαίρω, inquiunt, eſt *decipio*: hinc vanum eſt inſomnium è portâ, quæ *candenti nitens elephanto*, ut ait Virg. cit. illud autem eſt verum quod è corneâ portâ. Nam à κέρας *cornu*, κεραίνω indeque κραίνω *effectum reddo*. Alii, quòd ebur denſum nihilque dat oculis pervium; at contrà pellucidum cornu eſt: hinc illud nihil oſtendit, hoc verò aliquid exhibet & indicat. Alii

Vana,

Vana, quæ portâ fugiens eburnâ
Somnium ducit? Meliúſne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?
Siquis infamem mihi nunc juvencum [349]
Dedat iratæ; lacerare ferro, et
Frangere enitar modò multùm amati
Cornua tauri.
Impudens liqui patrios Penates!
Impudens Orcum moror! O Deorum
Si quis hæc audis, utinam inter errem
Nuda leones.
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneræque ſuccus
Defluat prædæ, ſpecioſa quæro
Paſcere tigres.
Vilis Europe, pater urget abſens:
Quid mori ceſſas? Potes hâc ab orno
Pendulum zonâ bene te ſecutâ e-
lidere collum.
Sive te rupes et acuta leto [350]
Saxa delectant; age, te procellæ
Crede veloci: niſi herile mavis
Carpere penſum,

ſa per januam eburneam in ſomnium emittit? An ſatiùs fuit longa tranare maria, an flores novos colligere? Si aliquis modò tradat iratæ mihi taurum flagitioſum, conabor ferro diſcerpere ac rumpere cornua juvenci prius dilecti nimium. Sine verecundiâ deſerui paternam domum: ſine pudore cunctor Inferos. O ſi quis Deorum audis iſta, faxis nuda ambulem inter leones. Priuſquam fœda tabes invadat pulchras genas, ac delicatæ prædæ ſuccus dilabatur, cupio formoſa tigres ſatiare. Infamis Europa, abſens pater inſtat: quorſum mori differs? Frangere cervicem potes ab iſtâ orno ſuſpenſam obſequente tibi cingulo. Seu magis placent cautes & ſcopuli ad mortem expeditis age, committe te celeri tempeſtati, niſi penſum dominæ trahere vis tu Regis filia,

ANNOTATIONES.

per ebur, quod dens eſt elephanti, ſignificari os putatur; per cornu verò oculos, quia prima oculi tunica ejus ſpeciem refert; ac proinde hoc aliquid certi continet, illud autem non ita; nam quæ oculis videntur, manifeſta ſunt; ac incerta quæ alieno ore famâque percipiuntur. Vide Euſtath. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 3.

42. *Meliúſne fluctus Ire,* &c.] Id eſt, potuitne igitur vigilanti mihi melius videri tauri dorſo mariſque longi fluctibus me credere, quàm in pratis otioſè ludendo flores colligere? Vix ſanè opinionem ſomnii excutere poſſum, inquit ſtupens Europa.

47. *Multùm amati tauri.*] Huic divinum odorem ſpiranti, aut, ut ait Moſchus, miti, formoſo, blandienti libens colluſit Europa; contrectat, manibus ſpumam ab ore abſtergit, oſculatur, dein & dorſo inſidet. Taurus Europæ lambit collum, ac demulcet puellam. Apud Ovid. autem Metamorph. 2. Fab. 13. ori flores porrigit, cornua ſertis exornat, pectus manu plaudit: gaudet amans. Meminit quoque Cic. de Nat. Deor. 1. n. 79. *Non audeo dicere pulchriorem eſſe me quam ille fuit Taurus, qui vexit Europam.*

50. *Orcum moror.*] Mori differo, morórque debitam Orco prædam tradere.

51. *Utinam inter errem Nuda leones.*] Jam Europa non ſomniaſſe, ſed reipsâ flagitium perpetrâſſe ſe agnoſcens, iram in taurum primò, deinde verò in ſeipſam vertit.

55. *Specioſa quæro Paſcere tigres.*] A feris cito devorari exoptans, nuda & formoſa illis cupit objici; fortaſſe & pœnas luere vult eam, quæ culpæ & turpi commiſſo anſam præbuerat, formam & pulchritudinem. Porro tigres ac leones memorat, quales omnino bellúas Creta non habet aut nutrit: verùm attonitæ, idque citra notam ignoranti, virgini non eſt indécorum.

57. *Pater urget abſens.*] Conſcia mens exprobrantem ſcelus patrem flagitioſæ mihi exhibet durum perinde ac juſtum vindicem: eáque me imago urget & torquet.

58. *Potes hâc ab orno,* &c.] Vitam infamem potes finire laqueo & ſuſpendio vel præcipitio, ſeu in ſcopulos acutos.

63. *Niſi herile mavis Carpere penſum.*] Niſi mavis ſervire, & lanam in fila ducere ab herâ certo pondere traditam ad opus diurnum, tu regio ſanguine prognata: nimirum Agenoris Phœnicum Regis filia: quæ mater fuit Minois ac Rhadamanthi.

Regius

atque dari pellex heræ barbaræ. Lugenti aſtabat Venus improbè ridens, natuſque laxato arcu: poſtquam verò ſatis ludificata eſt, ait: Modum pone furori & ardenti jurgio, quando tibi juvencus odioſus cornua dabit frangenda. Ignoras te eſſe conjugem ſupremi Jovis? Omitte querimonias. Diſce altam ſortem ſuſtinere, ut decet: diviſus mundus tuam feret appellationem.

Regius ſanguis, dominæque tradi
Barbaræ pellex. Aderat querenti
Perfidùm ridens Venus, et remiſſo
Filius arcu.
Mox ubi luſit ſatis, abſtineto
(Dixit) irarum, calidæque rixæ,
Cùm tibi inviſus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Jovis eſſe neſcis?
Mitte ſingultus: bene ferre magnam
Diſce fortunam: tua ſectus orbis
Nomina ducet.

ANNOTATIONES.

66. *Pellex.*] Mariti concubina.

Aderat querenti Perfidùm ridens Venus.] Dum in has querelas erumperet Europa, propè ſtans Venus ridebat virginem dolis quidem deceptam ſuis ac filii Cupidinis, qui cum ſat vulnerum inuliſſet, arcum remiſerat.

69. *Abſtineto (Dixit) irarum, &c.*] Tota hæc ſtrophe ironiam complectitur falſiſſimam.

73. *Uxor invicti Jovis eſſe neſcis?*] Apud Moſchum antè cit. Jupiter ipſe ſe Europæ, qualis ſit, aperit, & conſolationem adhibet, quamvis in tauro latens.

74. *Bene ferre magnam Diſce fortunam.*] Vel tolerare gravem animi dolorem; vel regiam fortunam ſuſtinere ac tueri. Nam ſcribunt quidam Jovem (alii dicunt, Xanthum) Cretæ Regem nave, cui taurus appellatio & inſigne fuit, Europam rapuiſſe, atque ex Phœniciâ in Cretam abductam uxoris loco habuiſſe. Alii paulò aliter, à Cretenſi Rege nomine Tauro, illatis in Phœniciam armis victore Europam regis Cretæ filiam cum aliis puellis captivam eſſe tranſportatam. Vide Euſeb. &c. Cæl. Rhodig. lib. 26. cap. 17. Apud Lycophronem, inquit, taurus qui rapuit Europam, non aliud eſt quàm ταυρόμορφον τύπωμα, id eſt, tauri, formâ præſigne navigium.

75. *Tua ſectus orbis Nomina ducet.*] Orbis in duas vel tres diviſi portiones (nam olim alii aliter ſenſerunt) una pars de tuo nomine appellabitur Europa. Ex vulgatâ opinione. Nam alioquin Herodot. ſcribit, *Nemini mortalium conſtare unde Europa nomen adepta ſit, niſi dicatur ab Europâ Tyriâ (alias Syriâ) nomen accepiſſe regionem antea nomine carentem; illam porrò ex Aſiâ certe fuiſſe, in hanc verò minimè commeâſſe terram, quæ nunc à Græcis vocatur Europa, ſed à Phœnice tantum in Cretam, & è Cretâ in Africam.* Apud Moſchum anteà cit. Idyl. initio, refertur, dum adhuc virgo in Phœniciâ verſaretur Europa, in ſomnis ſibi videre viſa terras duas Aſiam, & alteram ei oppoſitam, de ſe contendentes; muliebri formâ erant: harum altera peregrino vultu & habitu; altera ſimilis erat indigenæ, atque, ut filiam magis vindicabat, quòd eam genuiſſet ac nutriviſſet; verum altera validis contendens manibus trahebat non invitam, quòd eo ſibi fato deſtinata eſſet, &c.

Sectus orbis.] Fama fuit orbem quondam totum continentem extitiſſe; at irrumpente ſubinde ad Herculis columnas Oceano ſectum ac diviſum? & hinc mare Mediterraneum eſſe. Plin. lib. 2. cap. 90. *Oceanus in totum abſtulit terras. Primùm omnium ubi Atlanticum mare eſt, ſi Platoni credimus, immenſo ſpatio.* Et l. 3. Proœm. *Africæ Abyla, Calpe Europæ clauſtra, laborum Herculis metæ. Quam ob cauſam columnas ejus Dei vocant indigenæ; credúntque perfoſſas excluſa anteà admiſiſſe maria, & rerum naturæ mutaſſe faciem.* Et cap. 1. rursùm. *Oceanus*, inquit, *hoc quod dictum eſt ſpatio Atlanticum mare infundens, & avido meatu terras, quæcunque venientem expavêre, demergens, reſiſtentes quoque flexuoſo litorum anfractu lambit, Europam vel maximè receſſibus crebris excavans.*

ODE

ODE XXVIII.

Ad LYDEN.

Diem Neptuno ſacrum hilariter eſſe tranſigendum.

FESTO quid potiùs die [351]
  Neptuni faciam? Prome reconditum,
Lyde ſtrenua, Cæcubum,
  Munitæque adhibe vim ſapientiæ.
Inclinare meridiem [352]
  Sentis? ac, veluti ſtet volucris dies,
Parcis deripere horreo
  Ceſſantem Bibuli Conſulis amphoram?
Nos cantabimus invicem
  Neptunum et virides Nereïdum comas:
Tu curvâ recines lyrâ
  Latonam, et celeris ſpicula Cynthiæ:
Summo carmine, quæ Cnidon
  Fulgentéſque tenet Cycladas, et Paphon

*Quid melius agam die Neptuno ſacrâ? Profer, Lyde cita, Cæcubum remotum, atque ſeveritati obfirmatæ vim infer. Vides mediam diem recedere: & tamen cunctaris detrahere ex apothecâ inutilem cadum Bibulo Conſule con*ditum; *quaſi conſiſtat tempus fugax. Age alternis canemus Neptunum, & cæruleos Nereïdum capillos. Tu citharâ incurvâ ſæpiùs cantabis Latonam, atque tela Dianæ velocis. Ultimo cantu* dicetur Venus, *quæ Cnidum obtinet & Cycladas emicantes, atque junctis*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. Lib. 1.

1. *Feſto quid potiùs die, &c.*] Quid aptius & convenientius diei feſtivo, quam genio indulgere?

2. *Neptuni.*] Hujus feſtum agebatur Romæ die Julii vigeſimâ tertiâ. Meminit Plin. lib. 18. cap. 12. Athenis autem dies octavus cujuſlibet menſis erat Neptuno ſacra. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 18.

Reconditum.] Ideoque pretioſum & optimum.

3. *Lyde.*] Eadem fortaſſe quæ ſuprà Od. 11. Stroph. 7. ubi quidem obſtinata, hîc verò facilis & amica.

Cæcubum.] Vinum eximium, de quo lib. 1. Od. 20. v. 9.

4. *Munitæque adhibe vim ſapientiæ.*] Animo à naturâ ſerio & à nugis voluptatibúſque alieno vim adhibe; remitte aliquid de tuâ indole ſeveriori: mecum vaca hilaritati, vino, jocis.

5. *Inclinare meridiem Sentis.*] Vides Solem jam deſcendere, & peracto medio curſu vergere ad occaſum. Dies jam media abiit; cuncta hora carpenda eſt.

7. *Horreo.*] Græcè ὡρεῖον. Ita vocatur locus rebus condendis & ſervandis idoneus. In ſuperioribus apothecis condi ſolere vaſa vinaria jam diximus Od. 8. & 21. hujus libri.

8. *Ceſſantem amphoram.*] Satis veterem.

Bibuli Conſulis.] Sub conſulatu Bibuli anno U. C. 694. in horreo conditam: quo quidem tempore Horatius puerulus erat. Vinum igitur illud debebat eſſe maturum. Jam notavi nec ſemel veteres conſueviſſe ætatem vini deſignare nomine Conſulis tunc Rempublicam adminiſtrantis. Sunt qui Horatium velint hîc jocari, ac per vocem *ceſſantem* alludere ad Bibulum cum Julio Cæſare Conſulem, nihil verò Conſulis agentem: quemadmodum narrat Suetonius Jul. cap. 20. vide locum, & in eam rem Epigramma ibi relatum.

10. *Neptunum.*] Quandoquidem ejus feſto epulabimur, hunc ſanè celebrare æquum fuerit, Deum maris, marináſque Nymphas pariter, *Nereïdes*, Nerei filias. Harum nomina recenſet ad triginta tria Homerus Iliad. Σ. non longè ab initio.

Virides Nereïdum comas.] Ob maris colorem.

11. *Tu curvâ recines lyrâ, &c.*] Tu, Lyde, cantabis Deas partui præſidentes.

Curvâ lyrâ.] Vide lib. 1. Od. 10.

12. *Latonam.*] Dianæ & Apollinis matrem.

Celeris ſpicula Cynthiæ.] Celebrabis Dianam venatricem, ſpiculis feras configentem, & celeri curſu aſſequentem: quæ à Cyntho Deli inſulæ monte *Cynthia* dicta eſt. Lib. 1. Od. 21.

13. *Cnidon.*] Cariæ urbem, de qua l. 1. Od. 30.

14. *Cycladas.*] Ægæi maris inſulas, in orbem diſpoſitas; unde nomen. Vide lib. 1. Od. 14. v. ult.

Paphon.] De eâ urbe Cypri clariſſimâ l. 1. Od. 30.

Junctis

cygnis adit Paphum. Nox etiam canetur apto carmine.

Junctis viſit oloribus.
Dicetur meritâ Nox quoque næniâ.

ANNOTATIONES.

15. *Junctis oloribus.*] Trahere currum Veneris dicuntur aliquando Cygni: ſic lib. 4. Od. 1. *Purpureis ales oloribus*: aliàs columbæ. Propert. lib. 3. Eleg. 5. v. 31. & Apul. Metam. lib. 6. paulo poſt initium: interdum paſſeres. Ità Sappho, Καλοὶ δέ σ' ἆγον ϛρουθοι.

16. *Dicetur meritâ Nox quoque næniâ.*] Nox etiam cantabitur *meritâ næniâ*: vel quod in eâ epulis, lætitiæ, voluptati operam dabimus; vel quod carmen erit lugubre, nocti tenebroſæ ac triſti idoneum. De *nænia* lib. 2. Od. 1.

ODE XXIX.

Ad MÆCENATEM.

Invitat eum ad frugalem cœnam: & opum contemptum laudat.

O Mæcenas proles Hetruſcæ Regum, jam pridem apud me tibi eſt dulce vinum in amphorâ non hactenus inverſâ, cum floribus roſarum, & balanus expreſſa tuis crinibus. Subtrahe te cunctationi: ne continuò ſpectes humidum Tibur, & pronos agros Æſulæ, colliſque Telegoni parricidæ. Relinque abundantiam faſtidium afferentem.

TYrrhena Regum progenies, tibi [353]
Non antè verſo lène merum cado
Cum flore, Mæcenas, roſarum, &
Preſſa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me eſt. Eripe te moræ,
Neu ſemper udum Tibur, et Æſulæ
Declive contemplêris arvum, et
Telegoni juga parricidæ.
Faſtidioſam deſere copiam, et [354]

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 9. lib. 1.

1. *Tyrrhena Regum progenies.*] Inter eximias Poëtæ noſtri Odas hanc cenſebis, Lector, ſeu verſus ac poëſin, ſeu res & materiam perpendas. Dictio grandis; Stoicæ mentis ac diſciplinæ explicatio gravis. Tuum, lector, ingenium, tua ſagacitas cætera non ſine voluptate loquetur.

Tyrrhena Regum progenies.] Ab Hetruſcis Regibus oriunde. Vide lib. 1. Od. 1. & 20. ibique annot.

2. *Non antè verſo lene merum cado.*] Plenus vini cadus nec delibatus, nec reſignatus, necdum ſuo loco motus.

3. *Cum flore roſarum.*] Serta & corollas è floribus, an convivia ſemper adhibuiſſe veteres, fusè dixi lib. 1. Od. nit. & alibi.

4. *Preſſa tuis balanus capillis.*] Et unguenta pertinuiſſe ad hilaritatem pompamque convivii notum eſt ex dictis ibid.

Balanus.] Myrobalanum, unguentum balaninum è glande unguentariâ, non abſimili nucis avellanæ, quam ferebat quædam arbuſcula. Glans Latinis, βάλανος Græcis. Vide Plin. lib. 12. cap. 21. lib. 13. cap. 1. & 4. & alibi Perſ. Sat. 437. *Balanatum Gauſape* nuncupat balano delibutum capillitium.

5. *Apud me eſt.*] Tibi pridem deſtinata atque reſervata.

Eripe te moræ.] Excute quælibet impedimenta; nihilque te remoretur, quò mindùs apud me cœnatum venias.

6. *Ne ſemper udum, &c.*] Relinque tantiſper ædes tuas excelſas, è quibus proſpicis Tibur, Æſulam, &c.

Udum Tibur.] Aquis abundans. Vide lib. 1. Od. 7. & 11. & lib. 2. Od. 6. init.

Æſulæ Declive, &c.] Vicinum Tiburi oppidum, in declivi ſeu latere montis ædificatum.

8. *Telegoni juga parricidæ.*] Tuſculum, Latii urbem duodecim millibus paſſuum à Roma diſtantem, à Telegono Ulyſſis è Circe filio, qui patrem imprudens occidit, conditam ad radices montis, ita tamen ut in ejus juga amplíſſima emineret ædificia: vulgo, *Fraſcati*. ibidem etiamnum extant magnificæ procerum villæ Romanorum, & palatia bene multa.

8. *Faſtidioſam deſere copiam.*] Ad modicum tempus deſere rerum omnium copiam, quam domi habes. Abundantia ſatietatem parit, hæc autem faſtidium generat.

Molem propinquam nubibus arduis.
Omitte mirari beatæ
Fumum & opes ſtrepitúmque Romæ.
Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo ſub lare pauperum
Cœnæ, ſine aulæis et oſtro,
Sollicitam explicuêre frontem.
Jam clarus occultum Andromedæ pater
Oſtendit ignem: jam Procyon furit,
Et ſtella veſani Leonis,
Sole dies referente ſiccos.
Jam paſtor umbras cum grege languido [355]
Rivúmque feſſus quærit, et horridi
Dumeta Silvani: carétque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu civitatem quis deceat ſtatus,
Curas; et urbi ſollicitus times,
Quid Seres et regnata Cyro

& ædes excelſis nubibus proximos. Intermitte admirari fumum, & potentiam, tumultuſque Romæ felicis: Non rarò jucunda opulentis varietas & nitidæ cœnæ in exiguâ domo pauperum, ſine tapetibus & purpurâ, vultum anxium porrexerunt. Jam lucidus parens Andromedæ promit ardorem abſconditum. Jam ſævit Anticanis, ac ſidus Leonis furioſi, Sole reducente dies aridos. Nunc paſtor æſtu fatigatus cum grege languente petit umbras, & amnes, atque denſa nemora Silvani hirſuti; et littus ſilens leves non habet auras. Tu laboras quis urbi ſtatus conveniat, ac mentis anxius quid adverſus Rempublicam moliantur Seres, & Bactriani Cyro ſubjecti,

ANNOTATIONES.

10. *Molem propinquam nubibus arduis.*] Vel ſublimes ædes, vel turrim, quam habebat Mæcenas in Eſquilino monte, è quâ Nero ſpectâſſe dicitur incendium urbis. Sueton. Neron. cap. 88. *incendium è turri Mæcenatianâ proſpectans, lætus flammæ, ut aiebat, pulchritudine.*

12. *Fumum,*] Aurum, populatem ambitionem, honores, vanam gloriam.

13. *Plerumque gratæ divitibus vices.*] Natura diverſo gaudet.

14. *Mundæque cœnæ.*] Paratum *non ampliter, ſed munditer* convivium; ut habet Comicus.

16. *Sollicitam explicuêre frontem.*] Frontem ſcilicet mœſtitia in rugas contrahit, hilaritas vero ſolvit & explicat.

17. *Jam clarus occultum, &c.*] Æſtivos ardores adducit ac notat ſidus Cephei, quod oritur 7. Id. Jul. ex Columell. lib. 12. Cepheus Æthiopum Rex inter ſidera relatus cum Caſſiope uxore, Andromede filiâ, & Perſeo ejus liberatore ac ſponſo.

Occultum ignem.] Tum quòd Cephei ſidus ponè minorem Urſum collocatum eſt: tum quia circulo Arctico magnâ ex parte obtegitur: Hygin. l. 1. Apollodor. Arat. &c. vel potius, quod ante non apparebat, jamque ortum oſtendit ſe.

18. *Procyon.*] Latine Anticanis, ſidus quod ante Caniculum oritur, Idibus Julii. Columell. &c. ex Arato, Cicer. de Nat. Deor. 2.

——— Geminis eſt ille ſub ipſis
Anticanis Graiis Procyon qui nomine fertur.

19. *Stella veſani Leonis.*] Quintum eſt hoc Zodiaci ſignum, quod ingrediente Sole, incipit ſævire Canicula *inſana* dicta Perſio Sat. 3. v. 5. fortaſſe & alludit Horatius ad ſtellam quæ in pectore Leonis oritur 9 Cal. Auguſti. Columell. &c.

20. *Sole dies referente ſiccos.*] Scaliger offenſus epitheto, *ſiccos*, in fine verſûs, mallet, *Sole graves referente luces.* Age, vir gravis; æſtivos dies & calores Poeta vult indicare: at hyemis graves perinde luces ac æſtatis. O hypercritici conatus ingenii!

21. *Jam paſtor umbras, &c.*] Priore ſtrophe anni tempeſtatem æſtivam; hâc autem diei horam ferventiſſimam deſignat, nempe meridiem, quo ſolebant paſtores & greges *umbras & frigora captare.* Virgil Eclog. 2.

23. *Dumeta.*] Silvas ſuâ denſitate umbram & frigus ſuppeditantes.

Silvani.] Dei ſilvarum.

Horridi.] Caprinis pedibus, cornuto capite, corpore hirto & villoſo. Vide ſuprà Od. 18. v. 1. ibique annot.

Caretque Ripa vagis taciturna ventis.] Nulla eſt aura, ne levis quidem ſpirat ventus ad ripas fluminum.

25. *Tu civitatem quis deceat ſtatus, &c.*] Dum quieſcunt omnia, tu etiam laboras de ſtatu Reipublicæ conſtabiliendo. Atqui otium carpe tantillum, ô Mæcenas, urbis Præfecte. De hac Mæcenatis Præfecturâ Dio l. 49. & 35. Vid. & Vell. Paterc. l. 2. Senec. Epiſt. 94. Cornel. Tacit. Annal. 6. Suprà noſter Od. 8. v. 17.

Mitte civiles ſuper urbe curas.

27. *Seres.*] Aſiæ populi ultra Sinas, à Serâ

Bactra

atque Tanais ſeditioſus. Dii ſapientes obſcuris tenebris involvunt venturi ævi ſortem: deridéntque ſi homo plus quàm decet angatur. Sataye bene moderari præſentia. Reliqua dilabuntur inſtar fluvii Tiberis *modò intra ripas quietè defluentis intra mare Thuſcum, modò ſaxa corroſa evulſaſq; ſtirpes, & greges, atque ædificia ſimul abripientis, haud ſine ſonitu montium & ſilvæ proximæ; quando immanis diluvies ſollicitat fluvios tranquillos. Is compos ſui eſt, viveťq; hilaris, qui diebus ſingulis dicere poteſt, Vixi:*

Bactra parent, Tanaíſque diſcors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſâ nocte premit Deus;
Ridétque, ſi mortalis ultra [156]
Fas trepidat. Quod adeſt, memento
Componere æquus. Cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruſcum
In mare, nunc lapides adeſos,
Stirpéſque raptas, et pecus, et domos
Volventis unà, non ſine montium
Clamore, vicinæque ſilvæ;
Cùm fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens ſui
Lætúſque deget, cui licet in diem

ANNOTATIONES.

urbe dicti. Regio illorum Serica, hodie *Cattay*, ſerico opere inclyta. Vide lib. 1. Od. 12. ſub finem.

Regnata Cyro Bactra.] Hæc urbs primaria Bactrianæ, Regionis Aſiæ, inter Parthiam ad Occaſum & Indiam ad ortum, Oxo flumine alluitur: pars olim erat imperii Perſarum.

Cyro.] Hic filius Cambyſis Perſarum ac Medorum ſubindeque totius Orientis Rex, profanis, imò & ſacris literis celebratus, à Tomyri Scytharum Reginâ cum ſuo exercitu contrucidatus. Vide Juſtin. l. 1. &c. Paralipomen. Eſdr. Daniel. maximè verò Iſaiæ, c. 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes, & dorſa Regum vertam——Ego ante te ibo——Dabo tibi theſauros abſconditos & arcana ſecretorum, ut ſcias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael——accinxi te, & non cognoviſti me, &c.*

28. *Tanaiſque diſcors.*] Populi ad Tanaim quietis impatientes, ad bellum proclives inter ſe frequentiùs dimicantes, Parthi, Scythæ, Sarmatæ. De illo flumine Aſiam ab Europâ diſterminante jam dixi. Vide Od. 4. hujus lib ſtroph 9.

29. *Prudens futuri temporis, &c.*] Sapienter Dii hominibus cognita eſſe futura noluerunt, ſive ne malis ante tempus torqueantur; ſive ut incertâ rerum expectatione penduli ad ipſos recurrere ac vereri moneantur.

31. *Ridétque, ſi mortalis ultra Fas trepidat.*] Lib. 2. Od. 16. v. 25.

Lætus in præſens animus quod ultra eſt
Oderit curare.

32. *Quod adeſt, memento componere æquus.*] Præſentibus utere prudenter, rectè, juſtè.

33. *Cætera fluminis Ritu feruntur.*] Futurum tempus fluit, & ſenſim elabitur, rebus modò pacatis, modò turbidis.

36. *Nunc lapides adeſos, Stirpéſque, &c.*] Exundans rapit omnia, curſu rapidiori lapides arrodit & excavat, arbores extirpat, &c. Vid. Homer. Iliad. 11. v. 285. Lucret. l. 1. v. 285.

Fragmina dejiciens ſilvarum, arbuſtáq; tota,
Dat ſonitu magno ſtragem, volvitq; ſub undis
Grandia ſaxa, &c.

Virgil. Æneid. 2. v. 305.

Rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta, boúmq; labores:
Præcipitéſq; trahit ſilvas: ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.

40. *Cùm fera diluvies quietos Irritat amnes.*] Amnes ſcilicet in Tiberim influentes, ipſúmque augentes ſupra modum exundatione ſuâ: illi ſunt Tinia, hodie *Topino*, Nar. v. *Teverone* flu. Sabinorum. Pellia flu. Hetruriæ. v. *Paglia*. Lege Plin. l. 8. epiſt. 17. ubi de Tiberis frequentibus incrementis ita ſcribit: *Tiberis alveum exceſſit, & demiſſioribus ripis altè ſuperfunditur —— premit valles, innatat campis —— Inde quæ ſolet flumina accipere & permiſta devehere, retro cogit, atque ita alienis aquis operit agros. Anio delicatiſſimus amnium, ideoque adjacentibus villis velut invitatus retentúſque, magnâ ex parte nemora quibus inumbratur, & fregit & rapuit. Subruit montes, & decidentium mole pluribus locis clauſus, dum amiſſum iter quærit, impulit tecta, ac ſe ſuper ruinas ejecit atque extulit, &c.*

Dixiſſe,

Dixiſſe, vixi: cras vel atrâ
Nube polum pater occupato,
Vel Sole puro: non tamen irritum
Quodcunque retrò eſt, efficiet; neque
Diffinget, infectúmque reddet,
Quod fugiens ſemel hora vexit.
Fortuna ſævo læta negotio, et
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem. Si celeres quatit
Pennas, reſigno quæ dedit, et meâ
Virtute me involvo, probámque
Pauperiem ſine dote quæro.
Non eſt meum, ſi mugiat Africis
Malus procellis, ad miſeras preces
Decurrere, et votis paciſci,
Ne Cypriæ Tyriæque merces
Addant avaro divitias mari.

[357] *craſtinâ die Jupiter cœlo producat vel obſcura nubila, vel ſerenam diem: at nequaquam reſcindet quicquid actum eſt, neque mutabit ac deſtruet quod ſemel attulit fluxum tempus. Fors gaudens rebus adverſis, & obſtinata ludere ludum petulantem; ſubvertit dignitates caducas, jam mihi, mox alteri propitia. Laudo ſtantem. Quid ſi leves alas movet, reddo quæ donavit: ac meâ me virtute protego, atque honeſtam paupertatem indotatam peto. Si navis gemat Africis tempeſtatibus, non ad me attinet confugere ad vota luctuoſa, & precibus obtinere, ne Cypriæ vel Tyriæ merces mari avido opes* [358] *adjungant.*

ANNOTATIONES.

43. *Vixi.*] Vox contemnentis mortem, inquit disertè, ſuo more, Marcilius: ſic Æneid. 4.

Vixi: & quem dederat curſum natura, peregi.

Poſſet etiam jungi cum vocibus præcedentibus *in diem*, eo ſenſu; is beatus ſemperq; *lætus deget*, qui in diem vixerit, id eſt, qui præſenti tempore, hodiernaq; die utetur, futuri & craſtini minimè anxius. *Sufficit diei malitia ſua*, inquit Chriſtus in Evangelio.

49 *Fortuna ſævo læta negotio, &c.*] Vide lib. 1. Ode 34. in fine. Juvenal. Sat. 3. v. 39,

Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari.

Et Sat. 6. v. 604.

Stat fortuna improba, &c.
Secretumque ſibi mimum parat, &c.

53. *Laudo manentem.*] Quamdiu ſtat & manet mecum fortuna, laudo: quod ſi recedat & aufugiat, minimè indignor. Illâ inſtabili, firmus ego meâ virtute haud moveor; meâ tranquillitate non dejicior. Teſtibus oculis, extant etiamnum Commodi Imperatoris (non autem Adriani, ut ſcripſit nonnemo) numiſmata ænea & argentea, quorum pars altera effigiem habet Fortunæ ſedentis, dextrâ fugitivi frænum equi, levâ copiæ cornu tenentis, cum hac epigraphe

FORTVNAE MANENTI.

Servantur in cimeliarchio Ludovici magni.

55. *Probámq; Pauperiem ſine dote quæro.*] Vulgatum erat de bonâ conjuge inter probos effatum: Satis dotata, ſi bene morata: Sic Horatius pauperiem ait ſe expetere velut felicis vitæ ducem: ubique videri ſatis dotatam, utpote probam. Vide ſupra Oden 16. à medio ad finem.

57. *Non eſt meum, ſi mugiat, &c.*] Qui opes avidè quærunt, ac paupertatem velut ſummum fugiunt malum, ii medio mari & naufragii diſcrimine cum Diis paciſcuntur, ne ſuæ pereant merces; at ego, tametſi talibus in anguſtiis ſuero, nec opum jacturam timebo, nec precibus redimere ſatagam, atq; divitiarum neglectu, paupertatiſque honeſtæ amplexu, tutus erò ac lætus. Vide hujus libri Ode 3. init.

Si mugiat Africis Malus procellis.] Si navis malus vel quaſſatur vel excuſſus fuerit ſeu Africo vento, ſeu fluctibus maris Africam alluentis.

59. *Votis paciſci, Ne Cypriæ Tyriæq; merces, &c.*] Diis vota nuncupare, & dona polliceri, ſi ſalvas præſtent merces, impediantque naufragium. Plin. lib. 6. cap. 16. *Tunc pretioſum votorum potens eſt, cum ſpei nullus eſt.* Perſ. Sat. 2. v. 3.

Non tu prece poſcis emaci, &c.

60. *Cypriæ Tyriæque merces.*] Emporia ſcilicet erant orbe toto celeberrima, *Cyprus*, inſula maris Mediter. de quâ l. 1. Ode 3. & *Tyrus* Syriæ urbs maritima, portu commoda, olim quidem probè munita & dives, claritate & magnitudine urbium Phœniciæ præſtantiſſima: nunc in ruinis ferè jacet, & paucos habet incolas. Inſula pridem erat freto quatuor ſtadiorum diviſa:

Tum etiam me ſecurum ventus lenis ac geminus Pollux per fluctus Ægæos vehet ope naviculæ duos remos habentis.

Tunc me biremis præſidio ſcaphæ 62
Tutum per Ægæos tumultus
Aura feret; geminúſque Pollux.

ANNOTATIONES.

ab Alexandro Magno continenti juncta eſt. Quint. Curt. lib. 4. Hujus populi navigârunt primi, ex Tibullo lib. 1. Eleg. 7. v. 20.

Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

Idem ſcribit Pompon. Mela.

62. *Tunc me biremis, &c.*] Tum ego fractâ navi perditiſque omnibus, biremi tantummodo ſcaphâ vectus, nihilominus pacatâ mente conſtabo, perinde ac ſi Caſtor & Pollux duces affulgeant.

63. *Ægæos tumultus.*] Lib. 2. Ode 16. v. 2.

64. *Geminuſque Pollux.*] Separati dicuntur nocere fratres illi gemini: ambo verò ſimul propitia ſunt & *lucida ſidera*. Vide l. 2. Ode 3. v. 2. & Ode 12. v. 25. Sunt qui allegorias hic ſomniant, putantque Horatium alludere ad id quod ſibi contigerat: adeóque per *Ægæos tumultus* ſignificare bella civilia, e quibus evaſerat *biremi ſcaphâ*, id eſt, virtute & innocentiâ ſubnixus, aſpirante *aura* & favore *gemini ſideris*, Mæcenatis nimirum & Auguſti.

ODE XXX.

Carminum ſuorum gloriam æternam fore.

Abſolvi opus ære ſtabilius, atque pyramidum constructione ſublimius, quod neq; pluvia corrumpens, nec Boreas vi

EXEGI monumentum ære perennius, [359]
Regalíque ſitu pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſuprà Od. 1. Lib. 1.

1. *Exegi monumentum, &c.*] Carminum volumen ingenii ſui monumentum perenne jactat, quo poſteritati æternæq; memoriæ commendetur. Vide l. 2. Oden ult. hanc cum illa confer; & eundem utriuſque ſcopum, eandemq; ſententiam varia dictione tantùm diſtinctam animadverte. Sanctus Hieron. Epitaphium Paulæ ſic concludit: *exegi monumentum ære perennius, quod nulla deſtruere poſſit vetuſtas, &c.*

Monumentum ære perennius.] Ita durant monumenta literarum plus quam æreæ ſtatuæ ad memoriam collocatæ. Nam Mariana de Cimbris trophæa potuit quidem abolere Sylla: Maronis autem & Livii ſcripta, quantumvis nixus ſit, Caius Princeps abſumere ac delere non valuit.

2. *Regalíque ſitu pyramidum altius.*] Ægyptiorum Regum opus & ſepulchra fuêre pyramides; quarum nonnullæ inter orbis miracula numeratæ. *Tres orbem terrarum implevêre famâ: Regum Ægyptiorum pecuniæ otioſa ſtultaque oſtentatio*, inquit Plin. l. 36. c. 12. prope Memphim erant ſitæ; unde Martial. Epigram. 1.

Barbara pyramidum ſileat miracula Memphis.

Herodot. lib. 2. eas deſcribit accurate: Unam, ait, quinq; ſtadiis longam, decem annis elaboratam, in alia vero annos viginti abſumptos, &c. Ammian. Marcell. l. 22. *Pyramides ad miracula ſeptem provectæ, quarum diuturnas ſurgendi difficultates ſcriptor Herodotus docet, ultra omnem omnino altitudinem, quæ humanis confici poteſt; erectæ ſunt turres ab imo latiſſimæ, in ſummitates acutiſſimas deſinentes: quæ figura apud Geometras ideo ſic appellatur, quod ad ignis ſpeciem, τȣ͂ πυρὸς, ut nos dicimus, extenuatur in conum: quarum magnitudo, quoniam in celſitudinem nimiam ſcandens gracileſcit paulatim, umbras quoq; mechanica ratione conſumit.* Vide Strabonem l. 17. & Diod. Sicul. lib. 2. cap. 2. Hic pyramidem ait maximam à Chemmi Rege extructam artificio & opere mirabili, quæ *quatuor erat laterum, quorum quodlibet ab inferiori parte jugera ſeptem continebat. Altitudo amplius quam jugera ſex tolleret . . . fermè annis mille, ut referunt quidam; ut alii tradunt, amplius tribus millibus quadringentis, ad nos uſq; ea moles integra permanſit: ex Arabia longo admodum itinere advectis lapidibus constructa.* Iſtam ſe vidiſſe adhuc ſtantem anno 1638, in ſuæ peregrinationis narratione teſtatur Joannes Greaves Aſtronomiæ Profeſſor Anglus: eamq; tam interiorem quam exteriorem egregiè deſcribit, qualem inſpexit ac dimenſus eſt, vix paululùm deformatam; altamq; dicit pedes fere ſeptingentos; & convenientem Diodori menſuram ſeu metiendi rationem aſſerit, &c.

3. *Quod non imber, &c.*] Imitatio eſt Pindaricæ dictionis, Pyth. Ode 6. ubi Xenocrati paratus dicitur laudum theſaurus, quem diruere ſeu auferre nequeat vel hybernus imber, aut ventus, aut horriſonæ tempeſtatis exercitus implacabilis.

Poſſit

[360] Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, et fuga temporum.
Non omnis moriar; multáque pars mei
Vitabit Libitinam. Uſque ego poſterâ
Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacitâ virgine Pontifex.
Dicar, quà violens obſtrepit Aufidus,
Et quà pauper aquæ Daunus agreſtium
Regnavit populorum, ex humili potens
[361] Princeps Æolium carmen ad Italos,
Deduxiſſe modos. Sume ſuperbiam
Quæſitam meritis, et mihi Delphicâ
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

olentùs deſtruere queat, vel temporum lapſus & longinquitas. Haud totus interibo; & portio mei plurima mortem effugiet. Ego ſemper novus poſterorum laudatione augebor, quamdiu ſummus Sacerdos aſcendet Capitolium cum ſilenti virgine. Ubicunque rapidus Aufidus murmurat, vel Daunus aquarum egens ruſticis gentibus dominatus eſt; ego *clarus è tenui memorabor Alcaïcos verſus primus tranſtuliſſe ad Latinum carmen.* Age, *Melpomene, partam virtutibus magnitudinem aſſume, capilloſque meos circumda ultro laureâ Delphicâ.*

ANNOTATIONES.

6. *Non omnis moriar, &c.*] Non tam animæ, quàm ſui nominis immortalitati & memoriæ velificatur Poëta noſter.

7. *Vitabit Libitinam.*] Superſtes erit, æternùm durabit. Libitina feretrum ſignificat. Eſt etiam funerum Dea, in cujus æde vendebantur & locabantur quæcumque ad ſepulturam pertinebant. A *libendo* dicta, ex Varrone, eadem quæ Proſerpina: nec etiam alia quàm Venus antiquis exiſtimata, ut eadem natalibus & morti Dea preſideret, atque principium finemque vitæ in poteſtate haberet; quo fragilitatis humanæ mortalium quiſque admoneretur. Auctor Plutarchus in Numâ & in Problem. Vide Cœl. Rhodig. lib. 29. cap. 18.

Uſque ego poſterâ Creſcam laude recens.] Novis indies laudibus cumulabor à poſteris: ſicque velut innovata mei memoria ſemper inclareſcet, concidet nunquam, aut ſeneſcet.

8. *Dum Capitolium Scandet, &c.*] Dum ſacra Romæ fient in Capitolio, ac proinde quamdiu ſtabit urbs illa æterna. Virg. Æneid. 9. v. 448.

Dum domus Æneæ Capitolî immobile ſaxum
Accolet, imperiùmque pater Romanus habebit.

9. *Cum tacitâ virgine.*] Quam diu & Veſtales ritè ſilentium obſervantes operabuntur ſacris, æternumque ignem fovebunt. Quibus omnibus temporis diuturnitatem ac perpetuitatem indicat Horatius, quam ſibi ſuoque ſpondet nomini. Comminiſcuntur hic nonnulli Nympham illam, quam Numa colendam Tacitamque appellandam ſanxerat, teſte Plutarcho; alii Idulia ſacra afferunt, ad quæ ſingulis menſibus in Capitolium procedebat Pontifex. Sed quid hæc ad rem? Sanè quælibet ſacra intelligi par eſt, in Capitolio peragi conſueta: nec præ céteris Angeronalia, quæ obtrudit Marcilius Angeronæ ſilentii Deæ, urbis etiam inter tutelaria numina, ex Macrob. lib. 7. cap. 9.

10. *Qua violens obſtrepit Aufidus, &c.*] In Apuliâ, ſuâ nempè patriâ, maximè cupit celebrari Horatius. Eſt enim *Aufidus* Apuliæ amnis, hodie dicitur *Oſanto*, ex Apennino defluit in Adriaticum mare.

11. *Daunus.*] Hic Turni avus regnavit in Apuliâ, quæ & ab eo Daunia vocata eſt. Fuit etiam fluvius eo nomine appellatus.

Pauper aquæ.] In Apuliâ nimirùm fervet æſtus & calor, hincque eſt arida valde regio, ac penuriâ aquæ laborat: unde *ſiticuloſam Apuliam*, vocat noſter Epod. 3. Vide lib. 1. Od. 14.

12. *Regnavit populorum.*] Phraſis Græca ἐβασίλευσε τῶν λαῶν. Legunt alii ex Manuſcriptis pleriſque codicibus, *regnator populorum*. Quod referendum erit ad vocem *Daunus*.

Ex humili potens.] Libertini ſcilicet generis Horatius, ex humili fortunâ in ſummam famæ claritatem & nominis amplitudinem evaſit, per ingenii opes ac *benignam venam*, de quâ lib. 2. Od. 18.

13. *Princeps Æolium carmen ad Italos Deduxiſſe modos.*] Vel inde nominabor paſſim, quod primus Alcaïcos verſus Latinè ſcripſerim, ad imitationem Alcæi è Leſbo inſulâ, in quâ regnavit Æolus. Vide lib. 2. Od. 13.

14. *Sume ſuperbiam, &c.*] Suam alloquitur Muſam Poëta; ut ſemetipſum oſtendat. Grandes aſſume ſpiritus, inquit; oſtende tuam nobilitatem: mihique texe & impone coronam è lauro ſacrâ Apollini, qui colitur editque oracula apud Delphos, urbem Achaiæ, ad Parnaſſum montem.

Q. HORATII FLACCI
Carminum, ſeu Odarum,
LIBER QUARTUS.

ODE I.
Ad VENEREM.

Ætate ſuâ ſe jam rebus Veneris haud eſſe idoneum.

Interrupta dudum Venus, iterum prælia indicis. Abſtine, oro obteſtorque. Non ſum qui eram ſub dominio benignæ Cynaræ. Crudelis parens amorum ſuavium, parce me intractabilem ſubjicere dulcibus imperiis, circa decem luſtra. Ita quò invitant te vota adoleſcentium amore plena. Opportunius laſcivies in ædibus Pauli Maximi; illuc *velox cycnis purpureis,*

INTERMISSA, Venus, diu, [362]
Rurſus bella moves. Parce, precor, precor.
Non ſum qualis eram bonæ
Sub regno Cynaræ. Deſine, dulcium
Mater ſæva Cupidinum,
Circa luſtra decem flectere mollibus [363]
Jam durum imperiis. Abi
Quò blandæ juvenum te revocant preces.
Tempeſtiviùs in domo
Pauli, purpureis ales oloribus,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Intermiſſa.*] Suetonius in vita Horatii ita ſcribit; *Scripta quidem ejus uſque adeo probavit manſuraq; perpetuo crediditit* Auguſtus *ut non modo ſeculare carmen componendum injunxerit, ſed & Vindelicam victoriam Tiberii Druſique privignorum: cumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo intervallo quartùm addere.* In hoc tamen libro quarto nonnullas ſunt Odæ, quas conſtat eſſe factas ante quaſdam prioribus libris contentas; v. g. 12. hujus libri ante tertiam l. 1. Intelligendus fortaſſe eſt Suetonius de edito in lucem potius, quàm de conſcripto poſt alios tres quarto hoc libro.

2. *Parce, precor.*] Per ætatem ſe excuſat, abiiſſe juveniles nimiùm ludos & artes, quibus pollebat, dum amabat Cynarum meretricem ſpecioſam in primis, & ab ea diligebatur maxime; illam vocat *protervam* lib. 1. Epiſt. 7. *rapacem* Epiſt. 14. Hic appellat *bonam*, vel ſignificans formâ egregiam & perfectam; vel quia immunis ei placuerat, ut ſcribit ipſe citato loco, id eſt, ſine ulla præmiorum ſpe, cæteriſq; amatoribus antepoſitus fuerat.

5. *Mater ſæva Cupidinum.*] Hunc verſiculum jam poſuit l. 1. Od. 19. Vide ibi annot.

6. *Circa luſtra decem.*] De luſtro annot. l. 2. Ode 4. in fine. Eſt ſpatium quinque annorum: hinc annum ætatis ſuæ quinquageſimum notat Poëta. Vide Alex. ab Alex. l. 5. c. 25. Juſt. Lipſ. Elect. l. 1. c. 27.

10. *Pauli Maximi.*] Paulus Fabius Maximus Conſul Romæ fuit anno urbis cond. 743. cum Julio Antonio, ad quem eſt inſcripta ſequens Ode. Vetus codex titulum quarto huic libro præfert; *Ad Fabium Maximum*, Torrentio teſte.

Purpureis ales oloribus.] Venus curru vecta ab oloribus tracto, atque alitis modo volans & celeriter decurrens. Vide lib. 3. Ode 1.

Purpureis.] Magna eſt contentio de iſta voce

Comeſſabere Maximi,
Si torrere jecur quæris idoneum.
Namque et nobilis, et decens,
Et pro ſollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
Latè ſigna feret militiæ tuæ.
Et, quandoque potentior [364]
Largis muneribus riſerit æmuli,
Albanos prope te lacus
Ponet marmoream ſub trabe citreâ.
Illic plurima naribus
Duces thura: lyræque et Berecynthiæ
Delectabere tibiæ
Miſtis carminibus, non ſine fiſtulâ.

ſi cupis aptum hepar inflammare. Is enim juvenis & nobilis, & pulcher, & pro reis anxiis haud mutus, ac multiplici induſtriâ præditus, longè portabit vexilla tuæ militiæ. Et, cum rivalis donis amplis ſuperbia victor gaudebit, prope lacus Albanos te è marmore effectam locabit ſub trabe è citro. Ibi thus multum naſo hauries, & recreaberis carminibus junctis citharæ, & tibiæ Berecynthiæ & fiſtulæ.

ANNOTATIONES.

cum cycni planè ſint candidi, non purpurei. Vel, purpureus vocabatur omnis color valdè nitens, qualis eſt cycnorum candor; unde & nix purpurea dicitur ab Albinovano: vel, quòd purpura etiam alba quædam erat. Plutarch. in Alexandro, refert Hermionicam purpuram annis fermè ducentis repoſitam ſuum adhuc colorem ſervâſſe; cujus hæc afferebatur ratio, quòd rubræ tinctura melle, candidæ autem oleo albo confecta eſſet. Xenophon Pædiæ lib. 8. Cyro fuiſſe ait tunicam è purpura ſemi-albam vel albo diſtinctam: χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον. Forſitan & color purpureus attribuitur cycnis Venerem trahentibus, qui ipſius Veneris eſt: per hypallagen. Apud Anacreontem Ἀφροδίτη πορφυρᾶ.

11. *Comeſſabere.*] Comeſſarie propriè eſt poſt cœnam & epulas jocari, ludere, laſcivire: quanquam & ſignificat poſt cœnam luxurioſè iterum epulari. Sueton. Vitell. c. 13. *Epulas quadrifariam diſpertiebat, in jentacula, prandia, cœnas, comeſſationes.*

12. *Jecur.*] In jecore ſedes amoris ac libidinis. Vide l. 1. Od. 13. & 25.

13. *Nobilis.*] Fabiæ gentis claritatem omnes faſti loquuntur: Vel hoc fidem non modò facit, ſed prope ſuperat, quod plus trecenti ex eâdem hâc familiâ unâ die pro Republica ceciderint; cum ſibi unis Veientium expugnationem demandari petiiſſent. Ovid. Faſt. 1.

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes:
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

14. *Pro ſollicitis non tacitus reis.*] In foro ſeſe, ex laudabili nobilium adoleſcentium more, exercens agendis cauſis, defendendis reis, de bonis de vitâ periclitantibus, adeoq; ſolicitis: diſertè perorans, bonis artibus abundè inſtructus.

16. *Latè ſigna feret militiæ tuæ*] Ovid.

Militiæ ſpecies amor eſt, ...
. . . . ſævique labores
Mollibus his caſtris & dolor omnis ineſt.

17. *Et, quandoq; potentior, &c*] Ille verò Paulus, ſi quando per tuum, ô Venus, favorem apud amicam plus valuerit, quàm ſuus rivalis muneribus pugnans, tum eriget tibi ſtatuam e marmore in æde conſtructa e lignis pretioſis, *prope lacus Albanos*, ubi prædia ille habet.

19. *Lacus Albanos.*] Non procul erant urbe Româ civitas, mons, & lacus Albani. Cic. de Divin. 1. n. 100. *Venienti bello cum lacus Albanus præter modum creviſſet*, reſponſum eſt, Dum is lacus redundaret, *ſi in mare ſluxiſſet, Romam perituram*; *ſi repreſſus eſſet, Veios. Inde admirabilis illa Albanæ aquæ facta deductio eſt.* Et de Divin. 2. n. 69. *ad utilitatem agri ſuburbani Albana aqua deducta eſt.*

20. *Sub trabe citreâ*] Duplex citrus arbor: altera humilis & fructifera: altera ſilveſtris & infructuoſa, ſed grandis; e quâ fiebant opera magni pretii, lecti, menſæ, trabes, &c. Vide Plin. l. 13. c. 16. Perſ. Sat. 1. v. 53. &c. Quidam legunt, *ſub trabe Cypriâ*, quod multæ erant arboris faciendis operibus, navibus præſertim fabricandis, idoneæ, in inſula Cypro Veneri ſacrâ, ut dictum eſt l. 1. Ode 1. & 2.

21. *Illic plurima naribus Duces thura.*] In eo templo, quod tibi conſecrabitur, thus plurimum incendetur tibi, hymnuſq; cantabitur muſicis inſtrumentis. Lib. 2. Ode 15. *copia narium.*

22. *Lyræque, &c.*] Lyra ab Apolline vel Mercurio, fiſtula à Pane, tibia a Marſya fertur inventa. In Berecyntho vero Phrygiæ monte matris Deûm ſacra celebrabantur variis inſtrumentis, tibiâ præſertim, quæ inde cognomen habuit. Vide l. 1. Ode 16. & 18. ſub finem, & l. 3. Ode 19. v. 18. & ſeq.

Ibi pueri cum puellis numen tuum bis in die collaudantes albis pedibus terram pulſabunt ter, ritu Saliorum. Nunc me neque mulier, neque puer, neque facilis ſpes mutui amoris oblectat, nec vino contendere, neque floribus caput coronare. At quare, Ligurine, eheu! quare per malas meas fluunt aliquot ſtillæ? quare lingua diſerta in vocibus hæſitat ſilentio non decenti? Ego te nocte in ſomnis modò prehenſam amplector, modò te per herbam campi Martii, te per undas fluentes, ô crudelis, fugientem proſequor.

Illic bis pueri die
  Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
  In morem Saliûm ter quatient humum.
Me nec fœmina, nec puer [365]
  Jam, nec ſpes animi credula mutui,
Nec certare juvat mero,
  Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur, heu! Ligurine, cur
  Manat rara meas lacryma per genas?
Cur facunda parùm decoro
  Inter verba cadit lingua ſilentio?
Nocturnis te ego ſomniis
  Jam captum teneo, jam volucrem ſequor
Te per gramina Martii
  Campi, te per aquas, dure, volubiles.

ANNOTATIONES.

25. *Bis die.*] Manè & veſperi tuas laudes canent *pueri cum teneris virginibus.* Vide lib. 1. Od. 21. init.

28. *In morem Saliûm ter quatient humum.*] Choreas etiam in ſacris adhibitas annotavi tum alibi, tum lib 1. Od. 36. ubi & de Saliis Martis Sacerdotibus.

29. *Me nec fœmina, nec, &c.*] Vergens ego ad ſenium minùs aptus ſum amoribus, imò nec jocis & certaminibus poculorum. Sed neque juvat me floribus coronari inter epulandum, ex more, de quo lib. 1.

33. *Sed cur, heu! Ligurine, &c.*] Me verò eâ ætate cur tamen amore tuo incendis, ô Ligurine, puer formâ conſpicue? Cur, ô Venus, *rurſus bella moves*, poſt acceptam rudem & vacationem à tuâ militiâ? Siquidem annos quinquaginta natus ſum, cur ad juvenilem me laſciviam revocas.

34. *Manat rara meas lacryma per genas.*] Amor elicit lacrymas; paucas tamen, præ pudore: nam ex Ovid. Amor. 1.

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

35. *Cur facunda parùm decoro, &c.*] Quod etiam indicium amoris eſt ardentiſſimi, lingua alioqui facunda jam titubat, verbaque intercepta præfocantur; quod ſane indecorum mihi eſt. Virgil. Æneid 4. v. 76.

Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.

37. *Nocturnis te ego ſomniis, &c.*] Inter ſomniandum te mente verſo. Modò mihi videor amplecti te, modò te fugientem perſequi.

39. *Per gramina Martii Campi, &c.*] In campo Martio exercebat ſe juventus curſu, luctâ, equitatione, deinde natatione in Tiberi proximo poſt exercitationem, ad pulverem ſudorémque detergendum, ut annotavi fusè lib. 1. Od. 8.

ODE

ODE II.

Ad ANTONIUM IULUM.

Laudat Pindarum.

PIndarum quiſquis ſtudet æmulari [366]
Iule, ceratis ope Dædaleâ
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluêre ripas,
Fervet, immenſúſque ruit profundo
Pindarus ore;
Laureâ donandus Apollinari, [367]
Seu per audaces nova dithyrambos

O Iule, quicunque vult imitari Pindarum, ſublevatur alis cerâ compactis auxilio Dædali, & mari pellucido cognomen præbebit. Pindarus abundans alto ſermone volvitur, & rapidè fertur inſtar fluminis è monte labentis, quod pluviæ ſupra conſuetas ripas extulerunt. Lauream Apollinis meretur, ſive profert voces inſolitas in dithyrambis

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſuprà Ode 2. Lib. 1.

1. *Pindarum, &c.*] Laudaverat Horatium Iulus Antonius, æmulúmq; Pindari dixerat. Reſcribit hanc Oden Horatius, qua mirè Pindarum extollit ſupra ſe, pariterq; facundiam & modeſtiam expromit ſuam.

Pindarum.] Is Lyricorum anteſignanus Thebis in Bœotia natus, *auris Bœoticæ*, id eſt, craſſi, ſtupidi, inſulſique Bœotiorum ingenii famam & proverbium abſterſit. Floruit circa Olympiadem 75. ſeu annis ante Chriſtum 476. Quo tempore Æſchylus, & Anacreon. Doricè ſcripſit. Threnos ejus, Dithyrambos, & alia quædam ſubtraxit nobis injuria temporum: reſtant encomia, ſeu Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea. Ælianus. l. 12. refert idem Pindaro contigiſſe, quod Platoni, nimirùm infantem expoſitum melle ab apibus nutritum: & alibi, quinquies in Poetarum commiſſionibus prælatam ei tamen Corinnam, auditorum quidem inſcitiâ. Memoria porrò ejus tam venerabilis, ut Lacedæmonii, Bœotiam vaſtantes, propter Pindarum, Thebis pepercerint: Alexander verò Magnus, cùm eam urbem expugnaſſet, domum Pindari intactam ſervari juſſerit. Vide Valer. Maxim. Plin. lib. 7. cap. 20. Plutarch. in Alexandro, Cœl. Rhodig. lib. 21. cap. 44. &c.

Quiſquis ſtudet æmulari, &c.] Qui Pindarum contendit imitatione aſſequi, is eandem habebit ſortem cum Icaro Dædali filio, qui affixis cera pennis volare tentans in mare decidit, ac de ſuo nomine Icarium fecit appellari. Vide lib. 1. Ode 3. lib. 2. Ode 20.

2. *Iule.*] Diſſyllabam alii faciunt iſtam vocem, alii cum Paſſeratio ſynalœpham ponunt ex primâ vocali vel ſyllaba hujus nominis cum primâ precedentis verſûs: quemadmodum lib. 1. Ode 2. in voce *uxorius*. Vide infrà ad vocem *Antoni*.

3. *Vitreo.*] Non abs re interpreteris, cæruleo.

5. *Velut amnis.*] Copioſa Pindari oratio ſimilis eſt fluvio exundanti.

7. *Immenſuſque ruit profundo Pindarus ore*] Quintil. l. 10. cap. 1. *Novem Lyricorum Pindarus longe princeps, ſpiritûs magnificentia, ſententiis, figuris, beatiſſima rerum verborumq; copiá, & veluti quodam eloquentiæ flumine. Propter quæ Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem.*

9. *Laurea Apollinari.*] Vid. l. 3. Od. ult. in fine.

10. *Dithyrambos.*] Hymnus ſeu carmen erat in honorem Bacchi, qui & ipſe dictus eſt Dithyrambus, quaſi δὶς θύρας ἀμείβων, vel ἀμείβων, *bis vitæ portas tranſiens*, quia primùm natus ex utero Semeles matris, deinde è Jovis femore, ut fabulantur. Alii alias etymologias afferunt. Apage qui Syriacam originem in merè Græca voce expiſcantur. Ingenioſè verò Moſes, eruditis idem qui Bacchus, intelligitur hac appellatione Dithyrambi, utpote qui duas quaſi matres habuerit, ab altera genitus, aquis et morti ereptus altera, atque educatus, ſcilicet à filia Pharaonis. Vide Suidam. Scalig. Poet. lib. 1. c. 46. ubi etiam addit, Dithyrambici carminis ſtylum tumidum eſſe, plenumq; Baccho, numeris, & vocibus compoſitis, quas vocant ampullas & ſeſquipedales voces; atq; idcirco *audaces* ab Horatio dici dithyrambos: ab Æſchylo verò carmen tumens, exultans, totum Bacchum. Ibidemque ille affert Hegeſandri Epigramma adverſus Philoſophos, ejuſmodi vocabulis inflatum: ſic incipit;

Ὀφρυανασπάσιδαι, ῥινεγκαταπυγοσύνοι, &c.

 Verba

audacibus, ſcribitque metris liberis: ſive canit Divos, ac Reges Deorum filios, à quibus Centauri legitimâ cæde proſtrati ſunt, atque extinctus eſt ignis Chimæræ horrendæ: ſive laudat eos, qui domum redeunt Eleâ victoriâ glorioſi, canitque vel pugilem vel equitem, & donum eis tribuit excellentius ſtatuis centenis: ſive deflet adoleſcentem morte ablatum nuptæ mœſtæ, illiusque virtutem animumque ac bonos mores extollit uſque ad cælum, atriſque inferis eximit

Verba devolvit, numeríſque fertur
Lege ſolutis;
Seu Deos, Regéſque canit Deorum
Sanguinem; per quos cecidêre juſtâ
Morte Centauri, cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ:
Sive quos Elea domum reducit [3[illegible]]
Palma cœleſtes, pugilémve equúmve
Dicit, et centum potiore ſignis
Munere donat:
Flebili ſponſæ juvenémve raptum
Plorat, et vires animúmque moréſque
Aureos deducit in aſtra, nigróque
Invidet Orco.

ANNOTATIONES.

Ex Athenæo lib. 14. cap. 6. non ſemper veteres, cum libarent, uſi ſunt dithyrambis, verſibus tumultuoſis, vehementibus, concitatis; ſed duntaxat vino madidi, & Liberum patrem ſi invocarent: ſin Apollinem, placidè canebant. Unde Epicharmus lepidè ibid. [illegible], *Nullus eſt dithyrambus, aquam ſi bibas.* Cic. 3. de Orat. n. 185. *Inde ille licentior & divitior fluxit dithyrambus, cujus membra & pedes ſunt in omni locuplete oratione diffuſa.* Pindarus Olymp. Od. 13. Corinthis tribuit dithyramborum inventionem.

11. *Numeríſque fertur Lege ſolutis.*] Non quòd in dithyrambis nulla eſſet lex aut menſura pedum, ſed quia magna erat metrum variandi licentia; & quod in his Poëtæ vehementiam impetumque animi potiſſimùm ſequerentur magiſque attenderent modulationem carminis, quàm pedum certam ubique legem. Vide Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. ſub finem.

13. *Seu Deos, Regéſque canit Deorum Sanguinem.*] Pindarus enim Pæanas cecinit, ſeu hymnos in honorem Apollinis. Porrò notat hic Horatius præcipua Lyricorum argumenta, ut & ad Piſones Epiſt. v. 83.

Muſa dedit fidibus Divos, pueroſque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Regéſque.] Hieronem Syracuſanum. Olymp. Ode 1. &c. *Deorum ſanguinem.* Reges Deorum filii appellantur. Vel deſignat Poëta noſter Herculem Jovis, & Theſeum Neptuni filios, item Pirithoum à Marte genus trahentem, *Per quos Centauri cecidêre.* Vide l. 1. Ode 12. lib. 3. Ode 4. De *Chimæra* per Bellerophontem à Neptuno adjutum deleta, lib. 8. Ode 27. Pindarus autem Olymp. Ode 13.

17. *Sive quos Elea, &c.*] Quando laudat victores in certaminibus apud Elidem Peloponneſi regionem, ſeu pugilatu, Pindar. Olymp. Ode 7. 10. 11. ſeu equorum curſu, ibid. Ode 1. & alibi multis locis. Virgil. Georg. 1. v. 59.

Eliadum mittit *palmas Epirus equarum.*

Georgic. 3. v. 202.

Ad Elei metas & maxima campi
Sudabit ſpatia, & ſpumas aget ore cruentas.

Elis, & Piſa quæ & Olympia, urbes ſunt Elidis regionis: ibidem fanum Jovis Olympii, & ludorum Olympicorum celebritas. Vide l. 1. Ode 1. v. 3. & ſeq. annot.

18. *Cœleſtes*] Ode 1 *Palmaque nobilis evehit ad Deos.* Gloriâ ſublimes quaſi cœlum Deoſque attingunt.

Equúmve.] Equus ipſe, qui velociore curſu ac pernicitate ſuâ victoriam pepererat, coronabatur etiam, nec non carmine pariter, ut eques, celebrari conſueverat. Pindar. Olymp. Ode 1. Pyth. Ode 3.

19. *Potiore ſignis.*] Vide poſtea, Ode 8. hujus libri.

21. *Flebili ſponſæ juvenémve raptum Plorat.*] Seu cum ſtruit & componit Epitaphium ſponſi morte præmaturâ extincti, ſponſæq; luctum deſcribit.

22. *Mores aureos.*] Caſtos, ſanctos, antiquos, quales ætate aurea.

24. *Invidet Orco.*] Oblivioni præripit, immortali memoriæ conſecrat.

Multa

Multa Dircæum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus. Ego apis Matinæ [169]
More modóque
Grata carpentis thyma per laborem
Plúrimùm, circa nemus uvidíque
Tiburis ripas, operoſa parvus
Carmina fingo.
Concines majore poëta plectro
Cæſarem, quandoque trahet feroces
Per ſacrum clivum, meritâ decorus
Fronde, Sicambros:

O Antoni, fortis volatus effert cycnum Thebanum, quotieſcunque aſſurgit in ſuperas cœli regiones. Ego exiguus, velut apis thyma dulcia in Matino monte maximâ ſedulitate colligit, ſic ingenti labore condo verſus, prope ſilvas & fontes Tiburis humidi. Tu vates eximius celebrabis Auguſtum carmine ſublimiori, quoties debitâ inſignis coronâ ducet Sicambros immanes per collem ſacrum.

ANNOTATIONES.

25. *Multa Dircæum levat aura cycnum.*] Pindarum altè volantem & ſuavè canentem inſtar cycni idem ſemper vigor, eadem vis ſublevat & ſuſtinet.

Cycnum.] Vide lib. 2. Ode 20.

Dircæum.] Dirce fons Bœotiæ, item fluvius Thebas alluens in Iſmenium devolvitur, Strabo, &c. Hinc Dircæus pro Thebano.

26. *Antoni.*] Iulus hic Antonius M. Antonii Triumviri ac Fulviæ filius, poſt cæſum extinctúmque patrem, Auguſti gratiam nactus ejus etiam neptem duxit. Romæ Conſulatum geſſit anno urbis cond. 743. cum Paulo Maximo, cui prior Ode eſt ſcripta. Dio lib. 51.

27. *Ego apis Matinæ More, &c.*] Ego Horatius non ita celſa peto, ſed, velut apis, inferiora circumvolo, & flores humiles carpo: *Matinus* Calabriæ mons thymo abundat, è quo mel optimum apes conficiunt. Eam porrò memorat Horatius regionem, quod non longè ab eâ natus, ut dixi alibi.

30. *Uvidi Tiburis.*]. Vide lib. 1. Ode 7. & 18. lib. 2. Od. 6. l. 3. Od. 29. Od. verò ſeq. *Tiber aquæ perfluunt.*

31. *Operoſa parvus Carmina fingo.*] Scilicet opus accuratum ſine magno labore nullum. Deterere multa ac recidere, imò & recudere, ſtylumque ſæpius vertere oportet, ſæpè caput etiam ſcabere, vivoſque ungues rodere; ut planè docet noſter lib. 1. Sat. 10. At poetaſtri carmen contrà, ut canit Perſ. Sat. 1. v. 106.

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.

Parvus.] Animadverte, Lector, quam ſe deprimat iſtic Horatius, aliàs certè non mediocriter extollens ſeſe. Vide Ode ult. lib. 2. & 3. Etenim præ Pindaro ſe parvum dicit, & operoſa carmina vix fingere, fortaſſe quod inops Latinus ſermo multoque inferior ubertate & copiâ cedit Græcæ linguæ tanquam locupletiori.

33. *Concines majore poëta plectro Cæſarem.*] Tu Iule, ſcribes elogia Cæſaris, grandiori ſtylo, carmine heroico. Iulus Antonius heroicis verſibus Diomedeas conſcripſit duodecim libris.

34. *Quandoque trahet feroces, &c.*] Cùm ſubactos hoſtes in triumpho ducens aſcendet Capitolium per viam ſacram clivo Capitolino adhærentem pergens, &c.

36. *Sicambros*] Hos leviter ſi præteriero, piaculum admiſiſſe videar, quippe quos majores agnoſcimus, noſque Francos ab eis ortos. Illorum Regi Clodovæo cùm ad ſacrum baptiſma accederet, Remigius RhemenſisPræſul ſanctiſſimus ita locutus fertur: *Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendiſti, incende quod adoraſti.* Gregor. Turon. Germaniæ Inferioris populi erant, Rheni accolæ, hodie *Gheldrenſes.* Strabo lib. 7. &c. *Feroces* non ſine ratione gravi Horatius vocat. Nam Dio refert exercitus Romanos ab eis fuſos, tantumque terrorem incuſſum, ut adverſùs eos Auguſtus profectus ſit, qui dare obſides, re compoſitâ, adegerit: unde ſeq. Od. 15.

Te cæde gaudentes Sicambri
Compoſitis venerantur armis.

Addunt præterea Centuriones Romanos ad exigenda tributa miſſos cruci ab eis ſuffixos; eorum vero mulieres, cum deeſſent lapides jacendi, filios etiam parvulos humi alliſos in hoſtium ora contorquere non veritas. Vide Oroſ. &c. Tandem Sicambros tamen ſubegit Auguſtus, ac *dedentes ſe traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit:* Sueton. Octav. c. 21. L. autem Florus cap. ult. ſic teſtatur: *Validiſſimas nationes Cheruſcos, Suevos, Sicambros pariter aggreſſus eſt, qui viginti Centurionibus incrematis, hoc velut ſacramento bellum ſumpſerant, adeò certâ victoriæ ſpe, ut prædam in anteceſſum dividerent. Cheruſci equos, Suevi aurum & argentum, Sicambri captivos elegerant. Sed omnia retrorſum. Victor namque Druſus equos, pecora, torques eorum, ipſoſque in prædam diviſit ac vendidit.*

quo Çæſare *grandius aut pretioſius nihil fata & numina propitia terris donaverunt, aut donabunt, etiamſi revocetur ſeculum vetus aureum. Cantabis feſtos dies & communem lætitiam civitatis, forumq; contentionibus vacuum, ob reditum invicti Auguſti* à Diis *conceſſum. Tunc, ſi canam aliquid auditu dignum, cantus mei maxima pars adjicietur: & beatus dicam, O læta, O celebris dies,* qua *Cæſar* nobis *eſt redditus. Dum verò progrederis, Io triumphe, ſæpius repetemus. Io triumphe, omniſq; urbs* pariter; *& adolebimus thura numinibus propitiis. Te decem tauri & vaccæ totidem* promiſſis *liberabant: me juvencus matri ſubtractus, qui creſcit* in *abundanti gramine, propter meum votum* exolvendum. Is *fronte æmulatur Lunam incurvam tertiâ* ab *ortu* die *ardeſcentem: eâ* parte inſuper *contraxit notam,* qui *ſpectatur nive* candidior, *in reliquis rufus.*

Quo nihil majus meliúſve terris [370]
Fata donavêre boníque Divi,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priſcum.
Concines lætóſque dies, et urbis
Publicum ludum, ſuper impetrato
Fortis Auguſti reditu, forúmque
Litibus orbum.
Tum meæ (Si quid loquar audiendum)
Vocis accedet bona pars: et, O Sol
Pulcher, O laudande, canam, recepto
Cæſare felix.
Túque dum procedis, Io triumphe,
Non ſemel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis, dabimúſque Divis [371]
Thura benignis.
Te decem tauri totidémque vaccæ,
Me tener ſolvet vitulus relictâ
Matre, qui largis juveneſcit herbis
In mea vota;
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium Lunæ referentis ortum,
Quà notam duxit, niveus videri,
Cetera fulvus.

ANNOTATIONES.

43. *Auguſti reditu.*] Ex Hiſpaniâ, & ex bello Cantabrico, quod multis annis protractum fuerat. Lib. 1. Od. 12. ſub finem. lib. 3. Od. 5. & 14. hujus etiam libri Od. 5. &c. reditum Auguſti ex Galliâ, cum Sicambros profligâſſet, hîc intelligunt alii. Suet. c. 20. Octav. *Reliqua* bella *per legatos adminiſtravit, ut tamen quibuſdam Pannonicis atque Germanicis aut interveniret, aut non longè abeſſet.*

Forum Litibus orbum.] Ferias, juſtitium, ſeu vacationem à litibus dirimendis & à forenſi ſtrepitu, mos erat indici in ludis, feſtis, triumphis, ſupplicationibus, adeoque in omni publicâ lætitiâ, vel etiam luctu.

45. *Tum meæ, ſi quid, &c.*] Tum verò ſublimibus tuis carminibus, O Antoni, meos etiam qualeſcunque verſus adjungam in tam ſolemni occaſione, reverſo incolumi è belli periculis Auguſto, exoptato jam diu. Suet. Octav. c. 47. *Revertentem ex provinciâ non ſolum fauſtis ominibus, ſed & modulatis carminibus, proſequebantur.*

49. *Tuque dum procedis, Io triumphe, &c.*] Hoc referunt alii ad Iulum Antonium vel Prætorem vel Conſulem deſignatum; leguntque, *Duxque dum procedis,* ſed abſurdè: alii ad Auguſtum triumphantem. Verùm ipſo duce contextu, ſanè referes, ingenioſe lector, ad ipſum triumphum, quem ſic interpellat Horatius procedentem: O triumphe, dum procedes, Io ſæpiùs, Io repetemus, &c.

53. *Te decem tauri.*] Tu, Antoni, ſumme vir, pro Cæſaris felici reditu à Diis impetrando, voviſti grandes victimas, quas voti reus mactabis; ego verò tenuis, immolato juvenco quem promiſi, voto ſolvar.

57. *Fronte curvatos, &c.*] Deſcribit juvencum, quem parat ſacrificio quod vovit. Lunæ paulò poſt novilunium ſimilem dicit ob parvula cornua: & in fronte notam habere candidam ſtellæ ad inſtar conſpicuam. Sic Hom. Iliad. ψ. Diomedis equum toto rufum corpore, candidâ in fronte notâ ad modum Lunæ plenæ rotundâ, inſignem exhibet. Et Moſchus, in Idyll. quod Theocrito malè aſcribitur, ut alibi annotavi, Europæ taurum ſimiliter flavum reliquo fuiſſe corpore, at in fronte mediâ orbem argenteum refulſiſſe commemorat,

ODE III.

Ad MELPOMENEN.

Se Poëticâ Facultate ab eâ donatum immortalem fore.

QUEM tu, Melpomene, ſemel [372]
Naſcentem placido lumine videris
Illum non labor Iſthmius
Clarabit pugilem; non equus impiger.
Curru ducet Achaïco [373]

O Melpomene, quem tu naſcentem aſpexeris ſemel oculis benignis, eum non athletam nobilitabit Iſthmium certamen, non equus acer victorem curru vehet Achaïco;

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod Od. 3. Lib. 1.

1. *Quem tu, Melpomene, &c.*] De hujus Odes eximio lepore inſigne eſt Scaligeri judicium, quod retuli ad init. Od. 9. lib. 3. Vide ibi annot.

Melpomene.] Pro qualibet Muſarum hanc ponit. De eâ lib. 1. Od. 24. v. 3.

2. *Naſcentem placido lumine videris, &c.*] Deſumpta ab Heſiodo aliiſque Græcis ſententia. *Placido lumine*, εὐμενεῖ ὄμματι. Sic & Tibull. lib. 2. Eleg. 4. in fine.

Si modo me placido videat Nemeſis mea vultu.

Huc facit quod ſcribit Juvenal. Sat. 7. v. 195.

. . . . *diſtat enim, quæ*
Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus, &c.

3. *Illum non labor Iſthmius, &c.*] Quem facili & benevolo Muſa vultu naſcentem viderit, is quidem non illuſtris erit pugilatu, quadrigali curſu, aut alio Iſthmiorum ludorum certamine; non etiam bello clarus evadet: ſed nobilis erit poëta, ubique celebrior quam ſint illi Iſthmica vel militari victoriâ. Eam verò ſibi gloriam à Muſis conceſſam prædicat Horatius.

Labor Iſthmius.] Certamen & victoria in ludiciis qui tertio quoque anno, totius Achaiæ concurſu, fiebant in Iſthmo prope Corinthum, de quo lib. 1. Od. 7. v. 2. Ibidem erat ſacrum Neptuno fanum. Ludos illos inſtituit Siſyphus Rex Corinthiorum, ut ſcribunt aliqui, in honorem Melicertæ ſeu Palæmonis, aut Portuni marini Dei; vel, ut alii referunt, Theſeus in honorem Neptuni æmulatione quidem Herculis qui Olympia Jovi dicaverat. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. Plut. in Theſei vita. Strab. Geo. lib. 8. Tit. Liv. lib. 33. cap. 32. *Iſthmiorum*, inquit, *ſtatum ludicrum aderat . . . . . . quo certamina omnis generis artium viriumque ac pernicitatis viſuntur . . . . . propter opportunitatem loci per duo diverſa maria omnium Græcorum undique conventus erat.* In iis victores pinu coronabantur, ex Plin. lib. 15. cap. 10. Contra Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 10. Coronam Iſthmiacam contexi ex apio conſueſſe ſcribit, Et lib. 13. cap. 17. in Olympicis cotino (ſeu oleaſtro) in Pythiis lauro, in Nemeis ſelino virenti, id eſt, apio, in Iſthmiis ſelino item ſed areſcente ſolitos coronari. Archias Poëta Epig. lib. 1. de quatuor Græciæ certaminibus ita canit,

Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

4. *Clarabit.*] Pro *declarabit*, inquiunt; nam voce præconis victorum nomina declarabantur & pronunciabantur. Illud quoque verbum uſurparunt apud Tull. de Divin. 1. n. 21. Poëta.

Jupiter excelſa clarabat ſceptra corona.

Lucret. lib. 4. Sic Virgil. Æneid. 11. v. 407. ait.

———*Crimen acerbat.*

Pugilem.] Vide annot. Ode ſuperiori, ſtrophe 5.

4. 5. *Non equus impiger Curru ducet Achaïco.*] De curuli certamine, lib. 1. Od. 1. v. 4. Non videtur facere ad rem quod nonnulli afferunt hic, in Achaia ſacros agonas celebrari conſueviſſe, in quibus qui vicerant, Hieronicæ dicti, in patriam reducebantur curru quaſi triumphali equis albis quatuor tracto. Apud Diod. Sicul. lib. 13. Exænetus Agrigentum invehitur, comites ſunt bigæ curules trecentæ. Vitruv. lib. 9. prœm. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmia viciſſent, Græcorum majores ita magnos honores conſtituerunt, uti non modo in conventu ſtantes cum palma & corona ferant laudes, ſed & cùm revertantur in ſuas civitates, cum victoria triumphantes quadrigis in mœnia invehantur, èque Republica perpetua vita conſtitutis vectigalibus fruantur.* Sueton. Neron. cap. 22. *Mox & ipſe aurigare, atque etiam ſpectari voluit . . . . .* tum etiam *in circo maximo . . . . nec contentus harum artium experimenta Romæ dediſſe, Achaiam petiit.* Cap. 23. *Certamina deinceps obiit omnia.* Cap. 24. *Aurigavit plurifariam, Olympiis etiam decemjugem . . . . ſed excuſſus curru . . . nec eo ſecius coronatus eſt . . . . . Decedens deinde provinciam univerſam libertate donavit ſimúlque judices civitate Romana, & pecunia grandi. Quæ beneficia è medio ſtadio, Iſthmiorum die,*

Victorem;

Achaïco, nec militare facinus Imperatorem oſtentabit Capitolio, frondibus Apollinaribus coronatum, eò quòd ſuperbas Regum minas fregerit: Verùm aquæ fœcundum Tibur irrigantes & ſilvarum denſa folia Æoliis clarum verſibus efficient. Proles Romæ civitatum Reginæ inter claros Poëtarum cœtus me collocare dignatur; jamque minus æmulorum morſibus vellicor. O Muſa, quæ ſuavitatem eximiæ lyræ meæ ſonum moderaris! O quæ mutis etiam piſcibus cycni cantum dare potes, ſi velis, illud omne ex dono tuo eſt.

Victorem; neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quòd regum tumidas contuderit minas,
Oſtendet Capitolio:
Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt,
Et ſpiſſæ nemorum comæ,
Fingent Æolio carmine nobilem. [374]
Romæ principis urbium
Dignatur ſoboles inter amabiles
Vatum ponere me choros:
Et jam dente minùs mordeor invido.
O, teſtudinis aureæ
Dulcem quæ ſtrepitum, Pieri, temperas!
O mutis quoque piſcibus
Donatura cycni, ſi libeat, ſonum!
Totum muneris hoc tui eſt,

ANNOTATIONES.

ſua ipſe voce pronunciavit. C. 25. *reverſus è Græciâ Neapolin . . . . albis equis introiit, disjectâ parte muri, ut mos hieronicarum eſt; ſimili modo Antium, inde Albanum, inde Romam . . . . veſte purpurea . . . . coronam capite gerens Olympiacam, dextra manu Pythiam, &c.*

6. *Neque res bellica Deliis Ornatum foliis, &c.*] Nec fortiter in bello geſtis triumphans coronabitur laureâ ſacrâ Apollini apud Delum inſulam nato & eximiè culto. Vide l. 1. Ode 21.

9. *Oſtendet Capitolio.*] Triumphans quiſque inaurato curru per viam ſacram vehebatur ad Capitolium, ſeu arcem Romanam, in monte Tarpeio extructam, ob inventum ibi caput humanum ſic appellatum. Illic Jovi Diiſque gratias referebat, ſpoliaque de hoſtibus relata conſecrabat.

10. *Sed quæ Tibur aquæ, &c.*] Sed inſignem eum facient carmina in amœno Tiburis ſeceſſu condita, vel ejus loci deſcriptionem & amœnitatem continentia. De Tibure aquis udo l. 1. Ode 7. l. 3 Ode 29. Quòd eo ſecedere amaret Poëta l. 1. Ode 18. l. 2. Ode 6.

12. *Æolio carmine.*] Lib. 2. Ode 13. *Æoliis fidibus.* Vide ibi annot. Alcaicos verſus deſignat Latinè primùm à ſe factos, ad imitationem Alcæi, de quo l. 1. Ode 32. & l. 3. Ode 30.

13. *Romæ principis urbium Dignatur ſoboles.*] Intelligunt vulgò Romanorum poſteros, vel Auguſti privignos; ſed eruditus non nemo ſenſit dictionem eſſe à Græcis Hebræiſque ductam: ut enim hi filium hominis dicunt pro homine; ſic noſter Romæ ſobolem dicit, pro Româ, urbium & orbis dominâ, atque ut Martialis ait, *Terrarum gentiumque Deâ.*

14. *Amabiles Vatum choros.*] Vel poëtas excellentes & amari dignos, vel de rebus amabilibus carmine lyrico ſcribentes, puta de laudibus Divorum, de Heroum præclarè geſtis, de vitâ ſeu hilariter exigenda, ſeu laudabiliter inſtituenda, &c.

16. *Et jam dente minùs mordeor invido.*] Ex quo me Roma univerſa judicio ſuo probavit vatemque ſanxit, jam mihi obtrectare æmuli deſinunt: atque adeò virtute invidiam ſuperaſſe mihi videor. Vide l. 2. Ode ult.

17. *O, teſtudinis aureæ, &c.*] O muſa, hoc beneficium cum aliis bene multis tibi acceptum refero.

18. *Pieri.*] Pierides Muſæ dicuntur vel à Pierio Theſſaliæ monte illis ſacro; vel ob filias Pieri novem devictas, cum auſæ eſſent ad cantum Muſas provocare: quapropter in picas mutatæ temeritatis pœnas exſolvêrunt.

19. *Mutis quoque piſcibus.*] Utpote carentes vocalibus inſtrumentis, pulmone, arteriâ, gutture, muti ſunt piſces. Ariſt. de animal. Hinc proverb. *Piſce magis mutus:* ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων Lucian in Gallo, &c.

20. *Cycni ſonum.*] Plato in Phædone teſtatur Cycnos mortis tempore eſſe maximè canoros: idem Ariſtoteles quoque refert. Hinc Ovid.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

Plin. contra lib. 10. cap. 23. *Olorum,* inquit, *morte narratur flebilis cantus, falsò, ut arbitror, aliquot experimentis.* Vulgari pariter opinioni refragatur Athenæus lib. 9. cap 11. Cœl. Rhodig. lib. 9. cap. 5. ſcribit hæc: *Canentem cycnum pauci audiruêre, etiamſi vulgatior fama tenet ingruente*

Quòd

Quòd monſtror digito prætereuntium [375]
Romanæ fidicen lyræ:
Quòd ſpiro, & placeo (ſi placeo) tuum eſt.

quòd manu prætereuntium oſtendor Latinæ lyræ auctor; quòd vivo, & probo, ſi tamen probor, à te eſt mihi datum.

A N N O T A T I O N E S.

fatali momento εὐφωνότατον, καὶ ᾠδικώτατον, *voci cantuque in primis valere:* auctor tamen, variæ narrationis primo, Ælianus eſt, audiſſe quandoque ſe canentem cycnum. Sic enim ait: ἐγὼ δὲ ᾄδοντος οὐκ ἤκουσα. De cycnis jam l. 2. Ode ult.

22. *Quòd monſtror digito prætereuntium.*] Cicero Tuſc. 5. n. 103. *Leviculus ſane Demoſthenes, qui illo ſuſurro delectari ſe dicebat aquam ferentis mulierculæ, ut mos in Græciâ eſt, inſuſurrantiſque alteri. Hic eſt ille Demoſthenes. Quid hoc levius?* Perſ. Sat. 1. v. 29.

At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier,
Hic eſt.

Tertullianus huc alludens de velandis virginibus c. 14. ſcribit, *Periclitari virginitatem, cum digitis demonſtrantium titillatur.*

23. *Romanæ fidicen lyræ.*] Lyrici apud Romanos carminis auctor atq; princeps l. 3. Od. ul. jam. cit.

24. *Quòd ſpiro, &c.*] Non tantum poëſeos facultatem, ſed & vitæ uſuram Muſis debere ſe profitetur. Vide l. 3. Ode 4. Strophe 7.

Quòd placeo.] Quod Auguſto & Mæcenati præcipue, tum etiam aliis probantur mea carmina, quod *invidia* ſim *major*, l. 2. Ode 20. quod *uſq; ego poſtera creſcam laude recens*, &c. l. 3. Ode 30.

Si placeo.] Ita modeſtiæ velificatur Poeta, quaſi ſubdubitans adeo poſſe ſe *principibus placuiſſe viris*, quæ *laus eſt non ultima*.

ODE IV.

DRUSI LAUDES.

Earum partem maximam Auguſti inſtitutioni attribuit.

QUALEM miniſtrum fulminis alitem,
(Cui Rex Deorum regnum in aves vagas
Permiſit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo)
Olim juventas et patrius vigor [376]
Nido laborum propulit inſcium;
Verníque, jam nimbis remotis,

Qualem volucrem fulminis adminiſtrum (cui ſummus Deorum Jupiter dedit principatum in vagabundas aves, probata ejus fide in Ganymede flavo) aliquando juventus & paterna virtus ignarum laboris expulit nido, vernique venti jam tranſactis imbribus

A N N O T A T I O N E S.

Metrum idem quod ſuprà Ode 9. lib. 1.

1. *Qualem miniſtrum, &c.*] Druſi Neronis Auguſti Cæſaris privigni celebrat victoriam de Rhætis ac Vindelicis reportatam. Ejus autem virtutum gloriam fere totam derivat in Auguſtum, cujus educatione & inſtitutione laus omnis ea Druſo acceſſerit accreveritque. Ode perelegans, & regali mandato compoſita: ſtylus & dictio grandis, à capite ad calcem elaborata: initium eo ſublimius, quod videtur aliquanto perturbatius. Ordo eſt: *Druſum ſub Alpibus bella gerentem Rhæti & Vindelici* talem *vidêre, qualem miniſtrum fulminis . . . . Juventas & patrius vigor nido propulit . . . mox in ovilia demiſit hoſtem vividus impetus*, &c. *qualemve caprea leonem vidit, dente novo peritura*, &c. Senſus autem eſt: Rhæti ac Vindelici cum Druſo bellantes talem eum conſpexere juvenili ardore ac paterno robore invictum ac formidabilem, qualis eſſe ſolet aquila rex avium, cùm jam nido exire audet, primoſque niſus ac impetus exerit, agnos mox & dracones rapiens & expugnans. Idem Princeps adoleſcens tanta vi Rhætos & Vindelicos aggreſſus eſt, atque oppreſſit, quanta leo capram aggreditur paſcentem & dilaniat.

Miniſtrum fulminis alitem.] Plin. l. 2. c. 55. *Solam è volucribus aquilam fulmen haud percutit: quæ ob hoc armigera hujus teli fingitur.* Et lib. 10. cap. 3. in fine: *Negant unquam ſolam hanc alitem fulmine exanimatam: ideo armigeram Jovis conſuetudo judicavit.* De rapto Ganymede per aquilam, ſeu per ipſum Jovem aquilæ ſpecie, ut quidam volunt, vide annot. l. 3. Ode 23. in fine.

timidum docuêre conatus inſuetos; mox autem *vis acerrima infeſtum in ovilia perpulit, deinde prædæ ac certaminis aviditas incitavit adverſus. dracones repugnantes: & qualem leonem jam à lacte & uberibus fulvæ parentis remotum capra amœnis occupata paſcuis aſpexit recenti dente laniandæ:* talem *ad Alpes bella facientem Druſum vidêrunt Rhæti atque Vindelici;*

Inſolitos docuêre niſus
Venti paventem: mox in ovilia
Demiſit hoſtem vividus impetus:
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnæ:
Qualémve lætis caprea paſcuis [377]
Intenta, fulvæ matris ab ubere
Jam lacte depulſum leonem,
Dente novo peritura, vidit:
Vidêre Rhæti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem, et Vindelici; quibus

ANNOTATIONES.

8. *Inſolitos docuêre niſus.*] Volatum docent venti *inſolitum* hactenus & nondum tentatum; hinc ad primos illos *niſus*, aëri ſe committere expaveſcit pullus aquilæ alitumque cæterorum.

9. *Mox in ovilia Demiſit hoſtem vividus impetus.*] Cùm primùm vires ſuas expertus eſt in ovilia devolat agnumque rapit. Plin. modò cit. lib. 10. *Adultos pullos aquila perſequitur, & longè fugat, æmulos ſcilicet rapinæ; & alioquin unum par aquilarum magno ad populandum tractu indiget, ut ſatietur . . . . . rapta non protinus ferunt; ſed primo deponunt; expertaque pondus tunc demum abeunt.* Idem ſcribit Ariſtot. Hiſt. animal. cap. 32.

11. *Nunc in reluctantes dracones, &c.*] Plin. cit. lib. 10. cap. 34. *Acrior eſt cum dracone pugna, multoque magis anceps, etiamſi in aëre. Ova hic conſectatur aquilæ aviditate maleſica: at illa ob hoc rapit ubicumque viſum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita ſe implicans, ut ſimul decidant.* Plutarch, de Invid. & Od. ait, tam grave eſſe aquilis & draconibus odium inter ſe, ut ne quidem interſectorum ſanguis commiſceatur, ac ſi confuderis, diſſociet ſeſe, ac ſeorſim fluat. Ejuſmodi certamen bellè deſcribit Hom. Iliad. μ v. 201. Virgil. Æneid. 11. v. 151.

Utque volans altè raptum cum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæſit:
Saucius at ſerpens ſinuoſa volumina verſat,
Arrectiſque horret ſquamis, & ſibilat ore,
Arduus inſurgens: illa haud minus urget adunco
Luctantem roſtro, ſimul æthera verberat alis.

17. *Vidêre Rhæti.*] Rhæti appetentem ſe armis infeſtis Druſum vidêrunt aquilæ inſtar pugnacem, ac leonis robore, audacia, ferocitate præditum.

Rhæti.] Hodie *les Griſons* vernac. Alpes Tridentinas occupant: Helvetiis & Boiis finitimi, ex Strabone lib. 4. qui & ibid. Druſi victoriam de illis prædicat. Vide. Flor. lib. 4. cap. 12. & Dionem. lib. 54.

18. *Vindelici.*] Hi Borealem Alpium regionem tenebant, ſicut Auſtralem Rhæti, utrique æquè bellicoſi. Hodie Suevi, & Bavari Vindeliciam incolunt. Sunt qui Vindelicos cum Rhætis confundunt: ſed errorem manifeſtè oſtendit Vell. Pater. lib. 2. cap. 97, & 28. ita referens: *Tib. Claudius Nero . . . . . innutritus cœleſtium præceptorum diſciplinis, juvenis, genere, forma, celſitudine corporis, optimis ſtudiis maximoque ingenio inſtructiſſimus, qui protinus, quantus eſt ſperari potuerat, viſuſque prætulerit Principem; Quæſtor undevigeſimum annum agens capeſſere cœpit Rempublicam, &c.* Et paulo poſt, *Reverſum ex Armenia in poteſtatem Populi Romani redacta, Neronem Cæſar haud mediocris belli molem experiri ſtatuit, adjutore operis dato fratre ipſius Druſo, quem intra Cæſaris penates enixa erat Livia. Quippe uterque diviſis partibus Rhætos Vindelicoſque aggreſſi, multis urbium & caſtellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutiſſimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore cum periculo quam damno Romani exercitûs, plurimo cum earum ſanguine perdomuêrunt.* Sueton. Octav. cap 21. *Rhætiam & Vindelicos . . . . . gentes Inalpinas, coêrcuit.*

Druſum bella gerentem.] Claudius Druſus Tiberii Neronis ac Liviæ filius anno 23. natus Rhætos ac Vindelicos expugnavit an. U. C. 738. citatus Flor. lib. 4. cap. 12. *Noricis animos dabant Alpes atque nives, quo bellum non poſſet aſcendere: ſed omnes, illius cardinis populos, Breunos, Senones, atque Vindelicos per privignum ſuum Claudium Druſum perpacavit.* De eo ſic ſcribit Vell. Patercul. lib. 2. cit. *Cura deinde atque onus Germanici belli delegata Druſo Claudio fratri Neronis, adoleſcenti tot tantarumque virtutum,*

Mos

Moſ unde deductus per omne [378]
Tempus Amazoniâ ſecuri
Dextras obarmet, quærere diſtuli;
Nec ſcire fas eſt omnia. Sed diu
Lateque victrices catervæ
Conſiliis juvenis revictæ
Senſêre, quid mens ritè, quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus
Poſſet, quid Auguſti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus et bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum [379]
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcumque defecere mores,

quibus mos omni ævo manus armandi ſecuri Amazonum unde fluxerit, inveſtigare omiſi; neque omnia cognoſci poſſunt. Verùm diu lateque victrices turmæ adoleſcentis ſuperatæ induſtriâ expertæ ſunt, quid ingenium, quid animus in felici domo inſtitutus, quidque Cæſaris erga Nerones juvenes paterna mens valeat. Strenui gignuntur, ſtrenuis atque generoſis. In juvencis & in equis patrum virtus reſidet. Nec aquilæ producunt columbam minimè bellicoſam. At eruditio virtutem ingenitam provebit, & bona diſciplina reddit animum fortem: quandocumque diſciplina deeſt, vitia

ANNOTATIONES.

quot & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria percipit: cujus ingenium utrum belli magis operibus, an civilibus, ſuffecerit artibus in incerto eſt. Morum certè dulcedo & ſuavitas, atque adverſus amicos æqua & par ſui æſtimatio inimitabilis fuiſſe dicitur. Pulchritudo oris proxima fraternæ fuit. Sed illum magna ex parte domitorem Germaniæ . . . . fatorum iniquitas Conſulem, annum agentem triceſimum rapuit.

19. *Mos unde deductus, &c.*] Hæc ironiam ſanè continent in quoſdam eo tempore de nugis ejuſmodi acriùs & perperam diſputantes. Nam alioqui non eſt obſcurum aut valdè incertum, Rhætos & Vindelicos ab Amazonibus oriundos; atq; ab his Scythicis mulieribus accepiſſe morem illum pro armis ſecurim habendi.

22. *Amazoniâ.*] Strabo, l. 2. de Amazonibus fide majora referri ait. Vide Juſtin. l. 2. Oroſ. l. 1. c. 15. nec non eruditam diſſertationem ſeu diſquiſitionem de Amazonibus ſcriptam à Petro Petito, viro non Medecinæ ſolùm, ſed rerum omnium ſcientiſſimo, nuper editam.

Securi.] Hæc σάγαρις dicta propriè, Xenoph. πέλεκυς μονόςομος erat, ſeu unicum habens ςόμα, unâ tantum parte ſecans; contrà bipennis utrinque. Heſych.

23. *Diu Latéque victrices catervæ.*] Rhæti ſæpius anteà victores. Strabo lib. 4. Luc. Flor. & Vell. Paterc. antè citati.

24. *Juvenis.*] Claudii Druſi, de quo ante.

25. *Senſêre quid, &c.*] Intellexêre quid & quantum valeret inſtitutio & educatio Auguſti Cæſaris, qui *paternum* exhibuit *animum* & affectum erga pueros *Nerones*, Tiberium ac Druſum, quos adoptârat, & bonis artibus erudire curaverat. Nam Tiberius Nero, Liviâ Druſillâ uxore ſuâ tum etiam prægnante, Auguſto petenti conceſſa, paulò pòſt e vivis exceſſit: eundem verò Auguſtum ſcripſerat tutorem filiorum ſuorum, nempe Tiberii quatuor fere annos nati, ac Druſi quem enixa eſt Livia, menſibus tribus poſt ſuum cum Auguſto conjugium. Hinc ergo *paternus Auguſti animus in pueros Nerones*; tum quod eorum matrem duxerat; tum quod eorum tutor eſſet ab Auguſto nuncupatus. Sueton. Octav. c. 6. & 36. Vell. Patercul. jam cit. Cornel. Tacit. Annal. 1, &c.

29. *Fortes creantur fortibus.*] Ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοὶ, Ariſtot. contrarium tamen evenit non raró: nam & *filii heroum noxæ* interdum. Sic degeneres extitêre filii Samuelis Prophetæ, Alcibiadis, Dionyſii, Periclis, Socratis, Ciceronis, &c. Porrò vice verſâ è malis & ignavis aliquando exorti ſunt boni & fortes, teſtibus hiſtoriarum monumentis. Vide Valer. Max. lib. 3. cap. 4. & 5.

Et bonis.] Hæc aliqui jungunt cum ſequentibus, nec abſurdè.

33. *Doctrina ſed vim promovet inſitam.*] Bona educatio & ſtudioſa inſtitutio promovet εὐγένειαν ſeu naturæ bonitatem; ſuſtinet, excolit, auget.

35. *Utcunque defecêre mores, &c.*] Si quando non aderit bona diſciplina & morum inſtitutio, tum corrumpitur optima quælibet indoles, continuò perit, & in pravitatem defluit. Cic. Tuſcul. 3. c. 2. *Natura parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibuſq; depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquàm naturæ lu-*

deturpant naturæ bonitatem. O Roma, quantum debeas Neronibus teſtatur Metaurus fluvius, atque Aſdrubal profligatus, & dies ille Italiæ caligine depulsâ lætus qui primus victoriâ glorioſâ reſplenduit, quando crudelis Africanus per Italiæ civitates diſcurrebat, velut ignis per tædas, vel Eurus per mare Siciliæ. Exinde Romana juventus ſemper felicibus expeditionibus inclaruit: & templa ſcelerato Carthaginienſium bello diruta ſtantes habuerunt Deos.

Dedecorant bene nata culpæ.
Quid debeas, ô Roma, Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen, et Aſdrubal
Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus almâ riſit adoreâ;
Dirus per urbes Afer ut Italas,
Ceu flamma per tædas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Poſt hoc ſecundis uſque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vaſtata Pœnorum tumultu
Fana Deos habuêre rectos.

ANNOTATIONES.

non apparent. Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem ſimul ac in lucem editi ſumus, in omni continuò pravitate, & in ſummâ opinionum perverſitate verſamur . . . . tum variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, ut opinioni confirmatæ natura ipſa cedat, &c.

37. *Quid debeas, ô Roma, Neronibus.*] Scilicet *Claudius Nero advenientem ex Hiſpaniâ cum ingentibus copiis Aſdrubalem, priuſquam Annibali fratri conjungeretur, oppreſſit.* Sueton. Tiber. c. 2. opportune quidem: nam actum erat de Imperio Romano, ſi cum Annibale fratre novum ac integrum exercitum Aſdrubal junxiſſet.

Nero.] Sabina vox ſignificans ſtrenuum ac fortem.

31. *Metaurum flumen, &c.*] Hoc Umbriæ flumen, hodie *Metro*, labitur in Adriaticum mare. Strabo l. 6. Plin. l. 3. illic vero Claud. Nero Conſul junctis celeriter copiis cum ſuo collega M. Livio Salinatore ivit obviam Aſdrubali, cum millibus hominum quinquaginta ſex advenienti, ut dictum eſt, ac divicit, an. U. C. 526. ejuſq; caput præciſum ad Annibalis caſtra perlatum & ad pedes cùm eſſet projectum, hunc tanto pavore ac ſtupore concuſſit, ut infelicitatem Carthaginis agnoſcens incuſanſq; de fuga deinceps tantummodo cogitaverit. Valer. Maxim. lib. 4. c. 1. Oroſ. lib. 4. cap. 18. Tit. Liv. lib. 27 c. 28. Luc. Flor. lib. 2. cap. 6. &c. Adverte Druſum ac Tiberium oriundos ab illis Conſulibus; & paternum genus duxiſſe à Claudio Nerone, maternum autem à Livio Salinatore.

Aſdrubal Devictus.] Is nimirùm qui Scipiones in Hiſpania profligârat.

39. *Pulcher fugatis ille dies Latio tenebris.*] Tit. Liv. lib. 28. cap. 9. *Omni multitudine obviam effuſâ . . . . . . non ſalutabant modò univerſi circumfuſi* (circa Claudium & Salinatorem Coſs.) *ſed & contingere pro ſe quiſque victrices dextras Conſulum cupientes, alii gratulabantur, alii gratias agebant, quod eorum operâ incolumis Reſpublica eſſet. In Senatu quoque, &c.*

41. *Adoreâ.*] Victoriâ, laude, gloriâ, Fest. adoream laudem ſeu gloriam dicebant; quia glorioſum putabant eum, qui farris copiâ abundaret: meliùs alii, quia ſtrenuis & iis qui fortiter dimicâſſent militibus farris menſura diſtribui ſolita erat. Unde & *adorea* pro laude bellica. Nam far ſeu frumentum appellatum eſt *ador*, ab edendo, vel adurendo. Plaut. Amphitr. Act. 1. *Qui multâ prædâ atque adoreâ affecit populares ſuos.* Plin. lib. 18. cap. 3. *Gloriam denique ipſam à farris honore adoream appellabant.* Apuleius lib. 3. *Poſſum iſtam virtutis adoream mihi numerare.*

42. *Afer.*] Annibal, de quo lib. 2. Ode 12.

43. *Ceu flamma.*] Omnia igni ferroque vaſtans.

Tædas.] Arbores ignem facilè concipientes, ob reſinam quam continent: e genere ſunt pinuum. De iis Plin. lib. 16. cap. 10. & ſeq.

Eurus.] Ventus ab ortu ſtans, pro quolibet vento: & *undæ Siculæ*, pro quolibet mari. Synecdoch.

45. *Poſt hoc ſecundis uſque laboribus, &c.*] Cæſo Aſdrubale, Annibale vero & Pœnis ex Italia exterminatis, indies magis ac magis proſpera geſsêre bella Romani; increvit inclaruitque *pubes* & virtus *Rom.* imo belli incendia in Africam & Carthaginem ipſam tranſmiſſa ſunt. Vide Flor. lib. 2. cap. 6.

48. *Fana Deos habuere rectos.*] Quidam explicant *rectos*, æquos & vindices in impium Annibalem: alii ſtantes, ac in ſua baſi reſtitutas Deorum imagines, quas impie deturbarant

Dixitque

Dixítque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum præda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus [381]
Fallere et effugere eſt triumphus.
Gens, quæ cremato fortis ab Ilio
Jactata Tuſcis æquoribus, ſacra
Natóſque maturóſque patres
Pertulit Auſonias ad urbes;
Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes animúmque ferro.
Non Hydra ſecto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monſtrúmve ſummiſêre Colchi [382]
Majus, Echioniæve Thebæ.

Tandemque perfidus Annibal dixit: Nos tanquam *cervi, præda luporum rapacium, ſponte ſequimur* Romanos, *quos declinare* & *evitare inſignis eſt triumphus.* Illa *natio, quæ ab incensâ Trojâ ad Italiæ civitates, Etruſco exagitata mari, fortiter transportavit ſacra, liberos,* & *ſenes grandævos; ſicut ilex duris ſecuri attonſa in Algido umbroſarum frondium fertili, jacturas inter* & *cædes potentiam ac virtutem depromit ab ipſo ferro. Non hydra amputato corpore vegetior repullulavit contra Herculem ſuperari haud æquo animo ferentem; neque gravius portentum invexêre Colchi, vel Thebæ Echionis opus.*

ANNOTATIONES.

Pœni, ſine ullâ Numinum reverentiâ. T. Liv. lib. 26. c. 11. *Ad lucum Feroniæ . . . . templum eâ tempeſtate inclytum divitiis, ... bis omnibus ſpoliatum eſt.*

49. *Perfidus Annibal.*] T. Liv. l. 21. c. 24. vivam Annibalis imaginem graphicè delineatam exhibet. *Plurimum audaciæ . . . . plurimum conſilii . . . . nullo labore corpus fatigari; aut animus vinci poterat . . . . Inhumana crudelitas, perfidia plusquam Punica: nihil ſancti, nullus Deûm metus, nullum jusjurandum, nulla religio.*

Dixit: Cervi, luporum, &c.] Bella hæc laus ex hoſtium ore profecta. Ariſtoteles eum aſſerit verè bonum, quem partiter inimici & improbi adeoque univerſi laudant.

50. *Cervi, luporum præda, &c.*] Nos Carthaginienſes, tanquam *cervi* imbelles, *ultro ſectamur* Romanos, quorum veluti *luporum rapacium* futuri ſumus *præda*; quoſque proinde *fallere*, ſeu evitare contra debemus: nam hos *effugere opimus* nobis *eſt triumphus*. Scilicet fortiorem declinare hoſtem, ſpecies eſt quædam victoriæ.

53. *Gens, quæ cremato, &c.*] Romana gens à Trojanis oriunda. Vide Juſtin. l. 43. Item Carmen Seculare poſt Epodos.

54. *Sacra, Natóſque, &c.*] Æneid. 1. v. 10.
Inferretque Deos Latio.
Et Æneid. 2 v. 747.
Aſcanium, Anchiſenque patrem, Teucroſque Penates.

55. *Maturos.*] Ætate & virtute.

56. *Auſonias.*] Synecdoch. pars pro totâ Italiâ. Nam Auſonia regio eſt Campaniæ.

57. *Duris ut ilex, &c.*] Sicut ilex & alia quælibet arbor reſectis ramis uberius pullulat & creſcit: ita Romani adverſis caſibus attriti invaleſcunt magis ac magis. Certe quando Annibal maximè Romanos, deletis eorum exercitibus, premebat; tum copias tamen ſummittebant in Hiſpaniam, Siciliam, Sardiniam: adeoque locis quatuor uno eodemque tempore depugnabant. Vide Æneid. 2.

58. *Algido.* Hic mons agri Tuſculani pro quolibet alio ponitur. De eo l. 1. Ode 21.

61. *Hydra.*] Portentoſa ſerpens, pluribus horridâ capitibus, quorum uno abſciſſo, aliud renaſcebatur, imò ſeptem alia ſuccreſcebant. Ita fabulatores. At conſtat Hydram fuiſſe locum aquas evomentem copioſiores, in intimo ſinûs Argolici receſſu, & quod, uno meatu obſtructo, multis aliis erumpebant, totam regionem circum vaſtantes; tamen adhibito incendio Hercules exſiccavit eam paludem, Lernam nomine; unde Lernæum monſtrum ab illo domitum inter alia celebratur. Palæph. Hygin. Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 2. Virg. Æneid. 8. v. 300.

Lernæus turba capitum circumſtetit anguis.

Firmior.] Supple, quàm fuit Romana gens, & excrevit invaluitque in nos Pœnos: ſicut hydra adverſus Herculem ubiq; vincere aſſuetum, proindeq; nec ſemel vinci patientem.

63. *Monſtrúmve ſummiſêre Colchi.*] Loquitur de dracone inſomni ac terribili velleris aurei cuſtode, cujus è dentibus ſeminatis armati homines exorti Medeæ carminibus ad mutuam internecionem incitati periêre: vel de ipſis illis prodigioſis hominibus. Vide Metamorph. lib. 7.

Colchi.] Hi populi Aſiæ ad Euxinum Pontum, ubi nunc Mingrelia, pars Georgiæ regionis.

64. *Echioniæve Thebæ.*] Cadmus Rex Thebarum ſeminatis pariter, ut de Jaſone ſuprà dictum, draconis dentibus, repentè naſci vidit exercitum ad

Si mari demergas, clarior redit: ſi oppugnes, cum ſummâ gloriâ debellabit victorem integrum, ac certamina matronis prædicanda conficiet. Non ultra ego nuntios arrogantes mittam ad Carthaginem. Cecidit ſpes omnis, & fortuna noſtræ gentis interiit, Aſdrubale interfecto. Claudiæ ſtirpis potentia quidlibet molietur. Hanc & tuetur Jupiter Numine propitio, & liberat ſolers conſilium inter militiæ difficultates.

Merſes profundo, pulchrior evenit:
Luctêre, multâ proruet integrum
Cum laude victorem, gerétque
Prælia conjugibus loquenda.
Carthagini jam non ego nuntios
Mittam ſuperbos: occidit, occidit
Spes omnis, et fortuna noſtri
Nominis, Haſdrubale interempto.
Nil Claudiæ non perficient manus:
Quas et benigno Numine Jupiter
Defendit, et curæ ſagaces
Expediunt per acuta belli.

ANNOTATIONES.

arma mutuamque cædem paratum. Inde verò ſuperfuit Echion, poſteà Cadmi gener, atque in ædificandis Thebis adjutor.

65. *Merſes.*] Ab inuſitato *merſo, as.*

68. *Conjugibus loquenda.*] Inter conjuges & quaſlibet mulieres ſermone celebranda prælia; ſeu viri illarum aut filii vel cognati victi victoréſve fuiſſent.

69. *Carthagini jam non ego nuntios Mittam, &c.*] Non deinceps mittam Carthaginem ſuperbos victoriarum mearum nuntios, inquit Annibal, quales poſt Cannenſem cladem, &c. Vide T. Liv. l. 23. c. 11, & 12.

73. *Claudiæ manus, &c.*] Vires, conſilia, ſolers induſtria Neronum Claudiâ gente oriundorum. Sueton.

76. *Acuta belli.*] Belli ſubita pericula, doli, inſidiæ, ſtratagemata.

ODE V.

Ad AUGUSTUM.

Ut ſuum in Urbem reditum acceleret.

O Populi Romani tutor præſtantiſſime, numinibus propitiis nate, jam nimis diu abſens fuiſti; revertere, qui promiſiſti ſacro Senatorum cœtui celerem reditum. Optime Princeps, reſtitue lumen patriæ tuæ. Nam quando facies tua tanquam vernum tempus apparuit, jucundiores fluunt horæ, & dies clarius fulgent. Sicut mater crebris votis ac precibus expetit filium, quem Auſter adverſis flatibus removet à dulci domo, plus annuo intervallo morantem.

DIVIS orte bonis, optime Romulæ [181]
Cuſtos gentis, abes jam nimiùm diu;
Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ:
Inſtar veris enim vultus ubi tuus
Affulſit populo, gratior it dies,
Et ſoles meliùs nitent.
Ut mater juvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris æquora
Cunctantem ſpatio longiùs annuo

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 6. Lib. 1.

1. *Divis orte, &c.*] Senatûs populique Romani amorem erga Cæſarem Auguſtum vivis pingit coloribus.

2. *Abes jam nimiùm diu.*] Tribus annis Româ Cæſar abfuit, in Gallias profectus, an. U. C. 737.

3. *Maturum reditum pollicitus, &c.*] Seu antequam abiret, ſeu per literas, ſeu legationibus, à Senatu populoq; Romano ad Auguſtum miſſis. Cunctanti verò hanc Oden ſcripſit Poeta.

9. *Ut mater.*] Nil ſuavius iſtâ comparatione.

10. *Carpathii.*] De eo mari l. 1. Ode 35. v. 8.

Dulci

Dulci diſtinet à domo,
Votis omnibus hunc et precibus vocat,
Curvo nec faciem littore demovet:
Sic deſideriis icta fidelibus [384]
Quærit patria Cæſarem.
Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit culta Ceres, almàque Fauſtitas:
Pacatum volitant per mare navitæ:
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur caſta domus ſtupris;
Mos et lex maſculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes.
Quis Parthum paveat? Quis gelidum Scythen?
Quis Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæſare? Quis feræ [385]
Bellum curet Iberiæ?

ultra mare Carpathium: neque vultum avertit ab incurvâ ripâ: ita patria deſideriis accenſa fidelibus exoptat Auguſtum. Nam bos ſecurus per campos vagatur: agros fovet Ceres & abundans felicitas: nautæ mari tranquillo navigant: fidelitas cavet vituperari: nullis flagitiis contaminantur familiæ pudicæ: diſciplina & leges vicerunt turpe crimen: matres laudantur ob filios ſimiles; pœna ſequitur & plectit ſcelus. Auguſto ſalvo quis timeat Parthos? Quis Scythas frigidos? Quis homines quos gignit immanis Germania? Quis expaveſcat bella Hiſpaniæ ferocis?

ANNOTATIONES.

13. *Votis omnibus hunc.*] Legunt plerique *votis omnibuſque*, hoc ſenſu: mater anxia non tantùm vota preceſque Diis nuncupat pro filii reditu & incolumitate, ſed & omina quævis arripit, quaſi totidem præſagitiones.

14. *Nec faciem littore demovet.*] Obſervans adventantes undequaque naves, præ deſiderio filii abſentis, quem ſingulis horis redeuntem expectat & exoptat. Sic Tobiæ mater *quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, ut procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem . . . Et ſedebat ſecus viam quotidie, in ſupercilio montis, unde reſpicere poterat de longinquo. Et dum ſpecularetur adventum filii* jam dudum abſentis, *vidit à longè, & illum agnovit venientem, curvenſque nuntiavit viro ſuo, &c.* cap. 10. & 11. Tob.

16. *Quærit patria Cæſarem.*] Vota publicè ſuſcepta pro reditu Auguſti, refert Dio lib. 54. Vide Sueton. Octav. c. 57. Huc & referri poteſt cuſum numiſma ex unâ parte continens Epigraphen, *S. P. Q. R. Cæſari Auguſto:* ex alterâ verò, *Vota publice ſuſcepta pro ſalute & reditu.*

17. *Tutus bos etenim, &c.*] Rationes affert ob quas Romani tantopere Auguſtum diligant: nimirum tot acceptis per eum muneribus ac beneficiis non poterant non vehementer amare. Per Auguſtum ubique firmata pax, terrâ mariq; ſecuritas, leges conſtitutæ, nefas quodvis edomitum, repreſſi hoſtes, &c. Vide Oden 14, & 15. hujus libri.

22. *Mos & lex.*] Lib. 3. Od. 24. *Quid leges ſine moribus vanæ proficiunt?* Vide Sueton. Octav. c. 34. ubi mentio legis Juliæ *de coërcendis adulteriis & de pudicitiâ, &c. . . . cumque vim legis eludi ſentiret crebrâ matrimoniorum mutatione, &c. tempus ſponſas habendi coarctavit: divortiis modum impoſuit.*

23. *Laudantur ſimili prole puerperæ.*] Martial. lib. 6. Epigram. 27.

Eſt tibi, quæ patris ſignatur imagine vultus,
Teſtis maternæ nata pudicitiæ.

Catull. in Nuptiis Juliæ & Manlii Torquati, Car. 62.

Torquatus volo parvulus
. . . .
Sit ſuo ſimilis patri
Manlio, & facile inſciis
Noſcitur ab omnibus:
Et pudicitiam ſuæ
Matris indicet ore.

24. *Culpam pœna premit comes.*] Fruſtra lex vetat ſcelus, niſi in ſceleratos animadvertatur. At *pœna comes* coërcet peccandi libidinem. Plato de leg. 5. τιμωρία ἀδικίας ἀκόλουθος.

25. *Quis Parthum paveat, &c.*] Vide lib. 1. Od. 12. ſub finem Od. 19. v. 12. Lib. 3. Od. 5.

Quis gelidum Scythen.] Lib. 1. Od. 19. & 35. lib. 2. Od. 9. in fine, Lib. 3. Od. 24. v. 9.

26. *Quis Germania quos, &c.*] Vide Flor. l. 4. c. 12. *Domuit Uſipetes, Tenctheros, Cattos . . . inde validiſſimas nationes, Cheruſcos, Suevos, Sicambros, &c. . . . Ea denique in Germaniâ pax erat, ut mutati homines, alia terra viderentur.*

Horrida.] Sive ob mores barbaros, ſive ob prægrandes viros, & ingentia corpora Germanorum. Cæſar. Comment. Cornel. Tacit. de moribus Germanorum. Plutarch. &c.

28. *Iberiæ.*] Ab Ibero flu. Iberia dicta: eſt

Unuſquiſque diem finit in ſuis collibus, atque vitem maritat viduis arboribus: inde hilaris revertitur ad cœnam, teque numen invocat menſis ſecundis; te pluribus votis, te vino de crateribus fuſo colit, & numen tuum adjungit Laribus; quemadmodum Græcia Caſtoris & magni Herculis, erga illos *grata. O utinam, bone Princeps, Italiæ dones feſtos diuturnos.* Hoc *precamur ſobrii primo diluculo:* Hoc & *repetimus benè poti, quando Sol occidit ſub Oceano.*

Condit quiſque diem collibus in ſuis,
Et vitem viduas ducit ad arbores.
Hinc ad vina redit lætus, et alteris
Te menſis adhibet Deum.
Te multâ prece, te proſequitur mero
Defuſo pateris; et Laribus tuum
Miſcet numen, utì Græcia Caſtoris
Et magni memor Herculis.
Longas ô utinam, Dux bone, ferias
Præſtes Heſperiæ, dicimus integro
Sicci manè die: dicimus uvidi, [386]
Cùm Sol Oceano ſubeſt.

ANNOTATIONES.

Hiſpaniæ pars, & per Synec. tota ſic vocatur. Vide l. 2. Od. ult. v. 20. Flor. mox. cit. *Pacata fere omnis Hiſpania, &c.* Et poſtea: *Hic finis Auguſto bellicorum certaminum fuit: idem rebellandi finis Hiſpaniæ, &c.*

29. *Condit quiſque diem, &c.*] Arat colitque agros ſuos quiſque, & operi vacat ruſtico, à mane ad veſperam, ſine ullo metu hoſtili. Virgil. Eclog. 9. v. 52.

Cantando puerum memini me condere ſoles.

31. *Alteris Te menſis adhibet Deum.*] Ex Senatuſconſulto cautum fuit, ut in convivils, tum publicis, tum privatis, Auguſto ab omnibus libaretur. Dio lib. 50. is nempe mos apud veteres, ut remota prima menſa, quæ ciborum ſeu carnium erat, ſecunda adhiberetur fructibus & bellariis onuſta, cum exquiſitiſſimo vino, è quo fiebant libationes, adjunctis precibus, in honorem Deorum. Vid. Virg. Æneid. 1. v. 727. & 735. & Æneid. 8. v. 283. nec non Georgic. 2. v. 101.

34. *Laribus.*] Diis Imperii Tutelaribus perinde ac ædium privatarum.

Tuum Miſcet numen.] Teque adeo venerantur, ut numen aliquod Romanis rebus propitium. Non abſurdè legunt quidam, *nomen.*

36. *Memor.*] Acceptorum videlicet ab eis beneficiorum. Hercules enim à monſtris & aliis incommodis vindicavit multas ac diverſas Græciæ regiones. Caſtor autem & Pollux mari piratas exegerunt, navigationemque ideo juvare tanquam numina quædam benigna exiſtimati ſunt; imò velut maris Dii coluntur, &c.

37. *Ferias.*] Dies feſtos lætoſque; diuturnum otium, ſecuritatem perpetuam.

38. *Heſperiæ.*] Italia ſic appellata. Vide lib. 1. Od. 28. ubi, *fluctibus Heſperiis.* Et l. 2. Od. 1. ſub finem, ubi, *Heſperiæ ſonitum ruinæ.* Nec non l. 1. Od. 36. v. 4.

Integro.] Vix dum incepto.

39. *Sicci.*] Sobrii, abſtemii, jejuni.

Uvidi.] Vino profuſi, cœnati.

40. *Cùm Sol Oceano ſubeſt.*] Nam veteres cœnam producebant ad multam noctem.

ODE

ODE VI.

Ad APOLLINEM et DIANAM.

DIVE, quem proles Niobæa magnæ
Vindicem linguæ, Tityóſque raptor
Senſit, et Trojæ propè victor altæ
Phthius Achilles:
Cæteris major, tibi miles impar, [387]
Filius quamvis Thetidos marinæ
Dardanas turres quateret tremendâ
Cuſpide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulſa cupreſſus Euro,
Procidit latè, poſuítque collum in
Pulvere Teucro.

O Deus, quem ſuperbi ſermonis ultorem experti ſunt filii Niobes, ac Tityus raptor, atque Phthius Achilles famoſæ Trojæ propemodum expugnator; aliis quidem fortior, te verò inferior miles; quanquam Thetidis marinæ filius Trojanas arces impugnaret haſtâ tremendâ certans. Is, ſicuti pinus edace ſecuri percuſſa, vel cupreſſus Euro dejecta, late procubuit, cervicemque demiſit in pulvere Trojano.

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 2. Lib. 1.

1. *Dive, &c.*] Carmen hoc, ut & 21. lib. 1. Seculare inſcribi ſolet, ut annotavi ibidem: neutrum tamen propriè titulum hunc meretur, ſed illum tantùm quod habetur poſt Epodos. Vide ibi annotata.

Quem proles Niobæa, &c.] Apollo, qui honorem Latonæ matris tuæ vindicâſti adverſus arrogantiam Niobes, quæ ſe auſa eſt jactare fœcundiorem ac feliciorem partubus ac ſobole, præ ipſâ Latonâ duos tantum enixâ, cùm ipſa numeroſam pulchramque genuiſſet prolem. Gell. l. 20. c. 6. *Mira, inquit, & propè adeò ridicula diverſitas fabulæ apud Græcos poetas deprehenditur ſuper numerum Niobæ filiorum. Nam Homerus pueros puellaſque ejus ſenos fuiſſe dicit, Euripides bis ſeptenos, Bacchylides & Pindarus bis denos. Quidam alii tres fuiſſe ſolos ſcripſerunt.* Porrò filios Niobes omnes Apollo, filias Diana, ſagittis confixos peremêrunt: Niobe verò in ſaxum mutata fertur. Homer. Iliad. ult. Ovid. Metam. 6. cap. 3. Diod. Sicul. l. 5. c. 11. Juvenal. Sat. 6. v. 173. & ſeq. Auſon. Epitaph. 27. de Niobe.

Bis ſeptem natis genitrix læta, atque ſuperba,
Tot duxi mater funera, quot genui.
Nec ſatis hoc Divis; duro circumdata ſaxo
Amiſi humani corporis effigiem, &c.

Niobe Tantali filia, uxor verò Amphionis Thebarum regis.

2. *Tityóſque raptor.*] Vide lib. 2. Od. 14. lib. 3. Od. 4.

3. *Trojæ prope victor.*] Qui, interfecto Hectore Trojæ defenſore præcipuo, ejus urbis expugnationem reddidit facilem: quam certè acceleràſſet niſi à Paride fuiſſet interemptus, ut mox dicetur.

4. *Phthius Achilles, &c.*] Oriundus è Phthiâ urbe Theſſaliæ.

5. *Impar tibi.*] Achilles Græcorum fortiſſimus, Trojanorum terror, haud verò par tibi, Phœbe, qui ſub figurâ Paridis latens eum occidiſti. Hygin. &c. aut, quod ſcribit Virgil. Æneid. 6. v. 57.

Dardana qui Paridis dirêxti tela manuſque
Corpus in Æacidæ.

6. *Thetidos marinæ.*] Achillis erat mater Thetis, filia Nerei Dei marini. l. 1. Od. 8.

7. *Dardanas turres.*] Dardanus Jovis filius ex Electrâ Atlantis filiâ ab Africâ venit in Aſiam, conſeditque in regione Helleſponto vicina. Ibi Dardanum urbem condidit, quæ poſtea Troja à rege Troë dicta. Virgil. Æn. 8. v. 134.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor.

Tremendâ cuſpide.] Ex Homer Iliad. 19. ſub finem; haſtam Achilles paternam gerebat gravem & ingentem, quam criſpare aut vibrare ſolus noverat, à Chirone inciſam, ad cædem heroum.

9. *Ille, mordaci velut, &c.*] Caſus Achillis gravis & magnus, quemadmodum corpus & animus magna fuerunt. Sic de Entello Virg. Æneid. 5. v. 447.

Ipſe gravis graviterque ad terram pondere vaſto
Concidit: ut quondam cava concidit, aut Erymantho,
Aut Idâ in magnâ radicibus eruta pinus.

10. *Impulſa cupreſſus Euro.*] Velut ingens arbos vi ventorum proſtrata.

11. *Poſuitq; collum in Pulvere Teucro.*] Lib. 2. Od. 7. v. 12. ſimilem dictionem vide, ibiq; annot. Hic noſter indicat Achillem cecidiſſe in Trojano campo & certamine: quod

Ille non clauſus equo ſacra Palladis ſimulante decepiſſet Trojanos perperam otiantes, & aulam Priami ſaltationibus gaudentem: ſed aperte in expugnatos immitis, heu nefas, heu! infantes cremaſſet ignibus Græcis, nec non ventre materno incluſos: niſi Deorum pater tuis ac Veneris jucundæ precibus exoratus conceſſiſſet Æneæ laboribus mœnia felicioribus auſpiciis extructa. O Apollo citharista, Thaliæ bene canentis

Ille non incluſus equo Minervæ [188]
Sacra mentito, malè feriatos
Troas et lætam Priami choreis
  Falleret aulam:
Sed palam captis gravis, heu nefas, heu!
Neſcios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentes
  Matris in alvo:
Ni, tuis victus Veneríſque gratæ
Vocibus, Divûm pater annuiſſet
Rebus Æneæ potiore ductos
  Alite muros.
Doctor argutæ fidicen Thaliæ, [189]

ANNOTATIONES.

idem ſcribit Ovid. Metamorph. l. 12. v. 604. ubi Apollo Paridi

Oſtendens ſternentem Troica ferro
Corpora Peliden, arcus obvertit in illum,
Certáque lethiferâ direxit ſpicula dextra.

Itaque *non indecoro pulvere ſordidus* occubuiſſet. Alii verò, cùm ad nuptias Polyxenæ contenderet, in templo Apollinis ſagittâ in calce percuſſum à Paride poſt illius Dei ſimulacrum latente.

12. *Teucro.*] Pro *Teucrio.* Teucri dicti ſunt Trojani, & Troas ac Troja Teucria, à Teucro (non illo Græco, Ajacis fratre) Phrygiæ rege, cujus filiam duxit Dardanus, eique in regnum ſucceſſit.

13. *Ille non incluſus, &c.*] Adverte quam extollat Achillis fortitudinem, ut eo majorem paret gloriam victori ejus Phœbo. Quod ſi, inquit Poëta noſter, vixiſſet Achilles, nequaquam opus Græcis fuiſſet machina illa, ſeu equo ligneo, quem placandæ Minervæ cauſa fabricatum illi mentiti ſunt; ſed aperto Marte, ſine dolis aut inſidiis, Trojam ac Trojanos debellaſſet. Vide Virg. Æneid. 2. v. 17.

Votum pro reditu ſimulant.——

14. *Malè feriatos.*] Imprudenter ac intempeſtivè abjectis armis feſta celebrantes, dum ſuis adhuc cervicibus incubaret hoſtis. Virgil. Æn. 2. v. 15.

Nos abiiſſe rati, & vento petiiſſe Mycenas.
Ergo omnis longo ſolvit ſe Teucria luctu.
Panduntur portæ, &c.

15. *Lætam choreis, &c.*] Aulam regis totamque urbem choreis & lætitiæ vacantem, cùm tamen extrema inſtarent fata. Virgil. Æneid. 2. v. 234.

Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.
. . . . Scandit fatalis machina muros
Fœta armis; circùm pueri innuptæque puellæ
Sacra canunt, &c.

v. 248.

Nos delubra Deûm miſeri, quibus ultimus eſſet
Ille dies, feſtâ velamus fronde per urbem.

17. *Sed palam captis, &c.*] Sic bellè exprimit Horatius indolem Achillis, ut & Epiſt. ad Piſones, v. 122.

Si forte reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.

19. *Etiam latentes Matris in alvo.*] Apud Homer. Iliad. Agamemnon præcipit Menelao, ne parcat cuiquam Trojanorum, neque ipſis infantibus materno utero incluſis.

21. *Ni, tuis victus, &c.*] Apollo & Venus Trojanis faventes Jovi ſupplicarunt, ut, quoniam in fatis erat Trojam exſcindi, ſaltem, perempto inexorabili Achille, liceret Æneæ ac ſociis aliquot è Græcorum evadere manibus, atque novam gentem urbemque feliciori auguſio condere in Italiâ. Vide Æneid. 1. v. 233. & ſeq. v. 260. & ſeq.

23. *Potiore alite.*] Ex alitum aſpectu captari auſpicia, alibi notavi. Huc verò ſpectat quod æternam fore Romam credebant Romani, & apud Virgil. Æneid. 1. v. 279. ita ſpondet Jupiter:

Imperium ſine fine dedi.——

25. *Doctor argutæ, &c.*] Placet quibuſdam *ductor*, ut reddatur illud Græcorum *μυσηγέτης* Veruntamen nihil mutabit lector ſagax.

Thaliæ.] Pro quâlibet Muſarum hæc ponitur, quæ dicta *ἀπὸ τῦ θάλλειν florére*; quod Poëtas faciat gloriâ & famâ florentes.

Phœbe,

Phœbe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniæ defende decus Camenæ
Lævis Agyieu.
Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, nomẽnque dedit poëtæ.
Virginum primæ, puerìque claris [39°]
Patribus orti,
Deliæ tutela Deæ, fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Leſbium ſervate pedem, meíque
Pollicis ictum

eruditor, qui Xantho flumine lavas capillos; imberbis Agyieu. tuere gloriam Muſæ Appulæ. Apollo mihi ingenium, Apollo facultatem poeſeos & vatis appellationem tribuit. O puellæ primariæ, & pueri illuſtribus parentibus nati, clientes Deæ Deliæ, quæ timidos lyncas & cervos arcu proſternit, cuſtodite menſuram Sapphicam, & pollicis mei ſonum:

ANNOTATIONES.

26. *Qui Xantho lavis amne crines.*] Vid. l. 3. Ode. 4.

Qui rore puro Caſtaliæ lavit.
Crines ſolutos.

Capillos antiqui in fluviis aut fontibus lavabant, ſeu munditiei, ſeu nitoris augendi causâ. Senſus itaq; eſt; qui dominaris iis regionibus, quas rigat Xanthus. Porro Xanthus duplex: alter in Troade, ex Ida monte in Helleſpontum defluens, qui & Scamander appellatur à nonnullis. Neque hunc intelligere iſtic licet: ſiquidem in eâ regione Apollo non colebatur. Alter ejuſdem nominis fluvius eſt in Lyciâ, è monte Cadmo ſcaturiens, Xanthumque urbem interfluens, Glaucus Plinio, Straboni Sirbis dictus, vulgo etiam *Sirbi*; quem ſane deſignat hic Horatius, qui loco ſuprà citato de eodem Apolline dixit: *qui Lyciæ tenet dumeta.* Sunt qui alludi putent ad vocem ξανθός *flavus*, eo quod Apollinis flava cæſaries celebretur.

27. *Dauniæ defende decus Camenæ.*] Mihi patrocinare: cui *ſpiritum & carminis artem dediſti: nomen & decus* tribue, defende, amplifica; pariterque gloriam Latinæ poëſeos.

Dauniæ.] Vel, per ſynecdochen, intellige totam Italiam, cujus pars eſt Daunia, ſive Apulia à Dauno rege appellata; hodie, *la Capitanata.* De eâ jam l. 1. Od. 1. 22. & l. 2. Od. 1. vel reſpexit noſter poëta ſuam patriam, adeoque ſuam Muſam Apollini commendat. Sic *Calabras Pierides* pro Ennianâ poëſi; *Ceam Camenam* pro Simonideâ; *Teiam Muſam* pro Anacreonticâ, antè dixit. Ergo & hic *Dauniam Camenam* pro Venuſina; quia Venuſium in finibus eſt Apuliæ ſive Dauniæ, quâ in urbe natus Horatius.

28. *Lævis.*] Sive *levis*; λεῖος, *politus, imberbis*, utpote juventute florens perpetuâ. Talis enim colitur Apollo.

Agyieu.] 'Αγυιά, *vicus, via.* Hinc Apollo 'Αγυιεὺς, eo quòd in viis coleretur, & columnæ Apollini ſacræ præ foribus ſtarent. Euſtath. Sive Dorico iſto vocabulo ſignificantur columnæ in coni formam deſinentes, Apollini vel Baccho ſacræ, quas ante fores ædium pridem erigebant. P. Bembus ex Suidâ. Macrob. l. 1. Saturn. c. 2. *Apud Græcos Apollo ἀγυιεὺς nuncupatur, quaſi viis præpoſitus urbanis: illi enim vias quæ intra pomœrium ſunt, ἀγυιὰς appellant.*

29. *Spiritum Phœbus, &c.*] Hactenus poëta laudat invocatque Apollinem; jam quæ ab illo afflatus condit carmina, prædicat, ac ritè & religioſè canenda præcipit. *Spiritum*, venam divitem, Ep. ad Piſon. *artem carminis*, ingenium non rude, ſed arte excultum, ibid. vocat.

31. *Virginum primæ, &c.*] Julia Auguſti filia, Marcellæ Marcelli & Octaviæ ſororis Auguſti filiæ: vel Julia & Agrippina neptes ex Agrippâ & Julia.

Puerique, &c.] C. L. nepotes Auguſti. Hæc Lambinus certè dormitans. Imò compellat Horatius virgines quaſq; nobiles, ac pueros prætextatos, à quibus ex more carmen ſeculare concinendum erat; ut ampliùs deinde ſuo loco dicam, nimirum in Carmine Seculari, poſt Epodos.

33. *Deliæ tutela Deæ.*] Hujus enim erant in clientelâ ſeu tutelâ, ejuſq; laudes celebrare conſueverant. Vide l. 1. Ode 21.

Deliæ.] A Delo inſulâ, ubi nata & præcipuè obſervata Diana. Vide l. 3. Ode 4. v. 64. Catull. 32.

Dianæ ſumus in fide
Puellæ & pueri integri.

34. *Lyncas & cervos cohibentis arcu.*] Venatione gaudentis, feraſq; ſagittis & arcu vulnerantis occidentiſque. *Lynx*, accutiſſimi viſus animal, inſtar leopardi diſtinctum maculis, vernaculè the Ounce, vocatur. Lupum cervarium aliqui dicunt; jure an injuriâ? Vide Geſn. de quadruped. Plin. l. 28. &c. De iis jam l. 2. Ode 13. v. ult.

35. *Leſbium ſervate pedem, &c.*] Sapphici mei carminis obſervate menſuram, & ad meæ lyræ ſonum voces & cantus veſtros aptate diligenter. Sappho, è Leſbo inſula, nomen dedit & originem Sapphico carmini. Vide l. 2. Od. 13. & 1. ibique annot.

35, 36. *Meique pollicis ictum.*] Quaſi pul-

ritè celebrantes filium Latonæ, ritè Dianam lumine augeſcentem, frugibus propitiam, fluxis menſibus evolvendis promptam. Aliquando connubio juncta dices. Ego poetæ Horatii verſibus erudita cecini carmen gratum Numinibus, quando ſeculum reduxit dies ſolemnes.

Ritè Latonæ puerum canentes,
Ritè creſcentem face noctilucam;
Proſperam frugum, celerémque pronos
Volvere menſes.
Nupta jam dices: Ego Diis amicum, [291]
Seculo feſtas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horatî.

ANNOTATIONES.

ſaſſet ipſe citharam, hæc ait, ac veluti chorodidaſculus, exemplo Græciæ Lyricorum. Theod. Marcil.

37. *Ritè.*] Ex ritu antiquo & ſolemni.

38. *Creſcentem face noctilucam.*] Diana eadem quæ Luna, nocte lucens, νυκτιλαμπὴς Simonidi apud Dionyſ. Hal. Incrementa lucis ac decrementa ſingulis menſibus habere cognoſcitur: orbem ſuum conficit diebus circiter 28. unde *menſes pronos celeriter volvere* dicitur mox. Cic. de Nat. Deor. 2. n. 68. *Luna à lucendo nominata, eadem Lucina: ut apud Græcos Diana eaque Lucifera invocatur à parentibus, ſic apud noſtros Juno Lucina. Eadem Diana omnivaga dicitur, non à venando, ſed quod in ſeptem numeratur tanquam vagantibus. Diana dicta quia noctu quaſi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quòd ii matureſcunt aut ſeptem nonnunquam, aut plerumque novem Lunæ curſibus: qui, quia menſa ſpatia conficiunt, menſes nominantur.*

39. *Proſperam frugum.*] Frugibus vegetandi vim humore ſuo impertit Luna.

41. *Nupta jam dices, &c.*] Cùm nupta olim eris, tum non ſine gaudio dices: Ego pridem, adoleſcentula & virgo, carmen ſeculare ab Horatio compoſitum recitavi cum meis æqualibus. Hoc ideò ait, quod ea veteribus opinio inoleverat, connubium celerius ac felicius iis provenire, à quibus ſeculare carmen, in honorem ſcilicet Apollinis ac Dianæ, decantatum fuiſſet in ludis ſecularibus.

42. *Seculo feſtas referente luces.*] Quanto apparatu, quanta lætitia celebrarentur ludi ſeculares, dicam in carmine ſeculari. Tunc feriari omnes, & hilaritati ſacriſque operam dare jubebantur.

ODE VII.

Ad TORQUATUM.

Vita hilaritèr ducenda, quia res omnes diffluunt.

Abierunt nives, jam agris herbæ renaſcuntur, & frondes arboribus. Terra mutat conditionem: atque fluvii imminuti labuntur juxta ripas.

DIffugêre nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribúſque comæ.
Mutat terra vices, et decreſcentia ripas
Flumina prætereunt.

ANNOTATIONES.

Hæc Ode eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt hexameter heroicus, alter eſt dactylicus archilochius dimeter, conſtans duobus dactylis & unâ ſyllabâ.

1. *Diffugêre nives.*] Hæc Ode ſimile prorſus argumentum habet atque quarta l. 1. dictiones pares, ingenii tamen Horatiani fœcunditate gratam varietatem indutas. Scripta eſt ad Manlium Torquatum, qui fuit Conſul A. U. 689. atque ſub eo natum volunt poetam noſtrum.

3. *Mutat terra vices.*] Terra prius hyemali conſtricta gelu mœſtaque, jam *ſolvitur gratâ vice veris & Favoni*, jucundamque experitur amœnitatem.

3, 4. *Decreſcentia ripas Flumina prætereunt.*] Salmaſius legit *recreſcentia*: alii *decreſcentia* explicant, valdè creſcentia, ſcilicet liquatis nivibus; ſicque ripas ſuas tranſiliunt ac ſuperant: quoniam, inquiunt, hyemis nives ineunte vere liqueſcunt & fluvios augent. Pace tamen tantorum virorum aliter interpretari placuit, hoc verius quò ſimplicius, nec lector refragabitur, ut ſpes eſt. Senſus eſt; flumina, antè nivium aquis aucta & ripas ſupergreſſa jam ad eas redierunt, euntque & fluunt præter, id eſt, ſecundum ripas, nec ultra ſuum alveum feruntur, aut exundant.

Gratia cum Nymphis geminiſq; ſororibus audet [392]
Ducere nuda choros.
Immortalia ne ſperes, monet annus, et almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora miteſcunt Zephyris: ver proterit æſtas
Interitura, ſimul
Pomifer autumnus fruges effuderit: et mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cœleſtia Lunæ:
Nos, ubi decidimus
Quò pius Æneas, quò Tullus dives, & Ancus;
Pulvis et umbra ſumus.
Quis ſcit an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ [393]
Tempora Dii ſuperi?
Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico
Quæ dederis animo.
Cùm ſemel occideris, et de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria;
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Reſtituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum;

Gratia cum Nymphis ac binis ſororibus non veretur nuda choreas celebrare. Annus & hora, quæ gratum diem aufert, immortalitatem ſperare vetat. Hyems temperatur Zephyris: vernam tempeſtatem abſumit æſtiva ſimiliter *peritura, poſteaquam autumnus fruges produxerit: ſtatemque pigra redeunt frigora. Lunæ tamen citò reſarciunt detrimenta cæli:* at *nos, ſimul ac devenimus eò, quò bonus Æneas, Tullus opulentus, atque Ancus* decidérunt, *ſumus* duntaxat *cinis & umbra. Quis novit utrum cœleſtia Numina diem craſtinam hodiernæ ſint additura? Quæ genio benigne indulſeris,* hæc *avaras manus hæredis effugient: poſtquam interieris, & Minos de te judicium ultimum protulerit; nec ſtirps* nobilis, *nec eloquentia, nec pietas reparabit te, ô Torquate. Enimverò neque Diana caſtum Hippolytum eximit Inferorum caligine;*

ANNOTATIONES.

5. *Gratia cum geminis ſororibus.*] Gratiæ tres, Aglaia, Thalia, Euphroſyne.

6. *Nuda.*] Ob calorem veris, vel ob rationes alibi allatas. Vide l. 1. Ode 4. & 20. Item l. 3. Ode 19.

7. *Monet annus, &c.*] Tempus fluxum vitam noſtram pariter effluere & abſumi docet; l. 2. Ode 18. *Truditur dies die.*

9. *Zephyris.*] Ventis tepidis, *veris comitibus.* Vide l. 3. Ode 1. v. 24. & infrà Ode 12. hujus l. 4.

13. *Damna tamen celeres, &c.*] Luna quidem ſuum orbem novo curriculo remetiens reparatur, fitque iterum plena, quæ interierat: cit. lib. 2. Ode 18. *Novæque pergunt interire Lunæ.* At nos mortales, cum ſemel interiimus, haud amplius reparamur aut reviviſcimus. Moſchus Eidyll. 3. Bionis deflens interitum, Hei, hei, *malvæ in hortis, apium, anethum, cum interiêre, tamen renaſcuntur poſteà,* inquit: *nos vero, qui magni, fortes, ſapientes, ubi primum mortui ſumus, obſcuri in terrâ ſomnum dormimus longum, infinitum,* μάλα μακρὸν, ἀτέρμονα, νήγρετον ὕπνον, &c.

15. *Quò pius Æneas.*] Ad inferos nempe. Senſus eſt, non pietas Æneam non opes Tullum Hoſtilium, non Ancum Martium virtus ac fortitudo à morte vindicârunt: quis ergo ſibi ſpondeat immortalitatem? *Æneas* fama ſuper æthera per Virgilium notus. *Tullus & Ancus,* ille tertius, hic quartus Rex Roman. T. Liv. lib. 1. Dionyſ. Halic. lib. 3. &c.

16. *Pulvis & umbra ſumus.*] Eurip. Ἄνθρωπός ἐςι πνεῦμα ϗ σκιὰ μόνον, *Homo eſt flatus & umbra tantum.* Sophocles in Ajace, Εἴδωλα ϗ κούφην σκιάν. *Simulacra & levem umbram* homines appellat: Anac. Ὀλίγην κόνιν, *Exiguum pulverem.* Jac. Apoſt. Epiſt. c. 4. v. 14. Ἀτμὶς πρὸς ὀλίγον φαινομένη, ϗ ἔπειτα ἀφανιζομένη. Vita eſt, *vapor modice apparens, & mox evaneſcens.*

17. *Summæ.*] Numero dierum quos viximus. Quidam cop. leg. *vitæ.*

22. *Splendida arbitria.*] Non malè Heinſ. interpretatur; gravia, majeſtatis plena: vet. interpretes æquè benè, vera & manifeſta.

Minos.] Apud inferos judex. Vide l. 1. Ode 28. l. 2. Ode 15.

25. *Infernis neque enim, &c.*] Morte nec liberant Dii ſibi dilectos. Diana non inferis eripit Hippolytum, caſtitatis famâ inclytum. Vide Ov. Metamorph. 15. Senec. Tragœd. Hippolyt. &c. Hic Theſei & Hippolytæ Amazonis filius, cœlibem vitam ac venationis ſtudium colens, & hinc Dianæ charus, interpellantem de ſtupro Phædram novercam ſtrenue repulit. Hæc illum apud Theſeum

Nec

nec Theſeus dilecti Pirithoi catenas infernales poteſt ſolvere.

Nec Lethæa valet Theſeus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

ANNOTATIONES.

detulit, quaſi ipſam ad flagitium pellexiſſet. Hippolytus fugiens iratum patrem currum conſcendit: at equi phocis exterriti currum & ipſum aurigam per devia trahentes diſcerpsêrunt, nomenque fecêrunt Hippolyti, ab ἵππος, *equus*, & λύω, *diſſolvo*. Extinctum tamen Dianæ precibus incolumitati priſtinæ reſtituit Æſculapius: unde Virbium ſe voluit appellari, quaſi bis virum. At demum fato omnibus communi functus deceſſit. Quapropter ab inferis minimè liberatum dicit Horatius. Vide Gell. l. 10. c. 16.

27. *Lethæa.*] Lethe fluvius inferorum pro ipſis inferis ponitur frequenter.

Theſeus.] Hic filius Ægei regis Athenarum tot egregiis facinoribus inſignis, ut pro Hercule habitus ſit: Pirithoum præcipuâ coluit amicitiâ, comitemque aſſumpſit ad Inferos profectus rapiendæ Proſerpinæ causâ. Porrò ab Hercule ex Inferis ereptus ſecum voluit Pirithoum attrahere. Hic verò ſuperveniente terræ motu ab eo diſtractus ac diremptus, ibidem vinculis conſtrictus manſit. Plutarch. in vitâ Theſei. Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 5. &c.

28. *Pirithoo.*] Ixionis ille filius, ope Theſei Centauros vicit, &c. Vide lib. 3. Ode 4. in fine, ibique annot.

ODE VIII.

Ad MARTIUM CENSORINUM.

Nihil præter carmina dare poſſe: at illa rebus omnibus eſſe præferenda.

O Cenſorine, crateras & jucunda ex ære vaſa ultro darem ſociis meis; darem tripodas, Græcorum ſtrenuorum munera. Tu verò non minima acciperes, ſi opulentus forem artibus, quas provexit vel Parrhaſius vel Scopas;

DOnarem pateras gratáque commodus, [594]
Cenſorine, meis æra ſodalibus;
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum: neque tu peſſima munerum
Ferres; divite ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas;

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod, Ode 3. Lib. 1.

1. *Donarem pateras, &c.*] Non abs re Theodorus Marcilius exiſtimat Oden hanc munus eſſe Saturnalitium: ſive Saturnalibus, quo tempore amicia munera invicem miſſitabant, miſſam Cenſorino. C. Martius ille Cenſorinus Conſul fuit cum Aſinio Gallo anno U. C. 746.

Pateras.] Varro 4. de Ling. Lat. *In poculis ſunt pateræ*, inquit, *à patendo dictæ*. Anglicè, A Cup. Ejuſmodi pocula argentea in ſacris adhibebantur: dono etiam dabantur. Plaut. Amphitr. Scen. 1.

Poſt ob virtutem hero Amphitruoni patera
donata aurea eſt,
Qua Pterela potitare rex ſolitus eſt.

2. *Æra.*] Vaſa ex ære capacia, lebetas, Ang. Caldrons, quæ multiplici erant uſui.

Commodus.] Benignus, facilis, liberalis. Quidam legunt, commodis, ſed perperam.

3. *Tripodas.*] Menſas vel ſellas aliqui dicunt fuiſſe; alii, anſatas ollas: tripodas certè appellarunt, quòd ternis pedibus infima pars ſuſtineatur, inquit Athen. mox citandus. Cæterùm apud priſcos tripodum genera duo fuere, quæ ambo lebetas aliquando nominârunt: alterum caldarium, quod igni admovebatur, ideoque dicebatur, ἐμπυριβήτης, & λοετροχόος, quo utebantur, ad calefaciendam aquam loturis: alterum fuit genus tripodis poculum, de quo Homerus:

Ἑπτ' ἀπύρους τρίποδας.

In his miſcebatur vinum, ac temperabatur. Utiles erant etiam adornandis ædibus: & quia non igni adhibebantur, ἄπυροι dicti: atque horum auriti quidam extitêre. Athen, l. 2. c. 2. ubi & ait, in Bacchi certaminibus præmium victoris tripodem fuiſſe. Tripodas apud Græcos mercedem datam rei fortiter geſtæ ac virtutis, conſtat ex Homero variis locis: fortaſſe, quia, velut ſymbolum, firmitudinem animi ac robur corporis ſtabilitate ſuâ tripus exhibebat Virg. Æneid. 9. v. 263.

Bina dabo argento perfecta atque aſpera ſignis
Pocula . . . .
. . . .
Et tripodes geminos.———

Vide Cœl. Rhodig. lib. 8. cap. 15.

6. *Parrhaſius.*] Florebat hic anno ante Chriſtum 400. Pictor inſignis Zeuxidi coætaneus, *quorum prior luminum umbrarumque inveniſſe rationem, ſecundus examinâſſe ſubtilius*

Hic

Hic ſaxo, liquidis ille coloribus [395]
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non hæc mihi vis, nec tibi talium
Res eſt, aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus: carmina poſſumus
Donare, et pretium dicere muneris.
Non inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus et vita redit bonis
Poſt mortem ducibus; non celeres fugæ, [396]
Rejectæque retrorſum Hannibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,

alter lapide, coloribus alter peritus effingere modò virum, modò Deum. At mihi facultas iſta non adeſt; nec res tua familiaris, *vel animus* tuus *indigent iſtis deliciis. Verſibus delectaris: verſus dare poſſumus, & doni æſtimationem eloqui. Non* ſtatuæ *marmoreæ publicis inſcriptionibus inſculptæ, per quas bonis imperatoribus fato functis redditur ſpiritus & vita; non Annibalis fuga præceps, minæque retro pulſæ, non ſceleratæ Carthaginis incendia magis declarant virtutes*

ANNOTATIONES.

Iſeus traditur, inquit Fab. Quintil. 12. cap. 10. Plinius autem lib. 35. cap. 10. *Parrhaſius deſcendiſſe in certamen cum Zeuxide traditur. Et, cùm ille detuliſſet uvas pictas tanto ſucceſſu, ut in ſcenam aves advolarent; ipſe detuliſſe linteum pictum ita veritate repræſentatâ, ut Zeuxis alitum judicio tumens flagitaret tandem remoto linteo oſtendi picturam, atque, intellecto errore, palmam concederet, ingenuo pudore, quoniam ipſe volucres feſelliſſet, Parrhaſius autem ſe artificem . . . . Parrhaſius Epheſi natus primus ſymmetriam picturæ dedit: primus argutias vultûs, elegantiam capilli, venuſtatem oris, confeſſione artificum, in lineis extremis palmam adeptus,* &c. Vide Athenæum lib. 12. cap. 11. & lib. 15. cap. 10.

Scopas.] Eximius ille ſtatuarius vixit anno ante Chriſtum 430. aut circiter. Pauſanias in Corinth. ait Parium fuiſſe Scopam, & ſaxei Herculis meminit ab eo cælati. Ejus quoque celebrantur Venus & Phaëton, quæ imagines apud Samothraciam religiosè ſervatæ. Plin. lib. 36. cap. 5. multa alia ab eo ſigna egregiè facta memorat.

9. *Non tibi talium Res eſt, aut animus deliciarum egens.*] Domus tua non eget, imò abundat talibus ornamentis, nec plurium cupidus eſt tuus animus. Tabulas pictas & ſigna apud Romanos in deliciis fuiſſe nemo neſcit. Cicero in Verrem teſtis locupletiſſimus, &c.

12. *Pretium dicere muneris.*] Eruditus quiſque legit *muneri*; atque interpretatur, pretium facere, ponere, conſtituere. Quod hic facit poeta, cùm carmen rebus omnibus antefert: dicitque plus valere ad memoriam viri magni propagandam, quàm tabulas, ſigna, ſtatuas, & publica monimenta.

13. *Inciſa notis marmora publicis.*] Imagines ære vel marmore inciſæ, cum epigraphe honorificâ in baſi, quæ breviter & compendiosè elogia contineat.

Publicis.] Qui a loco publico & publicâ auctoritate erectæ & poſitæ.

Notis.] Διὰ σημείων: prioribus duntaxat & majuſculis literis aſcriptus, ut S. P. Q. R. P. Scipioni Africano P. C. Senatus Populùſque Romanus, &c. poni vel ponendum curavit. Obſerva intelligendas hic ſtatuas mortuo Scipioni erectas. Nam vivus repudiaverat, & ex Africâ reverſus Populo Romano erigere volenti obſtitit ipſe per modeſtiam.

14. *Per quæ ſpiritus & vita redit bonis, &c.*] Cic. de Haruſp. reſp. *Statuæ & imagines non animorum ſimulacra ſunt, ſed corporum.* At carmen animi virtutes exhibet & repræſentat. Hinc Ovid.

Scindentur veſtes, gemmæ frangentur & aurum;
Carmina quam tribuent fama perennis erit.

Et noſter infrà lib. 2. Epiſt. ad Auguſtum:

Nec magis expreſſi vultus per ahenea ſigna,
Quàm per vatis opus mores animiq; virorum
Clarorum apparent.

15. *Celeres fugæ, Rejectæque retrorſum Hannibalis, &c.*] Quando Annibal *incubans Italiæ,* ejúſque *viſceribus inhærens, ſummotus* tandem & coactus eſt citò in Africam redire ad opem ferendam Carthagini, cujus portas quatiebat Scipio; qui ſic ad hoſtes traduxit *rejecitque minas* & belli mala atque incommoda, quibus ſui cives antea vexabantur. Vid. T. L. l. 28, 29, 30. Flor. l. 2. c. 6.

17. *Incendia Carthaginis impiæ.*] Pub. Scipio Africanus id nominis prior eſt adeptus, quod Annibale devicto Carthaginem tributariam feciſſet. Fuit poſteà Scipio *Paulo Macedonico procreatus, Africani illius magni filius, in decus gentis aſſumptus, hoc ſcilicet fato, ut quam urbem concuſſerat avus, nepos everteret . . . , per continuos decem & ſeptem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus ac templis ſuis ſponte hoſtes immiſerant, &c.* Flor. lib. 2. cap. 15. Porrò, ut vides, lector, utrumque hîc per

Ejus

Illius qui reverſus eſt adeptus titulum ab Africâ devictâ, quàm Muſæ Calabræ. Ac, ſi taceant ſcripta, nihil premii haberes, ex eo quòd laudabiliter geſſeris. Ecquid eſſet filius Iliæ & Martis, ſi invidioſum ſilentium obrueret laudes Romuli? Vis & gratia & facundia Poetarum valuit Æacum liberare Inferorum fluminibus, & conſecrare beatis inſulis. Viro laude digno Muſa confert immor-

Ejus qui domitâ nomen ab Africâ
Lucratus rediit, clariùs indicant
Laudes, quàm Calabræ Pierides; neque
Si chartæ ſileant quod benè feceris, [397]
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ
Mavortíſque puer, ſi taciturnitas
Obſtaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Æacum
Virtus, et favor, et lingua potentium
Vatum divitibus conſecrat inſulis.
Dignum laude virum Muſa vetat mori:

ANNOTATIONES.

licentiam poeticam Horatius confundit, ob affinitatem rerum ac nominum.

Carthaginis impiæ.] Quæ ſcilicet contra Jus & fas bellum renovârat. *Pudebat nobilem populum (ablato mari, captis inſulis) dare tributa, quæ jubere conſueverat. Hinc . . . . . Annibal cauſas novorum motuum quærens, Saguntum Hiſpaniæ civitatem opulentam, fidei erga Romanos magnum ſed triſte monimentum evertit; ut Italiam ſibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio eſt, &c.* Flor. cit. lib. 2. cap. 6.

18. *Ejus qui domitâ nomen ab Africâ Lucratus rediit.*] Vide Cic. lib. 3. de Offic. Initium.

20. *Calabræ Pierides.*] Verſus Ennii è Calabriâ oriundi, Rudiis nimirùm nati. *Ennio cive nobiles Rudiæ*, ait Mela. Is natus Q. Valerio & C. Manilio Conſulibus, inquit Gellius ex Varrone, atque ſeptimum & ſexageſimum annum agens ſcripſit duodecimum annalem. Ex Euſebio Tarenti natus à Catone Quæſtore Romam tranſlatus, habitavit in monte Aventino, parco admodum ſumptu, atque unius ancillæ miniſterio contentus; ſeptuagenario major articulari morbo periit; ſepultuſque eſt in Scipionis monumento, viâ Appia, intra primum ab urbe milliarium. De eo Quintil. lib. 10. cap. 1. *Ennium ſicut ſacros vetuſtate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora jam non tantam ſpeciem habent quam religionem.* Cic. Pro Archiâ Poëta, ſic habet: *Carus fuit Africano ſuperiori noſter Ennius. Itaque etiam in ſepulchro Scipionum putatur is eſſe conſtitutus è marmore . . . . Rudium hominem majores noſtri in civitatem recepêrunt.* Is Annalium libris celebravit laudes Scipionis Majoris, Catonis, Fabii Maximi, M. Marcelli, Fulvii, non ſine Populi Romani decore, famà, gloria, ut aſſerit ibid. Tullius.

Calabræ.] Calabria eſt hodie ampla regio regni Neapolitani versùs Auſtrum ac Siciliam. De ea jam l. 1. Od. 31. Martialis lib. 5. Epigram. 31. Horatianam *lyram Calabram* appellat, quia Venuſium, Horatii patria, Calabriæ vicinum. *Pierides* unde dictæ diſſerui ſupra, Od. 3.

22. *Quid foret Iliæ Mavortíſque puer, &c.*] Ipſe Gentis Romanæ conditor Romulus vix hodie notus eſſet, *ſi chartæ ſileant*, ſi nemo ſcripſiſſet quæ ad illum pertinent, quaſi invidens ejus laudi, famæ, memoriæ. Singularia ipſius merita *jacerent in tenebris, niſi literarum lumen acceſſiſſet*, quod ait Tullius. Videtur Horatius Theocriti ſententiam expreſſiſſe, ſcribentis: *Quis Priami filios noſſet, niſi bella ſuperiora cecimiſſent Poetæ?* Vide Eidyll. 16. & Pindar. Od. 7. Nem. ait, *Maximas virtutes tenebris obſcurari, ſi hymnis & præconibus deſtituantur, &c. laborum vero & præclarè geſtorum ſummam remunerationem eſſe inclytos carminum cantus.*

Iliæ Mavortiſque puer.] De *Iliâ* matre Romuli, l. 1. Od. 2. ſtroph. 5. de Romulo eod. l. Od. 12. ſtroph. 9. *Mavors* quaſi *magna vertens* dicitur Mars, ex Cic. de Natur. Deorum 3. Græcis Μάμεϱτος, Sabinis *Mamers*, ex Varrone.

25. *Ereptum Stygiis fluctibus Æacum, &c.*] Per carmina Poëtarum Æacus, oblivioni adeóque inferis ereptus ad poſteros memoriam tranſmiſit ſuam. De *Æaco* lib. 2. Od. 13. De *Styge*, lib. 1. Od. 34. v. 10.

27. *Divitibus conſecrat inſulis.*] Μακάϱων νήσους, *beatorum inſulas* Græci vocant, inſulas fortunatas, ex Strabone, ſitas ad finem Mauritaniæ, Latini dicunt; & in iis quidam ſtatuunt Campos Elyſios: quos deſcribit Virgil, Æneid. 6. v. 640. *Lætas ſedes* Horatius appellat lib. 1. Od. 10. infra, Epod. 16.

arva, beata
Petamus arva, divites & inſulas.

Inſula dicitur quaſi in ſalo poſita. Feſt. Iſidor. &c.

28. *Dignum laude virum Muſa vetat mori.*] Theocrit. Eidyll. cit. 16. *à Muſis illuſtrem venire famam*, aſſerit.

Cœlo

Cœlo Muſa beat. Sic Jovis intereſt
Optatis epulis impiger Hercules: [398]
Clarum Tyndaridæ ſidus ab infimis 31
Quaſſas eripiunt æquoribus rates:
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

talitatem; Muſa cœlis inſerit. Ita Jovis convivio accumbit fortis Hercules. Ita filii Tyndari lucida ſidera è mari profundo vindicant naves labefactas. Ita Bacchus pampino virenti coronatum habens caput, felicem dat eventum precibus mortalium.

ANNOTATIONES.

Ovid. 4. de Ponto, Eleg. 8.

Carmine fit vivax virtus, experſque ſepulcbri
Notitiam ſeræ poſteritatis habet.
Scripta ferunt annos. Scriptis Agamemnona noſti, &c.

Non mirum ergo, quod Alexander ille Magnus, cum ad Achillis ſepulchrum deveniſſet, beatum eum pronunciavit, cui rerum geſtarum contigiſſet eximius præco, ſcilicet Homerus.

29. *Sic Jovis intereſt Optatis epulis impiger Hercules.*] A Poëtis & carminibus habet Hercules, quod inter cœlites credatur Jovis menſæ & epulis adeſſe & accumbere, nectareque & ambroſiâ veſci. Vide l. 3. Od. 3. ſtroph. 3. Homer. Ody. λ. Pindar. Nem. Eidyll. 1. Ovid. loco modò cit.

Dii quoque carminibus (ſi fas eſt dicere) fiunt,
Tantaque majeſtas ore canentis eget.

31. *Clarum Tyndaridæ ſidus, &c.*] Sic etiam Caſtor & Pollux habentur Dii, putanturque periclitantes in mari juvare. Lib. 1. Od. 3. v. 2. & Od. 12. ſtroph. 7.

33. *Ornatus viridi, &c.*] Hâc denique ratione Bacchus inter Deos numeratur, creditúrque hominum vota ſuſcipere, & optata largiri. Vide lib. 3. Od. 25. ibique annot.

Quantâ demum varietate longam narrationem Poeta diſtinguat & exornet, obſerva, lector ſtudioſe.

ODE IX.

Ad MÆCENATEM.

Res ab eo geſtas ſuis carminibus oblivione ſe vindicaturum.

NE fortè credas interitura, quæ
Longè ſonantem natus ad Aufidum,
Non antè vulgatas per artes
Verba loquor ſocianda chordis.
Non, ſi priores Mæonius tenet [399]
Sedes Homerus, Pindaricæ latent, 6

Ne fortè exiſtimes peritaros ſermones, quos ego natus ad Aufidum late reſonantem loquor per artes novas fidibus jungendos. Etſi Homerus Mæonius primas obtinet partes, haud obſcura eſt Muſa Pindari,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. Lib. 1.

1. *Ne forte, &c.*] Artificium ſingulare exhibet hæc Ode argumentum verò parcum ſuperiori.

2. *Natus ad Aufidum.*] Natus in Apuliæ finibus, ubi fluvius Aufidus altè ſtrepit, & murmurat. Vide lib. 3. Od. ult.

3. *Non ante vulgatas per artes.*] Lyricis verſibus, à me primùm Latinè compoſitis lib. 3. Od. ult. & lib. 4. Od. 3. in fine.

4. *Socianda chordis.*] Lyræ aptanda, voce pariter & fidibus canenda.

5. *Non, ſi priores, &c.*] Etſi primas obtinet Homerus, non alii tamen inglorii, qui poſt illum ſcripsêre. Vide Gell. lib. 3. cap. 11. ubi refert dubitatum à multis, uter ætate prior, Heſiodúſne an Homerus, & l. 17. c. 21. aſſerit eos ætatem ſimul egiſſe, vel Homerum aliquantò eſſe antiquiorem.

Mæonius.] Mæonis filius: vel natus in Mæoniâ ſeu Lydiâ, ſcilicet è Smyrnâ urbe quanquam

Septem urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chios,
Argos, Athenæ.

6. *Homerus.*] Hic ingeniorum & omnis *doctrinæ* fons dictus. De quo vide Suidam, &c. Plutarchus ſcribit nomen à cœcitate Homero inditum, quoniam à Cumæis & Ionibus ὁμηροι vocantur qui oculis capti ſunt, eo quod egeant ductoribus, ὁμηρευόντων: aliam quoque etymologiam ibidem profert. Herodot. l. 2. ait Homerum annis ante ſe quadringentis extitiſſe. Cornel. Nepos Chron. & Gell. lib. 17. cap. 21. aliique, annis ante Romam conditam centum & ſexaginta: pariter vet. Schol.

Ceæque,

Simonidis, Alcæi minacis, ac Steſichori gravis. Neque tempus abolevit id quod Anacreon olim cecinit. Vivit etiamnum amor, ac ſpirant ardores mandati chordis Æoliæ virginis. Non una Helene Spartana adamavit pexos mœchi capillos, admirata veſtes auro diſtinctas, ornatum

Ceæque, et Alcæi minaces,
Steſichoríque graves Camenæ.
Nec, ſi qnid olim luſit Anacreon, [400]
Delevit ætas: ſpirat adhuc amor,
Vivúntque commiſſi calores
Æoliæ fidibus puellæ.
Non ſola comptos arſit adulteri
Crines, et aurum veſtibus illitum
Mirata, regaléſque cultus,

ANNOTATIONES.

Juvenal. ad Sat. 7. v. 30. Alii aliter. Ad verum accedere propiùs videntur, qui ſcribunt, floruiſſe circiter annis centum quadraginta poſt bellum Trojanum. Appollodos. &c. Cic. de clar. Orator. *Etſi Homeri incerta ſunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum*, & de Orat. n. 135. *Piſiſtratus*, inquit, *Homeri libros antea confuſos ſic diſpoſuiſſe dicitur, ut nunc habemus*. Quintil. l. 10. c. 1. ut fluviis & fontibus initium dat Oceanus, ſic omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit Homerus. *Nemo*, inquit, *magnis in rebus ſublimitate, in parvis proprietate illum ſuperavit. Idem lætus ac preſſus, jucundus & gravis, tum copiâ, tum brevitate mirabilis, &c.* Quanti faceret Homeri opera Alexander Magnus, egregiè Plinius explicat lib. 7. cap. 29. Vide & Cœl. Rhodig. lib. 14. cap. 1. ubi inter mulieres doctrinâ celebres numerat Daphnen Tireſiæ filiam, apud Delphos condendis verſibus præcellentem, unde multa ad ſui poematis cultum Homerus tranſtuliſſe creditus. Cæterùm velut numini cuidam etiam fana & ſacella Homero fuiſſe erecta multis in locis conſtat, ut Smyrnæ, Alexandriæ, & alibi.

Pindaricæ.] De Pindaro fusè ſuprà, Od. 2. hujus libri.

7. *Ceæque.*] Simonides Ceius Pauſaniæ Lacedæmonum, Principi valdè honoratus, perinde ac Hieroni Siciliæ Tyranno, floruit circa Olympiad. 65. Aliter alii; ſed non mirum: vixit enim ille perdiu. Divinum hunc Poetam nuncupare divinus ipſe Plato, & aliquot ejus verſus afferre non dubitavit. Præclarum ex illius Threnis fragmentum exhibit Dion. Halic. ubi Danae ab Acriſio fluctibus maris ad certum naufragium expoſita ſuum deflet infortunium. Vide quæ de eo jam annotavi l. 2. Od. 1. in fine. Valer. Maxim. lib. 1. cap. 7. & 8. Suidam, &c.

Alcæi minaces.] Scilicet is Tyrannis infeſtus, quoſdam etiam ſuis verſibus exterminari fecit. De eo non ſemel antea, lib. Od. 32. & lib. 2. Od. 13.

8. *Steſichorique graves Camenæ.*] Quintil. ait. *Steſichorum, quàm ſit ingenio validus, materiæ quoque oſtendunt, maxima bella & clariſſimos canentem duces, atque Epici carminis onera lyrâ ſuſtinentem. Reddit enim perſonis in agendo ſimul & loquendo debitam dignitatem: ac, ſi tenuiſſet modum, videtur æmulari proximus Homerum potuiſſe: ſed redundat atque effunditur: quod ut eſt reprehendendum, ita copiæ vitium eſt.* Is erat ex Himerâ urbe Siciliæ. Florebat Olympiade 42. ante Chriſtum annis decem & ſexcentis. Ejus pauculi admodum verſus ad nos uſque pervenêrunt. Non prætermittam quod aiunt, proſciſſâ carmine Helenâ, immiſſam ab iratis ejus fratribus Caſtore & Polluce Steſichoro cæcitatem, ablatam verò palinodiam canenti. Dictus quod Ἔστησεν χορὸν πρῶτος ἐν κιθαρῳδίᾳ, *ſtatuerit chorum primus in citharæ cantu*: nam antea Tiſias vocabatur. Suidas. Ei ſtatuam elegantem fuiſſe poſitam, quæ ſummo fuerit propter ingenium honore & nomine, teſtis Cicero in Verrem. Vide Plin. lib. 10. cap. 29. ubi ait, *ſuavitatem præmonſtratam efficaci auſpicio, tum in ore Steſichori infantis luſcinia cecinit.*

9. *Anacreon.*] *Luſit*, inquit propriè Horatius: is enim amatoria præcipuè ſcripſit: Ionicam ſecutus dialectum, quippe in mediâ natus Ioniâ, Teio civitate. Floruit ante Chriſtum annis prope quingentis. Ex Suidâ, ſcripſit vitioſa carmina, Iambos, item quoſdam verſus metri peculiaris, qui ab eo Anacreontici nuncupati ſunt. Hos venuſtos, dulces, ac lepidiſſimos appellat Gellius l. 19. c. 9. De eo jam l. 1. Od. 17. ſtroph. 5. ad has voces, *fide Teiâ.* Vide Epod. 14.

12. *Æoliæ puellæ.*] De Sappho Æoliâ ſive Leſbiâ lib. 2. Od. 13.

13. *Non ſola comptos arſit, &c.*] Exemplis conglobatis probat, ſi deſit poeta, res quaſque laudabiliter confectas interire: ante Helenam, inquit, fuerunt & aliæ mulieres bellorum cauſæ, quæ tamen ignorantur, quia nullus ſcriptor ea literis commendavit. Vide Athen. l. 13. c. 1. ubi multa præter Trojanum bella propter mulieres exarſiſſe adductis exemplis oſtendit.

Et

Et comites, Helene Lacæna:
Primúſve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non ſemel Ilios [401]
Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelúſve ſolus
Dicenda Muſis prælia: non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerísque primus.
Vixêre fortes ante Agamemnona
Multi: ſed omnes illacrymabiles [402]
Urgentur ignotíque longâ

regium, ingentémque comitatum. Nec Teucer primus ſagittas contorſit arcu Cretenſi. Haud unâ vice Troja fuit expugnata. Non ſolus audax Idomeneus aut Sthenelus pugnas confecit à Muſis cani dignas. Non primus Hector acer, aut ſtrenuus Deiphobus ingentes plagas tulit pro ſuis uxoribus ac filiis. Ante Agamemnonem generoſi fuêre complures. Verùm cuncti indefleti & obſcuri premuntur oblivione ſempiternâ,

ANNOTATIONES.

16. *Helene Lacæna.*] De hâc, ejuſq; adultero Paride, l. 1. Od. 15. & l. 3. Od. 3. *Mirata aurum, &c.* Inſolitus nempe Spartanis cultus & luxus. At contrà Phrygii acu veſtes pingere auroque exornare primi inſtituêrunt. Hinc Helena corporis neglectui & parſimoniæ innutrita Paridis ejúſque comitum regalem pompam demiratur. Ovid. Epiſt. Paridis ad Helenam:

O quoties dices: quam pauper Achaia noſtra eſt!
. . . .
Parca ſed eſt Sparte: tu cultu divite digna.
Ad talem formam non facit iſte locus.
Cùm videas cultus noſtra de gente virorum,
Quales Dardanias credes habere nurus?

17. *Primúſve Teucer, &c.*] Telamonis ille filius, Ajacis frater, ab Homero tam celebratus ob artem & peritiam jaculandi, non tamen fuit primus eâ ſolertiâ inſignis: eximii extitêre ante illum jaculatores. At hi minimè ſunt clari, quia præcone & vate caruerunt. Homer. Iliad. θ. primos quoſque Trojanorum arcu Teucer perdit, ibique octo nominantur ejus ſagittis proſtrati. Vide & lib. 1. Ode 7. ſub finem.

Cydonio arcu.] Apud Cydonem Cretæ inſulæ civitatem arcus vel inventi, vel optimi fiebant: aptæ quoq; ibidem ad ſagittas cannæ meminit Virgil. Eclog. 10. v. 59.

18. *Non ſemel Ilios Vexata.*] Arx illa Trojæ ſæpiùs pro ipſâ urbe uſurpatur. Expugnata fuit Troja primò ab Hercule, deinde ab Amazonibus, deniq; à Græcis. Priora tamen ea bella & excidia vix nota ſunt: poſterius verò quam celebre per Homeri carmen? Vide lib. 3 Ode 3 ſtroph. 6.

20. *Idomeneus.*] Filius Deucalionis ille, Rex Cretenſium, Minois nepos: armatus fulguri, pugnans apro comparatur ab Homero, Il. ν.

Sthenelus.] Is *impavidus & pugnax ſciens* dicitur l. 1. Ode 15. Vide ibid. annot.

22. *Hector.*] Hunc Trojanorum fortiſſimum Homerus Marti & *igni* cuncta devaſtanti ſimilem dicit. De eo jam l. 3. Ode 3. ſtroph. 7. frater ejus fuit *Deiphobus*, poſt illum virtute præcipuus. De his deq; totâ excidii Trojani ſerie multiplicique hiſtoriâ, conſule Dictyn Cretenſem, & Daretem Phrygium. Hic refert *Priamum regem Trojanorum* (patrem Hectoris, Deiphobi, Paridis, aliorumque plurium, ex Cic. Tuſc. 1.) *vultu pulchro, magnum, voce ſuavi, aquilino corpore. Hectorem blæſum, candidum, criſpum, ſtrabonem, pernicibus membris, vultu venerabili, barbatum, decentem, bellicoſum, animo magnum, civibus clementem, dignum & amori aptum. Deiphobum ſimilem patri, diſſimilem naturâ, fortem. Alexandrum, ſive Paridem, candidum, longum, fortem, oculis pulcherrimis, capillo molli & flavo, ore venuſto, voce ſuavi, velocem, cupidum imperii.*

Graves Excepit ictus, &c.] *Hector* enim diris plagis tandem ab Achille confectus circa muros Trojæ ter ab eo raptatus eſt. Homer. Iliad. 22. Virgil Æneid. 1.

Deiphobus.] Helena poſt mortem Paridis in uxorem aſſumpta, ejus dolo Græcis proditus eſt, atque ab his crudeliter necatus, truncatis manibus, pedibus, naribus, auribus, oculis evulſis, Virg. Æn. 6. v. 495.

25. *Vixêre fortes ante Agamemnona Multi.*] Ut apud Trojanos præter Hectorem, Deiphobum, aliosque aliquot; ſic etiam apud Græcos præter et ante Agamemnonem & quoſdam alios, multi fortiſſimè dimicârunt, laudeque bellica inclaruêrunt: omnes tamen illi ignorantur, quorum non celebravit virtutes Homerus, aut alius vates.

Agamemnon.] Exercitûs Græcorum princeps & coryphæus, à Darete ſuprà cit. deſcribitur, *alto corpore, magnus, membris valentibus, facundus, prudens, nobilis.*

Nocte;

quoniam ſanctum poetam non babuêre. Virtus incognita parum differt ab ignavia deſpectâ. O Lolli, ego te non relinquam ſine meorum carminum ornatu: neque tantas virtutes tuas ſinam injuſtè ſepeliri invidâ oblivione. Mens tibi eſt rerum ſciens, æqua in proſperis & adverſis, avaritiæ dolis inimica, & ſpernens, pecuniam ad ſe omnia trahentem: non unius anni Conſul, ſed quotieſcunque judex innocens & fidelis honeſtum utili antepoſuit atque fronte excelſâ repudiavit munera improborum, ſuaque arma triumphans protulit per turmas impedire volentes. *Non rectè appellaveris felicem* eum, *qui multa habet: rectiùs autem felicis titulum meretur, qui bene uti donis Deorum,*

Nocte, carent quia vate ſacro.
Paulùm ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum ſilebo,
Tótve tuos patiar labores
Impunè, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Eſt animus tibi
Rerúmque prudens, et ſecundis
Temporibus dubiíſque rectus;
Vindex avaræ fraudis, et abſtinens [403]
Ducentis ad ſe cuncta pecuniæ:
Conſúlque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Judex honeſtum prætulit utili, et
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, et per obſtantes catervas
Explicuit ſua victor arma.
Non poſſidentem multa vocaveris
Rectè beatum. Rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter uti,

ANNOTATIONES.

28. *Vate ſacro.*] Seu quod inſtinctu divino afflatur Poëta, *Sacer* vocatur: ſeu quia *Muſarum* maſta, & *Sacerdos*, lib. 3. Od. 1. init. ſeu quia *poetæ veluti Deorum aliquo dono & munere commendati nobis eſſe videantur:* quod ait Cicer. de Aruſp. reſp. 18. ex Ennio Ovid. 3. de Arte.

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cœli,
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Et alibi.

At ſacri vates & Divûm cura vocantur,
Sunt etiam qui nos numen habere putant.

29. *Paulùm ſepultæ diſtat inertiæ Celata virtus.*] Virtus, quæ non eſt conſpicua, nihilo felicior eſt, quam inertia & deſidia, quam omnes aſpernantur.

32. *Totve tuos patiar labores.*] Lollius gravia geſſit bella, in Germaniâ, Thraciâ, Galatiâ. Vide Dion. lib. 54.

33. *Lolli.*] M. Lollius Conſul fuit cum Q. Æmilio Lepido, A. U. C. 732. Horatio annum ætatis agente 44, Quod ipſe indicat lib. 1. Ep. ult. in fine, ubi ſcribit:

Forte meum ſi quis te percontabitur ævum,
Me quater undenos ſciat impleviſſe Decembros,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

Ad hunc binæ ſunt Horatii Ep. 2. & 18. l. 1. in quarum priore *Maximum* eum appellat.

34. *Eſt animus tibi Rerum prudens.*] Philoſophiæ notitiâ, vel uſu & prudentiâ inſtructus, ſagax, judicii & conſilii vim habens. Non ergo mirum, ſi Auguſtus Caio Cæſari filio in Armeniam proficiſcenti moderatorem cuſtodemque Lollium dedit.

35. 36. *Secundis Temporibus dubiiſque rectus.*] Æquam ſervas mentem arduis in rebus, non ſecus ac in bonis temperatam. Lib. 2. Ode 3.

37. *Vindex avaræ fraudis, & abſtinens.*] Laus hæc minimè Lollio idonea, quem pecuniæ quàm rectè faciendi in omnia cupidiorem teſtatur Velleius Paterculus. Ergo vel tunc latebat adhuc, cum ſcriberet hæc Horatius, Lollii avaritia, quæ poſteà innotuit; vel huc facit Symmachianum illud, quod habet Sidon. Apollinar. Lib. 8. Epiſt. 10. *Ut vera laus ornat, ita falſa caſtigat.* Conſtat ſubinde Cæſarem Lollio offenſum, ſeu quod Orientis provincias expilâſſet, ſeu aliâ de causâ. Velleius lib. 2. Sueton. Tiber. cap. 13. Plin. lib. 9. cap. 35, &c.

39. *Conſúlque non unius anni.*] Reipublicæ conſuluiſti quidem anno uno, ut alii Conſules: at ipſe tibi ſemper dominaris, cupiditateſque frænas & coërces, imò paſſim de illis triumphas, exerens arma tua ubique victricia, ſcilicet abſtinentiam, juſtitiam, &c. optima certe allegoria, per quam Stoæ dogmata luculenter venditat Horatius.

Durámque

Durámque callet pauperiem pati,
Pejúſque letho flagitium timet:
Non ille pro caris amicis,
Aut patriâ timidus perire.

moleſtamq; egeſtatem ferre & plus horret ſcelus quam mortem. Is pro familiaribus & patria occumbere non veretur.

ANNOTATIONES.

49. *Durámque callet pauperiem pati.*] Vide lib. 3. Od. 2.

50. *Pejúſque letho flagitium timet.*] Juvenal. Sat. 8. v. 83.

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

51. *Non ille pro caris amicis, &c.*] Lib. 3. Od. 2. & 19.

ODE X. Ad LIGURINUM.

O Crudelis adhuc, et Veneris muneribus potens, [404]
Inſperata tuæ cùm veniet pluma ſuperbiæ,
Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ,
Nunc et qui color eſt puniceæ flore prior roſæ,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hiſpidam;
Dices: heu (quoties te in ſpeculo videris alterum)
Quæ mens eſt hodie, cur eadem non puero fuit? [405]
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

O dure hactenus, & Veneris donis ſuperbe, quando inexpectata penna acceſſerit tuæ arrogantiæ, atque defluxerint capilli, qui nunc per humeros diffunduntur, & qui nunc roſâ purpureâ micantior eſt color deperditus Ligurinum mutarit in vultum hirſutum; tunc quandocunque te diverſum aſpexeris in ſpeculo, dices: Eheu, qui nunc adeſt animus, quare idem non adfuit juveni mihi? *vel quare huic menti non revertuntur integræ malæ?*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 11. Lib. I.

1. *O crudelis adhuc, &c.*] Speciosi iſtius pueri amore captum ſe declarat Horatius hujus libri Od. 1. v. 33. Hinc patet vel conſtantem in tuenda pudicitia Ligurinum extitiſſe; vel Poetæ noſtro non reſpondiſſe.

Veneris muneribus potens.] Pulchritudine, gratia, ætatis flore ſpectabilis.

2. *Inſperata tuæ cùm veniet, &c.*] Cùm juventutis ac pueritiæ flos abierit, quod nunc non cogitas.

Pluma.] Barba, lanugo, pili. Marcilius tamen contendit non de creſcente barba, ſed de ſeneſcente Ligurino locum hunc intelligendum. Citatque Ovid. Triſt. 4. Eleg. 18.

Jam mea cycneas imitantur tempora plumas.

Novus interpres ſanè audacior veteres omnes proſcindens, imò, inquit, Horatius Græcorum ritu locutus eſt, qui alas veniſſe rei alicui dicunt ad ſignificandum illam periiſſe ac velut avolaſſe: ſenſuſque eſt, cùm ſuperbia Ligurini abſceſſerit, vel perierit forma qua ſuperbus erat, tum demùm fore ut prioris arrogantiæ pæniteat. Acutà ſanè interpretatio, cui non dubitarim refragari, & ab omnium antiquorum partibus ſtare.

3. *Deciderint comæ.*] Hæc verba ſtabiliunt opinionem Marcilii, quam modò retuli. Id eſt, cùm jam pauci per tempora capilli cani ſuperfuerint cumque μεσαιπόλιος, Hom. Il. 13. 36, vel ὑπαγροπόλιος, erit Ligurinus, qui nunc ſpiſſa gloriatur cæſarie. Vid. l. 2. Od. 5. in fine; & l. 3. Od. 20. ſub finem. Alii tamen explicant de pubertate: eo quod apud veteres comam tondendi mos eſſet puberibus ſaltem honeſtis & caſtis, qui ſic ab effeminatis & delicatis diſtinguebantur. Alioquin enim impuberes quilibet comam ſtudiosè nutriebant: unde comati & capillati nuncupabantur. De more præciſam ea ætate cæſariem Diis, præſertimque Apollini, qui comatus fingebatur, conſecrandi, dixi alibi.

5. *Ligurinum.*] Quidam legunt *Ligurine,* voluntque verbum *vertere* abſolutè poni ut apud Virgil. Æneid. 1. *Tum prora avertit.* Sed vulgatam lectionem præferendam cenſeo.

6. *Speculo.*] Velut effeminato quod feminæ eſt tribuit ſpeculum. Sic Juvenalis Othonem Imperatorem vellicat etiam in caſtris ſpeculum circumferentem. Sat. 2. v. 99. & 803. *Conſilium formæ* ſpeculum bellè vocat Martialis.

Alterum.] Longè mutatum, è lævi & polito hiſpidum, piloſum, horridum.

7. *Quæ mens eſt hodie, &c.*] Dum annis & pulchritudine florebam, cur non ego quæſtum meretricium feci?

8. *Vel cur his animis, &c.*] Aut quare non redeunt mihi imberbes genæ, cùm jam tempore didici ætatem labi, & formam perire?

Incolumes.] Colore & juventute nitentes, nullis tum rugis deformatæ, ætatis vigore florentes.

fugiaſque diſſimilem, nefas exiſtimando petere plus quam decet. Heus amorum terminus meorum deinceps (nam in poſterum alteram mulierem non amabo) diſce numeros quos ſuavi moduleris voce. Cantu mulcebuntur ægritudines, importuna

Quàm licet ſperare, nefas putando.
Diſparem vites. Agè jam meorum
Finis amorum;
(Non enim poſthac aliâ calebo
Fœminâ) condiſce modos, amandâ
Voce quos reddas. Minuentur atræ
Carmine curæ.

ANNOTATIONES.

tibi cedet; quemadmodum ceſſit peſſimè Phaëtonti ac Bellerophonti altiora ſe quærentibus.

31, 32. *Meorum Finis amorum.*] Age, Philli, quam conſtanter amare conſtitui, Telephi oblita confer te ad me. Propert. lib. 1. Eleg. 12. v. 30.

Me neq; amare alium, neq; ab hac deſiſtere fas eſt,
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

34. *Condiſce modos, &c.*] Vel diſce cantilenas quas in convivio amabili voce decantes ad diei jucunditatem & hilaritatem: vel è Lyricis meis carminibus diſce aliquid, quo in amórem meum alliciaris, canendo apud me inter epulas.

35. *Minuentur atræ Carmine curæ.*] Meos etiam modulando verſus, pelles ægritudinem illam curaſque illas, quas Telephi tibi amor invexit.

ODE XII. Ad VIRGILIUM.

Vernam Tempeſtatem deſcribit: tum invitat eum ad epulas & ad hilaritatem.

Nunc auræ Thraciæ vernum tempus comitantes & mare tranquillum reddentes vela pulſant. Jam neque prata ſunt gelu *conſtricta, nec flumina murmurant hyemis nivibus inflata. Nidum ſtruit avis*

JAM veris comites, quæ mare temperant [409]
Impellunt animæ lintea Thraciæ;
Jam nec prata rigent, nec fluvii ſtrepunt
Hibernâ nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,

ANNOTATIONES.

Metrum eſt idem quod Od. 6. Lib. 1.

1. *Jam veris, &c.*] Egregiè Parthenius more ſuo, in hac eleganti Ode, notat verba lectiſſima, & dictiones haud vulgares: aitque merito dignam videri, quæ ad Virgilium mitteretur; nec enim vel ipſum tot coloribus, tot florum varietatibus efflorescere. Valeant ergo qui adulterinum neſcio quem titulum huic Ode præfixum, è veteribus nonnullis codicibus eruunt perperam, quaſi Horatius ſcripſerit ad Virgilium quendam myropolum ſeu unguentarium. Certè enim intelligendus hic eſt Virgilius Poeta, qui rectè *cliens nobilium juvenum*, non alter quiſquam cenſeatur. Vide infrà annot.

Veris comites, &c.] Zephyri procul dubio, quicquid aliis ſentiant; hi enim ver comitari duntaxat, & maria temperare dici poſſunt. At cur *Thraciæ animæ* vocantur; nam propriè Boreas è Thracia in Italiam ſpirat? Ita, l. 1. Od. 25. v. 11. Scilicet Thracia ventorum quorumlibet ſedes & officina eſt, teſte Euſtathio ad Iliad 9. vel potius, noſter Homerum, ut alibi ſæpè, inſecutus, minus accurate locutus eſt. Bene citato loco Homerus Boream & Zephyrum è Thracia flantes pariter exhibet: at non item Horatius. Hic ſiquidem Italus, ille vero è partibus Minoris Aſiæ. Atqui diverſi planè venti è Thraciâ Italiam Aſiamque perflant, inter hanc & illam ferè mediâ.

Quæ mare temperant.] De Zephyris maria ſolventibus ac ver parantibus, l. 3. Od. 7. initio.

2. *Animæ.*] Alluſio ad Græcam vocem, ἄνεμος, *ventus*, Virgil. Æneid. 8. v. 403.

Quantum ignes animæque valent.——

Lucret. lib. 5. v. 237.

Aurarumque leves animas.——

Impellunt lintea.] Ad navigandum utilia ſunt.

3. *Nec fluvii ſtrepunt.*] Qui nivibus liquefactis intumuerant paulo ante, ac vehementiori curſu ſtrepitum edebant, jam nunc imminuti haud ampliùs ſtrepunt.

5. *Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens, &c.*] Hirundo jam nidificat.

Ityn.] Homero *Itylum*,

Infelix

Infelix avis, et Cecropiæ domûs
Æternum opprobrium, quòd male barbaras [412]
Regum eſt ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Cuſtodes ovium carmina fiſtulâ,
Delectántque Deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxêre ſitim tempora, Virgili:
Sed preſſum Calibus ducere Liberum
Si geſtis, juvenum nobilium cliens, [411]
Nardo vina merebere,
Nardi parvus onyx eliciet cadum,

infortunata Ityn lugens miſerabiliter, ac ſempiterna ignominia Athenienſis familiæ, quia ſceleratè vindicavit immanem regis laſciviam. Paſtores ovium in herbâ molli cantilenas reſonant fiſtulâ, atque recreant numen, quod gregibus gaudet & umbroſis collibus Arcadiæ. O Virgili, tempus advexit ſitim: at ſi cupis bibere vinum Calibus expreſſum, tu *cliens illuſtrium adoleſcentum accipies vinum* dato *unguento. Exiguum vas unguenti amphoram*

ANNOTATIONES.

6. *Infelix avis.*] Progne & Philomela Pandionis Athenienſium regis filiæ erant. Illa Tereo regi Thraciæ nupta, Ityn communem filium marito epulandum appoſuit, ultura ſororem ſuam ab eo conſtupratam. Tereus utramque ſtricto pugione ad necem perſequitur. Ecce verò Progne in hirundinem, Philomela in luſcinam, Itys in phaſianum, vel, ut alii volunt, in carduelem, Tereus denique in upupam tranſmutantur. Ita fabulatores. Vide Ovid. Metamor. Fab. 7. &c.

Cecropiæ domûs Æternum opprobrium, &c.] A Cecrope Athenienſium primo rege denominatur quicquid ad Athenas vel reges Athenarum pertinet. Significatur itaque hîc Pandionis familia, etſi minime Cecropi vel Cecropidis cognata. *Opprobrium* quia *malè* & injuſtè mactato Ity filio, *libidinem* ejus patris Terei ulciſci voluit ipſa mater Progne.

6. *Dicunt in tenero, &c.*] Paſtores ludunt fiſtulâ in gramine ſedentes, canuntque laudes Panos gregibus præſidentis & collibus Arcadiæ. Vide lib. 3. Od. 18. Virgil. Eclog. 2. 5. 32.

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit; Pan curat oves, oviumq; magiſtros.

Et Eclog. 4. & 10.

Pan Deus Arcadiæ.

11. *Nigri Colles.*] Vel, umbriferi ob ſylvas; vel, fertiles, nam Virgil. Georgic. 2. v. 203.

Nigra ferè & preſſo pinguis ſub vomere terra
Optima frumentis.

12. *Arcadiæ.*] Peloponneſi regio eſt mediterranea, ab Arcade Jovis & Calliſtûs filio nuncupata, montanis paſcuis amœna, & hinc gregibus educandis, colendoque Pani devota: poetis paſſim decantatiſſima.

13. *Adduxêre ſitim tempora.*] Adultum ver ac jam provectum (in Italiâ videlicet calidius quàm apud Borealiores) adduxit æſtum ac ſitim, proinde ſuadet pocula. Quidam putant notari horam diei cœnæ deſtinatam, puta nonam vel octavam: quo ſenſu Virg. Georg. 3. v. 327.

Inde ubi quarta ſitim cœli collegerit hora.

14. *Preſſum Calibus Liberum.*] Cur Liber nominetur Bacchus, & pro vino ponatur, vel ſciolis compertum. De *Calibus*, urbe Campaniæ, deque vini Caleni bonitate dixi l. 1. Od. 20. v. 9. ubi, *prælo domitam Caleno uvam*: item Ode 31. *premunt Calenâ falce vitem, &c.*

Liberum.] Seneca de Tranquill. c. 15. *Non ob linguæ licentiam dictus Liber, ſed quia liberat ſervitio curarum animum, vegetioremque & audaciorem in omnes conatus facit Bacchus inventor vini.*

15. *Juvenum nobilium cliens.*] O Publi Virgili Maro, qui colis Tiberium Druſumque Nerones, Liviæ filios, Marcellum Auguſti generum atque adoptione filium, aliosque Romanæ juventutis ac nobilitatis Principes.

16. *Nardo vina merebere.*] Affer unguentum è nardo, ego vina conferam. De nardini unguenti pretio & natura, l. 2. Od. 11. v. 16. annot. Catullus è contrario Ode 13. ita præſcribit ad Fabullum:

Cœnabis benè, mi Fabulle, apud me,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cœnam . . . .
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid ſuavius elegantiuſve.
Nam unguentum dabo, &c.

17. *Nardi parvus onyx eliciet cadum, &c.*] Modicum unguenti à te collatum à me compenſabitur integro vini optimi cado, quod ego petam & mercabor ex horreis publicis.

Onyx.] Græca vox unguem ſignificans pariter & alabaſtriten, i. e. lapidem colore ſimilem humano ungui. De eo Plin. l. 36. c. 7. *Onychem etiamnum in Arabiæ montibus, nec alibi uſquam naſci putavere noſtri veteres.* Et c. ſeq. *Hunc alii lapidem alabraſtriten vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optime ſervare incor-*

trahet, quæ nunc] conditur apothecis Sulpitiis, ſpem novam dare liberalis, & moleſtam ægritudinem diſcutere idonea. Quod *ſi ad iſtam hilaritatem feſtinas, accede protinus cum tua merce. Scyphis ego meis rigare te nihil conferentem nolo, quaſi opulentus in ædibus refertis. Sed abjice retardationem & quæſtûs curam: atque dum potes recordatus atri rogi brevem inſaniam admiſce ſapientiæ. Tempeſtive inſanire ſuave eſt.*

Qui nunc Sulpitiis accubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quæ ſi properas gaudia, cum tuâ
Velox merce veni. Non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis, [432]
Plenâ dives ut in domo.
Verùm pone moras, et ſtudium lucri,
Nigrorúmque memor, dum licet, ignium,
Miſce ſtultitiam conſiliis brevem.
Dulce eſt deſipere in loco.

ANNOTATIONES.

rupta dicitur. Addit & alia quædam lib. 37. cap. 6. in fine. Dioſcorid. l. 5. cap. 153 meminit etiam ejus lapidis, è quo facta vaſa ὄνυχες dicebantur, Iſidor. lib. 16. cap. 15. *Alabaſtrites*, inquit, *lapis candidus, interſtinctus variis coloribus, è quo fuit vaſculum unguenti evangelici. Cavant enim hunc ad vaſa unguentaria.* Martial. lib. 7. Epigram. 93.

Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat.

18. *Sulpitiis accubat horreis.*] Quædam erant horrea ſeu apothecæ in urbis regionibus variis, in quibus venalia ſeu vina ſeu fruges condebantur, donec emerentur. Inter alia erant quæ ædificârat Sulpitius Galba, & de ejus nomine appellabantur: deque his loquitur Horatius.

19. *Spes donare novas largus, &c.*] Hæc vini eſt virtus & proprietas, ut audaciam timidis donet, anxiis ſolicitudines eximat, &c. Vide lib. 3. Ode 21. ſtrophe 5. Hinc & lib. 2. Ode 7. *Maſſicum* vocat *oblivioſum*, id eſt, curarum oblivionem inducens.

21. *Ad quæ properas gaudia, cum tuâ &c.*] Ergo ſi cupis mecum jucundè epulari, atque è meo vino bibere, quaſi mercator accede, & affer quod commutes, redones, remuneres. Ne aſymbolus aut immunis venias: para nimirùm quæſtiones eruditas, lepidaſque argutiolas florentem vino animum laceſſentes, quæ ſint veluti ſecundarum menſarum tragemata ſeu bellaria: de quibus Aul. Gell. lib. 6. cap. 13. & hac quidem *merce* inſtructus jubetur venire ab Horatio Virgilius.

23. *Immunem.*] Apud Eraſmum proverbium eſt, *immunem venire*. Quædam olim erat cœna ex communi collecta, in quo ſuam quiſque ſymbolam afferebat. Vide lib. 3. Ode 23. v. 17.

24. *Plena dives ut in domo.*] Ut facere poſſet dives rebus omnibus abundans, nihilque opus habens remunerationis.

25. *Studium lucri.*] Jocus admodum facetus, quo Virgilium abſtrahit à muſæo, & à condendis aſſiduè carminibus ipſi profectò quæſtuoſis: nam pro iis ſat liberaliter donatus ab Auguſto aliiſque proceribus jam fuerat.

26. *Nigrorúmque memor, dum licet, ignium, &c.*] Mortis memor, triſtiſque ac funebris rogi, in quo cremantur cadavera: quamdiu licet ac vivis, gaudia hujus vitæ carpere feſtina.

27. *Miſce ſtultitiam conſiliis brevem.*] Severitatem aliquantulâ hilaritate tempera: intermitte ſeria, jocis paululùm vaca. Qui relaxandi animi gratiâ ludendo laſciviunt, quaſi inſanire videntur. Hinc Poeta *brevem ſtultitiam* appellat; Anacreon verò σώφρονα λύσσαν, *ſapientem furorem*.

28. *Dulce eſt deſipere in loco.*] Congruo tempore & loco animi ſeveritatem abjicere expedit, Senec. de Tranquill. lib. 1. c. ult. *Si Græco Poetæ credimus*, inquit, *interdum & inſanire jucundum eſt.* Menander in Comœdia cui titulus πωλούμενοι, *venales*: οὐ πανταχοῦ τὸ φρόνιμον ἁρμόττει παρὸν, ϗ συμμανῆναι δ' ἔνια δεῖ. *Non ſemper ſapientiam decet adeſſe, & inſanire cum aliis quandoque oportet.* Ubi vulgò συμβῆναι legi perperam, ſententiæ & proſodiæ ratio luculenter evincit.

ODE

ODE XIII.

IN LYCEN VETULAM.

AUdivêre, Lyce, Dii mea vota; Dii
Audivêre, Lyce. Fis anus, et tamen
Vis formoſa videri, [413]
Ludíſque, et bibis impudens;
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum ſollicitas. Ille virentis et
Doctæ pſallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.
Importunus enim tranſvolat aridas
Quercus, et refugit te, quia luridi
Dentes, te quia rugæ
Turpant et capitis nives.
Nec Coæ referunt jam tibi purpuræ,
Nec clari lapides tempora, quæ ſemel [414]

O Lyce, Dii exaudiverunt meas preces; Lyce, Dii exaudiverunt. Jam vetula es, ac nihilominus cupis apparere ſpecioſa: & jocaris & potas ſine pudore; atque trementi voce amorem tardum excitas ebria. At ille vigilat in malis formoſis Chiæ ætate *florentis & ſcientis pſallere. Nam quercus areſcentes deſerit inquietus, avolatque; quoniam te dentes lividi, te rugæ & canities capillorum fœdant. Neque verò purpureæ* veſtes *Coæ, nec lapilli ſplendentes nunc reddunt tibi*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 5. Lib. 1.

1. *Lyce.*] Hujus olim juventute & forma ſplendidæ amores arrogantiamq; perſecutus fuerat Horatius, l. 3. Ode 10. Eidem nunc ſenio deturpatæ inſultat. Sic & Lydiæ quondam pulcræ, jam verò deformatæ illudit l. 1. Od. 25.

4. *Bibis impudens.*] Vinoſas ſemper fuiſſe mulieres impudicas, notum eſt: contra, pudicæ vino abſtinebant. Vide lib. 3. Ode 15. in fine: ibique annot.

5. *Cantu tremulo.*] Hoc referunt quidam ad vitium ingraveſcentis ætatis, ſed melius alii ad animum libidinoſum, vocemque ad mollitiem inflexam. Sic Perſius Sat. 1. v. 21.

——————tum carmina lumbum
Intrant, & tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu.

7. *Doctæ pſallere Chiæ.*] Meretrices ut plurimum pſaltriæ erant, id eſt, cantare ſimul & citharam pulſare noverant. Hæc nomen habebat ab inſula maris Ægæi, Chio dicta, hodie *Scio*, ann. 1565 à Turcis per nefas & contra fidem occupata: vino optimo celebrata quondam. Vide lib. 3. Ode 19. v. 5.

8. *Excubat.*] Viget, agit in juvenili facie, in ſenili verò quaſi ſopitus elangueſcit, ſegnis, emortuus.

9. *Importunus.*] Levis, mobilis, inconſtans: alii perperam; non benè conveniens.

Aridas Quercus.] Sic lib. 1. Ode 25. De Lydia, *aridas frondes*, id eſt, meretrices vetuſtate deformes, in quibus nec ſuccus, nec color, nec ſpecies, ut olim.

12. *Capitis nives.*] Velut duriuſculam hanc tranſlationem ac metaphoram, atque à longinqua ductam ſimilitudine notat Quintilianus, l. 8. c. 6. Verùm talia Poetis quidem, non ità verò proſæ convenire ibid. ſubjungit.

13. *Nec Coæ referunt, &c.*] Præteritos annos, formam priſtinam non reducunt ſeu veſtes pretioſæ ſeu gemmæ & lapilli, nec quivis corporis cultus & ornatus. Auſon.

Dicebam tibi, Galla, ſeneſcimus: effugit ætas.
Nec revocare potes qui periêre dies.

Coæ purpuræ] Cos Aſiæ inſula verſus oram Cariæ litoralem, hodie *Lango*; valdè ferax, ut proverbio diceretur, *quem Cos non nutrit, hunc neq; Ægyptus*, in eos quibus vix maxima ſatiſfaciunt, Euſtath. Iliad. 14. Apellis eximii illius pictoris patria fuit. In ea texebantur panni ſubtiliſſimi è bombyce: non procul autem purpura fiebat exquiſita. Ergo vel de purpureis reipſa veſtibus intellige locum hunc, vel de bombycinis candore eximio nitentibus. V. annot. ad v. 10. Od. 1. hujus lib. Lege & Plin. l. 11. c. 22. ubi, *Telas araneorum modo texunt ad veſtem luxumque feminarum, quæ bombycina appellatur. Prima eas redordiri rurſuſque texere invenit in Co mulier Pamphila, &c.* & cap. 23. *Bombycas & in Co inſula naſci tradunt . . . fieri autem primo papiliones parvos nudoſque, mox frigorum impatientia villis inhorreſcere, & adverſum hyemem tunicas ſibi inſtaurare denſas, pedum aſperitate radentes foliorum lanuginem in vellera; hanc ab his cogi ſubigique unguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuarique, ceu pectine, &c.* Falli porrò Plinium conſtat: nec enim è foliis, quibus inſidet papilio, ſed ex alvo ſua promit tenuem iſtam lanuginem, filaque ac totum opus.

annos, quos fluxum tempus condidit incluſos annalibus publicis. Eheu, quò venuſtas, quò nitor, quò agilitas abiit? Ecquid tibi reſtat ejus, ejus inquam, *quæ amores exhalabat, quæ mihi me abſtulerat, poſt Cynaram felix, & famoſa, vultu artificioſè & bellè* compoſito? *At Cynaræ non longam vitam ſors indulſit; diu conſervatura Lycen longævæ cornici ætate æqualem, ut adoleſcentes calidi queant videre facem in favillas redactam, haud ſinè ludibrio.*

Notis condita faſtis
　Incluſit volucris dies.
Quò fugit Venus? heu! Quóve color? decens
Quò motus? Quid habes illius, illius,
　Quæ ſpirabat amores,
　　Quæ me ſurpuerat mihi,
Felix poſt Cynaram, notáque et artium
Gratarum facies? Sed Cynaræ breves
　Annos fata dederunt,
　　Servatura diu parem [415]
Cornicis vetulæ temporibus Lycen:
Poſſent ut juvenes viſere fervidi,
　Multo non ſinè riſu,
　　Dilapſam in cineres facem:

ANNOTATIONES.

15. *Notis condita faſtis.*] In faſtis perſcribebantur nomina, anni, facta magnorum virorum: ſeu, faſti libri erant, in quibus cujuſque diei annique geſta notabantur, ad memoriam poſterorum. Ciceron. Epiſtol. *Decrevi ut in faſtis ad eum diem Bruti nomen adſcriberetur . . . . Quod eum ego dabam Bruto, notam eſſe in faſtis graviſſimæ victoriæ memoriam volebam.* Senſus Horatii eſt: ſicut non redeunt anni Conſulum aliorumve in faſtis & annalibus ſcripti; ſic prior ætas Lyces famosè tranſacta non redibit. Juventus, forma, gratia, dudum abierunt, nunquam reparabuntur aut redibunt.

18. *Quò motus?*] Ubi decorus ille pridem inceſſus, geſtus, & in ſaltando agilitas, quæ te ſpectabilem faciebant?

Quid habes illius, &c.] Quid jam habes reſiduum è priſtina tua pulchritudine, quâ fueram captus & mihimet ereptus? Virgil. Eclog. 8. v. 41.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!

19. *Spirabat amores.*] Anacreon ſcripſerat παῖδα Κύπρω πνέουσαν, *Puellam quæ Venerem ſpirat.* Acta Apoſtolorum, cap. 9. Ὁ δὲ Σαῦλος ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου. *Saulus ſpirans minarum & cædis.*

21. *Felix poſt Cynaram.*] Uni cedens Cynaræ, elegantia ſcilicet & venuſtate: poſt Cynaram ſecunda. Vel, poſt mortuam Cynaram mihi tum demum adamata. Vide ſupra hujus lib. Ode 1. v. 4.

Notáque & artium Gratarum facies?] Artificiosè compoſita, fucis exornata: vel iis à natura dotibus inſtructa, quæ amorem excitant & pelliciunt, quales frons hilaris & aperta, oculorum fulgor, ſuperciliorum nutus, genarum candor aliquo rubore diſtinctus. Quidam legunt *facie*; nec male.

24. *Parem Cornicis vetulæ, &c.*] Cornicis ætas diuturna, hinc dicta annoſa lib. 3. Ode 17. Vide ibi annot.

26. *Poſſent ut juvenes, &c.*] Ad hoc, ô Lyce, protraxiſti vitam uſque ad ſenectutem, ut eſſes ludibrio juvenibus, te videntibus mutatam & depravatam ſenio, ac velut extinctam & in viles *cineres dilapſam*; inſtar facis, poſtquam ingens lumen ſplendoremque emiſit, tempore conſumptæ & in favillas tenues & ſiccas redactæ.

ODE

ODE XIV.

Ad AUGUSTUM.

Sat magnos honores ei tribui non poſſe.

QUÆ cura patrum, quæve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguſte, virtutes in ævum
Per titulos, memoréſque faſtos
Æternet? O, quà Sol habitabiles
Illuſtrat oras, maxime principum, [416]
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicêre nuper,
Quid Marte poſſes. Milite nam tuo
Druſus Genaunos, implacidum genus,
Brennóſque veloces, et arces
Alpibus impóſitas tremendis
Dejecit acer plus vice ſimplici.
Major Neronum mox grave prælium
Commiſit, immanéſque Rhætos
Auſpiciis pepulit ſecundis;
Spectandus in certamine Martio,

Quod Senatorum, vel quod Populi Romani ſtudium amplis honorum donis tuas, Auguſte, virtutes in ſempiternum propaget per inſcriptiones & faſtos memoriam cuſtodientes? O maxime Principum, quacunque Sol habitabiles terras illuminat, quem Vindelici Imperio Romano nondum ſubditi ſenſerunt quantum re militari valeas. Tuis enim exercitibus Druſus non ſemel ſtrenue profligavit Genaunos immanem gentem, & Brennos celeres, caſtellaque Alpibus horrificis exſtructa. Deinde Neronum major natu *acriter depugnavit, & felicibus auſpiciis* tuis *repreſſit Rhætos feroces; ſpectari dignus in prælio*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Quæ cura, &c.*] Præclarum & luminoſum ex abrupto exordium hujus Odes, quæ ut elegantia dictionum & ſublimitate materiæ, ſic & arte & ingenio par omninó eſt quartæ hujus libri. Hic Tiberii, ſicut illic Druſi virtutes celebrat Poeta, utrobique verò gloriam omnem in Auguſtum confert, ſingulari prorſus induſtria & artificio.

2. *Honorum muneribus.*] Publicis monumentis, ſtatuis, inſcriptionibus honorificis, &c.

4. *Memores faſtos.*] Commentarios publicos, quibus virorum illuſtrium nomina & facinora inſcribuntur cum laude, ac poſteritati commendantur, rebus per annos & tempora digeſtis & conſignatis.

5. *Æternet.*] Non. Marcel. ex Varrone, Rer. human. l. 2. *Literiſque ac laudibus æternare.*

O, quà Sol habitabiles, &c.] Auguſte, maxime Principum, qui habitabili terrâ quacunque ſunt ac dominantur.

8. *Vindelici.*] Suprà Ode 4.

9. *Milite nam tuo, &c.*] Tuis nimirum auſpiciis, tua felicitate hoſtes devicit Druſus.

10. *Genaunos, Brennos.*] Alii fruſtra, *Geraunos, Tenaunos*; item *Brennos, Brencos, &c.* ex Strabone, diſertè Genauni & Brenni partem Alpium exteriorem cum Noricis & Vindelicis habitabant. Unde noſter mox, *arces Alpibus impoſitas.* Vide Flor. lib. 4. & Vell. Patercul. anteà cit. Ode 4. hujus libri.

Implacidum genus.] Ex. Strab. cit. cùm illi urbem expugnarent, non viros occidebant ſolùm, ſed infantes etiam maſculos, imò mulieres prægnantes, ſi maſculis gravidas vates reſpondiſſent.

12. *Alpibus tremendis.*] Ob nives & præruptas cautes aditu difficillimas, neque, ut ait Florus, *quo bellum non poſſe aſcendere videbatur.* Adde *Gentes numero frequentes, feritate truces, &c.* quod habet Vell. Patercul.

13. *Plus vice ſimplici.*] Nonnulli ſic interpretantur: Non ſimpliciter vices reddens hoſtibus, ſed multò acceptis majora iis mala & damna invehens.

14. *Major Neronum.*] Claudius Tiber. Nero, de quo ſuprà, Ode 4. Is Druſo fratri datus adjutor ac in ſubſidium miſſus præclarè bellum confecit, ut fusè narrat Vell. Patercul.

15. *Rhætos.*] Suprà Ode 4.

16. *Auſpiciis pepulit ſecundis.*] Auſpiciis Auguſti fretus.

Pepulit.] Rectè & ex fide hiſtoriæ. Nam quos perdomitos adulatoriè Velleius ſcribit, veriùs coercitos duntaxat ait Suetonius, Octav. c. 21. V. & Euſeb. Chron. ad Olympiad. 193.

Devota

Martis, quàm magnis cladibus vexaret corda neci pro libertate addicta; acer exagitare hoſtium catervas, & agere frendentem equum per medias flammas, ferè quomodo Notus agitat mare turbatiſſimum, Vergiliis nubes rumpentibus. Aufidus tauri formam habens & Dauni Appuli regionem irrigans ita fluit rapidè, quando graſſatur & magnam eluvionem parat agris cultis; ſicut Tiberius Nero Barbarorum copias armis inſtructas ingenti ſtrage cecidit, atque primos & ultimos ſternens terram operuit cadaveribus, *victor ſinè damno; te milites, te conſilium, te Deos tuos ſuppeditante. Enimverò quo die*

Devota morti pectora liberæ
  Quantis fatigaret ruinis;
    Indomitas propè qualis undas
Exercet Auſter, Pleïadum choro [417]
Scindente nubes, impiger hoſtium
  Vexare turmas, et frementem
    Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Daunî præfluit Appuli,
  Cùm ſævit horrendamque cultis
    Diluviem meditatur agris:
Ut Barbarorum Claudius agmina
Ferrata vaſto diruit impetu,
  Primóſque et extremos metendo
    Stravit humum, ſinè clade victor;
Te copias, te conſilium, et tuos
Præbente Divos. Nam tibi, quo die [418]

ANNOTATIONES.

18. *Devotâ morti pectora liberæ.*] Mori paratos potius libertate fruentes, quàm vivere ſerviendo.

20. *Indomitas propè qualis, &c.*] Similitudine conglobatâ rem illuſtrat, & mirum quantùm auget. Nec leviter præteri, lector, iſtas ingenii opes.

21. *Auſter.*] Ventus Meridianus excitandis tempeſtatibus famoſus, ut alibi fuſius annotavi.

Pleïadum.] Septem ſtellæ ſunt inter arietis caudam & tauri collum, quarum ortus occaſuſque nimbos ac tempeſtates ciet. *Choro.* Ex Hygino. Aſtron. lib. 2. cap. 22. *Pleïades choreas ducere exiſtimantur.* Ita dictæ, vel quaſi πλείονες, *plures*; vel potiùs à πλέω, *navigo*; quia navigandi tempus indicant ortu ſuo matutino, ſcilicet circa æquinoctium vernum: hinc & Latinis Vergiliæ dicuntur à vere. Harum meminit Cic. de Nat. Deor. 2.

24. *Medios per ignes.*] Per medium pugnæ fervorem, hoſtium cuneos perrumpendo: vel, per accenſos reverà ab hoſtibus ignes, per incenſa caſtra, &c.

25. *Tauriformis Aufidus.*] De eo flumine lib. 3. Ode ult. & hujus lib. Ode 9. *Tauriformis*, quia rapido curſu, & alliſis ad ripas aquis ingens murmur edat, quaſi tauri mugitum. Hinc nomen & fabula. Alias alii, ſed longiùs & perperam etymologias petunt.

26. *Dauni Appuli.*] Lib. 1. Ode 22. ſtroph. 4. l. 2. Od. 1. ſub finem. Item Od. 6. hujus lib.

27. *Cùm ſævit.*] Quando exundat, agriſque infert vaſtitatem, & *ſternit ſata læta boumque labores*; quod canit Virgil. Æneid. 2.

28. *Meditatur.*] Dictio perelegans, pro qua ineptè alii, *minitatur.*

29. *Barbarorum.*] Rhætorum.

Claudius.] Tiberius Nero, de quo antè.

32. *Sine clade victor.*] Ex Velleio Paterc. cit. ad Oden 4. hujus libri, *ſine ullo detrimento commiſſi exercitus: quod præcipue huic duci ſemper curæ fuit, &c.*

33. *Te copias, te conſilium, &c.*] Omnis ergo laus & gloria victoriæ ceſſit Auguſto; cujus auſpiciis Tiberius victor extiterat. Nam ſolius Imperatoris etiam abſentis valere auſpicia ad gerenda bella veteres exiſtimabant. Et hinc ad eum ſemper victoriam referebant, cujus auſpiciis debellatum fuerat. Sueton. Octav. c. 21. *Domuit partim ductu, partim auſpiciis ſuis Cantabriam. . . . . . Item Rhætiam, & Vindelicos, &c.*
Ovid. Triſt. 2.

Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas;
Auſpicium cui das grande, Deoſque tuos.

34. *Nam tibi, quo die, &c.*] Quo die captam Alexandriam victor intraſti, eodem die poſt annos quindecim per Tiberium Rhætos debellaſti, ſecundoſque exitus & optatum decus habuiſti.

Quo die.] Ultimò die Sextilis menſis, ann. U. C. 723. prior illa de Antonio & Cleopatra victoria Auguſto contigerat; poſterior autem de Rhætis, Vindelicis, &c. ann. U. C. 738. Clemens Alexandrinus Stromat. l. 1. poſt medium, hunc Horatii locum affert. Vide Euſeb. Chron. Sueton. Vell. Paterc. Flor. &c.

Portus

Portus Alexandria ſupplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna luſtro proſpera tertio
Belli ſecundos reddidit exitus;
Laudémque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.
Te Cantaber non antè domabilis,
Medúſque, et Indus, te profugus Scythes
Miratur, ô tutela præſens
Italiæ dominæque Romæ!
Te, fontium qui celat origines, [419]
Nilúſque, et Iſter, te rapidus Tigris,
Te belluoſus qui remotis

Alexandria ſupplicans tibi portus & aulam deſertam aperuit, poſt tertium luſtrum fortuna obſecundans proſperum militiæ finem præbuit, & honores expetitumq; gloriam confectis expeditionibus tribuit. Te Cantaber antea invictus, & Medus atque Indus, te Scytha vagus reveretur, ô Cæſar, certum columen Italiæ ac Romæ Principis! Te Nilus aquarum ſcaturiginem abſcondens, te Danubius, te vehement Tigris, te Oceanus belluas educans qui ſo-

ANNOTATIONES.

35. *Portus.*] Quidam legunt *portas.*

Alexandria] Alexandri opus, ab eo magna etiam olim dicta, urbs Ægypti primaria, portum habet commodiſſimum emporiumque celebre.

36. *Vacuam patefecit aulam.*] Cùm in eam urbem confugiſſent Antonius & Cleopatra, invadentibus Romanis domum, ille ſibi manus attulit violentas, deportarique ſemianimis voluit in Mauſoleum à Cleopatra conditum, quò & hæc ſe recepit. *Vacuam* ergo *aulam* victor Auguſtus reperit.

39. *Peractis Imperiis, &c.*] Confecto jam bello Rhætico & Vindelico, item Pannonico atque Germanico: finitis expeditionibus, feliciterque orbe pacato. Vide Oden. ſeq.

Optatum decus.] Hoc alii referunt ad Tiberium, qui, ob res bene geſtas & confectas, ovans urbem ingreſſus eſt: melius alii ad Auguſtum; cui decreti tum demum ſunt honores diviní, dominatuſque perpetuus.

41. *Te Cantaber, &c.*] Adverte, ſtudioſe lector, amplificandi ubertatem & felicitatem, verborum dictionumque copiam & lumen. De Cantabris l. 2. Ode 6. init. l. 3. Ode 8. ubi,

Servit Hiſpanæ vetus hoſtis oræ,
Cantaber ſerâ domitus catenâ.

42. *Medúſque & Indus.*] L. 1. Od. 12. l. 3. Od. 8.

Scythes.] Lib. 1. Od. 19. & 35. lib. 2. Ode 9. in fine, Lib. 3. Od. 8. & 24.

43. *Tutela præſens Italiæ.*] Lib. 3. Ode 5.

Præſens divus habebitur Auguſtus.

Virgil. Eclog. 1. v. 42.

. . . . . . neque ſervitio me exire licebat
Nec tam præſentes alibi cognoſcere Divos:

46. *Nilus.*] Metonym. pro Ægypto devictâ, quam rigat & fœcundam reddit exundatione ſuâ fluvius ille vel ſolo notus nomine. De eo plura l. 3. Od. 3. ſtroph. 12. *fontium qui celat origines,* Plin. l. 5. c. 9. *Nilus incertis ortus fontibus, &c.* Ita quidem veteres: at modò compertus eſt oriri duobus è fontibus in Æthiopiâ ſuperiori regnoque Abiſſinorum, in terra Sacahala, inter excelſos montes: augetur verò primum fluviis Gema; Kelti, Branti, aliiſque ſubinde compluribus. De Nili origine nuper diſſeruit eruditè Iſaacus Voſſius; nec non Michael Ant. Baudrandus in ſuo Lexico ſeu Commentario ad Philipp. Ferrarium.

Iſter.] Seu Danubius, fluvius Germaniæ maximus, per oſtia ſex aut ſeptem in Euxinum mare labitur. Ammian. Marcell. Ptolem. &c. Synecd. pro Germaniâ, quam *ſic perdomuit* Tiberius Nero, *ut in formam penè ſtipendiariæ redigeret provinciæ:* quare *tum alter triumphus cum altero conſulatu ei oblatus eſt.* Vell. Paterc. lib. 2. jam ſæpè citato. Vel potius intelligendi ſunt devicti populi ad Iſtrum uſque, ſcilicet Vindelici, Pannonii, Daci, &c.

Rapidus Tigris.] Is Armeniæ fluvius oritur è montibus Ararat, Euphratem recipit, in ſinum Perſicum effunditur. Supra omnes Aſiæ fluvios rapidus, nomen adeptus eſt; eo quod tam velox eſſe videatur quàm ſagitta, quæ tigris appellatur apud Medos. Vide Plin. l. 6. c. 27. Porrò indicantur hic Parthi, qui Armeniâ quam tenebant, Auguſto jubente, ceſſerunt, imò ſigna victis Romanis erepta ultrò remiſerunt, ut dictum eſt Ode 5. lib. 3.

47. *Te belluoſus qui, &c.*] Oceanus Britannicus pro ipſâ Britanniâ majore, quæ nunc Anglia nuncupatur; nam ab hujus inſulæ primoribus ad Auguſtum miſſæ ſunt legationes ad amicitiam ejus depoſcendam: ut annotavi ad Oden 5. lib. 2.

Belluoſus.] Novum epithetum, ſed aptiſſimum: quod ut intelligas, lector, conſule Plin. l. 9. c. 5. ubi ſic habet: *D. Auguſto legatus Galliæ ſcripſit, complures in littore apparere ex-*

Obſtrepit

paratis Britannis obmurmurat, te regio Galliæ mortem haud timentis, atque Hiſpania ferox veneratur. Tibi crudeles Sicambri conditis armis obtemperant.

Obſtrepit Oceanus Britannis,
Te non paventis funera Galliæ,
Duræque tellus audit Iberiæ;
Te cæde gaudentes Sicambri
Compoſitis venerantur armis.

ANNOTATIONES.

unimes Nereidas . . . . Tiberio Principe contra littus inſularum Lugdunenſis provinciæ belluas amplius trecentas ſimul reciprocans deſtituit Oceanus, miræ varietatis & magnitudinis: nec pauciores in Santonum littore; interque reliquas, elephantos & arietes . . . . expulſam belluam in littora Gaditana, cujus inter duas pinnas ultimæ caudæ cubita ſexdecim fuiſſent, dentes ejuſdem centum & viginti, maximi dodrantium menſurâ, minimi ſemipedum. Belluæ cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda, oſſa Romæ apportata ex oppido Judææ Joppe, oſtendit inter reliqua miracula in Ædilitate ſuâ M. Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine coſtarum Indicos elephantos excedente, ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali.

48. *Britannis.*] De adjectis Auguſti Imperio hiſce populis dixi lib. 3. Ode 5. v. 3. Jam qui ſint illi dicendum. Inſula eſt in Oceano Septentrionali maxima, olim Albion dicta, Galliæ obverſa, Britannis pridem habitata. Hos avitis ſedibus expulerunt Angli, Germanica natio, circa Annum Chriſti 441. In Ciſmarinam porrò migrantibus illis regionem, quæ primum Armorica dicebatur, exinde Britannia minor vocata, & nunc pars eſt regni Francorum.

49. *Non paventis funera Galliæ.*] Galli præ ferocitate mortem ſpernebant adeo, ut imminens evidenſque vitæ periculum declinare cum poſſent, minimè tamen vellent: fortaſſe quod metempſychoſin à Druidis edocti ſpem reviviſcendi conciperent. Hinc & coronati pugnabant. Teſtis Ælianus, Var. Hiſtor. lib. 12. cap. 18. Cæſar Bell. Gall. lib. 6. cap. 13. *In primis Druides hoc volunt perſuadere, non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios; atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto, &c.*

50. *Dura tellus Iberiæ.*] Hiſpani labore & militiâ indurati. Vide ſuprà annot. hujus libri Ode 5. v. 28.

51. *Sicambri.*] Suprà hujus libri Ode 2. v. 26. annot.

ODE XV.

AUGUSTI LAUDES.

Meditantem me canere certamina & urbes expugnatas Apollo citharâ objurgavit, ne vela exigua committerem Tyrrheno mari.

PHOEBUS volentem prœlia me loqui,
Victas et urbes, increpuit lyrâ,
Ne parva Tyrrhenum per æquor

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſuprà Ode 9. Lib. 1.

1. *Phœbus volentem, &c.*] Perperam certè nonnulli codices Oden hanc præcedenti junctam habent & continuam. Imò Poeta in Auguſti laudes paſſim effuſus, ut annotavi antea, cùm cæteris omnibus ipſique Auguſto ſatisfaceret, ipſe verò ſibi nunquam ſatisfacit. Hinc eſt quod iſtic à Phœbo ſe ait monitum atque objurgatum, quod laudandum Cæſarem pro meritis ſingularibus aſſumeret, qui omni eſſet laude major: ſicque novum laudis genus contexit. Lib. 3. Ode 3. ſimiliter,

Quo, muſa, tendis? Deſine pervicax
Magna modis tenuare parvis.

2. *Increpuit lyrâ.*] Vulgò jungunt vocem *lyrâ* cum verbo *loqui*: ſed profectò duriuſculus foret contextus: nec tam disjuncta opus eſt connectere ad optimum ſenſum. Arbiter eſto lector emunctæ naris.

3. *Ne parva Tyrrhenum, &c.*] Ne vellem exiguâ cymbâ navigare ingens æquor; id eſt, ne tenui facultate dicendi præditus ad magna Auguſti merita laudibus extollenda me accingerem infelici exitu. Ita modeſtiæ ſuæ quidem Horatius, Auguſti verò magnitudini diſerte velificatur. De mari Tyrrheno lib. 1. Ode 11. v. 6. & alibi. Hic verò pro quolibet vaſto mari ponitur, per metonymiam.

Vela

Vela darem. Tua, Cæſar, ætas
Fruges et agris rettulit uberes
Et ſigna noſtro reſtituit Jovi,
Direpta Parthorum ſuperbis
Poſtibus; et vacuum duellis
Janum Quirini clauſit, et ordinem
Rectum, et vaganti frœna licentiæ
Injecit; emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes,

[421] *Tuum, Auguſte, ævum revocavit agris meſſem fœcundam, noſtroque Jovi reddidit vexilla arrogantibus Parthorum valvis ablata: obſeravit Janum Quirini bellis vacuum: juſtas etiam leges & modum impoſuit*
[422] *licentiæ effrænatæ: abſtulitque flagitia: nec non antiquas reparavit diſciplinas;*

ANNOTATIONES.

4, 5. *Tua, Cæſar, ætas Fruges & agris rettulit uberes.*] Hac ætate tua cultos videmus agros, uberesquè meſſes habemus per providentiam tuam; cùm anteà bellis civilibus aut hoſtilibus ſterilitas & vaſtitas rura deformarent atque depopularentur. Suprà Od. 5. hujus libri.

6. *Signa noſtro reſtituit Jovi.*] Repoſita ſunt in Jovis Capitolini templo ſigna Romana, ibidem ſervari ſolita; quæ quidem profligatis Craſſo Antonioque Parthi ademerant, templorumque ſuorum parietibus & columnis ſuſpenderant velut ἀναθήματα, non ſine ingenti ſua ſuperbia, parique ignominia Romani nominis. Verùm illi Auguſto obſequentes reſtituerunt vexilla noſtra. Lib. 3. Od. 5. V. Juſtin. l. 42. in fine, Sueton. Octav. c. 21. &c. necnon Perſ. Sat. 6. v. 45. Memineris autem hæc à Poeta non temere Auguſto ſæpius occini, quòd noſſet perquam grata eſſe: nam & cuſi ſunt nummi cum hac epigraphe, SIGNIS RECEPTIS, & Marti Vindici fanum Cæſar ædificavit. Teſtis Dio.

9. *Janum Quirini clauſit.*] Templum ſcilicet Juno conditum & conſecratum à Quirino ſeu Romulo, Auguſtus finitis bellis clauſit. De Jano fusè diſſerit Macrob. 1. Saturn. cap. 9. *in ſacris,* inquit, *invocamus Janum geminum . . . Janum, patrem quaſi Deorum Deum . . . Janum Quirinum, quaſi bellorum potentem ab haſta quam Sabini curim vocant. Janum Patulcium, & Clauſium; quia bello valvæ ejus patent, pace clauduntur.* Cauſam porrò & originem iſtius ritûs petit à bello Sabino; quo, irruentibus in urbem *per patentem portam Janualem* hoſtibus, *ex æde Jani magna torrentium vis erupit,* hoſteſque *undis ſcatentibus, ferventi aqua, rapidaq; vortigine,* aut excuſſit, aut devoravit. *Ea re placitum, ut belli tempore, velut ad urbis auxilium profecto Deo fores reſerarentur.* Sed & facile eſt augurari, ideò Jani templum belli temporibus apertum, ut ad eum populi vota preceſque deferrent, quem *bellorum potentem* credebant. Ita Macr. modò cit.

Clauſit.] Suet. Oct. c. 22. *Janum Quirinum ſemel atque iterum à condita urbe, memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, terra marique pace parta ter clauſit.* Oroſius l. 6. c. 20. & ſeq. diſtinguit tempora; *Primò poſt Actiacam pugnam; iterum victis Cantabris.* (Et de hac ſecunda Jani templi clauſura loquitur iſtic Horatius, qui tertiam minimè vidit, jam tum fato functus) *tertiò gentibus omnibus terra marique pace compoſitis.* Dio pariter l. 53. & 54. ubi clauſum ab Auguſto Janum notat, primo in quinto ſuo conſulatu decimo: tertiò conſulatu undecimo: ex lapide qui Emeritæ in Hiſpania:

IMP. CÆS. DIVI.
F. AUGUSTUS PONT. X. MAX.
COS. XI.
TRIBUNIC. POT. X. IMP. VIIII.
ORBE MARI ET TERRA
PACATO. TEMPLO JANI CLUSO.

Vide Juſt. Lipſ. Elect. 1. c. 20. ubi luculenter redarguit eos, qui ex Livio & Plutarcho, *quaſi rem confeſſam ſumunt* incaſſum quidem. *Janum non ter ab Auguſto, ſed tantum ſemel clauſum, idque poſt Actiacum bellum.* Unde & Glareanus perperam emendat Suetonium cit. *Tertio clauſit,* pro, *Ter clauſit.* Quibus egregie occinit Lipſ. ibid. *Parcite boni manes, non ego vos ſolicito: tamen hic largiter erraſtis.*

10. *Et vaganti.*] Quidam legunt, *evaganti,* junguntque ſic priores voces cum ſequentibus: *Ordinem rectum evaganti frœna licentiæ injecit.* De coercitis graſſatoribus ab Auguſto, Suet. 32.

11. *Emovitque culpas.*] Suetonius Octavio, cap. 34. *Leges retractavit & quaſdam ex integro ſanxit: ut ſumptuariam; de adulteriis, de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. . . . . divortiis modum impoſuit, &c.* Vide & cap. 42. &c.

12. *Veteres revocavit artes; Per quas, &c.*] Priſcas Virtutes, Religionem, Fidem, Juſtitiam, Temperantiam, Patientiam, per quas primi Romani hoſtibus formidabiles perinde atque admirabiles amabileſq; extiterunt. Vell. Paterc. *Finita viceſimo anno bella civilia, ſepulta externa, revocata pax, ſopitus ubiq; armorum furor, re-*

Per

quibus nomen Romanum opeſque Italiæ amplificatæ ſunt, atque Imperii gloria potentiaque ab Occaſu ad Orientem eſt propagata. Auguſto Rempublicam tenante, pacem non turbabit civilis tumultus vel impetus, nec otium quod gladios fabricat & civitates efficit adverſas ac miſeras: Julias leges haud frangent, qui altum Danubium potant, non Getæ, non Seres, aut Perſæ fallaces, nec nati ad amnem Tanaim. Nos autem diebus tam feſtis quam profeſtis inter dona hilaris Bacchi, cum liberis & conjugibus noſtris, numinibus antea ritè invocatis more majorum,

Per quas Latinum nomen et Italæ
Crevêre vires, famáque et imperî
Porrecta majeſtas ad ortum
Solis ab Heſperio cubili.
Cuſtode rerum Cæſare, non furor
Civilis, aut vis exiget ótium;
Non ira quæ procudit enſes,
Et miſeras inimicat urbes. [423]
Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia; non Getæ,
Non Seres, infidíve Perſæ,
Non Tanaim prope flumen orti.
Nóſque et profeſtis lucibus, et ſacris
Inter jocoſi munera Liberi,
Cum prole, matroníſque noſtris,
Ritè Deos priùs apprecati,

ANNOTATIONES.

ſtituta vis legibus, judiciis auctoritas, Senatui majeſtas, & priſca illa & antiqua Reipublicæ forma revocata: rediit cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa cuiq; rerum ſuarum poſſeſſio: leges emendatæ utiliter, latæ ſalubriter, &c.

14. *Imperî Porrecta majeſtas ad ortum, &c.*] *Auguſtus ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus una pace compoſitis, Jani portas tertio ipſe tunc clauſit, quas ex eo per duodecim ferè annos quietiſſimo ſemper obſeratas otio ipſa etiam rubigo conſignavit.* Oroſ. lib. 6. cit.

15. *Ad ortum Solis ab Heſperio cubili.*] Sol dum occidit, Atlantico Oceano conditur, & quaſi requieſcit *cubili*; quod *Heſperium* dicitur ab Heſpero ſtella, quæ veſperi ad Occidentem apparet; unde & Heſperiæ ultimæ nomen datum Hiſpaniæ, eo quod ultima ſit ad occaſum regio. Cùm verò ſimpliciter Heſperiam vocant auctores, indicant Italiam ab Heſpero, Atlantis fratre, qui eò ſe ex Africa contulit, ſic nominatam.

20. *Inimicat.*] Quintus Cicero de petitione conſulatus, n. 37. *Sin autem neges, ſtatim ſeſe alienant, & inimicantur.* Alii tamen codices aliter, nec habent vocem *inimicantur*: ſed tantùm: *Sin autem id neges, certe abalienes & ſtatim & plures.*

21. *Qui Danubium bibunt.*] Accolæ Danubii fluminis, nempè Suevi, Norici, Vindelici, Daci, Pannonii, Germani; de quibus ante. De Danubio ſive Iſtro, præced. Od. 14. Vide & Od. 5. hujus libri.

22. *Edicta Julia.*] Suprà ad voces, *amovitq; culpas.* Ex Sueton. Octav. 34. Dion. l. 53. & 54. Vide & Carmen ſeculare poſt Epod.

Getæ.] Et hi Danubium prope habitant ac bibunt, hodie Moldavi; Scythis vicini ſunt, & inter Dacos numerantur.

23. *Seres.*] Scythæ, Indi, &c. Vide plura de his lib. 1. Od. 12. v. ſub finem.

Infidíve Perſæ.] Parthi regionem Perſidis comprehenſam incolentes, de quibus l. 1. Od. 12. & 19. & lib. 3. Od. 5. *Infidi*, qui Craſſum ſimulata pace occiderunt.

24. *Tanaim prope flumen orti.*] Scythæ, de quibus lib. 1. Od. 19. lib. 2. Od. 9. lib. 3. Od. 24. De Tanai, quem *Scythicum amnem* vocat Horat. lib. 3. Od. 4. v. 36. Od. 10. v. 1. Od. 29. v. 28. Vide ibi annot.

25. *Nóſque & profeſtis, &c.*] Nos Romani tot ab Auguſto beneficiis cumulati, ipſum ejuſque majores canere non intermittemus, tam *profeſtis lucibus*, quam *ſacris*: atque adeo quotidie, in conviviis publicis privatiſque, honorem Auguſto deferemus per libationes, etiam & vota precationeſque. Vide annot. ſuprà Od. 5. ſtroph. 8. & ſeq.

Profeſtis lucibus, & ſacris.] Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 16. ita ſcribit: *Feſti Diis dicati ſunt, profeſti hominibus ob adminiſtrandam rem privatam publicamque conceſſi, &c.* Et poſtea, *profeſti & qui ex his procedunt, ſunt faſti, comitiales, comperendini, ſtati, præliares.* Hos deinde ſingulos explicat ibid.

26. *Jocoſi munera Liberi.*] Vina ſunt Bacchi munera: is verò *lætitiæ dator*, Virgil. Æneid. 1. v. 738.

28. *Ritè Deos priùs apprecati.*] Inter libationes Dii invocabantur.

Virtute

Virtute fun[redacted]
Lydis remiſſo carmine tibiis, [424] vir[redacted] *inſignitos, atque*
T[redacted] *Anchiſem, ſobo-*
Pro[redacted] *Veneris.*

ANNOTATIONES.

29. *Virtute functi.*] Cic. Tuſcul. 1. n. 109. *Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ perfecto functus eſt munere.*

Duces canemus Lydis remiſſo carmine tibiis.] Cic. modò cit. Tuſc. 1. initio. *Eſt in originibus,* inquit, *ſolitos eſſe in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus.* De legib. 2. n. 62. *Honoratorum virorum laudes ad cantus & ad tibicinem proſequuntur.* Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. in fine. *Majores natu in conviviis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent.*

30. *Lydis.*] Modis ac numeris hilarioribus. Nam tibiarum modi varii; Doricus gravis; Ionicus floridus; Phrygius religioſus: at *Lydius* mollis & ſuavis. Sicut *Lydi* Aſiæ Minoris populi Ionibus Phrygibuſq; affines ac medii, malè ſemper audierunt, velut effeminati, & cupediarum, voluptatum, deliciarúmque ſectatores. Proverb. *Lydio more,* apud Herodotum, Suidam, Athenæum, Lib. 12.

31. *Trojam & Anchiſen, &c.*] Canemus Trojam, Anchiſen, Æneamque ejus & Veneris filium, totamque gentem Juliam inde ortam, Julium Cæſarem, Auguſtum in Juliam familiam aſcitum, Tiberium, Druſum. Lucret. l. 1. v. 1.

Æneadum genitrix, hominum Divumque voluptas,
Alma Venus.———

And again 1876. Apl. 4

Q. HORATII

quibus nomen Romanum opesque Italiæ amplificatæ ſunt, atque Imperii gloria potentiaque ab Occaſu ad Orientem eſt propagata. Auguſto Rempublicam tenente, pacem non turbabit civilis tumultus vel impetus, nec otium quod gladios fabricat & civitates efficit adverſas ac miſeras: Julias leges haud frangent, qui altum Danubium potant, non Getæ, non Seres, aut Perſæ fallaces, nec nati ad amnem Tanaim. Nos autem diebus tam feſtis quam profeſtis inter dona hilaris Bacchi, cum liberis & conjugibus noſtris, numinibus antea ritè invocatis more majorum,

Per quas Latinum nomen et Italæ
Crevêre vires, famáque et imperî
 Porrecta majeſtas ad ortum
  Solis ab Heſperio cubili.
Cuſtode rerum Cæſare, non furor
Civilis, aut vis exiget otium;
 Non ira quæ procudit enſes,
  Et miſeras inimicat urbes. [423]
Non qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia; non Getæ,
 Non Seres, infidíve Perſæ,
  Non Tanaim prope flumen orti.
Nóſque et profeſtis lucibus, et ſacris
Inter jocoſi munera Liberi,
 Cum prole, matroníſque noſtris,
  Ritè Deos priùs apprecati,

ANNOTATIONES.

ſtituta vis legibus, judiciis auctoritas, Senatui majeſtas, & priſca illa & antiqua Reipublicæ forma revocata: rediit cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa cuiq; rerum ſuarum poſſeſſio: leges emendatæ utiliter, latæ ſalubriter, &c.

14. *Imperî Porrecta majeſtas ad ortum, &c.*] *Auguſtus ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus una pace compoſitis, Jani portas tertio ipſe tunc clauſit, quas ex eo per duodecim ferè annos quietiſſimo ſemper obſeratas otio ipſa etiam rubigo conſignavit.* Oroſ. lib. 6. cit.

15. *Ad ortum Solis ab Heſperio cubili.*] Sol dum occidit, Atlantico Oceano conditur, & quaſi requieſcit *cubili*; quod *Heſperium* dicitur ab Heſpero ſtella, quæ veſperi ad Occidentem apparet; unde & Heſperiæ ultimæ nomen datum Hiſpaniæ, eo quod ultima ſit ad occaſum regio. Cùm verò ſimpliciter Heſperiam vocant auctores, indicant Italiam ab Heſpero, Atlantis fratre, qui eò ſe ex Africa contulit, ſic nominatam.

20. *Inimicat.*] Quintus Cicero de petitione conſulatus, n. 37. *Sin autem neges, ſtatim ſeſe alienant, & inimicantur.* Alii tamen codices aliter, nec habent vocem *inimicantur*: ſed tantùm: *Sin autem id neges, certe abalienes & ſtatim & plures.*

21. *Qui Danubium bibunt.*] Accolæ Danubii fluminis, nempè Suevi, Norici, Vindelici, Daci, Pannonii, Germani; de quibus ante. De Danubio ſive Iſtro, præced. Od. 14. Vide & Od. 5. hujus libri.

22. *Edicta Julia.*] Suprà ad voces, *emovitq; culpas.* Ex Sueton. Octav. 34. Dion. l. 53. & 54. Vide & Carmen ſeculare poſt Epod.

Getæ.] Et hi Danubium prope habitant ac bibunt, hodie Moldavi; Scythis vicini ſunt, & inter Dacos numerantur.

23. *Seres.*] Scythæ, Indi, &c. Vide plura de his lib. 1. Od. 12. v. ſub finem.

Infidíve Perſæ.] Parthi regionem Perſidis comprehenſam incolentes, de quibus l. 1. Od. 12. & 19. & lib. 3. Od. 5. *Infidi*, qui Craſſum ſimulata pace occiderunt.

24. *Tanaim prope flumen orti.*] Scythæ, de quibus lib. 1. Od. 19. lib. 2. Od. 9. lib. 3. Od. 24. De Tanai, quem *Scythicum amnem* vocat Horat. lib. 3. Od. 4. v. 36. Od. 10. v. 1. Od. 29. v. 28. Vide ibi annot.

25. *Nóſque & profeſtis, &c.*] Nos Romani tot ab Auguſto beneficiis cumulati, ipſum ejuſque majores canere non intermittemus, tam *profeſtis lucibus*, quam *ſacris*: atque adeo quotidie, in conviviis publicis privatiſque, honorem Auguſto deferemus per libationes, etiam & vota precationeſque. Vide annot. ſuprà Od. 5. ſtroph. 8. & ſeq.

Profeſtis lucibus, & ſacris.] Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 16. ita ſcribit: *Feſti Diis dicati ſunt, profeſti hominibus ob adminiſtrandam rem privatam publicamque conceſſi, &c.* Et poſtea, *profeſti & qui ex his procedunt, ſunt faſti, comitiales, comperendini, ſtati, præliares.* Hos deinde ſingulos explicat ibid.

26. *Jocoſi munera Liberi.*] Vina ſunt Bacchi munera: is verò *lætitiæ dator*, Virgil. Æneid. 1. v. 738.

28. *Ritè Deos priùs apprecati.*] Inter libationes Dii invocabantur.

Virtute

[redacted]

Virtute fu[redacted] ſe-
Lydis remiſto carmine tibiis, [redacted] ducem
[424] vir[redacted] *inſignitos, atque*
T[redacted] *Anchiſen, ſobo-*
Pro[redacted]*ndæ Veneris.*

ANNOTATIONES.

29. *Virtute functos.*] Cic. Tuſcul. 1. n. 109. *Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ perfecto functus eſt munere.*

Duces canemus Lydis remiſto carmine tibiis.] Cic. modò cit. Tuſc. 1. initio. *Eſt in originibus,* inquit, *ſolitos eſſe in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus.* De legib. 2. n. 62. *Honoratorum virorum laudes ad cantus & ad tibicinem proſequuntur.* Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. in fine. *Majores natu in conviviis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent.*

30. *Lydis.*] Modis ac numeris hilarioribus. Nam tibiarum modi varii; Doricus gravis; Ionicus floridus; Phrygius religioſus: at *Lydius* mollis & ſuavis. Sicut *Lydi* Aſiæ Minoris populi Ionibus Phrygibuſq; affines ac medii, malè ſemper audierunt, velut effeminati, & cupediarum, voluptatum, deliciarúmque ſectatores. Proverb. *Lydio more,* apud Herodotum, Suidam, Athenæum, Lib. 12.

31. *Trojam & Anchiſen, &c.*] Canemus Trojam, Anchiſen, Æneamque ejus & Veneris filium, totamque gentem Juliam inde ortam, Julium Cæſarem, Auguſtum in Juliam familiam aſcitum, Tiberium, Druſum. Lucret. l. 1. v. 1.

Æneadum genitrix, hominum Divûmque voluptas,
Alma Venus.——

And again 1876 Apl 4

Q. HORATII

[redacted]

Q. HORATII FLACCI EPODON LIBER; SIVE ODARUM LIBER QUINTUS.

ODE I.

Ad MÆCENATEM.

Cui ad Bellum Actiacum ire paranti offert ſe comitem.

Navigabis, O amice, Liburnicis navibus inter excelſa navium munimenta,

IBIS Liburnis inter alta navium, [425]
Amice, propugnacula;

Metrum eſt Iambicum. Prior quiſque verſus eſt trimeter; alter quiſque dimeter.

De hujus libri titulo primùm dicam pauca. Illum Horatius non inſcripſit unquam: excogitavere Grammatici, multis pòſt annis, imò poſt aliquot ſecula, Horatii Odas aliaque opera colligentes, compingentes, & eo ordine quem modò videmus, digerentes. Unde verò Epodos commenti ſunt? Certant etiamnum eruditi. An quòd ultimus ſit Odarum liber, & quaſi poſt Odas? At levicula ratio. An quòd Odæ iſtæ ſint poſt alias factæ? Imò verò pleræque hujus libri aliis ſunt priores, v. g. Epod. 9. manifeſtè antecedit Oden 37. l. 1. An quod longiori verſui brevior attexitur? Atqui hujus generis Odæ reperiuntur etiam in cæteris libris; & in hoc ipſo libro ultima & penultima eſt monocolos & ejuſdem metri. Quid quod doctus & ſagax Muretus ingenuè fatetur, non ſatis intelligere ſe cur Epodon liber hic vocetur: Fabricius autem ſcribit in libris prioribus Horatium imitatum eſſe Alcæum & Sapphonem; in iſto verò Archilochum atque Lucilium. Certè Marius Victorinus l. 3. ſic habet: *Archilochus fuit ſingularis artificii in excogitandis & formandis novis metris, primuſque Epodos excogitavit; alios breviores, alios longiores, detrahens unum pedem ſeu colum metro, ut illi ſubjiceret id quod ex ipſo detractum eſſe videbatur . . . . Horatius ejus exemplum ſecutus eſt in ea Ode,*

Solvitur acris hyems grata vice veris & Favonî,
Trahuntque ſiccas machinæ carinas.

Ergo Ἐπῳδῶν librum hunc inſcripſere Grammatici, ſeu quòd Archilochi & Lucilii exemplo maledictis conferta pleraque carmina contineat, ſeu quod Iambicis trimetris ſubtexantur accinanturque dimetri, longioribus, quibuſcunque

Paratus

Paratus omne Cæſaris periculum [426]
Subire, Mæcenas, tuo?
Quid nos, quibus te vita ſit ſuperſtite [427]
Jucunda, ſi contrà, gravis? 6
Utrùmne juſſi perſequemur otium
Non dulce, ni tecum ſimul?
An hunc laborem mente laturi, decet

Auguſti diſcrimen quodlibet promptus obire tuo periculo. Quid agemus nos, quibus vita, te vivente grata fuerit; ſi ſecus, moleſta? An ex mandatis otio fruemur minimè jucundo, niſi unà tecum? An verò iſtum laborem toleraturi ſumus eo animo, quo

ANNOTATIONES.

verſibus brevioribus. Et hæc mea quidem ſententia. Enimverò parum ſatisfacit quod aiunt alii, quoniam Epodas eſt velut Odes clauſula, additurque poſt ſtrophen & antiſtrophen, hinc ἐπῳδὸς vocari eos verſus minores, qui ſubjecti longioribus ſenſum finiunt & concludunt. Contrarium ſiquidem in nonnullis Horatii Epodis agnoſcitur. Vide Marium Victorinum l. 1. Galenum de uſu partium, Epilogo l. 17. Diomedem l. 3. cap. 4. Iſidorum l. 1. c. 38. Terentianum Maurum l. de metris. Scaligerum Poet. l. 1. c. 44. &c.

1. *Ibis Liburnis, &c.*] Ergone ibis hinc pro cul ſine me, qui te carere vix queo? Ibis, Mæcenas, ad bellum cum Auguſto adverſus Antonium & Cleopatram, nullum non paratus ſubire periculum pró Cæſare tuendo.

Liburnis.] Naves Liburnæ minores erant, leviores, agiliores, proindeque bello idoneæ. His itaque Auguſtus Antonianas mole graviores facilè profligavit, fugientemque perſecutus debellavit Antonium. Nomen à Liburnis, hodie Croatis, populis Illyrii; qui, piraticæ cauſâ faciendæ, genus illud navium invenerant ſibi percommodum. Vide Veget. de Re milit. lib. 4. cap. 28. & ſeq.

Inter alta navium propugnacula.] Naves Antonii deſignat ingentes quidem, extructis in prora & puppi tabulatis turrium inſtar, Cæſarianis terribiles. L. Flor. l. 4. c. 11. *Nobis quadringentæ amplius naves, ducentæ non minus hoſtium: ſed numerum penſabat magnitudo. Quippe à ſenis in novenos remorum ordinibus: ad hoc turribus atque tabulatis allevatæ, caſtellorum & urbium ſpecie, non ſine gemitu maris & labore ventorum ferebantur. Quæ quidem ipſa moles exitio fuit . . . . Immenſa claſſis naufragio belli facto, toto mari ferebatur, &c.* Plutarchus in Anton. ſimiliter refert, Cæſaris naves Brunduſii & Tarenti fabricatas ad celeritatem, non ad roboris oſtentationem: Antonianas contrà ligneis turribus excelſas, è quibus in hoſtem catapultas emittebat. Plin. l. 32. c. 1. *Armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur velut è muris. Heu vanitas humana . . . . . Fertur Actiaco Marte tenuiſſe prætoriam navim Antonii piſciculus . . . . Utroque Cæſariana claſſis impetu majore protinus venit.* Vide Veget. lib. 4. c. 44. nec non Dionem Nicæum, ſive Joann. Xiphilinum in Auguſto, ubi ſcribit: *Pugnatum eſt apud Actium, ubi nunc Nicopolis . . . . Naves Antonii erant navibus hoſtium longe majores, deciremes complures . . . . In his altiſſimas turres ædificari, atque magnum numerum hominum imponi in turribus juſſerat . . . . De ſuperiore loco hoſtes obruebant atque ſubmergebant lapidibus aliiſque machinis, &c.*

3. *Paratus omne Cæſaris periculum ſubire.*] Teſte Appiano, ſecutus eſt Auguſtum Mæcenas cum M. Agrippa, in Siciliam adverſus Sext. Pompeium: item contra M. Antonium & Cleopatram, ad Actium Epiri promontorium. Vide apud Virgil. Æneid. 8. præſertim à verſu 675 ad 695. Actiacæ victoriæ deſcriptionem: ubi egregia Agrippæ quidem laudatio: at mirum quod ibidem Mæcenatis nulla mentio. Contra Xiphilinus mox citatus alterum ab altero non ſeparat, ita ſcribens: *Cæſar eo prælio navali ſuperior . . . . Agrippa in eo bello Cæſari magno uſui fuit. Nam & Antonii quaſdam urbes evertit, in quibus habebat bellicos apparatus, & ejus adverſarios crebrò vicit. Quas ob res ei atque Mæcenati tantam poteſtatem detulit Cæſar in rebus omnibus, ut literas quaſcunque ad Senatum vel alios mitteret, ipſi prius legere poſſent, & ex eis quæ vellent immutare: cujus rei cauſâ annulum ab eo acceperunt, quo literas obſignarent.* Et poſteà, *de Imperio deponendo Cæſar deliberationem habuit cum Agrippa & Mæcenate, cum quibus communicabat omnia arcana conſilia. Ex his Agrippa conſulebat juſtius . . . . Mæcenas majorem utilitatis habebat rationem . . . . Cæſar Mæcenati aſſenſus eſt, ſumpſitque nomen Imperatorium, &c.*

5. *Te vita ſi ſuperſtite Jucunda: ſi contrà, gravis.* Vide lib. 2. Od. 17. Al. leg. *ſit.*

7. *Utrumne juſſi perſequemur otium, &c.*] An dum laborabis & periclitaberis tu, otium ego perſequi potero? Certè quantumvis jubeas, parere hac in re & morem tibi gerere haud valeo.

9. *An hunc laborem, &c.*] Prolepſis, quâ ipſe ſibi Horatius objicit: at militiæ ærumnas

Quâ ferre non molles viros?
Feremus. Et te vel per Alpium juga,
Inhoſpitalem et Caucaſum,
Vel Occidentis uſque ad ultimum ſinum,
Forti ſequemur pectore.
Roges, tuum labore quid juvem meo, [428]
Imbellis ac firmus parùm?
Comes minore ſum futurus in metu,
Qui major abſentes habet:
Ut aſſidens implumibus pullis avis
Serpentium allapſus timet
Magis relictis: non ut adſit, auxilî
Latura plus præſentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuæ ſpem gratiæ:
Non ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur mea:
Pecúſve Calabris ante ſidus fervidum
Lucana mutet paſcua:

tolerare debent viri non ſegnes? Tolerabimus certè, *atque te ſectabimur generoſa mente per altas Alpes, & Caucaſum inhabitabilem, & ad extrema Occidentis maria. Quæres, quid tuum laborem meo ſublevem ego non aptus militiæ, minimeque ſtrenuus?* Scilicet te *comitans minorem habebo* pro te *timorem, qui gravius angit abſentes: veluti avis incubans pullis implumibus, plus iis relictis metuit incurſiones anguium; majorem opem non præſtitura, etiamſi præſentibus aſtiterit. Hanc* & aliam *quamlibet militiam obibo amicitiæ tuæ gratia: nequaquam ut pluribus meis bobus annexa aratra portentur; aut greges e paſcuis Lucanis tranſeant in Calabra, ante ardens aſtrum.*

ANNOTATIONES.

ferre minus ſum idoneus: reſpondet verò, ſibi cum Mæcenate quælibet tolerabilia videri. Cit Ode lib. 2.

Me nec Chimeræ ſpiritus igneæ,
Nec ſi reſurgat centimanus Gyas,
Divellet unquam.

11. *Per Alpium juga.*] Quæ quidem ſuperatæ tanti ſtetit ipſi Annibali aliiſque. Vide Tit. Liv. lib. 21. cap. 36. & ſeq. iſtos montes quibus Italia quaſi vallatur, *tranſcendiſſe quoque mirum fuit, atque in portento propè majores habuere.* Plin. Proœm. lib. 36.

12. *Inhoſpitalem & Caucaſum.*] Montem Aſiæ altiſſimum, ubi glacies & nives perpetuum horrorem faciunt. Vide lib. 1. Ode 22.

13. *Occidentis uſque ad ultimum ſinum.*] Ad Gaditanum uſque Oceanum, ultra Columnas Herculis, quem mundi finem ſtatuebant Romani, verſus Occidentem. Vide lib. 2. Ode 2. v. 11. annot.

18. *Qui major abſentes habet.*] Ita eſt; rei amatæ, quando abeſt, plus timetur, & mille falſa pericula amans ſibi fingit, illique formidat ſemper.

19. *Ut aſſidens implumibus, &c.*] Non quidem præſens ego te juvare plurimùm ſperem: ſicut avis, etſi pullis aſſideat, parum eos defendit à ſerpentibus: attamen iis relictis abſens magis timet.

23. *Libenter hoc, &c.*] Hoc igitur bellum quantumvis grave adibo intrepidus, ut te præſente fruar, ô Mæcenas; tibique meum amorem teſtificer.

27. *Non ut juvencis, &c.*] Neque verò inde velim à te mereri vel conſequi donationes majores prioribus. Nequaquam plura cupiam agri jugera, ad quæ aranda pluribus juvencis ac bobus mihi opus ſit. Neque talia a te peto.

27. *Pecúſve, Calabris, &c.*] Neque pariter numeroſiores greges habere exoptem, vel diverſa paſcua in diverſis regionibus: ut ſecundum varias cœli affectiones, commodè ſemper illi paſcantur, modò in his, modò in iſtis. Varro de Re Ruſt. lib. 3. cap. ult. in fine; Appuli ſolent pecuarii, propter calores, in montes Sabinos pecus ducere.

Calabris ante ſidus fervidum Lucana mutet paſcua.] Pro *Calabra paſcua*, ubi æſtus fervidior, *mutet Lucanis*, ubi cœlum magis eſt temperatum: *mutet*, inquam, & ab illis in hæc deducatur, *ante ſidus fervidum*, id eſt, ante Caniculam, cujus ardor nimius pecori eſt noxius & infeſtus. De *Calabra* lib. 1. Ode 31. De Canicula, lib. 1. Ode 17. v. 17. & lib. 3. Ode 13. v. 9.

28. *Lucana.*] Lucana Italiæ regio, in Regno Neapolitano, inter Apuliam, Brutios, Picentes, atque oram Tyrrheni maris: continetur in ea quæ *Baſilicata* provincia nunc dicitur. Plin. lib. 14. cap. 6. vina Lucana commendat his verbis: *Verum & longinquiora Italiæ ab Auſonio mari non carent gloria, Tarentina . . . . . . Lucanaque.*

Nec

Neque ſuperni villa candens Tuſculi [429]
Circæa tangat mœnia.
Satis ſupèrque me benignitas tua
Ditavit. Haud paravero,
Quod aut avarus ut Chremes terrâ premam;
Diſcinctus aut perdam, ut nepos.

neque ut villa candida vicina alti Tuſculi pertingat muros Circæos. Imò tua munificentia locupletavit me ſufficienter & abundè. Abſit ut accumulem quæ vel terræ infodiam, velut Chremes avarus, vel dilapidem ſicut belluo diſſolutus.

ANNOTATIONES.

29. *Nec ut ſuperni, &c.*] Neque ut villa mea in agro Tuſculano ſita, prædiumque quod ibi habeo à te mihi donatum, magis ac magis amplificetur, extendaturque ad uſque Tuſculum, urbem in edito colle extructam.

Villa candens.] E marmore candido ædificatam nonnulli explicant. Quaſi verò villula Horatii, quâ licet modicâ contentum ſe pluribus locis apertè jactitat, fuiſſe marmorea. Ergò, vel ſplendidulam, vel è candenti lapide extructam intellige. Plin. l. 36. c. 22. *In Liguria, Umbria, & Venetica albus lapis dentata ſerra ſecatur.*

30. *Circæa mœnia.*] Tuſculana; quippe Tuſculum condiderat Telegonus Circes & Ulyſſis filius, lib. 3. Od. 29. v. 8. *Telegoni juga parricidæ.* Vide ibid. annot.

31. *Satis ſuperque me benignitas, &c.*] Horatius à Mæcenate donatus fuerat prædiis aliquot, ut jam dixi; iis verò ſe planè contentum eſſe, nec plura flagitare prædicat, l. 2. Od. 18. v. 12. quanquam plura donare paratum ſciret Mæcenatem, ut declarat, l. 3. Od. 16. ſtrophe penultima. Si vacat, lector, lege etiam annot. l. 3. Od. 13. v. 1. & init. Epiſt. 16. ubi ſuam ipſe villam deſcribit Horatius.

32. *Haud paravero, Quod, &c.*] Nolim inſanire divitias accumulando ſtultè, & infodiendo occultandoque in terra, ſicut Chremes ille ſenex avarus apud Terent. comœd.

34. *Diſcinctus aut perdam ut nepos.*] Abſit etiam ut opes habeam, quas malè perdam ac prodigè effundam.

Diſcinctus.] Mollis, iners, ignavus, luxurioſus: contra *cinctus* vocatur gnavus ac fortis. Apud Romanos diſcinctum ſeu non cinctum prodire in publicum, diſſoluti ac perditi luxuriâ hominis nota erat. Proverb. *Diſcincta veſtis, diſcinctus animus.* Perſ. Sat. 3. v. 21.

Non pudet in morem diſcincti vivere Nattæ?

Nepos.] Ita vocatur luxurioſus, quod ei non major cura ſit rei ſuæ familiaris, quàm ſolet eſſe juveni, cujus pater et avus adhuc vivunt, quos ſibi novit opes congerere, & opimam hæreditatem comparare. Feſtus.

ODE II.

VITÆ RUSTICÆ LAUDES.

BEATUS ille qui procul negotiis, [430]
Ut priſca gens mortalium,

Felix ille, qui longè à negotiis, & liber ab uſuris omnibus,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Beatus ille, &c.*] Hæc Ode, vel confitente Hypercritico, *ſanè longè pulcherrima.*] Inducitur fœnerator Alphius vitam ruſticorum ita laudans, ut videatur jamjam, abjecto fœnerandi ſtudio, illam amplexurus: qui tamen ad ſolitam quæſtûs curam mox abripitur, & ad ſuos mores redit: adeò valet conſuetudo inveterata.

Beatus ille, qui procul negotiis, &c.] Pleraque hujus Odes lumina mutuatus eſt Horatius à Virgilio Georgic. 2. ſub finem. Quæ verò hic ſuſè extolit, ille ſedulò perſtrinxit: & contrà, quæ Virgilius contractè dixerat, Horatius dilatare & explicare curavit. Virgil. Geor. l. 2. v. 458. ſic ruſticæ vitæ laudes auſpicatur;

O fortunatos nimium, ſua ſi bona nôrint,
Agricolas; Quibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

2. *Ut priſca gens mortalium.*] Primis nempe ſeculis felices & aurei mortales in agris degebant, terram exercebant, innocentem & beatam agebant vitam. Vide Plin. l. 18. init. Val. Max. l. 7. c. 1. Virgil. antè cit. v. 532.

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini;
Hanc Remus & frater; ſic fortis Etruria crevit:
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma.
. . . .
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

agros paternos colit propriis bobus; ſicut homines antiqui: neque bellator excitatur gravi ſono tubæ, nec timet procelloſum mare: fugit lites & domos ſuperbas opulentorum civium. Itaque vel palmites vitium creſcentes alligat excelſis populis,

Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore:
Neque excitatur claſſico miles truci, [431]
Nec horret iratum mare: 6
Forúmque vitat, et ſuperba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adultâ vitium propagine
Altas maritat populos,

ANNOTATIONES.

3. *Paterna rura bobus exercet ſuis.*] Non ingentia prædia uſuris comparata, ſed modica à parentibus ſibi relicta. Ode 1. l. 1. *Gaudentem patrios findere ſarculo Agros.* Vide Tit. Liv. l. 3. c. 26. ubi *L. Quinctius Cincinnatus ſpes unica Imperii Pop. Rom. quatuor jugerum colens agrum, à legatis* ad Dictaturam vocatur, inventus *ſeu foſſam fodiens, bipalio innixus, ſeu cum araret; operi certè, id quod conſtat, agreſti intentus.*

4. *Solutus omni fœnore.*] Qui nequaquam fœnori operam dedit unquam, nec dare velit: avaritiæ & cupiditatis labe nullâ aſperſus. Fœnus ſive uſuram prohibent leges divinæ & humanæ. Deuteron. c. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Cato, *Majores noſtri ſic habuerunt, & in legibus poſuerunt: furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli; quanto pejorem exiſtimaverunt fœneratorem quàm furem.* Cic. Offic. 1. n. 150. *Primum improbantur hi quæſtus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum & fœneratorum.* Vide Alex. ab. Alex. l. 1. c. 7. &c.

5. *Nec excitatur claſſico miles.*] Dormit ſomnum pacatum & placidum; nec, ut miles, tubæ ſonitu excitatur.

Truci.] Quicquid ad arma bellumque attinet, truculentum eſt & horribile. Porrò, *claſſica ſunt cornua, quæ convocandi cauſa fuerunt facta: & à calando claſſicum quaſi calaſſicum dicitur.* Iſidor. l. 18. c. 4. Vide infra verſus Virgilii mox afferendos, hunc & ad ſequentia pertinentes.

6. *Nec horret iratum mare.*] Nec, ut negotiatores ac mercatores, navigationis fert incommoda, aut maris irati horrores experitur. Vide Juv. Sat. 12. Item quæ annotavi l. 1. Od. 3. v. 9.

7. *Forumque vitat.*] Strepitus forenſis caret moleſtiâ. Litigandi quantus ſit furor, quantus & labor, noverat Plutarchus, qui l. de fœnore aſſerit, forum eſſe *impiorum regionem.* Anacharſis ſcribit, *locum eſſe ad fallendum invicem, atque ad dandas avaritiæ manus deſtinatum.* Columella ait, exerceri *in foro caninum quoddam allatrandi, & contra innocentes, & pro nocentibus ſtudium;* atque videri *conceſſum intra mœnia latrocinium;* additque; ibi, *niſi dorophagos expleas ſordidoſque ac nummarios, profuſo ludi operam.*

7, 8. *Superba civium Potentiorum limina.*] Profectò gravis erat ſervitus clientium ſuperbo capiti quotidiana officia præſtantium: primâ luce ſalutabant, deinde ad forum comitabantur, noctu etiam patronis addeſſe per urbem currentibus cogebantur, &c. Vide Juv. Sat. 3. v. 124. & ſeq. Virgil. Geor. l. 2. v. 461.

Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Manè ſalutantum totis vomit ædibus undam.

Et poſtea, v. 502.

. . . .

Inſanumque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cæca; ruuntque
In ferrum, penetrant aulas & limina regum,
&c.

9. *Ergo aut adulta &c.*] Poſtquam oſtendit agricolas eſſe immunes à malis, quæ comitari ſolent varias hominum conditiones, v. g. fœneratorum, militum, mercatorum, cauſſidicorum, clientium; jam exponit ruſticæ vitæ emolumenta, & voluptates ſingulis anni tempeſtatibus proprias. Ver habet amœnitatem: æſtas hortorum, frugum, & pecoris fœcunditatem: autumnus fructuum multiplicem proventum: hyems aucupium & venationem.

Propagine.] Plin. l. 17. c. 10. *Arbores aut ſemine proveniunt, aut plantata radice, aut propagine, aut avulſione, aut ſurculo, aut inſito & conſecto arboris trunco.*

10. *Altas maritat populos.*] Plin. l. 17. c. 23. ſcribit longo uſu compertum, *Nobilia vina non niſi in arbuſtis gigni, & in his quoque laudatiora ſummis, ſicut uberiora imis: adeo excelſitate proficitur. Hac ratione & arbores diguntur. Prima omnium ulmus . . . . . deinde populus . . . minus denſa folio, &c.* Varro de Re Ruſt. l. 1. c. 8. ita ſcribit: *Vineæ aliæ humiles, ut in Hiſpania: aliæ ſublimes, ut pleræque in Italia, &c.* & in fine: *ubi natura terræ humida, ibi vitis altius tollenda, quod in partu & alimonio vinum non ut in calice, quærit aquam, ſed ſolem: itaque ideo, ut arbitror, primum è vinea in arbores aſcendit vitis.* Vide lib. 4. Od. 5. v. 30.

Inutileſque

Inutileſque falce ramos amputans, [432]
Feliciores inſerit:
Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantes greges;
Aut preſſa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves.
Vel cùm decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,
Ut gaudet inſitiva decerpens pyra,
Certantem et uvam purpuræ,
Quâ muneretur te, Priape, et te, pater
Sylvane, tutor finium!
Libet jacere modò ſub antiquâ ilice, [433]
Modò in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ;
Queruntur in ſylvis aves;
Fonteſque lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.
At cùm tonantis annus hybernus Jovis

atque ſteriles ſurculos falce reſecans, fertiliores inſerit: vel in remota valle paſcentes mugientium greges contemplatur; vel extracta favis mella recondit in vaſis mundis: vel tondet oves imbecilles. Cum vero autumnus campis erexit caput dulcibus fructibus ornatum, quàm lætatur colligens pyra inſitiva, & uvas purpuræ æmulas, quas tibi offerat, O Priape, tibique, Sylvane parens, agrorum cuſtos! Nunc placet recumbere ſub annoſa quercu, nunc ſuper herbam vireſcentem. Interea dum amnis defluit ripis ſublimibus; canunt aves in nemoribus; rivulique murmur edunt aquis loquentibus; quod placidum conciliet ſoporem. Quando autem tempeſtas hyemalis Jove

ANNOTATIONES.

11. *Inutileſque falce ramos amputans.*] Plin. modò cit. *Arbuſta arari quam altiſſimè deſiderant, etſi tantum frumenti ratio non exigit . . . Deputantur cum vite pariter interlucata denſitate ramorum, qui ſunt ſupervacui & abſumunt alimenta.*

12. *Feliciores inſerit.*] Vide Plin. l. 17. c. 14. ubi geminam inſitionis affert rationem: altera fit trunco leniter fiſſo: altera eſt inoculatio: fitque exciſo cortice, & aperiendo in arbore oculum, ſemenque illic includendo. Hanc docuere aves & natura. *Tradunt monedulam,* inquit ille, *condentem ſemina in theſauros cavernarum, ejuſdem rei præbere cauſas.* Et paulò antè: *Inſerere quoque natura docuit, ſemine ventis ſæpe translato in aliquas corticum rimas: unde vidimus ceraſum in ſalice, platanum in lauro, &c.*

14. *Proſpectat errantes greges.*] Greges paſtoreſque inviſit, & an rectè ſe habeant cuncta, conſiderat.

15. *Preſſa puris mella condit amphoris.*] Virg. Geor. lib. 4. v. 140.

. . . . . *Spumantia cogere preſſis*
Mella favis.——

Vide Columell. l. 9. c. 15. Plin. l. 11. c. 12. & ſeq.

16. *Infirmas oves.*] Delicatas, morbis obnoxias.

17. *Decorum pomis caput, &c.*] Ita nempe ſolet pingi autumnus.

19. *Inſitiva pyra.*] Proprio labore inſita & educata, & hinc longè jucundiora.

20. *Certantem & uvam purpuræ.*] Maturam ſcilicet, & purpureo colore gratam.

21. *Priape.*] Hortorum Deus & Tutor.

22. *Sylvane.*] Agrorum præſes & cuſtos. Virg. Geor. l. 2. v. 493.

Fortunatus & ille Deos qui novit agreſtes,
Panaque Sylvanumque ſenem, &c.

Et poſteà: v. 516.

Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi.
. . . .
Et varios ponit fœtus autumnus: & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.

23. *Libet jacere modo.*] Hoc fruſtra putant aliqui novæ Odes initium; Virg. v. 469.

Speluncæ, vivique lacus; at frigida Tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni
Non abſunt: illic ſaltus ac luſtra ferarum.

25. *Labuntur altis interim ripis aquæ.*] Vel ex alto quodam loco defluunt; vel, profundo currunt alveo. Virg. Geor. lib. cit. v. 485.

Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes.

27. *Lymphis obſtrepunt.*] Avibus quaſi accinunt, ſuo murmure ac ſtrepitu avium cantus provocant.

29. *At cum tonantis, &c.*] Hyemalis tempeſtas ubi cœpit ingruere, venationi datur opera.

Jovis.] Jam alibi diximus Jovem poni pro aëre; *tonantis,* tempeſtuoſi, pluvii, pruinoſi. Virgil. Georgic. lib. 2. v. 519.

Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis.

ſæviente pluvias & nives procreat: vel plurimis canibus apros feroces undequaque propellit in retia oppoſita; vel pertica lævigata plagas haud ſtrictas expandit turdis voracibus inſidioſas: ac timidum leporem, gruemque tranſmarinam prædam. Inter iſta quis recordatur moleſtiarum quas amor gignit? Quod ſi caſta uxor ex parte ſua curans familiam dilectoſq; natos (velut Sabina vel conjux Appuli velocis, aduſta ſolis ardore) è lignis aridis componat ſacratum focum, pau-

Imbres nivéſque comparat:
Aut trudit acres hinc et hinc multâ cane
Apros in obſtantes plagas:
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos;
Pardúmve, leporem, et advenam laqueo gruem,
Jucunda captat præmia. [534]
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliviſcitur?
Quod ſi pudica mulier in partem juvans
Domum, atque dulces liberos;
(Sabina qualis, aut peruſta ſolibus
Pernicis uxor Appuli)
Sacrum vetuſtis exſtruat lignis focum

ANNOTATIONES.

At Georgic. 1. v. 305.

Sed tamen & quernas glandes tum ſtringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta:
Tunc gruibus pedicas, & retia ponere cervis,
Auritoſque ſequi lepores . . . . . .
Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.

31. *Multâ cane.*] Canes fœminino genere poni ſolent, cum de venatione agitur, ut volunt; quoniam, inquiunt, nonnulli, velociores & ſagaciores ut plurimum ſunt canes fœmininæ.

33. *Amite.*] Ames eſt fercula ſeu pertica, quâ rete ſuſpenditur aut tenditur ad captandas aves.

34. *Turdis.*] Qui præcipui ſunt ſaporis, Gall. *Grives.* Ang. Thruſhes, De his Varro de Re Ruſt. l. 3. c. 5. Athen. l. 2. c. 24.

35. *Advenam gruem.*] Varro modò cit. *Volucres partim advenæ ſunt, ut hirundines & grues: partim vernaculæ, ut gallinæ & columbæ. De illo genere ſunt turdi adventitio, ac in Italiam quotannis trans mare advolant ad æquinoctium autumnale, & eodem revolant ad æquinoctium vernum.* Cic. de Nat. Deor. 2. n. 125. *Grues, cum calidiora loca petentes maria tranſmittunt, trianguli formam efficere animadverſum; ejus autem ſummo angulo aër ab eis adverſus pellitur: deinde ſenſim ab utroque latere tanquam remis ita pennis curſus avium levatur. Baſis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tanquam à puppi ventis adjuvatur: hæque in tergo prævolantium colla & capita reponunt.* Vide & Plin. l. 10. c. 23.

37. *Quis non malarum, &c.*] Phraſis Græca, pro, quis non obliviſcitur malarum curarum, quas amor habet?

39. *Quod ſi pudica, &c.*] Virg. Geor. 2. v. 524.

Interea pendent dulces circum oſcula nati:
Caſta pudicitiam ſervat domus.———

Eccleſiaſticus, cap. 26. *Mulieris bonæ beatus vir: numerus annorum illius duplex: annos vitæ in pace implebit.*

41. *Sabina qualis.*] Juvenal. Sat. 6. v. 162.
Intactior omni Sabina.

42. *Uxor Appuli.*] Appulæ, ut & Sabinæ mulieres, caſtitatis & frugalitatis laude florebant. Juvenal. modò cit.

Malo Venuſinam, quàm te, Cornelia, mater Gracchorum, &c.

Sabini ab Apennino ad Tiberim & Anienem fluvios extendebantur olim: Velino autem flumine media regio irrigabatur. Illic hodie continentur Sabina provincia, pars Umbriæ orientalis, & Aprutii ulterioris portio non modica.

Aquila duplex.] Daunia, & Peucetia; utraque regno Neapolitano concluditur. Daunia hodie *Capitanata*, eſt admodum fertilis, ſita eſt inter Aufidum & Tiphernum fluvios. Peucetia hodie *Terra di Barri*, continet Barianam provinciam, & partem Baſilicatæ: lætiſſimis abundat paſcuis

Peruſta ſolibus.] Tum quod ea regio calidior, tum quod eæ mulieres rei domeſticæ curam etiam apud villas & agros gerentes, æſtum non rarò tolerabant, ſoliſque ardoribus torrebantur.

43. *Sacrum vetuſtis, &c.*] E lignis dudum congeſtis adeoque ſiccis focum exſtruat, ad ignem accendendum adventanti viro diutinis laboribus defeſſo.

Sacrum.] Tum ob Lares ac Penates Deos, tum ob Veſtam. Vide Macrob. l. 3. Saturn. c. 4. &c.

Laſſi

Laſſi ſub adventum viri :
Claudénſque textis cratibus lætum pecus
Diſtenta ſiccet ubera ;
Et horna dulci vina promens dolio [435]
Dapes inemptas apparet :
Non me Lucrina juverint conchylia,
Magiſve rhombus, aut ſcari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare :
Non Afra avis deſcendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior, quàm lecta de pinguiſſimis
Oliva ramis arborum ; [436]
Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
Malvæ ſalubres corpori,

ſo ante reditum mariti fatigati ; & caulis includens gregem ſaturum, mulgeat plena ubera ; atque vinum hujus anni educens ex amphorâ non inſuavi habet cœnam non aliunde quæſitam : hæc, inquam, ſi adſint, non prætulerim oſtrea Lucrina, vel rhombos, vel ſcaros, ſi aliquos ex Orientali mari in hoc Italicum *protrudat ſæva tempeſtas : nec volucris Africana veniat in meum ventrem, vel attagen Aſiana, gratior, quàm oliva decerpta è ramis arborum pinguiſſimis ; vel folia rumicis prata amantis, & malvæ ſalutares ægro corpori,*

ANNOTATIONES.

47. *Horna dulci vina promens dolio.*] Hornum vinum vixque maturum viro laborioſo dulce videtur, nec requirit vina vetuſtate delicatiora. Lib. 3. Ode 23. *Hornam frugem.*

48. *Dapes inemptas.*] Non aliunde pretio comparatas ; ſed domi quæſitas, ſeu ex horto, ſeu è caulis, &c.

49. *Lucrina conchylia.*] Oſtrea exquiſita è Baiano ſeu Lucrino lacu. Strabo lib. 5. Val. Maxim. lib. 9. cap. 1. Plin. lib. 9. cap. 54. Juvenal. Sat. 4. v 141.

50 *Rhombus.*] De eo piſce vide Juven. mox cit. Sat. 4. v. 39. & ſeq. Plin. &c. Galli, ut & Ang. *turbot* appellant, omnes pretium norunt.

Scari.] Scaros piſces interdum in mare Tyrrhenum adigit tempeſtas. Huic piſci tributum eſſe principatum, ſcribit. Plin. l. 9. c. 17. *Nunc ſcaro datur principatus, qui ſolus piſcium dicitur ruminare, herbiſque veſci, non aliis piſcibus : mari Carpathio frequens*, &c. Et lib. 11. cap. 37. *Dentes piſcibus omnibus ſerrati, præter ſcarum : huic uni aquatilium plani.* Et lib. 32. cap. 2 ait, *Scarum naſſis incluſum non fronte erumpere, nec infeſtis viminibus caput inſerere ; ſed averſum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorſum erumpere. Quem luctatum ejus ſi fortè alius ſcarus videat extrinſecus, apprehenſâ mordicus caudâ, adjuvat niſus erumpentis.* Inde verò nomen factum aiunt, à σκαίρω, *ſalio*. Athen. l. 7. c. 20. ſimilia refert ex Ariſtotele. Multa verò Caſaubonus eruditè ibidem emendat de eo piſce jactari ſolita. Epicharmus eo loci apud Athen. *Nos piſcamur ſcaros, quorum nec ſtercus fas eſt Diis rejicere.* Quod ideò dictum aſſerit Caſaubonus, quia ſolius hujus piſcis inteſtina comedebant gulæ proceres. Vide Macrob. l. 3. Saturnal. cap. 16. ubi ſcribit, ſcaros adeo Italicis littoribus ignotos, ut nec Latinum ejus piſcis nomen habeamus ; magno numero illuc advectos ac in mari Oſtiam inter & Campaniæ littora ſparſos, ac velut in terra fruges aliquas fuiſſe ſeminatos.

53. *Afra avis.*] Gallina Africana, aliis Numidica, vel Garamantica. Juvenal. Sat. 11. v. 142. ejus meminit, item Martial. lib. 13. Epigr. 73. Varro de Re Ruſt. cap 9. ait, *Meleagrides Græcis vocari, noviſſimas in triclinium ganearium introiſſe ac magno vendi, propter hominum faſtidium.*

54. *Attagen Ionicus.*] Perdix Aſiana, quibuſdam ; eſt enim Ionia minoris Aſiæ regio. Plin. lib 9. cap. 48. *Attagen maximè Ionicus celebratur, vocalis aliàs, captus verò obmuteſcens, &c.* Athen. lib. 9. cap. 8. & 9. ex Ariſtophane, *Attagen carnis ſuaviſſimæ* : Ex Alexandro Myndio, *Paulò major perdice, variis notis dorſo diſtinguitur, colore fictilium, magis tamen ſubrubeſcente, &c.* S. Hieron. ad Salvinam : *Procul ſint à conviviis tuis phaſides aves, craſſi turtures, attagen Ionicus.* Martial. lib. 13. Epigram. 61.

Inter ſapores fertur alitum primus
Ionicarum guſtus attagenarum.

57. *Herba lapathi.*] Λαπαθον Græcis, Rumex Latinis. Gall. *ozeille, vinette, patience*, Ang. Sorrel, ex Dioſcoride ſtomachum roborat, ventrem purgat, urinam provocat, cibi appetitum reſtituit. Ex Plin. lib. 20. c. 21. lapathum excellentes habet effectus : aliud ſativum, aliud ſylveſtre : *in paluſtribus naſcitur : foliis acutis, colore betæ candidæ, radice minima : noſtri verò rumicem vocant, &c.*

58. *Malvæ.*] Plin. modò cit. *In magnis eſt laudibus malva utraque, ſativa, & ſylveſtris. Omne ſolum, in quo ſeruntur, pinguis faciunt, &c.* Nos de ea jam. lib. 1. Ode 31. ſub finem.

aut agna immolata in *ſacro* die. *Terminalium, aut hœdus lupo detractus. Inter iſtam cœnam, quàm jucundum eſt cernere oves ſaturas domum revertentes, intueri boves fatigatos languenti cervice inverſum aratrum ducentes, & ſervulos opulentæ familiæ* adjunctos velut *examen, circa Lares ſplendentes,* ordine *diſpoſitos! Poſteaquam Alphius fœnerator iſta dixit,* quaſi *mox rura habitaturus, univerſam pecuniam Idibus collegit, Calendis* verò *quærit collocare* ad fœnus.

Vel agna feſtis cæſa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat paſtas oves
Videre properantes domum!
Videre feſſos vomerem inverſum boves
Collo trahentes languido;
Poſitóſque vernas, ditis examen domûs,
Circùm renidentes Lares!
Hæc ubi locutus fœnerator Alphius, [437]
Jamjam futurus ruſticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam;
Quærit Calendis ponere.

ANNOTATIONES.

59. *Terminalibus.*] In feſto Dei Termini, quem priſci velut agrorum limites cuſtodientem ac tuentem colebant; ita Feſtus. Ejus ſacra peragebantur die 21 Februarii, ex Numæ inſtituto. Dion. Hal. lib. 2. Ovid. Faſt. 2. Juvenal. Sat. 16. v. 39.

60. *Hœdus ereptus lupo.*] Sicut venatori ſua præda in primis grata eſt; ita ruſtico quicquid è lupi gula eripuit. Volunt aliqui cum Mureto, hic alludi ad id quod tradit Plutarchus in Sympoſ. ſcilicet *earum pecudum, quas lupus momorderit, carnem effici teneriorem, lanam verò corrumpi, &c.*

65. *Poſitóſque vernas.*] Servarum filios heris accedere & apponi, ſeu accreſcere, non ſecus ac apum examen, nemo ignorat.

66. *Circum renidentes Lares.*] Columel. lib. 12. de villico, *conſueſcat ruſticos circa Larem domini focumque familiarem ſemper epulari.* De *Laribus* lib. 1. Od. 12. ſtroph. 11. & lib. 2. Ode 18. ad hæc verba; *Paternos in ſinu ferens Deos.*

67. *Hæc ubi locutus, &c.*] Satiricè hæc & ſarcaſticè in avarum fœneratorem.

69. *Relegit.*] Al. *redegit,* quæ quidem vox Ciceroni aliiſq; uſitatior. In Verr. *Bona vendit, pecuniam redigit.*

Idibus.] Menſe dimidio. Vide lib. 4. Ode 11. ſtrophe 4. Is erat mos, creditam pecuniam, vel fœnus è credito Idibus repetere. Cic. Catilin. 1. *Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus ſenties.*

70. *Quærit Calendis ponere.*] Quas Idibus pecunias à debitoribus collegit, has Calendis ſequentibus ad fœnus rurſum collocare ſatagit, uſuras uſuris accumulans. Non abs re novus Interpres & Criticus exiſtimat Alphium ſolitum exigere fœnus bis in menſe, adeo ut, contra fas omne, ab Idibus ad Calendas, & à Calendis ad Idus fœneraretur. De *Calendis* lib. 3. Ode 8. v. 1. Macrob. lib. Saturnal. 1. cap. 15, &c.

ODE III.

Ad MÆCENATEM.

Deteſtatur allium, quod apud ipſum cœnans comederat.

Si deinceps aliquis manu ſcelerata ruperit cervicem patris vetuli,

PArentis olim ſi quis impiâ manu
Senile guttur fregerit,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Parentis olim, &c.*] Vel ex Ode hac intellige, ſtudioſe lector, nullum eſſe adeo exile & ſterile argumentum, quod vena dives non ducat amplificare & locupletare. Sic *Nucem* Ovidius, *Culicem* Virgilius, Homerus *pugnam ranarum ac murium*: Horatius verò *caſum arboris,* lib. 2. Ode 13. hic autem *allium,* elegantì carmine proſecuti ſunt.

Si quis impia manu, &c.] Si quis parricidio inquinatus deinceps puniendus erit, ne cicuta, ſed allio plectatur.

Edat

Edat cicutis allium nocentius.
O dura meſſorum ilia! [438]
Quid hoc veneni ſævit in præcordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctis herbis me fefellit? An malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas præter omnes candidum
Medea mirata eſt ducem,
Ignota tauris illigaturum juga [439]
Perunxit hoc Jaſonem:
Hoc delibutis ulta donis pellicem

comedat allium cicuta pernicioſius. O viſcera ruſticorum prædura! Quale toxicum iſtud in meis inteſtinis æſtuat? An viperarum ſanguis iſtis immixtus herbis decepit me? Numquid Canidia noxios hoſce cibos contrectavit? Certè *quando Medea adamavit Jaſonem Argonautarum Principem præ cæteris pulcrum, iſta illum tinxit, injuſto jugo tauros* indomitos *ſubjecturam: iſto* etiam *infecit munera,* quibus cùm *ſe de pellice vindicaſſet,*

ANNOTATIONES.

3. *Edat.*] Quidam legunt, *edit.* Sic *duit, prodet: ſaxit, &c.* Lib. 2. Sat. 8. ad finem:

Quam ſi cum lumbis quis edit:

Cicutis allium nocentius.] Cicuta enim frigore quidem ſuo nativum calorem ſine dolore extinguit: et allium torquet, adurit, enecat. Cicutæ ſuccum morte damnati bibere cogebantur apud Athenienſes. Plin. lib. 25. c. 13. *Cicuta,* inquit, *venenum eſt, publica Athenienſium pœna inviſa.* Ita Socrates extinctus. Vide Perſ. Sat. 4. v. 2.

Allium.] Sunt qui per unicum *l* ſcribant *alium,* & dictum volunt quod oleat: alii ab *halando halium* ſcribunt. Alii ab ἀλλεσθαι, quod exiliendo creſcat, allium deducunt. Melius alii à voce ἄγλιθες, alliorum capita ſignificante.

4. *O dura meſſorum ilia!*] Quod videlicet impune devorent & concoquant allium, quod meis in præcordiis ita ſævit. Galen. Therapeut. lib. 12. allium vocat *ruſticorum theriacam.* Virgil. Eclog. 2. v. 11.

Allia, ſerpyllumque, herbas contundit olentes.

5. *Quid hoc veneni, &c.*] Quod genus eſt illud veneni, quo ſic diſcrucior? Allium ſanè utpote callidum, acre, grave olens, coctu etiam difficile, ſtomacho delicatiori ac temperamento fervidiori & πικροχόλῳ, ſeu amariori bili obnoxio, quale habebat Horatius, grave eſſe debebat: at contrà homini frigidiori vel robuſtiori ſalubre eſt. Suidas ait, *Thraces alliis delectari, nec immeritò,* inquit: *allia quippe calida ſunt: illi verò frigidam incolunt regionem.*

6. *Num viperinus his cruor, &c.*] An verò allium iſtud incoctum fuerat in viperino ſanguine, quod imprudens ego devoraverim? Vide lib. 1. Ode 8. v. 9. Plin. lib. 11. cap. 53. Cœl. Rhodig. l. 23. cap. 11.

7. *An malas Canidia, &c.*] An dapes quas cœnavi, infecit veneno Canidia venefica illa inſignis? De ea poſteà fusè in ſeq. Epod.

9. *Ut Argonautas, &c.*] Crediderim ſanè non alio medicamento inſtructum à Medea Jaſonem fuiſſe, adverſus tauros formidabiles; nec alio pariter uſam veneficio ipſam Medeam, ad perdendam invíſam ſibi pellicem. Inſurgit hîc ſuo more Scaliger in noſtrum Poetam hypercriticè: *Non eſt illud,* inquit, *ſupino aut oſcitanti judicio admittendum. Quippe ait Jaſonem à Medea perunctum allio, ſcilicet ut eo medicamento eſſet à tauris tutus. At enimvero eadem quo modo unxit veſtem, quâ Creüſa flagrarat?* Æquus arbiter eſto, lector, nec ſupinus, nec oſcitans. Medea veſtem pellici mittendam allio quaſi veneno unxit. Eadem per allium pariter Jaſonem tutum præſtitit adverſus tauros, nempe tauri allii odore gravi & tetro perdomiti ſunt. Glauce vi mortifera allii enecta eſt & conflagravit. Quid hic abhorret à vero & ratione? Quid ita reprehendendum in hac utraque ſententia? Adde quod, per idem venenum variè modo dilutum, variiſque pharmacis admixtum ac temperatum diverſa effici, nihil vetat.

Argonautas.] Jaſon Æſonis Theſſaliæ regis filius, cum ſociis plus quinquaginta fortibus ſanè viris profectus eſt Colchos, ad rapiendum vellus aureum, quod fama celebrabatur. Ibi à Medea Colchorum regis filia adamatus, ab ea veneficiis pollente edoctus eſt, qua ratione poſſet domare tauros æripedes & ignivomos, jugoque ſubmittere; draconem etiam pervigilem ſopire & profligare: ac demum vellus aureum auferre. *Argonautæ* porrò dicti ab Argo navi, quâ ad expeditionem Colchicam vecti ſunt. Præcipui nominantur Hercules, Orpheus, Caſtor, Pollux, Telamon, Zethus, Calais, Theſeus, Typhis, &c. Ipſa verò navis appellata eſt Argo vel ab artifice & fabro: vel ab Argivis ſeu Græcis heroibus; vel a celeritate; ἀργὸς, *velox.* Vide Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 3. Valer. Flacc. Argonaut.

13. *Hoc delibutis, &c.*] Eodem Medea infecit munere quæ miſit ad Glaucen, vel, ut ſcribunt alii, Creüſam filiam Creontis regis Corinthiorum. Hanc enim cum Jaſon ſuperinduxiſſet pellicem, iram diſſimulavit Medea

Serpente

aufugit curru alatis dracoibus tracto. Nunquam tantus aſtrorum calor incendit Apuliam ſiccam. Neque donum fatale vehementius inflammavit humeros Herculis laborioſi. Verum enimvero, ſi quidpiam ejuſmodi ultra appetas, ô Mæcenas jocis gaudens, velim adoleſcentula objiciat manum oſculo tuo, atque in remotam lecti *partem recedat.*

Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam ſiderum inſedit vapor
Siticuloſæ Appuliæ;
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarſit æſtuoſius.
At ſi quid unquam tale concupiveris, [440]
Jocoſe Mæcenas, precor,
Manum puella ſuavio opponat tuo,
Extremâ et in ſpondâ cubet.

ANNOTATIONES.

Jaſonis uxor. Itaque tempus nacta venenatam ei veſtem dedit; quam cum Glauce induiſſet, fatali incendio conſumpta eſt. Vide Epod. 5. poſt medium.

Donis.] Non veſtem, ſed alia quæpiam dona in ſcrinio miſſa, venenis quidem tincta, ſcribunt alii; aperto autem ſcrinio pellicem cum tota regia conflagraſſe.

14. *Serpente fugit alite.*] Irati ſcilicet & vindictam anhelantis Jaſonis, Creontiſque iram Medea fugit, per aerem aſportata curru pennatis vecto ſerpentibus. Vide Euripid. Medeam, in fine. Ovid. Metamorph. 7. & 9. &c.

15. *Nec tantus unquam, &c.*] Non majoribus Apulia ardoribus torretur, quam mea viſcera nunc uruntur calore & vi funeſta allii, quod comedi. *Siderum*, dum ſævit Canicula & fervet. De eâ lib. 1. Od. 17. & lib. 3. Od. 13. De *Apulia* ejuſque cœlo torrido, lib. 3. Ode 30. v. 11. & Epod. præced. v. 42.

17. *Nec munus humeris, &c.*] Neſſus Centaurus ab Hercule vulneratus ſui ulciſcendi hanc iniit rationem: Deianiræ ſuaſit, poſſe ſibi amorem Herculis aſſerere, induendo illum tunica aſperſa ſanguine ſuis è vulneribus profluente. Itaque illa videns ſubinde Herculem Ioles amore irretitum, quod Neſſus improbè & fallaciter præceperat, effecit: ſicque illum interemit. Nam tanto eſt ardore correptus, ut ſuos ipſe artus dilaniaret, ac demum incenſa pyra ſe confecerit. Vide Senecæ Herculem Oetæum. Et poſtea Epod. 17. v. 31. Cic. Tuſc. 2. n. 20. ex Sophocl. Trachin. ita ſcribit: *Cum Deianira ſanguine Centauri tinctam tunicam Herculi induiſſet, inhæſiſſetque ea viſceribus*, ait ille: . . . .

> *Hæc me irretivit veſte furiali inſcium*
> *Quæ lateri adhærens morſu lacerat viſcera,*
> *Urgenſque graviter pulmonum haurit ſpiritus.*
> . . . .
> *Ipſe alligatus peſte interimor textili, &c.*

Idem Philip. 13. *Non tamen Deianira voluit Herculi nocere, cum ei tunicam ſanguine Centauri tinctam dedit.*

19. *At ſi quid unquam, &c.*] Quod ſi, ô Mæcenas unquam allium comedere concupiveris, in pœnam cupio, ut te abhorreat amica, ſeu Terentia tua: ſimiliter &, ſi quis vir fœtidum ac peſtilentem ejuſmodi cibum appetierit, precor ut ipſius uxor ejus oſcula repellat, & ſeorſum cubare velit, halitum graveolentem non ferens.

20. *Jocoſe Mæcenas.*] Jocari familiariter cum Mæcenate ſolebat Horatius: Hinc Perſius Sat. 1. v. 116.

> *Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico*
> *Tangit: & admiſſus circum præcordia ludit,*
> *Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.*

22. *Sponda.*] Lecti pars ultima, vel etiam exterior. Iſidor. lib. 20. cap. 11.

ODE

ODE IV.

Ad MENAM POMPEII MAGNI LIBERTUM.

Ejus ex mutatâ conditione ſuperbiam inſectatur.

LUPIS et agnis quanta ſortitò obtigit,
Tecum mihi diſcordia eſt,
Ibericis peruſte funibus latus [441]
Et crura durâ compede.
Licèt ſuperbus ambules pecuniâ,
Fortuna non mutat genus.
Vidéſne, ſacram metiente te viam, [442]

Quanta naturaliter inimicitia lupis atque agnis congenita eſt, tanta mihi ineſt contra te, O Mena, qui habes *latus conciſum flagellis ſparteis, & crura vinculis attrita. Quamvis incedas tumidus* propter *opes, fortuna non mutat originem. Quando* autem *pergis per viam ſacram*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Lupis & agnis, &c.*] Habes, lector, in hac Ode exquiſitam ſervi deſcriptionem, & acrem aſperamque ejus arrogantiæ inſectationem.

Quanta ſortitò obtigit.] Quantum inter ſe odium naturâ partiente veluti & dante, ſortiuntur & obtinent. Plin. l. 10. c. 74. agit de naturali quorundam animalium diſſidio.

2. *Tecum mihi diſcordia eſt.*] Ego enim fidem obſervantiſſimè & religioſiſſimè colo: tu perfidiam. Nempè Menas Pompeii Magni libertus, eo mortuo, Sexti partes amplexus ab eo magnis muneribus locupletatus, quin & claſſi præfectus eſt contra Cæſarem Auguſtum. Ad hunc verò ſubinde transfugit, & ab ipſo mox equeſtri dignitate ornatus. Tum rediit ad Sextum Pompeium, relicto Auguſto. Poſteà Sextum rurſus prodens ac deferens ad Auguſtum reverſus, ab eo tandem, quod pridem concupiverat, Tribunus militum factus eſt. At iſto inſignis honore qui fit ut tam libere ab Horatio proſcindatur? Tum nempe rerum atque temporum cogente difficultate ac neceſſitate, prudens Cæſar proditoris ſceleratâ operâ utebatur quidem, ejus verò proditiones ac perfidioſum animum deteſtari non latebat. Vell. Patercul. l. 2. Appian. Bell. Civ. l. 5. Dio. l. 48. Sueton. Octav. c. 47. ubi ſcribit: *Neminem unquam libertorum adhibitum cœnæ ab Auguſto, excepto Mena, ſed aſſerto in ingenuitatem, poſt proditam Sexti Pompeii claſſem.* Idem Menas anteà Auguſtum perdere ſimul & Antonium cogitaverat. Teſtis Plutarchus in Antonio. Sic habet: *Tenebat Sextus eâ tempeſtate Siciliam: & prædatoria claſſe, cui Menas pirata præerat, Italiæ oras & omne circum pelagus infeſtabat . . . . fœdera cum Pompeio facta . . . . Poſt hæc mutuò ſe ad cœnam invitant,* nimirum Auguſtus Antonio junctus, & Sextus Pompeius. *Huic forte evenit, ut illos primus convivio exciperet in prætoria navi, . . . ferveute convivio, ferventibus & jocis, Menas pirata Pompeio adhærens clam ei inſuſurravit: Viſne, Sexte, ancboras ſuccidam, & te Romani Imperii faciam dominum? Hæc cum Sextus pauliſper ſecum agitaſſet: Oportuit, inquit, ô Mena, hæc per teipſum, me inſcio, feciſſe: nunc vero quod eſt, eo contenti ſimus. Et enim pejerare nequaquam meum.* Porrò, ne cum nonnullis arbitrere, lector, hunc Menam, eundem eſſe ac Vulteium Menam, cujus mentio eſt in Epiſtola 7. l. 1. alter enim ab altero longè diverſus.

3. *Ibericis peruſte funibus latus.*] Corpus habens notatum plagis & flagellis ſervilibus.

Ibericis.] Hiſpanicis. Metonym. Species pro genere. Flagella fiebant è funibus; funes autem è ſparto, cujus in Hiſpaniâ magna copia. Plin. lib. 19. cap. 2.

Peruſte.] Propriè & ſignanter. Nam flagra à flagrando dicta. Certe repetitis flagris calor in cute, carne, ſanguine, inflammari cognoſcitur. Inde flagriones dicti ſunt ſervi quoniam flagris erant ſubditi. Feſtus, Voſſius, &c.

4. *Crura dura compede.*] Compede ſtricta membri pars indureſcit.

5. *Superbus pecuniâ.*] Menas locupletatus dominorum liberalitate, honores etiam captârat, jam liber, mox eques, denique tribunus.

6. *Fortuna non mutat genus.*] E liberto nobilem haud faciunt opes. Humilis, ſordidus, vafer, nequam, ſervilis animus ſemper manet.

Naturam expellas furcâ, tamen uſque recurret, inquit noſter l. 1. Epiſt. 10. 24. Vide Perſ. Sat. 5. v. 70. & deinceps.

7. *Videſne, ſacram, &c.*] Scilicet ignoras quanta indignatione homines obvii te aſpiciant ſuperbè & arroganter incedentem, qui genus ſervile nôrunt. An ergo, inquiunt, more nobilium jactabit ſe Menas hodie libertus, paulò antè ſervus?

Sacram metiente te viam.] Hæc urbis via, quà ibatur in Palatium & Capitolium, valdè frequentabatur: per eam triumphalis quæque

Cum

indutus togâ ſex ulnarum, an non *animadvertis quomodo ira maximè aperta reflectat vultum ambulantium ultro citroque? Iſte,* inquiunt, *cæſus flagris Triumvirorum* uſque *ad Præconis tædium colit mille jugera agri Falerni; atque viam Appiam equis calcat; nec non inſignis eques primis in ſubſelliis ſedet, Othone ſpreto. Quid juvat* ærata *roſtra tot navium*

Cum bis ter ulnarum togâ,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic Triumviralibus
Præconis ad faſtidium,
Arat Falerni mille fundi jugera;
Et Appiam mannis terit;
Sedilibúſque magnus in primis eques, [443]
Othone contempto, ſedet.
Quid attinet tot ora navium gravi

ANNOTATIONES.

pompa procedebat: *Sacra* dicta; ſeu quod per eam ſacra in arcem quot menſibus ferebantur, indeque auguria captarent augures; ſeu quod in ea fœdus olim ſanxerant Romulus ac Tatius. Varr. Alex. ab Alex. l. 2. c. 18. &c. Hinc ergo Menas *viam ſacram* metiebatur ſæpius, tum ad palatium crebrò pergens, tum ſe oſtentans inſigni togâ ſplendidum, & compoſito gradu conſpicuum. Hinc & Sacravienſes dicti nobiles, qui per viam ſacram frequenter ambularent.

8. *Cum bis ter ulnarum togâ.*] Amplam gerebant nobiles togam & laxiſſimam: contrà anguſtam & arctam pauperes. Quidam hîc volunt ſignificari latum clavum, quæ veſtis ſex ulnarum eſſet, ac propria Tribunorum, ut & aliorum magiſtratuum. Luxum in laxis veſtibus ita reprehendit Cic. Catilin. 2. *Quos pexo capillo nitidos videtis, imberbes, aut benè barbatos; manicatis & talaribus tunicis, velis amictos, non togis.*

9. *Vertat.*] Vox iſta duo ſignificare poteſt: vel *convertat*, ad hominum ſubſannandum: vel *avertat*, præ indignatione. Eſt autem indignatio, juſtus dolor ex ſecundis rebus ejus qui illis indignus videtur.

10. *Liberrima indignatio*] Tanta eſt animorum ob arrogantiam tuam offenſio, ut non clam ſolùm, ſed & apertè ac liberè indignentur, & ſarcaſmos, dicteria, ſcommata palam jaculentur.

11. *Sectus flagellis, &c.*] Hæc populi indignantis verba in Menam: ſcilicet iſte paulò antè ſervilibus pœnis obnoxius, jam ſe magnum oſtentat.

Triumviralibus.] Abjectæ conditionis homines, fures, ſervi, peregrini, non apud Prætorem, ut cives, judicabantur; ſed apud Treſviros. *Fures ac ſervi nequam apud Triumviros capitales ad columnam Meniam puniri ſolent,* inquit Aſconius.

12. *Præconis ad faſtidium.*] Non Triumviri tantum, ſed & iis abſentibus Præco ſervos jubebat plecti, & flagris cædi à lictore. *Faſtidium* tamen *Præconis* libet magis intelligere ex crebrâ repetitione, altâ quidem voce, tituli ſive Elogii, v. g. *Hic reus ac nocens flagris cæditur, quia neglexit edictum, &c.*

13. *Falerni.*] Agri optimi & pretioſiſſimi, l. 1. Ode 20.

13. *Mille jugera.*] Atqui cives olim honoratiſſimi non plus quàm ſeptem agri jugera poſſidere ex lege poterant.

1. *Appiam.*] *Appia* via publica ducebat ad agrum Falernum: ab Appio Claudio Tribuno plebis lapidibus ſtrata, indeque nomen ſortita.

Mannis.] Equis gradariis, nullâ vectoris moleſtiâ incedentibus, Gall. *Haquenées*, Ang. Palfreys, Nags. Dicti ſunt quod manus manſuetudinem ſequantur. Hos inequitabant proceres duntaxat: Menas autem fortaſſe & curruí junctos adhibebat, ſingulari quidem ambitione, mollitie, luxu.

15. *Sedilibuſque magnus in primis eques.*] In Amphitheatro Rom. ſedentibus ad ſpectandum diſtincti erant gradus, pro diverſâ cujuſque dignitate. Orcheſtram Senatores obtinebant. Deinde gradus quatuordecim Equitibus Romanis erant deſtinati: quorum primi Tribunis excepti. In his itaque ſedendi jus habebat Menas, reclamante quamvis lege, de qua mox dicam. Dio. l. 36.

19. *Othone contempto.*] L. Roſcius Otho Tribunus plebis legem tulerat, quâ Nobiles in Theatro à Plebeiis ſeparati aderant. Hinc Juvenal. Sat. 3. v. 159.

Sic libitum vano qui nos diſtinxit Othoni.

Porro lex eadem vetabat Equitem fieri, ac in gradibus Amphitheatri quatuordecim ſedere eum, cui vel patri ejus avoque non adfuiſſet equeſtris cenſus, id eſt, quadringenta ſeſtertiûm millia. At nihilo tamen minus ita jubente Principe tempori quidem ſerviente, ut dixi, Menas nequaquam ingenuus, jam opulentus, contempta Othonis lege, Eques factus, imò & Tribunus, prima ſedilia in ſpectaculis occupabat; quanquam ab iis dignitatibus arcebantur liberti atque libertini.

17. *Quid attinet, &c.*] Ergone contra ſervorum & prædonum exercitum inſtruere copias navales oportet Menam, qui & ipſe prædo & ſervus à natura factus, non ita pridem eorum

Roſtrata

Roſtrata duci pondere
Contra latrones atque ſervilem manum,
Hoc hoc Tribuno militum?

ingenti magnitudine dirigi adverſus prædones & ſervorum turmas, iſto iſto, inquam, militum Præfecto?

ANNOTATIONES.

dux fuit? Sunt qui exiſtiment loqui Horatium de fugitivis quos ad arma vocaverat Sextus Pompeius, & quibus Tribunum Menam præfecerat. At alii meliùs intelligunt reliquias exercitûs Sexti Pompeii, quas Menæ ductu & operâ jam victor Auguſtus perſequebatur.

Navium gravi pondere.] Vide Epod. 1. v. 1. ibique annot.

2. *Hoc hoc Tribuno militum.*] Plutarchus antè citat. ubiq; piratam vocat Menam. *Tribuni militum* officium erat milites in caſtris continere, & ad exercitationem producere; claves portarum ſuſcipere; vigilias interdum circumire; frumentationibus commilitonum intereſſe; frumentum probare; fraudum menſorum coërcere; militum querelas audire, delicta caſtigare, &c.

ODE V.
IN CANIDIAM VENEFICAM.

AT, ô Deorum, quicquid in cœlo regit [444]
Terras et humanum genus,
Quid iſte fert tumultus? Aut quid omnium
Vultus in unum me truces?
Per liberos te, ſi vocata partubus
Lucina veris affuit;
Per hoc inane purpuræ decus precor,
Per improbaturum hæc Jovem,
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita ferro bellua?
Ut hæc trementi queſtus ore, conſtitit [445]

Sed, ô Numina, quotquot in cœlo gubernatis hunc orbem atque homines, quid ſibi vult ille ſtrepitus? Vel quorſum facies omnium iſtarum apparent *terribiles adverſus me ſolum? Te oro per filios, ſi Diana adfuit veris partubus invocata: per vanum iſtud inſigne purpuræ: per Jovem talia condemnaturum: quare me aſpicis quaſi noverca, vel ut fera telo confixa? Poſtquam puer ore trepidanti*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *At, ô Deorum.*] Julius Scaliger, vir alioqui ſummus (quis credat?) hanc Oden peſſimè intellexit, peſſimè carpſit. Singulas ejus cavillationes, lector, cognoſce, & judica, ad loca ſingula relatas, ac, ni fallor, probe dilutas. At rem totam diligenter antè accipe: nec enim caret difficultatibus, & quædam ſanè ſupplenda ex magorum inſtitutis. Hæc ſumma eſt. Conveniunt ad veneficium quatuor ſagæ, quarum Canidia princeps, quæ Varum ſuos amores ſpernentem ulciſci, illumque ad ſe trahere per incantamenta ſatagebat. Itaque primum ex elixatis tum herbis, tum aliis rebus unguentum ſeu pharmacum conficit: illudque adhibet ad ceream Vari imaginem, quam de more illic ſtatui ſupponendum: rata nimirum perinde in Varum agere, ac ſi adeſſet, & unguento illo ipſe perfunderetur. At cum animadvertit Canidia prius hoc minùs valuiſſe incantamentum, quod Varus contrariis ſe pharmacis præmuniiſſet; tum verò alterum parat efficacius, ac velut extremum remedium, ſcilicet philtrum, ſeu potionem amatoriam è medullis & jecore pueri terræ infoſſi, quem ex inediâ contabeſcere & expirare faciunt. Hæc omnia porrò mirè deſcribit ac variè exornat Poëta. Jam ſingula inſpiciamus.

2. *Quid iſte fert tumultus, &c.*] Inducitur loquens puer, quem veneficæ illæ raptum terræ infodere parant, ad conficiendum ex ejus inteſtinis philtrum, ſeu amoris poculum. Truculentas verò facies expaveſcens iſta profert.

5. *Si vocata partubus Lucina veris affuit.*] Hæc ait, quoniam ſuppoſititios fœtus alebant interdum veneficæ, ad ſua ſcelerata conſilia utiles. Vide Epod. 17. annot. ad eas voces, *venter partumeius.*

6. *Lucina.*] In partu invocabatur Diana, ut adeſſet tum parturienti, tum prodeunti in lucem infantulo. Hinc cognomen. *Lucina.* Vide l. 3. Ode 22.

7. *Inane purpuræ decus.*] Quippe quo non deterremini ab inferenda mihi nece.

8. *Improbaturum hæc Jovem.*] A juvando Jupiter dictus, ſcelerum vindex eſt omnium.

Inſignibus

bas fudit querelas, ornamentis exutus eſt. Corpus erat ſine pube, quod poſſet flectere corda Thracum ferocia. Tum *Canidia exiguis viperis implexos* habens *capillos, & incompoſitum caput, mandat caprificos evulſas tumulis, mandat ferales cupreſſos, & fœdæ rubetæ cruore aſperſa ova, plumaſque ſtrigis nocturnæ. & herbas quas producit Iolchos atque Iberia venenis fertiles, & oſſa erepta ex ore canis famelicæ, cremari ignibus Colchicis. Mox Sagana ſuccincta per totas ædes inſperſit Avernales aquas,*

Inſignibus raptis puer,
Impube corpus, quale poſſet impia
Mollire Thracum pectora:
Canidia brevibus implicata viperis
Crines et incomptum caput,
Jubet ſepulcris caprificos erutas,
Jubet cupreſſos funebres,
Et uncta turpis ova ranæ ſanguine,
Plumámque nocturnæ ſtrigis,
Herbáſque, quas Iolcos atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et oſſa ab ore rapta jejunæ canis, [446]
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas,

ANNOTATIONES.

12. *Inſignis raptis.*] Detractis prætexta & bulla, quæ nobilitatis ac ætatis iſtius erant inſignia. *Cuſtos purpura* nuncupatur à Perſ. Sat. 5. v. 30. *quod prætexta infirmitatem pueritiæ ſacram fieri & venerabilem,* non ſecùs ac ſacerdotem veſtibus ſuis exiſtimarent veteres, teſte Quintil. ex Macr. l. 1. Saturn. c. 6. Tarq. Priſcus inſtituit prætextam ſimul & bullam cordis effigie collo appendi ſolitam, qua pueri *corde præſtare* monerentur: utque *communiret pectus puerile,* inquit Aſconius. Plura de iſtis annotavi ad prædictum Perſii locum, & ad Juv. Sat. 5. v. 164.

14. *Impube corpus.*] Nondum ſcilicet adeptum annos ætatis quatuordecim, adeoque ſine pube, ſine pilis.

14. *Thracum.*] Qui barbari & inhumani valdè. Vide l. 1. Ode 18.

15. *Implicata viperis.*] Furiarum inſtar.

17. *Caprificos.*] Silveſtres ficus & cupreſſi arbores ſunt funeſtæ & ferales. Vide l. 2. Ode 14.

Erutas.] Nec enim amputari, ſed erui oportebat ad uſum magicum.

19. *Ranæ ſanguine.*] Ranarum aliæ ſunt aquatiles, minores, innoxiæ: aliæ terreſtres, majores, turpiores, deſides, venenoſæ, aliter rubetæ dicuntur. Gall. *Crapaud*, Angl. a Toad. Et hæ ad veneficia adhibebantur, Plin. l. 32. c. 5. Juv. Sat. 1. v. 70. Sat. 3. v. 44. Sat. 6. v. 658.

At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ.

20. *Plumamque nocturnæ ſtrigis.*] Rubetæ viſcera pariter & ſtrigis plumas, ad amorem concitandum valere, Propert. etiam teſtis l. 3. El. 6. v. 27.

Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta exſectis anguibus oſſa trahunt,
Et ſtrigis inventæ per buſta jacentia plumæ, &c.

Strigis.] Strix avis, noctu volans tantum, à ſtridore vocis dicta, mali ominis olim habita eſt, ſicut hodie noctua, cui certè ſimilis. Plin. l. 11. c. 39. ita ſcribit: *Eſſe in maledictis jam antiquis ſtrigem convenit: ſed quæ ſit avium, conſtare non arbitror.*

21. *Iolcbos.*] Eſt urbs Theſſaliæ ad ſinum Pelaſgicum, ad radices Pelii montis. Quidam legunt, *Colchos.* ſed perperam: nam propè ſequitur vox *Colchicis.* Et ſic ruit prima Scaligeri querela: in 5. Epod. *Loca ſunt minus ingenua,* inquit, *anxia dico, neque libero ſpiritu edita, qualis ille verſus,*

Herbaſque, quas & Colchos atque Iberia.

Eſt ſonus inſuavis, que, quas. Priorem lectionem ex manuſcriptis codicibus tuentur Cruquius, & alii.

Iberia.] Regio Pontica (non Hiſpanica) apud Aſiam Minorem, hodie Georgia. vern. *Gurgiſtan:* Moſchicis montibus ſeparatur à Colchide.

23. *Oſſa ab ora rapta jejunæ canis.*] Per hæc amoris quaſi famem gigni credebant ſuperſtitioſè.

24. *Flammis aduri Colchicis.*] Simul hæc omnia igne coqui ſeu elixari jubet Canidia; ad ritum Medeæ Colchicæ, de qua poſtea. Colchis hodie Mingrelia, Aſiæ Minoris regio, ad oram Euxini maris. In ea regnavit Æeta Medeæ pater.

25. *Sagana.*] Altera hæc venefica operam confert Canidiæ, & magico ritu ſpargit aquas ex *Averno.* Is Campaniæ lacus apud antrum Sibyllæ Cumanæ percelebris: ac per eum ad Inferos deſcenſum eſſe fabulati ſunt. Vide Virg. Æneid. 4. v. 511. & Æneid. 6. v. 126. De Sagana iterum l. 1. Sat. 8.

Horret capillis, ut marinus, aſperis
 Echinus, aut currens aper.
Abacta nullâ Veia conſcientiâ,
 Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus;
 Quò poſſet infoſſus puer
Longo die bis térve mutatæ dapis
 Inemori ſpectaculo:
Cùm promineret ore, quantum extant aquâ [447]
 Suſpenſa mento corpora:
Exucta uti medulla et aridum jecur
 Amoris eſſet poculum,
Interminato cum ſemel fixæ cibo
 Intabuiſſent pupulæ.
Non defuiſſe maſculæ libidinis
 Ariminenſem Foliam,
Et otioſa credidit Neapolis,

habens crines rigidos velut echinus marinus, aut aper currens. Inde *Veia nullis conſcientia* ſtimulis *abſterrita labore ingemiſcens, duro bipalio effodiebat terram, in quâ puer immiſſus diuturno tempore mori poſſet, aſpectu ciborum bis aut ter immutatorum; ſi quidem capite extabat quantum corpora mento ſuſpenſa eminent ſuper aquam: ut areſcens medulla & hepar exſiccatum fieret amoris pharmacum, poſtquam contabuiſſent pupillæ ſemel infixæ cibo interdicto.* Porrò *& otioſa Neapolis & urbes vicinæ omnes crediderunt* iſtis veneficiis *adfuiſſe Foliam Ariminen-*

ANNOTATIONES.

28. *Echinus.*] Gall. *heriſſon.* Angl. a Hedge-hog, alter eſt terreſtris, qui & herinaceus: alter aquatilis ſeu marinus. Uterque ſpinis inhorreſcit. Plin.

Aper currens] Tunc enim apri dorſo rigeſcunt ſetæ, cùm currit, ſeu venatorem fugit, ſeu invadit: quod iræ ac furoris argumentum.

29. *Abacta nullâ Veia conſcientiâ.*] Veia tertia eſt venefica, quæ ſcrobem facit, humumque egerit infodiendo puero. Quid vero Scaliger? *Imò multa conſcientia,* inquit, *multorum ſibi facinorum conſcia. Sed intelligendum eſt non fuiſſe abactam ſeu diſtractam à malis facinoribus: omnino durum eſt: & ſonus quanquam diſpar temporibus, tamen idem plebeius.* Si quid durum, egregiè exhibet ferream Veiæ mentem. Nec plebeia dictio eſt, quin potius elegans & nobilis: indicatque mulierem ſceleribus adeo aſſuetam, ut ſine ullo metu ea perpetret. Perditam ejuſmodi conſcientiam exprimit Perſ. Sat. 3. v. 32.

 . . . . . . *Fibris increvit opimum*
 Pingue: caret culpâ, &c.

33. *Bis terve mutatæ dapis Inemori ſpectaculo.*] Nimirum puer infoſſus duos treſve dies vivere poterat, capite extans, mutatos ſubinde cibos prope os habens, augeſcente eorum appetitu & fame diverſarum dapum, quas attingere non poterat, in eas fixum tenens aſpectum, & ſic tandem emoriens. Exiſtimabant nempe hominis in eâ aviditate mortui jecur & medullas vim habere exſtimulandi amoris.

35. *Cum promineret ore, &c.*] *Non intelligo,* inquit Hypercriticus, *quid ſit,* quantum extant quâ ſuſpenſa mento corpore. *Quænam in patibulo ſuſpenſa extant ab aqua?* Quæſo, lector, an hæc non facilè tu intelligis? Non ita certè capies, quod Scaliger velit per ſuum *patibulum,* de quo hic nulla mentio; cùm ſit collatio natantis, atque adeo aquâ merſi & ſuſpenſi, extante ab aqua ſolo capite, cum puero terrâ cooperto & ore duntaxat prominenti.

37. *Aridum jecur.*] *Jecur* amoris ſedes.

Aridum.] Deficiente ſucco, & ſubtracto cibo, cujus appoſiti & præſentis deſiderium majus fuerit.

39. *Interminato cum ſemel, &c.*] Et hæc ſibi ignota Scaliger proclamat. *Nam interminatus eſt infinitus,* inquit, *at ille finitum oſtendit, cùm dixit, bis terve mutatam dapem.* Et hæc nunquam ſcripſerit, cui *mens non læva fuiſſet,* inquam ego. *Interminatus* idem eſt ac minando vetitus, uno verbo prohibitus, nemine Grammatico reclamante. Porrò adit ille tam ineptè, quam prius: *& quâ naturâ doctus ſcripſit fixas eſſe pupulas ab inedia?* Ohe, magne Juli, infixas cibo appoſito pupulas, inediâ verò intabeſcentes ſcribit Horatius, totâ acclamante naturâ.

42. *Ariminenſem Foliam.*] Quarta eſt hæc venefica, ex Arimino urbe Æmiliæ; hodie *Rimini,* in Romandiola provincia, in ora maris Hadriatici: prope fontes Tiberis alluitur fluvio cognomine.

43. *Otioſa Neapolis.*] Hæc urbs Italiæ clariſſima, ad delicias, ſeceſſum, & otium amœno ſitu comparata; olim dicta Parthenope, Virg. Georg. lib. 4. v. 563.

 Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
 Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti.

Et

ſam nefandâ libidine famoſam, quæ verbis Theſſalicis incantans aſtra & Lunam cœlo detrahit. Tum verò ferox Canidia dente livido rodens unguem *pollicis non amputatum, quid locuta eſt? vel quid non dixit? O rebus meis,* inquit, *teſtes faventes, nox & Diana ſilentium faciens, quando ſecreta peraguntur myſteria, jam, jam adjuvate: jam in ædes inimicorum convertite iram & poteſtatem divinam. Interim dum belluæ abſconduntur ſilvis formidinem creantibus pacato ſomno vacantes, canes Suburæ allatrent mœchum ſenem (quod cunctis ludibrio ſit) perfuſum unguento, quo præſtantius nullum*

Et omne vicinum oppidum;
Quæ ſidera excantata voce Theſſalâ [448]
Lunámque cœlo deripit.
Hìc irreſectum ſæva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitræ,
Nox, et Diana, quæ ſilentium regis,
Arcana cùm fiunt ſacra;
Nunc, nunc adeſte, nunc in hoſtiles domos
Iram atque numen vertite.
Formidoloſis dum latent ſilvis feræ,
Dulci ſopore languidæ,
Senem (quod omnes rideant) adulterum
Latrent Suburanæ canes
Nardo perunctum, quale non perfectius [419]

ANNOTATIONES.

Ovidius *in otia natam Parthenopen dixit.* Cerutus *otioſa*, interpretatur, *Neapolitani minus curioſi.*

44. *Omne vicinum oppidum.*] Fredericus Cerutus intelligit Puteolanam civitatem: alii vicinas urbes, v. g. Capuam, Cumas, Puteolos, Baias, Nolam, Atellam, &c.

45. *Voce Thaſſalâ.*] More & ritu vocibuſque Theſſalorum, qui arte magicâ præſtabant. Vide lib. Ode 27. ſtroph. ult.

46. *Lunamque cœlo deripit.*] Virg. Eclog. 8.

Carmina vel Cœlo poſſunt deducere Lunam.

Ita veteres credebant, cum Luna deliquium pateretur, tum magorum incantationibus vexari, & hinc rubeſcere, quod reluctaretur ne in terram devocaretur invita, ut in herbas deſpumaret ad veneficia conficienda profuturas. Quin eo ſuperſtitio invaluerat, ut laboranti Lunæ ſubvenire ſe crepitu cymbalorum arbitrarentur. Unde apud Senec. Trag. Hippolyt. Act. 2. Chorus ita loquitur de Lunâ:

Et nuper rubuit: nullaque lucidis
Nubes ſordidior vultibus obſtitit.
At nos ſolliciti lumine turbido,
Tractam Theſſalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus.

Huic vulgi opinioni prima locum dedit Aglaonice Hegetoris filia, quæ Aſtrologiæ perita, cùm Luna eſſet in defectu ſeu eclipſi, ſe eam incantare & deducere ſimulavit. Plutarch. lib. de orac. defectu poſt init. Vide Plin. lib. 30. cap. 1. & 2.

47. *Irreſectum.*] Sordes notat fœdis illis mulieribus affectatas.

48. *Rodens pollicem.*] Alta cogitatione defixum & percitum furore animum exhibet.

51. *Nox, & Diana*] Noctem & tenebras amant tenebtiones. Chriſtus in Evangelio, *Qui male agit odit lucem, ut non arguantur opera ejus.* Magi & venefici ſua flagitia noctu ſemper exequi aggrediuntur: Porrò ſacra plerumque nocturna celebrabant Ethnici, affulgente Lunâ, & quaſi ſilentium imperante, ut exiſtimabant, & favente.

53. *In hoſtiles domos.*] In Varum atque pellices, quibus ille detinetur, & à me avertitur.

57. *Senem, quod omnes rideant, adulterum.*] Juvenis inſtar laſcivientem. Ovid.

Turpe ſenex miles: turpe ſenilis amor.

58. *Suburanæ canes.*] Subura urbis Romæ regio, ubi meretricum erant domicilia, illuc ventitabat noctu Varus, parum memor Canidiæ, hinc amore illinc dolore tabeſcentis, proindeque vindicationem ac vindicias peteatis quacunque via, ſeu, per fas & nefas.

59. *Nardo perunctum.*] Unguentum è nardo pretioſum abſurdè explicant fere omnes: & hinc Gratidiam Neapolitanam unguentariam ſub nomine Canidiæ vellicari perperam comminiſcuntur; abſurdiuſque delibutum eo Varum ſenem ad meretricios amores captandos aiant. Cerutus *unguento venefico ad amorem conciliandum effici Varum ſenem perunctum* interpretatur. Sed nihil minus ad ſenſum Horatii quàm iſta, certè ἀπροσδιόνυσα. Quid ergo? *Nardum* vocat Canidia ſuum illud eximium pharmacum, de quo ante, magicum, ſumma cura perfectum, & quo perfectius nullum unquame laboravit, ut ipſa ait. Eo verò perungit imaginem Vari ceream magico ritu, ut per iſtius unguenti vim reddatur ipſe Varus pellicibus quibuſvis odioſus, utq; Suburanis canibus horribilem in modum allatrantibus à Subura deterreatur, & ad ſe tandem redire co-

3 Meæ

Meæ laborârunt manus.
Quid accidit? Cur dira barbaræ minùs
Venena Medeæ valent,
Quibus ſuperba fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Cùm palla, tabo munus imbutum, novam [450]
Incendio nuptam abſtulit?
Atqui nec herba, nec latens in aſperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.
Ah, ah, ſolutus ambulat veneficæ
Scientioris carmine.
Non uſitatis, Vare, potionibus,
(O multa fleturum caput!
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marſis redibit vocibus.

elaborârunt meæ manus. Verum *quid evenit? Quare acria* hæc *pharmaca minus pollent* venenis *barbaræ Medeæ, quibus ſuperbiens aufugit, ſumptâ ultione de pellice, magni Creontis filiâ; quando chlamys, donum toxico infectum, novam ſponſam incendio extinxit? At nec herba nec radix creſcens in arduis locis me effugit.* Nimirùm *Varus cubat* in *lectis cunctarum pellicum inunctis oblivione. Ah, ah, liber* ille *incedit per pharmaca veneficæ* cujuſpiam *me doctioris.* Atqui per *inſolita medicamenta* faciam ut *ad me redeas,* ô *Vare, homo plurima perpeſſure: neque animus tui Marſis incantamentis reſtituetur aut curabitur.*

ANNOTATIONES.

gatur. Qui attentiùs legat Virgilii Pharmaceutriam Ecl. 8. inde lumen hauriet non parvum ad eruendos ſenſus hujus Odes paululùm abſtruſos, & quos expiſcati ſunt hucuſque pauci.

61. *Cur dira barbaræ, &c.*] Hæc loquitur ſtupens Canidia: unde verò fit ut mea veneficia minùs valeant? Enimverò ſimilia ſunt iis, quibus uſa eſt Medea ad perdendam Creuſam pellicem. Nam exquiſitas herbas quaſque novi & adhibui. Cur ergo Varus liber ac ſolutus ut ante pergit ad pellicum mearum cubilia? Non moror quæ in hunc locum deblaterat Scaliger. Hunc, lector, ſi vacat, audi: *Hæc diligentius inſpicienda,* inquit. *Namque accipit hic ſua venena, quæ ait efficacia fuiſſe Medeæ, ſibi minus valere. At quæ venena? Quibus cremavit pellicem. At ea non exercuit adverſus Varum: ſed philtris tantum egit. Itaque ait hic:* amoris eſſe poculum: & Non uſitatis, Vare, potionibus ad me recurres: *Ego potius dicerem:* Cur dira barbaræ magis venena Medeæ valent, *ſcilicet quàm noſtra.* Canidia adverſus Varum non exercuit Medeæ veneficia: nec enim eum cremare & occidere cupiebat: ſed pari virtute ac ritu paravit pharmaca ad illum ad ſe revocandum; quæ quidem nihil effeciſſe obſtupeſcit primò: deinde verò agnoſcit cauſam cur parum valuerint. Quod verò Hypercriticus ſubjungit, Canidiam philtris tantum egiſſe, omninò refellitur ex lectione textus Horatii, quem fusè explicavi initio hujus Odes, ſeu in primâ annotatione meâ. Unguentum primò quidem ac poſteà philtrum adhibuit Canidia, ut dixi. Meminiſſe porrò debebat vir omni literaturâ perpolitus, voces iſtas, *venena pharmaca, potiones, incantamenta,* ſæpè uſurpari promiſcuè pro quolibet veneficio. Servius in Georg. 1. ad eas voces *ille malum virus,* v. 129. teſtatur ita vocari illud omne quod mutat naturam ejus rei cui adhibetur, ſive occidendo ſive ſanando; Græci pharmacum, Latini venenum aut virus, appellitant.

63. *Ulta pellicem, Magni Creontis filiam.*] De Medeâ, deque ejus ulciſcendi ratione, vide Epod 3. ibique annot.

69. *Indormit unctis omnium cubilibus, &c.*] Tranquille fruitur amoribus pellicum mearum, mei planè oblitus. Vel quieſcit in quibus vult cubilibus, ungendo illa magico unguento, omnium aliarum mulierum oblivionem procurante. *Ah, ah, ſcientioris* me *veneficæ* arte adjutum Varum intelligo. Quapropter illum jam aggrediar *non uſitatis potionibus* & pharmacis, ut ad me recurrat vel invitus, inquit Canidia.

76. *Marſis vocibus.*] Marſi Italiæ populi in Latio inter continua Apennini montis juga, à Marſo Circes veneficio inſignis filio dicti, & veneficæ incantationeſque edocti, teſte Solino. Apud Non. Lucil. Satir. lib. 20.

Jam diſrumpetur medius; jam ut Marſa colubras
Diſrumpit cantu, &c.

Virgil Æneid. 7. v. 758.

Marſis quæſitæ in montibus herbæ.

Vid. Plin. l. 28. c. 13. & l. 21. c. 2 & 3. Item Gell. l. 26. c. 11. ubi ſic ſcribit. *Gens in Italia Marſorum orta fertur a Marſo Circes filio: propterea Marſis . . . . . vi quadam genitali datum, ut ſerpentium virulentorum domitores ſint & incantationibus herbarumq; ſuccis faciant medelarum miracula.*

Scilicet parabo pharmacum potentius, quod tibi me aſpernanti adbibebo. Et certe *infra mare cadet cœlum, terrâ ſuprajectâ, potius quàm non exardeſcas amore meo, ſicuti bitumen nigris ignibus. Poſt hæc puer, nequaquam, ut prius, blandimentis mollibus ſceleratas* mulieres tentat, *ſed, anceps quid primum diceret, emiſit execrationes Thyeſtis. Veneficia* inquit, *magnum fas ac nefas* confundant licet, at *nequeunt immutare ſortem mortalium. Perſequar vos execrationibus. Dira deteſtatio nullo ſacrificio purgatur. Imò, poſtquam à* vobis *coactus interiero, adero furor nocturnus, atque umbra facies* veſtras *curvis unguibus invadam* (nam *hæc poteſtas eſt Deorum Manium)*

Majus parabo, majus infundam tibi
Faſtidienti poculum.
Priúſque cœlum ſidet inferius mari,
Tellure porrectâ ſuper,
Quàm non amore ſic meo flagres, utì [451]
Bitumen atris ignibus,
Sub hæc puer, jam non, ut antè, mollibus
Lenire verbis impias:
Sed, dubius unde rumperet ſilentium,
Miſit Thyeſteas preces.
Venena magnum fas nefáſque, non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos: dira deteſtatio
Nullâ expiatur victimâ.
Quin ubi perire juſſus expiravero,
Nocturnus occurram furor,
Petámque vultus umbra curvis unguibus, [452]
(Quæ vis Deorum eſt Manium)

ANNOTATIONES.

77. *Majus parabo, &c.*] Jam Canidia puerum infodere ſtatuit, & inediâ interficere: ad parandum Varo philtrum e pueri exſuctis medullis & arefacto jecore; eoque pervincendam Vari quantamlibet obſtinationem ſibi ſpondet.

81, 82, *Uti Bitumen atris ignibus.*] Hæc dicens Canidia bitumen injicit in ignibus, atraque inde flamma accenditur. Quippe & hoc intelligendum & ſupponendum hic. Quod quidem, ut & alia benè multa, Dacerius acutè & erudi è more ſuo obſervavit.

86. *Miſit Thyeſteas preces.*] Diras execrationes & imprecationes emiſit in Canidiam ejúſque ſocias, quemadmodum olim Thyeſtes in Atreum fratrem, cùm jugulatos filios, in fruſta diſſectos, coctos, edendóſque ſibi ab eo fuiſſe appoſitos, accepit. De his l. 1. Ode 6. v. 8. & Ode 16. v. 17. Vide Senec. Tragœd. Thyeſten. Cicer. Tuſc. 1. n. 107. *Exſecratur luculentis ſanè verſibus apud Ennium Thyeſtes, primum ut naufragio pereat Atreus, &c. . . Neque ſepulcrum, quo recipiatur, habeat, portum corporis: ubi remiſſâ humanâ vitâ, corpus requieſcat à malis.* Et in Piſonem. n. 43. *Thyeſtea iſta execratio eſt, Poëtæ vulgi animos, non ſapientum, moventis:* ut tu naufragio expulſus ſ.ipiam ſaxis fixus aſperis, eviſceratus latere penderes *(ut ait ille)* ſaxa ſpargens tabo, ſanie ſanguine atro.

87. *Venena magnum fas, &c.*] Veneficia fas nefaſque confundant, pervertant, violent, licet: at rerum humanarum viciſſitudines non ſiſtent aut mutabunt. Itaque vos ſceleratæ ac deteſtabiles veneficæ, quæ me ſic improbe occiditis, vicem veſtram expectate. Nam certè peribitis tandem miſerabili modo, ac inſepultas laniabunt feræ, &c.

89. *Deteſtatio nulla expiatur victima.*] Sic putabant veteres non poſſe averti aut expiari mala, quæ quis ardens juſtâ irâ, cùm gravi fuerat injuriâ læſus, ei qui læſerat imprecatus eſſet. Huc pertinet quod ſcribit Plin. 28. c. 2. *Defigi diris deteſtationibus nemo non metuit.*

92. *Nocturnus occurram furor, &c.*] Sic Virgil, Æneid. 4. v. 386. Dido ad Æneam:

Omnibus umbra locis adero: dabis, improbe pœnas.

Ovid. in Ibin: v. 157.

Inſequar & vultus oſſea forma tuos
Me vigilans cernes; tacitis ego noctis in umbris
Excutiam ſomnos, viſus adeſſe, tuos.

94. *Quæ vis Deorum eſt Manium.*] Ut ſe ulciſcantur de morte injuſtè illatâ, vim & poteſtatem habent animæ à corpore ſolutæ. Hæ ſcilicet, *Manes, & Dii*, honoris cauſâ, vocantur. Hinc iis aræ quoque erigebantur. Virg. Ecl. 5. v. 66. Daphnidi mortuo aræ duæ. Æneid. 3. v. 63. Polydori animæ pariter: *ſtant manibus aræ*, inquit, & v. 305. animæ Hectoris Andromache *ſacraverat aras.* Et v. 303. *Maneſque vocabat.* Quid propriè ſint Manes, & varias ejus vocis acceptationes explicat luculenter ac disertè Apuleius lib. de Deo Socratis, *Animum humanum*, inquit, *emeritis vitæ ſtipendiis corpore ſuo*

Et inquietis aſſidens præcordiis,
 Pavore ſomnos auferam.
Vos turba, vicatim hinc et hinc ſaxis petens,
 Contundet obſcœnas anus.
Pòſt inſepulta membra different lupi,
 Et Eſquilinæ alites.
Neque hoc parentes, heu! mihi ſuperſtites
 Effugerit ſpectaculum.

atque præcordiis inhærens minimè quieſcentibus, formidine eripiam ſomnum. Deinde *plebs per ſingulos vicos undique lapidibus vos inceſſens, exsecrabiles vetulas obruet. Denique membra veſtra inſepulta diſcerpent lupi & volucres Eſquilinæ: illud verò ſpectaculum videbunt parentes* mei *(heu!) poſt me viventes.*

ANNOTATIONES.

abjurantem, vetere Latinâ Linguâ reperio Lemurem dictitatum. Ex hiſce Lemuribus, qui poſterorum ſuorum curam ſortitus, placato & quieto numine domum poſſidet, Lar dicitur familiaris. Qui verò ob adverſa vitæ merita, nullis bonis ſedibus, incertâ vagatione ſeu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterùm noxium malis; id genus plerique Larvas perhibent. Cùm verò incertum eſt quæ cuique eorum ſortitio evenerit, utrum Lar ſit, an Larva, nomine Manem Deum nuncupant. Animadverte has voces poſtremas ad rem præſentem maximè facientes.

95. *Aſſidens præcordiis.*] Sicut Promethei jecur vultur ſeu aquila tundit & vellicat. lib. 2. Od. 13 v. 37.

99. *Inſepulta membra.*] Hoc apud antiquos graviſſimum malorum æſtimabatur; quòd errare anima, donec ſepulchro corpus eſſet conditum, putaretur. Vide lib. 1. Od. 28. Item Sophocl. Ajac. Act. ult.

100. *Eſquilinæ alites.*] Eſquiliæ, unus è Romæ collibus. Accipitres circa Eſquilias volitabant frequenter, quia illic erant ſepulchreta; imò & reorum ac morte damnatorum abjecta cadavera: itaque prædam ibi ſubodorabantur & quæritabant.

101. *Neque hoc parentes, &c.*] Hócque illis qualecunque ſolatium.

Poſteriora criminationum Scaligeri capita tam futilia ſunt, ne dicam inſulſa, ut illa deſcribere etiam pigeat. Ne tamen ea deſideres, Lector, en ita ille:

Indormit unctis omnium cubilibus Oblivione pellicum. *Neque ſtructura placet: & hæc hiant, disjuncta à ſuperioribus, & verbum* indormit *inſuave eſt.*

Ad me recurres: nec revocata mens tua Marſis redibit vocibus. *Si fiat amens, quomodo faſtidiat poculum quod mox minatur? & omnino illa ſunt duriſſima,* venena magnum fas nefáſque, &c.

Profectò ſi jam lapidibus inſectata eſt plebs, ſi interemptæ anus, ſi inſepultæ à lupis, & avibus laceratæ, quid addit? neque hoc parentes effugerit ſpectaculum, *Quid enim agant parentes tunc?*

Animadverte vocem hanc, alites, *multis in locis ab Horatio repetitam: quam adeo amavit, ut maluerit hîc, quàm, quod potuit,* vultures; *& fugiſſet licentiam neglectæ colliſionis.* Hactenus Jul. Scaliger.

1. Nec ſtructura, nec verbum *indormit*, inſuavia videntur niſi hypercritico. Quod à ſuperioribus disjunctum eſt, non hiatum facit, ſed impetum animi Canidiæ audaciâ & ſcelere furentis optimè depingit, quæ res non pacatè cogitat, aut loquitur contextè & continenter, ſed profert ſaltuatim.

2. Dormitabat ſanè bonus Scaliger, cùm iſta culpabat. Imò ſi Varus fiet amens, non niſi poſt & per *poculum* quod mox ei *majus* Canidia minatur.

Porrò hæc, *venena, magnum fas, &c.*] Duriſſima omninò ſint, vix tamen ſatis, ad rerum duritiam quas indicant, & parum ad frangendum veneficæ improbitatis adamantem.

3. Profectò nihil agendum parentibus; ſed tali fruendum ſpectaculo, ad mœſtitiam utcunque leniendam, prædicit puer.

4. *Vultures* placeant homini carpendi & vellicandi avido: at æquum æſtimatorem non offendent *Æſquilinæ alites:* quin colliſio, & ipſa vox, *alites*, pulchra ſanè, vel *decies repetita* oblectabit.

ODE

ODE VI.

In CASSIUM SEVERUM.

Quare externos nihil mali meritos exagitas, ô canis iners contra lupos? Cur non iſtuc vanas minas convertis ſi vales, ac laceſſis me par pari redditurum? Etenim velut Moloſſus vel Lacedæmonius canis *rufus*, quæ eſt *defenſio grata paſtoribus, per excelſas nives erectis auribus perſequar quamcunque feram fugientem. Tu* verò, *poſtquam formidabili latratu implevisti ſilvam, olfacis dapes oblatas. Cave, cave: nam* ego *adverſus improbos acerrimus dirigo ſtatim cornua; non ſecus ac gener contemptus à Lycambe perfido,*

QUID immerentes hoſpites vexas, canis [453]
Ignavus adversùm lupos?
Quin huc inanes, ſi potes, vertis minas, [454]
Et me remorſurum petis?
Nam qualis aut Moloſſus, aut fulvus Lacon,
Amica vis paſtoribus,
Agam per altas aure ſublatâ nives,
Quæcumque præcedet fera.
Tu, cùm timendâ voce complêſti nemus,
Projectum odoraris cibum.
Cave, cave: namque in malos aſperrimus
Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ ſpretus infido gener,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Epod. 1.

1. *Quid immerentes, &c.*] Hâc Ode volunt notari Caſſium Severum, oratorem petulantiſſimum, accuſationibus in Senatu quanquam exitu ſemper infelici, & conatibus vanis, famoſum, item ſcriptis maledicis in quemlibet etiam magnatum. Nonium certè Aſprenatem, Auguſto licet *arctius junctum*, veneficii reum agere non dubitavit. Teſtes ſunt Suetonius Octav. cap. 56. Plin. lib. 35. cap. 12. Is ob libellos famoſos in vulgus ſparſos, ad inſulam Cretam primum, deinde in Seriphum eſt deportatus. Ejus meminit pluribus locis Corn. Tacitus, item Quinctilianus. Ille ſic habet in Dialogo de Oratoribus: *Caſſium Severum affirmant primum flexiſſe ab illa vetere dicendi via directa, non infirmitate ingenii, nec inſcitia literarum; ſed judicio & intellectu. Vidit namque cum conditione temporum ac diverſitate aurium formam atque ſpeciem orationis eſſe mutandam, &c.* Et poſtà: *Equidem non negaverim Caſſium Severum oratorem vocari, quanquam in magna parte librorum ſuorum plus vis habeat, quam ſanguinis. Primus enim contempto ordine rerum, omiſſa modeſtia & pudore verborum, ipſis etiam quibus utitur armis incompoſitus, & ſtudio feriendi plerumque dejectus, non pugnat, ſed rixatur. Cæterùm varietate eruditionis & lepore urbanitatis, & ipſarum virium robore multùm cæteros ſuperat.* Fab. autem Quintilianus lib. 10. cap. 1. *Caſſius*, inquit, *Severus, ſi cum judicio legatur multa dabit imitatione digna. Quod ſi cæteris virtutibus colorem & gravitatem orationis adjeciſſet, ponendus inter præcipuos foret. Nam & ingenii plurimum eſt in eo, & acerbitas mira, & urbanitatis, & vis ſumma: ſed plus ſtomacho quam conſilio dedit: præterea ut amari ſales, ita frequenter amaritudo ipſa ridicula eſt.* Ejus ſcripta ex Senatuſconſulto abolita ſunt, teſte Suetonio.

Canis ignavus adverſum lupos.] Acer in ignavos, ignavus in fortes; quod argumentum ſocordiæ eſt.

3. *Quin huc inanes, &c.*] Quin me laceſſis meique ſimiles acriter remorſuros te mordentem, vel potius allatrantem?

5. *Moloſſus.*] Canis ingens & validus, Gallicè *dogue*. Ang. a Maſtiff. Ex Epiro, ubi populi fuêre quondam Moloſſi. Strabo lib. 7.

Fulvus Lacon.] Canis agilitate commendatus ſimul & robore, Gall. *levrier*: Ang. Greyhound. Laconia Peleponneſi regione, ſeu ex urbe Spartâ. Virg. Georg. 3. v. 405.

Veloces Spartæ catulos, acremque Moloſſum.

6. *Amica vis paſtoribus.* Ad arcendos à grege lupos aliaſque feras. Theocrit. κύων φιλοποιμνίος, *canis Paſtorum amans.*

7. *Agam per altas.*] Expeditus ego ſum ad inſectandos quoſcunque mihi injuriam facientes. Pergit ſcilicet noſter in metaphorâ.

9. *Tu, cum timendâ, &c.*] Tu vero cùm ingenti latratu maximè terribilis viſus fuiſti, repente mitis & imbellis appares, objecto pretio ſedatus: quemadmodum canis iners, antea horrendum latrans, projectum cibum arripiens, mutus ſubitò fit.

12. *Tollo cornua.*] Vires exero, animos & bilem accendo, graviterque ulciſcor.

13. *Qualis Lycambæ, &c.*] Sicut Poëta Archilochus fecit in Lycamben. Hic enim Neobulen

Aut acer hoſtis Bupalo.
An ſi quis atro dente me petiverit, [455]
Inultus ut flebo puer?

vel inimicus Bupalo infenſiſſimus. Quod ſi me quiſquam dente nigro laceravit, numquid plorabo velut puer imbellis?

ANNOTATIONES.

filiam anteâ deſponſatam fractâ fide illi negavit uxorem, generúmque habere ſprevit. At Archilochus Iambicos verſus à ſe inventos tam acerbos & amarulentos ſcripſit in Lycamben, ut eos ad deſperationem, tandemque ad ſuſpendium adegiſſe referatur. Vide Epiſt. ad Piſones, v. 79.

14. *Acer hoſtis Bupalo.*] Hipponax Poëta circa Olympiadem ſexageſimam florebat, quinque circiter ante Chriſtum ſeculis. Staturâ parvus, vultu pravus ac deformis. Contigit ut offenſi duo fratres Bupalus & Anthermus, ſive pictores, ſive ſculptores, ejus imaginem omnino ridiculam effinxêrint, populique ludibrio expoſuerint: verùm non impunè. *Hipponacti notabilis fœditas vultûs erat. Quamobrem imaginem ejus laſciviâ jocorum ridentium circulis in promptu fecêre* (al. ii propoſuêre.) *Quod Hipponax indignatus amaritudinem carminum diſtrinxit in tantum, ut credatur aliquibus eos ad laqueum compuliſſe. Quod falſum eſt. Complura enim in finitimis inſulis ſimulacbra poſtea fecêre.* Hæc Plin. lib. 36. cap. 5. Alii ſcribunt Epheſo urbe duntaxat cedere coactos præ pudore & irâ, propter acerbitatem verſuum Hipponactis. Ex Dionyſ. Halic. Hipponax trimetrum Archilochium in Scazontem inflexit, ut graviùs feriret. Cic. de Nat. Deorum 3. n. 90. *quem Hipponactis Iambus læſerat, aut qui erat Archilochi verſu vulneratus, &c.*

15. *An ſi quis atro dente, &c.*] Si verò me quiſquam impetat convitiis, an ad lachrymas, pueri more, confugiam? imò ut vir ad arma & ultionem convolabo; perſequar adverſarium uſquequâque, donec graviores acceptis plagas infligam.

ODE VII.

Ad POPULUM ROMANUM.

Deteſtatio bellorum civilium.

QUO, quò ſceleſti ruitis? Aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?
Parúmne campis atque Neptuno ſuper [456]
Fuſum eſt Latini ſanguinis?
Non ut ſuperbas invidæ Carthaginis
Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut deſcenderet

Quò, quò, ſcelerati properatis? vel cur incluſi vaginâ gladii dextris inſeruntur? An non ſatis Latini ſanguinis effuſum eſt terra marique? non quidem ut Romani incenderent excelſa caſtella æmulæ Carthaginis, vel ut Britanni hactenus *indomiti*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Quò, quò, &c.*] Ambigitur quod civile bellum hîc Poëta execratur: an illud quod geſtum eſt hinc Bruto & Caſſio, illinc Auguſto, M. Antonio & M. Lepido ducibus; an bellum Actiacum, cujus finem & exitum Auguſto felicem celebravit Epod 9. an potiùs illud, quod poſt cladem Philippenſem Sextus Pompeius reparabat? Vide lib. 1. Od. 14. lib. 2. Od. 7. lib. 3. Od. 4 & 6. Denique Epod. 16. ibique annot.

Sceleſti.] In cives & patriam injurioſi & ſævientes.

2. *Enſes conditi.*] Pax enim facta fuerat, aliquanto poſt dimicationem Philippenſem, Pompeianos inter & Auguſtum atque Antonium.

3. *Campis atque Neptuno ſuper.*] In campis Philippenſibus & in mari Siculo. De hoc Epod. 4. de illis lib. 2. Od. 7. *Neptunus* maris Deus pro ipſo mari.

5. *Non ut ſuperbas, &c.*] Enimverò tantum ſanguinis Romani nuper fuſum non eſt pro defenſione patriæ vel ultione, ut olim quando Scipione duce deleta & incenſa Carthago eſt. Tunc certè glorioſè pugnatum eſt: at certârunt nuper cives in ſeipſos impiè, ut & nunc armantur.

Invidæ Carthaginis.] Carthago Romæ æmula quamdiu ſtetit, fuit. Vide lib. 3. Od. 5. Vell. Patercul. lib. 1. & 2.

7. *Intactus aut Britannus.*] Neque tunc fuſus

per viam ſacram vincti traherentur: Sed ut juxta Parthorum optata deſtrueretur hæc civitas per vires proprias. Atque *nec lupis hæc conſuetudo, nec leonibus unquam fuit ſævire, niſi contra diſſimile* animal. *An cæca rabies agit vos, an vis ſuperior, an crimen* aliquod? *Reſpondete. Silent: atque pallidus color vultum tingit; animique attoniti obſtupeſcunt. Ita eſt, Romanos exagitat ſors inimica, & crimen cædis fraternæ; ex quo effuſus eſt humi ſanguis Remi innocentis poſteris luendus.*

Sacrâ catenatus viâ:
Sed ut, ſecundum vota Parthorum, ſuâ
Urbs hæc periret dexterâ.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam, niſi in diſpar, feris.
Furórne cæcus, an rapit vis acrior? [457]
An culpa? Reſponſum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentéſque perculſæ ſtupent.
Sic eſt. Acerba fata Romanos agunt,
Scelúſque fraternæ necis;
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

ANNOTATIONES.

eſt Latinus ſanguis, ut Britanni nondum ſubacti Romano imperio, vincerentur, atque in triumpho ducerentur ex more ad Capitolium per Viam Sacram. Vide Sueton. Octav. c. 25. Dion. lib. 40. init. Cæſaris Comment. lib. 5. item annot. lib. 3. Ode 5. & lib. 4. Ode 14.

Deſcenderet.] Declivis nempe ad forum uſque Romanum erat *Via Sacra*; de quâ. Epod. 4. v. 7. at à foro Rom. ad Capitolium poſtea aſcendebatur.

2. *Sed ut, ſecundum vota Parthorum, &c.*] Hoc ſcilicet habebant in votis hoſtes Romanorum, ut quod Imperium alienis non poterat, propriis viribus interiret. Epod. 16. v. 2.

Suis & ipſa Roma viribus ruit,
Quam nec finitimi valuerunt perdere Marſi, &c.

de Parthis Romæ ſemper infeſtis, lib. 1. Ode 12. & 19 lib. Ode 5.

11. *Neque hic lupis mos, &c.*] Feræ non ſæviunt in ſui ſimiles; quare ergo homo eſt homini lupus? ut habet adagium. Plin. Proem. lib. 7. *cætera animantia in ſuo genere probe degunt. Congregari videmus & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat. Serpentum morſus non petit ſerpentes. Nec maris quidem belluæ niſi in diverſa genera ſæviunt. At hercule homini plurima ex homine ſunt mala.* Senec. Epiſt. 104. *ab homine homini quotidianum periculum. Adverſus hoc te expedi, &c.* Et de Clement. lib. 1. cap. 26. *Apud homines tantum, nec à neceſſariis quidem rabies temperat ſibi.* Sanctus Auguſtinus de Civ. Dei lib. 15. *neque enim unquam inter ſe leones, aut inter ſe dracones qualia inter ſe homines bella geſſerunt.* Juvenal. Sat. 15. v. 159.

Sed jam ſerpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri!
Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem
Perpetuam. Sævis inter ſe convenit urſis.
Aſt homini ferrum letbale incude nefandâ
Produxiſſe parum eſt.

12. *In diſpar feris.*] Al. *in diſpar genus.*

13. *Furórne cæcus, &c.* Quid vos rapit ad bellum tam tetrum? An furor; an fatalis quædam neceſſitas; an culpa, propter quam Dii inſenſi, veſtris vos manibus plectant? Cicero pro M. Marcello. n. 13 *omnes qui ad illa arma fato ſumus neſcio quo Republicæ miſero funeſtoque compulſi, etſi aliquâ culpâ tenemur erroris humani, à ſcelere certè liberati ſumus.*

15. *Tacent, & ora pallor, &c.*] *Silentium* & *pallor* arguunt ſceleris conſcientiam; *ſtupor* verò notat immiſſam à Diis offenſis pœnam.

17. *Sic eſt, &c.*] Itâ ſanè Deorum fit ut Romani in Romanos incurrant ſæviantque. Nimirum luimus crimen Romuli, qui Remum fratrem occidit. Ode 6. lib. 3.

Delicta majorum immeritus lues,
Romane, &c.

19. *Remi ſacer cruor.*] Jus naturale violârat Romulus, dominandi causâ, fratrem innoxium & immerentem trucidans. Hinc illius Romanorum parentis & conditoris ſcelus in nepotes aſperſum identiden immiſſis malis vindicatur. De nefandâ illâ Remi cæde variè ſcribunt. Flor. lib. 1. cap. 1. *Ad tutelam novæ urbis ſufficere vallum videbatur: cujus dum irridet anguſtias Remus, idque increpat ſaltu, dubium an juſſu fratris, occiſus eſt. Prima certè victima fuit: munitionemque urbis novæ ſanguine ſuo conſecravit.* Tit. Liv. lib. 1. cap. 6. Romulus ac Remus, certatim nomen & auſpicia daturi novæ urbi, auguria captant. *Intervenit avitum malum, regni cupido, atque inde fœdum certamen coortum a ſatis miti principio;*

principio; quoniam gemini eſſent, nec ætatis verecundia diſcrimen facere poſſet; ut Dii, quorum tutelæ ea loca eſſent, auguriis legerent qui nomen novæ urbi daret, conditam imperio regeret: Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt. Priori Remo augurium veniſſe fertur ſex vultures: jamque, nunciato augurio, cùm duplex numerus Romulo ſe oſtendiſſet, utrumque Regem ſua multitudo conſalutaverat, tempore illi præcepto; at hi numero avium regnum trahebant. Inde cum altercatione congreſſi, certamine irarum ad cædem vertuntur. Ibi in turbâ ictus Remus cecidit. Vulgatior fama eſt, ludibrio fratris Remum novos tranſiluiſſe muros: inde ab irato Romulo interfectum: ita ſolus potitus imperio Romulus, &c. Vide & Aurel. Victorem. Plut. in Romulo. Oroſ. lib. 2. S. Auguſt. lib. 3. de Civitat. Dei. cap. 6. Ovid. Faſtor. 4.

ODE VIII.

In VETULAM.

ROGARE longo putidam te ſæculo, [458]
Vires quid enervat meas?
Cùm ſit tibi dens ater, et rugis vetus
Frontem ſenectus exaret;
Hietque turpis inter aridas nateis
Podex, velut crudæ bovis.
Sed incitat me pectus, et mammæ putres,
Equina quales ubera;
Ventérque mollis, et femur tumentibus
Exile ſuris additum.
Eſto beata: funus atque imagines
Ducant triumphales tuum:
Nec ſit marita, quæ rotundioribus
Onuſta baccis ambulet.
Quid, quod libelli Stoici inter ſericos [459]
Jacere pulvillos amant,
Illiterati num minûs nervi rigent?
Minùſve languet faſcinum?
Quod ut ſuperbo provoces ab inguine,
Ore allaborandum eſt tibi.

Te diuturno ævo fatiscentem decétne quærere quid exhauriat vires meas? Licet nigri ſunt tibi dentes & frons ſulcata rugis ſenii *

Sit opulenta: & imagines triumphales decorent exequias tuas: nullaque ſit matrona quæ incedat ornata rotundioribus margaritis: tu tamen mihi ſordeſcis *

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Rogare, &c.*] Ellipſis & Apoſiopeſis indignationi ſerviens. *Putidam te* non pudet, &c.

11. *Funus atque imagines, &c.*] In funere nobilium præferebantur imagines majorum qui triumphalem honorem adepti fuerant. Cicer. 2. de Orat. & pro Milone, Plin. l. 35. c. 2. Lipſ. Elect. 1. c. 29.

13. *Rotundioribus.*] Rotunditas uniones commendat. Plin. lib. 9. cap. 35. *Margaritarum dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere.* Erant tamen etiam oblongæ in pretio margaritæ, dicebantúrque elenchi, & auribus appendebantur. Juvenal. Sat. 6. v. 458.

Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.

Sat. 2. v. 61. *cylindros* vocat,

Tu nube, atque tace. Donant arcana cylindros.

14. *Onuſta.*] Plin. modo cit. *Uniones digitis ſuſpendere & binos ac ternos auribus fœminarum gloria eſt.* Petron. *Tribaccam margaritam* appellat. Sen. de Benefic. l. 7. c. 9. *Video uniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos. Jam enim exercitatæ* mulieres *oneri ferendo ſunt. Junguntur inter ſe; & inſuper alii bini ſuperimponuntur. Nec ſatis muliebris inſania viros ſubjecerat, niſi bina ac terna patrimonia auribus ſingulis pependiſſent.*

Baccis.] Baccæ propriè ſunt fructus lauri, oleæ, &c. ob ſimilitudinem verò pro unionibus ponuntur. Perſ. Sat. 2. v. 66. ambitio & mollities, inquit, docuit *baccam conchæ raſiſſe.*

15. *Quid, quod libelli Stoici, &c.*] At dices te eſſe imbutam literis & Philoſophia Stoicorum. Scilicet hoc lenocinio, hâc illecebrâ captas me ſtudioſum: verum nihil proficis: inquit Horatius. De Stoicorum placitis agam ad Sat. 3. l. 1. & 2, &c.

Inter pulvillos.] Super pulvinos ſcilicet lectuli tricliniaris, accubitorii, lucubratorii; in quo veteres lectioni & ſcriptioni vacabant. Perſ. Sat. 1. v. 53.

Quicquid denique lectis ſcribitur in citreis.

Cætera hujus Odes abſit ut explanare aggrediar, aut alia multis locis ſimilia. Quintiliano morem geram libens, lib. 1. cap. 8. ſic ſcribenti: *Horatium in quibuſdam nolim interpretari.* Pudor nempe vetat. Quin & Scaliger Hypercrit. ita cenſet: Epod. 8. & 12. *Nebulonis & nequam eſſe opertuis, non Horatii.*

ODE IX.

Ad MAECENATEM.

Præſentit voluptatem mox futuram ex Auguſti ad Actium Victoriâ.

Ecquando vinum *Cæcubum ad ſolemnes epulas reſervatum, lætus* ego ob *victoriam Auguſti, potabo tecum, O felix Mæcenas, in ædibus magnificis, canente cum fiſtulis citharâ, hâc Dorium modum, illis Phrygium?* Sane *ita placet Jovi. Haud jam pridem ſic* fecimus, *quando Neptunius Imperator*

QUANDO repôſtum Cæcubum ad feſtas
dapes [460]
Victore lætus Cæſare,
Tecum ſub altâ (ſic Jovi gratum) domo,
Beate Mæcenas, bibam,
Sonante miſtum tibiis carmen lyrâ,
Hâc Dorium, illis Barbarum?
Ut nuper, actus cum freto Neptunius [461]

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Quando repôſtum, &c.*] Vel ex iſtâ Ode liquet nec libros nec Odas Horatii eo diſpoſitas ordine, quo factæ ſunt: ſiquidem hîc lætitia expromitur de futurâ mox Victoriâ Actiacâ quæ jam conſummata celebratur in Od. 37. lib 1. Hic, inquam, poëta ſcribens ad Mæcenatem inter bellicos tumultus ad Actium adhuc verſantem, gaudium ſuum exprimit ex primo nuncio fugæ Antonii & Cleopatræ.

Cæcubum.] Vinum optimum, de quo plura Lib. 1. Od. 20. v. 9.

Ad feſtas dapes.] In ſacris & feſtis, in honorem Deorum, inſtruebantur epulæ opiparæ, & ponebantur vina melioris notæ.

2. *Victore Cæſare.*] Xiphilin. in Auguſto, *Cæſar ſuperior fuit eo prælio navali, ad quartum Nonas Septembris confecto: quem diem propterea notavi, quòd eo penes unum Cæſarem ſumma rerum fuit, ut ex eo anni principatûs ejus numerentur. Cæſar urbem ædificavit eo loco, in quo ſibi victoriam pepererat, eamque Nicopolim appellavit, &c.* Ibidem quoque ludos Quinquennales inſtituit, & Apollini templum dedicavit, ut tam inſignis in Epiro victoriæ dignum Auguſto monimentum permaneret. Vid. Epod. 1. init. & totam Oden 37. lib. 1. ibique annot.

3. *Sub alta domo.*] Altis columnis ex marmore adornata, Lib. 3. Od. 29.

Molem propinquam nubibus arduis.

Sic Jovi gratum.] Jovi Diiſq; fore gratum ait gaudium ob victorem Auguſtum, quippe cui ex voluntate Numinum orbis Imperium deſtinatum erat: quod quidem aſſeruit, Lib. 1. Od. 2. & alibi.

6. *Hâc Dorium illis barbarum.*] Lyrâ ſonante Dorium carmen ſeu modum; tibiis verò canentibus barbarum ſive Phrygium. Tres erant vulgares modi, Ionius ſive Lydius in *Ut*; Dorius in *Re*; Phrygius in *Mi*, de quibus fusè Glareanus in hunc locum. Primus acutus rebus lætis ſerviebat; ſecundus gravis & ſedatus, rebus ſeriis; tertius medius, rebus ſacris. Vide Athen. lib. 14. c. 5. Item Cœl. Rhod. lib. 9. c. 3. ubi ex Caſſiodoro ſic ſcribit; *Dorius prudentiæ largitor eſt, & caſtitatis effector: Phrygius pugnas excitat, votum furoris inflammat: Æolius animi tempeſtates tranquillat, ſomnumque jam placatis attribuit: Lydius intellectum obtuſis acuit; & terreno deſiderio gravatis cæleſtium appetentiam inducit, bonorum operator eximius.* Hinc apparet cur pueros Doricam in primis harmoniam edocendos moneat Ariſtoteles. Polit. 8.

Barbarum.] Aſiatici omnes à Græcis vocabantur Barbari: hinc barbarum dicitur quicquid eſt à Phrygiâ Aſiæ regione, l. 2. Od 4. v. 9.

Barbaræ poſtquam cecidere turmæ.

Barbaricum aurum, Æneid. 2. v. 504. & *barbara crurum tegmina*, Æn. 11. v. 777. quæ Phrygia erant acu picta & elaborata. Athen. cit. lib. 14. c. 5. *Tres ſunt Harmoniarum differentiæ, quot & Græciæ nationes; Æolica nempe, Dorica, Ionica. Phrygium autem ac Lydium Græci didicerunt à Lydis ac Phrygibus, qui cum Pelope venerunt in Peloponneſum.*

7. *Ut nuper.*] Sicut liberaliter ſanè bibimus nuper, ſeu ante annos quinque cum Sextus Pompeius navali prælio debellatus ab Auguſto eſt, ad fretum Siculum, indeque pulſus fugit.

Dux

Dux fugit uſtis navibus,
Minatus urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus (eheu poſteri negabitis) [462]
Emancipatus fœminæ
Fert vallum & arma miles, & ſpadonibus
Servire rugoſis poteſt.
Interque ſigna (turpe!) militaria
Sol aſpicit conopium.
Ad hoc frementes verterunt bis mille equos

freto Siculo *pulſus fugam arripuit, poſt incenſas naves; minatus civibus* injicere *catenas, quas detraxerat ſervis infidelibus. Romanus (eheu nepotes haud credetis) mulieris factus mancipium, miles portat palum atque arma, nec erubeſcit ſervire eunuchis rugoſis. Interque vexilla bellica* (proh *fœdam rem!) Sol videt conopium. Ad hoc* Spectaculum *Galli indig-*

ANNOTATIONES.

Neptunius Dux.] *Sextus Pompeius ruptis ergaſtulis mare obſedit: interceptis commeatibus Italiam vexavit; &, cum mari feliciter uteretur, Neptuni ſe filium confeſſus eſt:* Aurel. Vict. de Viris Illuſtribus, c. 7. Alii ſcribunt, eum, cùm ejus pater magnus Pompeius exactis piratis & hoſtibus mari dominatus eſſet, hinc ſe Neptuni filium dixiſſe, & cœruleâ veſte indutum juveniliter ſuperbiendo depugnâſſe. Appian. Bell. Civil. l. 5. Dio. l. 48.

8. *Fugit.*] Aur. Vict. cit. *Sextus ab Auguſto per Agrippam navali prælio victus in Aſiam fugit, ubi ab Antonianis militibus occiſus eſt.* Florus, l. 4. c. 8. Sextus Pompeius *perditis rebus profugit; Aſiamque velis petit, venturus ibi in hoſtium manus & catenas . . . . Non alia poſt Xerxem miſerabilior fuga. Quippe modò trecentarum quinquaginta navium dominus, cum ſex ſeptemve fugiebat, extincto prætoriæ navis lumine, annulis in mare objectis, pavens ac reſpectans, & tamen non timens ne periret.*

Uſtis navibus.] M. Agrippæ operâ, ſcilicet à quo fugatas Sexti Pompeii naves ſcribit Suet. Oct. c. 16. T. Liv. Epit. l. 129. *Adverſus Sext. Pompeium,* inquit, *vario eventu navalibus certaminibus pugnatum eſt; ita ut ex duabus Cæſaris claſſibus, altera cui Agrippa præerat vinceret; altera quam Cæſar duxerat deleta . . . victus deinde Pompeius in Siciliam profugit.* (Hæc prior fuga; poſtrema illa de quâ paulò antè dixi ex Floro) *M. Agrippa navali coronâ à Cæſare donatus eſt, qui honos ante eum nemini habitus erat.*

9. *Minatus urbi vincla, quæ detraxerat, &c.*] Servos ad arma Pompeius ille Sextus & magno quidem numero vocarat. Teſtes Dio. & L. Flor. cit. *Cum ergaſtula armâſſet, Siciliam Sardiniamque habebat. Jam & claſſe medium mare inſederat. O quàm diverſus à patre! Ille Cilicias extinxerat: hic ſecum piratas navales agitabat.* Vide & annot. ad Epod. 4. in fine.

10. *Servis amicus perfidis.*] Fugitivis nempe & erga dominos perfidis libertatem & arma dabat, benignè excipiens & amicè, in quos animadverti graviter oportebat.

11. *Romanus.*] Antonius ejuſque aſſeclæ Romanorum permulti.

12. *Fœminæ.*] Cleopatræ, de quâ l. 1. Od. 37.

13. *Fert vallum, &c.*] Virg. Georg. 2. v. 25. *Quadrifidaſque ſudes & acuto robore vallos.*] Ubi Servius monet, bis idem dictum: nam & valli & ſudes idem ſunt: Gall. *des Pieux.* Angl. Palliſadoes. Vegetius l. 3. c. 8. ita rem explicat: *Super aggerem valli, hoc eſt, ſudes, vel tribuli lignei, digeruntur,* nimirùm ad munienda caſtra. Porro Romanus quiſque miles debebat ferre ſecum duodecim ſudes, arma, viaticum, ollam, veru, ſecurim, ligonem, falcem, &c.

Spadonibus ſervire.] Cleopatram illi comitabantur, adeoq; imperabant Romanis militantibus ſub ejus vel Antonii ſigniis: quod eis turpe & indignum. Vid. l. 1. Od. 37. v. 9. *Spado* à σπᾶν, *evellere,* dictus. *Rugoſis* quia plurimæ illis rugæ ob virilitatis adeoque caloris amiſſionem.

16. *Conopium.*] Alias ſcrib. *Conopeum* penultima longa; κωνωπεῖον, tentorii genus, quo utebantur Ægyptiæ mulieres ad arcendos culices; qui κώνωπες nuncupantur à Græcis. Hi ſunt enim illic frequentes ob maris viciniam. Horatius indignitatem auget ex eo quod muliebre tabernaculum erat pro Prætorio ſeu Imperatorio tentorio.

17. *Ad hoc frementes, &c.*] Adverſus Antonium arma veterunt Galli, qui in ejus exercitu merebant, ſcilicet indignati quòd ſervire juberenter fœminæ, & effœminatis *ſpadonibus rugoſis.*

Verterunt bis mille equos.] Scaliger, ſuo more, *illa,* inquit, *ferre nequeo: nam & inſuavia ſunt, nec conveniunt pugnæ navali.* Imo Gallorum fremitum & morum aſperitatem bellè exprimunt. Deinde an Hypercriticus neſciebat præter navales copias, ad littus adfuiſſe terreſtres peditum equitumque? Itaque ab exercitu illo terreſtri Antonii ad Cæſarianum tranſiiſſe illa duo millia equitum Gallorum, qui victoriam Cæſaris promoverunt: ut teſtatur Servius ad Æn. 6. & Plutarchus in Antonio; *Terreſtribus copiis ab Antonio Canidius præerat: à Cæſare*

Galli

nantes, Auguſtum inclamando, converterunt duo millia equorum: & puppes navium hoſtium ad ſiniſtram fugientes in portu deliteſcunt. Io triumphe, tu retardas auratos currus & juvencas integras. Io triumphe, non revexiſti Imperatorem talem ſeu in bello Jugurthino, ſeu in Africano eum cui ſua virtus tumulum erexit ſuper Carthaginem. Hoſtis ſuperatus in terra & mari ſagulum purpureum mutavit lugubre:

Galli, canentes Cæſarem:
Hoſtiliùmque navium portu latent
Puppes ſiniſtrorsùm citæ.
Io triumphe, tu moraris aureos [463]
Currus, et intactas boves.
Io triumphe; nec Jugurthino parem
Bello reportâſti ducem;
Neque Africanum, cui ſuper Carthaginem
Virtus ſepulchrum condidit.
Terrâ maríque victus hoſtis Punico [464]
Lugubre mutavit ſagum:

ANNOTATIONES.

Taurus: qui utrinque inſtructâ acie in littore quieſcebant, eventum navalis pugnæ expectantes.

18. *Canentes Cæſarem.*] Nos vernaculè diceremus, Crying, God Save the King.

19. *Hoſtiliumque navium portu latent Puppes.*] Continuò excandeſcens Julius Scaliger, *Si latent Puppes, proræ non latent*, inquit. Egregie admodum: nam paratis ad fugam navibus latebant puppes duntaxat, apparebant autem proræ mari obverſæ. Ergo male redarguitur iſte locus. Horatius notat ſexaginta naves Cleopatræ poſt claſſem Antonii collocatas, ſublatis velis expeditas ad fugam primo quoque tempore capeſſendam, & vela facienda in Ægyptum. Plutarch. modò cit.

20. *Siniſtrorsùm citæ.*] Hoſtiles naves è portu Actiaco prodeuntes ad ſiniſtram habebant Peloponneſum, quo fugerunt, & inde Alexandriam. Plutarch. in Antonio: *Naves ſexaginta Cleopatræ, quæ poſt magnas naves erant ſitæ, velis ſublatis per medios pugnantes fugam arripiunt, ſuoſque perturbant. Cæſariani non ſine admiratione ſpectant fugientes naves in Peloponneſum converſas: nec* quâ de causâ *id fieret intelligebant.* Additque Antonium non viri aut ducis conſiliis uſum, ſed amantis; tractum ſcilicet à muliere, & poſthabitis omnibus Cleopatram inſecutum.

21. *Io.*] Vox lætitiæ index, quâ triumphanti duci milites acclamabant.

Triumphe.] Triumphum alloquitur & compellat veluti Deum. Sic. lib. 4. Od. 2.

Tuque dum procedis, Io triumphe.

22. *Aureos Currus.*] Triumphales Auguſto debitos. Horum formam deſcribit Zonaras his verbis: τὸ δὲ δὴ ἅρμα ὔτε ἀγωνιςηρίῳ, ὔτε πολεμιςηρίῳ τὶ ἐμφερὲς. ἀλλ' εἰς πύργου περιφερῦς τρόπον ἐξείργαςο. *Currus autem*, triumphalis ſcilicet, *neque Circenſi neque bello ſimilis; ſed in turris rotundæ modum factus erat.*

23. *Intactas boves.*] Qui triumphabat juvencas *intactas*, id eſt, vel tauro vel jugo nondum ſubditas immolabat. Virg. Georg. 4. v. 543

Delige & intactâ totidem cervice juvencas.

24. *Nec Jugurthino parem.*] Non parem ſed longè Auguſto inferiorem Marium Jugurthæ victorem. Vide lib. 2. Od. 1 ſtroph. 7. ibique annot. ad vocem *Jugurtha.*

25. *Neque Africanum.*] Nec Cæſari parem Scipionem, quanquam diruit hic Carthaginem Imperii æmulam: ita ut ejus urbis ruinæ ſint illuſtre veluti mauſoleum P. Cornel. Scipionis, ob ejus virtutes planè ſingulares quæ in Africano bello & triumpho eluxerunt.

26. *Sepulcbrum.*] Vetus interpres hîc ſic annotat; *Tangit hiſtoriam, in quâ ſcriptum eſt, ex Oraculo, ad compeſcendos Afros debere ſepulcrum Scipioni Africano ita conſtitui, ut Africam intueretur. Hoc autem Deorum monitu poſitum eſt inter Oſtiam & portum.* At contra Plutarchus ſcribit ſepulcrum Scipionis Linterni extare. Mancinello teſte, apud Caietam in marmoreo ſepulcro æneâque urna hæc leguntur:

Devicto Annibale, & capta Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes:
Cui non Europe, non obſtitit Africa quondam,
Reſpice res hominum, quam brevis urna premit!

27. *Terrâ marique victus hoſtis.*] Antonius, poſt cujus fugam in Ægyptum, terreſtris ejus exercitus duce Canidio ad Auguſti partes tranſit.

Punico Lugubre mutavit ſagum.] In ſignum mœroris, exuit ſagum puniceî, coccinei, purpurei, rubei coloris; induitque aliud pullum, âtrum, lugubre. *Phœnicius* ſeu puniceus color *exuberantiam ſplendoremque ſignificat ruboris:* inquit Gellius, l. 6. c. 26. *Sagum* veſtis erat in bello uſitata, brevior, ſubnexa per fibulam circa dextrum humerum. Alii volunt ſagum habuiſſe manicas inſtar tunicæ. Erat porrò coloris rubei, tum quod is Marti convenit; tum ut cruor è vulneribus manans ob ſimilem colorem minùs appareret.

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
  Ventis iturus non ſuis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
  Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, ſcyphos,
  Et Chia vina aut Leſbia;
Vel, quod fluentem nauſeam coërceat,
  Metire nobis Cæcubum.
Curam metúmque Cæſaris rerum juvat
  Dulci Lyæo ſolvere.

Nunc *ille vel in Cretam centum urbibus claram fugit adverſis ventis; vel ad Syrtes Auſtro vexatas: vel errat anceps per maria. Famule, huc affer cyathos majores, & vina Chia, vel Leſbia: quin* potiùs *infunde nobis Cæcubum, quod reprimat nauſeam fluitantem.* Certè *decet abſtergere ſolicitudinem ac formidinem* pro *rebus Auguſti* bibendo *ſuave vinum.*

ANNOTATIONES.

29. *Aut ille, &c.*] Quo tenderet Antonii claſſis, ignorabatur: Sciebatur tamen verſus Peloponneſum navigâſſe; ut antè dixi ex Plutarcho. Poſteà verò cognitum eſt Cretæ oram legiſſe; ut in Egyptum pergeret.

Cretam.] De eâ inſulâ, lib. 3. Od. 27. ſtroph. 9.

30. *Ventis non ſuis.*] Sibi non propitiis.

31. *Noto.*] Vento Meridionali.

Syrtes.] In Libyco mari ſunt eæ, vulgo *Sebes de Barbarie*, à *σύρω trabo*, quòd in eas maris partes arenæ cumulos, limum, & ſaxa aggerant & trahunt fluctus. Vide lib. 2. Od. 6. v. 3.

32. *Fertur incerto mari.*] Quo fugiat incertus, rebus deſperatis.

33. *Capaciores affer, &c.*] In feſtis, & in magnâ lætitiâ, Græco more, majoribus poculis & largiter bibebatur.

34. *Chia vina aut Leſbia.*] Tranſmarina vina, ideoque pretioſa: è Chio & Leſbio inſulis maris Ægei. Plin. lib. 14. cap. 7. & 14. De Chii vini bonitate, lib. 3 Od. 19. v. 5. De Leſbio, lib. 1. Od. 17. ſtroph. 6.

36. *Cæcubum.*] Vinum generoſum è Cæcubo, Latii monte: de illo lib. 1. Ode 20. habet virtutem coërcendi nauſeam, inquiunt; quòd auſterum ſit & pungens, adeóque fluxum ſiſtat aut reſtringat phlegmatis. Porrò ejuſmodi vinum petit Horatius, ut poſſit affatim bibere ſine nauſeâ & vomitu.

37. *Curam metúmque Cæſaris.*] Magno ſe fuiſſe in metu pro Cæſare indicat; neque vero Romæ tunc fuiſſe trepidationem parvam refert Dio: at, hoſte in fugam verſo, jam lætus, vino ſe diſcuſſurum ait quicquid pavoris & curæ animo diu inſedit.

38. *Lyæo.*] Ita dicitur Bacchus, ac proinde vinum, à *λύειν ſolvere*, ut jam notavi, lib. 1. Ode 7.

ODE X.

In MÆVIUM POETAM.

Ei Naufragium imprecatur.

Malâ ſoluta navis exit alite [465]
  Ferens olentem Mævium.
Ut horridis utrumque verberes latus

Navis abit ſoluta portu infelici auſpicio, vehens fœtentem Mævium. Auſter fac-

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Malâ ſoluta, &c.*] Amico Virgilio & bono Poëtæ fauſtam navigationem eſt apprecatus. Od. 3. lib. 1. at Mævio contraria omnia hîc.

Mala alite.] Sunt qui *alitem* fœminino genere poni velint pro malo ſemper augurio. Lactant. in Papin. Stat. Thebaid. 3.

2. *Olentem Mævium.*] Is obſoletarum vocum ſectator, bonorúmque Poëtarum inſectator, duobus iſtis vitiis duntaxat famoſus Poëta, Virgilii atque Horatii temporibus tam inviſus bonis quàm invidus. Virg. Eclog. 3, 90.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi,
Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.

Auctor lib. de cauſ. corrupt. eloq. ita præcipit; *Quædam arceantur ut jam obliterata & olentia*, id eſt, nimiam vetuſtatem ac veluti ſitum redolentia,

ut tetris fluctibus vexes utrumque latus navis. *Eurus ater mari perturbato diſpergat funes & remos diſruptos. Exſurgat Aquilo tam vehemens, quàm cum frangit ilices in excelſis montibus concuſſas. Nec propitium* ullum *affulgeat aſtrum nocte obſcura quâ Orion occidit. Nec tranquilliore mari naviget quàm exercitus Græcorum victor, quando Minerva ab incenſa Troja iram convertit in ſceleratam Ajacis navim. O quantus ſudor imminet tuis nautis; tibi verò pallor flavus, atque ejulatio viro indigna, & vota ad Jovem ſurdum; cum murmurans Ionium mare fregerit navim Auſtro humido! Quod ſi tu in curvo littore jacens paſcas mergos, opimum ſpolium, à me procellis ſacrificabitur laſcivus hircus, & nigra ovicula.*

Auſter, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus, inverſo mari,
Fractóſque remos differat.
Inſurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.
Nec ſidus atrâ nocte amicum appareat,
Quâ triſtis Orion cadit,
Quietiore nec feratur æquore, [466]
Quàm Graia victorum manus,
Cùm Pallas uſto vertit iram ab Ilio
In impiam Ajacis ratem.
O quantus inſtat navitis ſudor tuis,
Tibíque pallor luteus,
Et illa non virilis ejulatio,
Preces et averſum ad Jovem:
Ionius udo cùm remugiens ſinus
Noto carinam ruperit!
Opima quòd ſi præda curvo littore
Porrecto mergos juveris;
Libidínoſus immolabitur caper,
Et agna tempeſtatibus.

ANNOTATIONES.

4. *Auſter, memento, &c.*] *Auſtrum* à meridie flantem & in Ionio mari valdè ſævientem primùm invocat adverſus Mævium navigantem: deinde *Eurum* ab Oriente: tum Boream ſeu *Aquilonem* à Septentrione; ut colluctantes mare ſubvertant, Mæviumque fluctibus obruant. Virgil. *Æ*neid. 1, 89.

Unà Eurúſque Notúſque ruunt, creberque procellis
Africus.

10. *Orion.*] De hujus ſideris occaſu proceloſo & navigantibus triſti, lib. 1. Od. 28. v. 21. lib. 2. Od. 13. in fine, lib. 3. Od. 4. ſub finem, &c.

12. *Graia victorum manus.*] Ad Caphareum Eubœæ promontorium diſjecta claſſis Græcorum tempeſtatibus tantùm non tota periit, cùm reverterentur poſt expugnatam Trojam.

13. *Cùm Pallas uſto vertit iram ab Ilio.*] Offenſa primùm illa fuerat judicio Paridis, adeoque Trojanis infeſta: deinde Græcis etiam; tum quod Ulyſſes & Diomedes è ſuo templo Palladium rapuiſſent; tum ut canit Virgilius: Æneid. 1. v. 45.

Unius ob noxam & furias Ajacis Oïlei.

14. *Impiam Ajacis ratem.*] Impius certè Ajax Oïleus & ſacrilegus, qui Caſſandram ad ipſas Palladis aras violârat. Unde navis ejus diffracta; ipſe verò mox in ſaxum enatans fulmine pariter percuſſus.

18. *Averſum ad Jovem.*] Preces & vota minime audientem, ſcilicet improbo iratum.

19. *Ionius.*] Ionium mare inter Epirum ac Peloponneſum ab ortu, & magnam Græciam Siciliámque ab occaſu porrigitur.

21. *Opima quòd ſi præda.*] Quod ſi tuum cadaver in littore paſcat aves marinas, ſacra ſpondeo tempeſtatibus.

23. *Caper.*] Quia Mævius petulans & olens ut caper.

24. *Agna.*] Virgil. Æneid. 3. *nigram hyemi pecudem.* Æneid. 5. *tempeſtatibus agnam.*

Tempeſtatibus.] His quoque templum erat Romæ dedicatum olim à Scipione. Ov. Faſt. 6. v. 193.

Te quoque, tempeſtas, meritam delubra fatemur.

Cic. de Nat. Deor. 3. n. 51. aſſerit in Deorum numerum referendas eſſe tempeſtates, *quæ populi Romani ritibus conſecratæ ſunt . . . . noſtri quidem duces mare ingredientes immolare beſtias fluctibus conſueverunt.*

ODE XI.

Ad PETTIUM.

Amore ſe Lyciſci occupatum non poſſe verſibus condendis vocare.

PEtti, nihil me, ſicut antea, juvat [467]
Scribere verſiculos amore percuſſum gravi;
Amore, qui me, præter omnes, expetit
Mollibus in pueris, aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo deſtiti
Inachiâ furere, ſilvis honorem decutit.
Heu me! per urbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui! conviviorum et pœnitet, [468]
In queis amantem et languor et ſilentium
Arguit, et latere petitus imo ſpiritus!
Contráque lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium querebar, applorans tibi;
Simul calentis inverecundus Deus
Fervidiore mero arcana promôrat loco.

O *Petti, nequaquam placet ut prius, verſus facere, quia amore gravi occupor; amore, qui me præ cunctis incendere cupit erga teneros pueros vel puellas. Hic tertius December ſpoliat arbores foliis, ex quo deſii deperire Inachiam. Heu me, quanta fui fabula per urbem! (Nam pudet me tanti mali) pœnitet etiam conviviorum, in quibus amans declarat ſe languore, taciturnitate, & ſuſpiriis è profundo pectore deductis!* Tum verò *ſimul ac ardente vino incalueram, & numen pudore carens ſecreta* mea *dimoverat loco* ſuo: ego *flens apud te conquerebar,* quod *ſincera mens pauperis non prævaleret quæſtui.*

ANNOTATIONES.

Hanc Oden aliqui faciunt dicolon diſtrophon, cujus primus quiſque verſus ſit Iambicus Hipponacteus trimeter acalectus, ut Epod. 1. *Ibis Liburnis, &c.*

Secundus Sapphicus, conſtans penthemimeri heroicâ, & dimetro Iambico; id eſt, duobus dactylis, & ſyllabâ: deinde quatuor Iambis; recepto tamen imparibus locis ſpondæo.

Aliis placet, eſſe tricolon triſtrophon: ut primus quiſque verſus ſit Iambicus trimeter, ut antè dictum eſt. Alter quiſque Dactylicus dimeter, ut lib. 4. Od. 7. *Arboribúſque comæ.*

Tertius Iambicus dimeter, ut Epod. 1. *Amica propugnacula.*

1. *Petti, nihil me, &c.*] Apud Pettium ſive Pectium contubernalem ſuum queritur, quòd per amorem nunquam ſibi liceat interquieſcere, modò puellam modò puerum aliquem deperennti.

Nihil juvat Scribere verſiculos Amore percuſſum gravi.] Contra Propertius amore ſe ait incitari ad condendos verſus lib. 2. Eleg. 1.

Quæritis unde mihi toties ſcribantur amores?
Unde meus veniat mollis in ora liber?
Non mi Calliope, non hæc mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipſa puella facit.
Seu vidi ad frontem ſparſos errare capillos,
Invenio cauſas mille, poëta, novas, &c.

5. *Tertius December.*] Tertius itaque annus eſt.

8. *Fabula quanta fui.*] Quot rumores, quot ſermones vagati de me, ob Inachiæ amorem, imò furorem!

11. *Contraque lucrum, &c.*] Adverſus rivalium ditiorum munera opima nihil me poſſe ac proficere apud Inachiam avaram meretricem. Quidam legunt, *Contranè lucrum nil valere candidum Pauperis ingenium.*

Candidum pauperis ingenium.] Candidos mores, ingenii vim & acumen, ſapientiam, eruditionem, aliáſque animi dotes eximias.

13. *Simul calentis, &c.*] Quoties verò Bacchus, id eſt, vinum, me ebrium fecerat, atque adeò loquacem & inverecundum: toties *applorans tibi* nudabam mentis meæ vulnera, amoris tormenta & cruciatus.

Quod

Quòd ſi meis inæſtuet præcordiis
Libera bilis, ut hæc ingrata ventis dividat
Fomenta, vulnus nil malum levantia;
Deſinet imparibus certare ſummotus pudor.
Ubi hæc ſeverus te palam laudaveram, [469]
Juſſus abire domum, ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu, mihi poſtes, et heu
Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitie amor Lyciſci me tenet;
Unde expedire non amicorum queant
Libera conſilia, nec contumeliæ graves;

Addebam porrò: *Quod ſi libera indignatio cor meum inflammet, ut in auras diſſipet moleſta hæc pabula nequaquam ſublevantia dolorem improbum*; protinus *abjecta verecundia ceſſabit pugnare adverſus inæquales.* At *poſtquam iſta coram te graviter ſtatueram, accepto mandato diſcedendi in ædes* meas, *dubio greſſu ibam ad fores eheu mihi non propitias, & dura eheu veſtibula,* in *quibus rupi lumbos & latus. Jam me occupat amor Lyciſci gloriantis omnem fœminam ſuperare mollitiâ: Quo* me *exſolvere non poſſint ſincera amicorum monita vel objurgationes acerbæ*;

ANNOTATIONES.

15. *Quod ſi meis, &c.*] Ex contemptu ſui amoris oriebatur indignatio & ita adverſus Inachiam; & hinc comminatio ſe eam oblivioni daturum. Sed brevi redibat ad priorem erga illam ardorem; quo vel invitus ad eam ferebatur ac trahebatur.

16. *Ut hæc ingrata ventis dividat, &c.*] Ut procul expellat, & penitus ex animo excutiat ac deleat iſta amoris *fomenta* alimentáque, nempe ſuſpiria, ſilentium, lacrymas, querimonias, anxias animi ſecum luctationes; quæ omnia accendunt potiùs amorem & augent cruciatum, quàm levant aut ſedant.

18. *Deſinet imparibus certare ſummotus pudor.*] Alii aliter locum hunc intelligunt. Suum cuique ſit arbitrium expiſcandi ſenſus novos; ego ſic interpretor cum Pulmanno: non ampliùs Inachiæ procaci me ſummittam pudens nimiùm: ſed eam aſpernabor, definámque ſectari imparem, id eſt, amori meo non reſpondentem. Vel ſic: cum *imparibus*, id eſt, rivalibus me potentioribus certare deſinam, iiſque ſine pudore concedam mulierem lucri magis cupidam, quàm ſinceri & candidi ingenii amantem; adeoque indignam meis amoribus. Priori interpretationi favet quod ait Horatius lib. 1. Od. 33, Veneri placere interdum jungere *impares formas atque animos, &c.* lib. 4. Ode 11. v. 31.

Diſparem vites. Age, jam meorum
Finis amorum.

Denique Epod. 15. v. 14.

Et quæret iratus parem.

19. *Ubi hæc ſeverus, &c.*] Poſtquam ego conſtanter & magnificè apud te dixeram, me abjecturum occupationes ejuſmodi vanas & importunas; atque à te, Petti amice, *juſſus* eram abire domum, & propoſitâ quiete frui; contrà ſubitò redeunte & trahente amore Inachiæ, ad ejus ædes ferebar. Tibull. Lib. 2. Eleg. 6. v. 13.

Juravi quoties rediturum ad limina nunquam?
Cum benè juravi, pes tamen ipſe redit.

22 *Limina dura.*] Vel propter immitem dominam, vel potiùs quòd in iis jacens pernoctánſque lumbos & latus infregerat: ex more amantium, de quo fusè lib. 3. Od. 10. Ovid. Remed. Amor. 508.

Nec latus in duro limine pone tuum.

23. *Mulierculam vincere mollitiâ.*] Ludus eſt in voce *mulier*, quaſi *mollier* à mollitie dicta. Iſidor. lib. 11. cap. 11. Præclare Petrus Bleſenſis ſerm. 1. in Adven. Angelicam ſalutationem explicans: *ave benedicta inter mulieres*, inquit, *id eſt, ſola robuſta inter molles.*

26. *Libera conſilia.*] Amicè data, ſine ullâ adulatione, vel offenſionis metu.

26. *Contumeliæ graves.*] Jactata ſcommata ab amicis objicientibus mihi amorem probroſum. Alii explicant: injuriæ ab Lyciſco vel meretrice quâlibet irrogatæ; minùs ad rem, ut mihi quidem videtur.

Sed alius ardor aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri, longam renodantis comam.

ſed tantum *alius amor, ſive adoleſcentulæ ſpecioſæ, ſive rotunduli pueri prolixos capillos nodo colligentis.*

ANNOTATIONES.

27. *Sed alius ardor, &c.*] Cicer. Tuſcul. 4. n. 75. *Etiam novo quodam amore veterem amorem tanquam clavo clavum ejiciendum putant.* Ovid. Rem. Annot. 462.

Succeſſore novo tollitur omnis amor.

28. *Teretis.*] Habentis membra ſucci plena, ſolida, polita, obeſula.

28. *Longam renodantis comam.*] Catamiti illi ſeu pueri meritorii capillos inſtar mulierum alebant, & in nodum colligebant. Vide lib. 2. Ode 5. in fine. Et lib. 4. Od. 10.

ODE XII.

In ANUM FŒTIDAM.

QUID tibi vis, mulier nigris digniſſima barris ? [470]
Munera cur mihi, quídve tabellas
Mittis, nec firmo juveni, neque naris obeſæ ?
Namque ſagaciùs unus odoror,
Polypus, an gravis hirſutis cubet hircus in alis,
Quàm canis acer, ubi lateat ſus.
Qui ſudor vietis & quàm malus undique membris
Creſcit odor ! cùm pene ſoluto
Indomitam pròperat rabiem ſedare ; nec illi
Jam manet humida creta colórque

Quid petis, fæmina, atris barris digna? Quare dona, quare literas mittis mihi, nec valido adoleſcenti, nec hebetis naſi? Ego *quippe ſubtiliùs olfacio* utrum ſit tibi *polypus, an olens caper reſideat in axillis piloſis, quàm ſagax canis ubi aper deliteſcat.* At, at *quantus ſudor, & quam teter odor undique emanat è membris flaccidis!* * * * * * * * * * * *
neq; ei ſtat uda creta, & color

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Od. 7. lib. 1.

1. *Quid tibi vis?*] Vide annot. ad calcem Epod. 8.

Digniſſima barris.] Digna mulier amatoribus ſordidis ac deformibus, quales barri, ſeu bajuli ſole aduſti, ſtupidi, impoliti: vel ſimilibus elephantis, qui *odore graves, formâ truces, mole terribiles.* Vide lib. 1. Sat. 4. annot. ad iſtas voces: *Barrus inops.* Porro elephas dicitur barrus ob gravitatem, Græcè *βαρος*: nam inter quadrupedes mole præſtat: vel à voce *bar*, quæ peregrinum ſignificat: vel à voce *beira* quæ idem quod *behemoth* Hebraicè ſignificat, ſcilicet ingentem beſtiam.

3. *Naris obeſæ.*] Ex Ariſtot. Phyſiogn. c. 6. *Qui naſum habent in ſummo craſſum, ii ſtupidi ſunt.*

5. *Polypus.*] Eſt morbus narium fœtidus: ſive eſt caruncula in naſo putida, reſpirationem obſtruens, & tetrum emittens anhelitum.

Hircus in alis.] Fœtens humor in axillis, tam grave olens quàm hircus.

7. *Quis ſudor, &c.*] Loquitur Horatius: O quàm gravis odor, & fœtens ſudor exit è membris anûs putidæ ?

9, 10. *Nec illi Jam manet humida creta.*] Cum olenti ſudore defluit pariter fucus ille, quo faciem incruſtârat: quippe rugas cretâ ſeu gypſo obduxerat, obtexerat. Plin. lib. 35. cap. 16. *Eſt in medicaminibus & Chia terra candicans, uſus ad mulierum maximè cutem:* Idem, ibid. cap. ſeq. *Cretæ plura genera . . . candidum & ad purpuriſſum inlinans, vis utriſque ad diſcutiendos tumores . . . Refrigerandis quoque natura cretæ eſt: ſudoreſque immodicos ſiſtit illita, &c.* Petronius. c. 23. *Perfluebant per frontem ſudantis acaciæ rivi, & inter rugas malarum tantum erat cretæ, ut putares detectum parietem nimbo laborare.*

10, 11. *Colorque Stercore fucatus crocodili.*] E terreſtris crocodili fimo ceruſſa admixto fit medicamentum ad extenuandam cutim, nitidamque reddendam. Plin. lib. 28. cap. 8. *Alter* crocodilus (cordylum vocant) *ei ſimilis, multùm infra magnitudinem, in terrâ tantùm, odoratiſſimiſque floribus vivit. Ob id inteſtina ejus diligenter exquiruntur jucundo nidore farta.* Ejus ſtercus *crocodileam* appellant: quæ illita *ex oleo cyprino moleſtias in facie enaſcentes tollit: ex aqua verò morbos omnes, quorum natura ſerpit*

Stercore

fucatus ſimo crocodili * * *

* * * * * * *

* * * * * * *

* * * * * * *

* * * * * * *

* * * * * * *

* * * * * * *

Cui verò parabatur lana bis tincta purpuræ Tyriæ? Nimirùm tibi: ut nullus eſſet contubernalis inter ſocios, quem plus amaret ſua mulier, quàm *ego te. O ego minime fortunata, quam tu fugis non ſecus ac agna lupos, & capra leones validos expaveſcit!*

Stercore fucatus crocodili, jamq; ſubando [471]
  Tenta cubilia tectáque rumpit.
Vel mea cúm ſævis agitat faſtidia verbis;
  Inachia langues minùs ac me:
Inachiam ter nocte potes, mihi ſemper ad unum
  Mollis opus: pereat malè, quæ te,
Leſbia, quærenti taurum, monſtravit inertem;
  Cùm mihi Cous adeſſet Amyntas,
Cujus in indomito conſtantior inguine nervus,
  Quàm nova collibus arbor inhæret.
Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
  Cui properabantur? Tibi nempe;
Ne foret æquales inter conviva, magis quem
  Diligeret mulier ſua, quàm te.
O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acres
  Agna lupos, capreæque leones!

ANNOTATIONES.

in facie; nitoremque reddit: lentigines tollit ac vares, omneſque maculas. Clemens Alexandrin. Pædagog. lib. 3. cap. 2. Ex Antiphane Comico, ita refert: *Ter, non ſemel, dignæ ſunt perire, quæ crocodilorum excrementis utuntur, & ſpuma ſepiarum unguntur, & ſupercilia fuligine illinunt, & fuco genas terunt.*

21. *Muricibus Tyriis, &c.*] Tibi parabatur cum magnâ curâ, diligentiâ, celeritate, veſtis purpurea, bis tincta muricis piſciculi ſanguine, qui frequens & optimus in eâ maris Mediterranei parte, quæ proxima eſt Tyro urbi Phœniciæ. Unde Tyriæ purpuræ celebritas maxima De purpurâ dibaphâ, iteratâ, ſeu iterùm tinctâ, lib. 2. Od. 16. & 18. De Tyro urbe, lib. 3. Od. 29. in fine. Vide Plin. lib. 9. cap. 36.

ODE

ODE XIII.

Ad AMICOS.

Ut genio indulgeant, omni ſollicitudine poſthabitâ.

Horrida tempeſtas cœlum contraxit, et imbres [472]
Nivéſque deducunt Jovem:
Nunc mare, nunc ſilüæ
Threïcio Aquilone ſonant: rapiamus, amici,
Occaſionem de die:
Dúmque virent genua,
Et decet, obductâ ſolvatur fronte ſenectus. [473]
Tu vina Torquato move
Conſule preſſa meo.
Cætera mitte loqui: Deus hæc fortaſſe benignâ
Reducet in ſedem vice.

Alter nimbus obduxit cælum, & pluviæ niveſque demittunt Jovem: Jam mare & ſilvæ ſtrident borea Thracio: O ſodales, ne omittamus opportunitatem temporis: & quamdiu valent genua, dumque convenit, explicetur frons ſeniô contracta. Tu profer vina calcata ſub Conſule meo Torquato: omitte verba facere de aliis quibuslibet. Ea forſan Deus reſtituet in priſtinum ſtatum mutatione propitiâ. Jam ex-

ANNOTATIONES.

Quibuſdam hæc Ode eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt hexameter heroicus: alter quiſque eſt Archilochius, conſtans dimetro Iambicho, ac duobus dactylis cum unâ ſyllabâ.

Aliis, & meliùs quidem, eſt tricolos triſtrophos. Primus verſus eſt heroicus hexameter catalecticus, ut iſte, Ode 7. lib. 1.

Laudabunt alii claram Rhodon, &c.

Secundus eſt Iambicus Archilochius dimeter acatalecticus, ut Epod. 1.

Ante propugnacula.

Tertius eſt Dactylicus Archilochius dimeter hypercatalecticus, ut Ode 7. lib. 4.

Arboribuſque comæ.

1. *Horrida tempeſtas.*] Vel hyems, vel nimboſum cœlum, vel utrumque.

Cœlum contraxit.] Contractis & condenſatis nubibus cœlum obtexit & obſcuravit. Non deſunt qui allegoricè locutum velint Poëtam de neſcio quo civili tumultu, vel hoſtili incurſu, vel clade & calamitate quâpiam. Nonnihil ejuſmodi videtur innuere, ubi ait, v. 10.

Cætera mitte loqui: Deus hæc fortaſſe benignâ
Reducet in ſedem vice.

2. *Imbres Niveſque deducunt Jovem.*] Quoniam, ut alibi dixi, Jupiter eſt aër, hinc & in terram deſcendere ac deduci putabatur, cùm ſolvitur in pluvias aut nives decidentes. Virgil. Eclog. 7. 60.

Jupiter & læto deſcendet plurimus imbri.

3. *Silüæ.*] Diæreſis, per quam vox iſta fit trium ſyllabarum.

4. *Threïcio Aquilone.*] Flante à Thraciæ partibus Aquilone vento, qui eſt inter Septentrionem & ortum ſolſtitialem. North North-Eaſt. De eo jam lib. 1. Ode 25. v. 11.

5. *Occaſionem.*] Cic. de Inv. 1. n. 40. *Occaſio autem eſt pars temporis, habens in ſe alicujus rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem.*

De die.] De tali die pluvio, nimboſo, triſti ſumamus occaſionem compotandi. Alii meliùs fiet dum per diem ac tempus licet, dumque ſinunt ætas & vires, vitæ gaudia carpamus.

6. *Dumque virent genua.*] Theocrit. Idyl. 14. v. 69.

——— Ἕρπει
Ἀυτὸς ἐπὶ χρόνος. ποιεῖν τι δεῖ οἷς
γόνυ χλωρόν

——— *Serpit*
Canos faciens, tempus gerere aliquid oportet eos
quibus eſt genu viride.

Genu viret, i. e. juventus viget, ex Eraſmo, *Genibus ineſt vitalitas. Namque in ipsâ genu utriuſque commiſſurâ dextrâ lævâque, à priore parte gemina quædam buccarum inanitas ineſt, quâ per foſſa, ceu jugulo ſpiritus fugit,* Plin. l. 11. c. 45.

7. *Obductâ ſolvatur fronte ſenectus.*] Vel, pellatur recordatio ſenectutis, quæ rugoſâ & triſti fronte depingitur; vel potius, ſolvatur & porrigatur læta frons, quæ ſenili moroſitate contrahi ſolet atque obduci. Procul hinc à nobis ea ſeveritas ac triſtitia, quam affert ſenium.

8. *Vina Torquato, &c.*] Diffuſa in cados vina ſub Conſulatu L. Manlii Torquati, adeóque mihi coæva: nam eo anno prodii in lucem: proindéque *meum conſulem* eum appello. Vide l. 3. Ode 21. ubi.

O nata mecum Conſule Manlio Amphora.

10. *Cætera.*] Quæ mœrorem nobis creare poſſent, ex animo & memoriâ deleantur; ut hilaritati vacemus, *Deus hæc* mala *fortaſſe* in

dit ungi nardo Perſicô, & curas moleſtas ex animo pellere chordis Mercurii. Sic illuſtris Centaurus admonebat alumnum generoſum: Mi inſuperabilis fili, Deæ Thetidis, expectat te regio Aſſaraci, quam rigant fluvii, Scamander exiguus, & Simoïs rapidus; unde regreſſum tibi intercluſerunt Parcæ termino filo: neque parens marina te domum reducet. Ibi ergo quaſvis ærumnas mitiga per vinum & carmina, quæ duo ſunt grata remedia horridæ ægritudinis.

Nunc et Achæmeniâ
Perfundi nardo juvat, et fide Cylleneâ
Levare duris pectora
Sollicitudinibus:
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
Invicte mortalis, Deâ
Nate puer Thetide, [114]
Te manet Aſſaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina,
Lubricus et Simoïs:
Unde tibi reditum certo ſubtemine Parcæ
Rupêre; nec mater domum
Cœrula te revehet.
Illic omne malum vino cantûque levato,
Deformis ægrimoniæ
Dulcibus alloquiis.

ANNOTATIONES.

melius mutabit. Ex his, ut dixi initio, ſuſpicari licet, tunc, cum hanc Oden ſcriberet Poëta, interveniſſe quandam triſtitiæ cauſam, quæ certè nobis comperta non eſt.

12. *Achæmenia nardo.*] Unguento è Perſide, ubi regnavit Achæmenes. Vide l. 3. Ode 1. ſub finem, annot. ad has voces *Achæmenium coſtum*. Optimum fiebat unguentum è frutice ſeu herbâ cui nomen nardus, de quâ Dioſcorid. l. 1. c. 6, &c. Plin. l. 12. c. 12. ita ſcribit: *De folio nardi plura dici par eſt, ut principali in unguentis. Frutex eſt gravi & craſſa radice, pingui, ſitum redolente . . . . Apud Gangem naſcens, &c.* Vide l. 2. Ode 11. ibique annot.

13. *Fide Cylleneâ.*] Lyrâ, cujus auctor fertur Mercurius, à Cyllene Nymphâ ſuâ matre, vel à Cyllene Arcadiæ monte, ubi natus educatuſque eſt, dictus Cyllenius. Vide l. 1. Ode 10.

16. *Centaurus alumno.*] Chiron Achilli, quem educavit, docuitque citharam pulſare: meminit Juv. Sat. 7. v. 210. Centauri Theſſaliæ populi, de quibus l. 1. Ode 28. Inter eos verò quidam virtute celebres fuere. Præcipui nominantur Amycus, Rhœtus, Lycidas, Eurytus, Pholus, & alii; quorum facile Princeps Chiron, cui ob inſignem ſapientiæ famam traditi ſunt in diſciplinam Æſculapius, Hercules, Jaſon, Achilles.

17. *Invicte mortalis.*] Achilles ſolâ quidem eâ pedis parte vulnerabilis, quâ tenebat eum ſua mater in Stygiam paludem immergens, ut immortalem faceret. De Achille l. 1. Ode 6. 8, 15. l. 2. Ode 4. 16. l. 4. Ode 6. Vide ibi annot.

18. *Nate puer Thetide.*] Achilles Pelei filius ac Thetidis, Nymphæ ſeu Deæ marinæ, quæ proptereà mox vocabitur *Cœrula*.

19. *Te manet Aſſaraci, &c.*] Ibis in [illegible] ditionem Trojanam, quippe [illegible] Troja nunquam expugnari poteſt ex oraculo.

Aſſaraci tellus.] Phrygia Troas, ubi regnavit Aſſaracus Trois filius, Ili frater.

20. *Scamandri.*] Scamander aliàs Xanthus, ex Idâ monte, parvo fonte ſcaturit. Hinc epithetum *parvi*; quod [illegible], quoniam is fuerit ex fluviis, qui ab exercitu Xerxis poti defeciſſe narrantur.

21. *Simoïs.*] Hic fluvius Troadis in Scamandrum illabitur: uterque Homero Virgilioque alibique [illegible].

22. *Unde tibi reditum, &c.*] Achilli prædicit Chiron præmaturam apud Trojanos mortem: quod nôrat, ſeu ex Aſtrologiâ, cujus erat peritiſſimus; ſeu à Thetide, quæ apud Homerum Achilli filio fatum ipſius prænunciat. Ibidem verò deſcribitur ipſe ſe conſolans vino & cantu heroicarum virtutum. Quod inde Poëta noſter eſt imitatus hac Ode.

Subtemine.] Subtemen filum eſt, quod ſtamini ſubtexitur. Catull. Carm. de nuptiis Pelei ac Thetidis,

Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.

De Parcis fata nentibus, volventibus, diſpenſantibuſque annos vitæ mortalium, vide lib. 2. Ode 3.

26. *Deformis ægrimoniæ.*] Deformes reddit ægritudo animi. Ciceron. l. 12. ad Attic. Epiſt. 7. *Ferrem graviter, ſi novæ ægrimoniæ locus eſſet.*

27. *Dulcibus alloquiis.*] Vide, lector, ut has voces velut appoſitas ad præcedentia *vino cantûque* intelligas. *Alloquia* veteribus *ſolatia* & *levamina* dicebantur, Græc. [illegible]

Varro de Ling. Lat. lib. 5. circa medium, *Allocutum mulieres ire, aiunt, cum eunt ad aliquem locum conſulendi cauſâ.* Valer. Max. lib. 2. cap. 7. art. 6. *Incerta gratulandi priùs, an alloquendi officio fungeretur.* Sapient. cap. 8. art. 9. *Sapientia mecum communicabit de bonis: & erit allocutio cogitationis ac tædii mei.*

ODE XIV.

Ad MÆCENATEM.

Phrynes Amore ſe impediri, ne promiſſos Iambos abſolvat.

MOllis inertia cur tantam diffuderit imis [475]
Oblivionem ſenſibus,
Pocula Lethæos ut ſi ducentia ſomnos
Arente fauce traxerim;
Candide Mæcenas, occidis ſæpè rogando.
Deus, Deus nam me vetat,
Inceptos, olim promiſſum carmen, Iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arſiſſe Bathyllo [476]
Anacreonta Teïum,
Qui perſæpe cavâ teſtudine flevit amorem
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipſe miſer. Quòd ſi non pulcrior ignis

Optime Mæcenas, interficis me, quærendo ſæpius quare otioſa ignavia intimis præcordiis induxerit talem oblivionem, velut ſi gutture ſitibundo hauſerim aquas Lethæas ſoporem conciliantes. Enimverò Deus, Deus, inquam, *me prohibet incboatum carmen Iambicum jam pridem* tibi *promiſſum ad finem perducere. Simili modo narrant Bathylli Samii* amore *incenſum fuiſſe Anacreontem Teïum qui ſæpe lyrâ amores cecinit ad numerum facile. Ipſe verò* tu amore *cruciaris. Quod ſi non formoſior, ignis*

ANNOTATIONES.

Ode eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt heroicus hexameter: ſecundus eſt Iambicus dimeter.

1. *Mollis inertia cur, &c.*] Non deſidiâ ſed amore ſe detineri ait.

3. *Pocula Lethæos, &c.*] Metonymia ſubjecti pro adjuncto, ut alibi ſæpe. Senſus eſt, videor nempe tibi hauſiſſe majus poculum è Lethe fluvio inferorum, qui rerum omnium oblivionem induxerit: vel ſoporiferas quaſdam potiones bibiſſe; vel laborare veterno ſeu lethargiâ, adeò ut ſomno inexpugnabili correptus ſim.

6. *Deus.*] Amor magnus Deus & maximè imperioſus. Ex S. Hieron. lib. 2. adverſus Jovianum, *Amor rationis oblivio eſt, turbat conſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit; inſaniæ eſt proximus.* Plaut. Ciſtell. 2, 1, 5.

. . . . *ita nubilam mentem*
Animi habeo: ubi ſum, ibi non ſum: ubi non
ſum, ibi eſt animus.

Deus me vetat.] Vide perelegantem Paulini Epiſt. 1. ad Auſon. ubi

Nunc alia mentem vis agit, major Deus.

8. *Ad umbilicum adducere.*] Græci dicunt, Colophonem vel coronidem addere. Latini, ad umbilicum perducere; id eſt, ultimam manum admovere. Inde verò fluxit iſte loquendi modus, quòd ſolebant veteres abſolutis voluminibus addere ornamenta oſſea, cornea, eburnea, lignea, umbilici noſtri formam imitantia, in medio ſcilicet integumenti extantia. Eraſm. Illa Euſtathius bullas interpretatur. Martial. Epigr. 1, 67, 11. dicit librum *umbilicis cultum.* lib. 3. Epigr. 2. v. 9. *pictis luxuriantem umbilicis.* lib. 5. Epigram. 6. *umbilicis creſcentem.* lib. 4. Epigram. ult.

Oha jam ſatis eſt, ohe libelle;
Jam pervenimus uſque ad umbilicum.

9. *Samio.*] Oriundo è Samo inſulâ.

Bathyllo.] Puero, quem in deliciis habebat Anacreon, deſcribit verò ac pingit, Od. ſuâ 29.

10. *Anacreonta Teïum.*] Hic Poëta erat è Teo Ioniæ civitate littorali, vel à Teïo Paphlagoniæ urbe, in orâ maris Euxini: ut quidam volunt. Scripſit Hymnos, Elegias, Iambos, & alia quædam. Nonnulla verò intercidiſſe patet vel ex eo quod ait Horatius, *perſæpe* illum *fleviſſe amorem:* de Bathyllo enim duas tantum Odas habemus Anacreontis. De eo vide annot. lib. 4. Od. 9.

12. *Non elaboratum ad pedem.*] Sunt qui interpretentur verſus facili venâ effuſos: melius alii referunt ad neglectos numeros, pedumque non exactam rationem. Nec abſurdus in eo fuit Poëta plus amori indulgens & affectibus, quàm ſyllabarum dimenſioni.

13. *Ureris ipſe miſer.*] O Mæcenas; tuâ pro-

Accendit

cremavit Trojam oppugnatam, lætare de tuâ conditione. Nam urit me Phryne libertina uno amatore *minimè contenta.*

Accendit obſeſſam Ilion,
Gaude ſorte tuâ; me libertina, neque uno
Contenta, Phryne macerat.

ANNOTATIONES.

priâ experientiâ nôſti ſatis, quid amor poſſit; debes ergo mihi condonare.

Quòd ſi non pulchrior ignis.] Atqui Helena, quæ cauſa fuit excidii & incendii urbis Trojæ, non erat nobilior aut pulchrior eâ muliere quam tu deperis: (Terentia nempe, quæ & Licinia) unde tibi gratulor. Virg. Ecl. 3, 66.

Meus ignis Amyntas.

16. *Phryne.*] Hujus nominis apud Græcos plures fuêre meretrices. Una præ cæteris laudatur Athen. lib. 13. cap. 6. quæ multorum criminum quæ admiſerat rea tamen abſoluta eſt à Judicibus ejus pulchritudine ſingulari captis.

ODE XV.

Ad NEÆRAM.

Non ſervatam ab eâ fidem queritur.

Nox erat, & Luna micabat inter aſtra minora, ſudo æthere; quando tu violatura numen magnorum Deorum, in mea verba jurabas, mollibus brachiis complexa me ſtrictiùs quàm hedera altæ ilici adhæret; dum lupus inſidiaretur *ovibus, atque Orion nautis inimicus ſubverteret mare hyemale; & ventus moveret capillos Phœbi prolixos; hunc amorem fore parem. O Neæra, dolebis* aliquando *plurimùm meá virtute! Etenim ſi aliquid eſt roboris in Horatio,*

NOX erat, et cœlo fulgebat Luna ſereno [417]
Inter minora ſidera;
Cùm tu, magnorum numen læſura Deorum,
In verba jurabas mea,
Arctiùs atque hederâ procera aſtringitur ilex,
Lentis adherens brachiis:
Dum pecori lupus, & nautis infeſtus Orion
Turbaret hybernum mare,
Intonſóſque agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura meâ multùm virtute, Neæra! [418]
Nam, ſi quid in Flacco viri eſt,

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. anteced.

1. *Nox erat, &c.*] Noctem, Lunam, Sidera, teſtes adhibet perjurii Neæræ. Juven. Sat. 8. v. 150.

. . . *Sed Luna videt; ſed ſidera teſtes*
Intendunt oculos.———

2. *Inter minora ſidera.*] Sic lib. 1. Od 82.

. . . *Inter ignes.*
Luna minores.

3. *Magnorum Deorum*] Veneris & Cupidinis, aiunt quidam: meliùs alii, Jovis, Apollinis, Minervæ, Martis, Mercurii, aliorumque quos Æneas detulit in Italiam: ex Virg. Æneid. 3, 11.

. . . . *Feror exul in altum*
Cum ſociis, natoque, Penatibus, & magnis
Dis.

Vide Macrob. Saturnal. l. 3. cap. 4.

4. *In verba jurabas mea.*] Ego verba concipiebam juramenti, tibique dictabam: tu ſequebaris me verba præeuntem, & ſuggeſta repetebas.

7. *Orion.*] Sidus tempeſtates ciens. De eo lib. 1. Ode 28. v. 21. lib. 2. Ode 13. in fine, lib. 3. Ode 4. ſub finem.

9. *Intonſoſque, &c.*] Dum intonſus foret; id eſt, quamdiu radii à ſole non poterunt avelli: ex Macrob. Saturn. lib. 1. c. 17. Vide lib. 1. Ode 21. v. 2. annot.

10. *Fore hunc amorem mutuum.*] Ita ſolent amantes invicem conjurare; ſolus ſoli. Vide Plaut. Mercat. Act. 3. Sc. 1.

11. *O dolitura, &c.*] Exclamatio hæc omninò appoſitè ſubjungitur prædictis. Senſus eſt: O Neæra, pœnitebit aliquando iſtius perjurii, & offenſæ: nec dum ſatis virtutem meam & firmitudinem nôſti: ſed brevi ſenties & dolebis.

12. *Si quid viri.*] Herodot. lib. 7. ait, multos quidem eſſe homines, at viros paucos.

Non

Non feret aſſiduas potiori te dare noctes,
   Et quæret iratus parem;
Nec ſemel offenſæ cedet conſtantia formæ,
   Si certus intrârit dolor.
At tu quicunque es felicior, atque meo nunc
   Superbus incedis malo;
Sis pecore & multa dives tellure licebit,
   Tibíque Pactolus fluat;
Nec te Pythagoræ fallant arcana renati,
   Formâque vincas Nirea,
Eheu tranſlatos aliò mœrebis amores! [479]
   Aſt ego viciſſim riſero.

nequaquam patietur te noctes frequenter concedere alteri quem præfers; *atque irritatus quæret fidelem* amicam; *ſique verus dolor corripiat, mea firmitudo non vincetur tuâ pulchritudine ſemel invitâ. Tu verò quiſquis es* nunc *potior, ac meo detrimento jam exultas arrogans quamvis multis gregibus & agris ſis locuples, tibique fluat Pactolus, neque tibi lateant myſteria Pythagoræ redivivi, ac Nireum ſuperes oris ſpecie; Eheu* brevi *dolebis amores alteri datos! ego verò* tum *ridebo meâ vice.*

ANNOTATIONES.

13. *Potiori.*] Rivali meo, cui plura das, quàm mihi, amoris teſtimonia.

14. *Parem.*] Quæ reſpondeat amori meo.

15. *Semel offenſæ.*] Quæ ſemel offenderit me, vel cui ſemel offenſus fuero & iratus.

16. *Si certus intrârit dolor.*] Id vulgò referunt ad Horatium; non abſurdè quidam ad Neæram: hoc ſenſu; Tanta eſt iræ meæ conſtantia, inquit Flaccus, ut ſi tibi, Neæra, ſemel iraſcar, etſi te pœniteat me offendiſſe, teque verus dolor capiat, ac tum velis redire in gratiam mecum, haud tamen ego cedam aut veniam dem.

17. *Quicunque es felicior.*] Quicunque es meus rivalis, & potior apud Neæram, mihique proinde inſultas, quòd illa, me ſpreto, indulgeat atque obſequatur tibi.

19. *Sis pecore, &c.*] Quamvis opibus valeas, ſapientiâ inclareſcas, venuſtate conſpicuus fueris. Ubi tria vides affer gri amorem excitare ſolita. Sic Virg. Eclog. 2.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.
. . . .
Canto quæ ſolitus . . . Amphion,
. . . .
Nec ſum adeo informis, &c.

20. *Tibique Pactolus fluat.*] Licet te ditet Pactolus Lydiæ fluvius, per quem Crœſus rex olim dicitur auro abundâſſe. Is propterea, Chryſorrhoas etiam appellatus; hodiè *Sarbat*. Quinque in orbe flumina ramenta auri cum aquis & arenis volviſſe prædicantur; Tagus in Hiſpaniâ, Padus in Italiâ, Hebrus in Thraciâ, Pactolus in Aſiâ minori, Ganges in Indiâ. Plin. lib. 33. cap. 4.

21. *Nec te Pythagoræ, &c.*] Etſi fueris ſapiens ut Pythagoras. De eo Gell. lib. 1. cap. 9. Suidas; *quod non minùs verum diceret, quàm Apollo Pythius,* nomen ejus interpretatur. Philoſtratus, Deorum uſum conſuetudine affirmat, & ab eis accepiſſe quatenus hominibus delectentur, & quatenus eos averſentur, ex eoque de naturâ diſſeruiſſe. Porrò tanta fuit apud antiquos Pythagoræ veneratio, ut domum ejus, templi inſtar, ipſum verò tanquam numen, haberent.

Renati.] Scilicet ille ſapientiæ quaſi antiſtes, multa tamen deliravit de animarum in aliud & aliud corpus tranſmigratione: ac ſeipſum aiebat primum Oethalidem fuiſſe, deinde Euphorbum, denique Pythagoram. Vide lib. 1. Ode 28. v. 10. annot.

22. *Nirea.*] Nireus inter Græcos, qui ad Trojanam expeditionem profecti ſunt formoſiſſimus, uno excepto Achille. Homer. Iliad. 2. De illo jam lib. 3. Ode 20. in fine.

23. *Tranſlatos alio mœrebis amores.*] Tu quoque Neæræ levitatem & inconſtantiam experiere: tum verò tibi ego inſultabo viciſſim; & affatim gaudebo, ſicut tu modò gaudes malo meo, quod ab illâ contemnar. Ex Ariſtot. Rhet. 2. *Iram ſemper comitatur voluptas de ſpe puniendi. Nam jucundum eſt putare id eventurum, quod exoptamus.*

ODE XVI.

Ad ROMANOS.

Bellorum civilium finem nullum eſſe conqueritur.

Secunda jam ætas abſumitur bellis civilibus, & Romam propria diſperdit potentia. Quam labefactare nequiverunt Marſi vicini, vel Tuſcus exercitus ſuperbi Porſenæ; nec invida Capuæ vis; nec ferox Spartacus; atque Allobroges perfidi, rebus novis ſtudentes,

ALtera jam teritur bellis civilibus ætas;
Suis et ipſa Roma viribus ruit.
Quam neq; finitimi valuerunt perdere Marſi, [480]
Minacis aut Etruſca Porſenæ manus;
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Noviſque rebus infidelis Allobrox,

ANNOTATIONES.

Ode hæc eſt dicolos diſtrophos. Primus quiſque verſus eſt heroicus hexameter. Alter quiſque eſt Iambicus trimeter e puris Iambis: quod non alibi feciſſe Horatium reperies. Bene Scaliger: *Sexta decima*, inquit, *elaborata eſt alternis Iambis puris; idcirco, & factu difficilis, & emendata.*

1. *Altera jam, &c.*] Quàm variè & quàm irritis & caſſis ictibus hanc Oden petit Scaliger hic ſaltem pluſquam Hypercriticus! Tuam fidem tuum judicium, lector: an *duriſſima mul tis locis*, an *tota inepta*? Imò durum & ineptum cenſebis eſſe cavillatorem, quiſquis Poëtam emunctæ naris ita calumniatur. Ad ſingula veniamus.

Altera jam teritur bellis civilibus ætas.] Unum prope ſæculum conſumptum fuerat bellis civilibus Syllæ & Sulpitii; Octavii & Cinnæ Marii & Syllæ; Pompeii & Cæſaris; denique poſt interfectum Julium hunc Cæſarem, bello Mutinenſi, adverſus Marcum Antonium; Peruſino contra L. Antonium Marci fratrem; Siculenſi in Sextum Pompeium, præſertim verò Philippenſi, adverſus Brutum & Caſſium Auguſto dimicante. Huc uſque velut unam ætatem bellicis fragoribus attritam ſtatuit Horatius. Cùm verò exardeſceret novum Bellum Auguſtum inter atque Antonium & Cleopatram, de quo antea Epod. 1. & 9. & l. 1. Ode 37. tam diuturni mali pertæſus in has erumpit voces: Ergòne altera ætas pariter ut prior bellorum calamitatibus atteretur? Suis ipſa viribus Roma deſtruetur? Et quam hoſtes nulli diruere valuerunt, ipſi perdent ac peſſum dabunt Romani cives? Vide antea Epod. 7.

2. *Suis & ipſa Roma viribus ruit.*] Magnitudine laborat ſuâ, ut ait T. Livius. Et Propertius: 3, 13, 60.

Frangitur ipſa ſuis Roma ſuperba bonis,

3. *Marſi.*] Italiæ popu'i fuêre ſub Samnitibus juxta lacum Fucinum, hodie *Ducato di Marſi*: olim pugnaciſſimi, *de quibus nunquam triumphus viſus. Nec enim ſine Marſis, nec de Marſis hactenus triumphatum*, quod teſtatur Appian. bel. civil. lib. 1. Hi duce Popedio bellum Sociale moverunt primi, omneſque Italiæ nationes ad arma concitârunt. Suprà l. 3. Ode 14. ſtrophe 5. Oroſ. l. 5. c. 18. Flor. l. 3. c. 18. cum *omne Latium atque Picenum, Etruria omnis atque Campania, poſtremò Italia contra matrem ac parentem ſuam urbem conſurgerent, ... auctore belli diſcurſante Popedio, diverſa per populos & urbes ſigna cecinere. Nec Annibalis nec Pyrrhi fuit tanta vaſtatio.*

4. *Minacis aut Etruſca Porſenæ manus.*] *Porſena Rex Etruſcorum ingentibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat*, inquit L. Flor. l. 1. c. 10. *Non unquam aliàs antè tantus terror Senatum invaſit: adeò valida res tum Cluſina erat, magnumque Porſenæ nomen, &c.* quæ habet T. Livius l. 2. c. 9.

5. *Æmula nec virtus Capuæ.*] Æmula Romæ non Carthago tantùm, ut dictum eſt l. 3. Ode 5. ſed & Capua, urbs Campaniæ primaria. Hanc *pelago, cultuque, penuque potentem, deliciis, opibus, famaque*, ſcribit Auſonius; *alteram Romam* vocat ipſe Tullius Philip. 12. & alibi *ſuperbiæ domicilium*. Tum verò præſertim Capuenſes Italiæ imperium ſibi pollicebantur, cùm Romanas vires ab Annibale imminutas cernerent. Nam & eam ob rem ſecundo bello Punico à Romanis defecêre, & ſocietatem iniêre cum Annibale & Pœnis, *ut videretur jam deletum Romanum nomen*, inquit Livius l. 23. Vide & Flor. l. 2. c. 6. &c.

Spartacus acer.] Hujus tanta fuit audacia, ut *fuderit imbelles aquilas ſervilibus armis*, ita canit Claudianus de bell. Get. Vide l. 3. Ode 14. v. 19.

5. *Noviſque rebus infidelis Allobrox.*] Allobroges (qui ſunt hodie Sabaudi atque Delphinates) accolæ Rhodani fluvii populi rebus novis ſtuduêre ſemper, nemini fidem, nec ſuis quidem ducibus ſervire aſſueti; conjurationem Catilinæ

Nec

Nec fera cærulea domuit Germania pube, [481]
Parentibúſque abominatus Hannibal;
Impia perdemus devoti ſanguinis ætas:
Feríſque rurſus occupabitur ſolum. 10
Barbarus, heu, cineres inſiſtet victor, & urbem
Eques ſonante verberabit ungulâ.
Quæque carent ventis et ſolibus oſſa Quirini,
(Nefas videre) diſſipabit inſolens.
Forte, quid expediat, communiter, aut melior pars [482]
Malis carere quæritis laboribus? 16
Nulla ſit hac potior ſententia: (Phocæorum

nos vicit trux Germania juvenibus cæruleis; & Annibal parentibus execrabilis; ſcil. hanc *perdemus* ipſi nos *homines conſcelerati, quorum addictus eſt cruor: atque terra* hæc *a beſtiis iterùm tenebitur. Eheu victor barbarus ſtabit ſuper favillas urbis & equorum pedibus ſtrepentibus conculcabit. Et, quod horrendum viſu, oſſa Romuli ſolis ac venti expertia diſperget ſuperbus. Forte univerſi vel pars major interrogabitis quid utile ſit ad evitandas* tales *ærumnas? Nulla videatur ſententia melior* quàm

ANNOTATIONES.

Ciceroni tum Conſuli patefecêre, quamvis cum Lentulo priùs conſenſiſſent. Vide Cic. Catil. 3. Salluſt. bell. Catil. L. Flor. l. 3. c. 2. præſertim vero l. 4. c. 1. Quidam voluat ab Horatio hîc Gallos omnes ſignificari; nec abſurde.

7. *Cæruleâ Germania.*] Germanis *truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora.* Corn. Tacit. Non eſt dubium quin hîc notentur Cimbri, Teutoneſque, Italiam invadentes armis tam ſævis, ut pronunciârit de eo bello Florus, *actum erat niſi Marius illi ſæculo contigiſſet. Ille tamen non auſus congredi ſtatim . . . barbari verò non ſegnius quam minati fuerant, tripartito agmine, per Alpes, id eſt, clauſtra Italiæ ferebantur.* Nimirùm cùm terras eorum inundâſſet Oceanus, novas ſedes toto orbe quærebant, &c. quæ deſcribit Flor. l. 3. c. 3.

8. *Parentibuſq; abominatus Annibal.*] Ut l. 1. Ode 1. *Bella matribus deteſtata.* Sic & hoc loco *parentibus,* quorum filii periere tot bellis ab eo motis, *abominatus Annibal* dux Carthaginienſis exercitûs; vel una clade Cannenſi Romanis formidoloſus adeò, ut nihil magis Romæ quàm Annibal timeretur: unde proverb. *Annibal ad portas, ad* ſignificandum extremum quodvis periculum. Vide T. Liv. Valer. Max. l. 9 c. 4. Plutarch. Flor. &c. & quæ nos l. 2. Ode 12. annotavimus.

9. *Devoti ſanguinis ætas.*] Noſter enim ſanguis, ſacer, addictus, & deſtinatus videtur eſſe placandæ iræ Numinum: *Majorum delicta immeriti luemus:* quippe ut ait ſuprà Epod. 7, 17.

. . . . acerba fata Romanos agunt,
Sceluſque fraternæ necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Vide ibi annotationem.

10. *Feriſq; rurſus occupabitur ſolum.*] Dirutâ urbe, antiqua ibi erit ſolitudo, virgulta & ſilvæ naſcentur in quibus, ut olim, ſtabulentur & paſcantur feræ. Virg. Æn. 8. v. 348. *Capitolia,* inquit,

Aurea nunc, olim ſilveſtribus horrida dumis.

Et antea ibidem, v. 314.

Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant.

11. *Barbarus victor.*] Barbaris populis quibuslibet Roma cedit in direptionem, prædam & ludibrium. Sunt qui velint hæc ab Horatio dici, quòd in exercitibus Auguſti atque Antonii militarent barbari complures in ſubſidium vocati.

13. *Quæque carent ventis, &c.*] Oſſa Romuli ſepulchro condita, adeòque nec vento commota nec ſole aduſta extrahet *victor inſolens,* & *diſſipabit* impiè. Erat opinio quorundam, raptum in cœlos Romulum eſſe: alii verò cum Varrone aſſerebant ſepultum Romæ poſt Roſtra, vel in ſuo templo.

17. *Nulla ſit hæc potior ſententia.*] Excandeſcit Scaliger ad hunc modum, exclamatque: *Quis paululum modò pudens auſit hortari trecenta millia civium Romanorum ad urbem deſerendam?* Ohe vir ſalſiſſime, *Pictoribus atque Poëtis Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.* Porrò quid abſurdum cives Romanos in eas inſulas ab Horatio vocari, ad quas concupivit divertere Julius ipſe Cæſar, earum amœnitate illectus? in quas demigrandi etiam fuit Sertorio maximum deſiderium. Teſtis Plutarchus in Sertorii vitâ, ubi & egregiè deſcribit earum inſularum felicitatem. Vide infrà.

Phocæorum velut profugit execrata civitas.] Phocæi Ioniæ populi ab Harpago Cyri Regis præfecto obſidione preſſi non aliam invenere viam & rationem vitandæ hoſtium ſævitiæ ac ſervitutis, quàm ut cederent fortioribus, deſertâque urbe ſuâ, alias ſedes quærerent. Hæc narrat Herodot. l. 1. ſect. 42. Inde veniſſe in Galliam, & Maſſiliam urbem condidiſſe aiunt. Vide Strab. l. 4. Juſtin. l. 43.

hinc: oportet abire quocunque ferent pedes, quocunq; per mare impellet Auſter vel Africus vehemens: quemadmodum Phocæorum urbs poſt execrationes abſceſſit, ſuas domos agroſq; & templa dimittens occupanda apris & lupis voracibus. Ita cenſeo. Habetne quiſpiam melius aliquid *proferre? Quid tardamus navim conſcendere fauſtis avibus? At priùs jurejurando nos obſtringamus, in hæc* verba: *ne reverti liceat, niſi cùm emergent lapides aquis profundis elati: neve diſpliceat vela facere verſus patriam, quando Padus rigabit verticem Matini* montis, *aut altus Apenninus in mare proruet; atque amor prodigioſus inſolitâ libidine copulabit feras, adeò ut tigrides cupiant jungi cervis, & columba milvio; atque greges ſine metu credant ſe leonibus fulvis, glaberque* fiat *caper, & gaudeat mari ſalſo.*

Velut profugit execrata civitas,
Agros atque Lares proprios, habitandáque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis)
Ire pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic placet? An melius quis habet ſuadere? Secundâ
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed juremus in hæc; ſimul imis ſaxa renârint
Vadis levata, ne redire ſit nefas:
Neu converſa domum pigeat dare lintea, quando [483]
Padus Matina laverit cacumina;
In mare ſeu celſus procurrerit Apenninus,
Novâque monſtra junxerit libidine
Mirus amor; juvet ut tigres ſubſidere cervis,
Adulteretur et columba milüo;
Credula nec flavos timeant armenta leones;
Amétque ſalſa lævis hircus æquora.

ANNOTATIONES.

18. *Execrata civitas.*] Execrationes ante diſceſſum jaculati Phocæi in regionem quam deſerebant. Vel potiùs, ut refert Herodot. modo cit. communi conſilio mutuis execrationibus diriſque devotionibus ſeſe aſtrinxerunt jurantes nunquam alios, ab aliis diſceſſuros, aut patriam Phocæam repetituros.

22. *Notus, Africus.*] De his ventis meridionalibus, l. 1. Ode 1. & 3. *quocunque vocabit*, ſive in Cyrnum inſulam, ſive Rhegium, ſive in Galliæ oras. In eas enim regiones migraturus Notus & Africus venti utiles erant.

25. *Sed juremus in hæc, &c.*] Antequam hinc demigremus, nos oportet ſolemni ſacrimento obligari, non redituros in patriam, nec alios ab aliis disjungendos.

Simul imis ſaxa renârint Vadis levata.] Ex Herodoto cit. Poſt execrationes, Phocenſes in mare demerſerunt ſaxum ingens, ſeu candens ferrum ut alii contendunt; & juramento confirmant non priùs de repetendâ Phocæâ cogitaturos, quàm maſſa illa ſive ferrea, ſive ſaxea emergeret, & ſuper aquas nataret. Ad hunc jurandi ritum pertnet, quod Helvetii demigraturi moenia ſua incenderint, quod *ſacramentum* eſſet, *ne redirent*. Teſte L. Floro.

27. *Quando Padus Matina laverit cacumina.*] Adunaton multiplex aggregat & accumulat hîc Horatius ſtylo juveniliter laſcivientе: quod ſi reprehendiſſet Jul. Scaliger, ex judicii legibus feciſſet. Hoc certè notare debuerat potiùs, quàm tricari circa *cæruleam Germaniam*, velut durum epithetum; circa vocem *carent*, quaſi antique nimis uſurpatam: *perprimet* velut fœtentem. Senſus hujus loci eſt: tum ne pigeat Romam redire, quando Padus fluvius Matinum montem ſupergredietur, ejus cacumen aſcendens ac decurrens.

28. *Padus.*] Qui & Eridanus Italiæ maximus fluvius ex Alpibus ſcaturit in limite Galliæ, rigat Pedemontium, Mediolanenſem, Placentinam, Mantuanam, Ferrarienſem, aliaſque regiones; denique in mare Adriaticum illabitur. Galliam Ciſalpinam diviſit olim in Ciſpadanam & Tranſpadanam.

Matina.] Saltus & mons Matinus erat in Apuliæ Lucaniæq; confinio. De eo jam L. 1. Ode 28. v. 3.

29. *In mare ſeu celſus procurrerit Apenninus.*] Sive cùm mari ſubmergetur Apenninus mons altiſſimus, Italiam ſecans longo & continuo tractu & jugo ab Alpibus maritimis ad Brutios & Salentinos.

30. *Novaq; monſtra, &c.*] Monſtrum ſane foret, ſi cervi ſuâ naturâ timidi jungantur tigribus feritate horribilibus, Plin. l. 8. ſi columba itèm manſueta copuletur milvio inter accipitres rapacitate & magnitudine præcipuo, Plin. l. 10. c. 10.

33. *Credula nec flavos, &c.*] Cùm greges & armenta ſponte ſe offerent leonibus devoranda, amiſſâ naturali ab his fugâ & metu.

34. *Ametq; ſalſa lævis hircus æquora.*] Quando hircus habebit duo naturæ & indoli ſuæ

Hæc,

Hæc, et quæ poterunt reditus abſcindere dulces, [484]
Eamus omnis execrata civitas, 36
Aut pars indocili melior grege: mollis et exſpes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus eſt virtus, muliebrem tollite luctum,
Hetruſca præter et volate littora. 40
Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
Petamus arva, divites & inſulas;
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret uſque vinea;

Poſteaquam *iſta & quæcunque valebant tollere ſpem gratam remigrandi adjuravimus, proficiſcamur omnes, aut pars melior plebe indocili.* Pars autem *iners & ſpe carens occupet ſemper hæc domicilia inauſpicata. Vos præditi virtute, fœmineo abſtinete ejulatu, & properate ultra Thuſcum littus. Nos expectat Oceanus circumfluens. Eamus in terram felicem & inſulas beatas, ubi ſolum incultum fert meſſem annis ſingulis, & vitis non reciſa nihilominus floreſcit:*

ANNOTATIONES.

contraria; primùm ut ſetis ac pilis carens fiat levis; alterum ut aquas frequentet & innatare amet: quandoquidem amat potiùs montes & arduos ſaltus, eſtque hirſutus valdè ac piloſus. Audite verò Scaligerum: *Ubi,* inquit, *reperit hircum, quem hic poneret abhorrentem a mari? nam nullum eſt animalium, quod magis amet ſal. Quare non aut ſimiam aut felem dixit potius, quibus beſtiis nulla pejus odit aquas?* Mirari certè libet gravis alioqui viri tantam hîc levitatem. Verùm & mox profert aliquid multò magis abſurdum, ſuoque prorſus ingenio indignum. Legit enim paulò poſt: *Aut pars indocili melior grege; mollis.* Et neſcio quid de apibus comminiſcitur, quod ne cogitavit quidem Horatius. Ergone dormitaſſe bonum Homerum dicemus, an Hypercriticam bilem ita inflammatam, ut mentem alias bonam malitioſâ & parvâ caligine aſperſerit, vel atro quodam humore depravârit?

37. *Pars indocili melior grege.*] Civium pars ſapientior ſaniórque adeóque melior plebe indocili. Nam hæc abripitur animi quolibet pravo & perverſo impetu: illa autem rectâ ducitur ratione.

Mollis & exſpes Inominata, &c.] Permaneat hîc, ſi volet, vulgus ignavum, eâque generoſâ ſpe carens, quam viri magnanimi concipiunt, cùm ad grandia quædam ſuſcipienda accenduntur. Alludit Poëta ad id quod refert Herodotus ante citatus, Phocæorum partem dimidiam patrii ſolii captam dulcedine, in Phocæam violato juramento remigrâſſe: at alios jurejurando ſatisfacientes Cyrnum ſeu Corſicam rectâ navigâſſe, ibique communiter per quinque annos cum prioribus colonis habitâſſe, *&c.*

39. *Muliebrem tollite luctum.*] Ne mulierum more lugete amiſſam patriam ſedeſque aſſuetas: imò tanquam viri tollite animos ad meliora quærenda; ac mementote, *ibi eſſe patriam ubicunque benè:* vel, totum orbem terrarum viro forti patriam exiſtimari.

40. *Hetruſca præter & volate littora.*] Quam primùm ultra maria nota contendite, ac Tyrrheno præternavigato, feſtinate ad felices inſulas in Oceano poſitas.

41. *Circumvagus.*] Vel circumfuſus orbi univerſo, vel inſulis fortunatis. Vide l. 4. Od. 8. ſub. finem.

43. *Reddit ubi Cererem, &c.*] Beatas inſulas deſcribit Horatius miro artificio imitatus Virgilium Georgic. 2. v. 140. & ſeq. Italiæ laudes perſequentem.

Sed gravidæ fruges, & Bacchi Maſſicus humor
Implevêre: tenent oleæque, armentaque læta.
. . . .
Hic ver aſſiduum, atq; alienis menſibus æſtas.
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos, &c.

Plutarchus in Sertorio, de Atlanticis inſulis, quas vocant Beatas, ita ſcribit. *Duæ ſunt parvo mari diviſæ inter ſe; decem millibus ſtadiorum diſtant à Libyâ. Imbres illic rari mediocreſque, venti ſuaves plurimum ac roriferi: ſolum pingue, nec arari modò plantarive facile; ſed etiam ex ſe ſine ullâ humanâ induſtriâ & labore, fructum produci . . aër ſincerus ac temperatus, &c. ut etiam apud Barbaros increbuerit fides, Elyſios ibi eſſe campos, & beatorum domicilia ab Homero decantata. Hæc igitur cùm audiſſet Sertorius, mirabilis eum cupido cepit eas inſulas adeundi incolendique & illic quietè vivendi ſine magiſtratuum atque bellorum curis. At Cilices pacis & quietis impatientes, rapinarumque avidi, Sertorii animum fruſtrati ſunt, & in Libyam ſtatim navigârunt.*

44. *Imputata floret uſque vinea.*] Vitis etſi non putata, floret tamen & fructum affert. Non. Marc. *Putare dicitur purgare, rarefacere,* inquit affertque illud è 2 Georg. *ſingitque putando.* Aul. Gell. l. 6. c. 5. ſic ſcribit; *Putare veteres dixêre, vacantia ex quaque re ac non neceſſaria, aut etiam obſtantia & aliena auferre & excidere: & quod eſſe utile & ſine vitio videretur, relinquere. Sic arbores & vites, ſic & rationes putari dictæ.* Originem deducit Feſtus à voce *putum,* quæ idem quod *purum* ſignificet.

Germinat

atque ramus oleæ nunquam non germinat & fructum producit, & ficus matura propriam arborem exornat: mel fluit è cavatâ quercu: aqua leniter obmurmurans dimanat è montium cacumine. Ibi capræ ſponte veniunt ad mulctram, & grex benignus reportat plena ubera: non urſus veſperè fremit circum caules: nec terra viperarum latebris *aſſurgit aut fit tumida. Plura verò beati cum admiratione* videbimus *ut* quòd *Eurus nimboſus agros non infeſtet nimiis pluviis, neque ſemina optima urantur, vel areſcant glebæ; quippe cœlitum rex utrobique temperiem dat. Illuc non acceſſit navis remigibus Argois; nec obſcœna Colchis greſſum intulit. Eò non appulerunt Sidonii, vel ærumnoſi comites Ulyſſis. Ibi nulla gregem lues infeſtat, nec adurit æſtus vehementior ullius ſideris.*

Germinat et nunquam fallentis termes olivæ, [illegible]
Suámque pulla ficus ornat arborem;
Mella cavâ manant ex ilice; montibus altis
Levis crepante lympha deſilit pede.
Illic injuſſæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refertque tenta grex amicus ubera:
Nec veſpertinus circumgemit urſus ovile,
Nec intumeſcit alta viperis humus:
Pluráque felices mirabimur; ut neque largis [436]
Aquoſus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec ſiccis urantur ſemina glebis;
Utrumque rege temperante cœlitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem:
Non huc Sidonii torſerunt cornua nautæ,
Laborioſa nec cohors Ulyſſeï.
Nulla nocent pecori contagia, nullius aſtri
Gregem æſtuoſa torret impotentia.

ANNOTATIONES.

45. *Termes.*] A terminandis agris dictus termes: eratque ramus ex arbore direptus, habens folia in ſummitate; reliquis ferme excuſſis; quem in diviſione agrorum figebant, priuſquam metæ ponerentur. Feſtus.

Nunquam fallentis olivæ.] Sic l. 3. Od. 1. *fundum mendacem* vocat, qui fructum non afferens ſpem agricolæ fruſtretur.

46. *Suamque pulla ficus ornat arborem.*] Ficus gignitur è ſurculo naturali & non inſito.

48. *Levis crepante lympha deſilit pede.*] Cum leni murmure decurrit. Alludit Poëta ad Nympham Deam fontis præſidem, eleganter quidem: at in vellicando peritiſſimus Scaliger, *Epitheton*, levis, inquit, *non convenit; deſilit enim quia gravis.* Sic & paulò ante: *Quid vinea quæ ſemper floret? puto enim nullum unquam fructum laturam.* O meras nugas! ſanè dices, lector æquiſſime.

49. *Ad mulctra.*] Mulctrum, mulctrale, & mulctra, -æ, dicitur vas in quo recipitur lac quod mulgetur.

52. *Nec intumeſcit alta viperis humus.*] Nullæ ibi venenatæ ſerpentes. Ibi terra non tumet foraminibus & cavernis viperarum. Propriè: nam terrâ condunt ſe viperæ: aliæ autem ſerpentes ſaxorum aut arborum cavis. Virg. Georg. 2. 151. Italiam ſic laudat:

At rabidæ tigres abſunt . . . . .
Nec rapit immenſos orbes per humum, neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.

De *viperis* quædam annotavi l. 2. Od. 8. De *Euro* l. 1. Od. 28.

Radat.] Devaſtet abradendo & auferendo ſegetes.

56. *Utrumque rege temperante cœlitum.*] Jove omnia temperante, hyemem juxta ac æſtatem, frigus, & calorem.

57. *Non huc Argoo, &c.*] Terram hanc non adierunt Argonautæ velleris aurei prædatores: nec Medea Jaſonis amoribus, patriſque & patriæ proditione, totque veneficiis famoſa. De *Colchide* l. 2. Od. 13. De Argonautis, deque Medeâ regis Colchorum filiâ, Epod. 5. Virg. Georg. 2. 140. ita canit:

Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Invertere, ſatis immanis dentibus hydri:
Nec galeis denſiſque virum ſeges horruit haſtis.

59. *Non huc Sidonii, &c.*] Eò non appulere Sidonii, Phœniciæ maritimam oram urbemque incolentes, navigatione & mercatura celeberrimi: ac proinde non intulerunt illuc fraudes & avaritiam, familiaria negotiatoribus vitia.

Torſerunt cornua.] Virg. Æn. 3. v. 549.
Cornua velatarum obvertimus antennarum.

60. *Nec cohors Ulyſſeï.*] Neque illuc corruptelam invexerunt homines libidinoſi, ſuiſque cupiditatibus obnoxii, quales erant Ulyſſis comites, de quibus l. 1. Epiſt. 2. v. 24.

Laborioſa.] Ob longos per maria errores & labores. Epod. ſeq. v. 16.
Laborioſi remiges Ulyſſei.

Jupiter

Jupiter illa pio ſecrevit littora genti,
Ut inquinavit ære tempus aureum:
Ære, dehinc ferro duravit ſæcula: quorum
Piis ſecunda vate me datur fuga.

Scilicet Jupiter eas inſulas reſervavit piis hominibus, ex quo ætatem auream ære fœdavit, ac deinde ferro ſæcula induravit. Iſtorum malorum fuga proſpera bonis conceditur, me vaticinium edente.

ANNOTATIONES.

64. *Ut inquinavit, &c.*] Ex quo Jupiter aureum ſæculum mutavit in deterius, ſcilicet æreum, ac deinde ferreum. Ovid. Metamorphoſ. 1. cap. 3. &c.

66. *Vate me*] Non temerè, ſed numinum inſtinctu, ſic vobis ſuadeo ego Phœbi & *Muſarum ſacerdos* ac myſtes.

ODE XVII.
Ad CANIDIAM.

Veniam ab eâ petit ironicè; & hoc graviùs illam accuſat.

JAM jam efficaci do manus ſcientiæ; [487]
Supplex et oro regna per Proſerpinæ,
Per et Dianæ non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa cœlo devocare ſidera.
Canidia, parce vocibus tandem ſacris, [488]
Citumque retro ſolve, ſolve turbinem.

Jam cedo potenti ſcientiæ; veniam peto, & oro per regna Proſerpinæ, & per numen Dianæ minimè laceſſendum, & per codices incantationum vim habentium deducendi in terram aſtra cœlo abſtracta. O Canidia, tandem abſtine verbis exécrantibus: quam primùm converte retrorſum, con-

ANNOTATIONES.

Carmen monocolon ex Iambicis verſibus ſenariis.

1. *Jam jam efficaci, &c.*] Læſerat Canidiam Horatius, ac laceraverat Iambis, qui quidem ad nos uſque non pervenerunt. Hoc verò carmine dum fingit illam exorare, acerbius vellicat & inſectatur. *Non eſt palinodia, ut ſcripſêre; ſed ſimulata recantatio, in qua apparent opprobria manifeſta:* Scaliger Hypercritic. Porrò ſi vis, lector, hoc carmen ſeu Epod. ult. intelligere, evolve priùs attentè Epod. 5. ac deinde Sat. 8. lib. 1. cum annotationibus: tum demum non ſine voluptate hanc Oden capies.

Efficaci do manus ſcientiæ.] Efficaciam agnoſco ſcientiæ magicæ, cujus vanitatem antè deriſeram. Vide Plin. l. 30. c. 1. alibi: *Fraudulentiſſima haec artium in toto terrarum orbe plurimùm valuit . . . ſola tres artes alias imperioſiſſimas humanæ mentis complexa. . . . Natam primùm è medicinæ ſpecie ſalutari . . . . blandiſſimis promiſſis vires religionis addidit, atque adulſcens artes Mathematicas; nemine non avida futura de ſe ſciendi, eaque è cœlo peti credente. Ita poſſeſſis hominum ſenſibus triplici vinculo, in tantum adolevit, ut hodièque etiam in magnâ parte gentium prævaleat, & in Oriente regum regibus imperet, &c.* Vide Cœl. Rhodig. l. 9. c. 23.

2. *Regna per Proſerpinæ.*] Per Deas tibi maxime venerandas; per Proſerpinam Inferorum Deam; Dianam ſeu Lunam veneficiis præſidentem.

3. *Dianæ non movenda numina.*] Illa quippe *iracunda*, ut eſt in epiſt. ad Piſones & ad ſe ulciſcendam parata, patet exemplis Orionis, Actæonis, Niobes ejuſque filiorum, l. 1. Ode 12, & 21. l. 3. Ode 22. Item ſuprà Epod. 5. huc pertinet quod lunatici vocantur, quos illa percuſſerit, dementeſque fecerit.

4. *Libros carminum, &c.*] Libros continentes diſciplinam magicam. Plin. loco modo cit. *orta ſine dubio in Perſide à Zoroaſtre ut inter auctores convenit. . . Hermippus de eâ ante ſcripſit diligentiſſimè, &c. . . . Democritus illuſtravit. . . . Eſt & alia magices factio à Moſe, & Jamne, &c.* Hic unus è magis Pharaonis.

5. *Cœlo devocare ſidera.*] Vide Epod. 5.

6. *Parce vocibus ſacris.*] Deſine uti in me incantationibus. Jam enim me victum fateor.

7. *Retrò ſolve, ſolve turbinem.*] Legunt alii, *volve.* Senſus eſt: in contrariam partem verte rhombum magicum, ut mens mea à te impulſa, jam ſolvatur ac libera fiat. Is turbo ſeu trochus æneus, ferreus, ligneuſve erat.

Movit

vente rhombum. Telephus exoravit nepotem Nerei, contra quam Myſorum exercitum ſuperbus inſtruxerat, & ſagittas acutas vibrârat, Trojanæ matronæ ſepeliêrunt Hectorem bellicoſum feris volucribus & canibus damnatum, poſtquam rex urbe diſcedens advolvit ſe pedibus Achillis, eheu inexorabilis. Remiges Ulyſſis laboribus exerciti ſetoſos artus exuerunt duris pellibus, concedente Circe: ac *tum reſtituta* ſunt *ratio, ſermo, & priſtinus faciei decor. Abunde & pluſculum à te ſum punitus, ó dilecta valde nautis & negotiatoribus.* En *juvenilis abiit vigor, & color purpureus deſeruit oſſa cooperta cute tabidâ.*

Movit nepotem Telephus Nereïum,
In quem ſuperbus ordinârat agmina
Myſorum, et in quem tela acuta torſerat.
Unxêre matres Iliæ addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
Poſtquam, relictis mœnibus, rex procidit
(Heu!) pervicacis ad pedes Achilleï.
Setoſa duris exuêre pellibus [489]
Laborioſi remiges Ulyſſeï,
Volente Circe, membra: tunc mens et ſonus
Relatus, atque notus in vultus honor.
Dedi ſatis ſupérque pœnarum tibi,
Amata nautis multùm & inſtitoribus.
Fugit juventas; & verecundus color
Reliquit oſſa pelle amicta luridâ,

ANNOTATIONES.

Illum ad arbitrium agitabant mari, rati á ſe pariter hominis cujuſlibet animum flecti quocumque vellent. Sic apud Theocrit. Eidyl. 2. Pharmaceutria, *ut æneus iſte rhombus*, inquit, *volvitur, ope Veneris, ita ille vir ad noſtras fores vertatur.* Martial. lib. 9. Epigr. 30.

Quæ nunc Theſſalico Lunam deducere rhombo,
Quæ ſciet? &c.

Meminit & Lucretius.

Traxerunt torti magicâ vertigine fili.

Et Propertius, 3, 6, 26.

Staminea rhombi ducitur ille rotâ.

8. *Movit nepotem, &c.*] Exemplis oſtendit pervicaciſſimos exorari a ſupplicantibus.

Nepotem Nereïum.] Achillem filium Thetidis filiæ Nerei.

Telephus.] Rex ille Myſorum Græcos ad expeditionem Trojanam euntes prohibere voluit aditu ac tranſitu regni ſui. Itaque ad arma & manus ventum eſt. Ab Achille verò graviter vulneratus medelam non inveniebat; donec oraculum conſuluit; reſponſumque tulit, inde petendum remedium, unde vulnus acceperat. Ergo ad Achillem ſe contulit, & ab eò ſanatus eſt ſeu haſtæ cuſpidis limatura, ſeu herbâ quâdam ab Achille inventâ. Plin. l. 25. c. 5. *Invenit Achilles diſcipulus Chironis, quâ vulneribus mederetur, quæ ob id Achilleos vocatur. Hâc ſanaſſe Telephum dicitur. Alii primùm æruginem inveniſſe, utiliſſimum emplaſtris, ideoque pingitur ex cuſpide decutiens eam gladio in vulnera Telephi. Alii utroque uſum medicamento volunt.*

11. *Unxêre matres Iliæ, &c.*] Alii legunt, *luxere*; eodem propè ſenſu: id eſt, quamvis interfectum Hectorem canibus & accipitribus dare inſepultum Achilles ſtatuiſſet: Priamo tamen ſupplicanti indulſit, conceſſitque illius cadaver, quod quidem matronæ Trojanæ ex more unxerunt ſepeliêrunt, luxerunt, ac ſupremis honoribus decoraverunt.

12. *Homicidam Hectorem.*] Qui multos homines in bello occiderat. Epithet. Homer. ἀνδροφόνοιο, vel ἀνδροφόνος. Iliad.

13. *Poſtquam relictis mœnibus rex procidit, &c.*] Cùm digreſſus Trojâ Priamus ad Achillem ſupplex cum magnis muneribus acceſſit, impetravitque ab eo, ut filii ſui Hectoris condonaret ſibi cadaver terræ mandandum. Vide lib. 1. Od. 10. v. 14. ibique annot.

15. *Setoſa duris, &c.*] Ulyſſis comites in porcos transformârat Circe per veneficia: at Ulyſſis precibus exorata in priſtinam formam illos reſtituit. Itaque exuerunt pelles ſetoſas, ac reſumpſerunt humanum ſtatum, vultum, ſermonem, rationis uſum, Homer. Odyſſ. 10. Virg. Eclog. 8. & Æn. 3. Ovid. Metam. 14. S. Chryſoſt. ait *maleficam Circem ita brutis voluptatibus ineſcaſſe Ulyſſis comites, ut ſi fuiſſent porci.* Vide lib. 1. Epiſt. 2. v. 23. ibique annot.

17. *Circe.*] Hæc filia Solis ac Perſes Nymphæ veneficiis inclyta, herbarum peritiſſima, *Diis etiam aſcripta*, ex Plin. l. 25. c. 2.

20. *Amata nautis, &c.*] Adeóque vile ſcortum, ſordidis hominibus expoſitum, & obviis quibuſcunque.

21. *Fugit juventas, &c.*] En per tuas vexationes amiſi juvenile robur ac decus.

Verecundus color.] Ingenuis proprius rubor verecundiæ index. Cato dicebat, *placere ſibi juvenes, qui moniti erubeſcerent, non qui palleſcerent.* Scaliger hallucinatur turpiter, ita ſcribens: *ruborem juvenilem in venefica minus prudenter appellat verecundum.* Imò de ſeipſo loquitur Horatius, nequaquam de Canidiâ, ut probat contextus.

Tuis

Tuis capillus albus eſt odoribus,
Nullum à labore me reclinat otium:
Urget diem nox, & dies noctem: neque eſt 25
Levare tenta ſpiritu præcordia.
Ergo negatum vinçor ut credam miſer,
Sabella pectus increpare carmina,
Capútque Marſâ diſſilire næniâ.
Quid amplius vis? O mare, & terra, ardeo [490]
Quantum neque atro delibutus Hercules 31
Neſſi cruore, nec Sicanâ fervida
Furens in Ætnâ flamma: tu, donec cinis
Injurioſis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis. 35
Quæ finis? Aut quod me manet ſtipendium?
Effare: juſſas cum fide pœnas luam;
Paratus expiare, ſeu popoſceris
Centum juvencos, ſive mendaci lyrâ
Voles ſonari. Tu pudica, tu proba 40
Perambulabis aſtra ſidus aureum.
Infamis Helenæ Caſtor offenſus vice,
Fratérque magni Caſtoris, victi prece,
Adempta vati reddidêre lumina.
Et tu (potes nam) ſolve me dementiâ, [491]
O nec paternis obſoleta ſordibus, 46
Nec in ſepulchris pauperum prudens anus

Crines mei per tua *pharmaceni ſunt* facti: *nulla me quies relaxat a pœnis: Nox premit diem, & dies noctem: neque licet recreare præcordia reſpiratione impeditâ. Itaque miſer cogor credere quod negaram,* nempe *Sabellis incantationibus mentem dimoveri, & Marſorum carminibus caput diſrumpi. Quid ultra petis? O mare, ac terra, flagro pluſquam Hercules inunctus putrido Neſſi ſanguine,* & pluſquam *Siculus ignis in ardente Ætna ferviens. Ergóne tu fervebis officina venenorum Colchicorum, donec ego ſicca favilla abripiar ventis injuriam facientibus? Quis terminus? vel quæ mulcta expectat me* denique? *Loquere: fideliter exolvam pœnas quaſcunque imperaveris; expeditus ad ſatisfaciendum, ſive petieris centum juvencos; ſeu volueris mendaci lyra à* me *decantari. Tu caſta, tu bona inter ſidera fulgebis aſtrum inſigne. Caſtor & magnus Caſtoris frater ob Helenæ infamiâ notatæ contumeliam irati ademerant Poëtæ viſum,* quem *ei reſtituerunt exorati precibus. Tu quoque (nam potes) inſaniam depelle à me. O nec turpis ex ignobilitate majorum; nec vetula ſciens diſpergere cineres novendiales in ſepulchris.*

ANNOTATIONES.

23. *Tuis capillus, &c.*] Ante tempus ſenex factus ſum per tua veneficia.

28. *Sabella pectus, &c.*] Sabelli ſive Samnites artis magicæ & incantationum periti. Plin. l. 3. c. 12. *Samnitium, quos Sabellos dixêre.*

29. *Marsâ næniâ.*] De *Marſis* veneficiorum magiſtris dixi in Epod. 5. De *nænia*, l. 2. Od. 1. in fine. Hîc verò næniam uſurpat Horat. pro incantatione.

31. *Delibutus Hercules Neſſi cruore.*] Vide Epod. 3. ſub finem, ibique annot.

32. *Sicana fervida furens Ætna flamma.*] Quidam legunt *virens*, aliqui *Urens*. De *Ætna* Siciliæ monte, *mont Gibel*, ejuſque incendiis ſane prodigioſis, Juſt. l. 4. Gell. l. 17. c. 10. Virgil. Geor. 1. v. 472. Æn. 3. v. 555, 570, & alibi. Lucret. l. 6. fusè. Plin. l. 2. c. 103. *Ætna in tantum flagrat, ut ad quinquagena & centena millia paſſuum arenas eructet et flammarum globos.*

33. *Tu, donec cinis, &c.*] Donec ego in cinerem redactus fuero, non defines me incendere, & Colchicis ignibus me urere.

35. *Cales venenis officina Colchicis.*] Parandis venenis ferves, ut Medea illa quondam inſignis in Colchide venefica. Vide lib. 2. Od. 13. & ſuprà Epod. 3 & 5.

36. *Quod me manet ſtipendium?*] Quid tandem perſolvendum eſt à me tibi, ad placandum tuum animum? profectò ſolvam.

39. *Centum juvencos.*] Hecatomben, non ſecus ac Proſerpinæ vel Plutoni, lib. 2. Od. 14.

Sive mendaci lyrâ, &c.] Sive jubeas ut mentiens te laudem quaſi probam, pudicam, innoxiam, benignam, &c.

42. *Infamis Helenæ, &c.*] Steſichorus Poëta (de quo lib. 4. Od. 9.) maledicis verſibus ignominiam intulerat Helenæ, eamque infamem exhibuerat. At Caſtor & Pollux Helenæ fratres (de quibus l. 1. Od. 3.) eam ulti, injurioſo vati oculos ademerunt. Viſum tamen ei reddiderunt veniam poſtulanti, & palinodiam ſeu carmen alterum ad Helenæ laudem canenti.

46. *Paternis obſoleta ſordibus.*] Sive ex adulterio nata, ſive è vili & ignobili ſtirpe propagata.

47. *In ſepulchris pauperum, &c.*] Divitum ſe-

Novendiales

pauperum! Tibi cor benignum; & manus innoxiæ; uterusque tuus partui aptus; atque obſtetrix lavit pannos tuo ſanguine rubros, quoties exurgis puerpera minimè debilis.

Novendiales diſſipare pulveres!
Tibi hoſpitale pectus, et puræ manus;
Tuïſque venter partumeius, et tuo
Cruore rubros obſtetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exilis puerpera.

ANNOTATIONES.

pulchris cuſtodes adhibebantur adverſus magos & veneficos. Virg. Æneid. 11, 200.

. . . . *Semiuſtaque ſervant buſta.*

Illi verò pauperum cineres eruebant ac diſſipabant ſua veneficia peracturi.

48. *Novendiales.*] Sepulturæ jam datos, Servius ad Virg. Æn. 5. v. 64. *Apud majores* inquit, *ubicunque aliquis extinctus fuiſſet, ad domum ſuam referebatur; ibique ſeptem erat diebus: octavo die incendebatur; nono ſepeliebatur. Unde Horatius.*

Naviendales diſſipare pulveres.

Vide l. 1. Sat. 8.

49. *Puræ manus.*] Quæ nemini vim aut necem intulerint. Vide contraria his omnia, tum in Epod. 5. tum in Sat. 8. lib. 1.

50. *Partumeius.*] Fœcundus; vel propriè, pariens quaſi meiat ſine labore aut doloribus. Vox ad ludibrium, per quam exprobrat Canidiæ fictos partus, unde & *puerperam* mox vocat *fortem*, id eſt, minimè debilitatam. Quamobrem verò fœtus à ſe editos mentirentur veneficæ, dixi in Epod. 5. nimirùm alienos infantes ſurreptos alebant, quibus ad ſua veneficia uterentur crudeliter enectis. Valeant qui legunt *Paſtumeius*, & comminiſcuntur Canidiæ filium hunc fuiſſe ita nominatum, vel quaſi ex pacto datum. Commentum, inquam, id habetor. Sed Bentl. aliter cenſet.

Tuo cruore rubros.] Quaſi reverà pepereris. leoniem ſalſiſſimam, ſingulæ voces olent.

ODE XVIII.

CANIDIÆ RESPONSIO.

Quorſum vota facis ad aures clauſas? Mare hyemale tumidis fluctibus haud verberat ſcopulos ſurdiores erga nautas nudos. Scilicet *impunè tu deriſeris Cotytia* myſteria *revelata, amori libero conſecrata? Et* tanquam *pontifex Eſquilini*

QUID obſeratis auribus fundis preces? [49²]
Non ſaxa nudis ſurdiora navitis
Neptunus alto tundit hybernus ſalo.
Inultus ut tu riſeris Cotyttia
Vulgata, ſacrum liberi Cupidinis?
Et Eſquilini pontifex venefici

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. anteced.

1. *Quid obſeratis.*] Canidiam reſpondentem ſibi Horatius facit, novo ludibrio.

2. *Non ſaxa nudis, &c.*] Saxa non ſurdiora ſunt clamoribus naufragorum ac nautarum rebus omnibus jam perditis egentium, quando hyemalibus ventis ac tempeſtatibus ſubvertitur mare, & ſcopulos fluctibus tundit. Sicut, inquam, naufragi opem fruſtrà tunc à rupibus implorant, ſic tu à me modò.

Nudis.] Scaliger *nudos in hyeme nautas* ab Horatio poni, reprehendit; ſed perperam. Quippe denudatos bonis omnibus in naufragio, & vitam duntaxat incolumem petentes rectè Poëta exhibet.

3. *Salo.*] Σαλεύειν, *agitare*, item *fluitare*, σάλος, *agitatio*, *mare*, &c.

4. *Tu riſeris Cotyttia Vulgata.*] Pleræque membranæ habent *Cocytia*, id eſt, infernalia à Cocyto inferorum fluvio, quâ voce veneficia belle ſignificantur. Quod verò additur, *ſacrum liberi Cupidinis*, movit Angelum Politianum, ut corruptum hunc locum putaret, adeóque reſtituendum; primuſque legendum cenſuerit, *Cotyttia*, id eſt, flagitioſa ſacra, promiſcuâ libidine turpia, Bacchi Orgiis ſimilia, quæ à veneficis celebrantur. Cotytto Dea ſpurcitiæ & impudentiæ ab Athenienſibus, Corinthiis, Thracibus, aliiſque colebatur nocturnis ſacris omni libidinum genere infamibus, meminit Juvenalis Sat. 2. v. 92.

5. *Vulgata.*] A te cum ludibrio divulgata: vel quæ ego piè tibi patefaci, tu impiè deriſiſti: nempe Epod. 5. & Sat. 8. lib. 1.

6. *Et Eſquilini pontifex venefici, &c.*] Quaſi ſummus arbiter, ſacerdos, ac cenſor, jus habens cognoſcendi & judicandi de rebus omnibus ad religionem pertinentibus, adeóque de ſacris illis ac veneficiis, quæ fiunt à me extra portam Eſquilinam, vel in Eſquiliis, de quibus Epod. 5. in fine.

Eſquilini.] Quia ſepulchretum illic erat, hinc locus erat ad veneficia idoneus, nimirùm oſſibus

Impunè

Impunè ut urbem nomine impleris meo? [493]
Quid proderit ditâſſe Pelignas anus,
Velociúſve miſcuiſſe toxicum,
Si tardiora fata te votis manent?
Ingrata miſero vita ducenda eſt, in hoc,
Novis ut uſque ſuppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus ſemper dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti;
Optat ſupremo collocare Siſyphus
In monte ſaxum: ſed vetant leges Jovis.
Voles modò altis deſilire turribus, [494]
Modò enſe pectus Norico recludere;
Fruſtráque vincla gutturi innectes tuo,
Faſtidioſâ triſtis ægrimoniâ.

incantamenti impleveris civitatem meo nomine? Quid juvabit locupletaſſe vetulas Pelignas, aut violentius venenum paraſſe, ſi tibi mors accidit lentior, quàm cupio? Atqui *vita miſera infortunato protrahenda eſt* tibi *ad hoc tantùm, ut diutiùs novas ærumnas perpetiare. Tantalus Pelopis infidelis pater ſemper carens expetito cibo, requiem deſiderat: poſcit* etiam *Prometheus vulturi addictus. Siſyphus* pariter *cupit reponere lapidem in montis vertice. At non ſinit edictum Jovis.* Sic *& tu cupies jam te dare præcipitem à celſis turribus; jam pectus confodere gladio Norico: quin etiam ægritudine tædioſâ mæſtus collum tuum inſeres laqueo, ſed fruſtrà.*

ANNOTATIONES.

vel cineribus mortuorum legendi, vel evocandis animabus, &c. Vid. ſuper. carm. ad finem.

Pontifex.] Ex Dionyſ. Halicarn. lib. 2. *Pontifices ſunt rerum maximarum domini. Etenim dijudicant ſacras omnes cauſas; privatiſque & magiſtratibus & miniſtris Deorum ſtatuunt, quæcunque ſunt ſacrorum non ſcripta atque incognita . . . Sacerdotes etiam omnes recenſent, eorumque famulos ac miniſtros, quibus utuntur ad ſacra, obſervant: ne quis peccet in ſacris legibus . . . Et ſi quos animadvertunt peccantes mulctant, ad unumquodque negotium reſpicientes.* Hinc Plaut. Rud. 5, 3, 21.

Libet jurare: tun' meo Pontifex perjurio es?

7. *Impunè ut urbem nomine impleris meo?*] Poſtquam ego te participiem feci veneficiorum, & ſacrorum in Eſquiliis à me peractorum patiar ut ea derideas, divulges, meque plebis fabulam & ludibrium facias? Abſit: impunè haud feres: dabis pœnas.

8. *Quid proderit ditâſſe Pelignas anus!*] Hoc alii referunt ad Horatium, alii ad Canidiam. Prior erit ſenſus, ut Canidia dicat Horatio: Nihil tibi proderunt aliarum veneficarum incantamenta, quibus te adverſus mea tueri voluiſti, conductis pretio Pelignis mulieribus. Poſteriori ſenſu, ipſa Canidiſa de ſe ait: Ergone fruſtrà in opem vocarim Pelignas anus, quibus mercedem erogavi? vel, quid proderit mihi Pelignas docuiſſe artem meam, qua ditantur paſſim; ſi ego ipſa non præſto, quod in te melior?

Pelignas.] Peligni populi Marſis & Samnitibus vicini, ac perinde veneficorum periti.

9. *Velociuſve miſcuiſſe toxicum.*] Hoc pariter aliâ & aliâ ratione poteſt accipi. Vel Canidia dicit Horatio: Fruſtrà eſt, quod venenum tibi miſcuiſti velocius, ad fugienda, per mortem citam, quæ tibi mala & tormenta infero: nam vives, & vives ad ærumnas quaſlibet exantlandas, ita me volente. Vel ipſa ait, Quid prodeſt mihi præſentiſſimum venenum parare poſſe, cùm libet, ſi tu vivis? Atqui placet ut vivas, ut longiùs ac diutiùs diſcruciem.

13. *Pelopis infidus pater.*] Tantalus in Deos perfidus, quorum nempe arcana impiè revelavit. Alii legunt, *infidi.* Pelops enim adverſus Oenomaum, deinde Myrtilum infidelis extitit. Vide l. 1. Od. 28. l. 2. Od. 13, & 18. & poſteà Sat. 1. lib. 1.

15. *Prometheus.*] De eo l. 1. Od. 3, & 16. l. 2. Od. 13, &c.

16, *Siſyphus.*] Hunc mortalium aſtutiſſimum vocat Homerus. Theognis, *Si quis plura nôrit quàm Siſyphus.* Cic. Tuſc. 1. n. 98. *Tentarem Siſyphi prudentiam.* Eſt & Proverb. *Siſyphi artes.* De eo jam l. 2. Od. 14. v. 20.

Optat collocare In monte ſaxum.] Cic. Tuſc. l. 1. c. 18. *Mento ſummam aquam attingens ſiti enectus Tantalus . . . . Siſyphus verſat ſaxum ſudans nitendo, neque proficit hilum.*

17. *Sed vetant leges Jovis.*] Ergo quietem optatam, vetante Jove, minime nanciſcentur illi quamvis callidiſſimi, Tantalus, Prometheus, Siſyphus: ita, me obſtante, nec tu, qui auſus es mea ſacra deridere, tuamque ſuperbiam venditare.

18. *Voles modò*] Sæpiùs mortem quæras nec invenies, quamdiu vetabo, inquit Canidia.

19. *Norico.*] E ferro exquiſito de Noricis fodinis, lib. 1. Od. v. 9.

Vectabor

Ego verò tum infenſis humeris inequitabo: orbiſque vincetur audaciâ meâ. Numquid enimverò ego *quæ valeo commovere cereas effigies, quemadmodum ipſe curioſus obſervaſti; quæque meis incantationibus devoco Lunam è cœlo; & combuſtis cadaveribus vitiam reddere valeo, atque amatorias potiones conficere;* nimirùm *defleam* vanum *exitum artis adverſum ſe inefficacis?*

Vectabor humeris tunc ego inimicis eques;
Meæque terra cedet inſolentiæ.
An quæ movere cereas imagines,
Ut ipſe nôſti curioſus, & polo
Deripere Lunam vocibus poſſum meis,
Poſſum crematos excitare mortuos,
Deſiderîque temperare pocula;
Plorem artis in te nil valentis exitum?

ANNOTATIONES.

22. *Vectabor humeris, &c.*] Tibi inſultabo, te ſubactum & calcatum premam.

23. *Meæque terra cedet inſolentiæ.*] Inſolentem meam poteſtatem univerſi verebuntur.

24. *Movere cereas imagines.*] Ex arte magicâ. De his jam dixi in Epod. 5. at plura dicam ad Sat. 8. lib. 1. Vide ibi annot.

25. *Ut ipſe nôſti curioſus.*] Quippe adfuiſti, teque admiſi ad noſtra myſteria. Epod. 5. Sat. 8. lib. 1.

26. *Polò deripere Lunam.*] Vide Epod. 5. v. 46. ibique annot.

27. *Crematos excitare mortuos.*] Redacta etiam in cineres cadavera ſuſcitare, animas evocare ab inferis, &c. Virgil. Eclog. 8. 98.

. . . *Sæpe animas imis excire ſepulchris.*

Tibull. 1, 2, 47.

Hæc cantu finditque ſolum, maneſque ſepulchris
Elicit, & tepido devocat oſſa rogo.

Lib. 1. Reg. cap. 28. mulier Pythonem habens ſuſcitat animam Samuelis, jubente Saule rege. Vide Sat. 8. lib. 1.

28. *Deſiderîque temperare poculum.*] Ad philtrum Hippomanes adhibebatur; contrà ad odii poculum, fel diverſorum animalium. Origen. lib. 7. contra Celſum: *Dæmones invocant ad philtrum vel miſetra.*

29. *Plorem artis in te nil habentis exitum?*) Tuetur hanc lectionem Theod. Marcilius. *Nihil habentis* ἰσχύειν, Atticè valere & poſſe ſignificat, inquit. Joan. cap. 25. ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδὲν, *in me non habet quidquam.*

Alii legunt, *nil agentis:* alii *valentis:* alii verò *plorem artis* (ſupple, *causâ,* inquiunt) *nullum habentis exitum:* vel, *nil habentis exitus;* afferuntque illud Virgilii, Æn. 11. v. 126.

Juſtitiæne prius mirer, bellîne laborum?

Et ibidem, v. 280.

. . . . *lætorve malorum.*

Ubi certè intelligitur ἰσχύει, *causâ.*

Q. HORATII FLACCI
CARMEN SÆCULARE.

Pro Imperii Romani Incolumitate.

PHœbe, ſilvarúmque potens Diana,
Lucidum cœli decus, ô colendi

O Apollo, & Diana ſilvarum domina, illuſtre cœli ornamentum; O ſemper bo-

ANNOTATIONES.

Carmen ſeculare.] Ex Jul. Scalig. lib. Poët 6. Horatii *Carmen ſæculare doctum, plenum, terſum, laboratum, felix.* Anno ab urbe condita 736. quintos Auguſtus ſeculares ludos celebraturus, Carmen hocce in iis ex more canendum, ab Horatio ſcribi juſſit. Horatius huic operam ſedulò impendit, imò tam feliciter, vel ſuo ipſius judicio, ut & ſibi applaudere, & choros nobiles illud decantaturos ad exequendum diligenter ſacrum munus anteà exhortari non veritus ſit. Duplici Ode hæc præſtat, nimirùm vigeſimâ primâ libri primi & ſextâ libri quarti; quam vulgus utramque ſeculare Carmen nihilominùs huc uſque nuncupavit, ſed perperàm. Nam in priori monet duntaxat pueros ac virgines, ut ritè canant Apollinis ac Dianæ laudes: in poſteriori verò de ſe ipſe & magnificè quidem loquitur Poëta. Quæ planè eſſe contra rationem hymni, in quo laudari tantùm Deos atque invocari decet, nemo negaverit.

Porrò quæ ad ludos ſeculares attinent, paucula ſaltem hic aſcribere non pigebit. Hi centeſimo decimo quoque anno peragi ſolebant, in campo Martio, per tres dies continuos atque noctes. Primo quidem Princeps civitatis in Capitolium aſcendebat cum quindecim viris iſtarum ceremoniarum procuratoribus, ibique ſacra fiebant. Tum in Theatris omnibus edebantur ludi. Deinde Junoni ſupplicabant matronæ. Poſtremò in æde Palatinâ ter novem pueri nobiliſſimi, totidemque virgines Patriciæ, in ternos utrinque choros diviſi, Græcâ Latinâque voce Apollini Dianæque hymnum decantabant, quem vocârunt ſeculare Carmen, in quo mala quæque deprecari, bona depoſcere, moris erat. Quæ quidem omnia ſi obſervarentur, incolumitatem Imperio, & proſperitatem æter. nam Sibylla ſuis carminibus ſpoponderat. Quapropter curandorum iſtorum cauſâ Duumviri primùm à Tarquinio Superbo, poſteà Decemviri, denique Sylla Dictatore Quindecimviri creati ſunt. Ludos ſæculares inſtitutos à Numâ Pompilio alii ſcribunt, alii à Valerio Poplicolâ, alii verius longè poſt exactos reges. Neque ſcriptores conſentiunt de tempore quo celebrati fuerunt. Sunt enim qui velint poſt centum annos: alii poſt centum ac decem. Conſtat anticipatum aliquando tempus. Cornel. Tacit. Annal. 11, 11. *Iiſdem Conſulibus ludi ſæculares octingentiſſimo poſt Romam conditam anno, quarto & ſexageſimo quam Auguſtus ediderat, ſpectati ſunt. . . Domitianus quoque edidit ludos ſæculares: iiſque intentiùs affui ſacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum Prætor. Quod non jactantiâ refero: ſed quia collegio Quindecimvirûm antiquitùs ea cura, & magiſtratus potiſſimum exequebantur officia ceremoniarum.* Sueton. Claud. c. 21. *Fecit & ſæculares ludos quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſervatos: quamvis ipſe in hiſtoriis ſuis prodat, intermiſſos eòs Auguſtum multò poſt, diligentiſſimè annorum ratione ſubductâ, in ordinem redegiſſe. Quare vox præconis irriſa eſt.* (obſerva, lector, ritum ſolemnem) *invitantis more ſolemni ad ludos quos nec ſpectâſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet: cum ſupereſſent adhuc qui ſpectaverant, & quidam hiſtrionum producti olim, tunc quoque producerentur.* Idem Domitian. c. 4. *Fecit & ludos ſæculares, computatâ ratione temporum ab anno, non quo Claudius proximè, ſed quo olim Auguſtus ediderat.* Vide Dion. l. 54. Cenſorin. c. 5. de die natali

norandi & honorati, concedite quæ rogamus diebus ſolemnibus iſtis: in *quibus carmina Sibyllæ jubent puellas eximias & pueros caſtos hymnum decantare numinibus, à quibus proteguntur ſeptem colles. Sol* omnia *conſervans, qui ſplendido curru lucem producis & auſers, diverſuſque & idem oriris,* utinam *nihil queas aſpicere excellentius civitate Romanâ. O Ilithyia benignè procurans tempeſtivos partus*

Semper et culti, date quæ precamur
Tempore ſacro:
Quo Sibyllini monuêre verſus [496]
6 Virgines lectas puerósque caſtos
Diis, quibus ſeptem placuere colles, [497]
Dicere carmen.
Alme ſol, curru nitido diem qui
Promis & celas, aliúſque & idem
Naſceris; poſſis nihil urbe Româ
Viſere majus.
Ritè maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matrés,—

ANNOTATIONES.

Val. Maxim. l. 2. c. 4. Alex. ab Alex. l. 6. c. 19. præ cæteris autem Onuph. Panvin. nec non Sibyl. carm. ab. Opſopœeo edita. Zoſim. l. 2. hiſtor. ubi ſic etiam ſcribit: *Eodem ſacrificio ad tempus neglecto, cum rurſus adverſi caſus accidiſſent, Octav. Auguſtus ludos renovavit, factos antèà, L. Cenſorino & Manlio Publio Coſſ.*

1. *Phœbe, ſilvarumque potens Diana.*] Dii quidem omnes in ludis ſecularibus coli debebant: præcipuè verò invocabantur iſti tanquam ἀλεξίκακοι & averrunci malorum: tum quod annum Sol, menſes Luna, regat. Teſtatur Zoſim. cit. ibidemque numina ſacris illis ſolemnibus placanda recenſentur, Jupiter, Juno, Latona, Apollo, Diana, Parcæ, Ceres, Pluto, Proſerpina.

2. *Lucidum cœli decus.*] Apollinem pariter & Dianam, ſeu Solem ac Lunam ita compellat.

3. *Colendi ſemper & culti.*] Hi quippe ab omni ævo Romanis religiosè culti, velut Romani conditores Imperii. Unde poſteà *Roma ſi veſtrum eſt opus, &c.*

4. *Tempore ſacro.*] Hiſce diebus feſtis ſecularibus, quibus ſacra fiebant in omnibus fanis, ac populus univerſus religioni intentus erat.

5. *Sybillini monuere verſus, &c.*] Ritus, ut dixi jam, ſecularium ſacrorum Sibyllæ carminibus præſcriptus erat. Apud. Zoſim, cit. ità canit illa,

Μεμνῆσθαι Ῥωμαῖε, καὶ εἰ μάλα λήσεαι αὐτῶν,
Μεμνῆσθαι τάδε πάντα· θεοῖς μὲν ἀθανάτοισι
Ῥέζειν ἐν πεδίῳ παρὰ Θύβριδος ἄπλετον ὕδωρ,
&c.

De Sibyllis ac Sibyllinis verſibus fusè diſſerui ad Juvenal. Sat. 3. init. At prodière nuper eruditiſſimæ de his lucubrationes Petri Petiti Philoſophi & Doctoris Medici Pariſienſis, Lipſiæ editæ ann. 1686. in quibus egregiè aſſerit unicam Sibyllam extitiſſe Erythræam; quæ cum diutiſſime vixerit, & per varias orbis regiones ſit peregrinata, atque in ſingulis commorata & vaticinata, plurium Sibyllarum opinionem vulgo fecerit.

6. *Virgines lectas pueroſque.*] Bene vocat *lectas* & eximias. Nam præterquam quòd illi debebant eſſe in primis nobiles etiam, jubebantur eſſe patrimi omnes & matrimi, id eſt, parentem utrumque habere viventem. Quorſum verò? Quoniam Apollinis ac Dianæ laudibus ritè canendis placandiſque numinibus parum idonei videbantur ii pueri, quorum parentibus Dii illi velut irati vitam ademiſſent. Nimirùm ea veteribus inſederat opinio, quotquot mortalium interirent, Apollinis aut Dianæ telis perimi. Zoſim. cit. Tit. Liv. l. 37, &c. Vide & l. 1. Od. 21. l. 4. Od. 6.

7. *Diis, quibus ſeptem placuere colles.*] Dii tutelares, præſides, cuſtodes urbis ac gentis Romanæ ipſorum auſpiciis conditæ. Romam in ſeptem collibus ædificatam eſſe nôrunt omnes; ſive ejus pomœrio colles ſeptem contineri; nempe Aventinum, Eſquilinum, Capitolinum, Cœlium, Palatinum, Viminalem, Quirinalem.

9. *Alme Sol.*] Apollo idem qui Sol, Macrob. Saturnal. l. 1. c. 21. Hujus autem in hæc inferiora magna virtus. Scilicet calore producit, alit, fovet, auget; lumine recreat, &c.

Curru nitido diem qui Promis, &c.] Quadrigis vehi ſol circa terram pöetis dicitur.

10. *Aliuſque & idem Naſceris.*] Idem eſt ſol hodie qui heri: hodiernus tamen dies alius eſt ab heſterno.

15. *Ilithyia.*] Hæc inter generationis præſides recenſetur, imò eadem eſt quæ Lucina, Dea quæ parientibus opitulatur, ſeu Diana, ſeu etiam Juno. Junonis filiam quidam faciunt. Hom. Pauſ. Dionyſ. Halic. Plato. Cœl. Rhodig. l. 28. c. 24. ita ſcribit: *Ilithyia, ſive* Εἰλείθυια *ex Hyperboreis appulſa Delum Latonæ affuit parienti, teſte Pauſaniâ. Hinc rem divinam Ilithyia obeunt Delii, à quibus dedicerint cæteri. Dictamnum herbam juvare inſigniter fœcunditatem atque*

Sive

Sive tu Lucina probas vocari
Seu Genitalis.
Diva, producas ſobolem, patrúmque
Proſperes decreta ſuper jugandis [498]
Fœminis, proliſque novæ feraci
Lege maritâ:
Certus undenos decies per annos
Orbis & cantus referátque ludos
Ter die claro, totiéſque gratâ
Nocte frequentes.
Vóſque veraces ceciniſſe Parcæ,
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum
Terminus ſervat, bona jam peractis
Jungite fata.
Fertilis frugum pecoríſque Tellus
Spiceâ donet Cererem coronâ: [499]

ſeu [*Lucina ſeu Genitalis amas nominari, defende matres. O Dea prolem Romanam multiplica, & promove Senatuſconſulta de jungendis* connubio *mulieribus, & lege maritali novæ ſobolis fertili. Circulus etiam centum & decem annis evolutus reducat cantilenas ac ludos celebres tribus diebus lucidis totidemque noctibus jucundis. Vos autem Parcæ, quæ ſemel ſtatuta verè prænunciâſtis, & fixus ordo rerum cuſtodit, proſpera fata addite jam tranſactis. Terra frugibus fœcunda & gregibus det Cereri coronam è ſpicis:*

ANNOTATIONES.

ἐν τόκῳ. atque ob id corollas Ilythyiæ ex dictamno contexi ſuetas, obſervatum. Ilithyia multis Luna credita eſt, eamque mitem ac λυσίζωνον adeſſe parturiantes precabantur. Hæc ille. Ejus meminerunt Heſiod. Pindar Nem. Od 7. init. & Theocr. 17, 60,

15. *Lucina.*] Sic dicta quòd prodeuntibus in lucem faveat infantulis.

16. *Genitalis.*] Quòd adjuvet ac promoveat generationem. Et quemadmodum ſolis calore fœtus animatur, ſic nutritur humore Lunæ & gignitur. Ex his intelligitur cur à Poetâ noſtro dicatur *maturos aperire partus Lenis.* Vide l. 3. Od. 22. & l. 4. Od. 6. ſtroph. penult. annot.

17. *Producas ſobolem.*] Romanam gentem adeóque potentiam auge, amplifica.

18. *Decreta ſuper jugandis Fœminis, &c.*] De connubiis ritè contrahendis ad generandam prolem, ſupplendóſque exercitus. Cenſorum jus & officium erat, cœlibes ad matrimonium cogere.

20. *Lege maritâ.*] Intellige non legem Poppæam, quæ mortuo jam pridem Horatio, & poſt ludos iſtos ſeculares annis 25. lata eſt; ſed Juliam maritalem ſeu de maritandis ordinibus, tunc temporis latam. quæ conjugatis præmia, pœnas autem adverſus cœlibes decernebat: prætereà ingenuis quibuſlibet (exceptis tamen Senatoribus ac Senatorum filiis) uxores libertini generis ducere permittebat. Vide Gell. l. 1. c. 6. Cicer. de legib. Zonar. Dion. Cornel. Tacit. Annal. Suet. Octav.

21. *Certus undenos, &c.*] Precamur etiam, ut poſt evolutum rurſus certum illud ſpatium annorum centum ac decem, quod ſeculum appellatur, referantur & repræſententur iterum ac deinceps ludi iſtis ſimiles, ſemperque adeò floreat urbs & Imperium Romanum. Alii legunt *certus ut denos*, ac centenis duntaxat annis ſeculum definiunt. Quod tamen haud ita probant eruditi, refragantúrq; Sibyllini verſus,

Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων, &c.

23. *Ter die clarò, totieſque nocte.*] Ternis diebus ac totidem noctibus agebantur ludi ſæculares, ut ante jam annotavi.

25. *Voſq; veraces ceciniſſe Parcæ.*] Lucinæ ſive Ilithyiæ ſubjungit Parcas. His nimirùm aſſidere Illam ſcribit Pindar. Od. 7. Nem. ante cit. Ἐλείθυια πάρεδρος Μοιρᾶν βαθυφρόνων παῖ Ἥρας, γενέτειρα τέκνων, &c. *Ilithyia aſſidens Partis profunde cogitantibus, filia Junonis, genetrix liberorum, &c.*

26. *Stabiliſque, rerum Terminus ſervat,*] Quidam legunt, *ſervet.* ſed vix contextus eam feret lectionem. Alii, *hæret*, Nihil clarius noſtrâ illâ lectione. Senſus eſt: O Parcæ quæ veraciter protuliſtis ac profertis id *quod ſemel* a Jove *dictum*, fatum & ſancitum eſt, præſertim de Imperii Romani æternitate. Virg. *Imperium ſine fine dedi:* quod quidem hactenus *ordo rerum ſtabilis ac terminus ſervat*, conſtitutæ jam Romanorum potentiæ & gloriæ novam ſemper adjungite. Vel ſi mavis generaliter accipere: Parcæ quæ verè ceciniſtis id *quod ſemel dictum*, quodque immutabili neceſſitate fixum oportet ſervari, conceſſam Romanis felicitatem perpetuam facite.

30. *Spicea donet Cererem coronâ.*] Hoc debitum & aptum munus pro acceptâ frugum abundantiâ, Tibull. 1, 1, 15.

Flava Ceres tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea.——

Et l. 2. Eleg. 1. v. 3.

——*Spicis tempora cinge Ceres.*

Salubres aquæ & aër Jovis alant fœtus. Phœbe ſagittis reconditis clemens & benigne, exaudi pueros ſupplicantes: ô Luna bicornis, aſtrorum princeps, exaudi virgines: Si quidem *Roma eſt veſtrum opus, & ad ripam Italicam felici navigatione appulerunt catervæ Trojanæ, homines juſſi mutare domicilia & civitatem; quibus pius Æneas viam tutam*

Nutriant fœtus et aquæ ſalubres,
Et Jovis auræ.
Condito mitis placidúſque telo
Supplices audi pueros, Apollo:
Siderum regina bicornis audi, –
Luna, puellas:
Roma ſi veſtrum eſt opus, Iliæque
Littus Etruſcum tenuere turmæ,
Juſſa pars mutare lares et urbem, –
Soſpite curſu;
Cui per ardentem ſine fraude Trojam

ANNOTATIONES.

51. *Nutriant fœtus & aquæ ſalubres, Et Jovis auræ.*] Aërem & aquas peſtilentes deprecatur: oratque ne *tabida membris, Corrupto cœli tractu, miſerandaque veniat Arboribuſque ſatiſque lues, & lethifer annus:* ut ait Virg. Æneid. 3. v. 138. Hor. l. 1. Od. 21.

Hic bellum lacrymoſum, hic miſeram famem
Peſtemque à populo & principe Cæſare in
Perſas atque Britannos
Veſtrâ motus aget prece.

32. *Jovis auræ.*] Hinc Virg. Eclog. 3. *Jovis omnia plena*, Macrob. in Somn. Scip. c. 17. Jupiter pro cœlo ponitur; & Juno pro aëre, Joviſque conjux; quia aër ſcilicet inferior, cœlo eſt ſubjectus velut aëri ſuperiori. Idem Saturnal. l. 3. c. 4. *Eſſe autem medium æthera Jovem, Junonem verò imum aëra, aiunt*, &c.

33. *Condito mitis placidúſque telo.*] Contrà exerto vel intorto metuendus ac terribilis, l. 2. Od. 10. ſtroph. penult. Adde quod ante annotavi, ita veteribus ſuperſtitioſè exiſtimatum, mortalium neminem interire, aut morte mactari, niſi Apollinis aut Dianæ telis percuſſum. Vide Macrob. l. 1. Saturn. c. 17. ubi Apollinis arcu & ſagittis Solis radios ſignificari, morboſque hinc vel ſanitatem ab eo immitti creditum olim, probè aſſeritur.

34. *Audi pueros, Apollo*, &c.] Apollinem, ut vides lector, pueri invocabant, puellæ verò Dianam, in ſeparatos hinc & illinc choros diſtributi, & ſic juſſerat Sibylla:

. . . . Χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν,
Καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στίχος· ἀλλὰ γονέων
Πάντων ζωόντων οἷς ἀμφιθαλὴς ἔτι φύτλη.
Seorſim verò puellæ chorum ipſæ habeant,
Et ſeorſim puerorum maſculus ordo, ſed parentum
Omnium viventium, quibus utrinque florens adhuc genus extet.

35. *Bicornis Luna.*] Non temerarium hoc epithetum, imò proprium maximè. Nam tempora novilunii agebantur ludi ſæculares, & carmen illud ſeculare concinendum erat *ad bicornem lunam.*

37. *Roma ſi veſtrum eſt opus*, &c.] Idcirco Roma dicitur Apollinis opus, quòd Æneas Apollinis oraculo obſecutus venit cum ſuis in Italiam, ibique conſedit.

38. *Littus Etruſcum.*] Italicum, Tiberinum litus.

39. *Juſſa pars mutare lares*, &c.] Accepta ab Apolline mandata itemque beneficia non ſine grati ac religioſi animi teſtificatione apud ipſum numen referuntur. Virg. Æneid. 3. v. 88. ſic Æneas Phœbo:

. . . *Quove ire jubes? ubi ponere ſedes?*

Phœbus autem ſic Æneæ reſpondet:

Dardanidæ duri, quæ vos à ſtirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum & qui naſcentur ab illis.

Et v. 160. ſic moneat Penates Dii Apollinis reſponſa interpretantes:

Mutandæ ſedes . . . ſurge,
age . . . .
. . . . *Corithum, terraſque require*
Auſonias.——

Et poſtea: v. 354.

Ibitis Italiam, portuſque intrare licebit.

39. *Pars.*] Propriè nam & Trojanorum alii Antenore duce in Italiam devenerunt. Virg. Æneid. 1.

41. *Cui per ardentem*, &c.] Illi Trojanorum parti à te, Apollo, juſſæ, novas quærere duce Æneâ ſedes, is dux te adjutore, tutum munivit *iter*, longum fugæ laborem ut ipſe juſſus erat, minimè deferens. Virg. Æn. 3. v. 160.

Per ardentem, &c.] Virg. Æneid. 2.

. . . *flammam inter & hoſtes*
Expedior: dant tela locum; flammæque recedunt.

Sine fraude.] Impunè, ſine noxâ & damno ſui aut ſuorum. Vide l. 2. Od. 19. v. 20.

Caſtus Æneas patriæ ſuperſtes
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis,
Dii probos mores docili juventæ,
Dii ſenectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date rémque, prolémque,
Et decus omne.
Quíque vos bobus veneratur albis [501]
Clarus Anchiſæ Veneriſque ſanguis,
Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hoſtem.
Jam mari terrâque manus potentes
Medus, Albanáſque timet ſecures;
Jam Scythæ reſponſa petunt, ſuperbi
Nuper, et Indi.
Jam Fides, et Pax, et Honor, Pudórque
Priſcus, et neglecta redire Virtus

paravit inter incenſam Trojam illæſis, ipſeque poſt patriam ſtans, ampliora donaturus quàm *relicta* fuerant. *O Numina date bonam indolem juventuti flexibili, tranquillitatem ſenectuti, populo* denique *Romano divitias, ſobolem, gloriam integram. Illuſtris verò progenies Anchiſæ & Veneris, quæ* nunc *juvencis candidis vos colit, regnet ſuperior hoſte bellum inferente, mitis autem erga ſubjectum. Jam terra marique Parthus formidat vires magnas atque auctoritatem Romanorum. Jam mandata expectant Scythæ Indique paulò ante ferociores. Jam Fides, & Pax, & Honor, atque antiquus Pudor, & Virtus contempta remigrare non*

ANNOTATIONES.

43. *Daturus plura relictis.*] Sic enim idem Apollinis oraculum promiſerat per Deos Penates, ibid. Æneid. 3. antè cit.

——Venturos tollemus in aſtra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus; tu mœnia magnis
Magna para . . .
Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ.

Itaque Æneas eo reſponſo fretus, Trojanis militibus ſpondet majora in Italiâ, quàm quæ in Troade reliquerant & amiſerant.

45. *Dii probos mores.*] Vide quam recta & juſta petat. Quod autem Romanæ genti precatur *rem* ſeu opes, meminit eas eſſe quaſi nervum Reipublicæ; quòd *prolem* Imperii populique perennitatem exoptat: quod *decus*, id exprimit, quod habet Cic. pro lege Manil. n. 7. Romanos *ſemper appetentes gloriæ præter cæteras gentes atque avidos laudis* extitiſſe.

49. *Quique vos bobus veneratur albis.*] Hæc peculiaria ſunt ac ſigillatim pro Cæſare Auguſto vota. Is nimirùm *Anchiſæ Veneriſque ſanguis*: mater enim Auguſti neptis erat Julii Cæſaris ſororis, Julius autem ab Iulo prognatus erat, Iulus autem Æneæ filius: Æneas denique Anchiſe ac Venere natus. Quanquam & hoc referunt aliqui ad Populum Romanum ab Æneâ propagatum.

Bobus albis.] Jovi mactari debebant tauri albi; pariter & Phœbo Dianæque utpote lucidis numinibus candidæ victimæ: Junoni juvenca nitida; Terræ ſcrofa nigra: Parcis ſurvæ agnæ vel capræ. Ita enim jubebant Sibyllina carmina, apud Zoſim. Hiſtor. l. 2. jam. cit.

Λευκοὶ ταυροὶ δὲ Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων
Ἤματι μὴδ᾽ ἐπὶ νυκτὶ, &c.

51. *Bellante prior, jacentem Lenis in hoſtem.*] Virg. Æneid. 6. v. 851.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.
. . . .
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

54. *Medus.*] Vide l. 4. Od. 5. & 14. Dio l. 54. Paul. Oroſ. l. 4. c. 21. Sueton. Octav. c. 21.

Albanas timet ſecures.] Romanorum majores Albæ prius quam Romæ regnârunt. Hinc *Albanas* pro *Romanas*. Virg. Æneid. 1.

At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo.
. . . .
. . . *Regnumque ab ſede Lavini,*
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.
Et antea: . . . *genus unde Latinum,*
Albanique patres.

Porrò *ſecures*, inſignia Magiſtratuum, pro poteſtate ac majeſtate poni, notum etiam ſciolis.

55. *Scythæ reſponſa petunt.*] Auguſti ac Romanorum expetunt amicitiam, mandata, leges. Suprà cit. l. 4. Od. 5. & 14. modo cit. Flor. l. 4. ult. &c. De Scythis, l. 1. Od. 19. l. 2. Od. 9. l. 3. Od. 24.

56. *Indi.*] De his anteà l. 1. Od. 12, &c. Oroſ. in fine l. 6.

58. *Neglecta redire virtus Audet, &c.*] Sunt enim quædam *tempora virtuti inimica*, ut ait Cic. in Orat. Eo pertinet etiam quod Poëtæ ſcribunt, invaleſcentibus vitiis Aſtræam terras

dubitat: & abundantia referto cornu felix procedit. Apollo vaticiniis & arcu ſplendido conſpicuus, novemque Muſis amicus, qui arte medicâ ſublevat ægrotantia corporis membra, ſi placidè intuetur arces Palatinas, in luſtrum ſequens ac meliorem ſemper ætatem propaget imperium Romanum, Italiamque proſperet. Diana verò quæ Aventino monti *præſidet, & Algido, ſuſcipiat vota quindecim virûm, atque propitias aures præbeat juvenum precibus.* Ego *chorus peritus canendi laudes Apollinis ac Dianæ, domum refero bonam certamque fiduciam, in talia conſentire Jovem & Deos univerſos.*

Audet, apparétque beata pleno
Copia Cornu.
Augur et fulgente decorus arcu [502]
Phœbus, acceptúſque novem Camœnis,
Qui ſalutari levat arte feſſos
Corporis artus,
Si Palatinas videt æquus arces,
Rémque Romanam, Latiúmque felix,
Alterum in luſtrum, meliúſque ſemper
Proroget ævum.
Quæque Aventinum tenet Algidúmque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet, et votis puerorum amicas
Applicet aures.
Hæc Jovem ſentire Deóſque cunctos, [503]
Spem bonam certámque domum reporto,
Doctus et Phœbi chorus, et Dianæ
Dicere laudes.

ANNOTATIONES.

reliquiſſe, & in cœlum evolâſſe. At cum ad meliorem ſe frugem homines recipiunt, tum dicitur redire virtus, atque rerum ubertatem bonorumque omnium copiam ſecum referre. Ovid. Met. 1. v. 129.

Fugêre pudor, verumque, fideſque, &c.

Quod è Theognide expreſſum videtur, ᾤχετο μὲν πίςις, *abiit fides, &c.*]

61. *Augur.*] Vaticinandi facultatem à Jove Apollo accepit.

Fulgente decorus arcu.] Ἀργυρότοξος, apud Homer. Virgil. Æneid. 12. v. 394.

Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celereſque ſagittas.

62. *Acceptuſque novem Camœnis.*] Utpote muſicæ, lyræ, carminumque Inventor ac Deus.

63. *Qui ſalutari levat arte, &c.*] Apud Ovid. Met. 1. v. 521. ita de ſejactat Phœbus:

Inventum medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Vide & Macrob. lib. 1. 17. antè cit.

65. *Palatinas arces.*] In ſuo palatio ædem Apollini ſacraverat Auguſtus, cum bibliothecâ & porticu. Vide. l. 1. Od. 31. Porrò in hac æde Palatinâ canebatur Sæculare Carmen tertio die ludorum, ut obſervat Zoſim. antè cit.

67. *Alterum in luſtrum.*] Vel accipe *luſtrum* ſimpliciter pro ſpatio quinque annorum, atque adeò ſynecdochicôs, pro tempore ſequenti: vel ſignanter & præcipuè pro altero ſæculo; nam ludis ſæcularibus fiebat inſignis luſtratio. Zoſim. cit.

69. *Quæque Aventinum tenet Algidumque.*] Dianæ erant fana, fiebantque ſacra, in utroque iſto monte. Aventinus unus erat è ſeptem urbis collibus. Algidus ab aſſiduo frigore dictus, non procul Româ.

70. *Quindecim Diana preces virorum curet.*] Quindecim viri ſacerdotes erant, quorum jus, poteſtas, & officium erat, Sibyllinos libros conſulere de rebus gravioribus, ut calamitatibus publicis; de iis reſponſa dare, placationes & expiationes edicere, ſacris faciendis præeſſe, ceremonias exequi, libros & carmina Sibyllarum tueri; &, quod facit ad rem præſentem, ludorum ſæcularium curam gerere. Vide Alex. ab Alex. l. 3. c. 16.

73. *Hæc Jovem ſentire, &c.*] His annuere, rata habere vota noſtra.

75. *Chorus.*] Licet è multis perſonis chorus conſtet, unius tamen partis agit ac ſuſtinet. Epiſt. ad Piſon. v. 193.

Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat.——

APPEN-

APPENDIX.

Ad noſtras ANNOTATIONES *in Libros* Odarum, *ſeu* Carminum HORATII.

QUONIAM pleriſque locis attulimus Julii Cæſaris Scaligeri cenſuras; & grave eſt à tanto viro notari: ne quis forte ob id vel quidquam detrahendum arbitretur de ſumma laude, quam per ſecula meruerunt Odæ Horatii, aut temerè credat Scaligerum, velut quadam Zoili veſaniâ percitum, adverſus Lyricorum Principem debacchatum eſſe; operæ pretium duximus hic deſcribere integram illuſtris Hypercritici ſententiam, quâ nemini dubium relinquatur quanti illas ipſe æſtimârit. Sic habet Poët. lib. 6. *Eſt Horatius omnium Latinorum Græcorumque Poetarum elaboratiſſimus. Nam in Lyricis quem ſonum, quos numeros, quam majeſtatem quæſivit, obtinuit: quæ omnia cum in aliis neglexit operibus, omiſit ſine gloriæ diſpendio: quam puritatem, elegantiam, venuſtatem in utriſque appetiit, conſecutus eſt.* Et poſteà: *Nunc ad politiſſima ejus carmina contemplanda tranſeamus: in quibus conſiderandis major laudis & admirationis, quam caſtigationis apparatus erit.*

Carminum igitur libri vel jucunda inventione, vel puritate ſermonis, vel figurarum tum novitate tum varietate, majores ſunt omni non ſolum vituperatione, ſed etiam laude: neque ſolo dicendi genere humili, quemadmodum ſcripſit Quintilianus, contenti; verum etiam ſublimi maxime commendandi. Quid enim altius aut præclarius illis?

Poſt ignem ætherea domo
Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum.

Item iſtis? Scriberîs Vario fortis, & hoſtium
Victor Mæonii carminis alite, &c.

Item? Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne ſcripſerit, &c.

Item? Sub lacrymoſa Trojæ
Funera, ne virilis
Cultus in cædem & Lycias proriperet catervas.

Item? Permitte Divis cætera, qui ſimul
Stravêre ventos æquore fervido
Deprælliantes; nec cupreſſi,
Nec veteres agitantur orni.

Hæc & alia per portiunculas. At illa tota,

Quem virum aut heroa lyrâ, vel acri
Tibiâ ſumes celebrare, Clio?
Quem Deum, &c.

Item decima quarta, decima quinta, quarta & viceſima. Triceſima vero prima adeo aſſurgit, ut facile protet judicium noſtrum. Nec inferior triceſima quinta.

Porro 2. Lib. prima Ode eſt altiloqua, ſicut & quinta decima. Par ſpiritus in undeviceſima & in ſequenti.

Sed & 3. Lib. prima dicendi genere magnifico ſtructa eſt, pariter & ſecunda. Tertia vero graviſſima. Quarta nec Pindaro cedit ac ne quinta quidem. Quin ſexta quoque altiſſime ſonat. Haud paulo minor ſexta decima. At viceſima nona incipit leniſſime: tum vero ſemper aſſurgit eo uſque, quo nemo aliorum pervenire poſſit. Ultima ejuſdem libri miſcuit etiam faſtum cum majeſtate.

Quarta Lib. 4. profecto aliarum nulli cedit magniloquentia. Quam quæ ſequitur, tametſi eo non aſpirat, in eadem tamen luce verſatur; ſicut & ſexta, quæ ſimul nitore quodam venuſtatis perfuſa eſt. Nona altior & ſeverior: qualis & quarta decima: nec minor eam ſequens.

Quæ recenſere coactus ſum, ut virum maximum atque etiam dum ipſo Pindaro in hiſce conferendum à calumnia vindicarem. Num & Pindaro accuratior eſt, & ſententiis crebrior, neque ſibi, ut ille, indulgens: ſed non ſine auditoris reverentia, audax ad eam præſtandam magnitudinem, quæ neque illi oneri, et nobis miraculo ſit. In eo nihil laxum eſt, nihil hiat: omnia cohærent, ita ut unum tota illa eſſe videantur.

Cæteræ Cantiones partim in humili dicendi ſtylo, ut

Vitas hinnuleo me ſimilis Chloe, &c.

Et Ne ſit ancillæ tibi amor pudori: &c.

Aliæ in mediocri, ut illæ:

Mæcenas atavis edite regibus: &c.

Et Otium Divos rogat in patenti, &c.

Omnes, inquam, tantæ ſunt venuſtatis, ut & mihi & aliis prudentioribus omnem ademerint ſpem talium ſtudiorum.

Inter alias vero, duas animadverti, quibus ne ambroſiam quidem aut nectar dulciora putem. Altera eſt 3. Lib. 4. Quem tu Melpomene, &c. *Altera nona Lib. 3.* Donec gratus eram tibi. *Quarum ſimiles malim à me compoſitas, quam Pythionicarum multas Pindari & Nemeonicarum: quarum ſimiles malim compoſuiſſe, quam eſſe totius Tarraconenſis rex.*

At tametſi tam magnifice de Horatii Carminibus ſentio: tamen dabunt ingenuo nobilique pudori noſtro veniam ſtudioſi, ſicubi etiam optavimus potiora.

V. Cl. Andr. Dacerii

PRÆFATIO
IN
HORATII
SATIRAS.

De Origine & Progreſſu Satiræ Romanæ, *& quas Mutationes ſubierit.*

HORATII *Satiras* duobus Libris comprehenſas, nunc *Sermones*, nunc *Satiras*, nullo diſcrimine appellavit ipſe: verùm quum *Ideas* modis quibuſdam diſtinctas animo repræſentent ea vocabula, operæ pretium facturus videor, ſi, quid antiqui Romani per *Satiram* intellexerint, exponam. Primus doctiſſimus Caſaubonus, atque adeo ſolus in eo feliciter operam poſuit, ut demonſtraret quæ & qualis eſſet Poëſis Satyrica Græcorum, quæ Satira Romanorum. Eſt ille liber quàntivis pretii: nec diffiteor me inde plurimum adjutum fuiſſe.

Hic enim eſt fructus, quem ex excellentium virorum laboribus percipere debemus: qui ideo nobis præiverunt, ut in ſpiſſis antiquitatis tenebris facem ſuccedentibus præferrent. Non tamen in ſuperiores ita oculi defigendi, ut propriis etiam greſſibus non attendamus: per illas enim incedunt aliquando ſemitas, in quibus non tutum ſit eos ſequi; id quod & ego hîc cavi, ſæpe vias parum tritas ſecutus, ut in progreſſu patebit.

Eſt autem Satira quædam Poëſeos ſpecies aliis quàm Romanis prorſus incognita, nec ulla cum Satyrica Græcorum poëſi cognatione conjuncta, quæ tamen quorundam doctorum opinio fuit. Quintilianus omnem dubitationem tollit, cum ſcribit Lib. 1. Cap. 10. *Satira quidem tota noſtra eſt.* Inde eſt quod Horatius Sat. 10. Lib. 1. ver. 66. *Græcis intactum carmen* dixerat.

Ecce tibi germanam hujus vocis Etymologiam: Latini *Saturum* uſurpabant pro *pleno*, cui ad perfectionem nihil deeſſet: hinc *Satur* *color*

color cùm lana colorem plene combibiſſet, nec quicquam ad tincturam adjici potuiſſet. Ex *Satur* factum *Satura*, quod *Satira* etiam per *i* efferebant, quemadmodum *Maximus* & *Maxumus*, *optumus* & *optimus*. Eſt igitur *Nomen Adjectivum*, quod relationem habet ad *Subſtantivum* intellectum: dicebant enim priſci *Saturam* intelligentes *lancem*. Erat autem *Satura lanx* vas (Gallice *un baſſin*) omne genus fructibus repletum, quos Cereri quotannis & Baccho ut totius anni proventuum primitias offere ſolebant; cujuſmodi oblationes ex variis generibus inter ſe confuſis non erant Græcis omnino incognitæ, qui eas appellabant πάγκαρπον θυσίαν, πανσπερμίαν, & in leguminibus πανεψίαν. Diomedes Grammaticus accurate & hunc Romanorum morem & vocis *Saturæ* naturam explicavit his verbis, *Lanx referta variis multiſque primitiis Sacris Cereris inferebatur, & à copia &* ſaturitate *rei* Satura *vocabatur. Cujus generis* lancium *& Virgilius in Georgicis meminit, cum hoc modo dicit,*

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Et——*lanceſque & liba feremus.*

Deinceps ad alia miſcellanea tranſlata eſt. Feſt. *Satira cibi genus ex variis rebus conditum.* Migravit inde ad ea, quæ mentis & ingenii ſunt; nam *leges Saturas* nuncuparunt, quæ plura capita, aut plures titulos complectebantur, ut *Legem Juliam*, *Papiam*, *Poppæam*, quæ dicebatur *miſcella*, quod idem eſt, ac *Satura*; unde profecta eſt & illa locutio *per Saturam legem ferre*, cùm non rogatis ex ordine Senatoribus, non collectis, nec dinumeratis ſententiis, omnes ſimul & promiſcue ſententiam ferebant, quod proprie dicebatur per *Saturam ſententias exquirere*, quomodo poſt Lælium locutus eſt Salluſtius. Neque hic conſtiterunt; etiam *libros* quoſdam hac appellatione inſigniverunt, ut Peſcennius Feſtus, qui *Hiſtorias Saturas* vel *per Saturam* nobis dedit.

Ex his omnibus exemplis facili quis negotio ſibi perſuadebit Horatii opera hinc traxiſſe nomen, *Satiraſque* appellatas, quod *multis & variis rebus hoc carmen refertum eſſet*, quomodo dicit Porphyrio. Quod quidem ex parte verum eſt: cave enim putes, vocem nullis intercedentibus gradibus, qui tranſitum præberent, ſtatim huc deductam: ejus migrationes antiquiores erant in alias res, quæ propinquius *Horatii Sermones* contingerent. Ad quam rem explicandam jam accingimur, eum ſecuturi ordinem, qui ipſi Caſaubono in mentem non videtur veniſſe; quippe rem ea luce perfundit, ut nulla amplius cuiquam relinquatur ad dubitandum materia.

Romani cum quadringentos circiter annos Scenicos ludos ignorarent, caſu dum dies feſtos per licentiam & laſciviam agitarent, in Verſus Saturnios & Feſcenninos inciderunt, qui poſtea in Scenis per centum & viginti fere annos locum ſuum tutati ſunt.

Fuerunt iſti Verſus impoliti & parum numeroſi, utpote ſubitanei, & à populo fuſi adhuc rudi & agreſti, quique non alium magiſtrum noſſet, quam Cererem & Bacchum. Hoc genus carminis implebant cavillationes & opprobria ruſtica, adhibitis Geſticulationibus & Saltationibus ridiculis,

ridiculis. Rem intelliges, ſi ob oculos tibi proponas bonos de pago viros ruſticorum more ſaltantes, ſeſe mutuo extemporaneis conviciis inſectantes, eaque in vices exprobrantes, quorum alius alii conſci i ſunt. Hoc eſt quod Horatius dicit Epod. 1. lib. 2.

Feſcennina per hunc inventa licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit.

Infrenam hanc & impotentem licentiam excipit non ita pòſt alius generis carmen, caſtigatius quidem illud, ſed refertum etiam dicteriis ad movendum riſum comparatis, quod tamen nihil turpitudinis admiſerit; comparuit hoc carmen ſub Satiræ nomine ob varietatem ſuam: quæ quidem Satira certos habuit *modos*, i. e. muſicam & congruentem motum, relegatis geſtibus minus honeſtis. Titus Livius, lib. 7. c. 2. *Vernaculis artificibus, quia* Hiſter *Tuſco verbo* Ludio *vocabatur, nomen* hiſtrionibus *inditum, qui non, ſicut ante, Feſcennino verſu ſimilem incompoſitum temere ac rudem alternis jaciebant, ſed impletas modis Saturas, deſcripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant.* Non abludebat hæc Satira à noſtris *Farces* pudentioribus, ubi promiſcue & Spectatoribus & Actoribus Scenico ſale defricabantur auriculæ.

Atque ita ſe habebat res Scenica; cum *Livius Andronicus* ad *Comœdias* & *Tragœdias* ad Græcorum imitationem conſcribendas primus animum appulit: quæ cum eſſet oblectatio & liberalior & abſolutior, mox huc undique catervatim concurſum eſt, neglecta ad tempus *Satira*, quam tamen paulo poſt reprehenſam erant qui Comœdiis jam paractis non abſurde ſubnecterent (quod Galli in ſuis *Farces* hodieque faciunt) Attellanis certe, mutato tum primum *Satirarum* nomine in *Exodia*, quod in poſterum manſit.

Atque hæc fuit prima & antiquiſſima Romanæ Satiræ forma. Erant quidem duæ aliæ, quanquam à prima multum diſcrepabant, ei tamen quaſi enatæ ſuffragines ortum ſuum referebant; quod quam breviſſime potero, jam confirmatum dabo.

Uno anno poſtquam Livius primas dediſſet fabulas, natus eſt in Italia Ennius; qui cum adoleviſſet, & diligentius conſideraſſet, quantopere hujuſmodi Satiris delectaretur populus; recte & id vidit, Poëmata, quæ licet Theatro non deſtinarentur, ſuffuſos felle ſales & dicteria Satirarum mordacia conſervarent tamen, non poſſe non placere populo; periculum fecit atque edidit *Sermones* quos Satiras ſervato antiquo nomine appellavit. Erant hi Sermones Horatianis, quod ad argumentum & varietatem rerum, per omnia ſimiles: Excepto, quod Ennius ad quorundam Græcorum, ipſius etiam Homeri exemplum, id ſibi juris ſumſerit, ut plura carminum, genera, confuſis *Hexametris*, *Iambicis*, *Trimetris*, & *Tetrametris*, *Trochaicis* commiſceret, ut ex fragmentis, quæ ſuperſunt, ſatis liquet,

Videtis Tetrametorum exemplum ab Aulo Gellio conſervatum, dignum ſane, quod ob eximiam pulchritudinem hic reponatur;

Hoc erit tibi argumentum ſemper in promptu ſitum,
Nequid expectes amicos, quod tute agere poſſis.

Annu-

Annumeraverim porro *Ennii Satiris* alteram illam ſpeciem Verſuum, qui ea ſunt venuſtate, ea elegantia, ut ſeculum longe ſuperare videantur. Rem non ingratam fecero, ſi Lectoris oculis ſubjecero:

Non habeo denique nauci Marſum Augurem,
Non vicanos Aruſpices, non de Circo Aſtrologos,
Non Iſiacos Conjectores, non Interpretes ſomniûm:
Non enim ſunt ii, aut ſcientia, aut arte Divini;
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſui quæſtus cauſſa fictas ſuſcitant ſententias,
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam,
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam petunt;
De divitiis deducant drachmam, reddant cætera.

Plurima ex his Satiris deſumpſit Horatius, ut manifeſtum erit notas noſtras conſulenti.

Poſt Ennium ortus Pacuvius, Satiras ipſe quoque ſive Avunculum, ſive Avum ex matre imitatus ſcripſit.

Natus eſt Lucilius eo tempore, quo maxime florebat Pacuvius. Compoſuit & ille Satiras, ſed quibus novam novata ſcribendi ratione gratiam conciliavit, ut qui Antiquæ Comoediæ Græcæ characterem propius exprimere voluerit: ejus admodum imperfecta ex priſca Latina Satira haberi poterat notitia, quale ſcilicet faceret carmen, quod ſola Natura dictitaverat, antequam injecta eſſet Romanis Græcos imitandi, eorumque ſpoliis ſe locupletandi, cogitatio. Ex quibus facile intelligi poteſt illud Horatii, Sat. 1. Lib. 2.

——Quid, cum eſt Lucilius auſus
Primus in hunc operis componere carmina morem?

Noli putare Horatium voluiſſe dicere, nullas ante Lucilium Satiras factas: cum Lucilium præceſſerint Ennius & Pacuvius, quorum ille exemplum ſecutus eſt. Id ſolum voluit, Lucilium novam faciem huic carmini induiſſe, quod perpoliverit, & propterea pro primo quaſi auctore habendum. In eadem fuit ſententia Quintilianus, Lib. 10. Cap. 1. *Satira quidem tota noſtra eſt, in qua primus inſignem laudem adeptus eſt Lucilius.* Cave hic pedibus in Caſauboni ſententiam eas, qui Diomedis fide fretus, Ennii & Lucilii Satiras toto genere diſſentire credidit. Vide ipſa Grammatica verba, quæ ſubacti judicii Criticum in errorem induxerunt. *Satira eſt carmen apud Romanos, non quidem apud Græcos, maledicum, & ad carpenda hominum vitia, Archææ Comœdiæ charactere compoſitum, quale ſcripſerunt Lucilius, & Horatius, & Perſius. Sed olim carmen, quod ex variis poëmatibus conſtabat, Satira dicebatur, quale ſcripſerunt Pacuvius & Ennius.* Apparet Diomedem diſtinguere Satiram Lucilii, ab ea quam ſcripſit Ennius & Pacuvius. Ridicula autem & omnino falſa eſt hujus diſtinctionis ea, quam reddit, ratio. Non ſatis inveſtigaverat homo ſimplex naturam & originem utriuſque Satiræ, quæ omnino

conve-

convenîebant tam materia quam forma. Nam nihil eo attulerat Lucilius præter nitoris & ſalis pluſculum, in ſumma rei nulla inſigni variatione facta. Et quanquam non conjunxerat plura verſuum genera in eodem carmine, ſicut Ennius; fecerat tamen diverſa carmina, quorum alia integra Verſibus Hexametris, alia Iambicis, alia Trochaicis conſtabant, ut liquet ex ipſius fragmentis. Ut Verbo dicam, ſi Lucilinæ Satiræ diverſi generis ab Ennianis ideo cenſendæ ſint, quòd ille hunc ſcribendi arte longe ſuperaverit, uti voluit Caſaubonus, conſequens erit Horatii quoque Satiras â Lucilianis diverſi prorſus fuiſſe generis, quandoquidem Horatius non minus evexit Satiras ſuas ſupra Lucilium quam ille ſuas ſupra Ennium & Pacuvium evexerat. Douzam quoque. F. fefellit iſte Diomedis locus. Hæc non eo dixi quod errorem levem tantorum virorum notare gaudeam, ſed ſolum ut demonſtrem, quanta cum cura & cautela eorum opera legere oporteat, ubi de re agitur obſcura adeo & antiqua.

Antiquæ Satiræ ad Scenæ uſum compoſitæ Naturam declaravi; planum feci inde exemplum ſibi ſumpſiſſe Ennium: ſatis denique confirmatum dedi Ennii Pacuviique ejuſdem eſſe generis cum Satiris Lucilii & Horatii, quod tamen carmen non niſi ab Horatio ad ſupremum faſtigium perductum eſt. Jam ad alterum Satiræ genus, quod recepi exponendum, quod & ipſum quoque ab antiqua originem duxit, tempus eſt accedere: ea eſt quæ appellatur *Satira Varroniana* vel *Menippea*, quod primus ejus auctor eſſet Varro Romanorum doctiſſimus, quòdque in eo opere Menippi Gadarenſis, Philoſophi Cynici, mores imitatus eſſet.

Nec ſola carminum varietate miſta eſt iſta Satira: nam Varro ei interpoſuerat proſam orationem, promiſcuo etiam uſu Græci & Latini Sermonis. Quintilianus de Lucilii Satira locutus addit, *Alterum illud eſt & prius Satiræ genus, quod non ſolum carminum varietate miſtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditiſſimus*; cujus loci unica difficultas in eo poſita eſt, quod affirmat Quintilianus hanc Satiram Varronianam fuiſſe priorem. Quo enim pacto illud fieri potuit, cùm ætate multo poſterior Lucilio fuerit Varro; At Satiram Varronis tempore priorem fuiſſe, ea vero non eſt Quintiliani mens, quippe qui probe ſciret eam multis annis fuiſſe recentiorem. Id voluit, Satiram hanc ita miſtam magis compoſitam eſſe ad Ennii & Pacuvii, qui in Satiris ſuis multa ſibi licere voluerunt, quam ad Lucilii exemplum, qui muſas coluit ſeveriores.

Nihil nobis reſtat hodie ex Varronis Satiris, præter fragmenta quædam, eaque maximam partem corruptiſſima, tituloſque, quorum plurimi ſunt duplices, qui indicio ſunt, quanta eſſet varietas materiarum, quas Varro illic tractaverat.

Senecæ Apocolocyntoſis, Boëtii de Conſolatione Philoſophiæ libellus & Petronii Arbitri Satyricon ſunt Satiræ Varronianis omnino ſimiles.

Hæc habui de Satiris in genere dicenda: plura in hoc argumento diſſerere ſupervacuum eſſet. In notis noſtris commodior erit locus Hora-

Horationarum Satirarum naturam enarrandi. Interea illud velim animadvertat Lector, Latinum Vocabulum Satiræ tam deſignare Sermones qui Virtutem commendent, quam qui vitia inſectentur. Omnino aliter ſe res habet in lingua noſtra, ubi vel nomen ipſum Satiræ terrorem incutit iliis, qui ſe ſimulant id eſſe quod non ſunt; apud nos enim audito Satiræ nomine *convicium* intelligitur. Eadem tamen utrobique vox eſt. Sed Latini plerumque in librorum titulis reſpexerunt vocis ipſius naturam, & integram ſignificationem, quam habet ex etymologia, cúm Galli reſpiciant primum & frequentiorem vocis uſum, tributæ jam inde ab initio dicteriis & obtrectationibus.

Scribenda autem ea vox Latine per *u* vel per *i*, Gallice per *i* ſimplex. Qui per *y* ſcripſerunt, ii cum *Scaligero*, *Heinſio*, multiſque aliis crediderunt, ex Numinibus Ruſticis, quos Græci Σατύρας, Romani *Faunos*, nuncupabant, nomine dicta fuiſſe ejuſmodi poëmata, eque voce *Satyrus*, ductam vocem *Satyra*; iſtas præterea *Satyras* carminibus Græcorum *Satyricis* valde fuiſſe affines: quod eſſe falſiſſimum luculenter demonſtravit Caſaubonus, ubi docet à *Satyrus* ex analogia formari non *Satyra*, ſed *Satyrica*, plurimumque intereſſe inter Græcorum Satyrica, & Romanorum Satiras.

Spanhemius in pulchra ſua ad *Juliani Imperatoris Cæſare* Præfatione, plura de novo obſervata contulit ad ea, quæ ante ea de re protulerat celeberrimus *Criticus*, deſcriptis magno cum judicio duorum poëmatum quinque aut ſex diſcriminibus inſignioribus, quæ ſi videre cupias, auctorem adi. Nihil unquam fuit apud Græcos Romanæ Satiræ finitimum præter *Sillos* ſuos, mordax Poëmatis genus, quod ex fragmentis *Sillorum Timonis* facile colligi poteſt; ad hoc intererat, quod *Silli* Græcorum meræ eſſent *Parodiæ*, quod de Romana *Satira* dici nequit, ubi ſi forte aliquando in Parodiam incidas, videbis tamen Poëtam caviſſe ne abuteretur. Unde liquet Parodiis naturalem eſſe in Sillis ſedem, non item in Satiris.

Expoſita tandem natura, origine, & progreſſu Satiræ, pauca de ipſo Horatio mihi ſunt dicenda, qui quidem quales in hoc opere ſit, non poteſt commodius demonſtrari, quam ſi eum Silenorum ſtatuis compares, quibus Alcibiades in Sympoſio Socratem comparat, quæ nihil extra habebant pulchri, nihil ornati, at ſi illas aperuiſſes, omnium Deorum Dearumque imagines detexiſſes. Ad eum modum ſe nobis exhibet in Satiris Horatius, nihil magnum præ ſe fert, quod nos detinere debeat: dignior videtur eſſe, qui pueris teratur, quam qui viros occupatos teneat: ſed ſepoſito velo, & Horatio propiùs inſpecto, omnium illico Divorum oculis ſe ingerunt imagines, hoc eſt, omnes virtutes, ad quas aſſidue exercendi ſunt, qui vitiis ſuis corrigendis ſerio ſtudent. Oculis parùm intentis illum adſpexere antehac mortales; neque poſſum non mirari Satiras per tot ſecula lectas, atque relectas, paucis admodum fuiſſe intellectas, aut explicatas. Subſtiterunt in ipſo cortice, verbiſque interpretandis intenti nihil ultra petiêre: quod quidem fecerunt ut Grammaticis par erat, non ut Philoſophis: plane quaſi ſcripſiſſet Horatius ſolum ut verborum

con-

conſtruendorum rationem videremus, dediſſetque nobis librum horis in Schola fallendis, non animis ad virtutem formandis. Prorſus aliud ſibi in hoc opere propoſuerat Poeta. Namque finis verborum eſt actio, cujus etiam gratiâ verba ipſâ fuerunt reperta, quæ niſi illum aſſequantur finem, nihil niſi futiles ſoni, aures quidem feriunt, ad animum vero non pertinent.

Docere nos voluit Horatius in his Satiris, contra vitia noſtra militare, affectus temperare, naturam in cupiditatibus moderandis ducem ſequi, verum à falſo, & à rebus ipſis rerum ſpecies diſcernere, præjudicatas temere opiniones abjicere, principia & cauſas actionum noſtrarum perſpectas habere, ridiculam denique eorum pertinaciam evitare, qui, quibus a magiſtellis ſuis opinionibus imbuti olim fuerunt, iis obſtinate inhærent, nulla habita ratione quibus innitantur fundamentis; uno verbo, in eo elaboravit, ut nos nobis felices, amicis jucundos & fideles, omnibus quibuſcum vivimus, commodos, utiles, & benignos præſtaret.

Interpretari Auctoris verba, in *Figuras* digitum intendere, Lectores per orationis involutæ labyrinthos, aut parentheſeos obſcuræ tenebras, ducere, hæc omnia nihil eximium habent, nec ut loquitur *Epictetus*, quidquam pulchri aut ſapiente dignum. Ad hoc nobis annitendum eſt; hoc opus noſtrum eſt palmarium, uſum & rationes horum præceptorum oſtendere, eademque auctoritatibus fulcire, ut palam omnibus fiat, eos qui mores ſuos ad hoc ſeculum componere negligunt, paria facere ægrotis, qui libros, ubi remedia morbis ſuis præſcribuntur, legere contenti, Medici conſilio tantem abeſt ut utantur, ut ne intelligant quidem ejus utilitatem.

Non quod ego in commentariis meis quicquam ſciens volens prætermiſerim, quod ad Grammatici officium pertineat. Spero id ſenſuros eſſe Lectores, neque jam ullam ſuperfuturam in verbis Horatii difficultatem: ac in hanc curam præcipue incubui, ut argumenta, quæ tractat, illuſtrarem; rationum, quas adhibet, ſoliditatem indigitarem; ut expedirem circuitus & ambages, per quas nonnunquam incedit ad placita ſua confirmanda, & ad contraria refutanda, vel eludenda: ut veritatem aſſertionum ipſius ſtabilirem; ut vafritiem ejus, ubi quaſi ex inſidiis agit, quæ Lectorem imperitum facilè fugiat, oculis exponerem; ut denique in apricum proferrem ridiculum illud, quod in omnibus quas oppugnat rebus adhibuit. Hæc ſunt quæ fecit ante me nemo. Nam ut eſt Horatius verus Proteus, ſæpe formas variando, interpretes ſuos ſæpe effugit, qui cùm ipſum reprehendere nequirent, ſtupentes fecerunt, quod potuerunt. Affixerunt ei ſæpenumero ſenſum non ſolum diverſum, ſed etiam adverſum, quemque ipſe eo loco refellere voluit. Non quod ego quicquam detractum velim, qui antè me Horatio illuſtrando laborem ſuum contulerunt: laudo conatus illorum, illi mihi viam aperuerunt. Siqua in re ego illos ſuperavi, omne illud acceptum refero magnis iſtis ex antiquitate viris, quos majore cum cura, majore certe otio, legi, Homerum dico, Platonem, Ariſtotelem, alioſque tam Græcos, quam Latinos, quos aſſidue tero, ut ad eorum guſtum reformem meum, eorumque fontibus Ingenii & Judicii mei hortulos irrigem.

Non

Non deſunt, ſcio, his temporibus qui magna illa Nomina riſu excipiunt, qui reclamant laudibus, quibus per omnia ſecula celebrati ornatique ſunt, quique illos ſpoliare velint iis coronis, quas tanto ſuo merito de Tribunalibus adeo auguſtis reportarunt. At hi, dum nimio efferuntur ſtudio eam devitandi admirationem, cujus *mater* eſt *ignorantia*, imprudentes diſcedunt ab altera illa, quam Plato nuncupat *matrem ſapientiæ*, quæque prima oculos hominibus aperuit. Minime miror pulchritudinem illam divinam, quæ apud Scriptores longe præſtantiſſimos elucet, iſtos homines non capere, neque trahere: nempe infirmiores ſunt, quam ut oculos tantis ſplendoribus intentos diu tenere queant: ne dicam facilem eſſe rem Antiquos contemnere, laborioſam veró intelligere.

Quod ad me attinet, Divinos illos Viros ex animo totus admiror veneror que. Eos mihi ſemper ob oculos pono, velut Judices verendos & incorruptos, apud quos libenter fingo reddendam mihi eſſe ſcriptorum meorum rationem.

Magna interim ducor Poſteritatis reverentia: timidior quam fidentior cogito, quale de operibus meis, ſi bono ſuo fato eo pervenire poſſint, judicium latura ſit. Non ideo tamen minoris æſtimo doctos viros, qui hodie vivunt; multi ſunt, fateor, qui ſeculum noſtrum exornant, qui priora potuiſſent exornare; in quibus tamen ne unum quidem novi, qui non honoret & colat antiquos, cui non idem quod illis ſapiat, aut qui eorum præcepta non obſervet, unde quantum aberraveris, tantum ab ipſa natura & veritate diſceſſeris. Neque verear confirmare, non eſſe difficilius ſine luce oculis objecta perſpicere, quam ſolidam laudem adipiſci, & ingenium excolere aliis rationibus, quam quas Græci & Romani nobis præſcripſerunt: Sive enim propriis felicis ingenii viribus innixi, ſive ab arte & ſtudiis inſtructi, earum veſtigiis ſuccedimus tamen. Qui autem Antiquos damnant, cauſa non cognita, non abs re erit, eos ſemel & ſimul tanto errore liberare, ut ipſis palam fiat, ſe, dum nimio in hanc ætatem ſtudio tranſverſi rapiuntur, ejus famæ apud poſteros graviſſimum vulnus imprudentes infligere. Quodnam enim excogitari poteſt clarius argumentum ad ſeculi cujuſvis ignorantiam, aut potius barbariem demonſtrandum, quam quod ibi Homerus audiat ineptus. Plato ad faſtidium prolixus, Ariſtoteles parum doctus, Demoſthenes & Cicero è trivio Oratorculi, Virgilius Poeta nullis gratiis, nullo ornatu, Horatius denique rudis, humilis, & ſine nervis? Barbaræ illæ gentes, quæ Græciam & Italiam populantes, tanto furore graſſabantur, quid unquam in delendis pulcherrimis vetuſtatis monumentis tetrius auſi ſunt? Quid magis horrendum? Verum ſpes eſt non toti ſeculo imputatum iri quorundam perverſum judicium, nec Antiquis fraudi fore.

Fruſtra Imperator ille arma in Homerum, Virgilium, Titum Livium movit: Incaſſum cecidere tanti conatus: bellum abſolutiſſimis operibus indictum quid aliud egit, niſi ad numerum ineptiarum acceſſit, quo laborat ipſius hiſtoria, cumulatioremque ipſi invidiam apud poſteros conflavit?

Q. HORATII

Q. HORATII FLACCI SATIRARUM

LIBER I.

SATIRA I.

Adverſus hominum inconſtantiam, & exinde in avaritiam invehitur.

QUI fit, Mæcenas, ut nemo, quam ſibi ſortem [505]
Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit, illâ [506]
Contentus vivat: laudet diverſa ſequentes?

INTERPRETATIO.

Quomodo fit, ô Mæcenas, ut nullus vivat contentus eâ conditione, quam ſibi vel conſilium dederit, vel fortuna obtulerit: & quiſque *præferat ſectantes diverſa* inſtituta?

ANNOTATIONES.

Duobus Satirarum libris Horatius Stoicè carpit vitia, callidè tamen, atque, ut ait Perſius Sat. 1. v. 116.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

Egregiè & appoſite Seneca, in lib. quo probat in ſapientem non cadere injuriam. *Cæteri ſapientes,* inquit, *molliter & blande, ut familiares medici ægris corporibus, non quà optimum eſt, medentur; ſed quà licet. Stoici virilem ingreſſi viam, non ut amæna intuentibus videatur, curæ habent; ſed ut quamprimum nos eripiant, & in illum editum verticem educant, qui adeò extra communem teli jactum ſurrexit, ut ſupra fortunam emineat.* Horatii Satiras commendat Quintil. l. 10. c. 1. his verbis: *Multo eſt terſior ac purus magis Horatius; & ad notandos hominum mores præcipuus.* De nomine & origine Satiræ diſſerui ad Juvenalem, tum in Præfatione, tùm v. 30. Sat. 1. ubi admonui non à Satyrorum dicacitate appellatum hoc carmen, ſed à ſaturâ lege, vel lance: quod ſicut hoc varios fructus contineret diis agreſtibus offerendos, illa verò multa & diverſa preferret edicta; ita Satira multiplex argumentum complecteretur, variaque pertractaret. Hancque etymologiam aſſerunt eruditiſſimi quique viri. Ad quos, lector, accedes, reclamante licet Julio Scaligero. Poët. lib. 1. cap. 12. Porrò ne mirere, quod Sermonum vocem ac titulum, ut in vulgatis plerumque, non inſcripſerimus. Vetant graves & docti; vetat ratio. Sermones ſunt tam Satiræ quàm Epiſtolæ: in utriſque ſcilicet reperitur æquè ſermo, id eſt, *oratio remiſſa & finitima quotidianæ locutioni:* ut definit Cicero ad Heren. 4. n. 23. Quare igitur iſte Satiris titulus duntaxat præfigatur?

1. *Qui fit, Mæcenas.*] Non abs re tanti literarum Patroni nomen appoſitum eſt ad caput ſingulorum Horatii operum, Od. Epod. Satir. Epiſt.

2. *Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit.*] *Ratio,* conſilium, voluntas Deorum, ex quâ fieri ſingula in orbe hoc inferiori, Stoici ſtatuebant.

Fors.] Seu fortuna, ad quam referebant omnia Epicurei.

3. *Diverſa.*] Diverſa ſtudia, ac vitæ inſtituta.

Miles ſenior, fractis jam artubus labore diuturno, dicit: ô felices mercatores! è contrario negotiator, cum Notus exagitat navim, ait: melius eſt bellum. Enimvero confligitur: horæ ſpatio brevi mors velox accidit, vel felix victoria. Juriſconſultus fortunatos agricolas æſtimat, quando conſultor januam ejus verberat, ad gallicinium.

Is verò qui datis ſponſoribus rure reductus eſt in civitatem, ſolos prædicat beatos in civitate degentes. Reliqua ejuſmodi tam multa ſunt, ut fatigare queant verboſum Fabium. Ne te retardem, audi quo tendam. Si numen aliquod dicat: Ecce ego jam præſtabo quod deſideratis: tu qui miles eras anteà, fies mercator: tu juriſperitus, jam eris agricola. Vos illinc,

O fortunati mercatores! gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contrà mercator, navim jactantibus Auſtris,
Militia eſt potior. Quid enim? concurritur: horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat juris legúmque peritus,
Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat. [507]
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem eſt,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cætera de genere hoc (adeò ſunt multa) loquacem
Delaſſare valent Fabium. Ne te morer, audi
Quò rem deducam. Si quis deus, En ego, dicat,
Jam faciam quod vultis! eris tu, qui modò miles,
Mercator: tu, conſultus modò, ruſticus: Hinc vos,

ANNOTATIONES.

6. *Auſtris.*] Lib. 1. Ode 3. *Rabiem Noti.* Vide & Lib. 3. Od. 3. *Dux inquieti turbidus Adriæ Auſter.*

10. *Sub galli cantum.*] Quemque tædet ſuæ conditionis, dum ejus ſentit incommoda; alienam vero laudat, quoniam tum ejus ſolùm commoda intuetur. Sic juriſperitus agricolâ ſe infeliciorem putat, quandocunque importuni abſunt conſultores, & ſumma mane oſtia pulſant, ſomnum & quietem interturbantes, ſeu cùm narrationibus vel interrogationibus ſæpe futilibus & inſulſis caput obtundunt.

Galli cantum.] Vide Plin. lib. 10. cap. 21. ubi ſic habet: *Hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit, Nôrunt ſidera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu. Cum ſole eunt cubitum, quartâque caſtrenſi vigiliâ ad curas laboremque revocant: nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nunciant cantu.* Cicero de Divin. lib. 2. n. 57. *Democritus quidem optimis verbis cauſam explicat, cur ante lucem galli canant. Depulſo enim de pectore & in omne corpus diviſo & modificato cibo, cantus edere quiete ſatiatos: qui quidem ſilentio noctis, ut ait Ennius, favent faucibus ruſſis cantu, plauſuque premunt alas.* Cœl. Rhodig. lib. 16. cap. 13. multa de his.

Conſultor.] Cicero pro Murænâ, n. 22. ſic artem militarem cum Jure Civili, ſeu, belli ducem cum juriſperito, confert: *Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas: ille, ut eo, quo intendit maturè cùm exercitu perveniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat.*

11. *Ille, datis vadibus, &c.*] Agricola verò in jus venire coactus, cives in urbe degentes videns non experiri ea quæ ſentit incommoda, ſtatim eos judicat beatiores ſe, ſuamque deteſtatur conditionem. *Vades* ſunt ſponſores qui pro altero ſe obligant ejuſque ſuſcipiunt cauſam, ac reos ſe pro eo præſtant, ſive caput agatur aut crimen, ſive pecunia. Nomen factum *vadibus*, ex eo quòd qui eos dederint, vadendi ſeu diſcedendi habent poteſtatem, donec adſit præſtitutus ad ſiſtendum ſe judicio dies. n. 79. Cic. de Finib. 2. *Vadem te ad mortem Tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille ſecit Siculo Tyranno?* Quod fusè explicat Offic. 3. n. 45. *Damonem & Pythiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, ut, cùm eorum alteri Dionyſius Tyrannus diem necis deſtinaviſſet, & is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum causâ poſtulaviſſet: vas factus ſit alter ejus ſiſtendi; ut, ſi ille non revertiſſet moriendum eſſet ipſi. Qui cùm ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem Tyrannus, petivit, ut ſe ad amicitiam tertium adſcriberent.*

14. *Fabium.*] Quis iſte fuerit, haud planè liquet. Vetus Interpres, *Fabius Narbonenſis*, inquit, *Equeſtri loco natus, Pompeianas partes ſecutus de ſectâ Stoicâ nonnunquam cum Horatio acriter contendit: ſcripſit etiam aliquot libros de Philoſophiâ Stoicâ.* Sunt qui clamoſum, verboſum, & loquacem cauſſidicum fuiſſe dicant eum quem hîc vellicat Poëta.

15. *Si quis Deus, &c.*] Præclaram huic loco dat lucem Seneca, Epiſt. 95. ubi ſic ſcribit: *Multa videri volumus velle, ſed nolumus . . . ſæpè aliud volumus, aliud optamus, id eſt à Diis petimus; & verum ne Diis quidem dicimus. Sed Dii aut non exaudiunt, aut miſerentur. Qui ſi exaudirent & annuerent, damna nobis ſæpe maxima, aut mala, quæ minimè vellemus, darent.*

18. *Mutatis partibus.*] Mutatis vitæ inſtitutis, conditione, officiis.

Vos

Vos hinc mutatis decedite partibus. Eja!
Quid ſtatis? Nolint. Atqui licet eſſe beatis.
Quid cauſæ eſt, meritò quin illis Jupiter ambas 20
Iratus buccas inflet; neque ſe fore poſthac [508]
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?
Præterea, (nè ſic, ut qui jocularia, ridens
Percurram: quanquam ridentem dicere verum
Quid vetat? Ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima. 26
Sed tamen amoto quæramus ſeria ludo.)
Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo; miles, nautæque, per omne
Audaces mare qui currunt, hâc mente laborem
Seſe ferre, ſenes ut in otia tuta recedant, 31
Aiunt, cùm ſibi ſint congeſta cibaria: ſicut
Parvula (nam exemplo eſt) magni formica laboris
Ore trahit quodcunq; poteſt, atq addit acervo [509]
Quem ſtruit, haud ignara ac non incauta futuri. 35
Quæ, ſimul inverſum contriſtat Aquarius annum,

vos iſtinc abite, mutatis vivendi inſtitutis. Eja! cur cunctamini? At illi *abnuent. Verumtamen concedetur* vobis *eſſe fortunatos.* Ergo *quare Jupiter utramque maxillam non inflat* contra *illos & juſtè* quidem: *dicatque, ſe deinceps tam facilem haud futurum, ut poſtulatis aurem det? Porrò ne jlocalariter* hæc *perſcribam, ſicut qui ridicula* proferunt: *tametſi quid prohibet jocoſè veritatem loqui? Quemadmodum præceptores aſſentantes aliquando pueris donant placentas, ut velint excipere prima documenta. Attamen ſecluſo joco ſeria proſequamur. Is qui humum deſudans colit duro vomere, fraudulentus iſte caupo, miles & nautæ cuncta maria intrepide navigantes, affirmant* univerſi, *eo ſe conſilio labores exantlare, ut in ſenectute quietem ſecuram capeſſant, poſtquam ſibi alimenta comparaverint: non ſecus ac exigua formica (nam præbet exemplum) ingenti labore defert ore quicquid poteſt, & adjungit cumulo quem aggerit, præſcia & provida futuræ* hyemis. Verumtamen *illa, ſtatim atq; annum abeuntem vexat Aquarius,*

ANNOTATIONES.

20. *Ambas Iratus buccas inflet.*] Hoc indignationis & gravis iræ indicium eſt & effectus. Tunc enim crebri concitatique ſpiritus ad os prorumpunt, buccaſque diſtendunt; atque animi motum, ſanguiniſque fervorem exprimunt. tum verba concitatiora, tum color tumorque buccarum, tum oculorum denique ignitus ardor, & quaſi fulgurans. Noſter ad Piſones, *tumido delitigat ore*, ait eodem ſenſu. Sic & Græci loquuntur. Demoſthenes de Æſchine, *Ambulat clamitans ſe affectum contumelia*, . . *buccas inflans*, τάς γνάθους φυσῶν.

24. *Ridentem dicere verum.*] Poſtea Sat. 10. v. 14.

. . . . *Ridiculum acri*
Fortiùs & meliùs magnas plerumque ſecat res.

25. *Cruſtula.*] Fiebant è farina, lacte, caſeo, oleo, melle, &c. Quæ placentæ, bellaria, dulciaria dantur pueris interdum, quibus invitentur ad capiendam ſponte diſciplinam, ac libentiùs animum ad diſcenda prima literarum elementa applicandum. Plato 7. de Republ. vetat pueros vi adigi ad diſciplinam, vult autem quaſi ludendo invitari; tum quia ſic appareat, ad quod diſciplinæ genus quiſque ſit aptus: tum quod nulla diſciplina cum vi conjuncta ſtabilis in animo permaneat.

28. *Ille gravem duro, &c.*] In avaritiam deinceps pugnat.

29. *Perfidus hic caupo.*] *Perfidus*, ſeu quòd vinum aquâ mixtum venderent tanquam mustum purum; ſeu quod iniquis menſuris uterentur. Hinc Ædiles, inter alia ſua officia, in hos animadvertere debebant. Perſ. Sat. 1. v. 130.

Fregerit heminas Areti Ædilis iniquas.

33. *Nam exemplo eſt.*] Sapiens Prov. 6. v. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam.*

Magni formica laboris.] Phocylides in carmine admonitorio; *Formica*, inquit, *gens exigua, ſed valdè laborioſa eſt*: φῦλον δ᾽ ὀλίγον τελέθει πολύμοχθον. Ib. deſcribuntur formicæ labores; ut & Virg. Georg. 1. v. 186. & 380. Æneid. 4. v. 402. Plin. l. 11. c. 30, &c.

34. *Ore trahit quodcunque poteſt.*] Plin. l. 11. c. 30. *Si qui comparet onera corporibus earum*, (formicarum) *fateatur nullis portione vires eſſe majores. Gerunt ea morſu: majora averſæ poſtremis pedibus moliuntur, humeris obnixæ. Eſt iis Reip. ratio, memoria, cura. Semina arroſa condunt, nè rurſus in fruges exeant è terrâ. Majora ad introitum* (cavernæ) *dividunt. Madefacta imbre proferunt atque ſiccant. Operantur & noctu plenâ lunâ. Eædem interlunio ceſſant. Jam in opere qui labor? quæ ſedulitas? &c.*

36. *Quæ, ſimul inverſum, &c.*] Poëta ipſe formicarum exemplo utitur adverſus avarum, cujus inſatiabilis pecuniæ fames eſt. Atqui formica, inquit, quieſcit aliquando, ceſſatque laborare & congerere, utiturque ſapiens ac vectitat congeſtis. At tibi laborandi & quæſtum faciendi nullus eſt finis.

Contriſtat Aquarius annum.] Cum hyems

Non uſquam prorepit, et illis utitur antè
Quæſitis ſapiens; cùm te neque fervidus æſtus
Demoveat lucro, neq; hyems, ignis, mare, ferrum.
Nil obſtet tibì; dum ne ſit te ditior alter.
Quid juvat immenſum te argenti pondus et auri
Furtim defoſsâ timidum deponere terrâ?
Quod ſi comminuas, vilem redigatur ad aſſem.
At ni id fit, quid habet pulchri conſtructus acervus? [510]
Millia frumenti tua triverit area centum:
Non tuus hoc capiet venter plus quàm meus: ut ſi
Reticulum panis, venales inter, onuſto
Fortè vehas humero; nihilo plus accipias, quàm
Qui nil portârit. Vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viventi, jugera centum, an
Mille aret. At ſuave eſt ex magno tollere acervo.
Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris?

non ampliùs foras egreditur, iiſque prudens victitat, qua priùs accumulavit: te verò nec ardèns æſtus, nec hyems ignis, mare, ferrum, à quæſtu deterret. Nihil te remoratur: modò ut alius nemo te locupletior exiſtat. Quid verò prodeſt tibi ingentem auri vel argenti ſummam humo clam egeſta occultare, non ſine metu? Reſpondes. *At ſi detrahatur* quidpiam, *redigatur* acervus *ad parvum aſſem.*

Repono ego. *A qui niſi illud agitur, quid præclari habet cumulus congeſtus?* Etſi *area tua contriverit centies mille tritici* modios, *non proptereà venter tuus plus devorabit quàm meus: ſicut ſi ſervorum unus tu ſacculum panis onerato humero forte deferas, nihil* tamen *amplius accipies, quàm qui nihil geſtaverit. Aut dic quid interſit victitanti intra naturæ limites,* utrùm *jugera centena colat, an millena. Verùm,* inquies, *jucundum eſt ſumere ex ingenti cumulo.* Imò, *ſi tantundem relinquas nobis accipiendum è modico, quare tua horrea præferas vaſculis noſtris?*

ANNOTATIONES.

advenerit, & cùm menſe Januario ferè medio Aquarius triſtem facit annum, tum verò formica non prodit foras, manet in ſuâ cavernulâ, ibique veſcitur quæſitis æſtate cibariis.

Aquarius.] Unum è duodecim ſignis zodiaci, quod ſol ingreditur xvii. Feb. Virgil. Georg. 3. v. 303.

> . . . . *cum frigidus olim*
> *Jam cadit, extremoq; irrorat Aquarius anno.*

38. *Neque fervidus æſtus Demoveat lucro.*] Juv. Sat. 14. v. 135.

> *Sed quo divitias hæc per tormenta coactas?*
> *Cùm furor haud dubius, cùm ſit manifeſta phreneſis,*
> *Ut locuples moriaris egenti vivere fato?*
> *Intereà pleno cùm turget ſacculus ore,*
> *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.*
> *Et minùs hanc optat qui non habet.*——

Theognis, *Divitiarum,* inquit, *nullus finis eſt hominibus. Qui plurimas habent, duplo eas augere conantur. Quis ſaturaverit eos omnes? Opes quidem mortalibus ſunt amentia.*

> Πλȣ́τȣ δ' ȣ̓δὲν τέρμα . . .
> Χρήματα τοι θνητοῖς γίνεται ἀφροσύνη.

43. *Quod ſi comminuas, &c.*] Jam per multiplicem prolepſin diluit ac diſcutit varios prætextus, quibus ſolent avari ſordes ſuas obvelare. At ſi de acervo detraham aliquid interdum ac ſæpè, inquit ille avarus, brevi ad unum aſſem acervus redigetur; ego verò mox egeſtate conflictabor.

44. *At ni id ſit, &c.*] Reſpondet Poëta. At niſi utaris pecuniâ tuâ, quid ex eâ pulchri facies? Quid erit abſconditum aurum & argentum? lib. 2. Od. 2.

> *Nullus argento color eſt, avaris*
> *Abditæ terris inimice lamnæ,*
> *Criſpe Salluſti, niſi temperato*
> *Splendeat uſu.*

45. *Millia frumenti, &c.*] Et ſi agri tibi reddant frumenti modiorum centena millia, non ideò plus devorabis quàm ego qui pauca poſſideo.

47. *Reticulum panis.*] Sacculum è reticulo, quo panis ferebatur. S. Auguſt. de Civ. Dei, lib. 18. cap. 18. *Annona retica dicitur,* inquit, *quoniam ad retia deportatur.*

Venales inter.] Inter venalitios ſervos, venum expoſitos.

49. *Intra naturæ fines viventi.*] Senec. Epiſt. 16. *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper: ſi ad opiniones, nunquam eris dives.*

50. *Jugera.*] Jugerum agri pedes 240 in longum, 120 in latum continet: ſive, quantum uno boum jugo arari uno die poteſt, Iſidor.

Centum, an mille aret.] Aurel. Victor de Manio Curio Dentato ſic refert: *Quaterna dena agri jugera viritim populo diviſit, ſibi deinde totidem conſtituit, dicens neminem eſſe debere civem, cui non tantum ſufficeret.*

51. *At ſuave eſt ex magno.*] Hæc dicit avarus contrà.

52. *Dum ex parvo nobis.*] Avarum Poëta refutat.

53. *Cumeris.*] Vaſis fictilibus, vimineis.

Ut tibi ſi ſit opus liquidi non amplius urnâ,
Vel cyatho, et dicas; Magno de flumine mallem
Quàm ex hoc fonticulo tantundem ſumere. Eo fit,
Plenior ut ſi quos delectat copia juſto, 57
Cum ripâ ſimul avulſos ferat Aufidus acer. [511]
At qui tantulo eget, quanto eſt opus, is neq; limo
Turbatam haurit aquam, neq; vitam amittit in undis.
At bona pars hominum decepta cupidine falſo, 61
Nil ſatis eſt, inquit; quia tanti quantum habeas, ſis.
Quid facias illi? jubeas miſerum eſſe, libenter
Quatenus id facit; ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives, populi contemnere voces 65
Sic ſolitus: Populus me ſibilat; at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arcâ.
Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur. Congeſtis undique ſaccis 70
Indormis inhians, et tanquam parcere ſacris [512]
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Neſcis quo valeat nummus, quem præbeat uſum?

perinde ac ſi egeas aquæ urnâ vel cyatho duntaxat, dicaſque, Mallem tantundem haurire magno de fluvio, quàm de iſto fonte parvulo. Hinc verò fit, ut ſi qui requirant nimiam abundantiam, hos cum ripa abreptos auferat Aufidus vehemens. Qui autem tantum deſiderat, quantum neceſſe eſt, ille nec captat aquam cœno turbidam, nec vitam in fluctibus perdit. Sed magna pars mortalium fallaci cupiditate, illuſa ait; Nihil ſufficit, quoniam tanti æſtimabere, quantum poſſidebis. Quid huic agas? ſine illum *eſſe infelicem quandoquidem id ſponte agit. Itâ quidem narratur Athenis* extitiſſe *avarus & opulentus, verba plebis aſpernari ſuetus hoc modo: Plebs me ſibilat:* ego *verò mihimet domi applaudo, quoties nummos in arcâ conſpicio. Tantalus ſitibundus appetit fluvios à labiis recedentes. Cur rides? De te, nomine* ſolùm *mutato, fabula commemoratur. Dormis avidus ſuper ſacculos undequaque accumulatos: & cogeris abſtinere velut à* rebus *ſacris, vel delectari quaſi tabulis* pictis; An *ignoras ad quid pecunia utilis ſit ac neceſſaria?*

ANNOTATIONES.

ſparteis, palmeis in quibus tenuiores frumentum ſuum modicum condebant: at divites in granariis ſeu horreis. Feſtus.

58. *Cum ripâ ſimul avulſos ferat Aufidus.*] Qui plus divitiarum appetunt, quàm par eſt, ſæpe rerum copia illos perdit; ſicut qui vult aquam haurire ex ingenti flumine, non rarò demergitur ac perit.

Aufidus.] Apuliæ fluvius, pro quolibet alio rapido flumine. De eo lib. 3. Od. 30. ubi, *violens Aufidus.*

59. *Neque limo Turbatam haurit aquam.*] Plus limi trahunt majores fluvii: contrà fonticulus limpidam habet aquam. Indicat Horatius per ſimilitudinem eos, qui opes magnas avidè quærunt, multis turbari curis, nonnunquam obrui & abſumi.

61. *Cupidine falſo.*] Cupiditas imagine recti & juſti fallit. Nimirùm honeſtè vivendum, famæ conſulendum, &c. Ergo docet opes accumulare ad ſumptus neceſſarios faciendos.

64. *Ut quidam memoratur Athenis.*] Quis ille, ignoratur. Timonem quendam miſanthropum perperam hîc intelligunt interpretes plerique. Divitem ac ſordidum hominem exhibet Horatius. Timon ille contrà avaritiæ fuit hoſtis, aiebatque ſapienter *inſatiabilem cupiditatem atque ambitionem eſſe omnium malorum elementa*, apud Stobæum. De eo Diogenes Laërtius, & Lucianus.

66. *Populus me ſibilat, &c.*] Solebat populus plauſu & acclamationibus excipere viros inſignes de Rep. bene meritos, ſibique gratioſos, cùm theatrum ad ſpectacula ingrederentur: at homines ſibi infenſos & invidioſos, ſibilis proſequebatur. Cic. in Piſonem n. 65. *Da te populo, committe ludis, ſibilum metuis?* Ad Attic. lib. 2. Epiſt. 18. *Fuſum clamoribus, & conviitiis, & ſibilis conſectantur.*

68. *Tantalus à labris, &c.*] Egregiam apoſiopeſin obſerva, lector; quâ Poëta longiuſculam, ut videtur, narrationem exorditur ſtatimque abrumpit, atque avaro *Quid rides?* De Tantalo, vide Annot. lib. 1. Od. 28. & lib. 2. Od. 23. Bellè Petronius: c. 82.

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus infelix, quem ſua fata premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia latè
Qui tenet, & ſicco concoquit ore famem.

72. *Pictis gaudere tabellis.*] Intuendo tantùm, nunquam utendo.

Panis ematur, olus, vini ſextarius; adde,
Queis humana ſibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctéſque diéſque
Formidare malos fures, incendia, ſervos,
Ne te compilent fugientes; hoc juvat? horum
Semper ego optârim pauperrimus eſſe bonorum.
At ſi condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te affixit; habes qui
Aſſideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suſcitet, ac reddat natis cariſque propinquis.
Non uxor ſalvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.
Miraris, cùm tu argento poſt omnia ponas, [515]
Si nemo præſtat, quem non merearis, amorem?
At ſi cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis, ſervaréque amicos;
Infelix operam perdas; ut ſi quis aſellum
In campo doceat parentem currere frenis.
Denique ſit finis quærendi; cúmque habeas plus,
Pauperiem metuas minùs; et finire laborem
Incipias, parto quod avebas: nec facias quod
Umidius, qui tam (non longa eſt fabula) dives
Ut metiretur nummos, ita ſordidus, ut ſe
Non unquam ſervo meliùs veſtiret: ad uſque
Supremum tempus, ne ſe penuria victûs
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta ſecuri
Diviſit medium, fortiſſima Tyndaridarum.

Ematur panis, oleta, vini ſextarius: adjunge illa quibus non conceſſis ægre ſe habeat natura humana. Verùm *an expedit vigilare pavidum, & diebus ac noctibus timere improbos prædones, incendia, ſervos, ne te deprædentur ac fugam arripiant? Ego* certè *ejuſmodi bonis carere ſemper exoptaverim.* Dices verò: *At ſi corpus algore vexatum ægrotet, aliudve morbi genus affigat te cubili, præſto eſt qui adſit, meditamenta ſubminiſtret, medicum precetur ut te ſanum præſtet ac reſtituat liberis & dilectis cognatis.* Erras, inquam ego. *Non conjux, non filius, te incolumem cupit: te averſantur vicini cuncti, familiares, pueri & puellæ.*

Scilicet *quando pecuniæ tu poſtbabes univerſa, an miraris quod nullus exhibeat amorem, quem nequaquam mereris? Quin imò ſi cupias addictos ſemper habere eos quos tibi propinquos natura donat ſine ullo labore, miſer ſanè operam perdas; non ſecus ac ſi quiſpiam doceat aſinum habenis regi, & per campum decurrere. Tandem ſit modus acquirendi: & quandoquidem pluſculum poſſides,* paulò *minus* deinceps *time egeſtatem: atque incipe* aliquando *finire laborem, comparatis* facultatibus, *quas petebas. Ne* verò idem *agas quod Umidius qui adeò opulentus (haud prolixa eſt narratio) ut pecuniam metiretur; tam parcus, ut nunquam ſe veſtiret meliùs ſervo.* Is *ad ultimum* vitæ *finem reformidabat ne periret inopiâ ciborum. At illum ſecuri diſcidit medium liberta Tyndaridarum fortiſſima.*

ANNOTATIONES.

74. *Vini ſextarius.*] Sexta congii pars, continens cyathos duodecim.

76. *An vigilare metu exanimem, &c.*] Urget Poëta, oſtenditque gravia divitiarum incommoda, Juvenal. Sat. 14. v. 303.

Tantis parta malis, curâ majore metuque
Servantur. Miſera eſt magni cuſtodia cenſûs.

80. *At ſi condoluit, &c.*] Objicit avarus neceſſitatem pecuniæ. Juvenal. Sat. 14. v. 156.

Scilicet & morbis & debilitate carebis,
Et luctum & curam effugies,

84. *Non uxor ſalvum te vult, &c.*] Redarguit Poëta: imò verò cùm ſperas opes intactas ſervando, ſubſidia tibi comparare, omnium odium incurris: iis ipſis intolerabilis es, quibus maximè carus eſſe debueras. Nec mirum, quippe unam pecuniam amas, cætera aſpernaris; quâ ratione velis à quoquam diligi? huc facit verſiculus ille: Θάνοιμ' ἂν εἴ με πάντες εὔχονται θανεῖν.

Mori velim, ſi me omnes exoptent mortuum.

90. *Ut ſi quis aſellum, &c.*] Adagium eſt, de eo qui operam inanem ſumit ac molitur.

95. *Umidius.*] Legunt alii, *Numidius*; alii *Unidius*, &c. perinde eſt.

96. *Metiretur nummos,*] Scilicet numerare foret longius prope innumerabiles. Petron. c. 37. *Uxor Trimalchionis: Fortunata appellatur, quæ nummos modio metitur.* Suidas. μεδίμνῳ τ' ἀργύριον ἀπομετρεῖν.

100. *Fortiſſima Tyndaridarum.*] Velut altera Clytæmneſtra Tyndari filia, quæ Agamemnonem interfecit ab Ægiſtho mœcho adjuta. Juvenal. Sat. 6. v. 656.

Quid mî igitur ſuades? Ut vivam Mænius? aut ſic,
Ut Nomentanus? Pergis pugnantia ſecum
Frontibus adverſis componere. Non ego avarum [514]
Cùm veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.
Eſt inter Tanaïm quiddam ſocerùmq; Viſelli;
Eſt modus in rebus; ſunt certi denique fines,
Quos ultra citráque nequit conſiſtere rectum.
Illuc, unde abii, redeo. Nemon' ut avarus
Se probet; ac potiùs laudet diverſa ſequentes?
Quòdque aliena capella gerat diſtentius uber,
Tabeſcat? neque ſe majori pauperiorum
Turbæ comparet; hunc atque hunc ſuperare laboret?
Sic feſtinanti ſemper locupletior obſtat:
Ut cùm carceribus miſſos rapit ungula currus,

Quid ergo mihi ſuades? inquis: *Vivamne ſicut Mænius, aut Nomentanus?* Reſpondeo. *Continuò res oppoſitas conjungis adverſis frontibus. Quando te avarum eſſe prohibeo, non te volo* eſſe *nequam et perditum. Eſt aliquod* diſcrimen *inter Tanaïm & ſocerum Viſelli. Eſt mediocritas in rebus: adeoque ſunt certi limites, ultra vel citra quos rectum ſtare non poteſt. Revertor* illuc *unde digreſſus fui.* Ergone *nullus, perinde ac avarus, ſe probabit: & quiſque laudabit ſectantes diverſa inſtituta? Et* invidiâ *contabeſcat, quod capra alterius ferat ubera pleniora? nec ſe conferat majori numero pauperiorum? illum atque iſtum ſupergredi conetur?* profectò *ſic properanti ſemper impedimento erit ditior aliquis: quemadmodum quando ungula abripit currus repagulis emiſſos,*

ANNOTATIONES.

. . . . . . *Tyndaris illa bipennem*
Inſulſam & fatuam dextra lævâque tenebat.

Fortaſſe etiam libertæ illi nomen erat Tyndaris: luditque Poëta & alludit ad Tyndaridas virorum interfectrices.

101. *Ut vivam Mænius? aut ſic Ut Nomentanus:*] Uterque ille bonorum decoctor. Malè quidam legunt, *Nævius*, hic enim avarus fuit, de quo lib. 2. Sat. 2. At de Mænio, paternæ maternæque hæreditatis dilapidatore, iterum poſteà Epiſt. 15. lib. 1. *Nomentanus* à Nomento oppido cognominatus, prænomine Lucius, nomine Caſſius, famoſus luxuriâ extitit.

102. *Pergis pugnantia, &c.*] In extrema ruis, cùm eligendum ſit amplectendumque medium, in quo virtus quæque conſiſtit. Nec avarum te volo, nec prodigum.

104. *Vappam.*] Nequam, & ſimilem corrupto vino, quod jam bonitatem perdidit. Plin. l. 14. c. 20. *Vitiumque muſto quibuſdam in locis, iterùm ſponte fervere; quâ calamitate deperit ſapor; vappæque accipit nomen, probro ſum etiam homini, cùm degeneraverit animus.* S. Chryſoſt. οἶνος μὲν ἀρετῆς βλάβη τὸ παραπτῶναι, καὶ εἰς ὄξινον μεταπεσεῖν. Latini, vinum vappeſcens. Gall. *du vin qui ſe tourne.*

Nebulo.] Levis inſtar nebulæ, qui nullo conſilio, nullâ ratione ducitur. Vel qui non pluris æſtimandus quàm nebula. Quidam deducunt à *ne* & *obolo*, quaſi nec obolo dignus. Non. Marcell. *Nebulones & tenebriones dicuntur, qui mendaciis & aſtutiis ſuis nebulam quandam & tenebras objiciunt.*

105. *Tanaïm.*] Liberum Mæcenatis, ſpadonem.

Socerum Viſelli.] Herniôſum. Inter utrumque eſt ille cui integra ſunt corporis membra nihil verè ſuperfluum.

108. *Nemon' ut avarus Se probet?*] Nemone contentus erit ſuâ conditione & alienam laudabit quiſque, ſicut avarus ſatis opum ſe habere nunquam putat, alioſque ſe beatiores ac ditiores ſemper exiſtimat?

111. *Neque ſe majori pauperiorum Turbæ comparet.*] Hinc mali origo. Plures ſe pauperiores non conſiderat avarus: at unum aut alterum opulentiores ſorte ob oculos ſemper habet, eoſque ſuperare ſatagit.

113. *Sic feſtinanti ſemper locupletior obſtat.*] Qui ſic affectus eſt, ut velit opibus omnes vincere, huic ſemper videbitur aliquis eſſe locupletior ac felicior: is invidiâ & cupiditate contabeſcet: nam ejus oculis ac judicio, ut ait Ovidius, Art. Amat. 4. 1, 349.

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris;
Vicinumque pecus grandius uber habet.

114. *Ut cùm carceribus, &c.*] Similitudine illuſtrat quod dixit. Qui quadrigarum curſu in ſtadio certat, non reſpicit unquam poſteriores, ſed deſpicit; at priores aſpicit, ac nititur aſſequi & antevertere.

Carceribus.] Hi quaſi *arceres* dicuntur, quia ibi arcentur equi certo repagulo, ne currant, antequam magiſtratus ſignum dederit. Servius ex Varrone. Hic l. 4. de Ling. Lat. ſic ſcribit. *Circus dictus, quod circum ſpectaculis ædificatus, ubi ludi fiunt; & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt . . . . . In circo primo unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres.* Vide Lib. 1. Od. 1. ubi de

 Inſtat

auriga conatur *aſſequi equos, qui præverterunt ſuos, ſpernens eum quem præcurrit inter ultimos euntem. Hinc fit ut rarò poſſimus invenire* hominem, *qui ſe dicat beatum vixiſſe,* quique *emenſo vitæ ſpatio decedat contentus, ut conviva ſatiatus.* At *jam ſufficit :* *nec* ullum *ultrà verbum adjiciam, ne ſuſpiceris me ſuffuratum eſſe commentarios Criſpini Lippi.*

Inſtat equis auriga ſuos vincentibus, illum [515]
Præteritum temnens extremos inter euntem. 116
Inde fit, ut rarò, qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, et exacto contentus tempore vitæ
Cedat, uti conviva ſatur, reperire queamus.
Jam ſatis eſt. Nè me Criſpini ſcrinía lippi 120
Compilâſſe putes, verbum non ampliùs addam.

ANNOTATIONES.

curriculo, pulvere Olympico, metâque fervidis evitatâ rotis.

Ungula.] Pro equo ungulas habente, ſynecdoche.

Currus.] Bigas, quadrigas.

118. *Exacto contentus tempore vitæ.*] Senec. ad Lucil. Epiſt. 15. hunc locum videtur interpretari voluiſſe; ubi, *itaque quam multa ſis conſecutus recordare. Cum aſpexeris quot te antecedant, cogita quot ſequantur. Si vis gratus eſſe adverſus Deos, & adverſus vitam tuam, cogita quàm multos anteceſſeris.*

119. *Cedat, uti conviva ſatur.*] Deſumpta ſententia è Lucretio, lib. 3. v. 496.

Quid tibi tantopere eſt, mortalis, quòd nimis ægris
Luctibus indulges? Quid mortem congemis, ac fles?
. . . .
Cur non ut plenus vitæ conviva recedis?

Et v. 970.

Sed quia ſemper aves quod abeſt, præſentia temnis;
Imperfecta tibi elapſa eſt ingrataque vita,
Et nec opinanti mors ad caput aſtitit ante,
Quàm ſatur, ac plenus poſſis diſcedere rerum.

120. *Criſpini.*] Is Stoicus Philoſophus valdè loquax fuiſſe dicitur, & verſibus multis & inconditis doctrinam Stoicam complexus. Hinc lepidè noſter per hujus aretalogi mentionem Stoica dogmata venditare deſinit.

Scrinia.] Scripta in arculis, capſis, ſcriniis, incluſa.

Lippi.] Vel hoc erat cognomen, vel oculis revera lippientibus ille erat. Abſurdè vetus Interpres Criſpinum ita vocari ſcribit *non oculorum ratione, ſed mentis; quod fuerit inſulſus poëta.* Tales argutiolas non venatur ſublimis ſpiritûs vates, qualis Horatius.

SATIRA II.

Dum vitant ſtulti, in contraria currunt.

Tibicinarum cœtus, pharmacopolæ,

AMbubaiarum collegia, pharmacopolæ, [516]

ANNOTATIONES.

1. *Ambubaiarum.*] Jul. Scalig. Poët. lib. 6. cap. 7. de hâc Satira: *In ſecundâ,* inquit, *de mœchis exempla uſque ad faſtidium.* Sanè: & hic ſcopus eſto, flagitiorum nauſeam ingerere vel flagitioſiſſimis. Idem Scaliger alibi, loquens de Martiale Poëta ſic habet: *alia ejus fœda ne legerim quidem, tantum abeſt ut ad cenſuram vocem.* Ego ſimile quid hîc ſi dixero vel fecero, condonabis, imò gratulabere, pudens lector. Itaque per ſalebroſa pedetentim ac ſuſpenſo gradu incedenti nihil noxium, fortaſſis & utile quidpiam occurret.

Ambubaiarum.] Multa nugantur multi de hujus vocis etymologiâ: Syriacam agnoſco ſponte cum veteri interprete, qui ſic ſcribit: *Ambubaiæ dicuntur mulieres tibicinæ linguâ Syrorum. Etenim Syris tibia, ſive ſymphonia, ambubaia dicitur.* Gravis doctrinæ & ingenii adſtipulatores accedunt non pauci, Angel. Caninius, Iſaac Caſaubonus, &c. Joſ. Scaliger in Varron. de Ling. Lat. ad vocem *ſimpulum. Syriacum eſt,* inquit, *nam ut Abbub, ambu αὐλὸς, ambubaiarum collegia; à copher, camphora; à ſadin, ſindon; à ſabbeca, quod eſt apud Danielem, ſambuca; ſic a ſephel, ſempel, & inde ſimpulum fecerunt.* Ergò *per ambubaiarum collegia,* debemus intelligere quotquot artes exercebant impudicas, ludicras, paraſiticas, &c. Sueton. Neron. c. 27. *Cœnitabat nonnunquam in publico, inter ſcortorum totius urbis ambubajarumque miniſteria.*

Mendici, mimæ. balatrones; hoc genus omne
Mœſtum ac ſollicitum eſt cantoris morte Ti-
gellî: [517]
Quippe benignus erat. Contrà hic, ne prodigus eſſe
Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo durámque famem depellere poſſit.
Hunc ſi perconteris, avi cur atque parentis
Præclaram ingratâ ſtringat malus ingluvie rem,

circulatores, mimæ, balatrones, omnes iſti homines ſunt triſtes & anxii ob *mortem Tigellii cantoris: nam munificus erat erga* illos. *E contrario alius timens haberi prodigus, etiam amico egenti nollet tribuere unde arceat frigus & ſævam famem. Iſtum ſi interroges, quamobrem avi patriſque magnas opes perperam abſumat voracitate injucundâ,*

ANNOTATIONES.

Porrò non solùm tibias, aliaque inſtrumenta muſica, ſed & tibicines, ac tibicinas corporis quæſtu & tibiarum cantu vitam ſuſtentantes, è Syriâ Romam confluxiſſe docet Juvenalis etiam Sat. 3. v. 62.

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana ſecum
Vexit, & ad Circum juſſas proſtare puellas.

Ubi obſerva, propriè *tympana* vocari *gentilia*, quippe vox eſt à *tuppin* Syriacâ.

Pharmacopolæ.] Pharmacum & medicamentum, teſtibus Nonio & Euſtathio, ſunt mediæ voces, in bonam & malam partem uſurpari ſolitæ: unde & pro veneno nonnunquam accipi docuimus alibi. Sic & pharmacopolæ dicti interdum unguentarii, myropolæ, pigmentarii, & quotquot aromata & odores, item qui medicatas potiones quaſcunque divendebant. Sic etiam appellantur medici illi circumforanei & agyrtæ, qui imperitæ plebi remedia quædam, magìs autem verba vendunt, per fora & compita urbium curſitantes. De his Cato apud Gell. lib. 1. cap. 15. *Itaque auditis, non auſcultatis, tanquam pharmacopolam. Nam ejus verba audiuntur: verùm ei ſe nemo committat, ſi æger eſt.*

2. *Mendici.*] Circulatores omnes, phyſiognomi, metopoſcopi, chromantici: imprimis autem Iſiaci ac Cybelæ ſacerdotes, & quicunq; vaticinandi artem poſeſſi ſtipem corrogabant.

Mimæ.] Geſticulatrices, ſaltatrices, ludiones, hiſtriones, ſcenici. Ἀπὸ τῦ μιμεῖσθαι *ab imitando*, vocatur mimus vel mima, quiſquis dicta vel facta cujuſque imitatur, cum laſciviâ, ſeu voce, ſeu præcipuè geſtu, *nutu manibuſque loquax*, ut canit Claudianus.

Balatrones.] De vocis hujus origine & ſignificatione, adhuc ſub judice lis eſt. Vetus Interpres *luxurioſos ac perditos à Servilio Balatrone* dictos vult, additque: *ab hoc ſimilis vitæ homines ſunt appellati balatrones: à balatu fortaſſè dicti, quæ vox intorta eſt & ridicula. Legitur & barathrones, qui bona ſua devorando, quaſi in barathrum mittunt. Iidem & blaterones propriè dicti ſunt, à blatiendo, id eſt, vaniloqui.* Triplex hîc etymon vides: quorum tertium mihi magìs probaretur. Sunt qui à βαλάζω deducunt balatronem quaſi *aquariolum*: vel à βάλλειν & βαλίζειν quaſi *ſaltatorem*. Inde verò non dubitem eſſe vernacula hæc noſtra, *bal*, *balet*, *baller*. Cœlius Rhodig. lib. 15. cap. 25. ita ſcribit: balatronem invenio ſcurram fuiſſe virulentum, unde Horatius Sat. 2, 8. 64.

——Balatro ſuſpendens omnia naſo.

Et S. Hieron. *Ne me putes in modum ruſtici balatronis cuncta Origenis reprobare.* Conſtat balatronem dici hominem nihili, nugacem, nequam. Italis *balatroni*, Gallis *belitre*, ut placet nonnullis: quam ego etymologiam explodo.

3. *Tigelli.*] M. Tigellius e Sardiniâ oriundus, moribus haud probis, perinde ac ſui populares, malè audiebat. Is tamen ob ſales & jocos valdè feſtivos, præcipuè verò ob eximiam vocem, gratioſus admodum fuit Julio Cæſari, Auguſto, Cleopatræ. Ab his remuneratus in ſuæ farinæ homines copioſiùs etiam effundebat ac prodigebat ultrò, quas opes collegerat. Eo nomine ab Horatio carpitur hîc, item Satirâ 3. & 10. ſeq. quia, ut aiunt, ejus verſus parum numeroſos ac modulatos dixerat. Ejus ità meminit Cic. l. 7. Ep. 24. quæ eſt ad M. Fab. Gallum: *Amoris quidem tui, quoquo me verti, veſtigia: vel proximè de Tigellio . . . . Id ego in lucris pono, non ferre hominem peſtilentiorem patriâ ſuâ . . . . Ille autem qui ſciret ſe nepotem bellum tibicinem habere, & ſat bonum unctorem, diſceſſit à me, ut mihi videbatur, iratior: Habes Sardos venales, alium alio nequiorem,* (Tigellium & ejus nepotem) *cognoſti meam cauſam, & iſtius Salaconis iniquitatem.* Salaconem vocent mollem, & propter opes inſolentem.

4. *Contrà hic.*] Avarus quiſpiam longe à Tigellio diſſentiens, in contrarium vitium impingit.

8. *Ingratâ ſtringat malus ingluvie rem.*] Bona ſua velùt in unam pillulam ſtricta & compreſſa deglutiat. Apud Athen. l. 4. c. 18. ex Alexide; *Diodorus lurco patrimonium fecit pilam, adèo celeriter omnia abſorpſit.* Σφαῖραν ἐποίησε τὴν πατρῴαν ὐσίαν ὕτω συνεςρογγύλλεν ἰταμῶς καὶ ταχύ. Ada-

Omnia

emens dapes quaſlibet exquiſitas *pecuniâ* fœnore *comparatâ; reſpondet: quia timet æſtimari* homo *parcus & animi exigui. Laudatur à quibuſdam, reprehenditur ab aliis. Fuſidius locuples agris, & pecuniâ fœnori datâ, reformidat exiſtimationem perditi & decoctoris. Is de ſorte deducit uſuras quinas, & quo luxurioſior quiſque eſt, eo ardentius conſectatur: quærit nomina juvenum, qui virilem togam nuper induerunt ſub patribus valdè parcis. Quis* autem *audiens talia, non ſtatim*

Omnia conductis coëmens obſonia nummis; [518]
Sordidus atq; animi quòd parvi nolit haberi
Reſpondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fuſidius vappæ famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exſecat; atque
Quanto perditior quiſque eſt, tanto acriùs urget:
Nomina ſectatur, modò ſumptâ veſte virili
Sub patribus duris, tironum. Maxime, quis non,
[519]

ANNOTATIONES.

gium eſt Græcum; quaſi diceres metaphoricè uno bolo, globnlo, catapotio, omnia ſua devoravit.

Ingratâ ingluvie.] Nam quæ ſic gulosè atque inſtar pilæ ſorbentur, ſine ullo grati ſaporis guſto per fauces tranſmittuntur.

12. *Fuſidius.*] Inſignis fœnerator, immodicas uſuras exigens.

Vappæ & nebulonis.] Has voces excuſſimus Sat. præced.

14. *Quinas hic capiti mercedes exſecat.*] *Caput* eſt ſors ipſa, ſeu pecunia fœnori data, Gall. *le principal*; hujus verò fructus, reditus, fœnora, uſuras *mercedes* vocat Horatius; Gall. *l'intereſt, la rente.* Uſura centeſima dicitur cùm de centum nummis menſibus ſingulis unus ſolvitur: adeo ut centeſimo menſe uſura ſortem adæquet. At Fuſidius iniquior multò, ſingulis menſibus non ſimplices, de quibus mox, ſed *quinas* uſuras accipiebat: quas ut haberet, perditiſſimo cuique pecuniam ſuam credere amabat, ut mox dicetur. S. Ambroſ. in c. 12. Tob. *veniunt Calendæ; parit ſors centeſimam, veniunt menſes ſinguli, generantur uſuræ, crevit centeſima: petitur, nec ſolvitur: applicatur ad ſortem. Itaque non jam centeſima incipit eſſe, ſed ſumma, hoc eſt non fœnoris centeſima, ſed fœnus centeſimæ.*

Exſecat.] Proprie. Nam illi pecuniam tradentes ad fœnus, ſtatim uſuram primi menſis demebant è ſorte, ſeu ex ipſâ quam credebant ſummâ. De uſurâ legibus humanis ac divinis prohibitâ dixi in Epod. 2. v. 4.

15. *Quantò perditior, &c.*] Quo magis novit luxuriæ deditum juvenem, adeóque pecuniæ avidiorem, eò diligentius hunc adit, & quærit ei pecuniam credere gravioribus ſcilicet uſuris, ob urgentem inopiam vel habendi cupiditatem.

16. *Nomina ſectatur tironum, &c.*] Studet fœnerari adoleſcentibus, qui nullam à duris patribus pecuniam aut valde exiguam accipientes, quâcunque viâ, quovis fœnore quæritabant ac ſumebant, quâ ſuæ libidini ſatiſfacerent eâ ætate ferventi. Atque id quidem ſcelus diu graſſatum eſt. At poſteà ex Senatuſconſ. adempta eſt actio & petitio iis, qui filiis familiâs pecuniam credidiſſent in mortem patrum: ne vel occaſio hinc eſſet patri necem machinandi, aut per malas artes ac turpes pecuniam quoquo modo reddendam ac perſolvendam quæritandi. Senatus illud conſultum Macedouianum dictum eſt à Macedone iſto fœneratore. Suet. Veſpaſ. c. 11, *Auctor Senatui fuit decernendi, ne filiorum familiâs fœneratoribus exigendi credita jus eſſet unquam, hoc eſt, nè poſt patrum quidem mortem.*

Nomina.] Sic vocantur tam credita quam debita, eò quòd creditores in commentarios ſeu tabulas referrent & inſcriberent nomina debitorum, ſeu eorum quibus pecuniam crediderant. Hinc *nomina facere* dicuntur tam debitores quàm creditores.

17. *Tironum.*] Id eſt adoleſcentum. Tirones alii militiæ, alii forenſis exercitationis & eloquentiæ. Hi circa annum ætatis 17 poſt pubertatem ſcilicet, prætextam deponebant, induebant verò togam puram nivei candoris, quæ virilis dicta eſt, ut ait Alex. ab Alex. l. 5. c. 18. *candidum umbonem* vocat. Perſ. Sat. 5. v. 33. Plin. l. 8. c. 48. *Togâ purâ tirones induuntur.* Cœl. Rhodig. l. 14. c. 16. *Quoniam verò,* inquit, *ut in Magiâ Apuleius ſcribit, eruditiſſimi juvenes laudis gratiâ, primum hoc forenſis operæ rudimentum ſubibant, ut aliquo inſigni judicio civibus ſuis noſcerentur, qui mos incipientibus adoleſcentulis ad illuſtrandum ingenii florem apud antiquos fuerat conceſſus: togam item candidam, qui hoc facerent tirones induebantur ipſo tirocinii die: ſic enim appellabant, cùm eloquentiam auſpicarentur in foro. Eam togam Cicero puram vocavit. Scribit enim ad Attic. in tirocinio filii Ciceronis togam illi puram dediſſe Arpini.*

Maxime, quis non, &c.] Quis verò non deteſtetur ejuſmodi fœneratores? Quis avaritiam eorum & nequitiam non abominetur? τόκους uſuras Græci appellant, quòd multas

Jupiter,

Jupiter, exclamat ſimul atque audivit? At in ſe
Pro quæſtu ſumptum facit hic. Vix credere poſſis
Quàm ſibi non ſit amicus: ità ut pater ille, Terentî
Fabula quem miſerum nato vixiſſe fugato
Inducit, non ſe pejùs cruciaverit atque hic.
Si quis nunc quærat: Quo res hæc pertinet? Illuc:
Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.
Malthinus tunicis demiſſis ambulat. Eſt qui
Inguen ad obſcœnum ſubductis uſq; facetus. [520]
Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.
Nil medium eſt. Sunt qui nolint tetigiſſe, niſi illas

exclamat: Proh ſumme Jupiter! Verùm, inquies, *ille* præclaros *fortaſſe ſumptus facit, ſecundùm* ingens *lucrum.* Quin imò *vix tibi perſuadere queas, quantum ſibi ſit inimicus. Adeò ut non iſte crudeliùs ſeſe diſcruciaverit pater ille, quem Terentii comœdia exhibet infelicem vixiſſe,* ex quo *filium à ſe fugaverat.*

Quòd *ſi petat aliquis quorſum hæc ſpectant? eò nempe: dum inſani fugiunt vitia, incidunt in oppoſita. Malthinus prolixis tunicis incedit.* Alius *eſt qui ſuccinctis uſque ad umbilicum,* ſe *ridiculum* præbeat. *Ruſillus paſtillos redolet*; *Gorgonius* verò *caprum. Nihil mediocre reperitur. Sunt qui renuant attrectare* mulieres, *præter eas,*

ANNOTATIONES.

& graves debitori dolores pariant. Cic. Offic. 2. n. 89. *Quid fœnerari? Tum Cato, Quid hominem, inquit, occidere?*

20. *Quam ſibi non ſit amicus.*] Quàm ſit ſordidè parcus, ſuum defraudans genium, etiam neceſſaria ſibi denegans, ac de ſe pœnas veluti exigens, inſtar Menedemi apud Terentium.

Terentî Fabula quem miſerum, &c.] Heautontimorumenos, ἑαυτὸν τιμωρούμενος, id eſt, *ſeipſum diſcrucians,* titulus eſt Terentianæ comœdiæ, in quâ filium Cliniam procul in militiam abire, præ parcitate ſordidâque avaritiâ, compulit durus pater Menedemus: at poſtea facti pœnitens ſeſe angebat, quòd tam iniquè à ſe amandâſſet ac fugâſſet proprium filium ſenectutis ſuæ baculum & columen.

22. *Atque hic.*] Quàm fœnerator iſte peſſimus.

25. *Malthinus tunicis demiſſis ambulat.*] Vetus quidem lex jubebat: *Demiſſam ad talos togam quiſque in urbe habeto.* Sub. Auguſto, neque reſtrictis neque fuſis incedere, laudabatur. Quintil. lib. 11. cap. ult. *Cui laticlavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infrà genua paulùm; poſterioribus ad medios poplites uſque perveniant. Nam infrà, mulierum eſt; ſuprà, centurionum.* Hinc patet, quod alibi notavimus, diſcinctum, ſive *demiſſis tunicis ambulare,* mollitiæ atque ignaviæ argumentum fuiſſe, nec non ſuperbæ & vanæ oſtentationis: ſuccinctas autem veſtes aut præcinctas viris frugi & virtute claris proprias extitiſſe. Vide Epod. 1. v. ult. & Epod. 4. v. 8.

Malthinus.] Quis ille? certè haud nobis liquet. Mollis ac effeminatus notatur. Non. Marcell. *Multas appellari molles, antiqui voluerunt, à Græco, quaſi μαλθακὸς.* Lucil. l. 27. *Inſanum vocant quem maltum ac fœminam dici vident.* Quidam deſignari volunt Menam illum, de quo Epod. 4. Alii ipſum Mæcenatem. *Hunc eſſe qui ſolutis tunicis in urbem ſemper inceſſerit:* inquit Seneca Epiſt. 114. Julius Scaliger, Poët. l. 3. c. 98. ita ſeribit: *Satirographi ne amicis quidem parcunt. Ingratus Horatius, qui ne a Mæcenate quidem abſtinere potuit: ſi quidem quod alunt verum eſt. Malthinum ab eo appellatum, cujus demiſſas notaret tunicas. Ager enim Sabinus, quo canicula illa à divino viro donata fuerat, tantus tantique erat, ut objectu ſuo poſſet malefici oculi viſum intercipere, quo minùs tunicarum demiſſione offenderetur.* Hæc Scaliger invidiâ ſemper in Horatium hoſtili. Verùm eſto, ipſum Mæcenatem vellicet Poëta, numquid *barbaro & ſervili animo* id faciebat? Imò *ridenti amico,* quod ait Perſius, *vafer tangit vitium, & admiſſus circum præcordia ludit* feſtivus & gratus; accepti verò beneficii paſſim memor.

Eſt qui, &c.] Alius aliud omninò vitium habet, Agrippa, inquiunt, veſtibus ad nates uſque deciſis & ſubductis uti ſolitus.

27. *Paſtillos.*] Trochiſcos, ſeu globulos odoratos. A *panis* fit diminut. paniculus, panicillus, paſtillus. Alii deducunt à πάστος, *conſperſus,* nempè odorifero pulvere, & ſimilibus.

Gorgonius hircum.] Tetrum odorem, qualem hircus. Gorgonius nimiam negligentiam affectabat: Rufillus nimium cultum & munditiem. Iſto verſiculo invidiam ſibi creatam notat Horatius Sat. 4. v. 93. ſeq. Unde colligimus adverſum nonnullos, Rufillum & Gorgonium nequaquam viles & ignobiles extitiſſe.

28. *Nil medium.*] Vix reperire eſt *auream* illam *mediocritatem,* lib. 2. Od. 20.

Sunt qui nolint tetigiſſe, &c.] Jam demum à flagitiis deterret triplici argumento; quòd rem familiarem exhauriant & perdant; quòd corpus faciant obnoxium multis doloribus; quòd honori & famæ damnum invehant.

Illas Quarum ſubſuta, &c.] Matronas, quæ talares habent ſtolas, quarum imam partem aſſuta ambit faſciola, quæ inſtita dicitur, Synecdoch. Catull. Eleg. 62. v. 308.

. . . . *veſtis*
Candida purpureâ talos incinxerat orâ.

Quarum ſubſutâ talos tegat inſtita veſte.
Contrà alius nullam niſi olenti in fornice ſtantem.
Quidam notus homo cùm exiret fornice, Macte [521]
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis.
Nam ſimul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes æquum eſt deſcendere, non alienas
Permolere uxores. Nolim laudarier, inquit,
Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.
Audire eſt operæ pretium, procedere rectè
Qui mœchis non vultis, ut omni parte laborent;
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara, cadat dura inter ſæpè pericla.
Hic ſe præcipitem tecto dedit. Ille flagellis
Ad mortem cæſus: fugiens hic decidit acrem [522]

quarum talos operit faſcia purpurea ſtolæ ſubſuta. Alius è contrario nullam niſi proſtantem in fœdo lupanari, ſicque ſe tuetur: *Cùm nobilis quiſpiam vir è fornice egrederetur, Cato divinus ita eſt affatus: Creſce virtute; quippe cùm fervens ardor libidinem accenderit, iſtuc venire adoleſcentes oportet;* non autem *corrumpere aliorum conjuges. Cupiennius verò ſectator mulierum* veſtes *candidas* geſtantium, *ait:* Ego quidem *nolim ita commendari.* At vos *qui exoptatis non felicem eſſe adulteris exitum, non pœnitebit attendere, quales ærumnas ferant uſquequaque, & quot voluptas eis eveniat anxietatibus perturbata, & quidem infrequens, ac ſæpiùs non ſine gravibus periculis.* Ergo auſcultate. *Iſte mœchus e tecto ſe præcipitavit. Hic flagris mulctatus eſt ad necem* uſque. *Ille* noctu *fugiens*

ANNOTATIONES.

30. *Olenti in fornice.*] Male olentia, fœtidaque lupanaria notat etiàm Juvenalis ſarcaſtice in Meſſalinam Claudii Imperatoris uxorem adulteriis famoſam, ita ſcribens, Sat. 6. v. 117.

Auſa palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos.

Et. v. 130.

Obſcuriſque genis turpis, fumoque lucernæ,
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

31. *Macte.*] Magis auctus eſto.

Sententia dia Catonis.] Hujus viri gravis & cenſorii auctoritate vult ille libidinoſus juvenis flagitia ſua defendere. Scilicet Cato videns hominem honeſtum è lupanari exeuntem aliquatenus laudavit; at cùm ventitantem illuc ſæpius animadvertiſſet, ita dicitur allocutus: Adoleſcens, laudavi te, quòd huc interdum venires, non quòd iſtic habitares.

34. *Deſcendere.*] Apta vox, Nam ſub fornicibus & ſubterraneis locis erant ganea.

36. *Mirator Cupiennius.*] Cupiennius Libo Cummanus, Auguſti familiaritate clarus, cultûs verò corporis nitoriſque ſtudioſiſſimus: ſectator erat mulierum veſte candidâ indutarum, ſcilicet matronarum, ut poſteà dicemus.

37. *Audire eſt operæ pretium, &c.*] Ennii ſunt hi verſus ab Horatio paulum immutati. Sic ille.

Audire eſt operæ pretium, procedere rectè
Qui rem Romanam Latiumq; augeſcere vultis.

39. *Corrupta dolore voluptas.*] Ad Epicuri mentem adulteria proſcribit non velut turpia, ſed quaſi remoras voluptatis, ſcilicet periculis & malis circumſepta. Præclarè Cicero, in Anton. *Libidinoſi, avari, facinoroſi veræ laudis guſtum non habent.* At debuiſſet damnare ſaltem ut iniqua, & lumini naturali adverſa: *Quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris.*

41. *Hic ſe præcipitem, &c.*] Quoniam, ut modo è Cicerone dixi, luxurioſi non ducuntur amore recti, ſaltem pœnarum metu nonnunquam deterrentur. Val. Maxim. lib. 6. cap. 1. n. 13. *Sed ut eos,* inquit, *ſtrictim percurram, qui in vindicandâ pudicitiâ dolore ſuo pro publicâ lege uſi ſunt. Sempron. Muſca C. Gallium deprehenſum in adulterio flagellis cecidit: C. Memmius, L. Octavium ſimiliter deprehenſum nervis contudit. Carbo Attienus a Vibieno, item M. Pontius a Pub. Cernio deprehenſi caſtrati ſunt, &c.*

Se præcipitem tecto dedit.] Fugiens vindicem maritum.

Ille flagellis Ad mortem cæſus.] Gellius, l. 17. c. 18. ex Varrone; *C. Salluſtius ſcriptor ſeriæ illius & ſeveræ orationis, in cujus hiſtoriâ notiones cenſorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehenſus, ab Annio Milone loris benè cæſus eſt, & cùm dediſſet pecuniam dimiſſus.* Idem refert Aſconius. Juvenal. Sat. 10. v. 311.

. . . . . . Fiat adulter
Publicus, & pœnas metuat quaſcumque maritus
Exigit iratus: nec erit felicior aſtro
Martis, ut in laqueos nunquam incidat . . .
. . . . Necat hic ferro, ſecat ille cruentis
Verberibus, quoſdam mœchos & mugilis intrat.

Prædonum

Prædonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos:
Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud
Accidit, ut cuidam teſtes caudámque ſalacem
Demeteret ferrum. Jure omnes: Galba negabat.
Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda!
Libertinarum dico; Salluſtius in quas
Non minùs inſanit, quám qui mœchatur. At hic ſi
Quà res, quà ratio ſuaderet, quáque modeſtè
Munificum eſſe licet, vellet bonus atque benignus
Eſſe; daret quantum ſatis eſſet, nec ſibi damno, [523]
Dedecoríq; foret. Verùm hoc ſe amplectitur uno:
Hoc amat, et laudat. Matronam nullam ego tango.
Ut quondam Marſæus amator Originis: ille
Qui patrium mimæ donat fundúmque larémque,
Nil fuerit mî, inquit, cum uxoribus unquam alienis.
Verum eſt cum mimis, eſt cum meretricibus: unde

currit in ſævas graſſatorum manus. Alius pecunia redemit corpus *Meritò* factum *cuncti* dicunt, *Galba verò negabat. Sed quàm ſecurior eſt merx in mediâ conditione! Libertinarum* dico ſcilicet: *erga quas Salluſtius non minùs inſanum ſe præſtat, quàm qui* matronas *ſectatur. Verum enimverò ſi vellet ille eſſe munificus ac liberalis, quantum facultates & ratio permitterent, & quatenus decet eſſe moderate liberalem; donaret quantum ſufficeret, neque ſibi detrimentum afferret, & probrum. At* contrà *illud ſolum in ſe æſtimat, prædicat, venditat: Ego nullam tango matronam; ſicut olim Marſæus iſte Originis amaſius, qui mimæ tribuit paterna prædia, & domum; dicitque: Mihi* quidem *nulla* conſuetudo *fuerit unquam cum conjugibus aliorum. Atqui eſt cum mimis, eſt cum meretricibus;*

ANNOTATIONES.

44. *Calones.*] Servi militum, quòd palos & ligneas clavas gerebant ita dicti, item *clavatores* ob eam cauſam. Et quilibet ſervi *calones* vocati ſunt à ferendis lignis, quæ Græcè κᾶλα.

46. *Jure omnes.*] Omnes aiunt, jure illos punitos, & dignas flagitio pœnas dediſſe.

Galba negabat.] Salſa ironia in Servium Galbam Juriſconſultum, qui cùm eſſet famoſus adulteriis, ſui ſimilium libens patrocinium ſuſcipiebat.

47. *Tutior at quanto merx.*] Lex Julia plecti jubebat eos ſolùm, qui peccâſſent in ingenuis, quæ nec quæſtum corpore feciſſent, nec artem ludicram aut lenocinium exercuiſſent, nec in ſcenam operam locâſſent.

In claſſe ſecundâ.] Tres Poëta claſſes mulierum ſtatuit: 1. Matronarum. 2. Libertinarum. 3. Meretricum.

48. *Salluſtius.*] Is eſt de quo lib. 2. Od. 2. Nonnulli perperam intelligunt ejus avunculum C. Salluſtium Criſpum hiſtoriæ ſcriptorem. At quamvis mores conveniant, non ità ratio temporum, ut obſervat eruditè Torrentius. Hic à Cenſoribus in Senatu reprehenſus, quòd in libertinas inſaniret, reſpondit ſe matronas non affectari, quaſi ſe criminis expertem excuſans. Ejectus verò eſt à Senatu. Vide Bell. Catil.

49. *Mœchatur.*] Vox iſta proprie hîc ponitur pro eo, qui alienam uxorem ingenuam quidem in adulterium pellicit.

52. *Damno, Dedecorique.*] Damno bonorum, & famæ.

53. *Hoc ſe amplectitur uno.*] Uno libertinarum amore ſibi placet, ob hoc unum ſe laudat & venditat, quod libertinas duntaxat, non autem matronas ſectetur.

55. *Marſæus, &c.*] Ignotus ille nobis Originis mimæ & meretricis amator. Tres eo tempore fuerunt inſignes meretrices, Origo, Arbuſcula, Cytheris. Hanc Lycorim vocat Virgilius Eclogâ ultimâ, Gallo Poëtæ prius dilectam, quæ poſtea Antonium in caſtra ſecuta eſt.

57. *Nil fuerit mî, inquit, &c.*] Sic Marſæus extenuare nititur ſuam libidinem flagitioſamque nequitiam.

58. *Verum eſt cum mimis, &c.*] Reſpondet Horatius. Eſto, nihil tibi ſit cum uxoribus alienis; at inſanis in mimas & meretrices, à quibus famæ damnum trahis damno rei familiaris gravius: quanquam utrumque inde provenit. Plaut. Trucul. Act. 2, 7. *Meretrix ut mare quod das devorat, nec apparet uſquam: miſerum infert in pauperiem; privat bonis, luce, honore, amicis.* Sapiens Rex Proverb. 5. *Ne attendas fallaciæ mulieris, favus enim diſtillans labia meretricis; & nitidius oleo guttur ejus. Noviſſima autem illius amara quaſi abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps. Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant . . . . longè fac ab eâ viam tuam; & ne appropinques foribus domus ejus, ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena, &c.*

Fama

à quibus graviorem perniciem deprimit exiſtimatio, quàm rei familiaris. Sufficitne tibi fugere perſonam, non autem quodcunque ubicunque nocet? Perdere bonam exiſtimationem, dilapidare patrimonium, ſemper malum eſt. Quid refert utrum pecces in matronâ, an in libertinâ, an in meretrice? Villius Syllæ gener, infelix eo duntaxat nomine illuſus, ob Fauſtam pœnas luit ſecundum & ultra meritum, pugnis contuſus, & ferro appetitus; ejectus domo, cum Longarenus eſſet intus. Quin ſi libidinis tot & tanta incommoda cernentis nomine mens tali homini loqueretur iſta: Quid petis? quando meus ardor fuerit accenſus, an ego à te flagito mulierem illuſtri conſule genitam, & ſtolâ veſtitam? Quod reſponſum daret? nempe illuſtri patre orta eſt puella. Verùm quanto meliora & his contraria ſuadet natura ſuis opibus locuples! Si modò tu bene uti velis, & non confundere evitanda cum exoptandis; an credis nihil intereſſe utrum egeas, per tuam vitioſam cupiditatem, an per rerum penuriam? Quapropter ut non doleas aliquando, abſtine deperire matronas; unde

Fama malum gravius quàm res trahit. An tibi abundè
Perſonam ſatìs eſt, non illud quidquid ubique
Officit, evitare? bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum eſt ubicunque.
Quid inter—
Eſt in matronâ, ancillâ, peccêſve togatâ?
Villius in Fauſtâ Sullæ gener, hoc miſer uno [524]
Nomine deceptus, pœnas dedit uſque ſupérq;
Quam ſatis eſt; pugnis cæſus, ferróque petitus,
Excluſus fore, cùm Longarenus foret intus.
Huic ſi mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret hæc animus. Quid vis tibi? numquid ego a te
Magno prognatum depoſco conſule cunnum,
Velatúmque ſtolâ, mea cùm conferbuit ira?
Quid reſponderet? Magno patre nata puella eſt.
At quanto meliora monet, pugnantiáque iſtis
Dives opis natura ſuæ? Tu ſi modò rectè
Diſpenſare velis, ac non fugienda petendis
Immiſcere; tuo vitio, rerúmne labores,
Nil referre putas? Quare, ne pœniteat te, [525]
Deſine matronas ſectarier: unde laboris

ANNOTATIONES.

62. *Quid intereſt, &c.*] Ex opinione Stoicorum paria eſſe quævis peccata dicentium.

63. *In matronâ, ancillâ, peccêſve togatâ.*] Tres gradus peccati ſtatuit Poëta; in matronâ, in libertinâ, in meretrice. Has triplex veſtis coloriſque genus diſtinguebat. Matronæ ſtolâ candidâ induebantur: ancillæ & libertinæ togâ pullâ: meretrices Coâ ſeu pellucidâ. Errat vetus interpres his attribuens quod erat libertinarum; ait nempè meretriciam togam pullam fuiſſe, quod refellitur vel ex ſequenti textu id quod modò dixi ſtabiliente. Porrò eſt operæ pretium obſervare matronas, quæ adulterii convictæ à viris repudiabantur, ſtolâ candidâ ſolitas exui, & toga veſtiri, ignominiæ cauſâ. *Stola plebeiis quamvis honeſtis non dabatur; ſi quidem Patriciæ & grandes natu matres eam deferebant honoris cauſâ. Erat enim ad imos pedes fluxa, quam inſtita contexta ambibat.* Contrà, *meretrices togam ſubductiorem*, & virili ſimilem geſtabant. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18. Feſtus. *Matronas appellabant, quibus ſtolam habendi jus erat.* Non. Marcell. ex Varrone, *Toga commune veſtimentum, diurnum & nocturnum; muliebre & virile.*

64. *Villius in Fauſtâ Sullæ gener.*] Villiorum familia Romæ nobilis. Villius iſte non reverà gener, ſed ob frequentiſſimam cum Fauſtâ Sullæ filiâ conſuetudinem, ita vocatur: ſeu quòd eam uxorem ſibi fore ſperaret. Unde ſequitur; *hoc miſer uno nomine deceptus.* Grandi ſcilicet nomine, ex antiquâ Scipionum gente: à quorum moribus ac virtutibus degener Sylla, magiſtratus tamen, Quæſturam, Conſulatum, Dictaturam, ac demum tyrannidem, peſſumdatâ Rep. occupavit. Cic. in Verr.

67. *Longarenus.*] Ignobilis quiſpiam Villio tamen felicior mœchus, & gratioſior Fauſtæ.

68. *Huic ſi mutonis verbis, &c.*] Proſopopœia paulum obſcœna, ſed lepida & elegans.

76. *Tuo vitio rerumne labores.*] Noſtro vitio laboramus, cum dolemus non adeſſe perdicem aut phaſianum; at rerum vitium ſeu penuria eſt, ſi deſit panis aut cibus vulgaris quilibet.

78. *Matronas ſectarier.*] Ulpian. *Aliud eſt appellare, aliud ſectari. Appellare eſt blanda oratione alterius pudicitiam attentare; aſſectatur qui tacitus frequenter ſequitur: aſſidua enim affectatio præbet nonnullam infamiam.*

Plus

Plus haurire mali eſt, quàm ex re decerpere fructus.
Nec magìs huic inter niveos viridéſq; lapillos,
Sit licet hoc Cerinthe tuum, tenerum eſt femur, aut crus
Rectius; atque etiam melius perſæpe togatæ eſt.
Adde huc quòd mercem ſine fucis geſtat, apertè
Quod venale habet, oſtendit: nec, ſi quid honeſti eſt,
Jactat, habétq; palàm, quærit quo turpia celet.
Regibus hic mos eſt: ubi equos mercantur, opertos
Inſpiciunt: ne, ſi facies (ut ſæpè) decora
Molli fulta pede eſt, emptorem inducat hiantem,
Quòd pulchræ clunes, breve quòd caput, ardua cervix.
Hoc illi rectè: ne corporis optima Lyncei [526]
Contemplere oculis, Hyſpæâ cæcior, illa
Quæ mala ſunt ſpectes, O crus! ô brachia! verùm
Depygis, naſuta, brevi latere, ac pede longo eſt.
Matronæ præter faciem nil cernere poſſis,
Cætera, ni Catia eſt, demiſsâ veſte tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata, (nam te

plus mœroris percipitur, quàm utilitatis ex re colligitur. Neq; hæc, quamvis ſit inter capillos candidas & virides, femur habet mollius aut crus rectius quam tuum, O Cerinthe, imò ſæpius pulchrius eſt *plebeiæ. Adde quod* hæc *mercem portat haud fucatam: ac ſi quid eſt venuſtum, haud venditat & oſtentat:* neque *ſatagit occultare quod pravum eſt. Iſta eſt conſuetudo divitibus, quando emunt equos, obtectos conſiderant, ne facies (quod non rarò* fit*) elegans ſi tenerâ ungulâ ſubnixa fuerit,* in errorem *impellat emptorem avidum; eò quòd* ſint *decoræ clunes, breve caput, erecta cervix. Illi rectè* quidem *hoc* faciunt. Tu ergo pariter *ne oculis acutiſſimis intueare* partes *corporis formoſas; Hypſæâ* verò *cæcior, ea quæ deformia ſunt aſpicias. O crus* venuſtum! *ô brachia* concinna! at *** *grandiori eſt naſo, brevi latere, & pede longiori.* Prætereà *nihil matronæ præter vultum videre queas, cæteras* partes *abſcondentis prolixa ſtola*; *niſi* fortè *Catia eſt. Quòd ſi cupias* cernere *denegata,* quaſi *munimentis cincta*;

ANNOTATIONES.

80. *Niveos virideſque lapillos.*] Uniones, & ſmaragdos.

81. *Sic licet hoc, Cerinthe, tuum.*] Is erat amator pariter & deliciæ matronarum mundo muliebri ſplendentium: ſingulari formæ gratiâ præſtabat: Sulpitiæ Servii filiæ in primis carus. De eo Tibullus multa.

83. *Mercem.*] Corpus mercenarium, turpi quæſtu venale.

86. *Regibus.*] Nobiles ac divites appellantur ſæpe reges ob potentiam & auctoritatem, quam eis confert pecunia, cui omnia obediunt.

Opertos inſpiciunt.] Pugnant exemplaria. Plura certe *opertos* habent. Senſus eſt; opertos mercantur equos, ne venuſtas corporis ſtatim capiat emptorem, faciatque ut vitium pedum non attendat, quod tamen in equo præcipuum eſt. Xenophon in libello de re equeſtri docet, in equo primam eſſe pedum conſiderationem: quoniam ut parum prodeſt ædium elegantia, ſi fundamentis ſuperſtructa ſint vitioſis: ità equus eſt inutilis, qui pedibus haud firmis fuerit. Cavendum igitur maxime ne ſit ungula mollior ac tenuior, &c. Quidam antiqui codices habent *apertos*, quod placet nonnullis, ob clariorem certe ſenſum.

88. *Hiantem.*] Præ admiratione partium quarundam valdè concinnarum; præque emendi cupiditate.

89. *Pulchræ clunes, &c.*] Virg. Georg. 3, 79. . . . . *Illi ardua cervix,*

Argutumq; caput, brevis alvus, obeſaq; terga.] Non Marcell. hunc Horatii locum affert, ut oſtendat *clunes* fœminino genere poni, quas Plautus maſculinas facit: *clunes infractos gero.*

90. *Lyncei oculis.*] Quales habuit Lynceus Apharei filius, quem fabulati ſunt ad terræ centrum pervidiſſe, eò quòd primus è fodinis metalla eruiſſet.

91. *Hyſpæâ cæcior.*] Hæc ex illuſtri Plautiorum ſtirpe vitioſos, ut aiunt, oculos habebat. Fortaſſe notatur ab Horatio, quod invenuſtum quempiam deperiret.

92. *O crus! ô brachia!*] Quaſi diceret Poëta: Dum admiraris crus & brachia tuæ amaſiæ, non advertis alia omninò deformia.

93. *Depygis.*] Quaſi ſine pygâ, πυγὴ, *nates.* Epod. 8. *aridas nates*, additque: *femur tumentibus exile ſuris Additum:* quod hic ſignificat per *breve latus.*

Naſuta. Catull. 41. v. 1.
Salve nec minimo puella naſo,
Nec bello pede, &c.

Pede longo.] Ovid. Amor. 3. 3. 7.
Pes erat exiguus: pedis eſt aptiſſima forma.

95. *Catia.*] Hæc domi nobilis quidem, ſed parum caſta & pudica, breviori inſtar meretricum amictu utebatur, ut ſui venuſtatem corporis palam exhiberet.

96. *Interdicta,*] Partes maximè tectas & multiplici tunicâ vallatas.

Hoc

quippe hoc te inſanire facit) plurimæ res tunc impedimento tibi ſunt; cuſtodes, lectica, cinerarii, paraſitæ, ſtola ad talos demiſſa, & palla circumjecta, multa impedientia ne res à te manifeſtè videatur. Altera nihil impedit. Per *Coas* enim veſtes *licet tibi cernere ferè quaſi nudam; ſi pravo ſit crure, aut pede: latus oculis dimetiri queas. An* verò *mavis decipi, & mercedem tibi priùs extorqueri, quàm merx exhibeatur:* At enim cantabis? mihi aliquod: *ut venator leporem in celsâ nive proſequitur: appoſitum* verò *ſine labore nec attingere dignatur. Capit* autem; & jucundè tum *apponit. Huic ſimilis eſt meus amor,* inquis; *contemnit enim in propatulo conſtituta, ardua verò deſiderat.*

Hoc facit inſanum) multæ tibi tum officient res;
Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitæ,
Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla,
Plurima quæ invideant purè apparere tibi rem.
Altera nil obſtat. Coïs tibi pœne videre eſt [517]
Ut nudam, ne crure malo, ne ſit pede turpi;
Metiri poſſis oculis latus. An tibi mavis
Inſidias fieri, pretiúmque evellier ante
Quàm mercem oſtendi? Leporem venator ut altâ
In nive ſectetur, poſitum ſic tangere nolit:
Captat, et apponit: meus eſt amor huic ſimilis; nam
Tranſvolat in medio poſita, et fugientia captat.

ANNOTATIONES.

94. *Lectica.*] Clauſa ſanè & operta. Torrentius hìc acri ut ſolet judicio contra cæteros interpretes depugnans, non intelligendum vehiculum contendit, ſed interius aliquod in ædibus conclave, quo ſe matronæ continerent; qualis erat lecticula illa lucubratoria Auguſti apud Sueton. cap. 78. Ejuſmodi quoque lecticulam domeſticam agnoſcit Juſt. Lipſius Elect. 1. cap. 19.

Ciniflones.] A flando in cineres dicuntur *ciniflones*, qui calamiſtra, acus, veruta calefaciebant in calidis cineribus, ad criſpandos mulierum crines: item cinerarii; necnon ornatrices, Gall. *Coeffeuſes.* Angl. Tire-Women.

Paraſitæ.] Garrulæ quædam & aſſentatrices mulieres, ad captandum cibum expeditæ.

99. *Palla.*] Amplus & ſinuoſus amictus tunicæ & ſtolæ ſuperindui ſolitus, velut pallium quoddam honeſtæ mulieri proprium. Non. Marcell. Gall. *Manteau de ceremonie*; ſimile propè veſtimentum hodiè vocant, *un ſurtout.* Angl. a Morning-Gown.

101. *Coïs.*] Veſtibus bombycinis, tenuibus, pellucentibus, ex inſula Co, ſive Coo, ſitâ in mari Ægæo ad oram Cariæ littoralem, vernac. *Lango*; quæ tam ferax & dives, ut proverbium eſſet; *quem Cos non nutrit, hunc nec Ægyptus,* Euſtath. Coas veſtes Juvenalis appellat *multitia*: Galli *de la Gaze.* Horum inventio tribuitur Pamphilæ cuidam mulieri ex inſulâ Coo. Ariſtot. Hiſtor. animal. lib. 6. Tibull. lib 2. Eleg. 3. v. 57.

Illa gerat veſtes tenues, quas fœmina Coa
Texuit, auratas diſpoſuitque vias.

Propert. lib. 2. Eleg. 1. v. 5.

Sive togis illam fulgentem incedere Coïs.

Varro *togas vitreas* appellat. S. Hieron. ad Lætam ita ſcribit: *Talia paret veſtimenta, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur.*

Et te monitum velim, lector, in quibuſdam vett. codd. legi, *Chlorin*, pro *Coïs*. Porrò jam ſuprà inſinuavimus iſtis veſtibus Romæ quidem ſolas meretrices indui conſueviſſe.

105. *Leporem venator ut altâ, &c.*] Hi ſunt è Callimacho verſiculi, veluti cantiunculæ quædam, quas Horatius ponit in ore ſectantis matrones. Senſus eſt: ut venator leporem per nives ſectari & capere gaudet, quem appoſitum ſibi ſine ullo labore nec tangere dignetur: captum autem venando & cum difficultate libens apponit ſibi & amicis; ſic ego, inquit ille, paratas cuivis togatas ſperno; at matronas depereo, quibus frui arduum eſt.

Captat & apponit.] Ingens hìc pugna, ingens diſſentio. Sagaciter Lambinus ita correxit. Omnes tamen codices huc uſque habuerant, *cantat.* Interpretes in anguſtiis conſtituti venatorios clamores, quibus revocari ſoleant canes, adhibuerunt, & Xenophontem afferunt præcipientem varios tonos vocis adhibendos, acutum, gravem, parvum, magnum: & ſic vocem *cantat* explicant, ſeque ut licet expediunt. Verùm ſi retinenda vetus lectio, *cantat*, referendum eſt ad cantilenam quam matronarum ſectator canit: & vox *apponit*, explicanda eſt, *addit*, ſeu *proſequitur*: at ingenioſè ſolerterque Dacerius noſter ſubodoratus eſt & ſenſit.

Hiſcene

Hiſcene verſiculis ſperas tibi poſſe dolores,
Atque æſtus, curáſque graves è pectore pelli?
Nonne, cupidinibus ſtatuat natura modum quem, [528]
Quid latura ſibi, quid ſit dolitura negatum,
Quærere plus prodeſt, et inane abſcindere ſoldo?
Num, tibi cùm fauces urit ſitis, aurea quæris
Pocula? Num eſuriens faſtidis omnia præter
Pavonem rhombúmque? Tument tibi cùm inguina, num, ſi
Ancilla, aut verna eſt præſtò puer, impetus in quem
Continuò fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego: namque parabilem amo Venerem facilemque.
Illam, Pòſt paulo; Sed pluris; ſi exierit vir;
Gallis hanc, Philodemus ait: ſibi, quæ neq; magno
Stet pretio, neque cunctetur, cùm eſt juſſa venire;
Candida rectáque ſit, munda hactenus, ut neque longa,
Nec magis alba velit, quàm det natura, videri. [529]
Hæc ubi ſuppoſuit dextro corpus mihi lævum;
Ilia, et Egeria eſt: do nomen quodlibet illi,

An igitur ejuſmodi cantilenâ ſperas corde tuo abigi poſſe anxietates, ſolicitudines, mœroreſque moleſtiſſimos? Annon ſatius eſt inveſtigare quem finem naturâ ponat cupiditatibus, quid ſibi denegatum patienter ferat, & quid doleat; atque inutile amputare à ſolido? An quando ſitis urit tibi fauces, aurea quæris pocula? An fame urgente ſpernis omnia præter pavonem & rhombum?

* * * * * * *

Non ego certè. Quippe amo Venerem promptam & expeditam. Quæ verò dicit: *Paulò poſt; at majori pretio; ſi vir diſceſſerit: illam Philodemus ait Gallis* relinquendam: *ſibi* autem peti eam, *quæ nec cariori pretio conſtet, nec moretur venire cùm advocatur: candida ſit, & recta, adeò concinna, ut non cupiat apparere grandior, aut candidior, quàm natura conceſſit,* * * * * * * * *hæc* mihi *Ilia & Egeria eſt: illi tribuo quaſcunque blanditias.*

ANNOTATIONES.

109. *Hiſcene verſiculis.*] Horatius ad illum qui cantavit Callimachi verſiculos, reſpondet; ſiccine per leviculam cantionem ſperas eluctari graves curas, & mœrores, aliaque mala, quæ matronarum amorem comitantur? an non ſatius tibi foret modum ſequi à naturâ præſcriptum? &c.

113. *Inane abſcindere ſoldo.*] *Inane,* quo ſibi denegata natura facilè careat: *ſoldo,* ſive ſolido & neceſſario, quod ſine dolore nequeat non habere, ſibique negari haud patienter ferat.

114. *Aurea quæris Pocula?*] Senec. Epiſt. 120. *Natura hoc unum jubet, ſitim extingui. Utrum ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an Tiburtinus calix, manus concava, nihil refert. Itaque Horatius negat ad ſitim pertinere, quo poculo aqua, aut quàm eleganti manu, miniſtretur.*

116. *Pavonem.*] *Pavonem cibi gratiâ Romæ primus occidit orator Hortenſius, additiali cœnâ ſacerdotii: ſaginare primus inſtituit circa noviſſimum piraticum bellum M. Aufidius Lurco, exque eo quæſtu reditus ſeſtertium ſexagena M. habuit,* Plin. lib. 10. cap. 20. Varro, Ælian. Vide Macrob. Saturnal. 3. 9. ubi ſcribit: *M. Varro de pavonibus in villâ nutriendis loquens, ſic ait: Primus hos Q. Hortenſius augurali cœnâ dicitur poſuiſſe.* Hinc factum *ut ova eorum denariis væneant quinis, ipſi facilè quinquagenis, &c.*

Rhombum.] Exquiſiti ſaporis piſcem. Gall. *turbot.* De eo Epod. 2. v. 50.

121. *Gallis.*] Cybeles ſacerdotibus, evitatis, caſtratis, adeoque moram ſponte ferentibus.

Philodemus.] Quis ille, incertum. Afferunt vulgo Poëtam Epicurum patriâ Gadaræum, qui Græcè ſcripſit quædam Epigrammata. Meminère Strabo, Aſconius, &c.

123. *Neque longa, &c.*] *Adjuta cothurnis,* ut ait Juvenal. Sat. 6. v. 505.

124. *Magis alba.*] Pictis & dealbatis cretâ vel ceruſſâ genis, *ceruſſati buccis,* ut loquitur Cicero in Piſon. Propert. lib. 3 Eleg. 24. v. 8.
Cùm tibi quæſitus candor in ore foret.
Martial. lib. 7. Epig. 24.
Et ceruſſatâ candidiora cute.

126. *Ilia & Egeria eſt.*] Tanti facio, quanti Iliam Romuli matrem & Egeriam Nympham, cum quâ Numæ conſuetudo.

*Nec metus * * * * ne vir redeat rure; fores effringantur; canis latret; ædes ingenti fragore concuſſæ undique percrepent: fœmina pallens deſcendat e cubili; ancilla conſcia exclamet ſe infortunatam: hæc timeat cruribus; deprehenſa doti; ego denique mihi. Fugiendum eſt veſte non cincta, & pedibus nudis: nè luant nummi, nates, vel demum exiſtimatio. Miſerum eſt deprehendi: vincam etiam Fabio judice.*

Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat:
Janua frangatur: latret canis: undique magno
Pulſa domus ſtrepitu reſonet: vel pallida lecto
Deſiliat mulier: miſeram ſe conſcia clamet:
Cruribus hæc metuat, doti deprenſa, egomet mi.
Diſcinctâ tunicâ fugiendum eſt, ac pede nudo;
Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.
Deprendi miſerum eſt: Fabio vel judice vincam.

ANNOTATIONES.

129. *Vel pallida.*] Alii legunt, *vepallida* ut apud Perſ. *vegrandis*, augente ſignificationem particulâ: valde pallens & pavens.

130. *Conſcia.*] Adulterii conciliatrix, vel ſimpliciter *conſcia*, herilis flagitii particeps ancilla: proindeque metuens ne iratus herus furorem in ipſam vertat, ejuſque crura fuſte verberet, truncet, frangat.

131. *Doti deprenſa.*] Uxor à viro deprehenſa in adulterio metuat ſuæ doti; id eſt, ne dotem amittat. Hanc enim illi adimebat lex Julia, & marito adjudicabat: interficere vero deprehenſam patri quidem permittebat, non autem marito; cui tamen id licuit ante Juliam legem. Ulpian. regul. Tit. 6 Cato apud Gellium, lib. 10. cap. 23. Valer. Max. lib. 8. cap. 2. ubi inſigne C. Marii judicium in C. Titinnium Minturnenſem, qui cùm Fanniam uxorem in adulterio deprehenſam repudiâſſet, ac dote ſpoliare conaretur; Marius Fanniam impudicitiæ ream ſeſtertio nummo, Titinnium autem ſummâ totius dotis damnavit: præfatus ſe hanc judicandi rationem ſecutum, quòd ſibi liqueret Titinnium impudicam eo animo duxiſſe, ut ejus doti inſidias strueret.

Egomet mi.] Ne verbera, plagas, necem ſubire cogar, aut ſaltem pecuniâ me redimere.

133. *Aut pyga.*] Ne mihi perna ſuccidatur: aut raphaniſmum patiar. De eo Juvenalis antè citatus.

Aut fama.] Lex enim infamiam adulteris inurebat.

134. *Fabio vel judicè vincam.*] Hunc celebrem eo tempore Juriſconſultum ſalsè notat Horatius: *vincam*, inquiens, *judice Fabio*, qui in adulterio aliquando deprehenſus malo ſuo expertus eſt, *miſerum eſſe deprehendi.*

SATIRA III.

Aliena quiſque peccata videt, ad propria cæcutit. Vitia leviora in amicis debent excuſari. Male Stoïci aſſerunt paria eſſe omnia peccata.

Cunctis hoc ineſt vitium cantoribus, ut cum familiaribus rogati cantare ſemper renuant; minime rogati

OMnibus hoc vitium eſt cantoribus, inter amicos
Ut numquam inducant animum cantare rogati,

ANNOTATIONES.

1. *Omnibus hoc.*] Serium nihil præfert ac ſpondet prima frons hujus Satiræ: at ſi totam ſpectes, nihil uſquam ſerium magis. Itaque in hac, ut & in præcedenti, callidus ubique Horatius & ſummè vafer, ab jocoſo exordio quibus animum lectoris excitat, ad graviora quæque ſenſim progeditur, ac monum præceptiones inſinuat præſtantiſſimas. *Hic ſcopus eſt*, Virgilium *animæ dimidium ſuæ tueri adverſus obtrectatores quoſdam, qui ingentis aliequi virum ingenii, ob leviora quæpiam vitia, iniquiùs vellicabant.*

Fœnũ habet in cornu; longè fuge; dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico:
Et quodcumque ſemel chartis illeverit, omnes
Geſtiet à furno redeuntes ſcire lacúque,
Et pueros & anus. √ Agedum pauca accipe contrá. [548]
Primũ ego me illorũ, dederim quibus eſſe poëtis,
Excerpam numero. Neq; enim concludere verſũ
Dixeris eſſe ſatis; neque ſi quis ſcribat, uti nos
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.
Idcirco quidam, comœdia nécne poëma
Eſſet, quæſivêre: quòd acer ſpiritus, ac vis
Nec verbis, nec rebus ineſt; niſi quòd pede certo
Differt ſermoni ſermo merus. At pater ardens
Sævit, quòd meretrice nepos inſanus amicâ
Filius uxorem grandi cum dote recuſet; [549]

Habet fœnum ad cornu, inquiunt, *procul fuge: ut ſibi cachinnos moveat ille, amicorum parcet nemini: & quicquid ſemel ſcriptitarit cupiet ſciri à cunctis revertentibus à clibano vel fonte, à juvenibus ac vetulis. Heus tu quæpiam contraria exaudi. Ego me primum eximam è numero eorum, quos poëtas eſſe concesſerim. Namque haud dixeris ſatis eſſe verſum finire: & ſi quiſpiam, velut ego, ſcribat ſimilia* quotidiano *ſermoni, hunc poëtam eſſe nequaquam cenſebis.* Verùm *cui fuerit ingenium, cui mens divinior, & facundia res grandes elocutura,* huic *tribue inſignem hanc appellationem. Eam ob rem nonnulli dubitârunt u*trùm *comœdia eſſet poëma, an non; quia vehemens ſpiritus virtuſque nec dictioni nec rebus ineſt: tantúmque definitis numeris oratio pura diſtinguitur oratione ſolutâ.* Dices: *Atqui fervens pater excandeſcit, quoniam filius luxurioſus meretricem deperit amicam, uxorem verò ingenti cum dote reſpuit.*

ANNOTATIONES.

34. *Fœnum habet in cornu.*] Proverb. ex eo petitum quod alligari conſueverat fœnum ad cornu bovis cornu petentis, quo ſibi cavere moneretur quiſque obvius: aliàs damnum luebat dominus, ex lege 12. Tab. Plutarch. in Craſſo. Deus quoque ſuo populo eâ de re gravia edixerat: Exod. cap. 21: *Si bos cornupeta fuerit, nec recluſerit eum dominus, occideritque virum aut mulierem, bos lapidibus obruatur, & dominum ejus occident, &c.*

37. *A furno redeuntes lacuque.*] A coquendo pane, vel hauriendâ aquâ: a furnis publicis, vel fontibus; ubi rumores ſolent ſpargi & ventilari inter ſervos & infimæ plebis homines: inde porrò redeuntes ſolent per vias cantillare, ſi quid eſt novi carminis ſeu cantilenæ in vulgus editæ.

Neque enim concludere verſum, &c.] Cic. de Orat. 3. ſcribit, *facilem eſſe rationem vel ſine ratione ipſam exercitationem verborum eligendorum & collocandorum, & concludendorum; rerum autem copiam non facilem.* Huc referri poteſt, quod idem Tull. ait, vix uno ſeculo poëtam eximium reperiri.

42. *Sermoni propiora.*] Epiſt. ad Auguſtum:
Sermones per humum repentes.

43. *Ingenium cui ſit, &c.*] Egregia deſcriptio excellentis poëtæ longéque diſparis loquacibus & futiliſſibus, quos lepidè Ariſtophanes vocat ἐπιφυλλίδας, & στωμύλματα. Eleganter Petronius: c. 118. *Multos carmen decepit: nam, ut quiſque verſum pedibus inſtruxit, ſenſumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putat ſe continuò in Heliconem veniſſe* . . . . . . *cæterùm neque generoſior ſpiritus vanitatem amat; neque concipere aut edere partum mens poteſt, niſi ingenti flumine literarum inundata. Effugiendum eſt ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate; ſumendæque voces à plebe ſummotæ, ut fiat, Odi profanum vulgus & arceo. Præterea curandum eſt, ne ſententiæ emineant extra corpus orationis expreſſæ, ſed intecto veſtibus colore niteant. Homerus teſtis, & Lyrici, Romanuſque Virgilius, & Horatii curioſa felicitas, &c.* Juvenal. Sat. 7. v. 53.
Vatem egregium, cui non ſit publica vena, &c.

45. *Comœdia necne poëma.*] Cic. in Orat. Perſ. *At comicorum ſenarii propter ſimilitudinem ſermonis ſic ſæpè ſunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus & verſus intelligi poſſit.* Id. ibid. n. 67. *Itaque video viſum eſſe nonnullis Platonis ac Democriti locutionem, etſi abſit à verſu, tamen quòd incitatius feratur, & clariſſimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quàm comicorum poëtarum; apud quos, niſi quod verſiculi ſint, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis.*

48. *At pater ardens, &c.*] Prolepſis. At inquies, perſona comica interdum aſſurgit, v. g. iratus pater in filium luxurioſum ardenter ſævit: Theuropides in Moſtell. Plaut. apud Terent. Chremes, in Andr. & Phorm. Demea in Adelph. Vide Epiſt. ad Piſ. v. 94.
Interdum tamen & vocem comœdia tollit.
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore.

Ebrius

Ebrius et (magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem cum facibus. Numquid Pomponius iſtis
Audiret leviora, pater ſi viveret? Ergo
Non ſatis eſt puris verſum preſcribere verbis;
Quem ſi diſſolvas, quivis ſtomachetur eodem
Quo perſonatus pacto pater. His ego quæ nunc,
Olim quæ ſcripſit Lucilius, eripias ſi
Tempora certa, modóſq; et quod priús ordine verbum eſt,
Poſterius facias, præponens ultima primis:
Non (ut ſi ſolvas: *Poſtquam diſcordia tetra*
Belli ferratos poſtes portaſque refregit.) [55°]
Invenias etiam disjecti membra poetæ.
Hactenus hæc. Aliàs juſtum ſit, nécne, poëma:
Nunc illud tantùm quæram, meritóne tibi ſit
Suſpectum genus hoc ſcribendi. Sulcius acer
Ambulat, et Caprius, rauci malè, cúmque libellis:

atque temulentus cum faculis ante noctem diſcurrit; quod grande probrum eſt. Reſpondeo. *An* quæſo *Pomponius his minora audiret, ſi pater* ejus *viveret? Itaque non ſufficit verſum componere meris vocibus, quem ſi reſolvas, eodem modò quilibet iraſcatur ac pater perſonatus. His ver*ſibus *quos ego jam* ſcribo, *& quos olim ſcripſit Lucilius, ſi auferas quaſdam menſuras ac numeros, atque poſteriori loco ſtatuas vocabulum quod erat prius, extrema ponens ante prima; non* erit idem *ac ſi diſſolvas* hæc: *Poſtquam tetra diſcordia refregit poſtes ferratos & portas belli.* In his enim *reperias adbuc partes diſcerpti poëtæ. Sed iſtahuc uſque. Alio tempore* expendam utrum comœdia *ſit verum carmen, an non. Jam verò id unum ſcrutabor, an jure inviſum tibi ſit iſtud ſcribendi genus. Sulcius ardens incedit,* pariter *& Caprius, miſerè rauci, & cum libellis:*

ANNOTATIONES.

51. *Ambulet ante noctem cum facibus.*] Dixi ad Od. 10. lib. 3. de eo more juvenum & amantium, qui ad puellas adamatas nocte cum facibus pergebant, atque ante illarum januam cantabant. Addo hîc, ſolitos interdum quoque vagari comeſſantes ac perſonatos diſcurrere per domos notas, noctu quidem cum facibus, nonnunquam & interdiu: quod & hodie aliquando noſtrates faciunt. Gall. *aller au bal; aller en maſque.* Porrò effervеſcit pater hoc magis adverſus laſcivientem filium, quòd ante noctem, & de die, ob oculos omnium ebrius graſſetur, magno ſuo ſuæque familiæ probro; *& ſiccis dedecus* obſtet *Cognatis,* . . . .
atque *rem patriam rumore ſiniſtro.*
Limen ad obſcænum frangat, ut canit Perſius, Sat. 5. 165.

52. *Numquid Pomponius,* *&c.*] Reſpondet Horatius objectioni; ſermone quidem ille ardentiori utitur, quia ſic iratus quilibet ſuevit loqui: & filium ſuum tali modo objurgaret Pomponius, ſi viveret, ac luxuriantem cerneret. Vide, lector, quam ſolerter & ſalsè vellicet Poëta libidinoſum adoleſcentem, velut aliud agens & ἐν παρόδῳ.

56. *Perſonatus pater.*] Comœdus perſonam ſuſtinens patris in filium ſtomachantis, ſuccenſentis, increpantis.

58. *Tempora certa, modoſque.*] Syllabarum quantitatem, certos pedes, certamque eorum diſpoſitionem & collocationem.

60. *Non ut ſi ſolvas: Poſtquàm diſcordia, &c.*] Nam contrà in his, licet corpus ac membra carminis diſcerpas, non proinde vim ac ſpiritum diſſipes: inverte ordinem verborum, orationem ſolve numeroſam; remanebit ſemper Poëtica locutio vulgari diſſimilis: verſum frange ac disjice; in disjecto etiam verſu apparebit ſermo ſublimior & à quotidiano remotus. v. g. Poſtquam tetra diſcordia refregit ferratos poſtes & portas belli.

Poſtquam diſcordia tetra, &c.] Ennii ſunt iſti verſus, ex Annal. poëtico ſanè pleni ſpiritu. Hoc imitatus Virgil. Æneid. 1. v. 297.

. . . . *Diræ ferro & compagibus actis*
Claudentur belli portæ.———

Et Æneid. 7. v. 621.

Impulit ipſa manu portas, & cardine verſo
Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.

61. *Belli poſtes portaſque refregit.*] Id eſt, fervente bello apertum eſt Jani templum, quod pacis tempore claudi ſolet. Vide lib. 4. Od. 15. v. 9. ibique annot. Item Plutarch. in Numâ, ubi ſcribit, ædem Jani Romæ biſores fuiſſe, & Januam belli appellatam.

65. *Genus hoc ſcribendi.*] Carmen ſatiricum, carpens vitia, & notans vitioſos.

Sulcius & Caprius.] Ambo delatores & accuſatores acerrimi, aſſiduâ actione rauci. *Cum libellis,* accuſationis cauſas & rationes continentibus, ac reorum nomina.

Magnus

Magnus uterque timor latronibus. At benè ſi quis
Et puris vivat manibus, contemnat utrumque.
Ut ſis tu ſimilis Cœlî, Birrhíque latronum;
Non ego ſim Caprii, neque Sulci. Cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Queis manus inſudet vulgi, Hermogeniſq; Tigellî.
Non recito cuiquam, niſi amicis, idque coactus:
Non ubivis, corámve quibuſlibet. In medio qui
Scripta foro recitent, ſunt multi; quíque lavantes; [551]
Suave locus voci reſonat concluſus. Inanes
Hoc juvat, haud illud quærentes, num ſine ſenſu,
Tempore num faciant alieno. Lædere gaudes,
Inquis, et hoc ſtudio pravus facis. Unde petitum
Hoc in me jacis? Eſt auctor quis deniq; eorum
Vixi cum quibus? Abſentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante; ſolutos
Qui captat riſus hominum, famámque dicacis;
Fingere qui non viſa poteſt; commiſſa tacere
Qui nequit; hic niger eſt; hunc tu, Romane, caveto.
Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos;

atque latronibus valdè formidabiles. Sed quiſquis probè & innocenter vivit, ſpernat utrumque. Sis tu licet prædonum Cœli atque Birrhi ſimilis, non ego proinde *ſim Caprii aut Sulci. Quare ergo times me?* Adde *quod nulla taberna vel columna meos habet libros, quos terat manus plebis & Hermogenis Tigellii.* Præterea *nemini recito præterquam familiaribus & invitus quidem; nec ubicunque nec ante quoſcunque.* Sat *multi ſunt qui ſcripta recitent in medio foro, & qui dum in balneis ſunt;* ubi *clauſus locus* facit *vocem jucundè reſonantem. Illud placet vanis, non obſervantibus an ſtultè, an tempore minimè opportuno id agant. At* enim *amas vellicare, inquis; idque agis improbo animo. Unde* verò *illud quæſiviſti* quod *mihi objicis?* An *deniqum adſtipulatorem habes aliquem eorum quibuſcum vixi?* Imò *qui abſentem amicum carpit, qui* eum *non tuetur* ab *alio reprehendente; qui gaudet excitare effuſos cachinnos hominum, & haberi dicax; qui ſponte fingit quæ non vidit; qui non poteſt ſilere arcana; ille eſt pernicioſus; iſtum cave, ô Romane.* Porrò *frequenter aſpicias tribus* in *lectis quaternos epulari:*

ANNOTATIONES.

69. *Cœli Birrhique latronum;*] Hi duo perditiſſimi luxuriâ juvenes, omni tunc facinorum audacia necnon latrociniis infames erant.

71. *Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,*] Nec in tabernis vilioribus plebeiorum & artificum meæ ſatiræ à nugacibus jactantur; nec proſtant venales emptori cuilibet expoſitæ apud bibliopolas, quorum ſunt tabernæ circa pilas. Vide Epiſt. ad Piſones, v. 373. ibique annot.

72.] *Hermogeniſque Tigelli.*] De hoc Sat. 3. v. 129. Alius autem eſt ab eo cujus mentio fit initio Sat. 2, & 3. cit. ut ibidem annotavi. Hunc Horatius contemptûs causâ plebi accenſet, unumque è multis facit, qui eximius haberi volebat.

76. *Suave locus voci reſonat concluſus.*] In balneis cameratus locus vocem recitantis ac legentis mirum in modum juvat, & recitationi ſuavitatem confert, tum legenti tum auſcultanti jucundam. Illud recitandi in balneis cacoëthes perſtringit Mart. lib 3. Epig. 44.

Et ſtanti legis, & legis ſedenti,
In thermas fugio, ſonas ad aurem.

78. *Lædere gaudes, &c.*] Jam Poëta refellit eos, à quibus inceſſebatur velut dicax & sycophanta: *ſtudio pravus*, pravè affectans aliis obtrectare, & quemlibet ſcommatibus ac dicteriis proſcindere.

79. *Unde petitum, &c.*] Undè habes ita me pravè affectum? An hoc accepiſti ab aliquo meorum contubernalium?

82. *Qui non defendit,*] Atqui Virgilium Horatius defendit ſuprà, Sat. 3.

85. *Niger eſt;*] Homo peſtilens, malus, pernicioſus: contrà eſt candidus, albus: ut alibi fuſiùs dictum.

86. *Sæpe tribus lectis, &c.*] Senſus & propoſitum Horatii iſte eſt; quotidie videmus, inquit, lepidè jocos & ſales jactari à quolibet in quemlibet: idque non improbamus. Quare ergo mihi creatur invidia, quòd nonnullos facetè reprehendo?

Tribus lectis videas cœnare quaternos] Primus olim fuit mos ſedendi ad menſam. Homer. Odyſſ. 10. ἥμεθα δαινύμενοι, ſedimus *epulantes.* Virgil. Æneid. 7. v. 176.

. . . *ſoliti patres conſidere menſis.*

Quorum unus omnes cupit perſcindere quacumque ratione, excepto eo qui aquam ſuppeditat: atque *hunc etiam paulò poſt ebrius, quando Bacchus veridicus revelat ſecreta mentis.* Attamen *iſte comis & lepidus & ſincerus exiſtimatur tibi inimico pravis.* *Ego verò, ſi riſi quod inſulſus Ruſillus redolet paſtillos, Gorgonius* autem *caprum; à te prædicabor malignus & dicax.* Quin imò audi. *Si mentio quædam fiat de furtis Petillii Capitolini, te præſente;* protinus, *ut ſoles, tueris;* aiſque, *Me Capitolinus à pueritiâ convivam habuit & familiarem, rogatuſque benè multa egit in mei gratiam: gaudeo certè quod Romæ ſoſpes degis: attamen demiror quâ ratione effugerit iſtam damnationem.* En *ille humor eſt atræ ſepiæ: illud merum virus: quod malum à ſcriptis* meis *atque anteà* ab *animo* meo *longè futurum ſincere ſpondeo, quantum de me aliquid ſpondere licet.* At verò, *ſi quidpiam locutus fuero nimis liberè,*

E quibus unus avet quavis aſpergere cunctos, [552]
Præter eum, qui præbet aquam: pòſt, hunc quoq;
Condita cùm verax aperit præcordia Liber.(potus,
Hic tibi comis, et urbanus, libérque videtur
Infeſto nigris; Ego ſi riſi, quòd ineptus
Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio ſi qua
De Capitolini furtis injecta Petillî
Te coram fuerit; defendas, ut tuus eſt mos:
Me Capitolinus convictore uſus amicóque
A puero eſt. causâque meâ permulta rogatus
Fecit; et incolumis lætor quòd vivit in urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. Hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt
Ærugo mera: quod vitiū procul abfore chartis, [553]
Atque animo prius, ut ſi quid promittere de me
Poſſum aliud, verè promitto. Liberiùs ſi

ANNOTATIONES.

Poſteà, gliſcente mollitie, diſcubuerunt in lectis, qui tres erant circa menſam diſpoſiti: unde triclinium appellatum. In ſingulis autem convivæ terni, aut quaterni: nonnunquam & quini: quod ſordidulum. Cicerò teſtis, in Piſ. *nihil apud hunc lautum, nihil elegans.*—— *Græci quini ſtipati in lectulis, ſæpè plures.* Porrò ſitus hic erat diſcumbentium: infera pars corporis jacebat porrecta aut leviter inflexa: ſuperior reclinata & cubito innixa: dorſum pulvillis ſuffultum, capite modicè erecto. At quî fiebat ut omnes æquâ parte ad menſam accederent? Primus decumbebat ad caput lecti, pedibus quidem ponè dorſum ſecundi porrectis: ſecundus obvertebat ſinciput ad umbilicum primi, interjecto pulvino: hujus autem pedes ad tergum jacebant tertii; ſicque tertius pariter & quartus. Quæ omnia ſuo more Juſt. Lipſius luculenter explicat lib. 5. antiquar. Lect.

87. *E quibus unus avet, &c.*] E convivis illis duodecim unus alios omnes dicteriis lacerat, nec parcit epulas præbenti: & tamen is urbanus exiſtimatur, nequaquam verò ſycophanta vel mordax. Cur igitur ego Horatius, &c.

88. *Qui præbet aquam:*] Ita convivii magiſter ſolet deſignari, quod præbeat balneum lavando, ut fit, corpori ante cœnam, aquam abluendis manibus, item calidam atque frigidam miſcendo temperandoque vino. Vide lib. 3. Od. 19.

92. *Paſtillos Ruſillus olet, &c.*] Verſum hunc explanatum vide ſupra in Sat. 2.

94. *De Capitolini furtis Petilli*] Nomen iſtud pariter & cognomen Romæ nobilia fuiſſe novimus: at non ita perſpicuum quis ille, quæve furta ejus: an peculator, an ſacrilegus. Aiunt, ex veteri Interprete, Petillium hunc, dum Capitolio præfectus eſſet, Jovis Capitolini auream coronam ſuffuratum; furti quidem reum cauſam dixiſſe; à Judicibus autem abſolutum utpote Auguſti familiarem.

100. *Hic nigræ ſuccus loliginis,*] Senſus eſt: talis oratio, etſi blanda videatur, eſt prava animo & ſtudio referta: hocque maledicentior & acerbior, quod amicitiæ ſpeciem præfert.

Nigræ ſuccus loliginis.] Metaph. loligo piſcis, è ſepiarum genere, humorem atrum pro ſanguine habet; unde intus nigra, externè alba exprimit optimè livorem, & mentis improbitatem verbis ſuavibus palliatam veluti & obvelatam. Pſalm. 54. *molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, at ipſi ſunt jacula.*

101. *Ærugo mera.*] Merum virus.

Ærugo. Gall. *la rouille de l'airain, le vert de gris.* Angl. Verdegris.

Quod vitium procul abfore, &c.] Spondeo me nec animo cogitaturum pravè, nec in chartis ſcripturum malignè, fictâ in quemquam benevolentiâ. *Eo ingenio natus ſum: amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gero . . .* Ennius.

Dixero

Dixero quid, ſi forte jocoſiùs; hoc mihi juris
Cum veniâ dabis. Inſuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem exemplis vitiorum quæque notando.
Cùm me hortaretur, parcè, frugaliter, atque
Vivèrem uti contentus eo, quod mî ipſe paraſſet;
Nonne vides, Albî ut malè vivat filius, útque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cùm deterreret, Sectani diſſimilis ſis.
Ne ſequerer mœchas, concesſâ cùm Venere uti [554]
Poſſem: deprenſi non bella eſt fama Treboni,
Aiebat. Sapiens, vitatu quidque petitu
Sit, melius cauſas reddet tibi: mî ſatis eſt, ſi
Traditum ab antiquis morem ſervare, tuámque,
Dum cuſtodis eges, vitam famámque tueri
Incolumem poſſim: ſimul ac duraverit ætas (me
Membra animúmq; tuum, nabis ſine cortice. Sic
Formabat puerum dictis, et, ſive jubebat,
Ut facerem quid; Habes auctorem, quo facias hoc,
Unum ex Judicibus ſelectis objiciebat:
Sive vetabat; In hoc inhoneſtum et inutile factu

aut caſu nimis feſtivè, hanc mihi licentiam cum indulgentiâ condonabis. Etenim *optimus pater* meus *ad id me conſuefecit, indigitando exempla ſingulorum vitiorum, ut eâ evitarem.* Sic, *quoties me admonebat ut victitarem parcè, frugaliter, & contentus iis bonis quæ ille mihi comparaſſet,* aiebat: *Advertiſne quam difficulter victitet filius Albii, & quàm miſer ſit Barrus?* Hoc *graviter doceat quemque, ut patrimonium dilapidare caveat.* Cum me *avocaret à fœdis amoribus meretricum,* dicebat, *Ne imitare Sectanum.* Quando præcipiebat *ne ſectarer adulteras, cùm liceret frui permiſſâ voluptate;* certè *pulchra non eſt exiſtimatio Trebonii, inquiebat:* porrò *philoſophus offeret tibi rationes,* propter quas *hoc fugere, illud quærere expediat: mihi ſufficit pro viribus cuſtodire inſtitutam à veteribus diſciplinam, atque integram continere vitam & exiſtimationem tuam, quàmdiu pædagogo indiges:* at, *poſteaquam ætas confirmârit tuum corpus ac mentem, natabis ſine ſubere. Ita me puerum* ille *præceptis imbuebat: &, ſeu moneret ut aliquid agerem,* addebat, *Ducem habes quò facias iſtud;* ſimulque *afferebat aliquem è Judicibus ſelectis: ſeu dehortaretur,* ſubjungebat: An *ambigeres utrum illud indecorum atque perniciosum factu*

ANNOTATIONES.

105. *Inſuevit pater optimus hoc me,*] Ad hoc vel in hoc me aſſuefecit. Legunt alii, *inſuevit pater optimus hoc mi.* Id eſt, hos mihi mores indidit. Eodem recidit. Marcilius, ut priorem lectionem tueatur, vult Horatium ſcripſiſſe, *hoic* pro *huic,* unde librarii fecerint *hoc:* non abſurdus omninò. Ita veteres ſaltem ſcripſiſſe liquet.

106. *Ut fugerem exemplis, &c.*] Ut me deterreret à vitiis, objiciebat exempla vitioſorum: ut provocaret ad virtutem, mihi viros proponebat virtute inclareſcentes. Scilicet *homines ampliùs oculis quàm auribus credunt; deinde, longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla.* Seneca ad Lucil. hinc ſimiliter apud Terent. Adelph. 3, 3, 60. Demea narrans quomodo filium erudiat, *conſuefacio,* inquit, *inſpicere, tanquam in ſpeculum, in vitas omnium jubeo; atque ex aliis ſumere exemplum ſibi, hoc facito; & hoc fugito; hoc laudi eſt; hoc vitio datur.*

109. *Albi.*] Albium Tibullum intelligunt abſurdè quidam, contra rationem temporis. In lucem ille nondum prodierat, cum ab optimo patre hæc præcepta audiret Horatius, Tibullo quidem ſuperior natu plus annis viginti.

110. *Barrus.*] Tit. Vetur. Barrus ex luxuriâ inops. De eo rurſus Sat. 6, & 7.

112. *Sectani.*] Turpis mœchi.

113. *Mœchas.*] Matronas. Supra, Sat. 2.

114. *Treboni.*] Is adulter expertus erat, quod anteà dictum, *deprehendi miſerum eſt.*

115. *Sapiens, vitatu, &c.*] Concinna planè dictio patris literis & philoſophiâ minimè imbuti, tantumque bonos mores è bonâ educatione adepti. Ego, inquit, quæ olim accepi honeſtatis documenta, tibi tradere geſtio: at, cùm frequentabis ſcholas Sapientum, hi cauſas tibi reddent, cur hoc petitu bonum, illud autem vitandum ſit.

120 *Nabis ſine cortice.*] Proverb. & metaph. à pueris, qui opè ſuberis natare diſcunt. Olim quippe ſuber corpori ſupponebant, ut hodie noſtri cucurbitas, Gall. *calebaces.* Senſus eſt hîc; per te ipſe intelliges quid fugiendum, quid expetendum; nec egebis alieno conſilio.

123. *Unum ex judicibus ſelectis.*] Aliquem integritate, æquitate, probitate inſignem, hocque nomine ſelectum & ſuccenturiatum Judicibus, Magiſtratibus, Senatoribus.

124. *Inutile factu.*] Malum, noxium. Ad-

Necne ſit, addubites; flagret rumore malo cum
Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut ægros
Exanimat, mortíſque metu ſibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe
Abſterrent vitiis. Ex hoc ego ſanus ab illis,
Perniciem quæcunque ferunt; mediocribus, et queis [555]
Ignoſcas vitiis, tentor. Fortaſſis et iſtinc
Largiter abſtulerit longa ætas, liber amicus, (me
Conſilium proprium. Neq; enim, cùm lectulus, aut
Porticus excepit, deſum mihi: Rectius hoc eſt;
Hoc faciens vivam meliùs: ſic dulcis amicis
Occurram: hoc quidam non bellè: numquid ego illi
Imprudens olim faciam ſimile? Hæc ego mecum
Compreſſis agito labris: ubi quid datur otî,
Illudo chartis. Hoc eſt mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui ſi concedere nolis,
Multa poëtarum veniet manus, auxilio quæ
Sit mihi (nam multò plures ſumus) ac veluti te[556]

ſit an non, quadoquidem turpi famâ laborat hic & ille? Certè *non ſecus ac funus vicini terret ægrotos edaciores, atque abſtinere cogit mortis metu; ità juvenum mentem non raro à peccatis avertit ignominia alterius. Per ejuſmodi inſtitutionem carui* majoribus *iis vitiis quæ exitium creant; tantúmque exiguis conflictor, & quibus* facilè *indulgeas. Ex his etiam multum abſterget ætas provectior, amicus ſincerus, ratio propria. Enimverò quando verſor in cubili, vel in porticu, nequaquam mihi deſum.* Tunc autem ſic reputo: *Iſtud melius eſt, id agens rectius vivam: ità me præſtabo gratum familiaribus: hoc non benè quidam fe*cit: *egone imprudens aliquando faciam idem quod iſte? Similia tacitus ego mecum revolvo: cùm* verò *per tempus licet, in membranis ludens ſcribo.* Atque *hoc unum eſt è vitiis illis minoribus; cui ſi veniam deneges, magna poëtarum multitudo accedet opem mibi latura: (complures enim ſumus) teque ad multitudinem illam*

ANNOTATIONES.

verte, lector, vim & notionem hujus vocabuli, Cic. de Inv. I. *Inutilis ſeu pernicioſus patriæ civis alitur.* Similis eſt ſententia Chriſti in Evangelio dicentis, *qui non eſt mecum, contra me eſt.*

130. *Mediocribus vitiis tentor.*] Al. *teneor*, id eſt, obnoxius ſum adhuc vitiis illis mediocribus.

132. *Liber amicus,*] Antiſthenes dicebat: opus eſſe, vel amicis ingenuis, vel acribus inimicis. Hi quippe conviciando, illi monendo, à peccatis avertunt. Plutarch.

133. *Cùm lectulus, aut me Porticus excepit, &c*] Sive decumbo in lectulo, ſive in porticu deambulo, non eſt otioſa mens mea: tum enim quid honeſtum, quid rectum, quid minùs decorum factu ſit meditor, meque ipſe fingo & confirmo in amore & actione virtutis. Pythagoras diſcipulos jubebat recenſere veſperi quæ interdiu feciſſent, & ſecum agitare, quo ivi? quid egi? quid omiſi faciendum? &c. Seneca lib. 3. de Ira: *animus quotidiè ad reddendam rationem vocandus . . . quod hodie malum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? quâ parte melior es?*

Porticus.] Ejuſmodi publicæ porticus erant Romæ complures, ambulationi & captando frigori accommodatæ: erant & privatæ. Vide Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 23.

139. *Chartis.*] Chartæ primum è papyro, Ægyptia plantâ: diviſis acu vel ſcalpello ejus tunicis in tenues ſed latas philyras. *Has Alexandri Magni victoriâ repertas auctor eſt M. Varro, conditâ in Ægypto Alexandria: anteà verò non fuiſſe chartarum uſum.* Quod tamen refellunt docti. Alexandri quidem ævo charta frequentior; anteà tamen inventa & cognita. *In foliis palmarum* (alii legendum contendunt *malvarum*) *primò ſcriptitatum; deinde quarumdam arborum libris*; id eſt, corticibus, vel potiùs, tunicis corticem inter & lignum ſubtilioribus. *Poſteà monumenta publica plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cæpta, aut cereis.* Linteos libros commemorat T. Livius, lib. 4. *Supprimente chartas Ptolemæo, idem Varro membranas Pergami tradit repertas. Poſteà promiſcuè patuit uſus rei quâ conſtat immortalitas hominum.* Plin. lib. 13. c. 11. Vide cap. 12.

142. *Multo plures ſumus.*] Indicat plurimos tunc fuiſſe, qui verſus factitarent. Hos autem callidè vellicat, quod ſe *putarent eſſe poëtas, ſermoni propria ſcribentes, vel in uno ſtantes pede multa, concludere verſum puriſque verbis* contexere ſatis eſſe, exiſtimantes.

Veluti Judæi,] Hi ſub Auguſto Romæ magno numero degebant, & quoſcunque poterant ad ſuos ritus ſuamque religionem pertrahere ſatagebant. Huc petinet quod ait Chriſtus

Judæi, cogemus in hanc concedere turbam.

adjungere, tanquam Judæi compellemus.

ANNOTATIONES.

Matth. cap. 23. v. 15. "Væ vobis Scribæ & "Pharisæi, Hypocritæ; quia circuitis mare "& aridam terram, ut faciatis unum proſelytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos."

143. *In hanc concedere turbam.*] Inter poëtas nomen dare, cum tot aliis carmina perſcribenda animum appellere, etiamſi reluctetur Minerva.

SATIRA V.

Facetè deſcribit iter ſuum ab urbe Româ Brunduſium uſque.

EGreſſum magnâ me accepit Aricia Româ
Hoſpitio modico. Rhetor comes Heliodorus
Græcorum longè doctiſſimus. Inde Forum Appî
Differtum nautis, cauponibus atque malignis. [557]
Hoc iter ignavi diviſimus, altiùs ac nos
Præcinctis unum. Minùs eſt gravis Appia tardis.
Hîc ego propter aquam, quod erat teterrima, ventri
Indico bellum, cœnantes haud animo æquo
Expectans comites. Jam nox inducere terris

Magnâ Româ egreſſum me excepit Aricia parvo hoſpitio. Comitabatur me Heliodorus rhetor inter Græcos eruditiſſimus. Hinc perreximus *ad mercatum Appii* oppidi, *plenum nautis & cauponibus iniquis. Hoc iter partiti ſumus pigri, quod unicum* fuiſſet viatoribus *altius quàm nos ſuccinctis. Appia* via *minùs eſt moleſta lentè progredientibus. Ego iſtic bellum facio ventri ob aquam, quia* ibi *peſſima eſt; cœnantes comites impatienter expectans. Jam nox prope erat terris umbras*

ANNOTATIONES.

1. *Egreſſum magna, &c.*] Lucilius Satirâ ſuâ 3. deſcripſerat iter quod ab urbe Româ Capuam, indeque ad Siculum fretum obierat: hîc noſter poëta ejus exemplo ſuum Româ Brunduſium iter facetè admòdum deſcribit, plus μιμοσχόπων agens quàm τοπογράφον, ut ait Cruquius. Anno ſcil. U. C. 713. Antonianis & Octavianis diffidentibus, utrinque delecti viri ſunt qui res Antonium inter & Auguſtum componerent. Itaque Brunduſium, quod Antonii exercitus obſidione premebat, convenêre legati, Mæcenas ab Auguſto, Fonteius ab Antonio, cum Cocceio perinde utriuſque Imperatoris amico, qui quidem optatam fecere pacem, fœduſque Brunduſinum inde dictum ſanxerunt. Porrò Mæcenatem illuc officii causâ ſecuti Horatius, Virgilius, & alii.

Aricia.] Oppidulum in Appiâ viâ, diſtans Româ mil. paſſ. 16. hod. *la Riccia.* Ducatus inſignia oſtentat.

2. *Rhetor comes Heliodorus.*] Huc pertinet quod aiunt: *facundus comes in viâ pro vehiculo eſt*: maximè quod Horatius Græci erat ſermonis ſtudioſiſſimus.

3. *Græcorum longè doctiſſimus.*] Quidam legunt *Græcæ linguæ doctiſſimus*: ſed perperam. Quippe, ut redarguunt alii, quæ laus eſſet iſta Rhetori Græco, Græcam linguam apprimè callere?

Forum Appî] Oppidum Latii in Volſcorum finibus, inter Ariciam ac Feroniam juxta Paludes Pomptinas; quare in his navigantes nautæ plurimi iſtic habitant, caupones item, quia frequens ea via & celebris. Vide Epiſt. ad Piſ. v. 65. ad hæc verba, *ſterilisque palus, &c.* Annot.

4. *Malignis.*] Fraudulentis, iniquâ uti menſurâ conſuetis. Suprà Sat. 1. v. 29. *Perfidus hic caupo.*

5. *Hoc iter ignavi diviſimus, &c.*] Quod expediti magis quàm nos una die confeciſſent, in eo biduum poſuimus.

6. *Præcinctis.*] Strenuis, expeditis, εὐζώνοις; contrà diſcinctus ignavum ſignificat, ut alibi dictum.

Minùs eſt gravis Appia tardis.] Quia crebra ſunt diverſoria, quibus licet commorari quoties libet.

7. *Ventri Indico bellum,*] Scilicet appetenti cœnam negavi, quod nec paluſtrem ac fœtentem aquam bibere poteram, nec merum, propter ophthalmiam, de quâ poſteà. Hinc *cœnantes* incœnatus *haud æquo expectans animo.*

9. *Jam nox inducere, &c.*] Quia terreſtris via difficilior etiam vehiculis, idcircò ab Appii foro navigabatur Feroniam uſque, noctu quidem; teſte Strabone mox citando. Hinc facilè intelliges, lector, quæ deinde ſequuntur; ut quòd puerorum nautarumq; vociferatio audita ſubitò: quòd *nil procedere lintrem* viatores haud ſenſêre: quòd vix *horâ quartâ* perventum ſit eò, quo ad ortum ſolis appellere oportuerat.

Umbras, et cœlo diffundere ſigna parabat.
Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ
Ingerere: Huc appelle: trecentos inſeris: ohe,
Jā ſatis eſt. Dū æs exigitur, dū mula ligatur,[558]
Tota abit hora. Mali culices, ranæque paluſtres
Avertunt ſomnos. Abſentem cantat amicam
Multâ prolutus vappâ nauta, atque viator
Certatim: tandem feſſus dormire viator
Incipit; ac miſſæ paſtum retinacula mulæ
Nauta piger ſaxo religat, ſtertítque ſupinus.
Jámq; dies aderat, cùm nil procedere lintrem
Sentimus: donec cerebroſus proſilit unus,
Ac mulæ nautæque caput lumbóſque ſaligno
Fuſte dolat. Quartâ vix demum exponimur horâ:
Ora, manúſq; tuâ lavimus, Feronia, lymphâ.[559]

inducere ac ſtellas cœlo ſpargere. Mox ſervi nautis, nautæ ſervis dicteria inferre cœperunt: huc navem applica; trecentos introducis: ohe, jam ſat multi *ſunt. Hora integra abſumitur, dum pecunia exigitur, dumque mula alligatur. Moleſti culices & ranæ paluſtres impediunt ſoporem. Nauta nimio refertus vino ac viator certatim canunt amicam abſentem. Denique viator fatigatus dormire incipit: tumque ignavus nauta ad ſaxum ligat funem mulæ ad pabulum dimiſſæ, atque dormit ſupinus. Jam verò lux fulgebat, quando advertimus cymbam minimè progredi, donec iracundus quidam exilit, & mulæ nautæque caput ac lumbos verberat ſaligno fuſte. Tandem vix horâ quartâ deſcendimus* è navi : ſtatimque *faciem & manus abluimus aquâ tuâ, ô Feronia.*

ANNOTATIONES.

10. *Cœlo diffundere ſigna parabat.*] Non hæc *ſermoni propior* quod ait Sat. præced. imò ſublimior dictio, ut & alibi interdum. Poetæ excelſo vel excidit; ſeu quod lectoris mentem excitare identidem juvat.

11. *Tum pueri nautis, &c.*] Servi a dominis præmiſſi ad comparandum navigium, cum nautis rixantur & conviciantur; quod quidem familiare hujus farinæ hominibus.

Convicia.] Quaſi *convocia*, vociferationem plurimorum confuſam ſignificant. Feſtus. Alii aliter. *Vocis contentionem* notat eâ voce Tullius variis locis. Epiſt. 5. lib. 1. *Pompeius, cum pro Milone diceret, clamore convicioque jactatus.* Orat. n. 160. *Convicio aurium mihi extorta veritas eſt.*

12. *Huc appelle: &c.*] Verba ſunt ſervorum contra nautas, qui plures quæſtûs causâ excipiebant in navim: *trecentos*, id eſt, nimis multos, non ſine periculo navigantium, ob nimium onus ac pondus.

13. *Dum æs exigitur.*] Naulum, navigationis pretium.

Mula ligatur,] Tractura navim contra aquam. Strabo lib. 5. *propè Tarracinam iter facienti Romam foſſa ad Appiam apponitur & quidem multis in locis, quam & paluſtres & fluviatiles implent aquæ: Per eam nocturna maximè fit navigatio, ut qui primis conſcendant tenebris, oriente ſole egreſſi, viæ Appiæ reliquum evadant, & interdiu trahentibus mulis remulco, perambulent.*

14. *Mali culices,*] Culex ab aculeo dictus, vel quaſi cutilex, quod cutem laceſſat.

Ranæque paluſtres.] Ad diſcrimen aliarum quæ rubetæ vocantur, & in ſentibus ac dumis latitant. Illæ ergo coaxantes viatoribus ſeu navigantibus ſomnum adimunt, per importunum ac frequens βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ. Ariſtophan. Ran.

15. *Cantat*] Ad ſublevandum horrorem ac tædium nocturni temporis ac ſilentii.

16. *Prolutus*] Virgil. Æneid. 1, 743.

. . . . *Pleno ſe proluit auro.*

18. *Ac miſſæ paſtum, &c.*] Ubi nauta, qui mulam moderatur, ſenſit dormire viatorem, & ipſe dormituriens mulam ſolvit, paſtumque dimittit, funem verò navigii religat ad ſaxum, moxque ſopori ſe tradit humi ſtratus, parum ſolicitus quâ horâ perveniret ad deſtinatum locum.

21. *Donec cerebroſus &c.*] Donec unus viatorum ſeu navigantium ad terram proſilit, atque è ſalicibus littori adſitis virgam ſecat, quâ iratus nautam dormientem excitat, ejus caput & lumbos percutiendo, nec ipſi parcit mulæ *cerebroſus*, in obvium quidlibet exonerans indignationem ſuam ac bilem.

23. *Dolat.*] Metaphora à fabris lignariis, qui dolabrâ coæquant expoliuntque ligna.

Quartâ vix demum exponimur horâ:] Extra navim ponimur ad Feroniam tandem, horâ poſt exortum ſolem quartâ, id eſt, decimâ noſtrâ matutinâ, in æquinoctio nempe; quod pluribus explicavi in meis annotationibus ad Perſii Sat. 4. initium.

24. *Ora, manuſque tuâ lavimus, &c.*] Ex religioſo veterum erga Deam illam cultu; quæ in Soracte monte habebat ſacrum fontem, lucum, templum; nomenque dedit urbi Fero-

Millia

Millia tum pranſi tria repimus; atque ſubimus
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.
Huc venturus erat Mæcenas, optimus atque
Cocceius, miſſi magnis de rebus uterque
Legati; averſos ſoliti componere amicos.
Heic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere: intereà Mæcenas advenit, atque
Cocceius, Capitóque ſimul Fonteuis, ad unguem
Factus homo, Antonî, non ut magìs alter, amicus.
Fundos Aufidio Luſco prætore libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ,

deinde ve ò *pranſi lenti proceſſimus* ad *tria* paſſuum *millia: ac pervenimus Anxur extructum ſuper rupes* eminus apparentes *ob candorem. Illuc debebant convenire optimus Mæcenas atque Cocceius, legati ambo ad negotia miſſi graviſſima;* cæterùm *aſſueti reconciliare amicos abalienatos. Illic ego lippientes oculos collyrio inunxi. Interim acceſſit Mæcenas & Cocceius, unâque Fonteius Capito vir ad amuſſim factus,* ità *gratioſus Antonio, ut nemo magis. Sponte deſeruimus Fundos,* ubi *Prætor* erat *Aufidius Luſcus, deridentes munera ſcribæ inſanientis,*

ANNOTATIONES.

tiæ, inter Circæos & Tarracinam. Nec omittam duo quæ narrantur miracula: alterum quòd Deæ illius afflati numine ardentes prunas nudis pedibus ſine noxâ calcare aiunt. Alterum eſt quòd Feroniæ lucus aliquando cùm arſiſſet; indeque auferre ſimulacrum accolæ meditarentur, ſubito nemus revirnit. Hinc Virgil. Æn. 7. v. 800.

. . . . *Viridi gaudens Feronia luco.*

Vide Strab. lib. 5. Dionyſ. Halic. Plin. Porrò quæ fuerit illa Dea, haud planè compertum. Dionyſius aſſerit Feroniam conſecratam à Lacedæmoniis iſtis, qui tempore Lycurgi in Italiam appulſi locum iſtum dicârint, numenque côluerint ſub hoc nomine, eò quòd illuc ferri non infeliciter contigiſſet. Alii volunt ipſam Junonem eſſe quæ ibi Feronia vocetur, colaturque, ſicut apud Anxur urbem non longè remotam Jupiter Anxurus. Certè Virgil. cit. utriuſque pariter ibidem meminit. Conſtat Feroniam nemorum Deam fuiſſe, à ferendis arboribus appellatam. Imò veteres numen fecêre ex illâ vi arcanâ arboribus inſitâ, per quam vigent, pullulant, florent, edunt fructus.

25. *Millia tum pranſi &c.*] Poſtquàm ſumus pranſi Feroniæ, tria paſſuum millia confecimus, lento quidem gradu, tum propter ſtomachi repletionem, cùm ob locorum acclivitatem: contendimuſque Anxur.

26. *Anxur.*] Urbs hæc Latii, poſt dicta Tarracina, colli & ſaxu impoſita, mari Tyrrheno imminet. Olim etiam Trachine appellata, ab aſperitate loci.

28. *Cocceius,*] Cocceius Nerva, proavus Nervæ Imperatoris, erat illuſtris Juriſconſultus, Auguſto pariter atque Antonio gratioſus.

Miſſi magnis de rebus uterque Legati;] Inde enim pax Imperii & Reipublicæ Romanæ pendebat. Illi adverſos exercitus propè Brundiſium, ſancito fœdere, in una coëgêre caſtra. Antonio verò in matrimonium data Octavia Auguſti ſoror. Tit. Liv. lib. 127. Appian. lib. 5. Sueton. Octav. c. 17.

30. *Collyria*] Oculorum medicamenta, propriè σποδιακὰ & τέφρια, ob cinerum colorem; unde Horatius vocat *nigra.* Cornel. Celſ. l. 6. c. 6. παρὰ τὸ κωλύειν τὸ ῥᾶν ab inhibendâ fluxione, dictum volunt collyrion; ſed multos etiam alios ad uſus adhibetur.

32. *Capito Fonteius.*] Hunc Dio Conſulem cum Germanico fuiſſe ſcribit. Livius & Appianus ex Antonii parte Pollionem, ex Auguſti Mæcenatem duntaxat miſſos referunt, cum Cocceio quidem; nullam verò Capitonis faciunt mentionem.

Ad unguem factus homò,] Eximiis dotibus vir ornatiſſimus, metaph. à marmorariis, qui lævitatem & juncturas explorant ſuperducto ungue. Hinc Perſ. Sat. 1. v. 65.

. . . *Ut per læve ſeveros*
Effundat junctura ungues.

34. *Fundos Aufidio &c.*] Fundis minimè commorati ſumus, ſed prandimus tantum: poſteà Formias progreſſi, ubi pernoctavimus.

Fundos] Oppidum in viâ Appiâ, initio regni Neapolitani, Tarracinam inter & Formias medium, ad decem ferè paſſ. mill. vino generoſo celebratur.

Aufidio Luſco prætore] Prætor dicitur quòd præeat vel præſit juri dicendo. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 15.

35. *Inſani ridentes præmia ſcribæ,*] Romæ ſcribarum officium etiam libertinis patebat, adeóque vile cenſebatur: attamen magiſtratus in municipiis ſæpè merces ac præmium erat ſcribarum. Sic Aufidius Luſcus Fundis Præturam adeptus ſibi jam aliquis videbatur: at, quòd ſua dignitate pluſculum ſuperbiret, ludibrio fuit Mæcenati aliiſque qui eum comitabantur. Hunc enim alioſque legatos à Fundano illo Prætore, honoris causâ, ſalutatos intelli-

Prætextam, et latum clavum, prunæque batillum.
In Mamurrarum laſſi deinde urbe manemus, [561]
Murenâ præbente domum, Capitone culinam.
Poſtera lux oritur multò gratiſſima: namque
Plotius, et Varius Sinueſſæ, Virgiliúſque
Occurrunt; animæ, quales neque candidiores
Terra tulit; neque queis me ſit devinctior alter.
O, qui complexus, et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo ſanus amico.

prætextam, latum clavum, & batillum ignis. Poſteà fatigati commoramur in civitate Mamurrarum, Murænâ hoſpitium, Capitone cœnam dante. Poſtera dies illuxit longè amœniſſima. Etenim Plotius, Varius, atque Virgilius obviam nobis *fuerunt Sinueſſæ; homines tales, ut nec meliores terra protulerit, nec quiſquam ſit me conjunctior* cum illis. *O quales amplexus, & quàm magna lætitia extitit! Ego* dum mente *ſanâ* ero, *nihil æquabo fideli amico.*

ANNOTATIONES.

gendum eſt. Apud Sueton. Caligul. cap. 23. *ex publicis monumentis certum, Aufidium Lingonem Romæ honoribus functum.*

36. *Prætextam.*] Ex Varrone l. 5. de Ling. Lat. toga erat alba purpureo prætexta limbo: quæ quidem non puerorum fuit ſolùm, ſed & magiſtratuum. Unde & prætextatus à togato differt, ut magiſtratus à privato. Hanc *ſupra tunicas honorati quique induebant.* inquit Non. Marcell. De eâ veſte jam dixi in Epod. 5.

Latum clavum.] Veſtis hæc nobiliorum propria, plagulis decorata aureis ſive purpureis, latioribus in Senatore, anguſtioribus in equite. Unde Ovid. Triſt. 4. Eleg. ult.

. . . . . *clavi menſura coacta eſt.*

Nec matronæ carebant ſimili quodam ornatu. Nam & earum veſtis habebat patagium, quod erat *aureus clavus qui pretioſis veſtibus addebatur*, ex Nonio. Porrò nomen deducunt à ſimilitudine cum clavorum capitibus, quibus ſimiles eſſent aureæ illæ plagulæ. Nec perperam alii etymon hoc rejiciunt, qui aſſerunt clavos iſtos fuiſſe purpureas faſcias ſeu limbos utrinque tunicæ aſſutos; tunicæ inquam; nam latus clavus erat interior veſtis ſupra quam aſſuebatur prætexta: & hoc plerique non animadvertunt, contrariumque ſcripſerunt, certè immemores Prætore capitis ſententiam ferente deponi prætextam conſueviſſe, at minime laticlavum.

Prunæque batillum.] Tanta erat Aufidii inſania, ut ante ſe ferri prunas in batillo, id eſt, foculo anſato & geſtatili, juberet, ad inſtar virorum Principum & Imperatorum, quibus præferebatur ejuſmodi ignis, ſummæ auctoritatis ac poteſtatis index & inſigne. Fruſtrà quidam intelligunt vas parvum, in quo nempè ſuffitus fieret Jovi Hoſpitali, ſive hoſpitibus & convivis.

37. *In Mamurrarum urbe.*] Sunt qui Mamurras urbem aſſerunt inter Fundos & Formias, vern. *Itro* vel *Itri*, cujus etiamnum extant ibidem rudera. Philip. Ferrar. Verùm ipſæ hic Formiæ accipiendæ ſunt, è quibus oriunda Mamurrarum familia & Romæ quidem Senatoria. Adde quòd illius oppidi maximam partem obtinebat Mamurra, Eques Romanus, Cæſaris amicus, opibus præpotens: quem vellicat ſanè hic noſter; ut & Catullus: *Primum Romæ parietes cruſtâ marmoris operuiſſe totius domus ſuæ in Cœlio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram, Formiis natum, Equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæſaris in Galliâ . . . . nullamque niſi è marmore columnam habuiſſe, omnes ſolidos è Caryſtio aut Lunenſi . . . . hic eſt Mamurra Catulli Veronenſis carminibus proſciſſus, cujus domum Catullus dixit habere quicquid habuiſſet Comata Gallia.* Hæc Plin. l. 36. c. 6. Vide l. 3. Od. 17. ubi Lamiarum originem è Formiis urbe celebrat Horatius.

Laſſi manemus.] Nam à Tarracinâ ſeu Anxure Formiæ diſtant ducentis prope ſtadiis. Quadringenta numerat Strabo certè hallucinatur.

38. *Murænâ præbente domum, &c.*] Muræna & Capito Formiis habentes domum uterque, officium partiti erga præclaros hoſpites, alter hoſpitium, alter epulas præbent. Murena ille frater erat Liciniæ, quæ poſteà nupſit Mæcenati. Vide l. 3. Od. 19.

40. *Plotius, & Varius.*] Hi ſunt eximii poëtæ. Virgilio perinde ac Horatio amiciſſimi, quibus ab Auguſto commiſſa eſt cura emendandæ Æneidos poſt mortem Virgilii, hâc lege ut nihil adderent. Cum Plotio & Vario tertius erat Tucca, & ipſe eruditione clarus, ad recenſendum opus divinum. Servius.

Sinueſſæ.] Hæc urbs Campaniæ, ad oſtia Liris fluvii, ubi nunc *Rocca di Mondragone*, ibi definit Maſſicus mons.

Martial. l. 13. Epig. 111.

De Sinueſſanis venerunt Maſſica prælis.

Sinueſſanas porrò aquas ſterilitatem fœminis, maribus autem inſaniam auferre tradunt. Plin. &c.

44. *Nil ego contulerim jucundo ſanus amico.*] Exceptâ ſapientiâ nihil homini præſtantius

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum [562]
Præbuit; et parochi, quæ debent, ligna ſalémque.
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.
Luſum it Mæcenas, dormitum ego Virgiliúſq; [563]
Namque pilâ lippis inimicum et ludere crudis.

Villula quæ vicina eſt ponti Campano hoſpitium dedit: parochi verò quæ debent ligna & ſalem præbuerunt. *Indè muli Capuæ deponunt clitellas tempeſtivè. Mæcenas ivit luſum; ego verò ac Virgilius dormitum* ivimus: *nam pilæ* ludus eſt *noxius lippis atque crudis.*

ANNOTATIONES.

amicitiâ, meliúſque a Diis immortalibus datum, affirmat Tullius. Proverb. cap. 18. l. ult. *Vir amabilis ad ſocietatem magis amicus erit, quàm frater.* Eccleſiaſtici cap. 6. *Amicus fidelis protectio fortis: qui invenit illum, invenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio . . . . medicamentum eſt vitæ & immortalitatis.*

45. *Proxima Campano, &c.*] Sinueſſæ pranſi jucundiùs quidem ob occurſum amicorum, venerunt omnes ſimul ad hanc villam, in quâ pernoctârunt.

Campano ponti] Qui impoſitus eſt Vulturno Campaniæ fluvio per Venafrum, Capuam, aliaſque urbes in mare Tyrrhenum decurrenti.

46. *Parochi,*] Quaſi præbitores à παρέχειν, *præbere*, curatores erant publici per urbes & loca jus habentes ab oppidanis exigendi certa ſtipendia, unde peregrinis & legatis neceſſaria ſuppeditarent Reip. nomine. Tull. ad Attic. l. 13. Epiſt. 2. *Ariarathes Ariobarzanis filius Romam venit . . . omninò eum Seſtius noſter parochiis publicis occupavit*; (id eſt, præbitionibus ac muneribus publicis.) Alii legunt, *parochus publicus, quod quidem facile patior. Veruntamen quod mihi magna cum fratribus illius neceſſitudo eſt, invito eum per literas ut ad me diverſetur.* Jam res patet de peregrino: de legatis autem auctoritate publicâ miſſis hæc habe, ſtudioſe lector. Idem Tull. item ad Attic. l. 5. Epiſt. 16. ita ſcribit: *maxima expectatione in perditam & planè everſam in perpetuum provinciam nos veniſſe ſcito, prid. Cal. Sextil. morati triduum Laodiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnadæ, audivimus nihil aliud niſi civitatum gemitus, ploratus, &c. . . . . Levantur tamen miſeræ civitates, quòd nullus fit ſumptus in nos, neque in legatos, neque in quæſtorem, neque in quemquam. Scito, non modò nos fœnum, aut quod lege Juliâ dari ſolet, non accipere, ſed nè ligna quidem; nec præter quatuor lectos & tectum, quemquam accipere quidquam: multis locis nè tectum quidem, & in tabernaculo manere plerumque. . . . Mehercule etiam, adventu noſtro, reviviſcunt, juſtitia, abſtinentia, clementia tui Ciceronis. Itaque opiniones omnium ſuperavit.* Præclaram etiam huic loco lucem dabit T. Livius lib. 42. c. 1. *Antè L. Poſthumium Conſulem*, inquit, *nemo ſociis unquam in ullâ re oneri aut ſumptui fuit. Ideo magiſtratus mulis, tabernaculiſque, & omni alio inſtrumento militari ornabantur, nè quid tale imperarent ſociis: privata hoſpitia habebant; ea benignè comiterque colebant: domuſque illorum Romæ hoſpitibus patebant, apud quos ipſis diverti mos eſſet. Legati qui repente aliquo mitterentur, ſingula jumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant: aliam impenſam ſocii in magiſtratus Romanos non faciebant.* At ipſe, cùm ſenatui placuiſſet *Conſulem, ad agrum publicum a privato terminandum in Campaniam ire, ... prinſquam ab Româ proficiſceretur, literas Præneſte miſit, ut ſibi magiſtratus obviam exiret, locum publice pararet ubi diverteretur; jumentaque, cum exiret indè, præſto eſſent.*

47. *Hinc muli Capuæ, &c.*] Ab eâ villulâ mulis vecti Capuam venimus & tempeſtivè quidem; nam eâ die confecimus millia paſſuum non plus ſexdecim.

Capuæ] Hæc Campaniæ metropolis ac veluti arx deliciarum & arrogantiæ pridem fuit. *Alteram Romam* vocat Cicero Philip 12. alibi verò *ſuperbiæ domicilium.* Annibalis virtutem corrupit ac fregit illa *pelago, cultuque, penuque, potens* civitas *deliciis, opibus, famaque*; ut canit Auſonius. Hodie jacet in ruderibus. Duobus autem inde milliaribus verſus Boream excitata eſt Capua nova veteri haudquaquam par. De ea jam in Epod. 16.

48. *Luſum it Mæcenas, &c.*] Pilâ palmariâ: cujus exercitatio ad ſanitatem utilis robuſto quidem & benè affecto: at crudis noxia & κακοςομάχοις, qualis Virgilius: contrà ſalubris ſomnus & quies: pariter & lippientibus, qualis Horatius. Scilicet agitatio corporis vehemens ciet irritatque humores; quos non niſi lentè coquit calor naturalis. Adde quòd oculorum acies non parum laborat in obſervandâ pilâ. Cornel. Celſ. l. 1. c. 2. Galenus l. 4. de Symptom. cauſ. c. 5.

49. *Pilâ*] Quaſi pilis plena ſic vocatur, ex Iſidoro. Alii à πιλοῦν denſare deducunt originem, ſive quod pila potiſſimùm conficiatur è πίλῳ, id eſt, lanâ coactâ & compactâ. Quadruplex erat. 1. Harpaſtum, e corio confecta minor pilo, quam ſolo repercuſſam remittebant.

Hinc

Hinc nos Coccei recipit pleniſſima villa,
Quæ ſuper eſt Claudî cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti ſcurræ pugnam Meſsîque Cicerri,
Muſa, velim memores: et quo patre natus uterq;
Contulerit lites. Meſsî clarum genus Oſçi:
Sarmenti domina exſtat. Ab his majoribus orti
Ad pugnam venêre. Prior Sarmentus: Equi te[564]
Eſſe feri ſimilem dico. Ridemus. Et ipſe
Meſſius, Accipio; caput et movet. O, tua cornu
Ni foret exſecto frons, inquit, quid faceres, cùm
Sic mutilus miniteris? At illi fœda cicatrix
Setoſam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jo- (catus,

Hinc ad Coccei villam pergimus copioſiſſimam, quæ ſita eſt ſupra tabernas Claudii. Jam precor, ô Muſa, ut mihi referas paucis verbis Sarmenti ſcurræ certamen, atqui Meſſii Cicerri: & quo patre ambo geniti pugnam inierint. Illuſtris Meſſii origo ab Oſcis: Sarmenti domina etiamnum vivit. Ab iſtis prognati majoribus in certamen devenêre. Sarmentus prior locutus: Aio, te eſſe ſimilem equi indomiti. Cachinnos ſuſtulimus. Tum Meſſius, Accipio, inquit; ſimulque caput agitat. Continuo Meſſius dixit; O quid ageres, ſi cornu tuâ fronte non eſſet amputatum, quandoquidem ita mutilatus minaris? nimirum turpis cicatrix ei deformârat hirſutæ frontis partem ſiniſtram. Hinc plures jocos in vultum Campanumque morbum jactans,

ANNOTATIONES.

2. Follis, ex alâtu: major brachiis, minor pugnis intorquebatur. 3. Trigonalis, ſive trigon: nomen à triangulari ſitu ludentium ternorum, qui ſibi invicem ita pilam reddebant, diligenter caventes ne excideret manu ſive dextrâ, ſive ſiniſtrâ. 4. Paganica, à pago & paganis dicta; ab his enim ad urbem venit: Pluma referta erat: durior folle, mollior trigone. Quæ omnia belle notat & exprimit Martialis lib. 4. Epigram. 19. lib. 12. Epigram. 84. lib. 14. Epigram. 45, 46, 47. Vide infra lib. 2. Sat. 2. v. 11. annot.

50. *Hinc nos Coccei &c.*] Inde proceſſimus ad villam Coccei rebus omnibus abundantem. Hæc ſita eſt *ſupra caupones Claudii* cujuſdam. Vel accipe oppidum quoddam ab Appio Claudio conditum. Placet tamen legere potiùs cum aliis, *Caudi*: nam inter Capuam & Beneventum ſunt Caudium oppidum; hodie *Arpaia* item valles & Furcæ Caudinæ; in quibus intercepti aliquando Romani ſub jugum turpiter miſſi ſunt; quam tamen ignominiam paulò poſt gravi ultione eluerunt. Tit. Liv. lib. 9.

51. *Nunc mihi paucis &c.*] Facetè admodum Poëta Muſas in re ludicrâ invocat, veluti ſolet fieri in gravibus argumentis. Deſcripturus nempè duorum ſcurrarum ridiculam contentionem, ſerio videtur grave quidpiam adoriri; quo majorem excitet jocum.

54. *Meſsî clarum genus Oſci:*] Ironicè prorsùs. Nam hi Campaniæ populi in Latii & Samnii confinio degentes, non solùm ignobiles, ſed & infames erant. Vide Strabon. Huc etiam facit quòd *obſcænum* quidam ab Oſcis deducunt. Feſtus Oſcos priùs Opſcos teſte Ennio dictos ait, et ſtupra inconceſſæ libidinis ab ejus gentis pravâ conſuetudine, obſcœna dici, ex Verrio.

55. *Sarmenti domina extat.*] Ergò ſervus erat ille, aut e ſervili genere. Hic ſcurra Auguſto fuiſſe deliciis, atque Antonio memoratur. Ex Plutarcho; c. 59. *Antonio infenſa erat Cleopatra; quod in cœna dixiſſet, ipſis quidem acidum vinum infundi; Sarmentum autem Romæ Falernum potare. Erat verò Sarmentus Cæſaris ſervulus ex iis qui feſtivitatis causâ haberi ſolent, quos Romani delicias appellant.* Juvenalis initio Sat. 5. meminit hùjus ſcurræ.

58. *O, tua cornu &c.*] Pergit conviciari Meſſio Sarmentus: Quid faceres, ſi frons tua eſſet adhuc armata illo cornu, quod exſectum tibi eſt nimis terribili & feroci? ſarcaſmus.

60. *Illi fœda cicatrix &c.*] Nempè Meſſii in fronte apparebat cicatrix exſectæ verrucæ, quæ amputati cornu ſpeciem exhibebat.

62. *Campanum in morbum,*] Seu verrucas, quas habebant frequentes Campani in vultu fœdas: vel turpem quamdam aliam luem ciborum ac luxuriæ intemperantiâ creatam. Non abſurdè Torrentius intelligit eum morbum, de quo Plin. lib. 26. cap. 1. *Senſit & facies hominum novos omnique ævo priore incognitos non Italiæ modò, verum etiam univerſa Europæ, morbos . . . . ſine dolore quidem illos ac ſine pernicie vitæ; ſed tanta fœditate, ut quæcunque mors præferenda eſſet. Graviſſimum ex his lichenas appellavêre Græco nomine; Latinè mentagram, quoniam à mento ferè oriebatur, jocularî primùm laſciviâ dictum; ut eſt procax natura multorum in alienis miſeriis: occupat in multis totos utique vultus, oculis tantum immunibus;*

Paſtorem

Paſtorem ſaltaret uti Cyclopa, rogabat;
Nil illi larvâ, aut tragicis opus eſſe cothurnis.
Multa Cicerrus ad hæc: Donâſſet jámne catenam [565]
Ex voto Laribus, quærebat: ſcriba quòd eſſet:
Nihilo deterius dominæ jus eſſe. Rogabat
Denique, cur unquam fugiſſet, cui ſatis una
Farris libra foret, gracili ſic, támque puſillo.
Prorſus jucundè cœnam produximus illam.
Tendimus hinc rectà Beneventum, ubi ſedulus hoſpes
Pæne macros, arſit, turdos dum verſat in igne.

orabat ut ſaltaret ad modum Cyclopis paſtoris: neque enim larvâ aut cothurnis tragicis ipſum indigere. Ad iſta denique Cicerrus plurima retorſit: interrogabat, numquid jam ex voto ſua *vincula conſecrâſſet Laribus: quamvis eſſet ſcriba, nihilominus heræ jus* in *eum ſupereſſe: quærebat tandem quare fugiſſet aliquando* ipſe, *cui ſufficeret una farris libra,* ſcilicet *cibo tenui & parvo. Hilariter ſanè peregimus eam cœnam. Inde rectà nos contulimus Beneventum, ubi hoſpes officioſus propemodum deflagravit, cum turdos macilentos ad focum torreret. Enim verò exarſit ignis,*

ANNOTATIONES.

deſcenditque in colla, pectuſque, & manus, fœdo cutis furfure. Campanum alii morbum interpretantur propriam ei genti luxuriam arrogantiamque.

63. *Paſtorem ſaltaret uti Cyclopa,*] Exprobrat ſimilitudinem cum Polyphemo, quippe ille pariter ingens corpore & immani ſtaturâ hirſutáque fronte, in quâ etiam cicatrix oculum Cyclopis obturatum referebat. Quapropter nec *larvâ* facies turpis, nec crura ſat procera indigerent *cothurnis,* id eſt, altis calceis, quibus ad Majeſtatem utuntur Tragœdi. Petrus Crinitus de honeſtâ diſciplinâ, l, 17. c. 3. appoſitè omninò, *inter voluptates ſcenicas,* inquit, *celebrari video Cyclopa. Sic vocarunt cum Cyclopem in ſcenâ ſaltantem proferrent, habitu & ornamentis, quibus Polyphemus apud Poëtas decoratur. Quod ego duxi obſervandum, ut Horatii locum interpretemur, paulò indiligentius ab aliis expoſitum. Itaque ſic alluſit, cum de Sarmento ſcurrâ & Meſſio Oſco, eorumque litibus diſſerit: ac Meſſium ore fœdo & facie turpi ſimilemque larvæ reddit. Quo loco* ſaltare Cyclopa *nihil puto aliud ab Horatio intelligi, quam & fronte & habitu talem fuiſſe Meſſium, ut Polyphemum in ſcenâ ſaltantem poſſet exprimere; ac riſum de ſe ſpectantibus facilè commovere.* Polyphemum ab Ulyſſe occæcatum lege apud Homerum, Odyſſ. 9. Virgil. Æneid. 3, De eo Servius ita ſcribit: Multi Polyphemum dicunt unum habuiſſe oculum, alii duos, alii tres. Sed totum fabuloſum eſt. Vir ille prudentiſſimus fuit, & ob hoc oculum in capite habuiſſe fertur: id eſt, juxta cerebrum, qui prudentia plus videbat. Verùm Ulyſſes eum tamen prudentiâ ſuperavit: & ab hoc eum excæcâſſe fingitur. Vide & Euripid. Cyclop.

65. *Donâſſet jamne catenam &c.*] Servi enim manumiſſi ſeu Laribus, ſeu Deorum alicui conſecrabant vincula quibus olim ſtricti fuerant. Ita Cicerrus ſervilem objicit turpitudinem Sarmento. Vide Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20.

67. *Deterius nihilo dominæ jus eſſe.*] In ſervos etiam manumiſſos domini retinebant jus operarium, v. g. ſartiendi veſtes, ſuendi calceos, &c.

Scriba] Alii ſcribæ dicebantur à ſuâ functione; alii erant magiſtratuum, putà Quæſtorii, Prætorii, Ædilitii, &c. Scribæ officium apud Romanos mercenarium; nec magni teſtimonii aut pretii. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 2.

68. *Cur fugiſſet.*] Nullum ſervo probrum gravius, quam fugiſſe. Hinc enim contumelioſè furcifer appellabatur, eò quòd hæc erat fugitivi ſervi pœna, furcam collo appenſam circumferre.

Cui ſatis una Farris libra foret,] Hæc ſæpiùs erat ſervis fugiendi cauſa, quòd nimis parcè à dominis alerentur. At Cicerrus utpotè gracilis ac puſillus, tenui alimento poterat ac debebat eſſe contentus, unâ videlicet farris librâ ſervis quotidie dari ſolitâ ad victum. Quod quidem dimenſum proceris corporibus exiguum ac vix ſufficiens videbatur. Ex Gell. lib. 20. cap. 1. Debitori in carcere retento lex. 12. Tab. jubebat dari indies libras farris ab eo qui vinctum tenebat.

71. *Beneventum.*] Hæc urbs Hirpinorum à Diomede condita, 28 mill. paſſ. à Capuâ, olim dicta *Maleventum*: at deductâ eò coloniâ Romani ad melius omen mutari nomen, & Beneventum dici in poſterum voluerunt. Feſt. Plin. &c. &c.

72. *Turdos.*] Gall. *des grives.* Horum aviaria veteres habebant & tanta quidem ut ex his agri ſtercorarentur, optimo certè fimo. Plin. lib. 17. cap. 9. Varro. Columella. Porrò ex omni occaſione captans jocum Satiricus noſter

Nam

Nam vaga per veterem dilapſo flamma culinam [569]
Vulcano ſummum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cœnam, ſervóſque timentes
Tum rapere, âtq; omnes reſtinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Apulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus, et quos
Nunquam erepſemus, niſi nos vicina Trivici
Villa recepiſſet, lacrymoſo non ſine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Hîc ego mendacem ſtultiſſimus uſque puellam
Ad mediam expecto noctem: ſomnus tamen aufert
Intentum Veneri: tum immundo ſomnia viſu
Nocturnam veſtem maculant, ventrémq; ſupinum.
Quatuor hinc rapimur viginti et millia rhedis, [567]
Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt:
Signis perfacile eſt: vænit villiſſima rerum

& flamma per vetuſtam culinam graſſata propè attingebat tectum. Mox aſpexiſſes convivas famelicos atque famulos trepidantes cœnam præripere, & cunctos allaborantes extinguere. Exinde Apulia cœpit oſtendere montes mihi cognitos, quos adurit Atabulus; quoſque nunquam præteriiſſemus, niſi nos excepiſſet villa Trivici proxima, haud ſine fumo lacrymas ejiciente, dum in *foco incenderentur humidi rami cum frondibus. Illic ego demens mendacem meretricem expecto* fruſtra *ad mediam uſque noctem. Tum verò ſuper* me *invaſit* * * * *
* * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * *
* * * * *Inde rhedis vehimur per quatuor & viginti millia* paſſuum, *commoraturi in parvâ urbe quam indicare non licet verſu* hexametro; *ſignis* autem *eſt faciliſſimum: Ibi venditur aqua rerum viliſſima:*

ANNOTATIONES.

macros notat *turdos*, quos magna tamen ſedulitate *hoſpes* ad ignem verſabat hoſpitibus apponendos; adeò ut ipſe pæne arſerit ejuſque domus pariter.

74. *Vulcano.*] Hic Deus ignis ponitur non rarò pro ipſo igne. Metonym. vide l. 1. Od. 4.

Summum properabat lambere tectum.] Hujus incendii facilè graſſantis ut rationem intelligas, ſcire te, lector, oportet quod cùm aliis ſcribit Cœlius Rhodig. l. 26. c. 21. *habuiſſe veteres in domibus tecti medio apertionem, quam nuncupabant capnodochen*, id eſt, fumi receptaculum. Nec enim, ut fit hodie, in excavato pariete caminus erat, ſed in medio cubiculo hyberno: ſiquidem in æſtivo non erat focus. Vitruv. l. 7. c. 3. Hinc & nunc abutimur voce *caminus* fornacem, hypocauſtum ignem, ſignificante: quam tamen uſurpamus pro fumario, ſeu gula fumum emittente extra tectum. Iſidor. l. 19. c. 6.

75. *Convivas avidos &c.*] Cœnam jam paratam ſervare ſatagunt famelici illi magis quam ædes ſcilicet alienas.

77. *Incipit ex illo montes, &c.*] Benevento egreſſis incipiunt aſpici montes Apuliæ, Horatio quidem regio notiſſima; exinde orto videlicet. *Apuliâ* l. 3. Od. 30. & Epod. 2.

78. *Atabulus.*] Venus Apuliam infeſtans dictus quaſi *ἄτην βάλλων*, immitens calamitatem. Plin. l. 17. c. 24. Gell. l. 2. c. 22. hunc, ut volunt, eundem noſter vocat Iapyga l. 1. Od. 3.

79. *Erepſemus.*] Syncope pro *erepſiſſemus*, id eſt, tranſiviſſemus. Sic poſteá Sat. 9. *ſurrexe*, pro *ſurrexiſſe*. Virgil. Æneid. 4. v. 606. *extinxem* pro *extinxiſſem*. Lucretius pariter *confluxet*. Terentius in Adelph. *produxe*, &c.

Trivici.] Hoc oppidum eſt in Campaniæ finibus, montosâ valde regione, viiſque arduis, ac difficilibus; quapropter in villâ proximâ ſubſiſtere ſæpiùs neceſſe eſt.

87. *Oppidulo, quod verſu dicere non eſt;*] Scilicet Equotutico, quæ vox ſtare nequit in verſu hexametro. Equotutium, vel, ut legunt alii, Equotuticum, ſive Equus Tuticus, Apuliæ Dauniæ fuit oppidulum, hodie *Ariano* dicitur, aliis *Foggia*: in colle ſitum eſt ad Appenninum montem: à Benevento in ortum diſtat milliaribus duodecim ex Sanſone. Illius meminit Cicero ad Attic. l. 6. Epiſt. 1. *Scire vis tuas ego quas acceperim literas. Omnes ferè quas commemoras, præter eas quas ſcribis Lentuli pueris Equotutico ac Brunduſio datas.*

Quod verſu dicere non eſt: Imitatio eſt Lucilli, ità Sigillaria indicantis Sat. 7.

. . . . . *Servorum feſtus dies hic,*
Quem planè hexametro verſu non dicere poſſis.

De hoc ſervorum die continuò poſt Saturnalia celebrari conſueto, Macrob. lib. 1. cap. 10.

88. *Vænit viliſſima rerum Hic aqua.*] Quæ ſcilicet aliunde petenda & longè e fonte aliquo.

Hîc

Hîc aqua: ſed panis longè pulcherrimus; ultra
Callidus ut ſoleat humeris portare viator;
Nam Canuſî lapidoſus; aquæ non ditior urna:
Qui locus à forti Diomede eſt conditus olim.
Flentibus hic Varius diſcedit mœſtus amicis.
Inde Rubos feſſi pervenimus, utpote longum [568]
Carpentes iter, et factum corruptius imbre.
Poſtera tempeſtas melior, via pejor, ad uſque
Barî mœnia piſcoſi. Dehinc Gnatia lymphis
Iratis extructa dedit riſúſque, jocóſque;
Dum flammâ ſine thura liqueſcere limine ſacro
Perſuadere cupit: credat Judæus Apella,

at panis eſt optimus certè; adeo *ut prudens viator conſueverit ſponte humeris ferre; quia Canuſii eſt lapidoſus; urna* autem *aquæ haud felicior: quod oppidum ædificatum eſt quondam à ſtrenuo Diomede. Illinc Varius triſtis abſceſſit ab amicis dolentibus. Hinc Rubos perreximus fatigati, quòd longius iter fecerimus, atque ob pluviam moleſtius. Poſtridie tempus fuit magis opportunum,* at *via deterior uſque ad muros Barii piſcoſi. Deinde Egnatia inſenſis aquis condita præbuit riſum ac ludum quòd perſuadere volunt thura ſine igne incendi in templi aditu. Fidem habeat Judæus recutitus,*

ANNOTATIONES.

89. *Ultra Callidus*] Quidam legunt *ultro* id eſt, in ulteriorem regionem. Quod ſatis placet.

91. *Canuſî.*] Canuſium Apuliæ oppidum, hodie *Canoſa*, in colle ædificatum apud Aufidum amnem, à Cannis exciſis diſtans tribus milliaribus.

Lapidoſus.] Lapidis inſtar durus & inſipidus: vel lapidibus plenus, è farinâ minimé durâ: ſive malé concinnatâ molâ, ſive non ſat durâ, quæ grana conterendo ipſa deteratur, ruptis inde particulis, quæ immixtæ pani dentes manducantis offendunt.

Aquæ non ditior urna.] An quod Aufidus eſt duntaxat lacus, quemadmodum Strabo aſſerit; cujus proinde aqua potu injucunda eſſet; an ut ſcribunt nonnulli, quod Aufidi fluvii alveus interdum areſcit?

92. *Qui locus à forti Diomede eſt conditus olim.*] Diomedes Ætoliæ rex; poſt Achillem & Ajacem fortiſſimus inter Græcos; ſingulari pugnâ cum Hectore & Ænea congreſſus eſt; Palladium abſtulit: Martem quoque & Venerem vulneraſſe in bello Trojano fertur. Quapropter indignata Dea uxorem ejus Ægialen libidinibus fœdis adeò perdidit, ut ille tum ab ipsâ tum á patriâ abhorruerit; diverteritque in Apuliam, ubi cum Dauno rege fœdere inito, non unam urbem condidit: memorantur Canuſium, Arpos ſive Argos Hippium, quæ & Argyrippa.

93. *Varius diſcedit.*] Vocantibus aliò negotiis. Alii volunt ad caſtra Cæſaris contendiſſe alia via.

94. *Rubos.*] Rubi urbs Apuliæ, quibuſdam *Ruvo* dicta, Canuſium inter & Barium.

Feſſi.] Confectis à Canuſio, ubi pranderant, viginti milliaribus aut circiter.

96. *Poſtera tempeſtas melior, &c.*] Cœlum non pluvium, ut heri.

Via pejor,] Ob heſternum imbrem, locorumque difficultatem.

97. *Bari mœnia piſcoſi.*] Barium Apuliæ oppidum, regioni nomen dedit Barianæ dictæ; mari alluitur, ad oram ſinus Veneti: quare *piſcoſum* vocat Horatius. Conditum eſt & nominatum ab incolis Baræ parvæ inſulæ apud Brunduſium, teſte Feſto.

Gnatia.] Hæc & Egnatia dicitur, hodie *Gnazzi*, vel *Nazzi*; urbs Salentinorum etiam maritima, media fere inter Barium & Brunduſium, ab utroque diſtans triginta circiter milliaribus.

Lymphis iratis extructa] Seu quòd aquæ dulcis penuriâ laborat: ſeu potiùs quod ſic notare vult Poëta Gnatianos ut lymphaticos, id eſt, inſanos, quippe qui non modò credant, ſed & aliis perſuadere velint rem incredibilem aut ſuperſtitioſam, de quâ mox. Vide Feſtum in voce *lympha*, ubi egregie oſtendit lympham dici pro nymphâ, mutatâ literulâ: & lymphatos dici furioſos, eo quod creditum veteribus, à nymphis, ſi conſpicerentur, furorem immitti. Ludit igitur Poëta in ambiguâ voce.

99. *Dum flammâ ſine thura liqueſcere &c.*] Hujus miraculi ſuperſtitioſi meminit Plinius l. 2. c. 107. ita ſcribens: *In Salentino oppido Egnatiâ, impoſito ligno in ſaxum quoddam ibi ſacrum, protinus flammam exiſtere.* Porrò notavimus alibi cognitos. Ethnicis ſacros codices, e quibus non pauca mutati fabulis aſperſerunt. Certè patet adumbratum hîc quod habetur l. 3. Reg. c. 18. de vocato cœlitus igne Eliæ precibus, quo repente conſumpta ſunt holocauſtum, & ligna, & altare lapideum, & ſuperfuſa copioſe aqua. Vide l. 2. Od. 19.

100. *Credat Judæus.*] Inſimulat Horatius Judæos ſuperſtitionis, eò quòd modo relatum miraculum crederent ac venditarent. Hinc & rem Gnatianam ejuſmodi credulis hominibus narrandam ſuadendamque remittit: quæ ſibi ſuiſque comitibus non niſi *riſus dedit & jocos.* Romanos tamen non parum ſuperſtitionibus addictos lege apud Plin. l. 28. c. 2, &c.

Apella,] Quaſi ſine pelle in præputio circumciſo: recutitus. Perſ. Sat. v. 184. *recutita ſabbata* deridet: ubi nos plura de hac lege Judæis à Deo data; idem ad Juvenal. Sat. 14.

Non

ego certè minimè credam. Quippe Deos accepi tranquillam vitam ducere: ac, ſi quidpiam mirandum edat natura, illud nequaquam à numinibus ſolicitis immitti è ſummis ædibus Olympi. Brunduſium terminus fuit *prolixi itineris,* erit *etiam hujus deſcriptionis.*

Non ego. Namq; Deos didici ſecurum agere ævum;
Nec, ſiquid miri faciat natura, Deos id
Triſtes ex alto cœli demittere tecto.
Brunduſium longæ finis chartæque viæque. 104

ANNOTATIONES.

v. 90. Salmaſius etymologiam iſtam doctè refellit: tum quòd nequaquam brevis eſſe poſſet prima ſyllaba vocis *appella*, tum quòd potiùs dicendum foret *impella* vel *appella*, ſicut dicitur imberbis, & abſimilis, &c. Solertes autem & appoſitè ait fuiſſe tum Romæ Judæum quemdam nomine Apellam, ad quem ſanè Horatius reſpexerit.

101. *Deos didici ſecurum agere ævum;*] Ab Epicuro ſic ſtatuente, mortalia & inferiora quæque minimè Diis curæ eſſe. Vide lib. 1. Od. 34. lege & Plin. lib. 2. cap. 7.

104. *Brunduſium.*] Hæc urbs regni Neapolitani maritima, in provinciâ Hydruntina ad oram maris Adriatici. *Brindiſi.* Ennius.

Brunduſium pulchro præcinctum præpete portu.

Longæ finis viæ.] Viæ cauſa & finis patet ex dictis initio.

Longæ.] Nam Româ diſtat Brunduſium milliaribus trecentis & ſexaginta. Hæc verò confecit Horatius quindecim diebus. Quidam numerant ſeptemdecim, ſed perperam.

SATIRA VI.

Vera nobilitas non generis ſplendore aut avorum titulis metienda: ſed virtute & honeſtate morum. Reprehenduntur qui majora ſe appetunt. Bona educatio præferenda claris natalibus. Mediocris fortuna opulentæ præſtat.

O Mæcenas, quod nobilior te nullus ſit ex Lydis, quotquot Tuſcia terram habitarunt, aut quòd habuiſti avos paternos ac maternos,

NON quia, Mæcenas, Lydorum quidquid Etruſcos
Incoluit fines, nemo generoſior eſt te; [570]
Nec quòd avus tibi maternus fuit atque paternus,

ANNOTATIONES.

1. *Non quia, &c.*] Satira hæc tota niteſcit cùm veræ nobilitatis definitione, tum bonæ educationis præceptionibus & emolumentis, tum grati in bonum parentem animi teſtificatione.

Non quia, Mæcenas, Lydorum &c.] Non tu, Mæcenas, licet nobiliſſimus, quod plerique magnatum faciunt, humiles ac plebeios aſpernaris. Enimverò me libertino patre natum adeo non deſpexiſti, et contrà *eſſe in amicorum numero* juſſeris, quòd me *purum & inſontem* comperiſti.

Lydorum quicquid &c.] Ferunt nempè Lydiæ populos, duce Tyrrheno Herculis filio vel nepote, in Italiam dudum appuliſſe atque Hetruriam tenuiſſe; unde Hetruſci dicuntur Tyrrheni pariter ac Lydi. Virgil. Æneid. 9. v. 11.

Lydorumque manum.

Et Æneid. 2. v. 781.

Ad terram Heſperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virum leni fluit agmine Tibris.

De Mæcenatis ex Hetruriæ principibus origine, ſunè lib. 1. Od. 1. &c.

Etruſcos fines.] Etruria ſive Hetruria, quæ & Tuſcia pariter ac Thuſcia ſcribitur, Italiæ notiſſima regio, vernacule *la Toſcane:* ab ortu rigatur fluvio Tiberi, à meridie mari Tyrrheno.

2. *Generoſior.*] A genere *generoſus* antonomaſticos dicitur, cui opponitur *degener.* Senec. Trag. Troad.

Generoſa in ortus ſemina exurgunt ſuos.

3. *Nec quod avus tibi &c.*] Paterno maternoque genere nobiliſſimum indicat Mæcenatem.

Olim

Olim qui magnis legionibus imperitârint,
Ut plerique ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum:
Cùm referre negas, quali ſit quiſque parente
Natus, dum ingenuus: perſuades hoc tibi verè,
Ante poteſtatem Tullî, atque ignobile regnum,
Multos ſæpe viros nullis majoribus ortos
Et vixiſſe probos, amplis et honoribus auctos:
Contra Lævinum Valerî genus, unde Superbus [571]
Tarquinius regno pulſus fuit, unius aſſis
Non unquam pretio pluris licuiſſe, notante
Judice, quem nôſti, populo: qui ſtultus honores
Sæpe dat indignis, et famæ ſervit ineptus;
Qui ſtupet in titulis, et imaginibus. Quid oportet

qui pridem magnis exercitibus præfuere, non propterea, more multorum, ſubſannas obſcuros, ſicut me libertini patris filium: quando affirmas nihil referre quo parente quilibet oriundus, dummodo probus ſit. Benè profectò exiſtimas, antè Servii auctoritatem atque imperium haud illuſtre, ploroſque ſæpius viros ignotis ortos majoribus & bonos extitiſſe, & magnis dignitatibus amplificatos: è contrario Lævinum è Valerii ſtirpe, per quem Tarquinius Superbus dejectus imperio eſt, uno aſſe pluris nunquam æſtimatum eſſe judicio populi: quem ſcis inſanum frequenter attribuere dignitates immeritis, & ſtolidè famam ſequi; nec non admirari titulos atque imagines. Ergò quid

ANNOTATIONES.

4. *Legionibus.*] Synecdoche. Propriè verò legio ad Romanos pertinebat: continebat ſex hominum millia: ſingulis autem millibus Tribunus imperitabat, tempore quidem C. Marii. Hic enim primus legionem ſex millium conſcripſit, quæ antà quatuor millium fuerat. Vide Iſidor. lib. 9. cap. 3. Veget. lib. 2. Feſt. &c.

5. *Naſo ſuſpendis adunco.*] Vafrè & ſalsè derides. Quintil. lib. 11. cap. 3. *naribus quidem deriſus, contemptus, faſtidium ſignificari ſolet.* Plin. lib. 11. cap. 37. *altior homini tantum naſus, quem novi mores ſubdolæ irriſioni dicavêre.*

6. *Libertino.*] Servus manumiſſus vocatur libertus: ejus filii dicuntur libertini. Qui ab his deinceps naſcuntur ingenui ſunt.

8. *Ingenuus.*] Non propriè adhibetur vox iſta hoc loco: ſignificat autem hic non liberum, ſed moribus præditum bonis, ingenuo & nobili viro dignis.

9. *Ante poteſtatem Tullî.*] Antequam Romæ ſextus regnaret Servius Tullius, Tarquinii ſucceſſor & gener, Ocriſiâ matre captivâ natus. Unde noſter ejus *regnum ignobile* appellat. Quanquam apud Corniculum ſuam patriam domi valdè nobilis fuiſſe cognoſcitur. Vide Dionyſ. Halic. l. 4. Tit. Liv. l. 1. c. 41. ubi Tanaquil uxor Tarquinii ſic hortatur Servium hunc: *Erige te, Deoſque duces ſequere: qui ſis, non unde natus ſis, reputa: & nos peregrini regnavimus. Tuum eſt, Servi, ſi vir es, regnum, &c.*

10. *Nullis majoribus ortos.*] Originem trahentes ex iis qui hactenus non inclaruerant, & nullius fuerant nominis ac celebritatis.

12. *Contra Lævinum &c.*] Contrà verò domi nobiles interdum tam degeneràſſe, ut etiam contemptui fuerint, nulloſque adepti magiſtratus.

Lævinum, Valerî genus,] Pub. Valerius Lævinus, quòd virtute careret, vel populo deſpectus: quanquam erat è familiâ perilluſtri, per quam reges exacti Româ. P. enim Valerius Publicola ſuffectus olim Conſul Collatino abdicare coacto, unà cùm Junio Bruto collegâ regno pepulit Tarquinium Superbum. T. Liv. lib. 2.

15. *Qui ſtultus honores &c.*] Ubi nempè viget Democratia, ſeu populi dominatio, ut Romæ. Tit. Liv. paſſim. Lucilius olim dixerat:

—— —— honorem
Judicium eſt craſſis.

16. *Famæ ſervit ineptus;*] Plus ducitur vanâ opinione & ventosâ exiſtimatione, quàm verâ virtute & gloriâ. Unde omnia deferre ſolet ei quicumq; natalium ſplendore, domeſticâ famâ & opibus præfulget tametſi per ſe haud ullum virtutis ſpecimen ediderit. Iſocrat. ad Demon. *vulgus ignorat veritatem, & famam reſpicit,* Τὴν ἀλήθειαν ἀγνοοῦσι, πρὸς δὲ τὴν δόξαν ἀποβλέπουσι πολλοί.

17. *Stupet in titulis, & imaginibus.*] Nobilitatis inſignia demiratur, non ipſam virtutem, quæ ſola eſt nobilitas: ſtupet videns honorum titulos & ſtatuas majoribus conſtitutas, nec advertit hæc uni virtuti decreta & conceſſa fuiſſe. Cic. in Piſon. *Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum nihil habes ſimile præter colorem.* Juvenal. Sat. 8. v. 1.

Stemmata quid faciunt? Quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Majorum? & ſtantes in curribus Æmilianos.

Quid oportet nos &c.] Quid nos ſentire & judicare decet, ſi quidem à vulgi errore liberi, & ſapientum inſtitutis informati ſumus?

nos decet agere à vulgo planè differentes? Nam certè populus dignitatem Lævino deferre mallet, quàm Decio ignoto: & Appius Cenſor arceret me, *ſi liberto parente non eſſem genitus; & quidem jure, quia non manſiſſem in propria conditione. Verùm enim gloria ſplendente ſuo curru nexos allicit tam obſcuros quàm illuſtres. Quid* prodeſt *tibi, Tulli, reſumere ablatum clavum, & creari Tribunum?* Scilicet *aucta eſt invidia, quæ minor erga privatum foret. Etenim cùm primum aliquis demens mediam tibiam inſeruit cothurno,*

Nos facere, à vulgo longè longéque remotos?
Namque eſto: populus Lævino mallet honorem,
Quàm Decio mandare novo; Cenſórque moveret
Appius, ingenuo ſi non eſſem patre natus: [572]
Vel merito, quoniam in propriâ non pelle quièſſem.
Sed fulgente trahit conſtrictos gloria curru
Non minùs ignotos generoſis. Quo tibi, Tulli,
Sumere depoſitum clavum, fieríque tribunum?
Invidia accrevit, privato quæ minor eſſet.
Nam ut quiſq; inſanus nigris medium impediit crus

ANNOTATIONES.

19. *Lævino mallet honorem, Quàm Decio mandare novo;*] Homini majorum gloriâ colluſtrato, per ſe verò ignobili: potiùs quàm viro propriâ laude conſpicuo, cujus majores non anteâ clari. Pub. Decius Mus e Deciis primus ſummâ in Rempublicam fide conſulatum meritò eſt adeptus, fortiterque & glorioſè adminiſtravit cum T. Manlio Torquato. Cic. de Divin. 1. Tit. Liv. l. 8, &c.

20. *Cenſorque moveret Appius,*] Repelleret ac ſummoveret me á petendo magiſtratu Appius ille Claudius Cœcus ſeverâ notus cenſurâ, creatus anno U. C. 443. Is primus libertinos in urbanas tribus redegit. Sueton. Claud. c. 16. & 24. Vide Alex. ab Alex. l. 3. c. 13. ubi Cenſorum origo & poteſtas explicatur. Inter alia debebant Senatores legere & cooptare, ſummotis indignis, & honeſtiſſimis allectis. Cenſoria lex ita jubebat: *Cenſores populi familias cenſento: urbis templa, vias, ærarium, vectigalia tuentor: populum in tribus diſtribuunto: mores populi regunto: probrum in ſenatu nè relinquunto, &c.*

22. *Quoniam in propriâ non pelle quieſſem.*] Quia vellem aſſurgere ſuprà meam conditionem ac proprium ſtatum. Alluſio eſt ad fabulam aſini leoninâ pelle contecti. Æſop.

23. *Sed fulgente trahit &c.*] Neque verò mirandum quod ignoti ac novi homines quandoque ad dignitates aſpirent; ſi quidem hi, perinde ac generoſi nobileſque, trahuntur ſplendore gloriæ; quæ omnes ad ſuum velut currum conſtrictos rapit. Cic. Offic. 1. *Vix invenitur qui laboribus ſuſceptis periculiſque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam. At fortis animus & magnus duabus rebus maximè cernitur, quarum una in rerum externarum deſpicientiâ ponitur, &c.* Et poſteà n. 68. *Cavenda eſt gloriæ cupiditas. Eripit enim libertatem, pro quâ magnanimis viris omnis debet eſſe contentio.*

24. *Quò tibi, Tulli, &c.*] Quid tibi emolumenti eſt recipiſſe veſtem & dignitatem Senatoriam, quam tibi Cæſar ademerat? Porrò non benè eſt notus ille. Sic habet Vet. Comment. *Tullius bic Senatu motus eſt à Cæſare quaſi Pompeianus: occiſo verò Cæſare recepit latum clavum, & Tribunus militum factus eſt.*

25. *Tribunum?*] De plebis Tribunatu locum hunc explicant nonnulli, ſed fruſtrà. Tribunus militum nemo fiebat, quin prius alam duxiſſet: alam non ducebat niſi qui cohorti præfuiſſet. Is milites in caſtris habebat dicto audientes, ad exercitationes ducebat, in ſtationes mittebat, claves portarum ſuſcipiebat; vigilias & munitiones die noctuque circuire, militum nomina memoria tenere, ſauciorum curam agere, ne cui arma, pabula, alimenta deeſſent, cavere debebat, &c. Vide Alex. ab Alex. l. 5. c. 18, &c.

26. *Privato quæ minor eſſet.*] Si degeres ſine magiſtratu, nemo tibi invideret: nunc verò tibi dignitatem nacto plures invident.

27. *Nam ut quiſque inſanus, &c.*] Cic. cit. Offic. 1. *Nec imperia expetenda: at potius aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam . . . . . Multi quærentes eam tranquillitatem à negotiis publicis ſe removerunt, ad otiumque perfugerunt. In his & nobiliſſimi Philoſophi longéque principes, & quidam homines ſeveri & graves, &c.* Ex quibus patet inſanire quiſquis publicam rem ultrò capeſſit, exiguis munitus adjumentis.

Nigris medium impedit crus Pellibus, &c.] Magiſtratum iniit, in Senatum eſt allectus: ac proinde jus habet utendi ocreis mollioribus nigri coloris pedem ac mediam quoque tibiam tegentibus; item latum induendi clavum. Calcei Patriciorum differebant à plebeiis. Hujus craſſiores; illorum tenuiores ex aluta, ſeu molli & ſubtili corio quales geſtavêre pridem reges Albanorum. Feſtus. Martial. l. 2. Epigram. 29.

Coccina non læſum pingit aluta pedem.

Iſidor. l. 19. c. 33. ait iſtos nobilium calceos alte fuiſſe ſolo, cothurnis ſimiles, ad me-

Pellibus

Pellibus, et latum demiſit pectore clavum, [573]
Audit continuò, Quis homo hic eſt? quo patre natus?
Ut ſi qui ægrotet quo morbo Barrus, haberi
Ut cupiat formoſus; eat quacunque, puellis
Injiciat curam quærendi ſingula; quali
Sit facie, ſurâ quali, pede, dente, capillo:
Sic qui promittit, cives, urbem ſibi curæ,
Imperium fore, et Italiam, et delubra Deorum;
Quo patre ſit natus, num ignotâ matre inhoneſtus,
Omnes mortales curare, & quærere cogit.
Túne Syri, Damæ, aut Dionyſî filius, audes
Dejicere è ſaxo cives, aut tradere Cadmo?
At Novius collega gradu poſt me ſedet uno: [574]
Namque eſt ille, pater quod erat meus. Hoc tibi Paulus,
Et Meſſala videris? at hic, ſi plauſtra ducenta,
Concurrántque foro tria funera, magna ſonabit
Cornua quod vincátq; tubas. Saltem tenet hoc nos.
Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum,

& laticlavio pectus operuit, ſtatim audit, Quis eſt vir iſte? cujus filius? Quemadmodum ſi quiſpiam eodem quo Barrus morbo laboret, ut velit cenſeri pulcher; quà libet pergat, deſiderium puellis creabit ſciſcitandi ſingula; qualis ſit vultu, quali ſurâ, pede, dente, capillo: ita qui pollicetur curaturum ſe populum, civitatem, imperium, Italiam, et templa numinum; is cunctos homines cogit ſolicitè percontari quo ſit editus parente, an obſcurus matre ignobili. Num tu filius Syri, Demetrii, vel Dionyſii, audes è rupe Tarpeia *præcipitare cives, aut Cadmo tradere? At,* inquies, *Novius collega uno poſt me gradu conſidet: eſt enim ipſe quod erat parens meus. Ob id* nempè *tibi videris* eſſe *Paulus & Meſſala? Verùm hic, ſi ducenti carri treſque pompæ funebres in foro ſimul procedant, tollet vocem ingentem cornua & buccinas ſuperantem. Id ſaltem nos detinet. Jam revertor ad me parentis liberti filium, cui exprobrant univerſi originem e patre libertino,*

ANNOTATIONES.

dium crus perveniſſe, quatuor corrigiis religatos, & fibulis aureis vel argenteis: aſſutam denique deſuper habuiſſe lunæ creſcentis effigiem, ſeu potiùs literam c, quæ centenarium primùm numerum fuiſſe Senatorum notabat. Vide Plutarch. Quæſt. Centur. Rom. Item. Cœl. Rhodg. l. 20. c. 28. Juvenal. Sat. 7. v. 192.

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

28. *Latum demiſit pectore clavum,*] De eâ interiori veſte & tunicâ nobilibus propriâ dixi ſuprà Sat. præced. v. 26.

29. *Audit continuò,* &c.] Scilicet homines novos ad dignitates evehi populus indignatur.

30. *Quo morbo Barrus,*] Mulierum amore effræni, proindeque formoſitatis affectatione. Sat. 4. præced. *Barrus inops.*

34. *Qui promittit cives, urbem,* &c.] Cruquius obſervat hîc formulam quamdam juramenti ejus qui magiſtratum accipit. Certè ſenatoribus ac magiſtratibus incumbit cura urbis civium, imperii, religionis, &c.

38. *Syri, Damæ, Dionyſî*] Nomina ſervorum ſunt iſta.

Audes Dejicere è ſaxo cives, &c] Tu genere libertino oriundus audes Prætoris aut Tribuni plebis officio fungi, civeſque Rom. morti addicere, ac lictori tradere è rupe Tarpeiâ dejiciendos?

39. *Dejicere è ſaxo cives.*] Uſitatum erat hoc Romæ ſupplicium. Vide Plin. lib. 7. cap. 44.

Tradere Cadmo?] Lictori ſeu carnifici notæ eo tempore crudelitatis tradere vel necandos vel torquendos.

40. *At Novius,* &c.] Reſpondet Tullius ille, collegam ſuum uno gradu inferiorem ſe eſſe & ignobiliorem. Nempè Novius erat libertus; Tullius verò libertinus. De Novio illo poſteà ſub finem hujus Satiræ.

41. *Hoc tibi Paulus, Et Meſſala videris?*] Tullio reponit Horatius: ſcilicet quòd à ſervili conditione diſtas uno gradu plùs quàm Novius, an ideo tibi videris eſſe perinde nobilis ac Paulus Æmilius, & Meſſala Corvinus apud Romanos illuſtriſſimi? De illo l. 1. Od. 12. De Valerio Meſſala Corvino Aurel. Victor. &c.

42. *At hic,* &c] Salſa ironia in ejuſmodi homines novos honoribus exornatos. Indicat Poëta Novium digniorem fuiſſe præconis munere, quàm Senatoriâ dignitate; quippe ingenti voce præditum à natura, non autem claris natalibus aut virtutibus.

44. *Cornua quod vincátque tubas.*] In funeribus adhiberi ſolebant cornua tubæque. Perſ. Sat. 3. v. 108. *Hinc tuba, candelæ,* &c. Propert. lib. 4. Eleg. 12. v. 9.

Sic mœſtæ cecinêre tubæ.

Nunc, quia ſum tibi, Mæcenas, convictor; at olim
Quòd mihi pareret legio Romana tribuno.
Diſſimile hoc illi eſt: quia non, ut forſit honorem
Jure mihi invideat quivis, ità te quoque amicum;
Præſertim cautum dignos aſſumere, pravâ
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me poſſum caſu, quòd te ſortitus amicum:
Nulla etenim mihi te fors obtulit: optimus olim
Virgilius, poſt hunc Varius, dixêre quid eſſem.
Ut veni coràm, ſingultim pauca locutus,
(Infans namque pudor prohibebat plura profari.)
Non ego me claro natum patre, non ego circùm
Me Satureiano vectari rura caballo:
Sed, quod eram, narro. Reſpondes, ut tuus eſt mos,
Pauca. Abeo: et revocas nono pòſt menſe, jubeſq;
Eſſe in amicorum numero: magnum hoc ego duco,
Quòd placui tibi, qui turpi ſecernis honeſtum,
Non patre præclaro, ſed vitâ et pectore puro.
Atqui, ſi vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendoſa eſt natura, alioqui recta (velut ſi
Egregio inſperſos reprêndas corpore nævos)
Si neque avaritiam, neque ſordes ac mala luſtra
Objiciet verè quiſquam mihi; purus, et inſons
(Ut me collaudem) ſi vivo, et carus amicis;
Cauſa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavî ludum me mittere; magni
Quo pueri magnis è centurionibus orti,

no quòd nunc ſum tuus convictor, ô Mæcenas; quondam vero præfectus eſſem Romanæ legioni. Hoc ab illo differt: Quamvis enim dignitatem iſtam *mihi fortaſſe meritò quiſpiam invidere queat,* at *non pariter tuam amicitiam; maximè cum dignos eligere cures, perverſâ ambitione longè* pulſâ, Ob *hoc me fortunatum appellare nequeo, quòd fortuitò nactus ſum te amicum: nulla quippe fortuna mihi dedit te:* ſed *eximius primo Virgilius, ac deinde Varius, narraverunt quis eſſem. Cùm verò ſteti coram te, modica dixi interruptis verbis. (Nam verecundia elinguis haud ſinebat plura loqui.) Non me illuſtris parentis filium, non equo me generoſo vehi circa meos agros, ſed, quod eram, commemoravi. Tu pauca, ut ſoles, reſpondiſti. Diſcedo: meque poſt novem menſes accerſis: præcipiſque eſſe inter amicos* tuos. *Illud ego magni facio quòd placui tibi qui pravum â recto diſtinguis, non* per *nobilem patrem, ſed* per *mores & animum innocentem. Verùm, ſi mea indoles parvis ac paucis nævis maculata eſt, de cætero proba: (quemadmodum ſi maculas formoſo corpore effuſas damnes) ſi nec ſordidam cupiditatem, nec impura ganea ullus mihi juſte exprobret: ſi etiam (ut me approbem)* ob *integritatem & innocentiam gratioſus amicis vivo; his cauſam præbuit meus parens, qui, modico agro non dives, noluit me* tamen *mittere ad ſcholam Flavii, ad quam pergebant clari juvenes illuſtrium centurionum filii*

ANNOTATIONES.

48. *Quòd mihi pareret legio Romana*] Cum n Bruti caſtris militarem. Vide l 2. Od. 7.

49. *Diſſimile hoc ille eſt:*] Honoribus quiſque invidere poteſt, quos non raró indignis etiam dat fortuna; non verò amicitiæ & gratiæ apud virum ſapientem, qui non niſi dignos eligere cognoſcitur.

55. *Varius,*] De eo Sat. præced. als. *Varus.* De Quintilio Varo, l. 1. Od. 18.

59. *Satureiano.*] E Satureianis paſcuis, ubi equi nutriebantur optimi. Saturum vel Satureum, quibuſdam Satyreum, v. *Saturo*, hodie vicus hortis amœnus; olim oppidum in Calabriâ, ex Servio. Secundum alios, regio Tarento vicina.

72. *Flavî ludum*] Is erat arithmeticæ, ſive computandi, numerandi, rationes & calculos conferendi magiſter & doctor famoſus: ad quem inſtituendi mittebantur pueri ab iis qui fœnori ſtudebant & avaritiæ. Vide Epiſt. ad Piſon. v. 325. ubi.

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum deducere, &c.

73. *Magnis è centurionibus orti,*] Centurio qui centum milites regit: quod additur magnis, videtur, ſignificare primipilos & primorum ordinum ductores, qui fere Tribunis dignitate pares. Sic notat Poëta cupiditatem & avaritiam primorum quorumque filios ad quæſtum & ſordes magis formare curantium, quàm ad

Lævo ſuſpenſi loculos tabulámque lacerto, [576]
Ibant, octonis referentes Idibus æra.
Sed puerum eſt auſus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque ſenator
Semet prognatos: veſtem ſervóſque ſequentes
In magno ut populo ſi quis vidiſſet, avitâ
Ex re præberi ſumptus mihi crederet illos.
Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omnes
Circùm doctores aderat. Quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos) ſervavit ab omni
Non ſolùm facto, verùm opprobrio quoq; turpi:
Nec timuit ſibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco parvas, aut (ut fuit ipſe) coactor
Mercedes ſequerer. Neque ego eſſem queſtus.
Ob hoc nunc [577]
Laus illi debetur, et à me gratia major.
Nil me pœniteat ſanum patris hujus: eóque
Non, ut magna dolo factum negat eſſe ſuo pars,
Quòd non ingenuos habeat claróſq; parentes,
Sic me defendam. Longè mea diſcrepat iſtis
Et vox et ratio. Nam, ſi natura juberet
A certis annis ævum remeare peractum,
Atque alios legere ad faſtum quoſcunq; parentes

ſiniſtro brachio ſuſpenſum ferentes ſacculum & tabulam; ſupputantes lucrum Iduum octonarum. Quinimo non dubitavit me puerum Romam ducere informandum diſciplinis, quibus filios ſuos inſtituat quilibet eques aut ſenator: adeò ut, ſi quis in urbe populosâ conſideraſſet veſtimenta mea, & famulos comitantes, facilè ſibi perſuaderet impenſas iſtas mihi ſuppeditari ex avorum facultatibus. Ipſe mihi pædagogus integerrimus non diſcedebat à me apud præceptores quoſcunque. Uno verbo, caſtum me præſtitit, ab omni non tantum actione, ſed & ſuſpicione infami immunem (qui primus decor eſt virtutis) neque formidavit ne quiſpiam ipſum redargueret, ſi exiguas mercedes præco vel coactor (qualis ipſe fuit) aliquando ſectarer. Neque ego conqueſtus fuerim. Imò hanc ob rem laudabilis eſt, pluſque illi ego debeo. Certè patris ejuſmodi ſapientem me unquam pœniteat: adeoque me non tuebor, ſicut multi, dicentes nequaquam ſuâ culpâ accidiſſe quod non ſortiti fuerint parentes liberos & illuſtres. Sermo meus atque judicium abeſt procul ab iſtis. Enimverò ſi natura imperaret denuò percurrere tempus præteritum ab annis aliquot, & alios parentes aſſumere ad

ANNOTATIONES.

robitatem & virtutem. At longè diverſam audabilioremque iniit viam Horatii pater ad erudiendum filium, quamvis *macro pauper agello*, non ut illi pinguibus & opimis prædiis locupletes.

74. *Lævo ſuſpenſi loculos tabulamque lacerto,*] centurionum filii, euntes ad ludum ſeu ſcholam, ipſi ſua geſtabant, nec unus famulus aderat; ... æ avaritiâ patrum: at contrà Horatium ſequebantur ſervi portantes ipſi neceſſaria; ut ſcribet mox. *Loculos*, in quibus calculi, *tabulam*, chartas, ſcrinia. Gall. *pour apprendre à calculer, compter à la plume & aux jettons.*

75. *Octonis referentes Idibus æra.*] Sunt qui interpretentur: mercedem afferentes magiſtro ſingulis Idibus, quæ dies octo complectuntur. Verùm, licet apud nos hodie ludi magiſtris merces pendatur menſtrua: at apud Romanos annuam fuiſſe docet Juvenalis Sat. 7. in fine. Et Macrob. Saturnal. 1. cap. 12. *Annus à Martio incipiebat. . . . hoc menſe magiſtris exſolvebant mercedes, quas completus annus deberi ſe*... Melius itaque intelligunt alii locum hunc de calculo & rationibus confectis: ut pueri quaſi penſum ex mandato præceptoris domi expeditum referrent, ſcripto oſtendentes in tabulâ quantum lucri rediret ſingulis menſibus ex certâ ſummâ pecuniæ ad fœnus creditâ. Porrò, quod *Idibus* ſolerent uſuræ colligi, fusè explicavi ad calcem Epod. 2. Iduum verò etymon l. 4. 11. ſtroph. 4.

76. *Romam portare*] E patriâ Venuſio minori oppido transferre Romam urbium reginam & artium omnium emporium nobile.

78. *Veſtem ſervoſque ſequentes, &c.*] Populus videns Romæ habitum comitatumque Horatii, ſane illum credebat re familiari copioſâ, avitiſque facultatibus probè inſtructum: adeo non ullis parcebat ſumptibus pater, ut honeſtam filio & bonam daret indolem, educationem, diſciplinam, inſtitutionem.

86. *Præco, coactor*] Præco res venales in auctionibus proclamabat, ac licitantibus addicebat.

Coactor] A cogendâ ſeu redigendâ pecuniâ nominatus, rerum venditarum pretium proſequebatur & colligebat: unde & collectarius ali-

Optaret ſibi quiſque; meis contentus, onuſtos
Faſcibus et ſellis nolim mihi ſumere: demens
Judicio vulgi, ſanus fortaſſe tuo: quòd
Nollem onus, haud unquam ſolitus, portare moleſtum.
Nam mihi continuò major quærenda foret res;
Atque ſalutandi plures: ducendus et unus
Et comes alter; uti nè ſolus rúſve peregréve
Exirem; plures calones atque caballi
Paſcendi; ducenda petorrita. Nunc mihi curto [578]
Ire licet mulo, vel, ſi libet, uſque Tarentum;
Mantica cui lumbos onere ulceret, atq; eques armos.
Objiciet nemo ſordes mihi, quas tibi, Tullî,
Cùm Tiburte viâ Prætorem quinque ſequuntur
Te pueri laſanum portantes œnophorúmque.
Hoc ego commodiùs, quàm tu, præclare Senator,

oſtentationem quoſcunque quiſque vellet; ego meis contentus nollem accipere mihi clares faſcibus & ſellis curulibus: *inſanus à plebe* quidem, *à te verò ſapiens judicandus, ni fallor; quòd ferre grave onus recuſarem,* ad id *minimè aſſuetus. Nam proinde oporteret comparare majores divitias; nec non plures inviſere: ac circumducere duos aſſeclas: nec* liceret *ſolum proficiſci rus, aut peregrinari: nutriendi* forent *plures equi & famuli: pertrahenda vehicula. Jam verò etiam Tarentum uſque, ſi placet, decurtato poſſim vehi mulo; cui lumbos ſarcina, armos verò ſeſſor vulneret. Nullus mihi ſordidam* avaritiam *exprobrabit; ſicut tibi, Tullî, quando Tiburtinâ viâ Prætorem* te *comitantur ſervi quinque laſanum ferentes & vas vinarium.* Ob *hoc & alia multa vivo beatior te illuſtris Senator,*

ANNOTATIONES.

quando appellatus. Idem etiam pecuniam publicanorum & vectigalia exigebat. Gal. *un Sergent.*

96. *Onuſtos Faſcibus & ſellis*] Quidam legunt *boneſtos.* Faſces, & ſellæ curules, inſignia magiſtratuum; ſynecdoche pro magiſtratibus & dignitatibus. De *faſcibus* diſſerui alibi fusé. De *ſellâ* curuli dicam poſtea in lib. 1. Epiſt. Interim ex Gell. l. 3. c. 18. hæc accipe: *Senatores, qui curulem magiſtratum geſſiſſent, curru vehebantur in curiam, honoris gratiâ: in eo verò curru ſella erat, ſuper quam conſiderent: quæ ob eam cauſam Curulis appellata. Senatores autem, majoribus honoribus nondum perfuncti, pedibus itabant in curiam: unde & pedarii nominabantur.* Alii tamen aliter de ſellæ curulis origine ſentiunt.

99. *Onus,*] Onera & incommoda nobilis conditionis & dignitates honoreſque capeſſentis gerentiſque.

101. *Salutandi plures:* Ambiendo ſuffragia, benevolentiam captando, Magiſtratum petendo: ut moris eſt.

Ducendus & unus Et comes alter, &c.] Hoc enim requirit decorum, honor, majeſtas, dignitas.

104. *Petorrita.*] Petorritum eſt genus carri quatuor rotarum ab Æolio πέτορες pro τέσσαρες, vel ab Oſcâ voce, *petora,* ſimiliter quatuor ſignificante. Dicitur etiam Gallicum eſſe vehiculum, non abſurde: ut Galli acceperint à Maſſilienſibus Græcâ linguâ utentibus. Sunt qui etymon ducant a Britannis & Celtis, apud quos *pedar* eſt quatuor: ſed perperam. Vide Feſtum: item Agell. l. 15. c. 3.

Curto mulo.] Vili, turpi, cui decurtata eſt cauda. Propert. l. 4 Eleg. 1. *curto equo.*

105. *Uſque Tarentum.*] Vel ad ultimos Italiæ fines. De Tarento, l. 1. Od. 28. l. 2. Od. 6. l. 3. Od. 5.

106. *Mantica cui lumbos, &c.*] Ex Lucilio: *Mantica Cantherii coſtas gravitate premebat.* Ad rem Seneca. Epiſt. 28. *O quantum erat, ſeculi decus, Imperatorem, triumphalem, Cenſorium, &, quod ſuper omnia hæc eſt, Catonem uno caballo eſſe contentum, ac ne toto quidem: partem enim ſarcinæ ab utroque latere dependentes occupabant.*

107. *Objiciet nemo ſordes mihi, quas tibi, Tullî,*] Tibi quidem Prætori ac diviti objici jure poteſt quod ſordidè vivas & parum decorè: non ita verò privato mihi. Multa enim tolerantur in privatis & plebeiis, quæ in Magiſtratibus & Patriciis minime.

108. *Tiburte viâ*] Antè omnium oculos viâ frequenti & celebri, quæ ducit ad Tibur: de qua urbe l. 1. Od. 7. & 18. l. 2. Od. 6.

109. *Laſanum portantes*] Inſtrumenta & vaſa quælibet viliſſima, coquendis etiam cibariis utilia: nè aut hæc, aut illa, aut aliud quidpiam pretio comparare ſit opus in meritoriis tabernis ac diverſoriis: quod quidem præparci eſt hominis ac ſordidiſſimi. Laſanum, Græcis λάσανον, duo ſignificat, matulam, & lebetem: poſteriori ſanè accipiendum eſt hic ſenſu. Heſychio, Suidæ, Polluci λάσανα idem eſt quod, χυτρόπους *olla pedes habens:* pariter & Schol. Ariſtoph. In Pace.

Multis

Multis atque aliis vivo. Quacunq; libido eſt,
Incedo ſolus: percunctor quanti olus, ac far:
Fallacem circum, veſpertinúmque pererro
Sæpe forum: aſſiſto divinis: inde domum me[577]
Ad porri et ciceris refero lachaníq; catinum.
Cœna miniſtratur pueris tribus: et lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet. Adſtat echinus
Vilis, cum paterâ guttus, Campana ſupellex

aliiſque bene multis. Ambulo ſolus quacunque placet: quæro frumentum, & herba quanti veneant: perluſtro circum fraudulentum, & forum veſpertinum frequento: aſto ad hariolos: hinc redeo domum ad patinam porri, ac ciceris, & lachani. Cœnanti porrò mihi *famulantur ſervi tres: lapis autem candidus portat binos ſcyphos cum cyatho. Adeſt vilis echinus, & guttus cum paterâ, ſupellex è Campania.*

ANNOTATIONES.

111. *Multis atque aliis*] Legunt alii, *millibus atque aliis.* Rurſùm alii aliter interpretantur: quidam ſic, ob hoc & alia multa commodiùs vivo, &c.

113. *Fallacem circum.*] Circum maximum, à Tarquinio Priſco ſpectaculis deſignatum, Palatinum inter & Aventinum montem, tria ſtadia & amplius longum, quatuor vero jugera latum. Dionyſ. Halic. l. 3. Alex. ab Alex. l. 4. c. 25. *Fallacem:* ubi ſortilegi, ſomniorum interpretes, aſtrologi, circulatores, & alii fumum, ut aiunt, vendentes; aut *quæſtûs causâ ariolantes*, ut ait Tull. 1 de Divin. ſub finem. Vide Juvenal. Sat. 6. v. 581. & ſeq.

Veſpertinum forum.] Vel quòd veſperi minor frequentia in foro, quàm manè; tuncque illuc conveniunt nugatores & otioſi homines ad confabulandum, & ſi quid novi ſpargendum ac ventilandum: vel ambulandi causâ, cum adſint porticus ad id commodæ.

124. *Aſſiſto divinis:*] Apage qui explicant, rebus divinis & ſacris interſum: imò nihil ad rem. Intellige verò: animi gratiâ audio divinos & ariolos plebi incautæ verba dantes, ut in circo, ſic etiam in foro.

Inde domum me] Inde domum me recipio ad cœnam oleribus & leguminibus conſtantem.

115. *Lachani*] Sic placet legere; non, ut alii *lagani*, quod quidem placentæ genus, & ad delicias magis pertinet: at Horatii mens & ſenſus innuit potiùs lachanum. Nam λάχανον, *olus*, vel *beta* Atticis, pertinet ad cœnam facilem & parabilem, magiſque cum *porro & cicere* convenit.

116. *Lapis albus*] Deſcribit apparatum non cœnæ modo ſuæ ac cibariorum, ſed & abaci vaſorumque in eo repoſitorum.

Lapis albus] Menſa ex albo lapide ſeu marmore, quæ Delphica dicebatur, erat pro abaco: Gall. *buffet.*

117. *Pocula duo*] Alterum vini, alterum aquæ: atque ita bina ſemper ſingulis conviviis ponebantur.

Cum cyatho] Quo vaſculo hauſtum ex urnis vinum aut aqua in pocula infundebatur: aut etiam diluebatur ac miſcebatur. Quod qui miniſterium præſtabat κυαθίζειν dictus Græcis. Non omittendus hîc jocus Marcelli gravis & lepidus æque. Cum Syracuſas obſideret, ejuſque naves Archimedes ſublevaret, rurſumque mari illideret atque immergeret, ut, depreſsâ puppi vel prorâ, aquæ plurimum acciperent; ludens aiebat Marcellus, Archimedem ſuis navibus pro cyathis uti. Plutarch, &c.

Echinus] De hujus interpretatione vocis adhuc ſub judice lis eſt. Quidam ſalinum echini marini piſcis formam habens intelligunt: alii ampullam ſcorteam aut vitream: alii lignum cum uncinis ad reponendos calices. Nec ineptè quibuſdam videtur eſſe pollubrum ſeu malluvium, id eſt, vas lavandis manibus, Gall. *un baſſin à laver les mains:* ac proinde *guttus* ab iiſdem explicatur aqualis, ſeu vas ad aquam affundendam.

118. *Paterâ*] Ad libationes: quas quidem religioſi veteres in epulis nunquam omittebant. Diis nimirùm offerebant in paterâ ſeu vinum ſeu primitias ciborum: atque his veſci religioni ducebant. Unde Cic. 2. de Finib. n 22. *Atque reperiemus*, inquit, *aſotos primùm ita non religioſos, ut edant de patellâ.*

Guttus,] Vas ita dictum quod guttatim fundat & minutatim. Varro 4. de Ling. Latin. Gell. l. 17. c. 8, &c. Non abſurde quidam volunt guttum illum ad uncturam ſive unctionem epularem adfuiſſe: id eſt, ad oleum, acetum, ſimilemque liquorem, aut aliud condimentum quodlibet *patinis irrorandum*, ut loquitur Perſius, Satira 6. Suum verò ſit cuique judicium, ego dicam quod ſentio: movet me quod Poëta jungat *cum paterâ guttum:* ſicque videtur indicare guttum, libando vino deſtinatum. Quocirca malim *echinum* ſuprà interpretari ſalinum, aut vas aliud quodvis, etiam malluvium, ſi lubet: ut *guttus* nequaquam ſit aqualis, ſeu vas aquam abluendis manibus affundens.

Campana ſupellex.] Iſta porrò vaſa fictilia ſunt ex iis quæ in Campaniâ fiunt ex argillâ.

Poſtea vado cubitum minimè anxius, quòd die craſtinâ ſurgendum ſit diluculo, viſenduſque Marſyas, qui aſſerit intolerabilem ſibi eſſe conſpectum junioris Noviorum. Decumbo uſque *ad* horam *decimam. Deinde prodeo* foras: *vel lectito aut ſcriptito quod ſilentem me recreet. Ungor oleo, non quo impurus Natta lychnos defraudans. Cum verò ſol ardentior fatigatum me monet inire balnea, evito ſideris rabidi tempus. Modicum prandeo quantum impediat vacuo eſſe ventre* per *diem* integram: *domi* reſideo *otioſus. Hæc vita eſt carentium infelici & moleſtâ ambitione. Iſtis me ſublevo; vivamque fortunatior quàm ſi Quæſtor fuiſſet meus pater, avus, atque patruus.*

Deinde eo dormitum, non ſollicitus, mihi quòd cras [580]
Surgendum ſit manè, obeundus Marſya, qui ſe
Vultum ferre negat Noviorum poſſe minoris.
Ad quartam jaceo. Poſt hanc vagor: aut ego lecto,
Aut ſcripto, quod me tacitum juvet. Ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis;
Aſt, ubi me feſſum ſol acrior ire lavatum [581]
Admonuit, fugio rabioſi tempora ſigni.
Pranſus non avidè, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domeſticus otior. Hæc eſt
Vita ſolutorum miſerâ ambitione graviſque.
His me conſolor: victurus ſuaviùs, ac ſi
Quæſtor avus, pater atq; meus, patruúſque fuiſſent,

ANNOTATIONES.

120. *Obeundus Marſya,*] Sive ad vadimonium, nec enim litigare áveo: ſive ad ſumendam à fœnatoribus pecuniam, aut ſolvendas uſuras: nam ab his abhorreo. In primâ fori parte erat pro roſtris Marſyæ ſtatua, ad litigatorum terrorem poſita; ad quam vadimonia ſiſtebantur; conveniebant etiam cauſidici, aliique negotia tractantes & componentes: nec non ibidem ſedebant fœneratores. Porrò Marſyam nôrunt omnes fuiſſe Phrygium tibicinem, quem ab Apolline, quòd temerè cum eo contendiſſet, excoriatum fabulantur. Satyrum fuiſſe ſcribit Ovidius. Metam. 6. c. 5. Vide Cœl. Rhodig. l. 28. c. 12.

Qui ſe Vultum ferre negat Noviorum poſſe minoris] Quòd illa ſtatua Marſyæ ſublata erat manu, ſatyricè & ſarcaſticè noſter interpretatur Marſyam averſari, velut indignabundum quòd Novius libertus inter judices & ſenatores allectus eſſet; &, quod pejus, turpi fœnerandi ſtudio totus incumberet: unde geſtu oſtendat abhorrere ſe ab iſtis ſordibus, & ab ejus aſpectu.

121. *Noviorum minoris.*] Novii fratres erant duo, quorum natu minor ad Marſyæ ſtatuam quotidie ſedebat. De illo ſuprà, v. 40.

122. *Ad quartam jòcoſe.*] In cubili jaceo ad horam uſque decimam matutinam: quod non ſemel jam explanavi.

Aut ego lecto, Aut ſcripto,] Si foras non prodeo, poſtquàm è lecto exilui, operam do lectioni vel ſcriptioni. Valeat Theod. Marcilius, qui pertinaciter hîc è Nominibus facta Verba ab interpretibus indignatur, vultque ablativos eſſe abſolutè poſitos; ut ſit ſenſus; aut ego, poſtquàm legi aut ſcripſi quod tacitum me juvet, ungor olivo, &c. prior certè præpollet explicandi ratio, ut *lecto* pro *lectito*, *ſcripto* pro *ſcriptito* dixerit Horatius.

124. *Non quo fraudatis, &c.*] Ungor olivo optimo, non lucernario, laternario, ac fœtente, adeóque lucernis quaſi fraudatis detracto: ut facit *Natta* per ſordidam ac turpem avaritiam. Pari ſenſu Juvenalis ſcripſit Sat. 5. v. 87. *Qui Pallidus offertur miſero tibi cauli olebit Laternam.*

Natta.] Quidam legunt *Nacca.* De ſordido iſto homine, & noſter alibi, & Juvenalis Sat. 8. v. 95. Perſius Sat. 3. v. 31.

Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ?

125. *Aſt, ubi me feſſum ſol acrior, &c.*] Æſtivo tempore, ac diebus Canicularibus. Minùs ſapiunt qui intelligunt ſolem meridianum cujuſque diei. Nam, qui modicè curare ſe cuticulam prædicat, longè abeſt, ut innuat quotidie ſe balneis uti, quòd certè luxuriem & delicias aleret.

126. *Rabioſi tempora ſigni.*] Tunc ſublevo me, & mitigo ardores Caniculæ: de quâ l. 1. Od. 17. l. 3. Od. 13. Perſ. Sat. 3. initio,

——Siccas inſana Canicula meſſes
Jamdudum coquit: & patulâ pecus omne ſub ulmo eſt.

127. *Pranſus non avidè,*] Antiqui nimirum haud bis in die epulabantur: modico verò circa meridiem ſumpto cibo, veſperi cœnabant: atq; ita negotiis ac laboribus diem impendebant, noctem verò curandis corporibus. Domitianus tamen refertur laute prandiſſe, parcè autem cœnitaſſe, et apud nos nunc plerique facere amant, ità ſuadente medicinâ & ſanitatis ratione.

128. *Domeſticus otior.*] Otio liberali vaco, non inerti & ignavo.

SATIRA

SATIRA VII.

Rixam Rupilii cum Græculo Perſio deſcribit.

PRoſcripti Regis Rupilî pus atque venenum
Ibrida quo pacto ſit Perſius ultus, opinor [582]
Omnibus et lippis notum tonſoribus eſſe.
Perſius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege moleſtas;
Durus homo, atq; odio qui poſſit vincere Regem;
Confidens tumidúſque; adeò ſermonis amari,
Siſennas, Barros ut equis præcurreret albis.
Ad Regem redeo. Poſtquam nihil inter utrumq;

Cunctis puto cognitum eſſe lippis ac tonſoribus, quâ ratione Perſius ibrida vindicarit pus & virus Rupilii Regis proſcripti. Perſius iſte ingentia habebat negotia Clazomenis nec non graves rixas cum Rege; homo pervicax, & qui moleſtiâ vincere poſſet Regem; arrogans & ſuperbus; denique tam acerbâ dicacitate, *ut Siſennas Barroſque albis equis anteverteret. Redeo ad Regem. Cùm nullâ utrique concordia*

ANNOTATIONES.

1. *Proſcripti, &c.*] Superiore Satirâ refutavit Horatius obtrectatores & malevolos quoſdam libertinum genus ipſi objicientes, tum nempè cùm Mæcenati gratioſus eſſet: qui & Auguſtum ei reconciliavit, at longè anteà idem ei probrum fuerat ingeſtum. Scilicet cùm Tribunus militum eſſet, cum ipſo pariter in exercitu Bruti militabat, Rupilius, in eumque illud convicii effutierat. Itàque noſter opportuno tempore ſe ultus eſt, datâ occaſione litis, quæ iſti Rupilio cum Græculo quodam nomine Perſio inciderat.

Proſcripti Regis, &c.] Rupilius cognomento Rex in urbe Præturam gerens, ab Auguſto Triumviro proſcriptus ad Bruti caſtra confugit.

Pus atque venenum] Maledicentiam linguæ virulentæ. Lucil.

Luciu' marcebat febris, ſenium, vomitus, pus.

2. *Ibrida.*] Perperam alii *hybrida* ſcribunt, fruſtrà, & deducunt ab ὕβρις vel ὑβριςὴς ſive ὑβριςής, ut ſignificetur conviciator, petulcus & contumelioſus. Benè viderunt eruditi *Ibrida* ſcribendum, ut notetur Perſius Aſiatico patre ortus matre autem Romanâ. Nam antiqui ſpurios item diverſo genere procreatos dicebant umbros, imbros, indeque ibros & ibridas. Sic ibridæ cane lyciſcæ. Iſidor. l. 12. c. 1. *In animantibus*, inquit, *bigenera dicuntur quæ ex diverſis naſcuntur, ut mulus ex equâ & aſino, burdo ex equo & aſinâ, ibridæ ex apris & porcis, &c.* Plin. l. 8. c. 49. *E muſmonibus & ovibus natos priſci umbros vocârunt*: & cap. 53. *Semifera animalia antiqui vocabant ibridas, ad homines quoque, ut in C. Antonium Ciceronis in Conſulatu, collegam, appellatione tranſlatâ.* Ita apud Valer. Maxim. l. 8. c. 6. *Q. Varius propter obſcurum jus civitatis Ibrida cognominatus, &c.* natus nimirùm Hiſpano patre, matre Veronenſi.

3. *Lippis notum & tonſoribus*] Proverbialis dictio. Lippi quòd rarò foras prodeunt vix lucem ferentes, hinc curioſè percontantur ab inviſentibus, quid ſit novi per urbem: tonſtrinæ verò, in quas multi conveniunt otioſi & loquaces, ſunt proinde rumorum & confabulationum officinæ. Huc referri poteſt quod Theophraſtus ait: τὰ κουρεῖα ἄοινα συμπόσια, *tonſtrinæ compotationes ſine vino.*

5. *Clazomenis.*] Urbs iſta minoris Aſiæ in Ionia, ad oram maris Ægæi inter Smyrnam & Chium: priùs dicta Gryne, unde Apollo Grynæus, Anaxagoræ patria fuit.

8. *Siſennas, Barros*] Homines famoſos dicacitate, conviciis, linguæ petulantiâ. De *Barris* anteà. Siſenna cognomen erat Aproniorum & Corneliorum. Dio. l. 54. meminit Cornelii Siſennæ, qui de uxoris vitâ in Senatu reprehenſus auſus fuit dicere, ſe illam ſciente & ſuadente Auguſto duxiſſe; atque itâ Principis cum eâ conſuetudinem, quam nuptiis delatam vellet, apertè & falsè notaverit.

Equis præcurreret albis.] Figurata locutio inde nata quòd equi albi creduntur velociſſimi. Plaut. Aſin. 2, 2, 12.

Si huic occaſioni ſe tempus ſubterduxerit.
Nunquam, ædepol, quadrigis albis indipiſces poſtea.

eſſet (nam moleſti omnes eodem ſunt animo, quo ſtrenui quibus contraria pugna contigit. Sic *inter Hectorem Priami filium & fortem Achillem odium extitit implacabile, quod ſola mors tandem dirimeret: haud aliâ de cauſâ quam quod ambobus ſumma virtus inerat.* At *ſi contentio fuerit duobus ignavis, vel certamen contingat imparibus, puta Diomedi cum Glauco Lycio; inertior cedat, datis ſponte muneribus) dum Prætor Brutus ageret in opimâ Aſiâ, dimicavit par Rupilii atque Perſii, adeò ut non convenientiùs ſit commiſſus Bacchius cum Bitho. Ad judicium ardentes properant: ambo ſpectaculum ingens. Perſius rem explicat: cœtus univerſus cachinnos tollit: laudat* ille *Brutum, laudat comites. Brutum vocat Aſiæ ſolem, comites verò ſalutaria ſidera nuncupat, dempto Rege: hunc* enim *acceſſiſſe* velut *Caniculam, aſtrum agricolis infeſtum: fluebat velut amnis hyeme, ad quem ſecuris infrequenter accedit. Tunc Prænſie natus* illi *mordaci & valde copioſo*

Convenit (hoc etenim ſunt omnes jure moleſti, [585]
Quo fortes, quibus adverſum bellum incidit. Inter
Hectora Priamiden animoſum atq; inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors;
Non aliam ob cauſam, niſi quòd virtus in utroq;
Summa fuit. Duo ſi diſcordia vexet inertes,
Aut ſi diſparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco; diſcedat pigrior, ultro
Muneribus miſſis) Bruto Prætore tenente
Ditem Aſiam, Rupilì & Perſî par pugnat, uti non
Compoſitus meliùs cum Bitho Bacchius. In jus
Acres procurrunt; magnum ſpectaculum uterque.
Perſius exponit cauſam: ridetur ab omni
Conventu: laudat Brutum, laudátque cohortem.
Solem Aſiæ Brutum appellat, ſtellaſque ſalubres
Appellat comites, excepto Rege: Canem illum,
Inviſum agricolis ſidus, veniſſe: ruebat [585]
Flumen ut hibernum, fertur quò rara ſecuris.
Tum Præneſtinus ſalſo multóque fluenti

ANNOTATIONES.

10. *Hoc etenim ſunt omnes jure moleſti, &c*] Ut fortes ſic & moleſti nunquam cedere volunt; illud eſt eorum ingenium & velut jus quoddam à naturâ comparatum, lib. 1. Od. 6. *gravem.*

Pelidæ ſtomachum cedere neſcii.

13. *Ultima divideret mors.*] Ira enim non ſeneſcit niſi per mortem, ut ait Sophocles: Θυμοῦ γῆρας οὐδὲν ἄλλο ἐςὶ πλὴν θανεῖν.

16. *Diomedi Cum Lycio Glauco, &c.*] Ex Iliad. 6. ubi Jupiter dicitur Glauco mentem ademiſſe, indeque Glaucus arma aurea ſua cum Diomedis æreis permutaſſe. De *Diomede* ſuprà Sat. 5. Glaucus Lyciorum dux ad auxilium Trojanorum venit: erat prætereà nepos Bellerophontis, qui Jobati Lyciæ regis gener & regni hæres fuit.

11. *Bruto Prætore tenente Ditem Aſiam,*] Ne accipe, Lector, Aſiæ Prætorem Brutum: imo tunc Romæ Prætor erat Brutus; in Aſiam verò ſe contulerat ad contrahenda adverſus Auguſtum auxilia: ibique permulta geſſit laude digna.

19. *Ditem Aſiam,*] Cic. prò lege Manilia. n. 14. *Aſia tam opima eſt & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.*

20. *Cum Bitho Bacchius*] Par gladiatorum inſigne erant Bithus & Bacchius. Sueton. Octav. Eraſm. adag.

25. *Canem illum, &c.*] Alios Bruti comites ſtellas quaſi ſalutares veniſſe, at Rupilium fatale ſidus ac veluti Caniculam. De hac Virgil. Æn. 10. v. 273.

. . . . *ſirius ardor:*
Ille ſitim morboſq; ferens mortalibus ægris
Naſcitur, & lævo contriſtat lumine cœlum.

Vide, ſi vacat, annot. ad Od. 17. lib. 1. & Od. 13. lib. 3.

26. *Ruebat Flumen ut hibernum.*] Perſii oratio fluebat rapidè torrentis inſtar, aut fluvii nivibus hyemalibus intumeſcentis & exundantis. Vide lib. 4. Od. 2.

Fertur quo rara ſecuris.] Ad cujus fluminis ripam raro venit frondator cum ſecuri quâ ligna cædat; ſeu quòd ipſe metuit nè exundante fluvio abripiatur, ſeu quòd adſitæ arbores impetu decurrentium aquarum totæ eradicantur & auferuntur.

28. *Præneſtinus*] Rupilius Rex oriundus Præneſte. Hæc Latii civitas Româ diſtat 21. mill. paſſ. Ortum verſus; hodie *Paleſtina.* Condita fertur & nomen ſortita à *Præneſte* Ulyſſis & Circes filio.

Salſo multumque fluenti] Malè quidam hæc

Expreſſa

Expreſſa arbuſto regerit convicia, durus
Vindemiator & invictus, cui ſæpè viator
Ceſſiſſet, magnâ compellans voce cucullum.
At Græcus, poſtquam eſt Italo perfuſus aceto,
[585]
Perſius exclamat: Per magnos, Brute, Deos te
Oro, qui reges conſueſti tollere, cur non
Hunc Regem jugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum eſt.

dicteria retorquet ex arbuſtivâ vite deprompta, vinitor acer ac vinci neſcius, cui frequenter viator ceſſiſſet grandi voce appellans cuculum. Tum Græculus Perſius, poſteaquam ſalibus Italicis aſperſus fuit, exclamat: O Brute, per magnos te Deos obſecro, qui reges exterminare ſolitus es, quare non iſtum Regem tollis? Hoc, mihi crede, unum *eſt, è tuis facinoribus.*

ANNOTATIONES.

jungunt cum ſequenti voce *arbuſto*; quæ certè referenda ſunt ad Perſium, de quò ante Heinſius aſſeveranter legendum contendit, *muſtoque fluenti*, ut reſpondeat ſequenti vocabulo *vindemiator*. Sed conjectura hæc audacior ſane eſt: & quicquid dicat, de eâ lectione dubitabimus.

29. *Expreſſa arbuſto regerit convicia,*] Velut durus vindemiator in viatorum dicteriis laceſſentem ſcommata regerit ex arbuſto ſuo: ità Rupilius acerba convicia reddidit Perſio magnâ linguæ volubilitate & petulantiâ contumelias ingerenti.

Arbuſto] Id eſt, vite arbori innixâ: de quâ Plin. l. 17. c. 23. ubi ſcribit; *nobilia vina non niſi in arbuſtis gigni, & in his quoque laudatiora ſummis, ſicut uberiora imis, adeò excelſitate proficitur, &c.* Columell. l. 4. *vites*, inquit, *maximè gaudent arboribus .... hoc genus vitium arbuſtivum vocamus.*

30. *Vindemiator.*] Obſerva, lector, vocem iſtam eſſe hic quatuor ſyllabarum, atque in unam coire *i* & *a*, ut metri conſtet ratio.

Cui ſæpe viator, &c.] Solebant prætereuntes cum vindemiatoribus ſeu vineam putantibus, item cum frondatoribus, certare conviciis. Auſon in Moſella;

.... : Inde viator
Riparum ſubjecta terens, hinc navita labens
Probra canunt ſeris cultoribus.

31. *Magna compellans voce cucullum.*] Stolidum, fatuum, deſidem, & pigrum, inſtar cuculi: vel quòd vinitores putationem & culturam vineæ donec cuculi vox audiatur, ſerius tardantes viator deridebat cuculi exprimens cantum. Plin. l. 18. c. 26. *Putationem æquinoctio peractam habeto.* Et poſteà. *Sic ferè in vi. Id. Maii .... quo temporis intervallo, xv. diebus primis agricolæ rapienda ſunt ea, quibus peragendis ante æquinoctium non ſuffecerit, dum ſciat inde natam exprobrationem fœdam putantium vites per imitationem cantus alitis temporarii quem cuculum vocant. Dedecus enim habetur opprobriumque meritum, falcem ab iſtâ volucre in vite deprehendi, ut ob id petulantiæ ſales etiam cum primo vere ludantur.*

Cucullum.] Vel potiùs, *cuculum*, media productâ, κόκκυξ, avis verna, à voce, quam ſæpiùs ingeminat, appellata. Unde & κόκκυγας Græci vocant homines moleſtos, eadem ſæpius inſulſè repetendo caput obtundentes. Plin. lib. 10. cap. 9. *Procedit vere coccyx, occultatur Caniculæ ortu: ſemperque parit in alienis nidis maximè palumbium, majori ex parte ſingula ova, quod nulla alia avis, raro bina. Cauſa ſubjiciendi pullos, quod ſciat ſe invisam cunctis avibus. Nam minutas quoque infeſtat. Ita non fore tutam generi ſuo ſtirpem opinatur, niſi fefellerit. Quare nullum facit nidum, alioquin trepidum animal, ... pullus avidus ex naturâ præripit cibos reliquis pullis. Itaque pingueſcit, & nitidus in ſe nutricem convertit. Illa gaudet ejus ſpecie, miraturque ſeipſam quòd talem pepererit: ſuos comparatione ejus damnat ut alienos, abſumique etiam ſe inſpectante patitur, donec corripiat ipſam quoque jam volandi potens:* ex genere accipitrum, quanquam *nec aduncis unguibus, nec capite ſimilis illis, nec alio colore ac rictu,* ſeu aſpectu, *quam columbi.*

32. *Italo perfuſus aceto,*] Italicâ dicacitate, Rupilii: *mordaci lotus aceto*, ut ait Perſ. Sat. 5. v. 86. Plaut. Pſeud. 2, 4, 49.

Ecquid habet is homo aceti in pectore?—

33. *Exclamat:*] Erumpente irâ tandem, quam exſtimulârat *homo acidæ linguæ*, ut loquitur Seneca, Controv.

34. *Qui reges conſuêris tollere,*] Tarquinios olim quidem majores tui, puta Jun. Brutus, tu verò deinde ipſe Jul. Cæſarem.

35. *Hunc Regem.*] Ludus in vocabulo.

Operum hoc, mihi crede, tuorum eſt.] Et hoc te dignum eſt opus, ut jugules ac tollas moleſtum & indignum hunc vitâ hominem.

SATIRA

SATIRA VIII.

Priapum inducit Canidiæ & Saganæ veneficia deſcribentem ac deteſtantem.

Eram autem ſtipes ficulnus, lignum iners: quando artifex dubius an ſcamnum fabricaret, an Priapum, maluit fieri Deum. Exinde ego Deus extiti, ingens terror prædonum, atque volucrum. Etenim dextra mea arcet prædones * * * * * * * * * * * * * *at arundo in ſummo capite infixa deterret aves moleſtas, ac prohibet conſiſtere in hortis recentibus. Anteà conſervus cadavera cellis arctis ejecta locabat iſtuc efferenda in vili ſandapila.*

OLim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Cùm faber incertus ſcamnum, faceretne Priapum, [586]
Maluit eſſe Deum. Deus inde ego, furum, aviúmq;
Maxima formido. Nam fures dextra coërcet,
Obſcœnóque ruber porrectus ab inguine palus:
Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis conſidere in hortis.
Huc priùs anguſtis ejecta cadavera cellis
Conſervus vili portanda locabat in arcâ. [587]

ANNOTATIONES.

1. *Olim, &c.*] Proſopopœia eſt lepida proríus & faceta, quâ Horatius evulgat illud Canidiæ veneficium, de quo in Epod. ult. ubi Canidia:

Et Eſquilini Pontifex venefici, &c.

Porrò mire hîc Deaſtrorum vanitas & falſitas ſugillatur. Unde S. Hieronym. l. 12. in Iſai. c. 44. ſub finem ità ſcribit: *Flaccus in ſatirâ, deridens ſimulacra gentiam, ait*; Olim truncus eram, &c.

Truncus eram] Sic Propert. lib. 4. Eleg. 2. v. 59. Vertumnus de ſe dicit:

Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam gratâ pauper in urbe Deus.

Truncus ficulnus,] Truncus fici arboris.

Inutile lignum;] Minimè apta ad opus materia ob fragilitatem. Quo etiam referri poteſt, quòd ſub finem hujus ſatiræ dicitur, *diffiſſa nate.* Vel *inutile*, id eſt, nondum dolatum, nondum in effigiem aliudvé opus effictum & formatum.

2. *Priapum,*] Is Bacchi & Veneris filius hortis præeſſe velut cuſtos credebatur. Diodor. Sic. l. 5. c. 1. mox. citand. Ejus ſtatua rudis & informis ponebatur: unde ex ficu ut plurimum fiebat, quod lignum fragile & ad alia opera artificiosè fingenda ineptum. Aliam alii rationem afferunt quòd ficus admodum fertilis, Priapus verò fœcunditatem deſignet: teſte Plutarcho de Iſide & Oſir.

4. *Fures dextra coërcet,*] Diodor. Sicul. cit. *Priapus non ſolùm in urbium templis ſed & in agreſtibus quoque locis tanquam vinearum atque hortorum cuſtos colitur, fructuum fures caſtigans.* Hinc falcem ligneam tenens fingebatur, quaſi fures illâ confoſſurus, ſeu proſtraturus. Columell. de hortorum cultu, v. 31. ità de Priapo:

. . . . . Sed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli,
———medio qui ſemper in horto,
———prædoni falce minatur.

Virgil. Georg. 4. v. 110.

Et cuſtos furum atque avium cum falce ſaligna
Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.

6. *In vertice arundo Terret fixa.*] Hoc avibus terriculamentum poni ſolebat. Tibullo aſcriptum Epigramma ſic habet:

Placet, Priape, qui ſub arboris comâ
Soles ſacrum revinctè pampino caput
Ruber ſedere, . . . ſæpè floribus novis
Tuas ſine arte deligavimus comas.

7. *Novis in hortis.*] Quos nuper in Eſquiliis Mæcenas inſtituit, ob ſalubrem ejus loci aërem, ut dicetur poſteà.

8. *Huc priùs, &c.*] Ubi modò ſtat Priapus, in hortis ſcilicet iſtis novis, ibi anteà ſepulcretum erat. In hunc ipſum locum plebeiorum cadavera portabantur humanda.

Anguſtis ejecta, &c.] Adverte ſingulas voces ad contemptum facientes.

Anguſtis ejecta cadavera cellis] Non atriis aulisve magnis elata cum honore ad ſepulturam more divitum. *Cellæ* enim dicuntur manſiunculæ præſertim ſervorum.

9. *Conſervus portanda locabat*] Viles & abjectos vilis abjectuſq; veſpillo ſepeliebat. Nam veſpillones, inquit Feſtus, appellantur, qui veſpertino tempore operam locant iis humo condendis, qui funebri pompâ duci propter inopi-

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum,
Pantolabo ſcurræ, Nomentanóque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat; hæredes monumentum nè ſequeretur.
Nunc licet Eſquiliis habitare ſalubribus, atque
Aggere in aprico ſpatiari, quo modò triſtes [588]
Albis informem ſpectabant oſſibus agrum.
Cùm mihi non tantùm furéſque feræque ſuëtæ
Hunc vexare locum, curæ ſunt atque labori,
Quantum carminibus quæ verſant atque venenis
Humanos animos. Has nullo perdere poſſum.
Nec prohibere modo, ſimul ac vaga luna decorum
Protulit os, quin oſſa legant herbáſque nocentes.

Hoc erat commune plebeculæ ſepulcrum, Pantolabo ſannioni, & Nomentano patrimonii diſſipatori. Iſtic cippus aſſignabat agri pedes millenos in latitudinem, trecentos verò in longitudinem, vetabatque ne ſepulcrum ad hæredes pertineret. Jam verò licet habitare in Eſquiliis ſalubribus, & ambulare in colle aprico, ubi nuper mœſti cernebant agrum albis oſſibus deformem. Quanquam non tam me angunt & venantes prædones ac feræ agrum iſtum infeſtare ſolitæ, quam mulieres, quæ humanas mentes inflectunt incantamentis & veneficiis. Has nullâ ratione poſſum abigere, aut prohibere quò minùs colligant oſſa & herbas noxias, ſtatim atque luna currens pulchrum oſtendit vultum.

ANNOTATIONES.

im nequeunt. At contrà divitum funeri curando advocatur libitinarius. Hic verò ſubminiſtros adhibet pollinctores, ſandapilarios, veſpillones.

In arcâ vili.] Non in feretro exornato, ut divites ſolent, ſed in brevi loculo, ſeu communi ſandapilâ, quam Martialis vocat *Orciniana ſpondam*, quâ egenorum itemque damnatorum cadavera portabantur à ſandapilariis. Juvenal. Sat. 3. v. 32.

Conducere . . . . portandum ad buſta cadaver.

10. *Hoc miſeræ plebi.*] Eſquilina regio ſepulcris ſervorum atque miſerorum dedicata erat: inquit vet. Comment.

11. *Pantolabo ſcurræ,*] Aptum nomen ſcurræ, qui dilapidatis facultatibus egens mutuam à pluribus pecuniam accipiebat. Itaque Mallius ille *Pantolabus* ſepulchro pauperum & miſerorum infertur, ſicut & Caſſius *Nomentanus* patrimonii decoctor inſignis.

12. *Mille pedes in fronte, &c.*] Datus olim fuerat locus ille ad ſepulturam plebeiorum, continens *mille pedes, &c.* Quod quidem agri ſpatium hæredibus detractum erat. Et hæc cippo inſcripta notabantur ex more. Erat enim *cippus* in agro erectus lapis ſeu limes, in quo deſignabatur certi pars agri excepta & ex teſtamento data legataque plebi, vel alicui privato.

Mille pedes in fronte, &c.] Juxta vias erant ſepulchra. Ergo ſepulchri frons eſt latitudo, at longitudo in agrum quaquè verſus intelligenda. Ita vetus inſcriptio. IN FRONTE LAT. PED. XX. IN AGR. LONG. PED. XX, &c. Valeant qui Geographicè longitudinem his accipiunt in majori diſtantiâ. Nec enim id locum habet niſi in Geographicis. Ptolem. l. 1. c. 6.

13. *Hæredes monumentum, &c.*] In cippo ſcribi & notari ſolebant literæ iſtæ, H. M. H. N. S. Hoc monumentum hæredes non ſequitur. Frederic. Cerutus Veronenſis ſic interpretatur locum hunc, luculenter quidem: hic in Eſquiliis extabat cippus his notatus literis: ab eâ parte, quæ publicam viam attingit, mille pedes agri ad ſepulturam plebis tribuuntur: ab eâ verò parte, quæ conjunctos agros ſpectat, pedes trecenti. Hac Inſcriptione: HÆRES HUNC SIBI LOCUM SEPULTURÆ NE VENDICET.

14. *Nunc licet Eſquiliis, &c.*] Nunc verò ſepulcreti amotâ fœditate per Mæcenatem jam licet frui Eſquiliarum ſalubri aëre; licet hîc habitare quin & deambulare in amœnis hortis, ubi priùs arida mortuorum oſſa triſtem aſpectum dabant.

Eſquiliis] Hæc urbis Romæ regio. Epod. 5. & ult.

Salubribus,] Illuc propterea, & ad hortos Mæcenatianos in Eſquiliis ſecedebant Tiberius ad quietem, Auguſtus verò æger ad valetudinem procurandam. Sueton.

17. *Cùm mihi non tantùm*] In hortis quidem ſedeo amœnitate cœlique temperie pergratis, inquit Priapus: at id mihi moleſtum, quod veneficas inde exterminare nequeo ſepulcra frequentare aſſuetas. Fures aveſque facilè abigo, at non ità improbas anus iſtas.

Fureſque, &c.] Hi ventitabant illuc ad exquiſitos fructus ſurripiendos: *feræ* autem ad projecta ſupplicio affectorum cadavera olim venire aſſuetæ inde vix abſterrebantur: ſemperque ad locum notum, cupitamq: prædam recurrebant.

20. *Has*] Veneficas, Canidiam, Saganam.

21. *Simul ac vaga luna, &c.*] Decorem ſuum oſtentat luna, dum plena eſt; & hoc præſertim tempus ad perpetranda veneficia aſſumunt. Vide Epod 5. & ult.

22. *Oſſa legant*] Paulus juriſconſultus: *qui à ſepulcro corpora extraxerint, vel oſſa eruerint.*

Vide

Ergo ipſe conſpexi Canidiam atrâ veſte ſuccinctam incedere nudis pedibus, crinibus ſolutis, ejulantem cum Saganâ ſeniore. Pallor ambas fecerat viſu terribiles. Humum cœperunt unguibus effodere: moxque diſcerpere dentibus oviculam nigram. Cruor in ſcrobem effuſus eſt, ut hinc umbras evocarent, animas reſponſa reddituras. Porrò *aderat imago lanea, & altera cerea. Grandior lanea, quæ minorem* cercam *plecteret. Cerea ſupplex procumbebat, ſervili ratione quippe mox interitura.* Veneficarum *altera inclamat Hecaten, altera diram Tiſiphonem Tum aſpiceres currere angues, & canes Stygias: lunam verò erubeſcentem ſe abſcondere poſt majora monumenta, nè teſtis adeſſet iſtis* ſceleribus.

Vidi egomet nigrâ ſuccinctam vadere pallâ
Canidiam, pedibus nudis, paſſóque capillo,
Cum Saganâ majore ululantem. Pallor utraſque
Fecerat horrendas aſpectu. Scalpere terram
Unguibus, et pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt. Cruor in foſſam confuſus, ut inde
Manes elicerent, animas reſponſa daturas [589]
Lanea et effigies erat, altera cerea. Major
Lanea, quæ pœnis compeſceret inferiorem.
Cerea ſuppliciter ſtabat, ſervilibus ut quæ
Jam peritura modis. Hecaten vocat altera, ſævam
Altera Tiſiphonen. Serpentes, atque videres
Infernas errare canes; Lunámque rubentem,
Nè foret his teſtis, poſt magna latere ſepulcra.

ANNOTATIONES.

humilioris quidem fortunæ ſummo ſupplicio afficiuntur: honeſtiores autem in inſulam deportantur: aliàs aut releguntur, aut ad metalla damnantur. Vide Epod. ult. ſub finem.

Herbaſque nocentes.] E ſepulchris natas, quaſi ſacras Diis Manibus, proindeque veneficiis idoneas. Menthâ præ cæteris herbis utebantur. Hæc enim dicitur pellex fuiſſe Plutonis, à Proſerpinâ demum concerpta & in herbam ſui nominis transformata. Porrò notandum Mæcenatis hortis non totas Eſquilias occupatas: ſuperfuiſſe verò illic aliquot ſepulchra.

25. *Cum Saganâ majore.*] Hæc Sagana liberta fuit Pomponii Senatoris, qui à Triumviris proſcriptus eſt: habuit verò ſororem natu minorem ſe. Ita vetus Commentator.

28. *Ut inde Manes elicerent,*] Cruore ſcilicet ebibendo gaudentes. Sic veteribus creditum.

29. *Animas reſponſa daturas*] Necromantia eſt, quâ magi futura per mortuos aut mortuorum umbras rimantur. Vide Epod. ult. in fine, ibique annot. l. 1. Reg. c. 28. Saul rex per Pythoniſſam ſuſcitat impiè animam Samuelis Prophetæ: ab eoque diſcit ſuam ſuorumque perniciem proxime futuram. *Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, &c.*

30. *Lanea & effigies erat, &c.*] Erat ibi effigies duæ, una lanea, altera cerea. Hanc minorem altera major affligebat, vexabat, verberabat, perdere volebat. Nam & ſic cum cruciatu homines enecant veneficæ. Unde Ovid. Epiſt. 6. v. 89.

Per tumulos errat paſſis diſcincta capillis,
Certaque de tepidis colligit oſſa rogis.
Devovet abſentes, ſimulacraque cerea fingit,
Et miſeram tenues in jecur urget acus.

32. *Cerea ſuppliciter ſtabat.*] Hæc repræſentans eum quem perditum ibant & cupiebant. At laneum ſimulacrum referebat carum veneficis illis caput, quod alterius ſagæ incantamentis liberare & exſolvere contendebant.

33. *Hecaten vocat altera*] Canidia invocat Proſerpinam umbrarum dominam, ſacrorum magicorum præſidem; dictam *Hecaten* ſeu quòd victimis centum placaretur, ſeu quòd annos centum errare faciat inſepultos. Ità Servius. Alii quòd centum, id eſt, varias habeat virtutes & poteſtates. Nam & idcircò *tergemina Hecate* vocatur à Virgilio Æneid. 4. Eſt nempè Luna in cœlo, Diana in terris, Proſerpina in inferis. Alii etiam aliter, quòd Hecatos dicatur Apollo, hinc ejus ſoror Hecate appellatur, inquiunt, ab ἑκάς longè, quaſi radios eminùs ad nos vibrans.

34. *Altera Tiſiphonem.*] Sagana vocat Tiſiphonem unam è Furiis, à plectendis cædibus ità nominatam.

Serpentes, atque videres Infernas errare canes,] Canæ infernæ adventantem Proſerpinam præcurrendo annunciabant: ſerpentes autem Tiſiphonen. Duas enim illas ejuſmodi aſſeclæ nunquam non comitantur. Furiarum capillos ſerpentibus implexos, manuſque pariter armatas finxere.

35. *Lunamque rubentem,*] Pudore ſuffuſum, & abhorrentem à talibus flagitiis veneficiiſque.

36. *Poſt magna latere ſepulchra.*] Hinc patet, quod antè jam annotavi, ad Eſquilias & hortos Mæcenatis, propè extitiſſe quampiam adhuc monumenta, quamvis alia diruta fuiſſent atque ſubmota.

Mentior

Mentior at ſi quid, merdis caput inquiner albis [590]
Corvorum; atque in me veniant mictum atque cacatum
Julius, et fragilis Pedacia, fúrque Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbræ cum Saganâ reſonarent triſte et acutum?
Utque lupi barbam variæ cum dente colubræ
Abdiderint furtim terris, et imagine cereâ
Largior arſerit ignis? et ut non teſtis inultus
Horruerim voces Furiarum et facta duarum? [591]
Nam, diſploſa ſonat quantum veſica, pepedi
Diffiſſâ nate ficus. At illæ currere in urbem,
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum

Quod ſi aliquid mentiar, conſpurcetur meum caput, merdis albis corvorum: ac mictum & cacatum ſuper me veniat Julius, mollis Pedacia, & Voranus fur. Quid referam ſingula? Quemadmodum alternatim colloquerentur animæ cum Saganâ, voce tenui & ſtridula? Quomodo clam humo infoderint barbam lupi, & dentes colubræ maculoſæ: utque *ignis ingens corripuerit effigiem ceream: denique quo pacto aversatus ſim præſens, atque vindicaverim verba & actiones amborum Furiarum i*ſtarum? *Etenim quanto ſo*nitu *crepat veſica diſrupta*; tanto ego *ficulnus* olim truncus *diviſis natibus crepui.* Protinùs *autem illæ* veneficæ *fugere in urbem* cœperunt. Tumque *non ſine ludibrio & cachinnis aſpexiſſes Canidiæ dentes, ac ſublimem Saganæ comam.*

ANNOTATIONES.

37. *Merdis caput inquiner albis Corvorum;*] Huc facit quod in Epigram. antè cit. ad Priapum ſcribit Tibullus:

Abegimuſque voce ſæpè, cum tibi
Senexve corvus, impigerve graculus
Sacrum ferires ore corneo caput.

Arnobius autem l. 6. diſerte. *Non videtis ſub iſtorum ſimulacrorum cavis ſtelliones, ſorices, mures, blattaſque lucifugas nidamenta ponere atque habitare? ſpurcitias huc omnes conducere. . . . . . In ore ſimulacri ab araneis ordiri retia, atque inſidioſos caſſes quibus volatus innectere ſtridulorum poſſint impudentiumque muſcarum? Hirundines intrà ipſos ædium circumvolantes tholos, jacularier ſtercoris plenas; & modo ipſos vultus, modo numinum ora depingere, barbam, oculos, naſos, aliaſque omnes partes, in quaſcunque ſe detulerit deonerati proluvies podicis?*

39. *Julius, &c.*] Quidam luxuriè perditus, cætera minimè notus.

Pedacia.] Muliebri nomine ob mollitiem & impudicitiam vocat per contemptum & ludibrium. Is Pedacius, vel Pediacius, dicitur fuiſſe Eques Romanus, ſuum verò patrimonium abligurîſſe, flagitioſiſque poſteà libidinibus ſerviſſe.

Furque Voranus.] Iſte fuit Q. Luctatii Catuli libertus, furax & aſtutus apprimè: qui cùm nummulario cuidam ſurripuiſſet aliquot nummos, hos calceis inſeruit abſconditque. Deprehenſo verò ad calceos alludens quiſpiam ſubridenſque ait: Belle, ſi te non ἐγχαλκεύσει, id eſt, verberibus tanquam æs tundat ac recudat.

41. *Triſte & acutum?*] Sic Æneid. 6. v. 492. umbras ſeu animas Græcorum apud inferos Æneam videndos obſtupeſcunt, *pars vertere terga. . . . pars tollere vocem exiguam*, id eſt, exilem, lugubrem, deductam unde & *ineptus clamor fruſtratur hiantes.* Ibid.

42. *Lupi barbam*] Egregiè Marcilius, *vide*, inquit, *offucias magicæ artis:* barba lupi veneficium: ac roſtrum lupi veneficiis reſiſtit, atqui barba lupi in roſtro. Plin. l. 28. c. 10. *Veneficiis roſtrum lupi reſiſtere inveteratum aiunt, ob idque villarum portis præfigunt.*

43. *Imagine cerea Largior arſerit ignis?*] Virgil. Eclog. 8. v. 105.

Aſpice, corripuit, tremulis altaria flammis.
Sponte ſuâ dum ferre moror cinis ipſe, bonum ſit.

Ergò hic indicatur pernicies ejus, in quem veneficia fiebant, quique imagine cereâ adumbratus erat. Abſurdè quidam putant ignem adfuiſſe, & liqueſcente cerâ exarſiſſe. Imò cit. Virgilii locus contrarium docet: verbaque iſta clare oſtendunt, *ſponte ſuâ.*

45. *Furiarum duarum?*] Canidiæ & Saganæ Furiis ſimilium.

47. *Diffiſſâ nate.*] Ità lignum recens & adhuc viride, ſi in opus fingatur, finditur & crepat.

Ficus.] Ego Priapus ex arbore ficu deus factus.

At illæ currere in urbem.] Ridicula omnia. Inſignes veneficæ, omnibus terribiles levi peditu terrentur, ac fugantur.

48. *Canidiæ dentes, &c.*] Tanto pavore percelluntur illæ, ut excidant Canidiæ edentulæ appoſiti *dentes:* Saganæ verò glabræ ſeu calvæ coma ex alienis capillis addita.

Altum caliendrum.] Adulterini capillitii ſuggeſtum, ut vocat Papinius, Juvenal. Sat. 6.

Exci-

decidere, herbas item & licia brachiis faſcinata.

Excidere, atque herbas atque incantata lacertis
Vincula, cum magno riſúque jocóque videres.

ANNOTATIONES.

v. 501. *compagibus altum Ædificat caput.* Hinc patet novum non eſſe, quod noſtro ſeculo in mulieribus videmus; atque olim etiam in earum capitibus inſanas capillamenti ſubſtructiones extitiſſe.

Galiendrum.] Κάλλυντρον ſive κάλυντρον eſt *ornamentum*, Κάλυπτρον *operimentum*. Hoc alii interpretantur crinem hypocriticum vel ſuppoſititium; alii reticulum, redimiculum, galericulum: vetus Interpres, peplum capitis, ſeu ornamentum. Varro etiam hanc uſurpat vocem in lib. qui inſcribitur *Virgula divina.* Arnobius item lib. 6.

50. *Vincula.*] His hominum animos illigabant, vinciebant, detinebant. Virgil. Eclog. 8. v. 73.

Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circumdo,——

SATIRA IX.

Deſcribit obvii cujuſdam importunam & obſtinatam loquacitatem.

Pergebam caſu per viam ſacram, nugas neſcio quas, ut ſoleo, mente verſans; iis plenè intentus. Accurrit quidam nomine duntaxat mihi cognitus atque apprehenſâ manu mea, ait: Quomodo te habes omnium ſuaviſſime? Reſpondi: Benè, nunc quidem: tibi pariter apprecor cuncta quæ exoptas. Cùm verò me ſequeretur, præveniens dixi: An aliud quidpiam expoſcis à me? Mox ille, ut me cognoſcas, inquit: ſum eruditus. Tum ego: Eò majoris à me æſtimaberis. Vehementer autem abire cupiens jam velocius incedebam, identidem ſubſiſtebam: famulo neſcio quid in aurem inſuſurrabam: interea ſudor ad imos talos defluebat.

IBam fortè viâ ſacrâ, ſicut meus eſt mos,
Neſcio quid meditans nugarum, totus in illis: [59²]
Accurrit quidam notus mihi nomine tantùm;
Arreptâque manu, Quid agis, dulciſſime rerum?
Suaviter, ut nunc eſt, inquam; et cupio omnia quæ vis.
Cùm aſſectaretur, Num quid vis? occupo. At ille,
Nôris nos, inquit; docti ſumus. Hîc ego: Pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Miſerè diſcedere quærens,
Ire modò ociùs; interdum conſiſtere; in aurem
Dicere neſcio quid puero. Cùm ſudor ad imos

ANNOTATIONES.

1. *Viâ ſacrâ.*] De eâ Epod. 4. v. 7. & Epod. 7. v. 8. Vide ibi Annot.

2. *Nugarum.*] Verſiculorum.

4. *Arreptâque manu,*] Quaſi valdè familiaris & conſuetus, quamvis nomine vix Horatio notus: ergò imprudenter & inepte

5. *Suaviter, ut nunc eſt, &c.*] Indolem Horatii bonam, imò egregiæ fructum educationis in eo conſidera, qui hominem paſſim moleſtum quin & pertinaciter importunum æquo fert animo, nihilque durum illi aut inurbanum reponit. Quod quidem deinceps animadverte.

Cupio omnia quæ vis?] Ita loquebantur olim ad amicos.

6. *Num quid vis?*] Hæc erat dictio abire volentium, ne id durè facere viderentur: ut obſervat Donatus in Terent. Eunuch. Act. 2. Scen. 3. ad hæc verba:

Dum hæc dicit, abiit hora. Rogo, num quid velit?
Rectè, inquit. Abeo.

7. *Nôris.*] Cupio ut nôris me: ſum enim doctus. O inſulſam orationem!

10. *Cum ſudor ad imos Manaret talos;*] Præ animi angore & æſtu.

Manaret

Manaret talos; O te, Bollane, cerebri
Felicem: aiebam tacitus! Cùm quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret; ut illi
Nil reſpondebam: Miſerè cupis, inquit, abire, 14
Jamdudum video: ſed nil agis: uſque tenebo: [te
Perſequar: hinc quo nunc iter eſt tibi? Nil opus eſt
Circumagi: quemdam volo viſere, non tibi notum:
Trans Tiberim longè cubat is, prope Cæſaris
hortos. [593]
Nil habeo quod agam, et non ſum piger: uſque
ſequar te.
Demitto auriculas, ut iniquæ mentis aſellus,
Cùm gravius dorſo ſubiit onus. Incipit ille: 21
Si benè me novi, non Viſcum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me ſcribere plures
Aut citius poſſit verſus? quis membra movere
Molliùs? invideat quod et Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat: Eſt tibi mater, 26
Cognati, queis te ſalvo eſt opus? Haud mihi
quiſquam:
Omnes compoſui. Felices! nunc ego reſto:
Confice: namque inſtat fatum mihi triſte, Sa-
bella [594]

Cogitabam apud me: quàm beatus tu Bollane tali cerebro! Cùm verò iſte quidvis effutiret, laudaret civitatem ac regiones: quòd nihil reſponſi facerem, ait: Sollicitè quæris diſcedere; jam pridem intelligo: verùm operam perdis: ſemper adhærebo: aſſectabor: quò jamjam iſtinc contendis? Cui ego, *Nequaquam neceſſe eſt te circumduci: aliquem inviſere cupio tibi minimè cognitum: hic procul manet, ultra Tiberim, juxta hortos* Julii *Cæſaris.* Ille verò: *Nihil agendum inſtat mihi, neque ſum deſes: quolibet te comitabor,* Tum ego *deprimo aures velut aſinus impatiens, quando plus ſolito oneris tergo imponitur. Ille autem exorſus eſt: Si me benè cognoſco, non Viſcum, non Varium cariorem me familiarem habebis. Ecquis enim verſus plures ac velociùs quàm ego facere valeat? Quis ſaltare decentius? Ego ſic cano ut etiam Hermogenes invideat. Hæc erat occaſio interrumpendi.* Itáque aio illi: *Habeſne matrem aut propinquos, quibus neceſſaria ſit tua ſalus?* Reſpondit: *Nemo ſupereſt mihi: cunctos ſepelivi.* Tum ego tacite; *illi fortunati: miſer ego jam vivo: interfice. Enimvero urget fatum lugubre, quod puero mihi Sabella*

ANNOTATIONES.

11. *Bollane,*] Is ἀκρόχολος, iracundus, ſtomachoſus, atque, ut ait noſter Sat. 5. præced. cerebroſus, nugaces & ineptos quoſque verbis aſperis amoliebatur ſtatim, & abire procul à ſe abigebat, loquacitatis & loquacium omnino impatiens.

14. *Miſerè cupis, inquit, abire, &c.*] Confer impudentem hunc garruli ſermonem cum Horatii modeſtâ reſponſione, *nil opus eſt te circumagi, &c.* Gal. *c'eſt vous donner trop de peine.*

18. *Cubat.*] Sunt qui interpretentur, ægrotat: ficut Sat. 3. lib. 2.

Mater ait pueri menſes jam quinque cubantis.

Propè Cæſaris hortos.] Longinquam proponit urbis regionem, ad abigendum garrulum, ſed fruſtra. Sueton. in Jul. Cæſar. c. 83. *Populo hortos circa Tiberim publicè & viritim trecentos ſeſtertios legavit.* Tiber. c. 72. *Triremi uſque ad proximos Naumachiæ hortos ſubvectus eſt: diſpoſitâ ſtatione per ripas Tiberis, &c.* Vide & Plutarch. in M. Bruto, ubi ſcribit, cùm teſtamento Cæſar civi cuilibet ſeptuaginta & quinque drachmas legaviſſet; præterea verò etiam *hortos, qui trans Tiberim erant,* ubi nunc eſt Fortunæ templum, ingentem eſt benevolentiam & admirabile deſiderium omnibus fuiſſe.

20. *Demitto auriculas, &c.*] Metaphora à jumentis, quæ aures demittendo oſtendunt ſuam defatigationem, ac velle ſe excutere impoſitum onus. Plin. l. 11. c. 37. *Aures in equis & omnium jumentorum genere indicia animi præferunt; feſſis marcidæ, micantes pavidis, ſubrectæ furentibus, reſolutæ ægris.*

22. *Viſcum, Varium.*] Hi duo fuerunt eximii Poëtæ, ingenio & eruditione clari; Horatio certè amiciſſimi. De Viſco poſteà. Sat. ſeq. & alibi. De Vario Sat. 5. præced. item l. 1. Od. 6.

25. *Hermogenes,*] Cantor famoſus, de quo Sat. 3. præcedenti.

26. *Eſt tibi mater, &c.*] Callidè vult Horatius monere garrulum, ut ſuæ ſaluti conſulat in gratiam propinquorum, neve ſine causâ ita ſe circumagat ac defatiget, quin potiùs ipſe ſe tantum virum totque & tam eximiis dotibus inſignem familiæ ſuæ diu conſervet.

28. *Omnes compoſui.*] De hujus vocis ſignificatione dixi, ad Perſ. Sat. 3. v. 104.

Felices!] Qui nimirùm tuâ garrulitate & ineptiis ſunt liberati. At ego miſer *reſto* diſcruciandus à te ac jugulandus.

29. *Sabella*] Nutrix Horatii natione Sabella, vaticinandi perita. De Sabinis ſive

Quod

vetula præſagiit commotâ urnâ divinans. Iſtum, aiebat, *nec ſæva toxica, nec gladius hoſtilis interimet; nec laterum dolor, vel tuſſis, nec iners podagra: occidet vero loquax aliquando tandem.* Ergò *ubi primùm ætate adultâ erit, fugiat garrulos, ſi prudens eſt. Deveneramus ad* templum *Veſtæ transactâ jam parte diei quartâ: & fortè debebat tunc vadato reſpondere, vel causâ cadere, niſi* vadimonium *obiiſſet. Dicit* verò: *Quæſo paulum iſtic* me *adjuva.* At ego: *Moriar, ſi valeo ſtare vel ſcio leges civiles.*

Quod puero cecinit divinâ mota anus urnâ:
Hunc neq; dira venena, nec hoſticus auferet enſis,
Nec laterum dolor, aut tuſſis, nec tarda podagra:
Garrulus hunc quando conſumet cumq. Loquaces
Si ſapiat, vitet, ſimul atque adoleverit ætas.
Ventum erat ad Veſtæ, quartâ jam parte diei
Præteritâ; & caſu tunc reſpondere vadato
Debebat; quod ni feciſſet, perdere litem.
Si me amas, inquit, paulùm hîc ades. Inteream, ſi
Aut valeo ſtare, aut novi civilia jura:

ANNOTATIONES.

Samnitibus artium ejuſmodi vanarum anteſignanis, dixi in Epod. 87.

30. *Divinâ motâ anus urnâ:*] Sortilega mulier & fatidica conjectis in urnam ſortibus commotis, eductis, fatum eliciens & futura prædicens. Iſta divinandi ratio viguit tum apud Græcos, tum apud Romanos. Sic autem peragebatur. Habebantur literæ dictioneſque permultæ, quæ permixtæ in urnâ, & mox eductæ vel effuſæ, ſi quid exprimerent caſu & forte conjunctæ, id eſſe in fatis divinitus præmonſtrari credebantur. *Sortes, taleolæ aut ſurculi à ligno fuêre non grandes: quibus literæ ad divinandum inſculptæ, ſive notæ. Eæ privatim habitæ, eæ publicè. Sed quæ in publico, in primis religioſæ & canâ quadam veritate ſacræ, in templis ſervabantur in arcâ reconditæ, tæniis vittiſque laneis ſeorſum involutæ.* Hæc J. Lipſ. Elect. 2. c. 12. ubi *attenuatas* ſponte ſortes apud Liv. mox citand. ingenioſè corrigit *extæniatas*, id eſt, tæniis vittiſque ſolutas. Sortes Præneſte inventas refert Cicero 2. de Divin. n. 86. ubi originem earum pariter ac vanitatem excutit. *Hoc genus divinationes vita jam communis exploſit. Fani pulchritudo & vetuſtas Præneſtinarum etiam nunc ſortium nomen retinet, atque id in vulgus. Quis enim magiſtratus, aut quis vir illuſtrior utitur ſortibus? Cæteris verò in locis ſortes planè refrixerunt.* Hæc ille ibidem: & paulò antè. *Quid ſors? Idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras. Quibus temeritas & caſus, non ratio vel conſilium valet. Tota res eſt inventa fallaciis, aut ad quæſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem.* Sueton. Tiber. c. 63. Præneſtinarum ſortium majeſtate deterritum aliquando Tiberium ſcribit T. Livius initio. l. 22. inter prodigia quædam & hoc refert: *Sortes ſuâ ſponte attenuatas unamque excidiſſe itâ ſcriptam:* MAVORS TELUM SUUM CONCUTIT: *& per idem tempus Romæ ſignum Martis Appiâ viâ ſudâſſe.*

31. *Hunc neque dira venena, &c.*] Verba ſunt mulieris de Horatio puero vaticinantis.

32. *Laterum dolor,*] Pleuritis Cic. de Orat. 3. n. 6. *Craſſus cum febri domum rediit, dieque ſeptimo eſt lateris dolore conſumptus.*

33. *Loquaces*] Vide Plutarch. de Garrulitate, ubi ſtatim initio pronunciat illam eſſe morbum curari difficilem.

35. *Veſtæ,*] Ædem Romæ habebat Veſta ad clivum Capitolium inter Palatium & Capitolium. Varro, Feſtus, &c. Cic. de Nat. Deor. l. 2. n. 67. de Veſtâ diſſerit. *Hæc Dea,* inquit, *eſt rerum cuſtos intimarum. . . . . Græcis* ἑςία *dicitur. . . Ejus vis ad aras & focos pertinet. . . . . Non abſunt longè ab eâ Dii Penates, &c.*

Quartâ jam parte diei] Diximus alibi diem naturalem horas ſeu partes duodecim complecti, ſcilicet ab ortu Solis ad occaſum. Ergò diei pars quarta hora tertia Romæ dicebatur, & reſpondet noſtræ nonæ matutinæ. Fortè quod ſequitur, *& caſu tunc reſpondere vadato. Debebat,* explicatur per Martial. Epigram. 8. l. 4. ubi conſuetæ Romanis occupationes ad horas ſingulas notantur.

Prima ſalutantes atque altera continet hora.
Exercet raucos tertia cauſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies laſſis, &c.

36. *Reſpondere vadato Debebat;*] Garrulus in jus à quodam vocatus erat, vadeſq; dederat: ergo niſi adfuiſſet, vades ejus ac fidejuſſores condemnati ipſum poſteà egiſſent reum, ex lege.

38. *Paulùm hîc ades*] In judicium veni quæſo mecum, ad proximum tribunal Prætoris, ibique me juva contra adverſarium.

Si valeo ſtare,] Infirmis ego cruribus haud valeo diu ſtans manere, in foro ante Prætorem; ubi ſedere non licet. Alii *ſtare* interpretantur, ſtare in jure, ſeu contendere ac depugnare contra adverſarium, ut faciunt Juriſconſulti, patroni, cauſidici.

39. *Aut novi civilia jura:*] Non ſum idoneus ad ſuggerenda tibi verba legis ac juris cauſæ tuæ faventia; proindeque tibi adeſſe nequeo.

Et

Et propero quò ſcis. Dubius ſum quid faciam, inquit;
Téne relinquam, an rem. Me, ſodes. Non faciam, ille:
Et præcedere cœpit. Ego, ut contendere durū eſt
Cum victore, ſequor. Mæcenas quomodo tecum?
Hinc repetit. Paucorum hominum, et mentis bené ſanæ.
Nemo dexteriùs fortunâ eſt uſus. Haberes
Magnū adjutorem, poſſet qui ferre ſecundas, [596]
Hunc hominem velles ſi tradere: diſpeream, ni
Summôſſes omnes. Non iſto vivimus illic
Quo tu rere modo: domus hac nec purior ulla eſt,
Nec magis his aliena malis: nil mî officit unquam,
Ditior hic, aut eſt quia doctior: eſt locus uni
Cuique ſuus. Magnum narras, vix credibile. Atqui
Sic habet. Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus eſſe. Velis tantummodò: quæ tua virtus,
Expugnabis; et eſt qui vinci poſſit: eóq; [597]

adde quòd feſtino illuc *quò noſti.* Tum *ille ait: Incertus ſum quid agam, an te deſeram, an litem.* Cui ego: *Me, obſecro Nequaquam,* inquit *iſte; & cœpit præire. Ego, quoniam cum fortiori pugnare arduum eſt, ſequor. Inde* verò ſermonem ille *reſumit: Mæcenas quomodo tecum* agit? *Paucos amicos* recipit, inquam: *& certè ſapit.* Ille: *Nemo unquam uſus eſt fortunâ callidius quàm tu. Næ tu magnum auxiliatorem haberes, ſecundas quidem* partes *agendi peritum, ſi velles* ad Mæcenatem *perducere hunc virum; moriar, niſi cunctos amoliri* poſſes. Ego verò: *Minimè eâ ratione quâ putas illic agimus: nulla domus ab ejuſmodi malis eſt purgatior aut remotior quàm illa; nihil unquam nocet mihi, quòd alius opulentior adfuerit vel doctior: ſuum quiſque gradum obtinet.* Tum garrulus: *Rem* ſanè *magnam dicis, &* quæ propè *ſupra fidem* fit. *Verum enim ità eſt,* inquam. Mox ille: *Inflammas ut ardentiùs velim ad eum accedere.* Reſpondeo; *Satis eſt cupias: vinces, pro tuâ virtute: atque* is *eſt qui expugnari queat; ideoque*

ANNOTATIONES.

40. *Propero quò ſcis.*] *Volo viſere* hominem *quemdam,* ut antè dixi, *propè hortos Cæſaris* habitantem. Viam itaq; ſat longam obire *propero.*

41. *Me, ſodes,*] Me relinque potiùs quàm rem tuam.

Non faciam,] Minimè verò te relinquam. Scilicet ſperabat garrulus per Horatium adipiſci Mæcenatis familiaritatem, quod pluris æſtimabat perdendâ lite.

43. *Mæcenas quomodo tecum?*] Sermocinationem inde repetit ille: Eſtne ſemper amicus tibi Mæcenas?

44. *Paucorum hominum,*] Non cuivis ſe familiarem exhibet: paucos admittit in ſuam amicitiam. Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 16. *Paucorum hominum eſt iſte accipenſer.* Ex Cicerone, de Fato.

45. *Nemo dexteriùs fortunâ eſt uſus.*] Tu bellè admodum uſus es fortunâ, qui Mæcenatem ità demerueris. Quod ſi me ad ipſum perduceres, juvarem te mirum in modum: nec primas antè te captarem unquam, nec uſpiam tibi officerem: imo alios omnes hoc pacto facilè ſummoveres, primumque locum tu conſequereris. Hæc garrulus ad Horatium.

46. *Poſſet qui ferre ſecundas,*] Metaphora à Scenicis ludis & actoribus. Hâc pariter utitur Cicero Divinat. in Verrem, n. 48, & huic loco dabit lucem. *Qui princeps in agendo eſt, ornatiſſimus & paratiſſimus eſſe debet. . . . Apuleium eſſe video proximum ſubſcriptorem . . . . deinde habet Allienum; hunc tamen à ſubſelliis. . . . . Ac nè is quidem tantum contendet in dicendo, quantum poteſt: ſed conſulet laudi & exiſtimationi tuæ; & ex eo quod ipſe poteſt in dicendo, aliquantum remittet, ut tu tamen aliquid eſſe videare. Ut in actoribus Græcis fieri cernimus; ſæpè illum qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium, cum poſſit aliquanto clariùs dicere quàm ipſe primarum, multum ſummittere, ut ille princeps quam maximè excellat; ſic faciet Allienus; tibi ſerviet, tibi lenocinabitur; minùs aliquanto contendet quàm poteſt.*

47. *Hunc hominem*] Seipſum indicat ac digito monſtrat garrulus. Plaut. Bacchid. *Hunc hominem decet auro expendi.*

Tradere:] Commendare, Mæcenatis amicitiam conciliare.

48. *Non iſto vivimus, &c.*] Reſpondit Horatius. Alia eſt longè conditio amicorum Mæcenatis. Ab his procul exulant mala & peſtes quibus ſolent ædes magnatum vexari & corrumpi. Inde verò abſunt omnis ambitio, invidia, æmulatio, criminationes, inſidiæ, ſupplantationes. Supra Sat. 6. Mæcenatem dixit *cautum dignos aſſumere, pravâ ambitione procul.*

54. *Velis tantummodo: &c.*] Non ſine ſalſâ deriſione fatuum, vanum & arrogantem hominem palpat Horatius, ab illo expugnandam facilè amicitiam ſpondens Mæcenatis.

difficilem præſtat priorem acceſſum. Diligentiam adhibebo, inquit ille: *famulos donis captabo: ſi hodie repulſum patior, minime abſcedam: occaſionibus inſidiabor: obviam ibo in plateis: comitabor. Nihil ſine magnis ærumnis vita hominibus largitur. En* verò, *dum iſta verſat* iſte, *occurrit Fuſcus Ariſtius mihi dilectus, & qui probè cognoſcebat hunc* garrulum. *Subſiſtimus. Unde venis? & quo vadis? quærit, ac reſpondet. Cœpi vellicare & ſtringere brachia molliſſima, innuens, oculos torquens, ut me liberaret.* Hic verò *malignè verſutus ridet ac diſſimulat: bilis autem uret jecur meum.* Porrò addidi: *Dicebas profectò velle te mecum neſcio quem arcanum conferre ſermonem. Recordor ſanè,* ait; *ſed tempore loquar aptiori: hodie triceſima ſabbata ſunt. An velles*

Difficiles aditus primos habet. Haud mihi deero:
Muneribus ſervos corrumpam: non hodie ſi
Excluſus fuero, deſiſtam: tempora quæram:
Occurram in triviis: deducam. Nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus. Hæc dum agit,
ecce 60
Fuſcus Ariſtius occurrit mihi carus, et illum
Qui pulchrè nôſſet. Conſiſtimus. Unde venis? et
Quo tendis? rogat, et reſpondet. Vellere cœpi,
Et prenſare manu lentiſſima brachia, nutans, 64
Diſtorquens oculos, ut me eriperet. Malè ſalſus
Ridens diſſimulare: mecum jecur urere bilis.
Certè neſcio quid ſecretò velle loqui te
Aiebas mecum. Memini benè; ſed meliori [598]
Tempore dicam: hodie triceſima ſabbata: vin'tu

ANNOTATIONES.

55. *Eoque Difficiles aditus primos habet.*] Eò quod nôrit ſe vinci paulo faciliorem: ironicè. Alii perperam pro antecedenti dictione *poſſit*, legunt, *poſcit*: & hic intelligunt, Mæcenatem aſſiduis officiis & obſequiis vinci amantem ac poſcentem adeuntibus ſe præſtare difficilem, ut accendat magis ſtudium ambiendi ſuam familiaritatem & conſuetudinem, quam ſcit amœniſſimam. Apage iſta quæ omnino pugnant cum indole Mæcenatis, quam hic et alibi commendat Horatius.

56. *Difficiles aditus primos habet.*] Vide ſuprà Sat. 6. v. 60. & ſeq.

Haud mihi deero, &c.] Potiundæ jam rei ſpe accenſus ille pollicetur diligentiam ſuam non defore, ſed quàm ſtultam & futilem, animadverte.

57. *Muneribus ſervos corrumpam.*] Ità plerique ad procerum ædes penetrabant, ſervis munera largiendo.

Juvenal. Sat. 3. v. 184.

—*Quid das ut Coſſum aliquando ſalutes?*

59. *Nil ſine magno Vita labore, &c.*] Pulchra ſed malè collocata ſententia ut ait Landinus. Ex Epicharmo.

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντ' ἀγαθὰ θεοί.

Laboribus vendunt nobis omnia bona Dii.

61. *Fuſcus Ariſtius.*] Nobilis ille Grammaticus, ad quem eſt inſcripta Od. 22. l. 1. & Epiſt. 10. l. 1.

63. *Rogat & reſpondet.*] Interrogat me Fuſcus *unde venis? & quo tendis?* atque mihi ſimilia roganti *reſpondet.*

Vellere cœpi, Et prenſare manu, &c.] Quos nobis adeſſe gaudemus, & à quibus auxilium ſperamus, eorum prenſamus manus & brachia præcipuè cum angimur, nec apertè licet conqueri. Cruq.

64. *Prenſare*] Legunt alii, *preſſare.*

Lentiſſima brachia,] Malignè cedentia, illo diſſimulante intelligere quid vellem. Alii non malè interpretantur, ſegnia, tarda, ſtupida, quæ vellicatione & prenſatione non movebantur. Quo ſignificatur frigida mens Ariſtii amico laboranti ſubvenire detrectantis. Cic. ad Attic. *Nihil ego illo novi impudentius aſtutius, lentius,* Sueton. Tiber. 57. *Sæva & lenta natura ne in puero quidem latuit.*

Nutans, Diſtorquens oculos,] Nutibus oculiſque ſignum dans.

67. *Certe neſcio quid ſecreto, &c.*] Horatius inſtat rurſum ut ſibi Ariſtius ſuccurrat; ſed hic omnes ejus eluctatur conatus, ridens, diſſimulans, denique *malè ſalſus.*

69. *Hodie triceſima ſabbata:*] Hodie Judæi ſolemne feſtum celebrant, quo intermitti omne negotium fas eſt. His ego adſtipulor; quare nec morari, nec ſermones tecum conferre licet.

Triceſima ſabbata:] Quidam explicant Neomeniam, quòd novilunio ſabbatum magnum Judæis haberetur. Pſalm. 80. *Buccinate in Neomeniâ tubâ, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Alii interpretantur Calendas menſis Niſan, qui primus in æquinoctio verno dies habebat triginta. Alii inte.. gunt maximum ſabbatum

Curtis

Curtis Judæis oppedere? Nulla mihi, inquam,
Religio eſt. At mi; ſum paulò infirmior; unus
Multorum; ignoſces; aliàs loquar. Hunccine ſolem
Tam nigrum ſurrexe mihi? Fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Caſu venit obvius illi [599]
Adverſarius; et, Quò tu, turpiſſime? magnâ
Inclamat voce; et, Licet anteſtari? Ego verò
Oppono auriculam; rapit in jus. Clamor utrinq;
Undique concurſus. Sic me ſervavit Apollo.

recutitis Judæis oppedere? Haud religioni duxero, inquam. Ego verò ducam, ait; *ſum paulò ſuperſtitioſior,* atque *pluribus ſimilis: indulge* mihi: *aliàs alloquar.* Tum demum ego: Ergone merui *diem hunc adeò funeſtum mibi eſſe?* Interim *fugit malignus, ac me ſub gladio deſeruit.* Verùm ecce *adverſarius iſti* garrulo *fortè occurrit,* ſtatimque *vociferatur; Ecquò nempè tu, viliſſime, abis?* ad me *vero, Potes teſtis eſſe? Ego mox aurem offero.* Tum hic illum *ad judicium trahit. Exclamant ambo. Hinc & inde* plebs *affluit. Ità me Apollo liberavit:*

ANNOTATIONES.

& vetus Paſcha, quo agnum comedebant ritu ſanctiſſimo. Quare verò *tricesſima?* Quod reverâ ab anni Judæi principio triginta numerentur hebdomades ad illam ſolemnitatem: videlicet à Septembri menſe quem *Tiſri* vocabant ad dimidium fere Aprilis, *Niſan*; quo Paſcha celebrabant. De ſabbato Judæorum differui ad Juvenal. Sat. 6. v. 158. & Perſ. Sat. 5. v. 184.

70. *Curtis.*] Vide Sat. 5. in fine, annot. ad iſtas voces, *Judæus Apella.*

Oppedere.] Vox ridicula ad contemptum appoſita. Tò *καταπέρδειν* ventris crepitum emittere contra, id eſt, reſpuere, aſpernari, ludibrio habere.

Nulla mihi, inquam, Religio eſt.] Sanè Judaicos ritus ſine religione violarim, illoſque flocci facio, inquit Horatius.

71. *At mi;*] Reſpondet Ariſtius: Ego contrà, mores Judæorum colo, unde religio mihi eſſet hodiernum feſtum cum illis non celebrare.

Unus multorum;] Εἷς τῶν πολλῶν, unus è plebe, ejus ſimilis ego, pariter infirmus & ſuperſtitioſus: ſi libet, ità me appella: at mihi veniam dabis, Horati, ſi in hoc tibi contradicam.

73. *Surrexe.*] Vide ſuprà Sat. 5. v. 79. ad vocem *erepſemus.*

76. *Et, Licet anteſtari?*] Et converſus ad me, dixit, Vis anteſtari? Cui libentiſſimè annui, ac de more aurem obtuli tangendam. Lex xii Tab. ità jubebat: *Si in jus vocatus, ni it, anteſtatus manus injicito: aurem anteſtati capito:* vel, ut habet J. Lipſ. Epiſtolic. Quæſt. l. 4. Epiſt. 26. *Si vis vocationi ſuat, anteſtaminor: ni it, aurem capito anteſtati.* Quod ſic ille ibid. explicat: in anteſtatione, inquit, actor imam auriculam tangebat anteſtati, addens hoc verbum, *Memento.*

77. *Oppono auriculam;*] Plin. l. 11. c. 45. *Eſt in aure ima memoriæ locus, quam tangentes atteſtantur,* vel potiùs *anteſtantur:* ut contra Rævardum ex lege & more veteri aſſerit Lipſius modò citatus.

Rapit in jus.] Poſt factam anteſtationem licebat trahere in jus vel reluctantem reum.

78. *Apollo.*] Bonorum is poëtarum tutor ac vindex. Alii reſpici volunt ad Auguſti forum, ubi erat ſtatua Apollinis eburnea eo ipſo in loco, in quo jus dicebatur. Plin. l. 36. c. 5. Juvenal. Sat. 1. v. 128.

Sportula, deinde forum, juriſque peritus Apollo.

SATIRA X.

Quod de Lucilio in quartâ ſuperiori ſcripſerat, in hâc aſſerit & explicat.

Scripſi nimirùm Lucilii carmina ire pede inondito. Ecquis tam ſtultè eſt Lucilii defenſor, ut id minimè concedat? Verùm ille *ipſe eâdem in membranâ laudatur, quòd acerbitate plurimâ civitatem perfricuit. Neque verò, id ei largiens, alia perinde concedam. Hoc etenim pacto mimos etiam Laberii velut pulchra carmina celebrarem.*

NEmpe incompoſito dixi pede currere verſus
Lucili. Quis tam Lucilî fautor ineptè eſt,
Ut non hoc fateatur? At idem quòd ſale multo
Urbem defricuit, chartâ laudatur eâdem, [600]
Nec tamen, hoc tribuens, dederim quoque cætera: nam ſic
Et Laberî mimos, ut pulchra poëmata, mirer.

ANNOTATIONES.

Hoc primùm te, lector, monitum volo, ſpurios octo verſus huic Satiræ præfixos legi in quibuſdam manuſcriptis, quos nè deſideres, hîc apponendos cenſui. Sic habent,

Lucili, quàm ſis mendoſus, teſte Catone
Defenſore tuo, pervincam, qui malè factos
Emendare parat verſus. Hoc lenius ille
Eſt quo vir melior. Longè ſubtilior ille
Qui multum puer, & loris & funibus udis
Exornatus, ut eſſet opem qui ferre poëtis
Antiquis poſſet contra faſtidia noſtra,
Grammaticorum equitum doctiſſimus. Ut redeam illuc.
Nempè, incompoſito, &c.

Horum ſenſus eſt iſte: Si quidem Cato, Lucilii admirator, ejus tamen verſus complures emendare parat, certè non carent mendis. Verùm eſt qui Lucilium Catone meliùs defendat: is nempè qui ſecum defert funes & flagella, quibus percutiat & coerceat eos omnes qui obtrectârint Lucilio & veteribus Poëtis. Et hæc ironicè. Quæ quidem oſtendunt & Lucilium habuiſſe reprehenſores dudum, & pariter fautores etiam *ineptè*, quod ait hîc Horatius.

1. *Nempè incompoſito, &c.*] Hoc certè eſſe legitimum hujus Satiræ ex abrupto exordium ſanxerunt eruditi.

Incompoſito dixi pede, &c.] Lucilium, fateor, reprehendi; dixique duriuſculos eſſe ejus verſus; ſed laudavi pariter quòd vitioſos cives Rom. acriter inſectatus ſit. Uno verbo nec debita negavi elogia, nec indebita conceſſi. Sanctus Hieron. Epiſt. 45. ad Pammach. *mordetur*, inquit, *& Lucilius, quòd incompoſito pede currat, & tamen ſales ejus lepoſque laudantur.*

3. *Ut non hoc fateatur?*] Sic eſt. Sunt qui probent omnia in eo quod aliquâ parte admodum placuit; nolintque fateri nævos ineſſe ei, in quo perfecta quæpiam admirantur. Verumtamen *nihil eſt ex omni parte beatum.*

Sale multo Urbem defricuit. Sanctus Hieronymus Epiſt. 47. de vitand. ſuſp. contub. *ubi illa quondam conſtantia, quâ multo ſale urbem defricans Lucilianum quidpiam retuliſti?* Perſ. Sat. 1. v. 114.

. . . . ſecuit Lucilius urbem:
Te Lupe; Te Muti, &c.

Lege Cic. l. 1. de Finib. n. 9. ubi Lucilii refert verſus. Vide & quæ annotavi ad Perſ. cit.

5. *Nec tamen, hoc tribuens, dederim quoque cætera:*] Ità profectò æquus rerum æſtimator eſt Horatius & rectus judex: quidquid velit Quintil. l. 10. c. 1. ubi, *Lucilius*, inquit, *quoſdam ità deditos ſibi adhuc habet amatores, ut eum non ejuſdem modò operis auctoribus, ſed omnibus poëtis præferre non dubitent. Ego, quantum ab illis, tantum ab Horatio diſſentio, qui Lucilium fluere lutulentum, & eſſe aliquid quod tollere poſſis, putat. Nam eruditio in eo mira, & libertas atque inde acerbitas, & abundè ſalis. Multo eſt terſior ac purus magis Horatius, & ad notandos hominum mores præcipuus.* Senſus Horatii: Tribuens Lucilio quòd ſalibus & acerbitate polleat, non proindè fateor pulchra eſſe, concinna, & perfecta ejus poëmata. Aliàs etiam laudare & mirari oporteret mimos, utpote dicacitate præſtantes.

6. *Laberî mimos,*] Comœdias Laberii ſalibus & facetiis plenas. Sueton. Jul. Cæſar. c. 39. *Ludis mimum ſuum egit Decimus Laberius eques:* & quòd Cæſari admodum placuiſſet, *donatus quingentis ſeſtertiis, & annulo aureo, ſeſſum in quatuordecim è ſcenâ per orcheſtram tranſiit:* Hunc verò tranſitum minimè ferens Cicero, eos ludos tum ſpectans, Laberio ſedile quærenti ait: *Recepiſſem te, niſi anguſtè ſederem:* ſimul & illum reſpuens, & in novum Senatum jocatus, cujus numerum Cæſar ſuprà fas auxerat.

Ergò

Ergò non ſatis eſt riſu diducere rictum
Auditoris: et eſt quædam tamen hîc quoque virtus:
Eſt brevitate opus, ut currat ſententia, neu ſe [601]
Impediat verbis laſſas onerantibus aures:
Et ſermone opus eſt, modò triſti, ſæpé jocoſo,
Defendente vicem modo rhetoris, atque poëtæ,
Interdum urbani, parcentis viribus, atque
Extenuantis eas conſultò. Ridiculum acri
Fortiùs et meliùs magnas plerumq: ſecat res.
Illi, ſcripta quibus comœdia priſca viris eſt, [602]
Hoc ſtabant, hoc ſunt imitandi; quos neq; pulcher

Itàque non ſufficit riſu extendere cachinnos auditoris: quanquam eſt in hoc quoque nonnulla virtus. Brevitas requiritur, ut ſententia fluat, neve ſe involvat dictionibus aures offendentibus & fatigantibus. Item requiritur ſermo nunc ſeverus nunc hilaris, ſuſtinens vices quandoque rhetoris, ac poëtæ, alias faceti, qui vires continet, & illas datâ operâ diminuit. Certe res magnas aliquando jocoſum decidit efficacius & aptius quàm acerbum. Eo pollebant, in eo ſunt imitatione digni homines illi à quibus vetus comœdia condita eſt: quos nunquam

ANNOTATIONES.

Id verò non impunè. Reſpondit enim Laberius: *Mirùm ſi anguſtè ſedes, qui ſoles duabus ſellis ſedere:* exprobrans Ciceroni levitatem & lubricum fidei. Hæc Macrob. Saturnal. l. 2 c. 3. & l. 7. c. 3. Vide ejuſdem l. 2. c. 7. Gell. l. 10. c. 17. & Cic. l. 7. Epiſt. 11.

Mimos.] Mimus erat fabula planè dicax, ab uno actore agi ſolita, nec in plures actus diviſa: ſine exordiis, ſine cantu & geſticulatione. Diomed. Item, eſt factorum cum laſciviâ imitatio: unde nomen à μιμεῖσθαι *imitari.* Gell. l. 17. c. 14. C. *Cæſarem,* inquit, *ità Laberii maledicentia & arrogantia offendebat, ut acceptiores & probatiores ſibi eſſe Publii quàm Laberii mimos prædicaret.*

9. *Ut currat ſententia.*] Nè vel nimia brevitas obſcuram faciat orationem, vel prolixitas verbis pluribus animam legentis oneret & impediat; in quo peccabat Lucilius. Huc pertinet quod Auguſtus Agrippinam neptim admonebat in quadam Epiſtolâ; ejus nempè laudans ingenium, cùm de ſuâ vitâ caſibuſque ſuorum commentarios ſcriberet, aiebat: *Opus eſt dare te operam ne moleſte ſcribas.* Sueton. Octav. c. 86. Tacit. Annal. 4.

12. *Modò rhetoris, atque poëtæ, Interdum urbani.*] Horatius, egregiè ſuo more, tres iſtas virtutes requirit in ſatirographo; defendat vicem *rhetoris,* argumentis pugnando; *poëtæ,* ſolertem & aptam dictionem adhibendo; *urbani,* ſalibus & jocis quædam etiam gravia traducendo ſolvendoque. Cic. 1. de Orat. n. 17. *Accedat lepos quidam, facetiæque, & eruditio libero digna, celeritaſque & brevitas reſpondendi & laceſſendi, ſubtili venuſtate & urbanitate conjuncta.*

13. *Parcendis viribus.*] Sapienter, conſultò, callidè, ſtylum acrem aliquando coërcentis; neque ſemper acerbè excandeſcentis aut mordicus lacerantis. Et hoc vitii habebat Lucilius, qui paſſim *enſe velut ſtricto ardens infremit;* Juvenal Sat. 1. v. 165. atque auditorem ita dente carpit ut etiam *genuinum frangat.* Perſ. Sat. 1. v. 115. Noſter contrà, ut ait ibid. Perſius,

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo

14. *Ridiculum acri Fortiùs, &c.*] Nonnunquàm ſermo hilaris, facetus, ſalſus, feſtivus plus valet & efficit quàm vehemens, gravis, pugnax, dicax, acerbus. Hic enim adverſarium irritat, & vires novas colligere impellit; at ille quaſi nervos ſuccidit, ac proſternit. Gorgias Leontinus dicebat, res ſeveras riſu, riſum rebus ſeveris diſcuti: ex Ariſtot. l. 3. de arte dicendi. Gell. l. 12. c. 12 ita ſcribit: *Hæc quoque diſciplina rhetorica eſt, callide & cum aſtu res criminoſas citra periculum confiteri: ut ſi objectum ſit turpe aliquid, quod negari non queat, reſponſione joculari eludas . . . Ita Cicero, urbano facetoque dicto diluit id quod inficiari non poterat, &c.* Scilicet cùm à Pub Sylla, qui tum reus erat, pecuniam mutuò, ad emendam in palatio domum, accepiſſet, atque hæc ei exprobrarentur; utrumque firmiter negavit: atque tum, inquit, verum ſit accipiſſe me pecuniam, ſi domum emero. At re ſubinde proditâ, emptâq; domo, cùm hoc mendacium in Senatu ei ab inimicis objiceretur, riſit ſatis, reſponditque: *Parum certè conſulti homines eſtis, qui ignoratis prudentis & cauti patris familias eſſe, quod emere velit empturum ſe negare propter competitores emptionis.* Id. ibid. Vide Orat. pro L. Muræna; ubi cavillans aſtutè Cicero adverſarii Catonis auctoritatem eludit vincitque.

16. *Illi, ſcripta quibus, &c.*] Comœdiæ veteris auctores. Eupolis, Cratinus, Ariſtophanes, &c. De quibus Sat. 4. præced.

17. *Hoc ſtabant, &c.*] His virtutibus, quas modò laudavi, excellebant: variâ eruditione, ſententiarum argutâ brevitate, ſatiricum ſalem aptè affricabant acrimoniam ſtyli modò exerentes, interdum cohibentes, & conſultò viribus parcentes, &c.

Hermogenes unquam legit, neque ſimius iſte,
Nil præter Calvum et doctus cantare Catullum.
At magnum fecit, quòd verbis Græca Latinis
Miſcuit. O ſeri ſtudiorum! quîne putetis [603]
Difficile et mirum Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? At ſermo linguâ concinnus utrâque
Suavior: ut Chio nota ſi commiſta Falerni eſt.
Cùm verſus facias, teipſum percontor, an, et cùm
Dura tibi peragenda rei ſit cauſa Petillî,
Scilicet oblitus patriæque patriſque Latini,
Cùm Pedius cauſas exſudet Poplicola, atque
Corvinus, patriis intermiſcere petita

evolvit aut bellus Hermogenes, aut ſimius iſte, nihil ſciens canere niſi Calvum & Catullum. At enim Lucilius *laudabile* hoc *præſtitit, quòd Græcas voces Latinis miſcuit. O ſtupidi in literis!* Ergone *exiſtimatis arduum & admirabile quod fecit Pitholeon Rhodius? Sed,* inquies, *dulcior* eſt *oratio utroque ſermone conſtans, velut ſi vinum Falernum miſceatur Chio.* Verùm enimverò *quandoquidem condis tu carmina, quæro à te, ſi tibi defendenda eſſet difficilis cauſa Petillii accuſati, utrum patriæ videlicet & Latini parentis immemor ſatageres quæſita foris vocabula patriis admiſcere,*

ANNOTATIONES.

18. *Hermogenes.*] Tigellius, acer Lucilii fautor, de quo Sat. 3. præced.

Simius iſte.] Demetrius poëta & fabularum actor, de quo paulò poſt: *ſimius*, corpore deformis; vel ineptus & inſulſus imitator.

19. *Nil præter Calvum, &c.*] Uterque ille hos tantùm poëtas amatoria ſcriptitantes legebat, nunquam verò eximios illos veteris Comediæ ac perfectorum hujus generis carminum ſcriptores. Sic Horatius Hermogenem & Demetrium imperitiæ notat pariter atque luxuriæ: indeque probat Satiræ veras ignoraſſe virtutes; & hinc illos eſſe ineptos admiratores Lucilii.

Calvum.] Cor. Lucinius Calvus in poëmatis ſcribendis perelegans, ingenio lepido & urbano; Catulli poëtæ amicus fuit. Cicero in Epiſt. eum laudat, aitque Iambicis præſtitiſſe: quibus civitatis etiam Principes, C. Cæſarem & Pompeium acerrimè inſectari minimè dubitavit. Quintil. & Seneca Calvum ſcribunt contendiſſe cum M. Tullio de principatu eloquentiæ, Petr. Crinit. Gregor. Gyrald. &c.

Catullum.] C. Valer. Catullus Veronenſis, in urbe claruit quo tempore Terentius Varro: Docti cognomen adeptus eſt peculiari epitheto, ex eruditorum conſenſu: Val. Martialis ad Macrum, 10. 78.

Nec multos mihi præferas poëtas,
Uno ſed tibi ſim minor Catullo.

Scripſit Lyrica, Elegias, Epigrammata: commendatur mirum in modum à Gellio. Crinit. de eo vulgatum eſt diſtichon iſtud.

Tantum parva ſuo debet Verona Catullo,
Quantum magna ſuo Mantua Virgilio.

20. *At magnum fecit, &c.*] Ità loquuntur Lucilii fautores: quos refellit Horatius deinceps. Inſulſi nimirùm palati homines laudabant quod eſt fatuum & vitio vertendum; nempè *verbis Græca Latinis miſcere.* Lucilius apud Cicer. de Finib. 1. v. 19.

Χαῖρε, inquam, Tite . . . χαῖρε, &c. De Finib. 1. n. 24.

. . . *Læliu' clamores ſophos ille ſolebat*
Edere, &c.]

Apud Non. Marcell. in voce *compernes:* Lucil. Sat. l. 3.

Nunc cenſes καλλιβλέφαρον καλλίσφυρον illam.

. . . .

Compernem aut varam fuiſſe Amphitryonis
Ἀκοίτιν,
Alcmenam
Τυρῶ εὐπατέρειαν, &c.

21. *O ſeri ſtudiorum.*] Ὀψιμαθεῖς, qui ſerò animum ad ſtudia appulerunt, proindeque minùs eruditi: contrà παιδομαθεῖς, qui ab ipsâ pueritiâ literis incubuerunt.

Quine putetis] Al. *Quive:* quæ particula reſpondet Græcæ γὲ *utique, certè:* nec redundare eſt exiſtimanda. Priſcian. l. 16. c. 1. Alii interrogativè accipiunt.

22. *Pitholeonti.*] Pitholeon, ex inſulâ Rhodo, Epigrammata quædam inſulſa compoſuit; & Græcis vocibus infercire amavit.

24. *Ut Chio nota ſi, &c.*] Falernum vinum paulò auſterius temperabatur lenitate Chii. Quid ſit *nota* illa vide l. 2. Od. 3. v. 8. ubi & de *Falerno*, pariter & l. 1. Od. 20. De Chio l. 3. Od. 9. v. 5.

26. *Petilli.*] De Petillio fure aureæ Jovis coronæ, jam mentio fuit in Sat. 4. ſuperiori.

27. *Latini.*] Quidam legunt *Latinè*, & jungunt cùm ſequentibus. Sed non placet iſta mutatio, quanquam à viris ſanè gravibus invecta.

28. *Pedius Poplicola.*] Hic filius fuit Q. Pedii, qui a Jul. Cæſare ſcriptus hæres; & Conſulatum Romæ geſſit cum Auguſto, poſt Hirtium & Panſam.

Exſudet.] Magnis ſudoribus elaboret, ad puritatem ſermonis patrii aſſerendam.

29. *Corvinus.*] Meſſala Corvinus domi valdè

Verbâ

Verba foris malis, Canuſini more bilinguis?
tqui ego cùm Græcos facerem, natus mare citra [604]
Verſiculos; vetuit me tali voce Quirinus,
Poſt mediam noctem viſus, cùm ſomnia vera:
In ſilvam non ligna feras inſaniùs, ac ſi
Magnas Græcorum malis implere catervas.
Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dúmq;
Diffingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo,
Quæ nec in æde ſonent certantia, judice Tarpâ; [605]

ad inſtar Canuſini duplici linguâ utentis; contra quam Pedius Poplicola & Corvinus orationes puras *elaborant? At cùm verſus Græcos meditarer, natus ego cis mare, Quirinus apparuit poſt mediam noctem,* tunc *quandò vera* ſunt *inſomnia, ac me probibuit bis verbis: Non ſtultiùs in ſilvam portes ligna, quam magnas Græcorum turmas augere ſtudeas.* Itaque *dum inflatus Alpinus jugulat Memnonem, & dum cœnoſum Rheni fontem deformat; ego iſta ſcribo ludens, nec recitanda in Apollinis templo ad certamen, Tarpâ Judice;*

ANNOTATIONES.

nobilis ac pariter clarus orator, atque Græcis vocibus Latinæ orationi admixtis infenſus, Σχοινοβάτην, Latinè funambulum reddidiſſe fertur. Quintil. lib. 10. cap. 1. *Meſſala,* inquit, *nitidus & candidus, & quodammodo præ ſe ferens in dicendo nobilitatem ſuam.* Crinitus de hon. diſcipl. l. 1. c. 12, inter alia de illo non pauca, ſic habet: De ejus ſingulari prudentiâ & gravitate teſtimonium extat ampliſſimum M. T. Ciceronis. Sic enim ad Brutum; Meſſalæ inquit, excellentiam non poſſum ſilentio præterire. Cave putes quemquam eſſe illi ſimilem conſtantiâ, curâ & ſtudio Republicæ atque eloquentiâ, quâ mirabiliter excellit. Tametſi Meſſala idem cùm provectior foret, memoriæ ſenſum ſic amiſit, ut ſui quoque nominis oblitus tradatur. Idque ei biennio antè obitum contigit; quod Orbilio itidem Beneventano accidiſſe conſtat. Vide & Cœl. Rhodig. l. 11. c. 13. Alex. ab Alex. l. 6. c. 20, &c.

30. *Canuſini more bilinguis.*] De Canuſio, oppido Apuliæ, jam dixi ſupra ad Sat. 5. ſub finem. Hoc à Diomede conditum; hincque cives partim Græcè partim Latinè loquebantur. Totus etiam ille terrarum tractus Magna Græcia eſt appellatus.

31. *Natus mare citra.*] Apud fines Apuliæ in Italiâ; non ultrà mare in Græciâ.

32. *Vetuit me tali voce Quirinus.*] Lepida fictio. Quirinus Latini populi ſermoniſque auctor & conditor deterruit à ſcribendis Græcè verſiculis.

33. *Cùm ſomnia vera.*] Quando jam coctis alimentis purgatiores eſſe debent ſenſus. Atque ità ſtatuebant veterum ſuperſtitio. Tertull. de anima, c. 22. *Certiora & collatiora ſomniari affirmant ſub extremis noctibus, quaſi jam emergente animarum vigore, producto ſopore,* &c. Philoſtrat. l. 2. *Si tempus antelucanum ſit & ſomni matutini; conjectant ſomnium illud, quaſi tunc animâ verum vidente.* Theocrit. Idyll. 19. initio ſcribit, à Venere immiſſum Europæ ſomnium, cùm tertia pars noctis ſtaret, proximâ jam aurorâ, quando ſomnus oculos molli vinculo detinet, ac tum veracia paſcuntur inſomnia, Tibull. l. 3. Eleg. 4.

Dii meliora ferant, nè ſint inſomnia vera,
Quæ tulit extremâ proxima nocte quies.]

Ovid. Epiſt. Heronis 19. v. 195.

Namque ſub aurorâ, jam dormitante lucerna,
Somnia quo cerni tempore vera ſolent.

34. *In ſilvam non ligna,* &c.] Verba ſunt Quirini Horatium redarguentis.

35. *Magnas Græcorum catervas.*] Ingentem numerum Græcorum Poëtarum vel Pœmatum.

36. *Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona.*] Ego, inquit noſter, à Quirino edoctus has ludo ſatiras; dum alii carmen heroicum miſerè diſperdunt, temerè ac ineptè attentantes gravè ſcribendi genus; v. g. dum Alpinus de Memnone (ex Heſiodi Theogoniâ) ab Achille interfecto tum inſulſam Tragœdiam profert, inflatis quidem & turgidis verſibus ut ipſe magis quam Achilles Memnonem jugulaſſe videatur.

Alpinus.] Aulus Cornelius Alpinus iſte longè eſt alius ab inſigni poëta Cornelio Gallo, de quo Virgil. Eclog. 10. ut eruditè monet Torrentius contra Cruquium.

37. *Diffingit Rheni luteum caput.*] Idem Alpinus Epicum etiam carmen molitus fuerat de bello Germanico, ubi Rhenum deſcripſerat adeò perditè, ut nobile flumen deturparet, limpidis aquis pulchroque capiti quaſi lutum, grandi certè argumento ſordes aſpergens. Non abs re putes hîc alludi ad morem pingendi effingendique fluvios ſpecie humanâ, ex urnâ aquam fundentes. Sunt qui legant *deſingit*; alii *depingit*; ſed minùs benè.

38. *Quæ nec in æde ſonent certantia.*] Hæc inquam, ſcribo ludens, minime vero propalanda in certaminibus & commiſſionibus poëtarum ab Auguſto inſtitutis, apud Apollinis Palatini templum. De quo diſſerui dudum in Perſii Prologo. Vide Sueton. Octav. c. 89.

Judice Tarpâ.] Spurius Metius Tarpa recitantium auditor aſſiduus: unuſque è quinque arbitris, quorum debebant calculo probari quæ in æde Muſarum proponebantur; nec in ſcenam præferebantur quæ ab eis fuiſſent exploſa. De illo iterum in Epiſt. ad Piſones, v. 307.

nec reponenda bis terque in theatro ad ſpectaculum. Tu quidem, ô *Fun ani, ſolus viventium nôßi urbanè ſcribere verſus* comicos, in quibus *meretrix aſtuta & ſervus decipiunt vetulum Chremetem. Pollio principum geſta refert pede ter percuſſo. Varius carmen heroicum exequitur magis ſtrenuè quàm ullus alius. Muſæ ſilvarum amantes donârunt. Virgilio tenerum ac lepidum. Iſtud reſtabat à Varrone Atacino & aliquot aliis tentatum fruſtrà, quod felicius expedire poſſem ego, auctore* tamen *inferior: cui nequaquam velim auferre lauream magnâ cum laude capiti* ejus *aptatam. Sed dixi illum currere cœnoſum, ſæpè vehentem damnanda, ut plura quidem quàm approbanda. Dic* verò, *precor,*

Nec redeant iterum atq; iterum ſpectanda theatris.
Argutâ meretrice potes, Davóque Chremeta
Eludente, comis garrire libellos
Unus vivorum, Fundani. Pollio regum
Facta canit pede ter percuſſo. Forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit: molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenæ. [606]
Hoc erat, experto fruſtra Varrone Atacino,
Atq; quibuſdam aliis, meliùs quod ſcribere poſſem,
Inventore minor: neque ego illi detrahere auſim
Hærentem capiti multâ cùm laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, ſæpè ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Agè, quæſo,

ANNOTATIONES.

39. *Iterum ſpectanda theatris.*] Neque dramata compoſui in ſcenam producenda, ad auram vulgi & publicum favorem captandum. Hâc ſum etenim ambitione procul.

40. *Argutâ meretrice potes, &c.*] O Fundani, ſolus poëtarum qui modò vivunt, peritus es, atque unus ſcitè & facetè vates ſcribere comœdias: in quibus *arguta meretrix* & ſervus aſtutus *comiter garrientes eludunt ſenem*, ejus crumenam emungunt, &c.

Davoque Chremeta.] Alluſio eſt ad Terentii Andriam, ubi Chremes ſenex, Davus ſervus, notæ ſunt perſonæ comicæ.

41. *Comis:*] Hæ voces comis, comœdia, comeſſatia, habent originem a [illegible] *feſtivitas.* Hoc etiam nomine colebatur Deus hilaritatis & laſcíviæ. Varro 6 de Ling. Lat.

42. *Fundani.*] Mirum ſanè quòd à nemine uſquam laudatur Fundanius ille, quem tam inſigni elogio exornat Horatius.

Pollio. regum Facta canit.] Tragœdias eleganter ſcribit: *pede ter percuſſo:* verſibus ſenariis tres dimenſiones habentibus: qui *ſenos reddunt ictus*, ut eſt in Epiſt. ad Piſon. v. 253. In tragœdiis nempè, ut nôrunt omnes, *facta regum* ſunt argumenta conſueta, & verſus Iambici trimetri duntaxat adhibentur. Vide l. 2. Od. 1. ubi de Pollione, &c.

43. *Forte epos.*] Varius epicum carmen ſtrenuè exequitur; *forte*, quippe quòd nequit expediri ſine forti & conſtanti ſpiritu, & venâ abundanti ac divite, eſtque opus longum, animique ſolertis ac diu multumquè attenti. Vide l. 1. Od. 6. ubi de Vario excellenti poëta. Item Petr. Crinit. Poët. Lat. l. 3. c. 44.

44. *Molle atque facetum Virgilio, &c.*] Virgilius Bucolica & Georgica ſtylo molli & idoneo compoſuit. Tunc nimirùm Æneis nondum in lucem prodierat, cùm ſcriberet iſta Horatius.

Facetum.] Quintil. l. 6. c. 3. *Facetum non tantum circa ridicula opinor conſiſtere. Nec enim diceret Horatius, facetum carminis genus naturâ conceſſum eſſe Virgilio. Decoris hanc magis & excultæ cujuſdam elegantiæ appellationem puto. Ideòque in Epiſtolis Cicero hæc Bruti verba refert:* næ illi ſunt pedes faceti, &c. *quod convenit cum illo Horatiano:* Molle atque facetum.

46. *Hoc erat, experto:*] Carmen ſatiricum erat, quod ego meliùs aliis multis poſſem ſcribere; non tamen par Lucilio inventori.

Experto fruſtrà Varrone Atacino.] Pub Terent. Varro Atacinus, ab Atace Narbonis Galliæ vico vel fluvio cognominatus, iis natus temporibus quibus Cicero & Hortenſius clari habebantur in eloquentia; ingenio præclaro fuit: ſcripſit Epigrammata, Elegias, & alia mirifico ſtudio. Argonautica ejus celebrant Probus Valerius, aliique Grammatici, & ex illis ſæpè verſiculos referunt. At in Satiris fruſtrà deſudavit. Adeò verum eſt quod canit in Eclog. Virgilius: *non omnia poſſumus omnes.* Vide Pet. Crinitum. l. 2. c. 13. Quintil. l. 10. c. 1. Ità ſcribit: *Atacinus Varro in iis per quæ nomen adeptus eſt, interpres operis alieni, non ſpernendus quidem, verùm ad augendam facultatem dicendi parum locuples.* Ejus etiam meminit Euſeb. Chron. natumque refert ad Olymp. 174 annis circiter viginti à morte Lucilii; & Græcas literas ſummo ſtudio didiciſſe anno ætatis 35.

48. *Inventore minor.*] Quòd Lucilius Satiras primas *ſcripſit*, & quòd *miram eruditionem libertatem, acerbitatem & abunde ſalis* habet, hinc eò ſe minorem profitetur noſter, quamquam *terſior multò ac purus magis, & ad notandos mores præcipuus:* ut fatetur Quintil. antè citatus.

Tu

Tu nihil in magno doctus reprêndis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Attî?
Non ridet verſus Ennî gravitate minores. [607]
Cùm de ſe loquitur, non ùt majore reprenſis? [608]

numquid tu eruditus nihil redarguis in Homero magno? Numquid Lucilius ipſe facetus nihil mutat Attii Tragœdiarum ſcriptoris? An non deridet Ennii verſus quoſdam leviores; quando loquitur de ſeipſo haud tanquam perfectiore iis quos carpit?

ANNOTATIONES.

52. *Homero?*] Quî, bonus licet & magnus, interdum ipſe dormitâſſe reperitur, neq; omninò eſt ſine mendis, quamvis agnoſcatur ab univerſis ingenio, arte, eruditione, aliiſque virtutibus, omnium facilè princeps. Vide Longinum.

53. *Nil comis tragici mutat Lucilius Atti?*] Si Lucilius ipſe in prioribus poëtis quædam emendat; cur nos Lucilium ad trutinam non revocabimus?

L. Attius (Accius ſcribunt quidam) Tragœdiarum ſcriptor, Pacuvio paulò junior, ingenio acri fuit. Ejus verſibus exornari templorum ac monumentorum aditus volebat Decimus Brutus, teſte Cicerone in orat. pro Archiâ poëtâ. n. 27. Pacuvius autem Acci Tragœdiam Atreum laudavit velut grandem & ſonoram: reprehendit verò quaſi ſubacidam & duriuſculam. Quod faſſus eſt Attius; addiditque ſe non pœnitere; quia, ſicut poma acerba primùm & dura paulatim fiunt mitia; ita & ingenia: contrà quæ vieta gignuntur & mollia, ad veram frugem & maturitatem nunquam perveniunt, ſed potius ac magis putreſcunt. Vide Crinit. de Poëtis l. 1. c. 7. Gell. l. 13. c. 2. l. 18. c. ult. ubi ſic ſcribit in fine: *poſtea Q. Ennius, & juxta Cæcilius & Terentius, ac ſubinde Pacuvius, & Pacuvio jam ſene Attius, clariorque tunc in poëmatis eorum obtrectandis Lucilius fuit.* Attius Tragoedias benè multas ſcripſit, quarum fragmenta quædam ſuperſunt; Comœdias etiam. Quam fortaſſis ob rem *comis Tragicus* hic appellatur. Vulgò tamen vox *comis* non in Genit. accipitur, ſed in Nominat. refertur que ad ſeq. *Lucilius*. Tragœdia Acci celebrantur, Phœnice, Medea, Menalippus, Alcmæon, Prometheus, Atreus, Philoctetes, Neoptolemus, &c. imprimis autem Argonautæ, unde eſt illud carmen de Argo navi laudatiſſimum:

. . . . Tanta moles labitur
Fremebunda ex alto, ingenti ſonitu & ſtrepitu,
Præ ſe undas volvit: vortices vi ſuſcitat.
Ruit, prolapſa pelagus reſpergit: profluit.
Ita dum interruptum credas nimbum volvier:
Dum quod ſublime ventis expulſum rapier
Saxum; aut procellis, vel globoſos turbines
Exiſtere ictos undis concurſantibus;
Niſi quas terreſtres pontus ſtrages conciet:
Aut forte Triton fuſcinâ verrens ſpecus
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo ſaxeam ad cælum eruit,

Vide & apud Cic. cit. Attii verſus, variis locis de Divin. 1. n. 44, &c.

54. *Ennî.*] Q. Ennius Poëta natus eſt Tarenti, vel, ut plerique volunt, Rudiis in oppido Salentinorum. Tullius pro Archia, *Rudium hominem* vocat, & mire commendat Ennium; nec minus alii, velut acri virum ingenio, eruditione multiplici, fide, comitate, probitate, doctrinâ omninò ſingulari. Floruit temporibus Plauti Comici & M. Catonis oratoris clariſſimi. Quem deinceps ſecuti ſunt Cæcilius, Pacuvius, Attius, &c. Permulta compoſuit vario carmine, Annales, Tragœdias, Comœdias, Satiras, &c. ex Lucretio, l. 1. c. 118.

Ennius . . . . primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.

Quintilianus Ennium ſcribit pari veneratione colendum ac ſacros vetuſtate lucos, in quibus grandia robora non tantam habent ſpeciem quantam religionem. Ennii verſus affert Cicero pluribus locis. Lege de Divin. 1. n. 40, &c. Vide & Macrob. Saturnal. l. 6.

Ridet verſus gravitate minores.] Quamvis tanti habitus eſt Ennius, in ejus carminibus quædam rectè reprehendit ac deridet Lucilius tanquam haud ſatis graviter & accuratè ſcripta. Annæus Seneca Epiſt. ad Lucil. *Admiror,* inquit, *eloquentiſſimos viros & deditos Ennio, pro optimis ridicula laudâſſe:* & hoſce de Cethego verſus Ennii affert:

Is dictus cunctis ollis popularibus olim
Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant,
Flos delibatus populi, Suadæque medulla.

Ennium tamen defendit Gell. l. 12. c. 2. Macrob. Saturnal. l. 1. c. 4. & l. 6. c. 3. *Nemo,* inquit, *ex hoc viles putet veteres poëtas, quòd verſus eorum ſcabri nobis videntur. Ille enim ſtylus Enniani ſeculi auribus ſolus placebat: diuque laboravit ætas ſecuta, ut magis huic molliori ſtylo temperarent* Neque verò prætermittere hic licet aut ridiculos aut ſcabros Ennii verſiculos iſtos:

O Tite, tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti.
At tuba terribili ſonitu taratantara dixit.

55. *Cùm de ſe loquitur, &c.*] Cùm Lucilius quoſdam Ennii verſus ridet ac reprehendit, non tamen eò ſe majorem dicit: ſic ego Lucilii quædam reprehendens, haudquaquam me illi

Quid

Quid vetat & noſmet Lucili ſcripta legentes
Quærere, num illius, num rerum dura negârit
Verſiculos natura magis factos, et euntes
Mollius? ac ſi quis pedibus quid claudere ſenis
(Hoc tantùm) contentus, amet ſcripſiſſe ducentos
Ante cibum verſus, totidem cænatus? Etruſci
Quale fuit Caſsî rapido ferventius amni [609]
Ingenium; capſis quem fama eſt eſſe libriſque
Ambuſtum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus; fuerit limatior idem,
Quàm rudis et Græcis intacti carminis auctor,

Quid pariter impedit nos ſcripta Lucilii evolventes diſquirere, an ejus, an rerum natura difficilis prohibuerit verſus limatiores & ſuavius fluentes quàm ſi aliquis id unum ſatis habeat carmen *aliquod includere ſex pedibus;* et *gaudeat feciſſe ducentos verſus ante cœnam, ac totidem poſt? qualis fuit vena Caſſii Etruſci vehemente fluvio rapidior; quem narrant crematum fuiſſe ſcriniis & ſcriptis ſuis. Dico* igitur; Ecco, *fuerit Lucilius facetus ac lepidus; fuerit etiam magis politus quàm inventor pœmatis nondum exculti, atque Græcis haud tentati,*

ANNOTATIONES.

præferendum exiſtimem. Iſta verba Horatii de Ennio intelligenda contendit Heinſius, exploſiſque aliorum interpretationibus cantat *εὕρηκα, inveni*; verùm quàm longè ab Horatii mente aberrârit, luculenter & eruditè, ut certè alia, exequitur noſter Dacerius, ad quem te paulùm divertere, lector, nuſquam pigeat.

57. *Num illius, nùm rerum dura negârit natura, &c.*] Utrum Lucilianorum verſuum compoſitio rudis & impolita ex materiæ & rerum naturâ difficili prodierit; an ex ipſius ingenio duriori, vel certè ex indiligentiâ, & quòd ſcribentem *offenderit limæ labor & mora?* Epiſt. ad Piſ. v. 293.

58. *Verſiculos magis factos,*] Cic. in Bruto, *Intellectam eſt quantam vim habeat accurata & facta quodammodo oratio.*

Euntes Molliùs.] Martial. Epigr. 11, 91.

Carmina nulla probas molli quæ limite currunt,
Sed quæ per ſalebras, altaque ſaxa cadunt.

59. *At ſi quis*] Quanta hîc varietas difficultaſque? Alii legunt, *ac ſi quis*, junguntque cum antecedentibus, & ſic explicant: *Verſiculos euntes Mollius, ac ſi quis pedibus, &c.* Id eſt, verſus molliores & concinniores, quàm facere ſoleat poëta negligens, qui ſatis habuit plures ſcribere parvo labore verſus, parum etiam venuſtos. Alii, *aut ſi quis.* Alii, *an ſi quis, &c.* Prima legendi ratio ſatis placet; malim tamen, *an ſit qui pedibus, &c.* hoc ſenſu: quid vetat nos ſcripta Lucilii recenſentes quærere unde fiat, ut plerique verſus ejus incompoſiti, non magis facti, & molliùs eant? an ex vitio rerum; an ex ipſius rudiori naturâ; an is ipſe fuerit qui *pedibus quid claudere ſenis Hoc tantum contentus, amaverit ſcripſiſſe ducentos, &c.* nec ſtuduerit recenſere, emendare, ac *malè tornatos incudi reddere verſus*; ut eſt in Epiſt. ad Piſ. v. 441.

61. *Etruſci Quale fuit, &c.*] Caſſius Parmenſis abundantis ac fœcundæ magis quàm divitis & pulchræ venæ poëta, ab Auguſto juſſus interfici, tum quòd ipſi obtrectare pergeret, tum præcipuè quòd Jul. Cæſaris percuſſoribus hoſtibuſque ſui ſemper adhæſerat. Hinc eum ſponte vellicat Horatius Auguſto velificans. Sueton. Octav. c. 4. *Caſſius Parmenſis quadam epiſtola non tantum ut piſtoris, ſed etiam ut nummularii nepotem, ſic taxat Auguſtum*; materna tibi farina; ſiquidem ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino hanc pinſit manibus collybo decoloratis Neruloneſis menſarius. Vide Vell. Paterc. l. 2. Oroſ. l. 6. c. 19. Appian. bell. civil. l. 5. item Valer. Max. l. 1. c. 7. Art. 7. Crinit. l. 3. c. 47.

63. *Capſis libriſque Ambuſtum propriis.*] Tot libros ac verſus futiles ille ſcripſerat, inquit noſter jocosè & dicaciter, ut cremando ejus cadaveri ſuffecerint. Quod ex Senatuſconſulto factum aſſerit vet. Comment. Verum id refellitur ex verbis, *famâ eſt.*

Caſſî Parmenſis de Orpheo carmen hæc afferunt.

Argutæ primùm cum plectra parentis, & auro
Diſtinctam ſumpſit citharam Rhodopeïus heros,
Ridebant ſegnes pulſus, digitoſque micantes
Striùs, & chordis indoctæ diſſona vocis.
Mox pudor exardens & gloria dulcis honeſti
Luſibus avertit puerilibus, omnis & illuc
Perditus incumbens Muſæ pallebat amore.
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus, hinc illinc diſcens dependet utrimque;
Nulla Venus faciem cepit mentita doloſis
Compedibus; ſoni fuerat parcúſque Lyæi;
Donec ridiculus dudum modulamine ſilvas,
Evulſoſque ſuis ſcopulos radicibus egit;
Auſus & ire viam viventibus inconceſſam,
Pœnarum oblitos demulſit carmine Manes.
Non levis aſcenſus, ſi quis petit ardua. Sudor
Plurimus hunc tollit, nocturno exſomnis olivo
Immoritur, delet quod mox laudaverit in ſe,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

66. *Quàm rudis & Græcis intacti carminis auctor.*] Quàm Ennius, qui primus omnium fa-

Quamque

quámque poëtarum ſeniorum turba: ſed ille
i foret hoc noſtrum fato dilatus in ævum;
Detereret ſibi multa; recideret omne quod ultra
'erfectum traheretur; et in verſu faciendo [610]
æpe caput ſcaberet, vivos et roderet ungues.
æpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſint
cripturus: neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
/ilibus in ludis dictari carmina malis?
Ion ego. Nam ſatis eſt equitem mihi plaudere: ut audax,
Contemptis aliis, exploſa Arbuſcula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius, aut crucier, quòd
/ellicet abſentem Demetrius, aut quòd ineptus [611]

& quàm omnes poëtas ſuperioris; atqui ſi ipſe ad noſtram hanc ætatem reſervatus a fatis eſſet, certè plurima ſibi reſecaret; quicquid tranſgreditur perfectum modum, reſcinderet; atque in condendis carminibus frequenter caput ſcalperet, atque ungues ad vivum morderet. Sæpe ſtylum convertito, aditurus quæ mereantur haud ſemel evolvi; nec ſatagas ut te plebs admiretur; imò ſatis habe ut pauci tua legant. An verò ſtulte gaudes tuos verſus dictari in ſcholis ignobilioribus? Ego nequaquam. Sufficit mihi ut equites mihi applaudant; quemadmodum Arbuſcula exploſa conſtanter aiebat, cæteris ſpretis. An moveat me Pantilus cimex? aut doleam quòd abſentem me Demetrius reprehendat, aut quòd redarguat nugax

ANNOTATIONES.

ras ſed rudes omninò ſcripſit; at Lucilius ibinde limatiores & perfectiores, Quare hic tiræ quaſi primus auctor aut certè artifex jure abeatur. Alii vocem *rudis* in caſu nominativo ccipiunt, ſicque interpretantur; fuerit Lucilius matior quàm rudior, *&c.* Sed perperam.

Græcis intacti.] Græcorum nemo Satiras ripſit. Unde Quintilianus l. 10. c, 1. *Satira uidem tota noſtra eſt, in quâ primus inſignem udem adeptus eſt Lucilius, &c.* Aliter ſenſit ul. Scaliger, Poët. lib. 1. cap. 12. & lib. 3. ap. 98. Vide Caſaub. de Satira.

67. *Poëtarum ſeniorum*] De his Sat. 4. præc.

69. *Recideret omne quod, &c.*] Superflua, iconcinna, *ambitioſa recidet ornamenta,* inquit oſter ad Piſ. v. 447. item *omne ſupervacuum eno de pectore manat,* v. 377. Vide illùc anotanda.

71. *Caput ſcaberet,*] Hæc enim haud rarò cit quiſquis accuratæ & perfectæ compoſitiii operam navat. Marcilius & alii quidam c alludi volunt ad Minervam è cerebro Jovis ditam.

Vivos & roderet ungues.] Perſ. Sat. 1. v. 106.

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.]

ic leviter ſcribendi genus ſignificat ille, ut otat. lib. 10. cap. 3.

72. *Sæpè ſtylum vertas, &c.*] Quintil. l. 10. 4. *Emendatio pars ſtudiorum longè utiliſſima. eque enim ſine cauſâ creditum eſt, ſtylum non inus agere cum delet. Hujus autem operis eſt, ijicere, detrahere, mutare. Sed facilius in iis nplicîuſque judicium, quæ replenda vel dejicienda ſunt; premere verò tumentia, humilia extolre, luxuriantia adſtringere, inordinata digerere, luta componere, exultantia coërcere, duplicis operæ. Nam & damnanda ſunt quæ placuerant; & invenienda quæ fugerunt.*

Stylum vertas,] Veteres nimirum in cerarii ſcribentes tabellâ utebantur ſtylo, cujus pars altera acuta erat, & acumen dicebatur: altera obtuſa, quâ delebant id quod erat exaratum, complanantes & æquantes ceram, ut novam ſcripturam exararent. Ergò qui aliquid volebat mutare, ſtylum vertebat, atque alteram ejus partem adhibebat. Rem graphice exponit P. Crinitus l. 17. de hon. diſcipl. c. 4. & Prudent. Hym. de coronis;

Inde alii ſtimulos & acumina ferrea vibrant,
Quâ parte aratis cera ſulcis ſcribitur;
Et quâ ſecti apices abolentur, & æquoris hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.

75. *Vilibus in ludis dictari carmina.*] Perſ. Sat. 1. v. 29.

Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe
Pro nihilo pendas?

77. *Exploſa Arbuſcula dixit.*] Mima illa cùm à plebe & vulgo explodebatur, parvi ducebat, dummodo paucis nobilioribus placuiſſet. Illius meminit Cicero ad Attic. lib. 4. Epiſt.

14. *Quæris nunc de Arbuſcula? Valde placuit. Ludi magnifici & grati.*

78. *Men' moveat cimex Pantilius,*] Profitetur Horatius parum ſe moveri dicteriis Pantilii ſcurræ ipſi obtrectare aſſueti.

Cimex] Gall. *Punaiſe.* Angl. A Bed-Bug, metaph. homo putidus & mordax inſtar illius inſecti omnibus inviſi & moleſti ob aculeum & fœtorem.

79. *Demetrius.*] Hunc anteâ ſimium vocavit.

Fannius

Fannius Hermogenis Tigelli conviva? Approbent iſta Plotius, Varius, Mæcenas, Virgilius, Valgius, optimus etiam Octavius, & Fuſcus; nec non ambo Viſci laudent velim. Citra ambitionem licet accenſere te, ô Pollio; te, ô Meſſala, cum tuo fratre & vos quoque Bibule, & Servi; atque te pariter, ô ſincere Furni; atque alios non paucos eruditos amicoſque, quos tacito ſponte: quibus iſta, qualiacumque ſint, placere cupio; ægre laturus, ſi minus arrideant, quam ſpero. Te autem, ô Demetri, teque ô Tigelli, jubeo flere inter ſedilia diſcipularum. Vade ô famule, & quamprimum hæc adjunge ſcriptis meis.

Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?
Plotius, et Varius, Mæcenas, Virgiliuſque,
Valgius, & probet hæc Octavius optimus, atque
Fuſcus, & hæc utinam Viſcorum laudet uterq;:
Ambitione relegatâ te dicere poſſum,
Pollio; te, Meſſala, tuo cum fratre; ſimulque
Vos Bibuli, et Servi; ſimul his te, candide Furni;
Complures alios, doctos ego quos et amicos [612]
Prudens prætereo: quibus hæc, ſunt qualiacumque,
Arridere velim; doliturus, ſi placeant ſpe
Deteriùs noſtrâ. Demetri, teque, Tigelli,
Diſcipularum inter jubeo plorare cathedras.
I puer; atque meo citus hæc ſubſcribe libello.

ANNOTATIONES.

80. *Fannius*] De hoc vili poëta, item de Hermogene Tigellio, in Sat. 4. ſuperiore.

81. *Plotius, & Varius.*] *De Plotio* Tucca, in Sat. 5. præced. De *Vario*, l. 1. Od. 6.

Mæcenas,] Is literatorum patronus & ipſe literis mirabiliter imbutus, facilitate ingenii, eloquentiâ mediocriter excelluit, & poëticâ facultate. Scripſit varii generis poëmata, Elegias, Tragœdias. De ſepulchri contemptu fertur ceciniſſe:

Nec tumulum curo: ſepelit natura relictos.

Virgilius.] De hoc poëtarum certè principe nulla quàm pauca annotâſſe præſtat.

82. *Valgius.*] T. Valgius conſulari ortus familiâ elegans fuit in condendis carminibus, teſte vel Tibullo ad Meſſalam itâ ſcribente, l. 4. El. 1. v. 179.

Eſt tibi qui poſſit magnis ſe accingere rebus
Valgius: æterno proprior non alter Homero,

De eo jam l. 2. Od. 9. inſcriptâ.

Octavius optimus,] Optimus nempè is poëta hiſtorias etiam ſcripſit. Cave, lector, ne Auguſtum accipias.

83. *Fuſcus,*] De Ariſtio Fuſco celebri Grammatico jam antè, l. 1. Od. 22. ipſi inſcriptâ, item Sat. 9 præced. iterumque poſtea Epiſt. 10. lib. 1.

Viſcorum uterque.] Duo nempè fratres erant, bonus uterque poëta: nati patre Vibio Viſco Equite Romano opibus & gratiâ apud Auguſtum pollente.

84. *Ambitione relegatâ*] Citra adulationem.

85. *Pollio;*] Aſinius Pollio orator præclarus, Auguſto pergratus, Romæ ſcholam tenuit poſt Timagenem: primus ſcripta ſua recitavit, primus etiam Romæ bibliothecam feciſſe dicitur. Bella Cæſaris & Pompeii ſcripſit. Diligentiæ plurimum, conſilii & animi ſatis habebat, teſte Quintiliano; at nitore carebat & jucunditate Ciceronis. Vide l. 2. Od. 1. illi inſcriptam.

Meſſala,] De hoc anteà v. 29. ad vocem *Corvinus.*

86. *Vos Bibuli, & Servi;*] Bibulorum atque Serviorum Romæ inſignes fuiſſe familias nemo neſcit. Jul. Cæſaris in conſulatu collega Bibulus. Ad Servium Sulpitium ſunt multæ Ciceronis Epiſt. l. 4.

Furni.] Furnius hiſtoriarum ſcriptor elegans & accuratus, etiam Romæ Conſul fuit.

91. *Diſcipularum inter, &c.*] Locum hunc pleriq; interpretum tranſiliunt intactum, quanquam, ut mihi videtur, ſtylo non indignum. Quidam volunt Horatium imprecari luctum & infortunium Demetrio atque Tigellio tanquam ineptis & inſulſis ſcriptoribus, qui mulierculis duntaxat placere ſtuderent. Ego verò ſic interpretor Horatium quaſi dicat; Ite molles & effœminati, pergite adoleſcentibus corruptis vel etiam mulierculis recitare Elegias, amatoria carmina, voce flebili & affectata ad mollitiem: juxta id quod habet Perſius, Sat. 1. v. 34.

——Vatum plorabile ſi quid,
Eliquat, & tenero ſupplantat verba palato.

92. *Meo citus hæc ſubſcribe libello.*] Iis quæ anteà de Lucilio ſcripſi hæc adjunge. Numerum Satiræ quartæ præcedenti hanc attexi jubet, quæ illam & explicat & aſſerit.

Q. HORATII FLACCI

SATIRARUM

LIBER II.

SATIRA I.

Se non poſſe Trebatii conſilium ſequi à ſcribendâ Satirâ dehortantis.

SUNT quibus in Satirâ videar nimis acer, & ultra [613]
Legem tendere opus. Sine nervis altera, quicquid
Compoſui, pars eſſe putat; ſimiléſque meorum
Mille die verſus deduci poſſe. Trebati, 4
Quid faciam præſcribe. Quieſcas. Ne faciam, inquis, [614]

INTERPRETATIO.

Horat.] *Sunt homines quibus videar nimis aſper in Satirâ, & carmen intendere ſupra modum. Pars altera exiſtimat ſine viribus eſſe id omne quod ſcripſi; atque uno die condi poſſe mille verſus æquales meis. O Trebati, jube quid agam.* TREBAT. *Abſtine.* HOR. *Dicis, ne*

ANNOTATIONES.

1. *Sunt quibus, &c.*] Dialogiſmus iſtic eſt Horatii ac Trebatii. Hunc nempè magni nominis Juriſconſultum facete conſulit ille quid agat, num Satiras ſcribere debeat. Tandem omnes Trebatii diſſuadentis rationes, ac legum etiam præſcripta, riſu ſolvit Horatius.

Videar nimis acer,] Nimis dicacem & acerbum me redarguunt alii; alii contrà velut enervatum & ſatirico ſale deſtitutum, O hominum judicia!

Ultra legem.] Vel, ultra modum Satiræ convenientem: quæ quidem lepida, jocoſa, ſalſa potiùs quàm aſpera, injurioſa, contumelioſa. Vel, ultra quàm jubet lex ſeu 12 Tab. ſeu Julia de Majeſtate, utraque ſcilicet vetans quemquam famoſo carmine aut libello violari. Vide poſteà v. 82. Item Epiſt. ad Piſ. v. 283. ubi ſic habetur.

. . . . *Sed in vitium libertas excidit, & vim*
Dignam lege regi, &c.

2. *Tendere opus.*] Metaph. ab inſtrumentis muſicis, in quibus tenſæ nimis chordæ rumpuntur.

4. *Deduci.*] Epiſt. ad Auguſtum.

. . . . *Tenui deducta poëmata filo.*

Trebati.] C. Trebatius Teſta probitate, juris ſcientiâ, bellicâ etiam virtute inſignis: Eques Romanus, Julio Cæſari charus, & aſſecla comeſque ad bellum Gallicum: Tullio Ciceroni perquam familiaris, & amicus, paſſimque laudatus. Epiſt. ad Famil. l. 7. ad Attic. l. 10. Epiſt. 1. Topic. &c. Alex. ab Alex. l. 6. c. 23. ſcribit. *Trebatium ſub diſciplinâ Ciceronis Juris peritiſſimum aliquot libros de Jure Civili compoſuiſſe, ac de religionibus novem: nec non heroico verſu plurimum valuiſſe, atque inter poëtas annumeratum.*

3. *Quieſcas . . . . Aio.*] Adverte dictiones Juriſconſulto præſcribenti accommodatas.

Omnino

Omnino verſus? Aio. Peream malè, ſi non
Optimum erat: verùm nequeo dormire. Ter uncti
Transnanto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto,
Irriguumque mero ſub noctem corpus habento.
Aut, ſi tantus amor ſcribendi te rapit, aude
Cæſaris invicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fractâ pereuntes cuſpide Gallos,
Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi.
Attamen et juſtum poteras et ſcribere fortem,
Scipiadam ut ſapiens Lucilius. Haud mihi deero, [615]
Cùm res ipſa feret: niſi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem:
Cui malè ſi palpere, recalcitrat undique tutus.
Quantò rectiùs hoc, quàm triſti lædere verſu
Pantolabum ſcurram, Nomentanumq; nepotem?
Cùm ſibi quiſque timet, quanquam eſt intactus, & odit.
Quid faciam? Saltat Milonius, ut ſemel icto

[Omnino] ſcribam verſus? TREB. *Dico.* HOR. *Miſere intereant, niſi optimum foret: at dormire non poſſum.* TREB. *Qui egent profundo ſopore, oleo delibuti ter Tiberim tranſnatent, atque veſperi vino corpus irrigent. Vel, ſi tam vehemens ſcribendi cupido te occupat, inſuperabilis Auguſti facinora canenda ſuſcipe, ingentem operæ mercedem accepturus.* HOR. *O bone parens, cupientem nervi deſtituunt. Nec enim quilibet* valet *dicere cohortes ſpiculis aſperas, aut Gallos ruptis telis morientes, vel Parthos equis decidentes præ vulneribus.* TREB. *Atqui poteras Cæſarem juſtum ac ſtrenuum celebrare, ſicut prudens Lucilius Scipionem.*
HOR. *Hoc præſtabo diligenter, quoties dabit ſe occaſio:* Verumtamen *non niſi opportuno tempore verba Horatii adibunt aures Auguſti ſapientis; cui ſi perperam aduleris, reſpuit munitus undequaque.* TREB. *Quantò melius id, quàm moleſto carmine offendere Pantolabum ſcurram, & Nomentanum decoctorem? quandoquidem omnes ſibi metuunt, atque averſantur* poëtam, *etiam minimè laceſſiti.* HOR. *Quid agam?* Enimverò *ſaltat Milonius* *cùm primùm capiti* per

ANNOTATIONES.

7. *Ter uncti Transnanto, &c.*] Jocoſæ querimoniæ jocoſa & callida reſponſio, certè apta homini natandi ſtudioſiſſimo, qualem fuiſſe Trebatium dicit Tullius, l. 7. Epiſt. 10. *In re militari multo es cautior, quàm in advocationibus, qui neque in Oceano natare volueris ſtudioſiſſimus homo natandi . . . ſed jam ſatis jocati ſumus, &c.*

Ter] Corporis defatigatio ſomnum conciliat.

Uncti.] Olei calore muniebant ſe nataturi adverſus aquæ frigus.

9. *Irriguumque mero, &c.*] Neque hoc à Trebatii moribus & ingenio prorſùs abhorrens; ait enim ad eum Tullius l. 7. Epiſt. 22. *Illuſeras heri inter ſcyphos, quod dixeram, &c.*

12. *Pater optime.*] Cic. l. 7. Epiſt. 16. *Tu, mi vetule, non ſero, &c.*

14. *Fractâ pereuntes cuſpide Gallos.*] Ex hiſtoriâ C. Marii, quem adverſus Cimbros pugnantem Plutarchus refert nova tela excogitâſſe. Scilicet haſta lignea quæ ferrum ingreditur, duabus fibulis ferreis contineri ſolebat; tunc autem Marius alteram ut ante reliquit; alterâ verò exemptâ clavum ligneum fragilem in ejus locum immitti juſſit, eo conſilio ut jaculum hoſtili clypeo impactum curvaretur aut frangeretur: corpori autem vulnerato inhæreret ferrum à ligno ſeparatum; aut lignum transverſâ cuſpide hærens deorſum penderet, quo fiebat, ut vix evelli oblique infixum, certè ab hoſtibus retorqueri non poſſet incurvatum aut corruptum.

15. *Labentis equo deſcribat vulnera Parthi.*] De his l. 1. Od. 12, & 19. & l. 3. Od. 5.

16. *Attamen & juſtum, &c.*] Atqui ſi Auguſti bella non vales deſcribere, poteras certè juſtitiam, animi magnitudinem, aliáſque virtutes celebrare; quemadmodum Scipionis Lucilius, qui vitam ejus privatam deſcripſit, Ennius autem bellica facinora.

20. *Undique tutus.*] Rerum cognitione & ſapientiâ affatim inſtructus quaſvis adulationes ſtatim repellit ac reſpuit.

21. *Pantolabum ſcurram, Nomentanumque.*] De his nebulonibus jam dictum, Sat. 8. l. 1.

23. *Cum ſibi quiſque timet, &c.*] Naturâ duce id nobis timemus malum, quod aliis fieri cernimus.

24. *Quid faciam? ſaltat Milonius, ut ſemel, &c.*] Non magis à ſcribendâ Satirâ poſſum temperare, quàm à ſaltando Milonius temulen-

:cceſſit fervor capiti, numerúſque lucernis.
:aſtor gaudet equis; ovo prognatus eodem
'ugnis. Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum
Aillia: me pedibus delectat claudere verba
ucilî ritu, noſtrûm melioris utroque. [616]
lle velut fidis arcana ſodalibus olim
:redebat libris; neque, ſi malè ceſſerat, uſquam
Decurrens aliò, neq; ſi benè: quo fit ut omnis
'otivâ pateat veluti deſcripta tabellâ
'ita ſenis. Sequor hunc, Lucanus an Appulus,
anceps:
Jam Venuſinus arat finem ſub utrumq; colonus,
Ailſus ad hoc, pulſis (vetus eſt ut fama) Sabellis,
Quò nè per vacuum Romano incurreret hoſtis:

vinum percuſſo accrevit ardor, & numerus lampadibus. Sic & *Caſtor equis, eodem* autem *ovo editus caſtibus delectatur. Quot capitum, tot ſtudiorum millia exiſtunt. Me juvat numeris voces aſtringere ad inſtar Lucilii nobis ambobus præſtantioris. Is pridem ſua ſecreta committebat chartis tanquam amicis fidelibus, nec aliò confugiebat nunquam, ſive proſperè ſive infeliciter res caderent. Unde venit ut ſenis* illius *vita omnis appareat quaſi depicta in tabellâ ex voto factâ. Hunc imitor* ego *dubius utrum Lucanus*
m, an *Appulus; quippe Venuſinus agricola* terram *exercet ad utriuſque limites; eam ob rem* ductus iſtuc, *poſt ejectos Samnites (quemadmodum antiqua fert opinio) ut hoſtis per inane* n *irrueret* in *Romanos;*

ANNOTATIONES.

is, Cic. pro Muræna, n. 13. *Nemo ferè ſaltat* *brius (niſi forte inſanit) neque in ſolitudine,* *que in convivio moderato atque honeſto. Intem*-*ſtivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum* *mes eſt extrema ſaltatio.*

25. *Numeruſque lucernis.*] Vini vaporibus oncutitur mens & caput, nec ſibi conſtat: mul oculorum nervis nimiùm & inæqualiter iſtentis, viſuales, ut aiunt, radii diſtrahuntur; : hinc lucernam unam videns ebrius plures : videre putat.] Ariſtot. Problem. Sect. 3. then. l. 10. Cœl. Rhodig. l. 28. c. 34. ucret. l. 4. v. 452.

Bina lucernarum flagrantia lumina flammis,
Et duplices hominum facies, & corpora bina.

uvenal. Sat. 6. v. 302.

. . . . *geminis exurgit menſa lucernis.*

Iuc etiam referri poteſt quod ait Virgil. Eneid. 4. v. 470.

Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere
Thebas

26. *Caſtor gaudet equis, &c.*] De Caſtore : Polluce l. 1. Od. 3 & 12.

Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem.

27. *Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum Millia.*] Teren. Phorm. 2, 3, 14.

Quot homines, tot ſententiæ.———

erſ. Sat. 5. v. 52.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus.
Velle ſuum cuique eſt; nec voto vivitur uno.
Hic campo indulget, &c.

29. *Melioris.*] Poëticâ facultate. Alii malè eferunt ad nobilitatem & opes: de quibus afrà, v. 75.

31. *Malè ceſſerat.*] Legunt alii, *geſſerat.*

32. *Decurrens alio.*] Id eſt, non aliud quærebat levamentum aut ſolatium in adverſis: nec in rebus ſecundis lætitiam ſuam cum aliis communicabat.

33. *Votivâ tabellâ.*] Infortunia enim ſua perinde ille deſcripſit, ut proſperos vitæ ſucceſſus. De naufragis tabellam in templis Deorum ſuſpendere conſuetis, l. 1. Od. 5.

34. *Vita ſenis.*] *Senem* vocat Lucilium poëta non tam ætatis quàm honoris & venerationis causâ. Nec ad rem videtur quod afferunt ex Gell. l. 10. c. 28. milites annum quadrageſimum ſextum ſupergreſſos ſeniores fuiſſe appellatos. Nec valdè certum eſt mortem Lucilio contigiſſe anno ætatis 46. quod refert Euſebius. Sunt qui ſenem vocari putent quod veteribus poëtis accenſeatur Lucilius, Lib. 1. Sat. 4. & 10.

Lucanus an Appulus, anceps.] Quid hæc Poëtæ dubitatio ad rem præſentem? fortaſſis ità ſe jocoſè & facete oſtendit ancipitem dubitare de Trebatii conſiliis.

35. *Venuſinus.*] Venuſia, hodiè *Venoſa*, urbs in Apuliæ Lucanique ſita confinio. Horatii patria. Vide l. 3. Od. 4. v. 9.

36. *Miſſus ad hoc, &c.*] Colonia Romana Venuſiam miſſa eſt, expulſis inde Sabellis, id eſt, Samnitibus: qui quam graves fuerint Romanis hoſtes, paſſim legitur, apud Tit. Liv. l. 7, 8, 9, 10. Porrò ne à Samnitibus crederetur oriundus noſter Poëta, poſtquam Venuſinum ſe indicavit, notat inde pulſos olim Samnites, coloniamque illuc Româ fuiſſe tranſmiſſam, unde originem habuerit.

Sabellis.] Hi à Sabinis orti ac denominati Samnium incoluerunt.

37. *Per vacuum.*] Si Venuſia præſidio Rom. deſtituta manſiſſet, vel recurriſſent *hoſtes* inde pulſi, nempè Samnites; vel Appuli ac Lucani res continuo novas moliti potuiſſent.

 Sivè

Nec redeant iterum atq; iterum ſpectanda theatris.
Argutâ meretrice potes, Davóque Chremeta
Eludente, comis garrire libellos
Unus vivorum, Fundani. Pollio regum
Facta canit pede ter percuſſo. Forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit: molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenæ. [606]
Hoc erat, experto fruſtra Varrone Atacino,
Atq; quibuſdam aliis, meliùs quod ſcribere poſſem,
Inventore minor: neque ego illi detrahere auſim
Hærentem capiti multâ cùm laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, ſæpè ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Agè, quæſo,

nec reponenda bis terque in theatro ad ſpectaculum. Tu quidem, ô Fundani, ſolus viventium noſti urbanè ſcribere verſus comicos, *in quibus meretrix aſtuta & ſervus decipiunt vetulum Chremetem. Pollio principum geſta refert pede ter percuſſo. Varius carmen heroicum exequitur magis ſtrenuè quàm ullus alius. Muſæ ſilvarum amantes donârunt Virgilio tenerum ac lepidum. Iſtud reſtabat à Varrone Atacino & aliquot aliis tentatum fruſtrà, quod felicius expedire poſſem ego, auctore* tamen *inferior: cui nequaquam velim auferre lauream magnâ cum laude capiti* ejus *aptatam. Sed dixi illum currere cœnoſum, ſæpè vehentem damnanda, ut plura quidem quàm approbanda. Dic verò, precor,*

ANNOTATIONES.

39. *Iterum ſpectanda theatris.*] Neque dramata compoſui in ſcenam producenda, ad auram vulgi & publicum favorem captandum. Hâc ſum etenim ambitione procul.

40. *Argutâ meretrice potes, &c.*] O Fundani, ſolus poëtarum qui modò vivunt, peritus es, atque unus ſcitè & facetè vates ſcribere comœdias: in quibus *arguta meretrix* & ſervus aſtutus *comiter garrientes eludunt ſenem*, ejus crumenam emungunt, &c.

Davoque Chremeta.] Alluſio eſt ad Terentii Andriam, ubi Chremes ſenex, Davus ſervus, notæ ſunt perſonæ comicæ.

41. *Comis.*] Hæ voces comis, comœdia, comeſſatio, habent originem a *κῶμος; feſtivitas.* Hoc etiam nomine colebatur Deus hilaritatis & laſciviæ. Varro 6 de Ling. Lat.

42. *Fundani.*] Mirum ſanè quòd à nemine uſquam laudatur Fundanius ille, quem tam inſigni elogio exornat Horatius.

Pollio. regum Facta canit.] Tragœdias eleganter ſcribit: *pede ter percuſſo:* verſibus ſenariis tres dimenſiones habentibus: qui *ſenos reddunt ictus*, ut eſt in Epiſt. ad Piſon. v. 253. In tragœdiis nempè, ut norunt omnes, *facta regum* ſunt argumenta conſueta, & verſus Iambici trimetri duntaxat adhibentur. Vide l. 2. Od. 1. ubi de Pollione, &c.

43. *Forte epos.*] Varius epicum carmen ſtrenuè exequitur; *forte*, quippe quòd nequit expediri ſine forti & conſtanti ſpiritu, & venâ abundanti ac divite, eſtque opus longum, animique ſolertis ac diu multumquè attenti. Vide l. 1. Od. 6. ubi de Vario excellenti poëta. Item Petr. Crinit. Poët. Lat. l. 3. c. 44.

44. *Molle atque facetum Virgilio, &c.*] Virgilius Bucolica & Georgica ſtylo molli & idoneo compoſuit. Tunc nimirùm Æneis nondum in lucem prodierat, cùm ſcriberet iſta Horatius.

Facetum.] Quintil. l. 6. c. 3. *Facetum non tantum circa ridicula opinor conſiſtere. Nec enim diceret Horatius, facetum carminis genus naturâ conceſſum eſſe Virgilio. Decoris hanc magis & excultæ cujuſdam elegantiæ appellationem puto. Ideóque in Epiſtolis Cicero hæc Bruti verba refert:* nec illi ſunt pedes faceti, &c. *quod convenit cum illo Horatiano:* Molle atque facetum.

46. *Hoc erat, experto:*] Carmen ſatiricum erat, quod ego meliùs aliis multis poſſem ſcribere; non tamen par Lucilio inventori.

Experto fruſtrà Varrone Atacino.] Pub Terent. Varro Atacinus, ab Atace Narbonis Galliæ vico vel fluvio cognominatus, iis natus temporibus quibus Cicero & Hortenſius clari habebantur in eloquentia; ingenio præclaro fuit: ſcripſit Epigrammata, Elegias, & alia mirifico ſtudio. Argonautica ejus celebrant Probus Valerius, aliique Grammatici, & ex illis ſæpè verſiculos referunt. At in Satiris fruſtrà deſudavit. Adeò verum eſt quod canit in Eclog. Virgilius: *non omnia poſſumus omnes.* Vide Pet. Crinitum. l. 2. c. 13. Quintil. l. 10. c. 1. ità ſcribit; *Atacinus Varro in iis per quæ nomen adeptus eſt, interpres operis alieni, non ſpernendus quidem, verùm ad augendam facultatem dicendi parum locuples.* Ejus etiam meminit Euſeb. Chron. natumque refert ad Olymp. 174. annis circiter viginti à morte Lucilii; & Græcas literas ſummo ſtudio didiciſſe anno ætatis 35.

48. *Inventore minor.*] Quòd Lucilius Satiras primas ſcripſit, & quòd *miram eruditionem libertatem, acerbitatem & abunde ſalis* habet, hinc eò ſe minorem profitetur noſter, quamquam *terſior multò ac purus magis, & ad notandos mores præcipuus:* ut fatetur Quintil. antè citatus.

Th

Tu nihil in magno doctus reprêndis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Attî?
Non ridet verſus Ennî gravitate minores. [607]
Cùm de ſe loquitur, non ùt majore reprenſis? [608]

numquid tu eruditus nihil redarguis in Homero magno? Numquid Lucilius ipſe facetus nihil mutat Attii Tragœdiarum ſcriptoris? An non deridet Ennii verſus quoſdam leviores; quando loquitur de ſeipſo haud tanquam perfectiore iis quos carpit?

ANNOTATIONES.

52. *Homero?*] Qui, bonus licet & magnus, interdum ipſe dormitâſſe reperitur, neq; omninò eſt ſine mendis, quamvis agnoſcatur ab univerſis ingenio, arte, eruditione, aliiſque virtutibus, omnium facilè princeps. Vide Longinum.

53. *Nil comis tragici mutat Lucilius Atti?*] Si Lucilius ipſe in prioribus poëtis quædam emendat; cur nos Lucilium ad trutinam non revocabimus?

L. Attius (*Accius* ſcribunt quidam) Tragœdiarum ſcriptor, Pacuvio paulò junior, ingenio acri fuit. Ejus verſibus exornari templorum ac monumentorum aditus volebat Decimus Brutus, teſte Cicerone in orat. pro Archiâ poëtâ. n. 27. Pacuvius autem Acci Tragœdiam Atreum laudavit velut grandem & ſonoram: reprehendit verò quaſi ſubacidam & duriuſculam. Quod faſſus eſt Attius; addiditque ſe non pœnitere; quia, ſicut poma acerba primùm & dura paulatim fiunt mitia; ita & ingenia: contrà quæ vieta gignuntur & mollia, ad veram frugem & maturitatem nunquam perveniunt, ſed potius ac magis putreſcunt. Vide Crinit. de Poëtis l. 1. c. 7. Gell. l. 13. c. 2. l. 18. c. ult. ubi ſic ſcribit in fine: *poſtà Q. Ennius, & juxta Cæcilius & Terentius, ac ſubinde Pacuvius, & Pacuvio jam ſene Attius, clariorque tunc in poëmatis eorum obtrectandis Lucilius fuit.* Attius Tragoedias benè multas ſcripſit, quarum fragmenta quædam ſuperſunt; Comœdias etiam. Quam fortaſſis ob rem *comis Tragicus* hic appellatur. Vulgò tamen vox *comis* non in Genit. accipitur, ſed in Nominat. referturque ad ſeq. *Lucilius.* Tragœdiæ Acci celebrantur, Phœnice, Medea, Menalippus, Alcmæon, Prometheus, Atreus, Philoctetes, Neoptolemus, &c. imprimis autem Argonautæ, unde eſt illud carmen de Argo navi laudatiſſimum:

. . . . Tanta moles labitur
Fremebunda ex alto, ingenti ſonitu & ſtrepitu,
Præ ſe undas volvit: vortices vi ſuſcitat.
Ruit, prolapſa pelagus reſpergit: profluit.
Ità dum interruptum credas nimbum volvier:
Dum quod ſublime ventis expulſum rapier
Saxum; aut procellis, vel globoſos turbines
Exiſtere ictos undis concurſantibus;
Niſi quas terreſtres pontus ſtrages conciet:
Aut forte Triton fuſcinâ verrens ſpecus
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo ſaxeam ad cælum eruit,

Vide & apud Cic. cit. Attii verſus, variis locis de Divin. 1. n. 44, &c.

54. *Ennî.*] Q. Ennius Poëta natus eſt Tarenti, vel, ut plerique volunt, Rudiis in oppido Salentinorum. Tullius pro Archia, *Rudium hominem* vocat, & mire commendat Ennium; nec minus alii, velut acri virum ingenio, eruditione multiplici, fide, comitate, probitate, doctrinâ omninò ſingulari. Floruit temporibus Plauti Comici & M. Catonis oratoris clariſſimi. Quem deinceps ſecuti ſunt Cæcilius, Pacuvius, Attius, &c. Permulta compoſuit vario carmine, Annales, Tragœdias, Comœdias, Satiras, &c. ex Lucretio, l. 1. c. 118.

Ennius . . . . primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.

Quintilianus Ennium ſcribit pari veneratione colendum ac ſacros vetuſtate lucos, in quibus grandia robora non tantam habent ſpeciem quantam religionem. Ennii verſus affert Cicero pluribus locis. Lege de Divin. 1. n. 40, &c. Vide & Macrob. Saturnal. l. 6.

Ridet verſus gravitate minores.] Quamvis tanti habitus eſt Ennius, in ejus carminibus quædam rectè reprehendit ac deridet Lucilius tanquam haud ſatis graviter & accuratè ſcripta. Annæus Seneca Epiſt. ad Lucil. *Admiror,* inquit, *eloquentiſſimos viros & deditos Ennio, pro optimis ridicula laudâſſe:* & hoſce de Cethego verſus Ennii affert:

Is dictus cunctis ollis popularibus olim
Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant,
Flos delibatus populi, Suadæque medulla.

Ennium tamen defendit Gell. l. 12. c. 2. Macrob. Saturnal. l. 1. c. 4. & l. 6. c. 3. *Nemo,* inquit, *ex hoc viles putet veteres poëtas, quòd verſus eorum ſcabri nobis videntur. Ille enim ſtylus Enniani ſeculi auribus ſolus placebat: diuque laboravit ætas ſecuta, ut magis hunc molliori ſtylo temperarent* Neque verò prætereire hic licet aut ridiculos aut ſcabros Ennii verſiculos iſtos:

O Tite, tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti.
At tuba terribili ſonitu taratantara dixit.

55. *Cùm de ſe loquitur, &c.*] Cùm Lucilius quoſdam Ennii verſus ridet ac reprehendit, non tamen eò ſe majorem dicit: ſic ego Lucilii quædam reprehendens, haudquaquam me illi

Quid

Quid pariter impedit nos scripta Lucilii evolventes disquirere, an ejus, an rerum natura difficilis prohibuerit versus limatiores & suaviùs fluentes quàm si aliquis id unum satis habeat carmen aliquod includere sex pedibus; et gaudeat fecisse ducentos versus ante cœnam, ac totidem post? qualis fuit vena Cassii Etrusci vehemente fluvio rapidior; quem narrant crematum fuisse scriniis & scriptis suis. Dico igitur; *Esto, fuerit Lucilius facetus ac lepidus; fuerit etiam magis politus quàm inventor poëmatis nondum exculti, atque Græcis haud tentati,*

Quid vetat & noſmet Lucili ſcripta legentes
Quærere, num illius, num rerum dura negârit
Verſiculos natura magis factos, et euntes
Mollius? ac ſi quis pedibus quid claudere ſenis
(Hoc tantùm) contentus, amet ſcripſiſſe ducentos
Ante cibum verſus, totidem cœnatus? Etruſci
Quale fuit Caſsî rapido ferventius amni [609]
Ingenium; capſis quem fama eſt eſſe libriſque
Ambuſtum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus; fuerit limatior idem,
Quàm rudis et Græcis intacti carminis auctor,

ANNOTATIONES.

præferendum exiſtimem. Iſta verba Horatii de Ennio intelligenda contendit Heinſius, exploſiſque aliorum interpretationibus cantat εὕρηκα, *inveni*; verùm quàm longè ab Horatii mente aberrârit, luculenter & eruditè, ut certè alia, exequitur noſter Dacerius, ad quem te paulùm divertere, lector, nuſquam pigeat.

57. *Num illius, nùm rerum dura negârit natura, &c.*] Utrum Lucilianorum verſuum compoſitio rudis & impolita ex materiæ & rerum naturâ difficili prodierit; an ex ipſius ingenio duriori, vel certè ex indiligentiâ, & quòd ſcribentem offenderit *limæ labor & mora?* Epiſt. ad Piſ. v. 293.

58. *Verſiculos magis factos,*] Cic. in Bruto, *Intellectam eſt quantam vim habeat accurata & facta quodammodo oratio.*

Euntes Mollius.] Martial. Epigr. 11, 91.

> *Carmina nulla probas molli quæ limite currunt,*
> *Sed quæ per ſalebras, altaque ſaxa cadunt.*

59. *At ſi quis*] Quanta hîc varietas difficultaſque? Alii legunt, *ac ſi quis*, junguntque cum antecedentibus, & ſic explicant: *Verſiculos euntes Mollius, ac ſi quis pedibus, &c.* Id eſt, verſus molliores & concinniores, quàm facere ſoleat poëta negligens, qui ſatis habuit plures ſcribere parvo labore verſus, parum etiam venuſtos. Alii, *aut ſi quis.* Alii, *an ſi quis, &c.* Prima legendi ratio ſatis placet; malim tamen, *an ſit qui pedibus, &c.* hoc ſenſu: quid vetat nos ſcripta Lucilii recenſentes quærere unde fiat, ut plerique verſus ejus incompoſiti, non magis facti, & molliùs eant? an ex vitio rerum; an ex ipſius rudiori naturâ; an is ipſe fuerit qui *pedibus quid claudere ſenis Hoc tantum contentus, amaverit ſcripſiſſe ducentos, &c.* nec ſtuduerit recenſere, emendare, ac *malè tornatos incudi reddere verſus*; ut eſt in Epiſt. ad Piſ. v. 441.

61. *Etruſci Quale fuit, &c.*] Caſſius Parmenſis abundantis ac fœcundæ magis quàm divitis & pulchræ venæ poëta, ab Auguſto juſſus interfici, tum quòd ipſi obtrectare pergeret, tum præcipuè quòd Jul. Cæſaris percuſſoribus hoſtibuſque ſui ſemper adhæſerat. Hinc eum ſponte vellicat Horatius Auguſto velificans. Sueton. Octav. c. 4. *Caſſius Parmenſis quadam epiſtola non tantum ut piſtoris, ſed etiam ut nummularii nepotem, ſic taxat Auguſtum*; materna tibi farina; ſiquidem ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino hanc pinſit manibus collybo decoloratis Neruloneſis menſarius. Vide Vell. Paterc. l. 2. Oroſ. l. 6. c. 19. Appian. bell. civil. l. 5. item Valer. Max. l. 1. c. 7. Art. 7. Crinit. l. 3. c. 47.

63. *Capſis libriſque Ambuſtum propriis.*] Tot libros ac verſus futiles ille ſcripſerat, inquit noſter jocosè & dicaciter, ut cremando ejus cadaveri ſuffecerint. Quod ex Senatuſconſulto factum aſſerit vet. Comment. Verum id refellitur ex verbis, *famâ eſt.*

Caſſî Parmenſis de Orpheo carmen hoc afferunt.

> *Argutæ primùm cum plectra parentis, & auro*
> *Diſtinctam ſumpſit citharam Rhodopeius heros,*
> *Ridebant ſegnes pulſus, digitoſque micantes*
> *Striùs, & chordis indoctæ diſſona vocis.*
> *Mox pudor exardens & gloria dulcis honeſti*
> *Luſibus avertit puerilibus, omnis & illuc*
> *Perditus incumbens Muſæ pallebat amore.*
> *Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis*
> *Cantibus, hinc illinc diſcens dependet utrimque;*
> *Nulla Venus faciem cepit mentita doloſa*
> *Compedibus; ſoni fuerat parcúſque Lyæi;*
> *Donec ridiculus dudum modulamine ſilvas,*
> *Evulſoſque ſuis ſcopulos radicibus egit;*
> *Auſus & ire viam viventibus inconceſſam,*
> *Pœnarum oblitos demulſit carmine Manes.*
> *Non levis aſcenſus, ſi quis petit ardua. Sudor*
> *Plurimus hunc tollit, nocturnis exſomnis olivo*
> *Immoritur, delet quod mox laudaverit in ſe,*
> *Qui cupit æternæ donari frondis honore.*

66. *Quàm rudis & Græcis intacti carminis auctor.*] Quàm Ennius, qui primus omnium fa-

ámque poëtarum ſeniorum turba: ſed ille
fóret hoc noſtrum fato dilatus in ævum;
etereret ſibi multa; recideret omne quod ultra
rfectum traheretur; et in verſu faciendo [610]
epe caput ſcaberet, vivos et roderet ungues.
epe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſint
ripturus: neque, te ut miretur turba, labores,
ontentus paucis lectoribus. An tua demens
ilibus in ludis dictari carmina malis?
on ego. Nam ſatis eſt equitem mihi plaudere:
ut audax,
ontemptis aliis, exploſa Arbuſcula dixit.
en' moveat cimex Pantilius, aut crucier, quòd
ellicet abſentem Demetrius, aut quòd ine-
ptus [611]

& quàm omnes poëtas ſuperiores; atqui ſi ipſe ad noſtram hanc ætatem reſervatus a fatis eſſet, certè plurima ſibi reſecaret; quicquid tranſgreditur perfectum modum, reſcinderet; atque in condendis carminibus frequenter caput ſcalperet, atque ungues ad vivum morderet. Sæpe ſtylum convertito aditurus quæ mereantur haud ſemel evolvi; nec ſatagas ut te plebs admiretur; imò ſatis habe ut pauci tua legant. An verò ſtulte gaudeas tuos verſus dictari in ſcholis ignobilioribus? Ego nequaquam. Sufficit mihi ut equites mihi applaudant; quemadmodum Arbuſcula exploſa conſtanter aiebat, cæteris ſpretis. An moveat me Pantilius cimex? aut doleam quòd abſentem me Demetrius reprehendat, aut quòd redarguat nugax

ANNOTATIONES.

...s ſed rudes omninò ſcripſit; at Lucilius ...inde limatiores & perfectiores, Quare hic ...ræ quaſi primus auctor aut certè artifex jure ...eatur. Alii vocem *rudis* in caſu nominativo ...ipiunt, ſicque interpretantur; fuerit Lucilius ...atior quàm rudior, *&c.* Sed perperam.

Græcis intacti.] Græcorum nemo Satiras ...ipſit. Unde Quintilianus l. 10. c. 1. *Satira ...dem tota noſtra eſt, in quâ primus inſignem ...dem adeptus eſt Lucilius, &c.* Aliter ſenſit J. Scaliger, Poët. lib. 1. cap. 12. & lib. 3. ...98. Vide Caſaub. de Satira.

67. *Poëtarum ſeniorum*] De his Sat. 4. præc.

69. *Recideret omne quod, &c.*] Superflua, ...oncinna, *ambitioſa recidet ornamenta,* inquit ...ter ad Piſ. v. 447. item *omne ſupervacuum ...o de pectore manat,* v. 377. Vide illùc an...tanda.

71. *Caput ſcaberet,*] Hæc enim haud rarò ...it quiſquis accuratæ & perfectæ compoſiti... operam navat. Marcilius & alii quidam ...alludi volunt ad Minervam è cerebro Jovis ...itam.

Vivos & roderet ungues.] Perſ. Sat. 1. v. 106. *Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.*] ... leviter ſcribendi genus ſignificat ille, ut ...tat. lib. 10. cap. 3.

72. *Sæpè ſtylum vertas, &c.*] Quintil. l. 10. 4. *Emendatio pars ſtudiorum longè utiliſſima. ...que enim ſine cauſâ creditum eſt, ſtylum non ...us agere cum delet. Hujus autem operis eſt, ...icere, detrahere, mutare. Sed facilius in iis ...pliciuſque judicium, quæ replenda vel dejicienda ſunt; premere verò tumentia, humilia extollere, luxuriantia adſtringere, inordinata digerere, ...ta componere, exultantia coërcere, duplicis operæ. Nam & damnanda ſunt quæ placuerant; & invenienda quæ ſugerunt.*

Stylum vertas,] Veteres nimirum in ceratâ ſcribentes tabellâ utebantur ſtylo, cujus pars altera acuta erat, & acumen dicebatur: altera obtuſa, quâ delebant id quod erat exaratum, complanantes & æquantes ceram, ut novam ſcripturam exararent. Ergò qui aliquid volebat mutare, ſtylum vertebat, atque alteram ejus partem adhibebat. Rem graphice exponit P. Crinitus l. 17. de hon. diſcipl. c. 4. & Prudent. Hym. de coronis;

Inde alii ſtimulos & acumina ferrea vibrant,
Quâ parte aratis cera ſulcis ſcribitur;
Et quâ ſecti apices abradentur, & æquoris hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.

75. *Vilibus in ludis dictari carmina.*] Perſ. Sat. 1. v. 29.

Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe
Pro nihilo pendas?

77. *Exploſa Arbuſcula dixit.*] Mima illa cùm à plebe & vulgo explodebatur, parvi ducebat, dummodo paucis nobilioribus placuiſſet. Hujus meminit Cicero ad Attic. lib. 4. Epiſt.

14. *Quæris nunc de Arbuſcula? Valde placuit. Ludi magnifici & grati.*

78. *Men' moveat cimex Pantilius,*] Profitetur Horatius parum ſe moveri dicteriis Pantilii ſcurræ ipſi obtrectare aſſueti.

Cimex] Gall. *Punaiſe.* Angl. A Bed-Bug, metaph. homo putidus & mordax inſtar illius inſecti omnibus inviſi & moleſti ob aculeum & fœtorem.

79. *Demetrius.*] Hunc anteâ ſimium vocavit.

Fannius

Fannius Hermogenis Tigellii conviva? Approbent iſta Plotius, Varius, Mæcenas, Virgilius, Valgius, optimus etiam Octavius, & Fuſcus; nec non ambo Viſci laudent velim. Citra ambitionem licet accenſere te, ô Pollio; te, ô Meſſala, cum tuo fratre; vos quoque Bibule, & Servi; ac te pariter, ô ſincere Furni; atque alios non paucos eruditos amicoſque, quos tamen ſponte: quibus iſta, qualiacumque ſint, placere cupio; ægre laturus, ſi minus arrideant, quam ſpero. Te autem, ô Demetri, teque ô Tigelli, jubeo flere inter ſedilia diſcipularum. Vade ô famule, & quamprimum hæc adjunge ſcriptis meis.

Fannius Hermogenis lædat conviva Tigellî?
Plotius, et Varius, Mæcenas, Virgiliúſque,
Valgius, & probet hæc Octavius optimus, atque
Fuſcus, & hæc utinam Viſcorum laudet uterq;:
Ambitione relegatâ te dicere poſſum,
Pollio; te, Meſſala, tuo cum fratre; ſimulque
Vos Bibuli, et Servi; ſimul his te, candide Furni;
Complures alios, doctos ego quos et amicos [612]
Prudens prætereo: quibus hæc, ſunt qualiacumque,
Arridere velim; doliturus, ſi placeant ſpe
Deteriùs noſtrâ. Demetri, teque, Tigelli,
Diſcipularum inter jubeo plorare cathedras.
I puer; atque meo citus hæc ſubſcribe libello.

ANNOTATIONES.

80. *Fannius*] De hoc vili poëta, item de Hermogene Tigellio, in Sat. 4. ſuperiore.

81. *Plotius, & Varius.*] *De Plotio* Tucca, in Sat. 5. præced. De *Vario*, l. 1. Od. 6.

Mæcenas,] Is literatorum patronus & ipſe literis mirabiliter imbutus, facilitate ingenii, eloquentiâ mediocriter excelluit, & poëticâ facultate. Scripſit varii generis poëmata, Elegias, Tragœdias. De ſepulchri contemptu fertur ceciniſſe:

Nec tumulum curo: ſepelit natura relictos.

Virgilius.] De hoc poëtarum certè principe nulla quàm pauca annotâſſe præſtat.

82. *Valgius*] T. Valgius conſulari ortus familiâ elegans fuit in condendis carminibus, teſte vel Tibullo ad Meſſalam ità ſcribente, l. 4. El. 1. v. 179.

Eſt tibi qui poſſit magnis ſe accingere rebus
Valgius: æterno propior non alter Homero,

De eo jam l. 2. Od. 9. inſcriptâ.

Octavius optimus,] Optimus nempè is poëta hiſtorias etiam ſcripſit. Cave, lector, ne Auguſtum accipias.

83. *Fuſcus,*] De Ariſtio Fuſco celebri Grammatico jam antè, l. 1. Od. 22. ipſi inſcriptâ, item Sat. 9 præced. iterumque poſtea Epiſt. 10. lib. 1.

Viſcorum uterque.] Duo nempè fratres erant, bonus uterque poëta: nati patre Vibio Viſco Equite Romano opibus & gratiâ apud Auguſtum pollente.

84. *Ambitione relegatâ*] Citra adulationem.

85. *Pollio;*] Aſinius Pollio orator præclarus, Auguſto pergratus, Romæ ſcholam tenuit poſt Timagenem: primus ſcripta ſua recitavit, primus etiam Romæ bibliothecam feciſſe dicitur. Bella Cæſaris & Pompeii ſcripſit. Diligentiæ plurimum, conſilii & animi ſatis habebat, teſte Quintiliano; at nitore carebat & jucunditate Ciceronis. Vide l. 2. Od. 1. illi inſcriptam.

Meſſala,] De hoc anteà v. 29. ad vocem *Corvinus.*

86. *Vos Bibuli, & Servi;*] Bibulorum atque Serviorum Romæ inſignes fuiſſe familias nemo neſcit. Jul. Cæſaris in conſulatu collega Bibulus. Ad Servium Sulpitium ſunt multæ Ciceronis Epiſt. l. 4.

Furni.] Furnius hiſtoriarum ſcriptor elegans & accuratus, etiam Romæ Conſul fuit.

91. *Diſcipularum inter, &c.*] Locum hunc plerique interpretum tranſiliunt intactum, quanquam, ut mihi videtur, ſtylo non indignum. Quidam volunt Horatium imprecari luctum & infortunium Demetrio atque Tigellio tanquam ineptis & inſulſis ſcriptoribus, qui mulierculis duntaxat placere ſtuderent. Ego verò ſic interpretor Horatium quaſi dicat: Ite molles & effœminati, pergite adoleſcentibus corruptis, vel etiam mulierculis recitare Elegias, amatoria carmina, voce flebili & affectata ad mollitiem: juxta id quod habet Perſius, Sat. 1. v. 34.

—Vatum plorabile ſi quid,
Eliquat, & tenero ſupplantat verba palato.

92. *Meo citus hæc ſubſcribe libello.*] Iis quæ anteà de Lucilio ſcripſi hæc adjunge: Nimirum Satiræ quartæ præcedenti hanc addi jubet, quæ illam & explicat & aſſerit.

Q. HORATII FLACCI
SATIRARUM
LIBER II.

SATIRA I.

Se non poſſe Trebatii conſilium ſequi à ſcribendâ Satirâ dehortantis.

ſUNT quibus in Satirâ videar nimis acer, & ultra [613]
Legem tendere opus. Sine nervis altera, quicquid
Compoſui, pars eſſe putat; ſimiléſque meorum
Mille die verſus deduci poſſe. Trebati, 4
Quid faciam præſcribe. Quieſcas. Ne faciam, inquis, [614]

INTERPRETATIO.

Horat.] *Sunt* homines *quibus videar nimis aſper in Satirâ, & carmen intendere ſupra modum. Pars altera exiſtimat ſine viribus eſſe id omne quod ſcripſi; atque uno die condi poſſe mille verſus æquales meis. O Trebati, jube quid agam.* TREBAT. *Abſtine.* HOR. *Dicis, ne*

ANNOTATIONES.

1. *Sunt quibus, &c.*] Dialogiſmus iſtic eſt loratii ac Trebatii. Hunc nempè magni nouinis Juriſconſultum facete conſulit ille quid gat, num Satiras ſcribere debeat. Tandem mnes Trebatii diſſuadentis rationes, ac legum tiam præſcripta, riſu ſolvit Horatius.

Videar nimis acer,] Nimis dicacem & acerbum e redarguunt alii; alii contrà velut enertum & ſatirico ſale deſtitutum, O hominum ıdicia!

Ultra legem.] Vel, ultra modum Satiræ onvenientem: quæ quidem lepida, jocoſa, alſa potiùs quàm aſpera, injurioſa, contumeoſa. Vel, ultra quàm jubet lex ſeu 12 Tab. eu Julia de Majeſtate, utraque ſcilicet vetans uemquam famoſo carmine aut libello violari. Vide poſteâ v. 82. Item Epiſt. ad Piſ. v. 283. bi ſic habetur.

. . . . *Sed in vitium libertas excidit, & vim Dignam lege regi, &c.*

2. *Tendere opus.*] Metaph. ab inſtrumentis muſicis, in quibus tenſæ nimis chordæ rumpuntur.

4. *Deduci.*] Epiſt. ad Auguſtum.

. . . . *Tenui deducta pöemata filo.*

Trebati.] C. Trebatius Teſta probitate, juris ſcientiâ, bellicâ etiam virtute inſignis: Eques Romanus, Julio Cæſari charus, & aſſecla comeſque ad bellum Gallicum: Tullio Ciceroni perquam familiaris, & amicus, paſſimque laudatus. Epiſt. ad Famil. l. 7. ad Attic. l. 10. Epiſt. 1. Topic. &c. Alex. ab Alex. l. 6. c. 23. ſcribit. *Trebatium ſub diſciplinâ Ciceronis Juris peritiſſimum aliquot libros de Jure Civili compoſuiſſe, ac de religionibus novem: nec non heroico verſu plurimum valuiſſe, atque inter pöetas annumeratum.*

3. *Quieſcas . . . . Aio.*] Adverte dictiones Juriſconſulto præſcribenti accommodatas.

Omnino

Omnino verſus? Aio. Pereain malè, ſi non
Optimum erat: verùm nequeo dormire. Ter uncti
Tranſnanto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto,
Irriguumque mero ſub noctem corpus habento.
Aut, ſi tantus amor ſcribendi te rapit, aude
Cæſaris invicti rès dicere, multa laborum
Præmia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fractâ pereuntes cuſpide Gallos,
Aut labentis equo deſcribat vulnera Parthi.
Attamen et juſtum poteras et ſcribere fortem,
Scipiadam ut ſapiens Lucilius. Haud mihi deero, [615]
Cùm res ipſa feret: niſi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem:
Cui malè ſi palpere, recalcitrat undique tutus.
Quantò rectiùs hoc, quàm triſti lædere verſu
Pantolabum ſcurram, Nomentanumq; nepotem?
Cùm ſibi quiſque timet, quanquam eſt intactus, & odit.
Quid faciam? Saltat Milonius, ut ſemel icto

omnino ſcribam verſus? TREB. *Dico.* HOR. *Miſere interea m, niſi optimum foret: at dormire non poſſum.* TREB. *Qui egent profundo ſopore,* oleo *delibuti ter Tiberim tranſnatent, atque veſperi vino corpus irrigent. Vel, ſi tam vehemens ſcribendi cupido te occupat, inſuperabilis Auguſti facinora canenda ſuſcipe, ingentem operæ mercedem accepturus.* HOR. *O bone parens, cupientem nervi deſtituunt. Nec enim quilibet* valet *dicere cohortes ſpiculis aſperas, aut Gallos ruptis telis morientes, vel Parthos equis decidentes præ vulneribus.* TREB. *Atqui poteras Cæſarem juſtum ac ſtrenuum celebrare, ſicut prudens Lucilius Scipionem.*

HOR. *Hoc præſtabo diligenter, quoties dabit ſe occaſio:* Verumtamen *non niſi opportuno tempore verba Horatii adibunt aures Auguſti ſapientis; cui ſi perperam aduleris, reſpuit munitus undequaque.* TREB. *Quantò meliùs id, quàm moleſto carmine offendere Pantolabum ſcurram, & Nomentanum decoctorem? quandoquidem omnes ſibi metuunt, atque averſantur* poëtam, *etiam minimè laceſſiti.* HOR. *Quid agam?* Enimverò *ſaltat Milonius cùm primùm capiti per*

ANNOTATIONES.

7. *Ter uncti Tranſnanto, &c.*] Jocoſæ querimoniæ jocoſa & callida reſponſio, certè apta homini natandi ſtudioſiſſimo, qualem fuiſſe Trebatium dicit Tullius, l. 7. Epiſt. 10. *In re militari multo es cautior, quàm in advocationibus, qui neque in Oceano natare volueris ſtudioſiſſimus homo natandi . . . ſed jam ſatis jocati ſumus, &c.*

Ter] Corporis defatigatio ſomnum conciliat.

Uncti.] Olei calore muniebant ſe nataturi adverſus aquæ frigus.

9. *Irriguumque mero, &c.*] Neque hoc à Trebatii moribus & ingenio prorſùs abhorrens; ait enim ad eum Tullius l. 7. Epiſt. 22. *Illuſeras heri inter ſcyphos, quod dixeram, &c.*

12. *Pater optime.*] Cic. l. 7. Epiſt. 16. *Tu, mi vetule, non ſero, &c.*

14. *Fractâ pereuntes cuſpide Gallos.*] Ex hiſtoriâ C. Marii, quem adverſus Cimbros pugnantem Plutarchus refert nova tela excogitâſſe. Scilicet haſta lignea quæ ferrum ingreditur, duabus fibulis ferreis contineri ſolebat; tunc autem Marius alteram ut ante reliquit; alterâ verò exemptâ clavum ligneum fragilem in ejus locum immitti juſſit, eo conſilio ut jaculum hoſtili clypeo impactum curvaretur aut frangeretur: corpori autem vulnerato inhæreret ferrum à ligno ſeparatum; aut lignum transverſâ cuſpide hærens deorſum penderet, quo fiebat, ut vix evelli oblique infixum, certè ab hoſtibus retorqueri non poſſet incurvatum aut corruptum.

15. *Labentis equo deſcribat vulnera Parthi.*] De his l. 1. Od. 12, & 19. & l. 3. Od. 5.

16. *Attamen & juſtum, &c.*] Atqui ſi Auguſti bella non vales deſcribere, poteras certè juſtitiam, animi magnitudinem, aliáſque virtutes celebrare; quemadmodum Scipionis Lucilius, qui vitam ejus privatam deſcripſit, Ennius autem bellica facinora.

20. *Undique tutus.*] Rerum cognitione & ſapientiâ affatim inſtructus quaſvis adulationes ſtatim repellit ac reſpuit.

21. *Pantolabum ſcurram, Nomentanumque.*] De his nebulonibus jam dictum, Sat. 8. l. 1.

23. *Cum ſibi quiſque timet, &c.*] Naturâ duce id nobis timemus malum, quod aliis fieri cernimus.

24. *Quid faciam? ſaltat Milonius, ut ſemel, &c.*] Non magis à ſcribendâ Satirâ poſſum temperare, quàm a ſaltando Milonius temulen-

Acceſſit

ceſſit fervor capiti, numerúſque lucernis.
ſtor gaudet equis; ovo prognatus eodem
gnis. Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum
illia: me pedibus delectat claudere verba
icilî ritu, noſtrûm melioris utroque. [616]
e velut fidis arcana ſodalibus olim
edebat libris; neque, ſi malè ceſſerat, uſquam
:currens aliò, neq; ſi benè: quo fit ut omnis
ɔtivâ pateat veluti deſcripta tabellâ
ta ſenis. Sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps:
ım Venuſinus arat finem ſub utrumq; colonus,
ſſus ad hoc, pulſis (vetus eſt ut fama) Sabellis,
ıò nè per vacuum Romano incurreret hoſtis:

vinum percuſſo accrevit ardor, & numerus lampadibus. Sic & *Caſtor equis, eodem* autem *ovo editus caſtibus delectatur. Quot capitum, tot ſtudiorum millia exiſtunt. Me juvat numeris voces aſtringere ad inſtar Lucilii nobis ambobus præſtantioris. Is pridem ſua ſecreta committebat chartis tanquam amicis fidelibus, nec aliò confugiebat unquam, ſive proſperè ſive infeliciter* res *caderent. Unde venit ut ſenis* illius *vita omnis appareat quaſi depicta* in *tabellâ ex voto factâ. Hunc imitor* ego *dubius utrum Lucanus*, an *Appulus; quippe Venuſinus agricola* terram *exercet ad utrinſque limites; eam ob rem* ∣*ctus* iſtuc, *poſt ejectos Samnites (quemadmodum antiqua fert opinio) ut hoſtis per inane irrueret* in *Romanos*;

ANNOTATIONES.

, Cic. pro Muræna, n. 13. *Nemo ferè ſaltat* ∣*rius (niſi forte inſanit) neque in ſolitudine,* ∣*ue in convivio moderato atque honeſto. Intem*∣*ivi convivii, amæni loci, multarum deliciarum* ∣*es eſt extrema ſaltatio.*

25. *Numeruſque lucernis.*] Vini vaporibus ∣cutitur mens & caput, nec ſibi conſtat: ∣ul oculorum nervis nimiùm & inæqualiter ∣lentis, viſuales, ut aiunt, radii diſtrahuntur; hinc lucernam unam videns ebrius plures videre putat.] Ariſtot. Problem. Sect. 3. ∣hen. l. 10. Cœl. Rhodig. l. 28. c. 34. ∣cret. l. 4. v. 452.

Bina lucernarum flagrantia lumina flammis,
Et duplices hominum facies, & corpora bina.

∣venal. Sat. 6. v. 302.

. . . . *geminis exurgit menſa lucernis.*

∣c etiam referri poteſt quod ait Virgil. ∣neid. 4. v. 470.

Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere
Thebas

26. *Caſtor gaudet equis, &c.*] De Caſtore Polluce l. 1. Od. 3 & 12.

Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem.

27. *Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum* ∣*llia.*] Teren. Phorm. 2, 3, 14.

Quot homines, tot ſententiæ.——

∣rſ. Sat. 5. v. 52.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus.
Velle ſuum cuique eſt; nec voto vivitur uno.
Hic campo indulget, &c.

29. *Melioris.*] Poëticâ facultate. Alii malè ∣ferunt ad nobilitatem & opes: de quibus ∣frà, v. 75.

31. *Male ceſſerat.*] Legunt alii, *geſſerat*.

32. *Decurrens alio.*] Id eſt, non aliud quæ∣bat levamentum aut ſolatium in adverſis: nec in rebus ſecundis lætitiam ſuam cum aliis communicabat.

33. *Votivâ tabellâ.*] Infortunia enim ſua perinde ille deſcripſit, ut proſperos vitæ ſucceſſus. De naufragis tabellam in templis Deorum ſuſpendere conſuetis, l. 1. Od. 5.

34. *Vita ſenis.*] *Senem* vocat Lucilium poëta non tam ætatis quàm honoris & venerationis cauſâ. Nec ad rem videtur quod afferunt ex Gell. l. 10. c. 28. milites annum quadrageſimum ſextum ſupergreſſos ſeniores fuiſſe appellatos. Nec valdè certum eſt mortem Lucilio contigiſſe anno ætatis 46. quod refert Euſebius. Sunt qui ſenem vocari putent quod veteribus poëtis accenſeatur Lucilius, Lib. 1. Sat. 4. & 10.

Lucanus an Appulus, anceps.] Quid hæc Poëtæ dubitatio ad rem præſentem? fortaſſis ità ſe jocoſe & facete oſtendit ancipitem dubitare de Trebatii conſiliis.

35. *Venuſinus.*] Venuſia, hodiè *Venoſa*, urbs in Apuliæ Lucanique ſita confinio. Horatii patria. Vide l. 3. Od. 4. v. 9.

36. *Miſſus ad hoc, &c.*] Colonia Romana Venuſiam miſſa eſt, expulſis inde Sabellis, id eſt, Samnitibus: qui quam graves fuerint Romanis hoſtes, paſſim legitur, apud Tit. Liv. l. 7, 8, 9, 10. Porrò ne à Samnitibus crederetur oriundus noſter Poëta, poſtquam Venuſinum ſe indicavit, notat inde pulſos olim Samnites, coloniamque illuc Româ fuiſſe tranſmiſſam, unde originem habuerit.

Sabellis.] Hi à Sabinis orti ac denominati Samnium incoluerunt.

37. *Per vacuum.*] Si Venuſia præſidio Rom. deſtituta manſiſſet, vel recurriſſent *hoſtes* inde pulſi, nempè Samnites; vel Appuli ac Lucani res continuo novas moliti potuiſſent.

vel quia uatio ſeu Appulorum ſeu Lucanorum gravia bella molirentur. Verum aculeus iſte meus *neminem vivum ſponte lædet, me verò tuebitur ut gladius vaginâ conditus.* Etenim *quare hunc eduxerim ſecurus ab infenſis latronibus? O parens & dominator Jupiter, faxis ut enſis tectus rubigine abſumatur: nullusque me provocet amantiſſimum pacis. Sed quiſquis me laceſſet (ſatius* eſſe *moneo non provocare* me) *pœnas dabit, & famoſus* per *omnem civitatem decantabitur.* Ità *Servius offenſus interminatur leges & judicium; Canidia Albutii* filia *toxicum* his *quibus fuerit irata: Turius damnum ingens, ſi quiſpiam diſceptarit* apud *ſe Judicem.* Quòd autem *quiſque terreat inviſos* eâ parte *quâ valet* plurimùm, *& quod hoc ſuadeat natura maximè, ita mecum intellige. Lupus dente, taurus cornu impetit. Unde* hoc, *ſi non intus ſuggeratur? Scævæ luxurioſo committe parentem longævam: Illius bona manus haud patrabit ullum crimen (mirandum* ſcilicet. *Ità nec pedibus lupus, nec dentibus taurus ullum impetit.) Sed improba cicuta melle admixto vetulam interficiet. Ne diu morer, ſive quieta ſenectus.*

Sive quòd Appula gens, ſeu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic ſtylus haud petet ultro [617]
Quemquam animantem, et me veluti cuſtodiet enſis
Vaginâ tectus. Quem cur diſtringere coner
Tutus ab infeſtis latronibus? ô pater et rex
Jupiter, ut pereat poſitum rubigine telum:
Nec quiſquam noceat cupido mihi pacis! at ille
Qui me commôrit (melius non tangere, clamo)
Flebit, et inſignis totâ cantabitur urbe.
Servius iratus leges minitatur et urnam:
Canidia Albutî quibus eſt inimica, venenum;
Grande malum Turius, ſi quis ſe judice certet.
Ut, quo quiſq; valet, ſuſpectos terreat, útque
Imperet hoc natura potens, ſic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit. Unde, niſi intus,
Monſtratum; Scævæ vivacem crede nepoti [618]
Matrem; nil faciet ſceleris pia dextera: (mirum,
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos:)
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam, ſeu me tranquilla ſenectus

ANNOTATIONES.

28. *Appula gens . . . Lucania.*] De Lucaniâ, Epod. 1. ſub finem. De Apuliâ lib. 3. Od. 30. & Epod. 2.

46. *Inſignis totâ cantabitur urbe.*] Populi fabula erit, ſi quem ego infamavero. Plato monebat, ſi quis infamari metueret, ne ullum offenderet Pœtarum: hos enim valere plurimùm ad famam; ſeu laudent, ſeu vituperent.

47. *Servius.*] Al. Cervius, is certè delator ac Sycophanta crebris accuſationibus inſignis & formidoloſus. *Leges minitatur,* minatur ſe acturum reos, & accuſaturum quos odit.

Urnam.] Judiciariam nimirùm. Nam quia cautum eſt tacitè ferri ſuffragia, in urnam tabellas conjiciebant Judices, quarum aliæ continebant literam A, id eſt, abſolvo; aliæ literam C, id eſt, condemno. Cic. 3. de leg. Aſcon. in divin. Sigon. de Judic. Alex. ab Alex. l. 3 c. 5. Juvenal. Sat. 13. v. 4.

Gratia fallaci Prætoris viceret urnâ.

48. *Canidiâ.*] De eâ veneficâ inſigni. Epod. 3. v. 17. *Canidia Albuti.* Sic Virg. Æn. 6. v. 36. *Deiphobe Glauci.*

49. *Turius.*] Judex maximè ſeverus & corruptus, atque in primis iracundus.

52. *Dente lupus, &c.*] Cic. de Nat. D. 2. n. 117. *Jam illa cernimus, ut contra metum & vim ſuis ſe armis quæque defendat. Cornibus tauri, apri dentibus, morſu leones, aliæ fugâ ſe, aliæ occultatione tutantur, &c.* Lucret. lib. 5. v. 1032.

Sentit enim vim quiſque ſuam, quâ poſſit abuti.
Cornua nata priùs vitulo quàm frontibus extent;
Illis iratus petit, atque infenſus inurget.
At catuli pantherarum, ſcymni-que leonum
Unguibus, ac pedibus jam tum, morſuque repugnant,
Vix jam etiam cùm ſunt dentes unguesque creati.

Antè hos autem Phocylid. carm. admonuit. Ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε Θεός. &c. *arma* (inquit ille) *unicuique Deus attribuit, avibus magnam celeritatem, robur leonibus, tauris cornua, apibus aculeos innatum tutamen dedit. At ratio propugnaculum eſt homini, ac telum omni telo potentius.*

53. *Scævæ.*] Hic veneno matrem impiè necaverat, melle dulcem effectam potionem ei propinans. De *cicutæ* ſucco ob nimium frigus lethifero dixi ad Epod. 3 v. 3.

Expectat, ſeu mors atris circumvolat alis;
Dives, inops, Romæ, ſeu fors ita juſſerit, exul:
Quiſquis erit vitæ, ſcribam, color. O puer, ut ſis
Vitalis, metuo, et majorum nè quis amicus
Frigore te feriat. Quid? cùm eſt Lucilius auſus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus quâ quiſque per ora
Cederet, introrſum turpis; num Lælius, aut qui
Duxit ab oppreſsâ meritum Carthagine nomen,
[619]
Ingenio offenſi? aut læſo doluêre Metello,
Famoſiſque Lupo cooperto verſibus? Atqui
Primores populi arripuit populúmque tributim;
Scilicet uni æquus virtuti atque ejus amicis.
Quin ubi ſe à vulgo et ſcenâ in ſecreta remôrant
Virtus Scipiadæ et mitis ſapientia Læliî;
Nugari cum illo et diſcincti ludere, donec

mihi erit, ſive mors nigris alis circa me volat: ſeu dives, aut pauper: ſeu *Romæ,* ſeu *extorris* vixero, *ſic volente fortunâ; quicunque futurus eſt vitæ ſtatus, ego* verſus *condam.* TREB. *O juvenis, timeo nè non diu vivas: ac nè aliquis magnatum* tibi modò *amicus* aſpectu *frigido te percutiat.* HOR. *Quid? Quando Lucilius haud dubitavit primus condere verſus ejuſmodi, & auferre larvam quâ quiſque facie decorus incedebat, fœdus* licet intus: *an Lælius, vel is qui juſtum elogium à deletâ Carthagine retulit, animo irato* fuerunt? *an ulti ſunt Metellum offenſum, ac Lupum carmine dicaci proſciſſum? Attamen ille inſectatus erat populi primates & ſingulas tribus, ſoli nimirum virtuti ejuſque ſtudioſis parcens. Imò verò cùm à publico & ſpectaculis in privatum ſeceſſerant fortis Scipio & ſapiens benignuſque Lælius,*

ANNOTATIONES.

60. *O puer,*] Horatius patrem vocavit Trebatium initio.

Ut ſis Vitalis, metuo,] Plaut. Bacchid. 4. 9. 75.

Da, ſi eſſe ſalvum vis me aut vitalem tibi] Homer. Iliad. 18. ad Achillem filium ſic Thetis.

Ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι, οἷ᾽ ἀγορεύεις.

61. *Majorùm ne quis amicus Frigore te feriat.*] Nè quis procerum Satiris tuis offenſus tibi necem inſerendo ſe ulciſcatur; vel, nè Mæcenas aliquando tandem adverſetur & excludat te ab ſuâ familiaritate velut contumelioſum & ſycophantam. Ita Perſius Sat. 1. v. 108.

Vide ſis, nè majorum tibi forte limina frigeſcant.

62. *Frigore*] Morte quæ frigida eſt: vel, frigido ac faſtidioſo vultu.

Quid? cùm eſt Lucilius auſus, &c.] Trebatio reſpondet Horatius; ſeque tuetur exemplo Lucilii, qui Satiras ſcribens valdè acres, nec vitæ damnum tulit, nec ab amicorum familiaritate excidit.

64. *Detrahere & pellem, &c.*] Occulta procerum vitia divulgare, ac turpes oſtendere eos ipſos qui honeſti & probi exiſtimabantur.

65. *Lælius, &c.*] Scipionis Africani impensè ille amicus, magnâ ſapientiæ famâ apud Romanos inclytus. Hujus nomine Dialogum de Amicitiâ Cicero inſcripſit.

66. *Qui Duxit ab oppreſsâ, &c.*] Scipio Æmilianus, ſeu minor, ab Africani majoris filio adoptatus, qui deletâ incendio Carthagine etiam Africanus appellatus eſt. Is Lucilium juvenem duxit ad bellum Numantinum, ſemperque deinde familiariter adhibuit. Vell. Paterc.

67. *Metello,*] Conſulares multi hujus nominis Romæ extitêre, rebus præclarè geſtis inſignes. Macedonicus à domitâ Macedoniâ cognominatus cum Scipione ſimultates exercuerat; poſteà Metellus Numidicus, Jugurthæ ac Numidarum triumpho clarus, Scipionis æmulus fuit. Quem Lucilius petiverit Metellum, amicum ultus, haud conſtat. Vide Valer. Max. l. 7. c. 1. & ſeq. Plin. l. 7. c. 43, & 44.

68. *Lupo.*] Pub. Rutilius Lupus impietatis etiam arceſſitus à Lucilio iſtis verſibus:

Si Lupus aut Carbo, aut Neptuni filiu' Divos
Eſſe putâſſet, tam impius aut perjuru' fuiſſet?

Vide Cicer. de Nat. Deor. l. 1. n. 63. Rutilius iſte Lupus neglecta aruſpicum obnunciatione adverſus Marſos pugnans, ipſe cum exercitu contrucidatus eſt.

69. *Primores populi, &c.*] Conſules, Prætores.

Tributim.] De Pop. Rom. in tribus xxxv. diviſo T. Liv. &c. Cic. Verr. l. 3. n. 4. *Credent omnes quinque & triginta Tribus homini graviſſimo.*

73. *Diſcincti.*] Solutis veſtibus & animis ab omni curâ.

Ludere,] Cic. de Orat. l. 2. n. 22. Ità Catulus loquitur: *Sæpè ex ſocero meo audivi cùm is diceret ſocerum ſuum Lælium ſemper ferè cum Scipione ſolitum ruſticari, eoſque incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, cùm rus ex urbe, tanquam è vinculis evolaviſſent. Non audeo dicere de talibus viris, ſed tamen ita ſolet narrare Scævola, conchas eos & umbilicos ad Cajetam & ad Lauren-*

Decoqueretur olus, ſoliti. Quicquid ſum ego, quamvis
Infra Lucilî cenſum ingeniùmque; tamen me [620]
Cum magnis vixiſſe invita fatebitur uſque
Invidia; et fragili quærens illidere dentem,
Offendet ſolido: niſi quid tu, docte Trebati,
Diſſentis. Equidem nihil hinc diffingere poſſum.
Sed tamen ut monitus caveas, nè fortè negotî
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina: jus eſt
Judiciùmque. Eſto: ſi quis mala: ſed bona ſi quis
Judice condiderit laudatur Cæſare: ſi quis
Opprobriis dignum laceraverit, integer ipſe. [621]
Solventur riſu tabulæ; tu miſſus abibis.

cum Lucilio nugari conſueverunt & liberè jocari, dum herbæ coquerentur. Qualis qualis ego ſum, tametſi Lucilio inferior opibus & ingenio; cum proceribus tamen vixiſſe me vel invita fatebitur invidia: quæ ſi dentem volet imprimere fragili, impinget ad ſolidum: niſi tu aliter judicas, erudite Trebati. TREB. *Certè nihil in hoc caſſare queo. At nihilominùs, ut monitus tibi conſulas, ne forte damnum aliquod tibi faceſſat ignoratio ſanctarum legum;* hoc ſcito: *Si quis malos verſus fecerit in quempiam, jus & judicium exiſtit.* HOR. *Fateor, ſi quis malos: at ſi bonos ſcripſerit, laudatur Auguſto arbitro: ſi quiſquam innocens probroſum vellicârit, libelli diſrumpentur cachinnis: tu verò abſolutus diſcedes.*

ANNOTATIONES.

tum legere conſuêſſe, & ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere. Vetus comment. in hunc locum ſic habet: Scipio Africanus & Lælius feruntur tam fuiſſe familiares & amici Lucilio, ut quodam tempore Lælio circum lectos triclinii fugienti Lucilius ſuperveniens, eum obtortâ mappâ quaſi percuſſurus ſequeretur.

74. *Donec Decoqueretur olus,*] Dum parabatur cœna frugalis ex oleribus, ex lege nimirùm ſumptuariâ, quæ tunc vigebat. Vide A. Gell. lib. 2. cap. 24.

Olus,] Malvæ, betæ, heluellæ, fungi, aliaque, quæ quidem ità condiebant, ut nihil eſſet ſuavius; teſte Cic. lib. 7. Epiſt. 26. ubi etiam de ſeipſo ita ſcribit. *Qui me oſtreis & murænis facilè abſtinebam, à betâ & malvâ deceptus ſum.*

75. *Infra Lucilî cenſum*] Lucilius erat è Patriciâ gente, utpote cujus ſoror fuerit avia Magni Pompeii.

Cenſus] Equeſtris cenſus erat ſeſtertiorum 400. Senatorius 800. Vide Epiſt. ad Piſ. v. 383. ibique Annot.

76. *Cum magnis*] Auguſto, Mæcenate, Pollione.

77. *Fragili quærens illidere dentem, &c.*] Alludit Ad Fabulam de Viperâ & Limâ. Phædr. lib. 4. Fab. 7.

78. *Niſi quid tu, docte Trebati, Diſſentis.*] Hoc modeſtiæ & reverentiæ causâ dictum quidam referunt ad ſequentem ſententiam: ego cum aliis ad præſentem: nec verba hæc, *Equidem nihil hinc, &c.* attribuenda putem Horatio, ſed potiùs Trebatio; ut mox dicam: quanquam non nemo contrà ſentiat.

79. *Equidem nihil hinc diffingere poſſum.*] *Hinc,* inquit Clar. Bentleius, habent, non *hic* codices meliores. Clara utique ſententia, niſi nodum in ſcirpo quærere cupimus. *Equidem,* inquit Trebatius, *nihil ex his, quæ dixiſti, diffingere, hoc eſt, caſſare, infirmare, refellere, refutare, convellere, labefactare poſſum. Poteris igitur in Satiris ſcribendis pergere: neque vereri, ne in magnorum amicorum offenſionem incurras. Nam & Lucilii exemplum bono animo te eſſe jubet. Illud tamen vide, ut intra jus & leges & licentiam ſatirarum coerceas: ſi quis enim malum carmen & famoſum in aliquem ſcribat, lege agere contra eum licebit.*

82. *Si mala condiderit in quem, &c.*] Vide Annot. in Epiſt. ad Auguſt. v. 152. ubi ſic habetur:

Pœnáque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Deſcribi.

Jus eſt Judiciumque.] Datur actio adverſus eum qui libellos famoſos in quemquam ſcripſerit: iſque reus agitur ex lege.

83. *Eſto: ſi quis mala:*] Ludit Poëta in voce *mala,* ſignificante *maledica:* quam tamen jocosè accipit pro inconcinnis & ineptis carminibus: Itaque ipſe utitur præcepto ſuo, quod in Sat. 10. libri primi tradit, v. 14.

———Ridiculum acri
Fortiùs ac meliùs magnas plerumque ſecat res.

84. *Judice laudatur Cæſare.*] Auguſtus enim & verſus faciebat interdum, & quotquot bonos facerent amabat.

86. *Solventur riſu tabulæ;*] Non ſine ludibrio ejus qui dignè fuerit laceratus, rumpentur tabulæ accuſatoris, ſeu libelli in reum conſcripti accuſationem frivolam & futilem continentes.

Tu miſſus abibis.] Poëta quilibet, opprobriis dignum hominem inſectatus juſtè ac meritò, abſolutus dimittetur & impunè.

SATIRA

SATIRA II.

Sumptuoſi victûs incommoda: frugalitatis emolumenta.

QUÆ virtus et quanta, boni, ſit vivere parvo;
(Nec meus hic ſermo eſt, ſed quæ præcepit Ofellus
Ruſticus, abnormis ſapiens, craſsâque Minervâ)
Diſcite, non inter lances, menſáſque nitentes,
Cùm ſtupet inſanis acies fulgoribus, et cùm
Acclinis falſis animus meliora recuſat; [622]
Verùm hîc impranſi mecum diſquirite. Cur hoc?
Dicam ſi potero. Malè verum examinat omnis
Corruptus judex. Leporem ſectatus, equóve
Laſſus ab indomito, vel ſi Romana fatigat
Militia aſſuetum græcari, ſeu pila velox,
Molliter auſterum ſtudio fallente laborem,
Seu te diſcus agit, pete cedentem aëra diſco:

Quæ quantaque virtus ſit modico victitare (neque mea eſt hæc oratio, ſed quæ docuit Ofellus agreſtis, ſapiens ſine diſciplinâ, & rudis,) O boni, accipite non inter catinos epulaſque lautas: quando oculi percelluntur vano ſplendore, menſque decepta falſis reſpuit præſtantiora; ſed hîc mecum examinate jejuni. Quare hoc? explicabo ſi poſſum. Judex quilibet corruptus nunquam benè diſquirit veritatem. Cùm fueris *venatus leporem, vel defatigatus ab equo indomito; aut ſi Romanæ exercitationes deterrent* te Græcos *imitari ſolitum: ſive levis pila, ſive diſcus te delectat, oblectamento leniente operam mediocriter gravem, diſco verbera aërem cedentem:*

ANNOTATIONES.

1. *Quæ virtus, &c.*] Sub Ofelli ruſtici quidem, at boni & ſapientis viri perſonâ, inſectatur homines luxui & ſumptui deditos: tum frugalis victûs emolumenta percenſet. Vide ultimam hujus libri Satiram argumento non longè diſſimilem.

Boni,] Legunt aliqui, *bonis:* nec ita perperam, ut videtur nonnullis.

3. *Abnormis*] A naturâ, non in ſcholis inſtitutus boniſque mores ſortitus. Alii leg. *abnormi*, & jungunt cum ſequenti voce, *Minerva.* Huc facit quod Tullius ſcripſit in Lælio, n. 18.

Nunquam ego dicam C. Fabricium M. Curium . . . . . . ad iſtorum Normam fuiſſe ſapientes.

Craſſâque Minervâ] Simplex, rectus, ſincerus, licet minimè imbutus Philoſophicis regulis & documentis, aut iis artibus ac ſcientiis quibus præeſt Minerva. Tullius modo cit. *agamus igitur pingui Minervâ, ut aiunt.* Scilicet proverbium eſt de hominibus ingenii rudioris & impoliti.

4. *Diſcite, non inter lances.*] Perſ. Sat. 4. v. 30.

——*Ecce inter pocula quærunt*
Romulidæ ſaturi, quid dia poëmata narrent.

Menſaſque nitantes,] Tum copiâ ciborum, tum vaſis aureis, argenteis, &c.

5. *Cùm ſtupet inſanis*] Tunc enim & mens malè feriata nequit rectè judicare de temperantiæ virtute & præſtantiâ: quinimo in omnem errorem facilè propendet.

9. *Leporem ſectatus, &c.*] Romani ſe venatione, equitatione, ac militaribus artibus exercebant.

11. *Aſſuetum græcari.*] Delicati quidam à duris laboribus & exercitationibus ante dictis abhorrentes, ludis duntaxat Græcorum operam dabant. Hos octo fuiſſe refert Alex. ab Alex. mox. citand. Alii de compotatione Græcâ interpretantur; cujus ita meminit Cic. in Verr. l. 1. n. 66. *Diſcumbitur: fit ſermo inter eos & invitatio, ut Græco more biberetur: hoſpes hortatur, poſcunt majoribus poculis: celebratur omnium ſermone lætitiâque convivium.* In iſtis Græcorum conviviis toties bibere oportebat, quoties deos aut charos nominâſſent: Lex autem erat ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι, aut bibe aut abi. Hanc refert & explicat Cicero Tuſc. l. 5. n. 15. *Et rectè,* inquit, *aut enim fruatur cum aliis pariter voluptate potandi: aut, ne ſobrius in violentiam vinolentorum incidat, antè diſcedat.*

Pila velox.] Apud Veteres ludus pilæ & folliculi præcipuæ commendationes & magni ſtudii fuit. Eo Jul. Cæſar Octavius, aliique viri graves, puta Scævola Juriſconſultus, Dionyſius tyrannus, exercendi corporis & animi vegetandi cauſâ ſtudioſiſſimè luſêre. Rom. autem juventus in campo Martio frequenter ludebat pilâ ſeu paganicâ, ſeu trigonali; in quâ ſiniſtræ uſus præcipuus traditur magis quàm dextræ: corporis autem agilitas maximè valebat: ut ſciret aptè pilam jacere atque excipere, modò incurrere, modò recurrere. Hæc Alex. ab Alex. l. 3. c. 21. Pilâ etiam mulieres luſitâſſe, Homerus docet. De Mæcenate conſtat ex l. 1. Sat. 5. v. 48. Vide ibi Annot.

12. *Studio fallente laborem,*] Gall. *L'application & le divertiſſement fait oublier la peine.*

13. *Diſcus*] Nomen à δίσκω, *jacio.* Moles erat ſaxea, plumbea, ferrea, figuræ planæ ac rotundæ; cujus jactu decertabant athletæ. Victor erat, qui eum altiùs, aut longiùs, aut propiùs deſtinatam metam projeciſſet. Vide jam annotata, Lib. 1. Od. 8.

Cedentem aera.] Projecto diſco cedit aër: ut-

Quando, inquàm, labor expulerit nauſeam, ſitiens & famelicus reſpue viles eſcas: neque bibas Falernum vinum *niſi melle Hymettio mitigatum. Cellarius exierit foras; & mare procelloſum inhibeat piſces; panis cum ſale optimè ſedabit ſtomachum obmurmurantem. Unde credis vel quomodo hoc factum?* Nimirùm *ſumma voluptas haud in odore* ciborum *exquiſitorum, ſed in temet conſiſtit. Tu condimenta para* tibi *ad ſudorem* uſque *laborando.* Enimverò *vitioſè opimum & pallidum non delectabunt oſtrea.*

Cùm labor extuderit faſtidia: ſiccus, inanis
Sperne cibum vilem; niſi Hymettia mella Falerno
Nè biberis diluta. Foris eſt promus, et atrum
Defendens piſces hiemat mare: cum ſale panis
Latrantem ſtomachum benè leniet. Undè putas, aut
Quî partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, ſed in teipſo eſt: tu pulmentaria quære
Sudando. Pinguem vitiis, albùmque, nec oſtrea, [624]

[623]

ANNOTATIONES.

potè gravioribus corporibus leviora cedunt

14. *Cùm labor extuderit faſtidia*;] Poſtquam labor ſatietatem diſcuſſerit, famemque revocârit excitâritque: tum profectò quemlibet vilem cibum ac potum cum voluptate capies. Hippocratis præceptum eſt: ὁ πόνος σίτου ἡγείσθω, *labor cibo præeat.* Cic. de Fin. 2. n. 90. *Socratem audio dicentem, cibi condimentum eſſe famem, potionis ſitim,* Tuſc. l. 5. n. 97, *Socratem ferunt, cùm uſque ad veſperam contentiùs ambularet, quæſitumque eſſet ab eo, quare id faceret, reſpondiſſe, ſe, quo melius cœnaret, opſonare ambulando famem.*

15. *Sperne cibum vilem*:] Id eſt, profectò non ſpernes cibum vilem, quando inani ſtomacho fueris.

Niſi Hymettia mella Falerno Nè biberis diluta.] Hypallage, id eſt, nè biberis niſi optimum vinum melle optimo dilutum & ſuave effectum. De *Falerno* vino, l. 1. Od. 20. *Hymettus* regionis Atticæ mons, Athenis proximus, thymi atque adeò mellis excellentiſſimi copiâ celebratus. Porrò vini auſteritatem veteres temperare ſolebant melle admixto, vel alio vino mitiori; ut eſt, l. 1. Sat. 10. v. 24. Vide & infrà Sat. 4. v. 24. Virgil. Georg. 4. v. 101.

Dulcia mella premes, nec tantum dulcia quantum
Et liquida; & durum Bacchi domitura ſaporem.

16. *Foris eſt promus, &c.*] Si domo abfuerit promus qui tibi famelico promat apponatque opſonia & dapes; vel tempeſtas hyberna impedierit piſcari: tum certè eſurienti ſatisfaciet *cum ſale panis* ſimplex. Cic. Tuſ. 5. n. 102. *Aperta res eſt; & quotidie nos ipſa natura admonet, quàm paucis, quàm parvis rebus egeat, quàm vilibus.*

17. *Cum ſale panis*] Plin. lib. 31. cap. 7. *Varro pulmentarii vice uſos veteres auctor eſt: eſuâſſe enim ſalem cum pane & caſeo, ut proverbio apparet.* Ex Plutarchi Symp. lib. 4. q. 4 citra ſalem nihil propè eſt edendo: qui panem quoque gratum facit additus. Hincque Neptunus eodem quo Ceres templo colitur. Cic. Tuſc. 5. ex Xenophonte, *Perſæ nihil ad panem adhibebant quidquam præter naſturtium.*

18. *Unde putas, &c.*] Unde putas fieri ut jucundus tunc videatur cibus quilibet vilis & parabilis?

20. *Pulmentaria quære Sudando.*] Opſona famem laborando, tuque fac ut tibi quævis eſca videatur ſuavis & optima. Cic. Tuſc. l. 5. n. 97. *Parvo cultu natura contenta. Quis non videt deſideriis condiri omnia? Darius in fugâ, cùm aquam turbidam & cadaveribus inquinatam bibiſſet, negavit unquam ſe bibiſſe jucundiùs. Nunquam videlicet ſitiens biberat. Nec eſuriens Ptolemæus ederat; cui cùm peragranti Ægyptum, comitibus non conſecutis, cibarius in caſa panis datus eſſet, nihil viſum eſt illo pane jucundius.* Lege ibidem quod Dionyſio tyranno jus quoddam nigrum faſtidenti reſpondit coquus; *Scilicet condimenta defuêre; labor in venatu, ſudor, curſus, fames, ſitis.*

Pulmentaria] Plin. lib. 18. cap. 8. *Pulte, non pane, vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum, quoniam inde & pulmentaria hodieque dicuntur.* Porrò pulmenta & pulmentaria uſurpari pro cibis delicatis, vel pro condimentis palatum jucundè titillantibus, patet ex Macrob. lib. 7. cap. 4. ſub finem, ubi ſunt hæc verba ad rem præſentem omninò pertinentia: *Pulmentorum varietas recipit varia condimenta, quibus gula, ultra quàm naturæ neceſſe eſt, laceſſitur: & fit inde congeries, dum pruritu deſiderii ampliùs, vel certè de ſingulis parva libantur. Hinc Socrates ſuadere ſolitus erat, illos cibos potuſque vitandos, qui ultra ſitim famemque ſedandam producunt appetentiam, &c.*

21. *Pinguem vitiis, albumque, &c.*] Nimio cibo potuque plenum, atque ex cruditate & ægrâ coctione laborantem, & inde pallidum, te non juvabunt exquiſita quævis, oſtrea, ſcarus, lagoïs. Seneca de brev. vitæ: *Quàm multi continuis voluptatibus pallent?* Vide infrà, v. 76.

Nec

Nec ſcarus, aut poterit peregrina juvare lagoïs.
Vix tamen eripiam, poſito pavone, velis quin
Hoc potiùs quàm gallinâ tergere palatum,
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
Rara avis, et pictâ pandat ſpectacula caudâ:
Tanquam ad rem attineat quidquam. Num veſceris iſtâ,
Quam laudas, plumâ? coctóve num adeſt honor idem? [625]
Carne tamen quamvis diſtat nihil hac magis illa;
Imparibus formis deceptum te patet. Eſto.
Unde datum ſentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet? pontéſne inter jactatus, an amnis

vel ſcarus, vel lagoïs externa. Attamen vix obtinebo, ſi *pavo apponatur, ut non hoc libentius quâm gallinâ fricare palatum velis,* ſcilicet *vanâ rerùm* ſpecie *deluſus: eò quòd avis rara vendatur auri* pretio, *& ſpectaculum præbeat caudâ pictâ: quaſi ad rem aliquid faciat. An comedes eam plumam quam demiraris? an par decor supereſt cocto? Quandoquidem nullum diſcrimen eſt hanc inter & illam carnem, ſpecie diſſimili te deceptum conſtat. Sanè. Unde animadvertis* utrum *appoſitus iſte lupus Tiberi an mari captus os pandat? an inter pontes exagitatus, an ad*

ANNOTATIONES.

Album.] Quidam interpretantur, nitidum cute benè curatâ & candidâ: quales eſſe ſolent qui optimo victu utuntur abundanter quidem. Perſ. Sat. 3. v. 98.

Turgidus bis epulis, atque albo ventre lavatur.

Oſtrea.] Oſtreis delectatos Romanos patet ex Varrone. Juvenal. Sat. 4. v. 140 & ſeq. Item Sat. 8. v. 85. Plin. l. 32. c. 6. Gell. l. 7. c. 16.

22. *Scarus,*] Gall. *Sarget*. De hoc piſce exquiſito, Epod. 2. v. 50 Annot.

Peregrina lagoïs,] E longinquis regionibus advecta avis, cujus caro ſimilis leporinæ: unde nomen. Nam Græcis λαγὼς vocatur lepus. Plin. l. 8. c. 57. *Cenſoriæ leges cœnis ademère conchylia, & ex alio orbe convectas aves.* Piſcem eſſe lagoïn perperam credunt nonnulli. Siquidem ex Plin. l 32. c. 1. lepus marinus *venenum eſt in cibo vel potu datus atque etiam viſus, &c.* Eo extinctus eſt Titus Imperator, a Domitiano fratre conſorte imperii & ſucceſſore, ut quidam ſcribunt. Iſto etiam genére veneni uſum aliquando Neronem affirmant. Vide Cœl. Rhodig. l. 26. c. 30.

23. *Vix tamen eripiam, &c.*] Neque tamen iſtis rationibus & argumentis evincam, ut abjicias errorem mentis vanâ ſpecie deluſæ. Quin, ſi tibi apponantur ſimul pavo & gallina, huic illum anteferes: & ſuaviorem putabis pavonem, quia carior & rarior, quàm gallina, tametſi non eſt reverà melior.

24. *Tergere palatum,*] Perſ. Sat. 3. v. 113.

Tentemus fauces; tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeiâ radere betâ.

25. *Quia veneat auro*] Juven. Sat. 11. v. 14.

Interea guſtus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obſtantibus. Interius ſi
Attendas, magis illa juvant quæ pluris emuntur.

27. *Tanquàm ad rem attineat quidquam.*] Quaſi ad guſtum & ſaporem faciat plumarum fulgor. Cic. de Finib. l. 3 n. 18. *Quædam à natura ad uſum donata ſunt ut crura, pedes: alia nullam ob utilitatem, ſed ad quemdam ornatum, ut cauda pavoni.* Vide Athen. l. 8. c. 12. Idem. l. 14. c. 20. ex Anaxandride. *An non furioſum alere domi pavones, quorum pretio queant emi ſtatuæ?* Ibid. Strattis; *Tanti ſunt hæc facienda, quanti pavones, & aliæ veſtræ nugæ, quas domi paſcitis ob pennarum pulchritudinem.* Vide l. 1. Sat. 2. v. 116. ibique Annot.

28. *Coctove num adeſt honor idem?*] An cocto pavoni remanet idem pennarum nitor & ſplendor?

29. *Carne tamen quamvis, &c.*] Ergò cùm diſcrimen nullum ſit inter carnem pavonis & gallinæ, patet te deluſum ſpecie & formâ pavonis, ut hanc ſuaviorem putes, quia gallinam vincit pulchritudine.

32. *Unde datum ſentis, &c.*] Unde habes ut guſtu explores, judices, ſentias quo loco ſit captus iſte piſcis, lupus nempè; an in alto mari, an in Tiberi: neque hoc ſolùm, ſed etiam utrum ad oſtium Tiberis, an inter pontes? O ſagacem & ingenioſam nimis profectò gulam! Juvenal. Sat. 4. v. 140. ſimiliter canit.

——————Circeis natæ forent, an
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprehendere morſu:
Et ſemel aſpecti littus dicebat echini.

32. *Hiet?*] Piſcis iſte à voracitate dictus lupus hianti ore bellè exprimitur; ſive quòd piſces omnes recens capti os diducunt.

Ponteſne inter jactatus, &c.] E mari piſces quidam ſubire flumina cognoſcuntur, atque hos inter lupus marinus. Porrò ex faſtidio helluonum ſeu catillonum palati judicio, bonus

oſtium fluminis Hetruſci? Stulte, laudas barbum trium librarum, quem oportet dividas in plura fruſtula. Capit te forma, ut cognoſco. Quorſum igitur ſpernis lupos ingentes? nempè quòd natura menſuram ampliorem tribuit illis, iſtis verò minorem. Stomachus eſuriens raro communia reſpuit. Cuperem videre ingentem mullum ingenti patinâ extenſum, inquit gula digna rapacibus Harpyiis. Sed vos

Oſtia ſub Tuſci? laudas, inſane, trilibrem [626]
Mullum; in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt.
Ducit te ſpecies, video. Quò pertinet ergo
Proceros odiſſe lupos? Quia ſcilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus.
Jejunus raro ſtomachus vulgaria temnit.
Porrectum magno magnum ſpectare catino
Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos

ANNOTATIONES.

erat ille è medio mari; melior ad oſtium Tiberis fluvii; at optimus qui inter pontes concitatiori aquâ jactatus, proindeque tenerior, pinguior, ſuavior, effectus fuerat. Columel. l. 12. c. 16. *Multorum gula ſubtilior . . . & erudita palata faſtidiunt fluvialem lupum, niſi quem Tiberis adverſo torrente defatigaſſet.* Plin. l. 9. c. 54. *Quando*, inquit, *eadem aquatilium genera alibi atque alibi meliora: ſicut lupi piſces in Tiberi amne inter duos pontes; rhombus Ravennæ, Muræna in Siciliâ, &c.* Vide Macrob. l. 3. Saturn. c. 16. ubi ex Varrone & Lucilio ſtatuit lupum marinum *egregii ſaporis* habitum, qui inter duos pontes captus eſſet; Atque à Lucilio piſcem hunc dici *catillonem quaſi liguritorem: ſcilicet quia proximè ripas ſtercus inſectaretur: . . . pontes Tiberinu' duo inter captu' catillo.* Id. ibid. ex C. Titio ætatis Lucilianæ viro homines prodigos deſcribente: *Edimus turdum pinguem, bonumque piſcem lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit.*

Amnis Tuſci.] Tiberis Tuſciam alluentis & à Latio diſterminantis. Virg. Georg. 1. ſub finem. *Tuſcum Tiberim.*

33. *Laudas, inſane, trilibrem Mullum; &c.*] Delicatorum & catillonum erat etiam aliud vitioſi faſtidii genus: inter piſces naturâ parvos laudabant volebantque magnos: contra parvos quærebant ex iis quos natura magnos facit. Itaque Horatius in ejuſmodi faſtidioſos helluones inſurgens, *laudas*, inquit, *inſane, trilibrem Mullum*, eò quòd raro talis inveniatur: *odiſti* verò lupum marinum qui procerus eſt & magni ponderis. Plin. l. 9. c. 17. *Ex reliquâ nobilitate & gratia maxima eſt & copia mullis, ſicut magnitudo modica; binaſque libras ponderis raro admodum exuperant, nec in vivariis piſciniſque creſcunt . . . algâ veſcuntur, & oſtreis, & limo, & aliorum piſcium carne.*

34. *Mullum;*] Barbatulos vocat Cicero, Gall. *Barbeau:* Angl. a Barbel, quidam tamen ſunt imberbes, at minùs laudantur. Plin. modò cit. *Barbâ geminâ inſigniuntur inferiori labro . . . laudatiſſimi conchylium ſapiunt. Nomen his Fenestella* (mullis) *a colore mulleorum calceamentorum datum putat . . . . mullum expirantem verſicolori quâdam & numeroſâ varietate ſpectari, proceres gulæ narrant . . . . . Aſinius Celer è Conſularibus, hoc piſce prodigus, Claudio principe, unum mercatus octo millibus nummûm.* Vide Senec. Epiſt. 95. Sueton. Tiber. c. 34. refert, *tres mullos triginta millibus nummûm veniſſe:* quod damnavit Tiberius. Vide Macrob. l. 3. c. 16. Juvenal. Sat. 4. v. 15.

——————*Mullum ſex millibus emit*
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

In quem locum olim pluribus diſſerui, ut & Sat. 5. v. 92.

39. *Porrectum magno, &c.*] Obſerva, lector ſtudioſe verſum hunc crebris ſpondæis exprimentem grave mulli pondus. Alibi jam notavi luxuriam Romanorum in apponendis magnis & integris opſoniis. Juv. Sat. 1. v. 140.

. . . . . *Quanta eſt gula quæ ſibi totos*
Ponit apros?

Contra Tiberius: *Ut parſimoniam publicam exemplo quoque juvaret, ſolemnibus ipſe cœnis pridiana ſæpe ac semeſa opſonia appoſuit affirmans dimidiatum aprum omnia eadem habere quæ totum.* Sueton. Tiber. c. 34.

40. *Harpyiis gula digna.*] Harpyiæ appellatione et numero incertæ; in primis celebrantur: Aëllo, Celæno, Ocypete, Iris, Thyella: dicuntur ab ἁρπάζω, *rapio.* Has deſcribit Virgil. Æn. 3. v. 215, & ſeq. Sic de iis fabulantur. Phineus rex ob excæcatos filios, à Jove excæcatus immiſſis etiam Harpyiis pœnas dedit. Hæ alatæ furiæ (nam Harpyias in inferis eſſe & vocari Furias Servius affirmat) appoſita ſtatim opſonia rapiebant ex alto devolantes: quin & relictas fortè dapes tetro odore fœdabant & corrumpebant. Virgil. cit.

Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame . . . . nec ſævior ulla
Peſtis, & ira Deûm Stygiis ſeſe extulit undis.
. . . . . *Quatiunt clangoribus alas,*
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo, &c.

Præ-

Præſentes, Auſtri, coquite horum opſonia: quanquam [627]
Putet aper, rhombuſq; recens, mala copia quando
Ægrum ſollicitat ſtomachum; cùm rapula plenus
Atq; acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis
Nigriſq; eſt oleis hodie locus. Haud ità pridem
Galloni præconis erat acipenſere menſa
Infamis. Quid? tum rhombos minùs æquor alebat? [628]

Auſtri, adeſte atque horum dapes corrumpite; quanquam fœtet aper & rhombus recens, cùm mala abundantia vexat morboſum ſtomachum: quando ſatur expetit rapas & inulas acres. Verùm omnis cibus vilior *nondum exulat à menſâ divitum. Etenim admittuntur ova & olivæ nigræ; neque dudum Gallonii præconis menſa acipenſere infamata fuit. Quid?* An *tunc mare minùs nutrivit rhombos?*

ANNOTATIONES.

41. *Præſentes, Auſtri, coquite horum opſonia:*] Satiricus excandeſcens in guloſos helluones invocat Auſtros meridionales ventos, qui humido ſuo calore illorum cibos putrefaciat. Sed mox ipſe ſe corrigit, memor ſcilicet iis putrida videri quævis opſonia.

42. *Quanquam Putet aper, &c*] Verùm non opus eſt Auſtri flatu, ipſa illorum ſatietas nauſeam movet ſtomacho repleto: atque facit putere cibos etiam recentes.

Rhombus] De eo piſce laudatiſſimo, Gall. & Angl. Turbot, in Epod. 2. v. 50.

43. *Cùm rapula plenus, &c.*] Cùm ſatur cupit acida, rapas, inulas, quibus appetitus excitetur, diſcuſſis viſcosâ pituitâ crudiſque humoribus.

Rapula.] Gall. *des raves.* De his plura narrat Plin. l. 18. c. 13. Item. l. 10. c. 3. *Eſt & rapo vis medica* inquit.

44. *Inulas*] Gall. *de l'Aulnée:* Angl. *Elecampane.* Plin. l. 19. c. 5. Idem l. 20. c. 5. inulæ virtutes affert; priori loco ſic habet: *amarior inula per ſe ſtomacho inimiciſſima, eadem dulcibus miſtis ſaluberrima. Pluribus modis auſteritate victâ gratiam invenit . . . . . defectus præcipuè ſtomachi excitat, illuſtrata maximè Juliæ Auguſtæ quotidiano cibo.*

Necdum omnis abacta Pauperies, &c.] Cibi vulgares, viles, parabiles, adhuc locum habent in menſâ & conviviis divitum. Nam *ova* caput cœnæ ſunt: ab iis ſemper ducitur initium epulandi: ut dixi l. 1. Sat. 3. v. 6. ad hæc verba, *ab ovo uſque ad mala.*

Nigris oleis] Nigror in oleis & uvis maturitatem indicat.

47. *Galloni*] Is helluo inſignis, primus appoſuit acipienſerem exquiſitiſſimum piſcem; atque ob id à Lucilio carpitur ſatirâ ſuâ 4. iſtis verſibus, quos etiam refert Cic. de Finibus, l. 2. n. 24.

O Publi, O gurges Galloni, es homo miſer, inquit.
Cœnaſti in vitâ nunquam benè, cùm omnia in iſtâ
Conſumis ſquillâ, atq; acipenſere cum decumano.

Ibid. n. 90. *Qui ad voluptatem omnia referens vivit ut Gallonius, &c.* Idem Cicero pro Quintio n. 94. *Qui, relictâ bonorum virorum diſciplinâ, & quæſtum & ſumptum Gallonii ſequi maluerunt.*

Acipenſere] Acipenſer vel acipenſis. Gall. *Eturgeon*, Angl. a Sturgeon, Vulgò turſio, vel ſturio, ſed perperam; Galeno γαλοξίας; Rondeletio ex genere galeorum eſt: valdè pretioſus & nobilis; utpote qui ſingulari pompâ inferretur menſæ divitum. Plin. l. 9. c. 17. *Piſcium nobiliſſimus acipenſer, unus omnium ſquamis ad os verſis, contra aquam nando meat . . . rarus inventu.* Macrob. l. 2. c. 12 *Nec acipenſer illius ſeculi delicias evaſit . . . quo in honore fuerit hic piſcis apud P. Scipionem Africanum illum & Numantinum, accipite ex Cicer. dialog. de fato. Nam cùm eſſet apud Lavernium Scipio, unàque Pontius, allatus eſt forte Scipioni acipenſer, qui admodum rarò capitur: ſed eſt piſcis in primis nobilis . . . . acipenſer iſte paucorum hominum eſt . . . . à coronatis miniſtris cum tibicine introferri ſolitus . . . . hæc Sammonicus, prodens venerationem quâ piſcis habebatur ut à coronatis inferretur cum tibicinis cantu, quadam veluti non deliciarum ſed numinis pompâ.* Athen. l. 4. c. 5. *His præerat fortiſſimus imperator acipenſer, inſignis halâ: quem etſi jam ſatur guſtare percupivi: ambroſia certè is mihi viſus eſt.* Lib. 7. cap. 12. *Quam acipenſerem vocant Romani, cum tibiis & coronis circumferunt in cœnis: coronatis etiam illis qui portant . . . . Acipenſer minor eſt galeo, roſtro longiore, figura magis triangulari.* Quæ cùm ità ſint, ne Lector, mirere quod ſcribit Martial. Lib. 13. Epig. 91.

Ad palatinas acipenſerem mittite menſas,
Ambroſias ornent munera rara dapes.

48. *Infamis.*] Nam & Gallonius à Lucilio *gurges* vocatus: & quivis gulâ & helluationibus turpis Gallonii ſimilis vulgò dictus. Patet ex cit. Cicer. de Finibus 2. &c.

Tutus erat rhombus, tutóque ciconia nido;
Donec vos auctor docuit Prætorius. Ergò
Siquis nunc mergos ſuaves edixerit aſſos;
Parebit pravi docilis Romana juventus.
Sordidus à tenui victu diſtabit, Ofello [629]
Judice. Nam fruſtra vitium vitaveris illud,
Si te aliò pravus detorſeris. Avidienus,
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhæret,
Quinquennes oleas eſt et ſilveſtria corna;
Ac, niſi mutatum, parcit defundere vinum; et
Cujus odorem olei nequeas perferre (licebit
Ille repotia, natales, alióſve dierum
Feſtos albatus celebret) cornu ipſe bilibri
Caulibus inſtillat, veteris non parcus aceti,

Securus rhombus, & ſecura nido ciconia degebat, uſque quo Prætorius indicavit primus. Itaque ſi aliquis nunc ſuadeat jucundos eſſe mergos aſſatos, continuò *auſcultabit Romana juventus facilis doceri vitioſa. Sordidus ſibi is à frugali differt, Ofello judice. Enimverò fruſtrà vitium hoc declinabis, ſi te ad aliud malè convertas. Avidienus, Canis meritò appellatus, edit olivas quinquennes & corna ſilveſtria: nec libenter defundit vinum niſi corruptum: ipſe* verò è vaſe *corneo duas libras* continente *braſſicas aſpergit oleo veteri, cujus odorem tolerare non poſſis, largè quidem fundens acetum; quamvis repotia,*

ANNOTATIONES.

Tum rhombos minus æquor alebat?] Oſtendit Poëta non tam obſoniorum bonitatem quàm gulæ inſanum faſtidium valere ut plurimum. Olim, inquit acipenſer in pretio ac deliciis fuit: deinde rhombus: aliàs ciconia, pavo, &c. imò ſi quis modò novas dapes excogitat, etſi minimè bonas, v. g. mergos aſſos: hos continuò cæteris omnibus anteponi & optimos haberi cernas.

50. *Donec vos auctor docuit Prætorius.*] Aſinius Sempronius Rufus ciconias primus devorare inſtituit Auguſti temporibus, illum vocat Satiricus *Prætorium* ironicè; quoniam Præturam petens ob gulæ infamiam repulſus eſt: hique de eo verſiculi per ludibrium etiam claudicantes in vulgus ſparſi:

Ciconiarum Rufus iſte conditor,
Hic eſt duobus elegantior Plancis;
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem.
Ciconiarum populus ultus eſt mortem.

51 *Mergos aſſos;*] Gall. *Plongeons.* Hi cùm ſint macri admodùm, ſi etiam aſſentur, nihil præter oſſa ac pellem erunt. Si quis tamen gulæ anteſignanus & magiſter edicat mergos aſſos ſuaves eſſe, & ſic apponi debere; parebit juventus ſtultè, & quaſi bonos devorabit.

53. *Sordidus à tenui victu diſtabit,*] Prudenter monet Poëta tenuem frugalemque victum differre à ſordido; hunc vitioſum ac turpem, illum contrà honeſtum, dignum laude.

55. *Avidienus, &c.*] Exemplo demonſtrat quid ſit victus ſordidus. Avidienus à ſordibus & immunditiâ canis cognominatus verè eſt, quippe qui veſcitur oleis vetuſtate corruptis, & cornis ſilveſtribus: caules verò aſpergit exiguo oleo vetere & fœtente, acetum duntaxat abundè affundens. Hæc certè vivendi ratio ſordida eſt.

58. *Ac, niſi mutatum, parcit defundere vinum;*] Etiam in libationibus ad honorem deorum fieri ſolitis, ille vappam adhibet; nec vinum paterâ defundit niſi aceſcens.

60. *Repotia,*] Feſtus. *Poſtridiè nuptias apud novum maritum cœnatur, & quaſi reficitur potatio;* quæ inde ἐπαύλια dicitur, pridiè vero nuptiarum προαυλία, inquit Cœlius l. 15. c. 18, & 24. Alex. ab Alex. l. 2. c. 5. Repotia, inquit, poſtridiè nuptias lætiore convictu affines apud novum maritum percolebant; quâ die nova nupta in viri domum libertatem auſpicari, & dominam agere ſimul, & rem divinam facere aſſuêrat.

Natales,] Vide Perſ. init. Sat. 2. ubi natalem diem *meliore lapillo numerandum,* hilariterque tranſigendum, atque in eâ *fundendum Genio merum* præcipit.

Alioſve dierum Feſtos] In his mos erat optimum vinum promere, & quidem liberaliter, ad lætitiam excitandam: nam *lætitiæ Bacchus dator,* ex Virgil. Æn. 1. v. 738. At Avidienus contrà.

63. *Albatus*] Ex more veterum; togâ indutus recèns lotâ & dealbatâ. Perſ. Sat. 2. v. 40.

. . . . . . negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.

Cornu ipſe bilibri Caulibus inſtillat, veteris] Adverte ſingulas voces ſordidam parcitatem notantes; è vaſculo in olus vile guttas aliquot olei fœtidi inſtillat ipſe quidem, veritus nè alter copioſiùs affundat; vel nè ſervus inde quid delingat, delibet, ſurripiat.

Veteris] Hoc epithetum alii jungunt cum præcedenti voce, *olei;* alii cum ſequenti, *aceti.* Simile quid habet Perſ. Sat. 3. v. 27. & ſeq.

Pannoſam fæcem morientis ſorbet aceti.

Quali

Quali igitur victu ſapiens utetur, et horum
Utrum imitabitur? Hàc urget lupus, hàc canis
angit. [630]
Mundus erit qui non offendet ſordibus, atque
In neutram partem cultûs miſer. Hic neq; ſervis
Albucî ſenis exemplo, dum munia didit,
Sævus erit; nec ſic ut ſimplex Nævius, unctam
Convivis præbebit aquam. Vitium hoc quoque
magnum.
Accipe nunc victus tenuis quæ quantáque ſe-
cum
Afferat. In primis valeas benè: nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius eſcæ [631]
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. At ſimul aſſis

natales, alioſque dies feſtos colat indutus veſte candidâ. Quo ergò victu utetur ſapiens; & quem iſtorum imitabitur? inde premit lupus, illinc inſtat canis. Nitidus erit qui nec ſordidâ peccârit vivendi *ratione, nec ſe miſerè curabit hâc aut illâ parte. Is neque verberabit famulos officia diſtribuens, ad inſtar Albucii vetuli; neque, ut Nævius inconſultus, dabit convivis aquam immundam.* Eſt enim *hoc etiam grande peccatum. Jam diſce quæ & quanta* bona *ſecum advehat frugalitas. Primò ſanitatem habebis. Etenim ciborum diverſitatem eſſe homini pernicioſam minimè dubitabis, recordatus ejus eſcæ, quæ una tibi aliquando conſtiterit. Verum ſi*

ANNOTATIONES,

63. *Horum Utrum imitabitur?*] An Gallonium luxurioſum & prodigum, an Avidienum ſordidum & nimis parcum?

64. *Hàc urget lupus, hàc canis angit.*] Loco vocis *angit*, quidam leg. *aiunt*. Certè proverbium eſt. Porrò comminiſcuntur hinc edacitatem & ingluviem *lupi*, illinc, immunditiam *canis*: item delicias interpontani lupi, de quo ſuprà, atque ſordes Avidieni Canis cognominati.

65. *Mundus erit, &c.*] Is erit mundus, honeſtus, bonus, rectus in vivendi modo, qui medium tenebit ac modum; nec profusè ſumptuoſus nec indecora parſimonia ſordidus.

Non offendet ſordibus, In neutram partem cultus miſer.] Non ſe odioſum aut miſerum præſtabit; cultu ſeu ſumptibus ſeu parcitate immoderatâ; neutrâ parte nimius erit. Vocem, *cultûs*, accipe in genit. id eſt, curæ ſui majoris aut minoris quam par ſit.

67. *Albuci ſenis exemplo,*] Hunc avaritiæ quidam, alii contrà profuſionis accuſari volunt. Neutri bene. Horatius primò culpavit intemperantiam & immoderationem in quærendis cibis carioribus, pariter ac ſordidiorem victum. Jam damnat nimium lautitiæ & elegantiæ ſtudium in ſtruendo parandove convivio, atque huic contrarium negligentiæ vitium: affertque exempla Albucii & Nævii oppoſita. Albucius nimiâ curâ peccat, qui ſævit etiam in famulos injunctis officiis paulò minùs ſedulos, ac ſi quid non ſatis accuratum comperit, durè plectit: imò, inquiunt, ſervos ille antè verberabat; ſeu ad arcendam ſtatim ſegnitiem, ſeu nè poſteà peccantes cædere non vacaret. Contrà Nævius indiligens & parùm lautus: ut mox dicetur.

Didit,] Dat, dividit. Vetus eſt verbum *Dido, is,* quod frequens uſurpat Lucretius; quin & Virgil. Æneid. 7. v. 144.

Diditur hic ſubitò Trojana per agmina rumor.

Et Æneid. 8. v. 132.

———*Tua terris didita fama.*

68. *Simplex Nævius.*] Negligens parùm ſapiens & prudens, non ſatis mundus, quippe qui aquam impuram, lutulentam, ſordibus contaminatam præbet convivis admiſcendam vino ac bibendam. Ergò Albucius ille plus æquo erat curioſus in epularum apparatu; Nævius autem minùs quam decet: quod utrumque vitium magnum eſt.

70. *Accipe nunc victus tenuis, &c.*] Cic. Tuſcul. 5. n. 99. *Adde ſiccitatem quæ ſequitur continentiam in victu. Adde integritatem valetudinis.* Et Offic. 2. n. 68. *Valetudo ſuſtentatur . . . . continentiâ in victu omni atque cultu, &c.*

72. *Credas, memor illius eſcæ, &c.*] Facilè credas varietatem ciborum homini eſſe noxiam, ſi modò velis meminiſſe quàm utilis tibi fuerit eſca ſimplex, quæ in ſtomacho placidè cocta, bono ſucco, atque, ut aiunt, chylo, reparârit vires corporis: & è contrario, quantum moleſtiæ tibi creârit eſca multiplex; quoties deglutiſti ſimul aſſa cum elixis, carnes cum piſcibus, &c.

73 *Tibi ſederit.*] Quieverit concocta ſine ulla ventriculi aut ſtomachi perturbatione ac tumultu. Teſte Hippocrate cibi diſſimiles invicem ſe corrumpunt & ſeditionem concitant. Τὰ γὰρ ἀνόμοια στασιάζει, Plut. Sympoſ. 4. *Ciborum copia turbat & corrumpit.* Senec. Epiſt. 2. *Faſtidientis eſt ſtomachi multa deguſtare, quæ uti varia ſunt & diverſa, non alunt. Sed inquietant & inquinant.* Vide Macrobium

Miſcue-

Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis;
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachóq; tumultum
Lenta feret pituita. Vides ut pallidus omnis
Cœnâ deſurgat dubiâ? quin corpus onuſtum [634]
Heſternis vitiis animum quoque prægravat unâ,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.
Alter, ubi dicto citiùs curata ſopori
Membra dedit, vegetus præſcripta ad munia ſurgit.
Hic tamen ad melius poterit tranſcurrere quondam;
Sive diem feſtum rediens advexerit annus;
Seu recreare volet tenuatum corpus: ubíve

miſcueris elixa cum *aſſatis, & conchylia cum turdis: dulcia mutabunt ſe in bilem atque iners pituita ſtomachum perturbabit.* An *aſpicis quemadmodum quiſque pallens ſurgat è convivio ſumptuoſo? Imò corpus oppreſſum præcedenti intemperantiâ ſimul deprimit animum, & proſternit in terram divini ſpiritûs portionem.* Alter contrà, *poſtquam recreavit corpus brevi cibo & ſomno, exurgit alacer ad injunctas functiones. Nihilo minus iſte poterit transire interdum ad lautiorem* cibum, *ſeu tempus recurrens adduxerit ſacrum diem, ſeu cupiet debilitatum corpus reficere: item*

ANNOTATIONES.

Saturn. lib. 7. cap. 4, & 5. hâc de re pluribus & luculenter differentem. *Qui ſimplicem cibum ſumit, facilè, quo ſucco ejus corpus vel juvetur vel gravetur, uſu docente cognoſcit: atque ita cujus cauſa deprehenſa eſt, noxam facile devitat. Qui autem multiplicem, diverſitate ſuccorum diverſas patitur qualitates: nec concordant humores ex materiæ varietate naſcentes, nec efficiunt liquidum purumve ſanguinem, in quem jecoris miniſterio vertuntur; & in venas cum tumultu ſuo tranſeunt. Hinc morborum ſcaturigo ex repugnantium ſibi humorum diſcordiâ, &c.*

74. *Conchyliâ.*] Piſces conchis incluſos, oſtrea, &c. Cic. in Piſonem, n. 67. *Menſa exſtructa non conchyliis aut piſcibus, ſed multâ carne.* Plin. l. 8. c. 57. *Cenſoriæ leges, princépſque M. Scaurus in conſulatu, cœnis ademêre conchylia, & ex alio orbe convectas aves.* Cœl. Rhodig. l. 27. c. 23. ex Phalereo Demetrio, & Sophrone mimographo, *Conchylia*, inquit, *gulæ proceribus adeò probata, ut vel inde ſit conformatum adagium;* eſſe conchylia viduarum cupedias.

Turdis;] Gall. *grives.* De his jam lib. 1. Sat. 5, & poſteà lib. 1. Epiſt. 15. *obeſo nil melius turdo.* Vide ibi annot.

75. *Dulcia ſe in bilem vertent,*] Quæ ſcilicet non benè cocta fuerint in ventriculo, maximè verò dulcia in bilem amaroſque humores convertuntur.

Stomachoque tumultum Lenta feret pituita.] Pituita humidus ac frigidus humor à cerebro defluens in ſtomachum, ibique offendens excitatam bilem calidam & ſiccam, turbas ingentes ac tumultus movebit. Macr. antè cit. *Humores repugnantes ac diſcordes non purum faciunt ſanguinem, & in venas cum tumultu ſuo tranſeunt.*

76. *Pallidus omnis, &c.*] Decolor, malè habens, dum ægre coquitur cibus multiplex & varius, qui calorem naturalem gravat imbecilliorem, & extinguit, atque hinc pallor.

77. *Cœnâ dubiâ?*] Sumptuoſa, tam copioſa, ut quem è tot cibis capias dubius ſis. Terent. Phorm. act. 2. Ph. *Cœna dubia apponitur.* Ge. *Quid iſtuc verbi eſt?* Ph. *Ubi tu dubites quid ſumas potiſſimum.*

78. *Animum prægravat unà.*] Hebetem reddit ac ſui ſimilem, ſecumque ad terram inclinat animum, qui cùm divinæ conſors naturæ ſit, ſurſum debet & ad ſublimia cœleſtiaque conniti. Cic. Tuſcul. 5. n. 100. *Quid, quòd ne mente quidem rectè uti poſſumus multo cibo & potione completi?*

79. *Affigit humo*] Al. *Affigit humi*, Cic. de Senectute, n. 77. *Eſt animus cœleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram, locum divinæ naturæ æternitatique contrarium.*

Divinæ particulam auræ.] Cic. Tuſ. 5. n. 38. *Humanus animus ex divinâ mente decerptus cum alio nullo niſi cum ipſo Deo, ſi hoc fas eſt dictu, comparari poteſt.* Senec. Epiſt. 56. ratio nihil aliud eſt, quam in corpus humanum pars divini ſpiritûs merſa. Juvenal. Sat. 15. v. 146.

Senſum à cœleſti demiſſum traximus arce,

Egregiam hanc illi Ethnici ſententiam hauſêre ex ſacris codicibus, quos non ignoravêre, ut alibi dixi. *Geneſ.* c. 2. "Formavit Dominus "Deus hominem de limo terræ & inſpiravit "in faciem ejus ſpiraculum vitæ: & factus "eſt homo in animam viventem."

80. *Alter, ubi dicto citiùs, &c.*] Alter frugali utens victu, poſtquam cibo ſomnoque modico curavit corpus, ſurgit alacer & expeditus ad ſolitas actiones: Contra, qui heſternis epulis adhuc graves, ad reſumendum manè laborem parum ſunt vegeti.

82. *Hic tamen ad melius, &c.*] Qui cibum quotidie capit exiguum, poterit interdum lautiori ſe convivio exhilarare & recreare, ſeu publicæ lætitiæ causâ & occaſione, ſeu ob propriam neceſſitatem. Qui verò molliter vivit, ſenio vel ægritudini incidenti quod præbeat, levamen aut ſolatium nullum inſuper habet.

Accedent anni, et tractari molliùs ætas
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad iſtam
Quam puer et validus præſumis mollitiem, ſeu
Dura valetudo inciderit, ſeu tarda ſenectus?
Rancidum aprū antiqui laudabant; non quia naſus
Illis nullus erat; ſed credo, hâc mente, quòd hoſpes [633]
Tardiùs adveniens vitiatum commodiùs quàm
Integrum edax dominus conſumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tuliſſet!
Das aliquid famæ, quæ carmine gratior aurem
Occupat humanam? Grandes rhombi patinæq;
Grande ferunt unà cum damno dedecus. Adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et fruſtra mortis cupidum, cùm deerit egenti
As, laquei pretium. Jure, inquis, Thraſius iſtis
Jurgatur verbis: ego vectigalia magna,
Divitiaſq; habeo tribus amplas regibus. Ergo [634]
Quod ſuperat, non eſt meliùs quo inſumere poſſis?
Cur eget indignus quiſquam, te divite? Quare
Templa ruunt antiqua Deûm? Cur, improbe, caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo?

cùm anni multiplicati fuerint, atque melius curari poſcet ætas ingraveſcens. Tu verò ad eam mollitiam quam adhuc *juvenis ac vegetus præripis, quid adjunges, cum vel ægritudo moleſta vel ſenectus pigra acciderit? Priſci amabant aprum rancidulum, non quòd carerent odoratu: ſed,* ut *opinor, eo conſilio quòd hoſpes ſerò accedens aptius comedat* paulò *corruptum, quam vorax dominus incorruptum. Utinam me prima terra genuiſſet inter iſtos heroas. An quidpiam tribuis exiſtimationi, quæ jucundior carmine intrat* in *aures hominum? Magni rhombi & catini magnum probrum ſimul cum detrimento afferunt. Adjunge inſenſum patruum, vicinos, temet tibi inimicum, & fruſtra mori quærentem quando inopi non aderit as pretium reſtis.*

Dices: *meritò* quidem *Thraſius ejuſmodi ſermonibus increpatur: Ego verò reditus ingentes poſſideo, & opes tribus regibus ſuffecturas.* An *igitur deeſt melior ratio inſumendi quod ſuperfluum eſt? Quare inops eſt aliquis immeritus,* dum *tu es opulentius? Cur vetuſta numinum ſana decidunt? Quare, peſſime, è tam abundanti cumulo non detrahis quidquam dilectæ* patriæ largiendum?

ANNOTATIONES.

93. *Quæ carmine gratior*] Vel, quæ gratior quavis modulatione: vel, quæ ſit per carmen celebrior. Nôrunt omnes Alexandrum illum magnum Achilli invidiſſe, quòd nactus eſſet eximium laudum ſuarum præconem Homerum.

97. *Adde Iratum patruum, &c.*] Præter allata jam luxurioſi victus mala, adde quod odium incurris propinquorum, amicorum, imò & vicinorum, qui omnes oderunt luxuriam. Cic. pro Muren. n. 76. *Odit Populus Roman. privatam luxuriam.* Offic. l. 1. n. 106. *Turpè eſt diffluere luxuria . . . . . . Luxuria cùm omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt.*

Patruum,] Cujus es tutelæ commiſſus, & cui proinde obſequi te par eſt à prodigendo patrimonio deterrenti, ſumptus nimios vetanti.

Te tibi iniquum,] Quippe qui tuas opes effundis in alios, nihil tibimet reſervans, ſeu quo ingruenti inopiæ ſubvenias, ſeu quo in deſperatione rerum tuarum mortem tibi conſciſcas.

99. *As laquei pretium.*] Sat pecuniæ ad emendum laqueum. Placet alia lectio *as* hoc ſenſu: ut nec aſſem unum habeas ſuperſtitem quo emas reſtim, ad ſuſpendium finiendaſque ſimul cùm vitâ ærumnas & miſeriam ſummæ egeſtatis aſſeclas. Huc ſpectat adagium: *ad aſſem redactus.*

Thraſius] Homo prodigus & hinc prorsùs inops & egens rerum omnium.

100. *Ego vectigalia magna, &c.*] Prolepſis eſt. Qui non amplas habet & magnas opes, ac ſumptus facit magnos, is jure admonetur & objurgatur. Atqui ego non ita. Nam ingentes divitias poſſideo cuilibet magno ſumptui pares.

Vectigalia] Privatos reditus copioſos publicis vectigalibus æquales.

101. *Tribus amplas regibus.*] Plutarchus ità ſcribit, Marium ædes & opes habuiſſe multis regnis pares.

102. *Ergò quòd ſuperat, non eſt melius quo, &c.*] Reſpondet Horatius: Atque divitias illas ingentes non dilapidare, ſed rectè inſumere oportet quæ ſuperflua tibi multa ſunt. Quin iis ſublevas cives quos iniqua ſors pauperes fecit meliori conditione dignos? Quin inſtauranda curas diruta vetuſtate deorum templa? Quin è tanto bonorum acervo decerptum aliquid impertis Reipubl. & patriæ, quæ tibi certè chara eſſe debet?

Uni

Scilicet tibi ſoli benè ſemper fluent omnia: O cachinnus ingens deinde adverſariis! Uter duorum ſibi confidet ſecurius in caſibus incertis; an is qui animum & corpus arrogans aſſueverit multis, an qui modico contentus & futuri providus, in pace comparaverit neceſſaria ad bellum, uti ſolet ſapiens? Verùm ut majorem his habeas fidem; Ego parvus puer Ofellum hunc animadverti non largius uſum facultatibus integris, quàm nunc attritis. Cernas jam in dimenſo agro cum liberis & grege ſtrenuum agricolam mercenarium ſic loquentem: Haud ego die non feſtâ comedi quidpiam temerè niſi herbas cum pede fumoſo porci. Quando verò hoſpes acceſſerat poſt diuturnum intervallum, aut vicinus jucundus mihi conviva, per pluviam laborem intermittenti; lautæ erant epulæ non è piſcibus urbe quæſitis, ſed è pullo & capro. Deinde penſiles uvæ, & nuces, & craſſiores ficus inſtruebant ſecundam menſam.

Uni nimirùm tibi rectè ſemper erunt res?
O magnus poſthac inimicis riſus! utérne
Ad caſus dubios fidet tibi certiùs; hic, qui
Pluribus aſſuêrit mentem corpúſque ſuperbum;
An qui contentus parvo, metuénſque futuri,
In pace, ut ſapiens, aptârit idonea bello!
Quò magis his credas: puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latiùs uſum,
Quam nunc acciſis. Videas metato in agello [635]
Cum pecore et natis fortem mercede colonum,
Non ego, narrantem, temerè edi luce profeſtâ
Quidquam præter olus fumoſæ cum pede pernæ.
Ac mihi ſeu longum poſt tempus venerat hoſpes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus; benè erat, non piſcibus urbe petitis,
Sed pullo atque hædo: tum penſilis uva ſecundas
Et nux ornabat menſas cum duplice ficu.

ANNOTATIONES.

106. *Uni nimirùm tibi, &c.*] Attende verò quàm ſtultè præſenti rerum ſtatui confidas, quaſi proſpera ſemper habiturus. Indè cave nè, aliè corruens lapſu graviore, præbeas & inimicis riſum ac ludibrium, malitioſæ fortunæ ludum ac jocum, atque, ut ait Juvenalis, *mimum*, Sat. 6. v. 607.

107. *Uterne ad caſus dubios &c.*] Urget porrò noſter Poëta: Dic amabo; uter in adverſis conſtantior futurus eſt, an qui rerum omnium copiâ ſemper ſe ſatiârit, an qui bonis licet affluens modico ſe victui aſſueſecerit? exemplo rem accipe. Ofellus olim dives, nunc pauper mutatam ſortem vix ſentit; quoniam inter opes non abundantiori cibo uſus eſt, *futuri metuens*: atque *in pace*, & ſecundis rèbus, *ut ſapiens, aptans idonea bello* & egeſtati præſidia, nempè tolerantiæ ſtudium, animumque & corpus *contentum parvo*.

112. *Ofellum*] Poſt Philippenſem victoriam reductis in Italiam militibus agros diviſit Auguſtus veteribus dominis ademptos. Sic & Propertius prædia amiſit: quod ipſe conqueritur: & Virgilius ipſe ſuorum poſſeſſione depulſus ac tantùm non ſpoliatus eſt. Patet ex Bucolicis Ecl, 1. & 9. Sic etiam Ofellus ſuum agrum Umbreno cuidam militi attributum perdidit; ac deinceps velut alienum mercede conductum excoluit: ſuoque labore & operâ ruſticâ ſe ſuamque familiam ſuſtentavit & aluit.

114. *Metato in agello.*] Salmaſius *metatum* interpretatur opimum, quaſi electum & aſſignatum. Malim tamen cum aliis intelligere ſimplicius, perticâ dimenſum. Nam ita cuique certa menſura, certa jugera aſſignabantur. Virg. in Diris.

Pertica quæ noſtros metata eſt impia agellos

Propert. lib. 4. Et l. 1. v. 130.

Abſtulit excultas pertica triſtis opes.

116. *Non ego, &c.*] Hæc & quæ ſequuntur ad finem hujus Satiræ Ofelli *narrantis* verba ſunt.

117. *Pernæ.*] Pernam cum petaſone malè confundunt aliqui. Petaſo eſt coxa porcina ſalita coſtas etiam comprehendens: *perna* eſt petaſonis pars carnoſior, pedi proxima, cum ipſo pede. Undè patet Poëtæ noſtri accurata dictio, atque Ofelli parſimonia, qui profeſtis diebus non *pernam* ſed *pedem* tantùm pernæ partem deteriorem comederet, etiam dum *integræ opes erant*.

119. *Per imbrem*] Dum plueret, atque intermitti opus neceſſe erat.

121. *Penſilis uva*] Quæ paſſa ſuſpenditur hyeme comedenda. Varro de re ruſt. lib. 1. cap. 58. *Cato ait . . . uvas quas ſuſpendas, opportuniſſimas eſſe duracinas, amineas, & ſcantianas*; & cap. 68. *penſilia, ut uvæ, mala, & ſorba, ipſa oſtendunt quando ad uſum promi oporteat: quòd colore mutato, & contractu acinorum, ſi non dempſeris ad edendum, ad abjiciendum deſcenſurum ſe minitantur.* Plin. lib. 14. c. 1. *Uvæ durant aliæ per hyemem penſiles nexo concameratæ, congeminatæ, conglomeratæ.* Sunt enim variæ lectiones hujus vocis.

122. *Cum duplici ficu.*] Alii intelligunt cu-

Poſt hoc ludus erat cuppâ potare magiſtrâ :
Ac venerata Ceres, ut culmo ſurgeret alto, [656]
Explicuit vino contractæ ſeria frontis.
Sæviat, atque novos moveat fortuna tumultus;
Quantùm hinc imminuet? quantò aut ego parciùs, aut vos,
O pueri, nituiſtis, ut huc novus incola venit?
Nam propriæ telluris herum natura, neque illum,
Nec me, nec quemquam ſtatuit. Nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia juris,
Poſtremò expellet certè vivacior hæres.
Nunc ager Umbreni ſub nomine, nuper Ofelli [647]
Dictus, erit nulli proprius; ſed cedet in uſum

Poſteà ludus erat bibere cratere magiſtro. Denique *Ceres rogata ut celſam ariſtam erigeret, vino porrigebat frontem rugoſam & ſolicitam. Ergò ſors adverſetur, novaque bella moliatur, quid inde auferet? Quantò minùs vel ego, vel vos, ô pueri, culti fuiſtis, ex quo novus inquilinus iſtuc acceſſit? Etenim proprii agri dominum neque hunc, neque me, ullum natura conſtituit; iſte nos abegit: iſtum abiget vel fraus, vel ignoratio tricarum juris, tandem certè hæres ſuperſtes. Ager ille nunc ſub nomine Umbreni, paulo ante Ofelli nuncupatus, nemini proprius eſt: at fructum afferet*

ANNOTATIONES.

ricas ſeu ficus ficcas duplicis generis, albas & nigras, præcoces & ſerotinas. Alii referunt ad ficum quæ bifera dicitur. Alii volunt ſignificari mariſcas, quæ ſunt ficus grandiores at inſipidæ, viles, *fatuæ*, Martial. l. 7. Epigr. 24. certè Ofelli convenientes frugali menſæ. Ariſtot. Probl. ἰσχάδες αἱ δίχα ἰσχισμέναι. Vide Columel. l. 12. c. 15. Plin. l. 15. c. 18. Macrob. l. 3. c. 20, &c.

123. *Ludus erat cuppâ potare magiſtrâ:*] Nullâ archipoſiâ, nullo convivii rege bibendi modum præſcribente: ſed quaſi ipsâ cuppâ duntaxat dominâ, potabamus ad arbitrium, liberè, quantum placeret. De rege ac legibus convivii, l. 1. Od. 4. & l. 2. Od. 7. Quidam legunt *culpâ*, ut qui peccaſſet adverſus leges convivii & ſymposiarchæ, in pœnam haurire cyathum juberetur: afferuntque Plaut. Stich. 5, 4, 43. *uter demutaſſit poculo multabitur.* Verùm hæc parum congruunt ſimplicitati ruſticæ & moribus Ofelli.

Cuppâ] A κύββα, *poculum*: Heſych. Gall. *Une couppe.* Angl. a Cup.

124. *Venerata Ceres,*] Religioſâ libatione Cererem venerabamur, ac precabamur ut amplam daret meſſem: tumque bonâ ſpe conceptâ hilaritati indulgebamus. Antiqui *venero & veneror* dixerunt. Virgil. Æneid. 3. v. 460. *Venerata ſacerdos*, paſſivâ ſignificatione, ut hoc Horatii loco.

126. *Sæviat, atque novos, &c.*] Fortunam rectè provocat Ofellus *anguſtam pauperiem pati* aſſuetus. Ad rem omnino Senec. Epiſt. 11. *Quod neceſſitati ſat eſt, Fortuna debet etiam irata.*

127. *Quantò aut ego parciùs, &c.*] Ex quo Umbrenus tenet agrum meum, an Fortunæ ictus, an diminutum victum ſenſimus? an corporis color ac nitor deperiit? Imò cibi parabiles, ut antè, in promptu ſemper adfuerunt: eadem vivendi agendique ratio: idem animus.

129. *Nam propriæ telluris herum, &c.*] Cic. Offic. 1. n. 21. *Sunt autem privata nulla natura, ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt: aut victoriâ, ut qui bello potiti ſunt; aut lege, pactione, conditione, ſorte.* Senec. Epiſt. 88. *Non dominus iſto, ſed colonus intraſti.*

131. *Illum aut nequities, &c.*] Sua ipſius luxuria, vel aliena fraus & improbitas, *Vafri inſcitia juris*: Gall. *une chicane malicieuſe.* Vide poſteà l. 2. Epiſt. 2. v. 127. & ſeq.

132. *Vivacior hæres.*] Horat. Ep. 2, 2, 175.
. . *Perpetuus nulli datur uſus: & hæres*
Hæredem alterius velut unda ſupervenit undam.

133. *Nunc ager Umbreni, &c.*] Expreſſa dictio ex Luciani Epigrammate,

Ἀγρὸς Ἀχαιμενίδου γενόμην ποτὲ, νῦν δὲ Μενίππου,
Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον.
Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ᾤετο, καὶ πάλιν οὗτος
Οἴεται. εἰμὶ δ' ὅλως οὐδενὸς, ἀλλὰ Τύχης,

Ager Achæmenidæ olim, nunc verò Menippi.
Et rurſus ab alio tranſibo ad alium. Etenim
ille poſſidere me putabat; & hic nunc putat.
Nullius autem omnino ſum ſed Fortunæ.

134. *Cedet in uſum nunc mihi, nunc alii.*] Lib. 2. Epiſt. 2. V. 174.
. . . . *tanquam,*
Sit proprium cuiquam, puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema,
Permutet dominos, et cedat in altera jura.

jam mihi, mox alteri. Quapropter conſtantes eſtote; & rebus contrariis magnos animos objicite.

Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes;
Fortiáque adverſis opponite pectora rebus.

ANNOTATIONES.

135. *Quocirca vivite fortes, &c.*] Quæ cùm ita ſint, ô pueri mei, diſcite exemplo meo nihil proprium vobis exiſtimare, parvo contenti eſſe, & ſic fortunæ vim frangere.

SATIRA III.

Fusè tractat paradoxum illud Stoïcum: Omnes ſtultos inſanire.

DAMASIP. *Sic infrequenter ſcribis, adeo ut anno integro vix quater petas membranam, ſingula tua ſcripta recenſens; adverſùs temetipſum iratus, quòd vino & ſomno indulgens nihil componas dignum celebrari; quid erit? ſobrius veniſti ab ipſis*

SIC rarò ſcribis, ut toto non quater anno
Membranam poſcas, ſcriptorum quæque retexens;
Iratus tibi, quod vini ſomníque benignus
Nil dignum ſermone canas: quid fiet? ab ipſis

ANNOTATIONES.

1. *Sic rarò, &c.*] Plures hîc dialogiſmi, ſed duo ſunt præcipui: prior Damaſippi philoſophi cum Horatio, uſque ad verſum 39. ubi hunc ille Stoïco ſupercilio redarguit, quòd nihil novi ſcriberet: alter eſt Stertinii item Stoïci cum Damaſippo. Vel ſi mavis, Damaſippus ipſe refert Horatio Stertinii ſecum & cum aliis quibuſdam ſermocinationem ſat prolixam. Atque in hâc Satiricus noſter, excutiendo ſolemne Stoïcis placitum, acutè vellicat pleroſque vanæ mentis homines, qui ſolos ſe ſapere venditabant.

Ut toto non quater, &c.] Primùm ſe caſtigari inſimularique deſidiæ à Damaſippo fingit Horatius, ut inde ſenſim ac pedetentim ad propoſitum ſubrepat, atque *vafer vitium* ac vulnus, quod reſcindere vult, *tangat*; quemadmodum ait Perſius, Sat. 1. v. 116.

2. *Membranam poſcas,*] Ex adverſariis in membranam nihil tranſcribis velut emendatum, atque hominum lectioni dandum: multa quidem habes in tabulis exarata, quæ perpetuò retexis, ſed pauca aut nulla in chartam & mundum refers. Priſci nimirùm ſcriptitavêre primò in ceratis tabellis; ut annotavi l. 1. Sat. 10. Deinde in chartâ ſeu papyro; l. 1. Sat. 4. Poſteà in membranis quæ pelles animalium, quòd Pergami inventæ & aptatæ ad ſcribendum, Pergamenæ dictæ ſunt. Plin. lib. 13. cap. 11. S. Hieron. Epiſt. ad Chromatium: *cum parvam Epiſtolam* miſeritis . . . . . . *chartam defuiſſe non puto, Egypto miniſtrante commercia. Et ſi alicui Ptolemæus maria clauſiſſet, tamen rex Attalus* (Eumenes) *membranas a Pergamo miſerat, ut penuria chartæ pellibus penſaretur: unde & Pergamenorum nomen ad hunc uſque diem, tradente ſibi invicem poſteritate, ſervatum eſt.* Ubi ex occaſione & in tranſitu, Lector, meminiſſe oportet, Pergami reges ferè omnes appellari conſueviſſe Attalos: pariterque Ægyptios nominatos deinceps Ptolemæos, qui anteà Pharaones.

Retexens.] In tabellis enim, verſo ſtylo, ceráque complanatâ, licebat mutare & retexere quidlibet; non perinde in membranis. Ovid.

Incipit, & dubitat: ſcribit, damnatq; tabellas.
Et notat, & delet; mutat, culpatque, probatque.

Vide Quintil. lib. 16. cap. 3. ſub finem.

3. *Iratus tibi, quod, &c.*] Quòd ſatis elaboratum nihil tibi videatur, iraſceris & ſuccenſes tibimet; hinc relegis, deles, vertis, donec aliquid menti occurrat quod ipſe probes, dignumque judices evulgari & tradi lectitandum eruditis. Epiſt. ad Piſones. v. 293.

. . . Carmen reprehendite quod non
Multa dies & multa litura coërcuit, &c.

4. *Dignum ſermone.*] Dignum Satiris mandari, proindeque legi & laudari.

Ab ipſis Saturnalibus huc fugiſti] Quorſum huc ſeceſſiſti in villam tepidiori cœlo, vel loco luculentiori commodum, quaſi ad ſcribendum aptiorem?

Satur-

Saturnalibus huc fugiſti ſobrius. Ergò
Dic aliquid dignum promiſſis. Incipe. Nil eſt.
Culpantur fruſtra calami; immeritúſque laborat [639]
Iratis natus paries Dîs atque poëtis.
Atqui vultus erat multa et præclara minantis,
Si vacuum tepido cepiſſet villula tecto.
Quorſum pertinuit ſtipare Platona Menandro?
Eupolin Archilocho? Comites educere tantos?
Invidiam placare paras virtute relicta?

Saturnalibus. Igitur ſcribe quidpiam pollicitis reſpondens. Age: nihil prohibet. Sine cauſâ calamos accuſas: nec jure cæditur paries factus adverſis numinibus & poëtis. At vultu multa & eximia ſpondebas, cum primum villæ domicilio calenti te excepiſſet. Quid prodeſt adjunxiſſe Platonem Menandro? atque *Eupolin Archilocho? aſſumpſiſſe comites egregios? An ſperas invidiam ſedare virtutem deſerendo?*

ANNOTATIONES.

5. *Saturnalibus*] In memoriam priſcæ libertatis ſub imperio Saturni, Romæ celebrabantur Saturnalia 14. Cal. Januar. tumque ſervis domini præſtabant epulas, ipſique miniſtrabant: omni datâ quidvis loquendi licentiâ. Vide Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 10. Athen. lib. 14. & infrà Sat. 7. v. 4. ubi de *libertate Decembri*.

Sobrius ergo Dic aliquid, &c.] Si quidem Romanæ plebis in Saturnalibus commeſſationes ac tumultus fugiens huc veniſti, & quiete exoptatâ jam frueris, vinoque & ſomno parcè indulgere licet, jam ſcribe quidpiam ſobriâ mente dignum.

6. *Nihil eſt.*] Nihil excuſationis habes.

Culpantur fruſtrà calami;] Non eſt quòd pueriliter culpam rejicias in calamos parùm idoneos. Vide Perſ. Sat. 3. v. 12. ubi,

Tum queritur craſſus calamo quòd pendeat humor,
. . . .
An tali ſtudeam calamo?

7. *Immeritúſque laborat*, &c.] Immeritò cædes parietem, iratus quòd votis reſpondentia non pariat mens, Perſ. Sat. 1. v. 106. *nec pluteum cædit*, &c. Quintil. lib. 10. cap. 3. *Tum illa, quæ apertiorem animi motum ſequuntur, ... jactare manum, torquere vultum, ... quæque Perſius notat*, &c. Hic nonnulli perperàm aſſerunt fuiſſe veteribus parietes ceratos, in quibus noctu ſcriberent, ſi quid mente occurreret. At fuerint tabulæ ceratæ: quas quidem, vel fortaſſe ipſas parietibus lecto proximas appenſas, ceratos parietes interpretari licet. Prior tamen explicandi ratio magis arridet.

8. *Iratis natus paries Diis*, &c.] Qui nempe toties immeritò verberetur, Poëtis ſuam exonerantibus indignationem & iram quòd animus eximia non excogitaret. Ita veteres dixere Diis adverſis fieri, ſi quid male cederet.

10. *Si vacuum tepido*, &c.] Horatius impatiens frigoris in villam ſuam prope Tarentum ſecedere conſueverat. Lib. 2. Od. 6.

Ver ubi longum, tepidaſque præbet
Jupiter brumas.

Lib. 1. Epiſt. 7. v. 10.

Quod ſi bruma nives Albanis illinet agris,
Ad mare deſcendet vates tuus, &c.] Vide & Epiſt. 16.

11. *Quorſum pertinuit*, &c.] Quorſum igitur tot libros tecum detuliſti? *Platonem*, ad ſententias. Epiſt. ad Piſ. *Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ. Menandrum*, ad morum imitationem, quâ præcellit: *Eupolidem & Archilochum*, ad ſales & acrimoniam. Quæ quidem omnia juvabant ſcripturum Satiras. Vide Platonis Alcibiad. poſter. unde hujus materia Satiræ deſumpta.

Platona] Cic. de Orat. *Non intelligendi ſolùm, ſed etiam dicendi graviſſimus auctor & magiſter Plato.* Et poſteà; *Platonis locutio potius poëma putandum, quàm Comicorum Poëtarum.*

Menandro? Hic Athenis oriundus, novæ comœdiæ ſcriptor eximius: quem Terentius ſecutus eſt. Quint. l. 10. c. 1. *vel unus*, inquit, *diligenter lectus ad cuncta efficienda ſufficiat Menander; ità omnem vitæ imaginem expreſſit; tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas; ità eſt omnibus rebus, perſonis, affectibus accommodatus . . . in omnibus mirè cuſtoditur ab hoc Poëta decorum. Atque is quidem ejuſdem operis auctoribus abſtulit nomen, & fulgore quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit.*

12. *Eupolin, Archilocho?* De hoc in Epod. 6. de illo Sat. 4. lib. 1.

13. *Invidiam placare paras*, &c.] An times homines malos offendere, carpendo vitia eorum, & ſatiricum ſalem iis affricando? An verò ſic invidiam formidare incipis & inimicitias improborum? Cic. Catil. 1. *Hoc animo ſemper fui, ut invidiam virtute partam gloriam putarem, non invidiam.*

Con-

O infelix deſpectui eris. Fugienda eſt inertia mala Siren; vel pariter amittendum id omne quod meliore vita acquiſiviſti. HORAT. O *Damaſippe, Dii, Deæque propter ſalutare monitum, dent tibi tonſorem. Verum quomodo tam benè me cognoſcis?* DAMASIP. *Poſtquam cunctæ meæ facultates perierunt apud Janum medium, rerum alienarum ſatago, dimotus a propriis. Etenim pridem cordi erat inveſtigare, quo vaſe æreo pedes abluiſſet Siſyphus ille callidus: quid ſine arte inciſum, quid imperitè conflatum eſſet?* Ego *ſolers illi ſtatuæ* pretium *ſtatuebam centena millia: ſolusque noveram hortos & ædes magnificas emere cum quæſtu. Quocirca plateæ celebres cognominârant me Mercurii amicum.* HOR. *Scio,*

Contemnêre miſer. Vitanda eſt improba Siren [640]
Deſidia; aut quidquid vitâ meliore paraſti,
Ponendum æquo animo. Dî te, Damaſippe, deæq;
Verum ob conſilium donent tonſore. Sed unde
Tam benè me nôſti? Poſtquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta eſt; aliena negotia curo,
Excuſſus propriis. Olim nam quærere amabam,
Quo vafer ille pedes laviſſet Siſyphus ære; [641]
Quid ſculptum inſabre, quid fuſum duriús eſſet.
Callidus huic ſigno ponebam millia centum:
Hortos egregiáſque domos mercarier unus
Cum lucro nôram. Unde frequentia Mercuriale
Impoſuêre mihi cognomen compita. Novi,

ANNOTATIONES.

14. *Improba Siren Deſidia;*] Hæc enim velut Siren hominibus blanditur & perniciem affert. Fruſtra eſt quod Cruquius hic comminiſcitur dogmaticas Sirenes, de quibus Laërt. lib. 10. in vitâ Epicuri: quaſi ad eas invidioſè alluſerit Stoïcus Damaſippus. De Sirenibus lib. 1. Epiſt. 2. v. 23.

15. *Vitâ meliore*] Meliore vitæ parte, eâ nimirùm quæ peracta eſt virtutem colendo & exercendo, bonumque tibi nomen ac famam acquirendo.

16. *Damaſippe,*] Is Senatoriâ dignitate clarus ad inepta mercaturæ ſtudia & negotia deflexit: in quo perditis facultatibus, futile Stoici Philoſophi nomen captavit & habitum.

17. *Donent tonſore.*] Lepida pariter & ſalſa gratiarum actio; adſit tonſor qui radat & tondeat apte barbam illam tuam philoſophicam prolixiorem. Nihil certé aliud optari poſſe videbantur homini res omnes ſpernenti, unamque virtutem & ſapientiam æſtimanti: quanquam barbâ tenus ſapienti & philoſopho.

18. *Poſtquam omnis res mea, &c.*] Poſteaquam fœnore, verſuris, mercaturis, omnia bona diſperdidi, antiquas imagines & ſtatuas, villas item & ædes egregias emendo venditandoque; nihil jam habens pro me gerere negotii, res alienas deinceps curo; ſic mihi nota ſunt quæ ad te pertinent.

Janum Ad medium] Ad medium Romæ forum, nimirùm hinc & inde Jani duplex erat effigies; medius autem locus mercatoribus frequens erat; dicebaturque Janus medius, eò quod eſſet duas inter Jani ſtatuas, quarum altera Janus ſuperior, altera Janus inferior; appellabatur. Hinc poſteà lib. 1. Epiſt. 1. v. 54.

Virtus poſt nummos. Hæc Janus ſummus ab imo
Perdocet.

Meminit etiam Tull. in fine l. 2. Offic. *à quibuſdam viris optimis ad medium Janum ſedentibus commodius diſputatur de quærendâ, de collocandâ, etiam de utendâ pecuniâ,* Et Philip. 6. n. 15. *de ſtatuâ illâ palmari non poſſem ſine riſu dicere.* L. ANTONIO JANI MEDII PATRONO. *Itane? Janus medius in L. Antonii clientela eſt?*

20. *Olim nam quærere amabam, &c.*] Corinthium æs, vaſaque antiqua ſtudebam cognoſcere; v. g. quæ Siſyphi ævo conflata, ſignata, cælata: nec non quæ haberentur mollius ac ſolertiùs fabricata.

21. *Siſyphus*] Æoli filius Corinthi regis, de quo l. 2. Od. 14. v. 20. & Epod. ult. v. 16.

21. *Callidus huic ſigno, &c.*] Tanquam peritiſſimus iſtarum rerum æſtimator, & negotiator famoſus, ego pretium imponebam ſignis, ſtatuis, ædibus magnificis, &c.

Millia centum:] Supple, ſeſtertiûm. Vide Annot. lib. 1. Sat. 3. v. 15.

24. *Hortos egregiaſque domos, &c.*] Cic. l. 1. Epiſt. 23. emptorem exoptat vanum quempiam & fatuè curioſum Damaſippi ſimilem, cui vendere poſſit ſigna quædam haud ſibi grata. Et Epiſt. 32 lib. 12. Atticum rogat ut Damaſippum aggrediatur, atque ab eo quoſdam agros ſibi mercetur ad ripam Tiberis ſitos.

25. *Mercuriale*] Antonomaſticè nimirum. Nam commune hoc alioqui mercatorum & lucrionum cognomen. Quidam leg. Mercuriali, pari ſenſu. Mercurium præeſſe lucro & mercaturæ, cuilibet eſt compertum. lib. 1. Od. 10.

Et

Et morbi miror purgatum te illius. Atqui
Emovit veterem mirè novus, ut ſolet, in cor
Trajecto lateris miſeri capitiſve dolore:
Ut lethargicus hic cùm ſit pugil, et medicum urget.
Dum nè quid ſimile huic, eſto ut lubet. O bone, nè te
Fruſtrêre, inſanis et tu, ſtultiq; propè omnes [642]
Si quid Stertinius veri crepat; unde ego mira
Deſcripſi docilis præcepta hæc, tempore quo me
Solatus juſſit ſapientem paſcere barbam,
Atque à Fabricio non triſtem ponte reverti.
Nam malè re geſtâ, cùm vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter ſtetit; et cave faxis
Te quidquam indignum: pudor, inquit, te malus angit,
Inſanos qui inter vereare inſanus haberi.
Primùm nam inquiram, quid ſit furere: hoc ſi erit in te
Solo; nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala ſtultitia et quemcunque inſcitia veri

& admiror te liberatum eo morbo. DAMASIP. *Nimirum veterem* morbum *novus depulit miro modo: ſicut ſit quando laborantis lateris aut capitis ægritudo tranſit ad ſtomachum: atque lethargicus aliquis ſit pugil, & medicum verberat.* HOR. *Eſto quidvis, dummodo non* accidat *quidquam par iſti.* DAMASIP. *O bone, nè aberres, tu quoque inſanus es, pariterque ſtulti omnes, ſi* quidem *vera docet Stertinius: à quo ego pulchra hæc documenta ſponte hauſi, tum cùm me conſolatus præcepit alere barbam ſapientem, ac lætum redire à ponte Fabricio. Enimverò perditis opibus cùm obvoluto capite vellem me præcipitare in fluvium, opportunus adfuit, aitque* (Stertini) *Cave nè perpetres aliquid te indignum: improba te verecundia afficit, qui times inſanus exiſtimari ab inſanis. Etenim ſciſcitabor primum; quid ſit inſanire: Quod ſi reperiatur in te uno, nihil ultrà loquar: nè impavidè mortem oppetas.* Atqui *ſchola & diſcipuli*

ANNOTATIONES.

27. *Morbi miror purgatum.*] Miror te purgatum eſſe veſanâ libidine mercandi cum lucro.

28. *In cor Trajecto lateris capitiſve dolore.*] Nè hîc cor ipſum, ſed ſtomachum aut ventriculum intellige. Græcis καρδία cor ſignificat, item ſtomachum ſive os ventriculi ſuperius, indeque pro ipſo ventriculo ponitur. Eo ſenſu percommode intelligitur quod dicitur hîc in cor è capite vel latere dolor trajici: primum quidem, cùm pituita corrupta in ventriculum è capite defluit; alterum verò, cùm bilis in latere ſerviens effunditur in ventriculum; atque illinc ægritudinem huc & malum transfert, oſque ventriculi afficit.

30. *Ut lethargicus hic cùm ſit pugil.*] Quando lethargus morbus vertitur in phrenitim. Scilicet veternum creat frigidior & abundantior pituita; quæ, ſi quâ ratione accendatur, cerebri membranas inflámmat mentiſque perturbationem, delirium, furorem gignit: Quo fit ut phreneticus ægér quemvis impetat, quaſi *pugil*, nec ipſi parcat medico. Corn. Celſ. l. 2. c. 20.

31. *Dum nè quid ſimile huic, &c.*] Feſtivè hoc & ſatiricè Horatius: O Damaſippe, ſis licet inſanus, ac, mutato morbo, phreneticus quantum libet, modò ne pugnis me contundas ac verberibus urgeas.

O bone, nè Fruſtrêre, &c.] En arripit occaſionem Stoicum dogma aggrediendi & expendendi.

33. *Stertinius.*] Ut gravis auctor profertur ille ſtatim, ad fidem faciendam. De eo poſteà lib. 1. Epiſt. 12.

35. *Juſſit ſapientem paſcere barbam.*] Nimirùm externam ſapientiæ ſpeciem aſſumere juſſit, ac barbam deinceps alere ad umbilicum uſque promiſſam. Is erat Philoſophorum habitus, ſeu ad venerationem, ſeu ad neglectum corporis indicandum. Perſ. Sat. 4. init. *barbatum magiſtrum* vocat Socratem. Arnob. l. 6. Æſculapii gravitatem notat ex *barbâ ampliſſimâ, boni ponderis, ac philoſophicæ denſitatis.*

36. *Atque à Fabricio, &c.*] Et prohibuit nè in rerum mearum deſperatione me præcipitem darem in fluvium Tiberim è ponte Fabricio.

Fabricio.] Is inſulam Tiberinam urbi Romæ jungit, à Fabricio Conſule ædificatus; hodie *Ponte guideo*, quod Judæis habitetur: item *Ponte di quatro capi*, ſeu quatuor capitum, vulgò dicitur, ob quadrifrontis Jani ſtatuam ibi extantem.

37. *Operto capite.*] Seu pudoris & indignationis causâ: ſeu ob contemptum lucis hujus ac vitæ.

38. *Dexter.*] Contrà *lævus* malum & infortunium deſignat.

43. *Mala ſtultitia.*] Vitioſa animi affectio à veri cognitione aliena, ſapientiæ contraria: nam alioqui furor ſeu phreneſis ſapienti etiam contingere poteſt ex atrâ bile, nec vitio cuiquam verti debet.

 Cœcùm

Cœcum agit, inſanum Chryſippi porticus et grex
Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula reges, [643]
Excepto ſapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Deſipiant omnes, æquè ac tu, qui tibi nomen
Inſano poſuêre. Velut ſilvis, ubi paſſim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille ſiniſtrorſum, hic dextrorſum abit; unus utriq;
Error, ſed variis illudit partibus. Hoc te
Crede modo inſanum; nihilo ut ſapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Eſt genus unum
Stultitiæ, nihilum metuenda timentis: ut ignes,
Ut rupes, fluvióſq; in campo obſtare queratur.
Alterum et huic varium, et nihilo ſapientius, ignes
Per medios fluvióſque ruentis: clamet amica
Mater, honeſta ſoror, cum cognatis, pater, uxor:
Hìc foſſa eſt ingens, hic rupes maxima: ſerva:
Non magìs audierit, quam Fuſius ebrius olim,
Cùm Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,

Chryſippi ſtatuunt inſanum eſſe quemcunque prava ſocordia & quemcunque veritatis ignorantia detinet in errore. Atq; ſententia iſta populos æquè ac principes complectitur, uno excepto Sapiente. Jam intellige cur perinde ut tu inſaniant omnes qui te inſanum vocant. Quemadmodum in *ſilvis, ubi paſſim error vagabundos agit extra veram viam; hic ad lævam; iſte ad dextram pergit: ambo æque aberrant, etſi diverſâ ratione decepti. Sic te deſipere exiſtima, ut qui te illudit haud minus inſipiens caudam trahat. Eſt fatuitatis altera ſpecies, metuentis ea quæ formidari non debent; velut* ſi quis *conqueratur flammas, ſcopulos, flumina,* ſibi *obſtare in campo: altera priori diſſimilis, minimè verò ſanior,* temere *petentis medios ignes ac fluvios.* Quamvis autem *ſedula parens, bona ſoror, pater, conjux, propinqui omnes increpent: Illic* eſt *barathrum immane, illic horrendus ſcopulus; cave* tibi: *haud magis auſcultabit quàm Fuſius quondam temulentus, dum ſopitam Ilionam ageret, quando mille ducenti Catieni*

ANNOTATIONES.

44. *Chryſippi porticus.*] Porticus Græcè ςοὰ ſignificat ſcholam Stoïcam; eò quod in porticu deambulantes Zeno ejus auctor ac deinceps alii philoſopharentur. *Chryſippi* verò dicitur hîc, quod eam fulcire putabatur ille, ut ait Tull. Acad. qu. Vide lib. 1. Sat. 3. v. 127. Annot.

45. *Formula.*] Apud Juriſconſultos formulæ dicuntur ſolemnes quædam propoſitiones ad veritatis indagationem dirigentes: axiomata ſeu placita vocant philoſophi.

53. *Caudam trahat.*] Æquè, ut tu, ridiculus & inſanus habendus. Dictio proverbialis ex eo facta, quòd ebriis & inſanis pueri ſoliti ſint tergo appendere quidpiam, inſtar caudæ, ad ludibrium, veluti exprobrantes ſic hominibus illis quod in beſtiæ naturam & ſpeciem degenerârint. Abſurdi ſunt qui *caudam trahere* interpretantur, ſuperbè incedere, & terram ſyrmate verrere.

60. *Fuſius ebrius.*] Auctor ille tragicus, cùm dormientis Hecubæ ſive Ilionæ ſomnum ſimulare deberet, ex vino & potu verè ſopitus, fruſtra ab inclamantibus vocatus nequaquam evigilavit.

61. *Ilionam.*] Ex tragœdiâ Attii, vel Pacuvii, in quâ Polydori, à Polymneſtore Thraciæ rege clàm interfecti umbra ſororem ſuam Ilionam Polymneſtoris uxorem noctu vocat dormientem, ut ſuis manibus juſta perſolvat inhumatumque ſepeliat. Quidam volunt hìc intelligi Hecubam, tum quod eſſet verè Polydori mater, tum ex ſequentibus verbis, tum ex Euripide & Cicerone: conjiciuntque Hecubam alio nomine Ilionam fortaſſe dictam. Sed quid opus iſtis? Ilionam matrem appellat Polydorus, vel ætatis provectæ, aut veneratione, vel etiam miſerationes excitandæ causâ. Adde quod puer ille domi fuerat ab Ilionâ velut à parente educatus. Vide Euripid. Hecub. Virgil. Æneid. 3. Cic. Academ. Quæſt. 2, &c.

Catienis mille ducentis Clamantibus.] Certè hiſtrio Catienus Polydori clamantis partes agebat. Quare verò dicuntur clamâſſe plures Catieni? vel Catienus pluries iterâſſe ac repetiiſſe? Mater te appello, accipiendus; vel alii hiſtriones, vel potiùs ſpectatores errorem intelligentes ſuggilanteſque ſucclamârunt; atque ut eſt in Epiſt. ad Piſones, *Romani pedites equiteſque cachinnum Suſtulerant.* Errant qui chorum Tragicum intelligi poſſe opinantur: tum quod unius Actoris partes ſuſtinet chorus; tum præſertim quod videatur eſſe contra decorum, ut matrem appellet chorus ſimiliter cum Polydoro, & accinat umbræ, quæ ſola ſoli apparere & loqui fingenda eſt.

Mater

Mater, te appello, clamantibus: huic ego vulgum [644]
Errori ſimilem cunctum inſanire docebo.
Inſanit veteres ſtatuas Damaſippus emendo:
Integer eſt mentis Damaſippi creditor? eſto.
Accipe, quod nunquam reddas mihi, ſi tibi dicam:
Túne inſanus eris, ſi acceperis? an magìs excors,
Rejectâ prædâ, quam præſens Mercurius fert?
Scribe decem à Nerio; non eſt ſatis: adde Cicutæ [645]
Nodoſi tabulas centum: mille adde catenas:
Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Proteus.
Cùm rapies in jus malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modò ſaxum, et, cùm volet, arbor.

inclamabant: O parens, te invoco. Porrò *oſtendam homines univerſos huic pari inſania laborare. Deſipit* certè *Damaſippus mercando antiquas imagines.* An verò *ſapit qui credit Damaſippo? Age; ſi tibi dicam: Accipe quod nunquam mihi reddas, an tu deſipere* exiſtimeris, *ſi accipias? an inſanior, ſi prædam repudiaveris à Mercurio propitio oblatam?* Jube *ſcribi* accepta *a Nerio decem* millia, *nec ſufficit: adjunge centenas cautiones & millena vincula vafri Cicutæ; iſtas* omnes *catenas nihilominus excutiet improbus Proteus. Cùmque ad judicium pertrahes exultantem in ærumnis aliorum, fiet aper, mox avis, deinde rupes, & arbor quando libuerit.*

ANNOTATIONES.

62. *Mater, te appello,*] Tull. 1. Tuſcul. n. 106. *Ecce alius exoritur è terra, qui matrem dormire non ſinat.*

Mater, te appello, tu quæ curam ſomno ſuſpenſam levas.
Neque te mei miſeret. Surge, ſepeli natum,
Priuſquam feræ volucreſque, &c.

Pro P. Sextio, n. 126. *Cum veniret, emergebat ſubito, cùm ſub tabulas ſubrepſerat, ut,* Mater, te appello, *Dicturus videretur.* Acad. 1. 2. *Quid Iliona ſomno illo? Mater, te appello. Nonne illa credit filium locutum, ut verè experrecta etiam crederet.*

Huic ego vulgum, &c.] Oſtendam ego vulgus omne tanto erroris ſopore obrutum, veluti Catienus ille, ut nullis admonitionibus retrahi queat à ſtudio lucri; imò ſæpè non advertat omnia ſua perdendi periculum, dum ad ſpeciem quæſtûs fertur.

65. *Damaſippi creditor?*] Perillius, de quo mox, qui ſtulte Damaſippo verſipelli & doloſo credit ſeu ſtatuas, vaſa, domos; ſeu pecuniam his emendis: ſtultè quoque & fruſtra operâ Nerii argentarii, & ſolertiâ Cicutæ aſtuti fœneratoris vel tabellionis utitur ad nectendum bellè ac ritè debitorem. Quippe is velut Proteus effugiet creditorem, ac tot artibus eludet ut debitum nunquam reddat.

69. *Scribe decem à Nerio.*] Ità Perillius Damaſippo tradens mutuò pecuniam ſuam dictare intelligendus apud Nerium: O Damaſippe, ſcribe te decem millia æris è pecuniâ meâ accepiſſe à Nerio, ſive per manus Nerii, ut aiunt; ſcilicet in commentariis ſeu codicillis Nerii argentarii mei ſyngrapham & chirographum inſcribe, ad majorem crediti mei ſecuritatem.

Adde Cicutæ Nodoſi tabulas.] Adde, ſi vis, aſtutiam & nodos quibus ſcit callidus Cicuta debitores conſtringere: confice tabulas conceptis ritè & cautè verbis; uno verbo adhibe quaſlibet cautiones, ſtipulationes & obligationum inſtrumenta, velut totidem nexus & catenas: Hæc omnia profectò caſſa & vana erunt. Juvenal. Sat. 8. v. 50.

. . . *juris nodos, & legum ænigmata.*

71. *Proteus.*] Is Ægypti rex in varias ſe ſpecies transformabat, ut fabulantur, ſicque facilè fugiebat quoſvis perſequentes; huic ſimilem dicit Horatius fraudulentem debitorem, qui tricarum juris peritus litigando, tergiverſando, præſcribendo, creditoris actiones creditum repoſcentis improbè eluctatur.

72. *Cum rapies in jus malis ridentem alienis.*] Cùm jure perſequeris debitorem ſceleratum ac perfidum, qui te creditorem deludit, tuaſque vanas ſolicitudines affatim & impensè deridet. Alia pridem erat lectio, *cùm rapies in jura malis ridentem alienis:* quam quidem utpote clariorem expreſſi in interpretatione meâ. Placuit verò ſubindè eruditis dictionem ac ſenſum rimari ſubtiliorem, & aſſerere expreſſam hîc ab Horatio ſententiam ex Homeri Odyſſ. 20, 346. ut *alienis ridere malis,* id eſt, *maxillis,* ſit effuſè cachinnari, ſoluto riſu, propriis malis ſeu maxillis haud parcendo perinde ac alienis, quemadmodum rei alienæ ac mutuo ſumptæ minus parcitur quàm propriæ. Locus Homeri eſt, *μνηστῆρσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη ἄσβεστον γέλων ὦρσε . . . . οἱ δὲ γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν, procis autem Pallas immoderatum riſum movit . . . . illi verò maxillis ridebant alienis.*

73. *Fiet aper, modo avis, &c.*] Alludere videtur ad morem regum Ægyptiorum, de quo

 Si

Si malè rem gerere inſani eſt; contrà benè, ſani;
Putidius multò cerebrum eſt (mihi crede) Perilli
Dictantis quod tu nunquam reſcribere poſſis. [646]
Audire, atque togam jubeo componere, quiſquis
Ambitione malâ, aut argenti pallet amore;
Quiſquis luxuriâ triſtíve ſuperſtitione,
Aut alio mentis morbo calet. Huc propriùs me,
Dum doceo inſanire omnes, vos ordine adite.
Danda eſt ellebori multò pars maxima avaris:
Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem.
Hæredes Staberî ſummam incidêre ſepulchro;
Ni ſic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arrî; [647]
Frumenti quantum metit Africa. Sive ego pravè,

Si inſipientis eſt bona diſperdere, contrarium verò facere, ſapientis; fidem habe mihi, longè inſanior eſt Perilli mens ſcribi jubentis quod tu nunquam exſolvere queas. Quicunque improbâ bonorum vel pecuniæ cupiditate afficitur; quicunque luxuriâ vel mœſtâ ſuperſtitione aliove animi morbo exæſtuat, togam aptet, meque auſcultet velim. Appropinquate iſtuc, atque *ordine ad me accedite ſinguli, dum oſtendo omnes deſipere. Longè maxima pars ellebori danda eſt avaris:* At *ignoro num ratio illis deſtinet Anticyram totam. Staberii hæredes* legatam ſibi *ſummam inſculpsêre tumulo: quod niſi feciſſent, debebant populo dare centum paria gladiatorum, & convivium, ad libitum Arrii*; tantum etiam *tritici quantum colligit Africa.* Præterea voluerat aſcribi: *Seu malè*

ANNOTATIONES.

Diodorus. Hi enim modò leonis, tauri, draconis effigiem, modò arborem, modò ignem alias unguenta ſupra caput geſtabant, principatûs inſignia; tum ad ornatum ſuum, cùm ad ſuperſtitionem populis injiciendam. Et hinc ſane manavit fabula de mutabilitate & multiplici variâque transformatione Protei.

75. *Perilli.*] Creditoris, non tabellionis, ut putat Torrentius: refragatur enim ſenſus. Minùs quippe tabellionis, at certè maximè creditoris refert, ſi debitor ſolvendo non fuerit.

76. *Dictantis quod tu nunquam reſcribere poſſis.*] Tibi mutuum præbentis adeóq; dictantis ſyngrapham acceptæ teſtem pecuniæ, quam nunquam redditurus ſis. Porrò quia obligatio fiebat ſcripturâ, hinc *ſcribere* ſignificat mutuò ſumere: proindeque *reſcribere* eſt ſcripturam delere, factam obligationem diſſolvere, mutuum ſive debitum reddere. Terent. Phorm.

Illud argentum mihi jube reſcribi.

77. *Togam jubeo componere.*] Nè defluens illa vos interturbet dum me attenderis de re gravi loquentem.

80. *Mentis morbo calet.*] Ut febri corpus, ità mens vitiis æſtuat. S. Ambr. in Lucæ c. 4. *Variis criminum febribus caro noſtra languebat & diverſarum cupiditatum immodicis æſtuabat illecebris. - Nec minorem febrem amoris eſſe dixerim quàm caloris. Itaque ille animum, hæc corpus inflammat. Febris enim noſtra avaritia eſt; febris noſtra libido eſt; febris noſtra luxuria eſt; febris noſtra ambitio eſt; febris noſtra iracundia eſt.*

82. *Danda eſt ellebori pars maxima avaris.*] Ad medendum inſaniæ illorum maximæ. Plin. lib. 25. cap. 5. *Nigrum elleborum medetur paralyticis inſanientibus . . . . trahit alvum, & bilem, pituitaſque.*

83. *Anticyram.*] Inſulam ellebori feraciſſimam. Vide Epiſt. ad Piſ. v. 300. Annot. Plin. modò cit. *Druſum Tribunorum popularium clariſſimum comitiali morbo conſtat liberatum eo medicamento apud Anticyram. Ibi enim tutiſſimè ſumitur,* &c. Perſ. Sat. 4. v. 16.

. . . . *Anticyras melior ſorbere meracas.*

84. *Hæredes Staberî,* &c.] Exemplo demonſtrat quanta ſit avarorum inſania. Staberius opes ità deperibat, ut poſteris etiam notum eſſe voluerit ſe divitem fuiſſe: adeòque à paupertate abhorrebat, ut nominis immortalitatem ſperaret, ſi vel epitaphium omnibus conteſtaretur ingentes divitias hæredibus à ſe relictas.

85. *Ni ſic feciſſent.*] Apponit damnationem & pœnas, quo hæredibus inſtet neceſſitas ſatiſfaciendi conditionibus teſtamenti.

86. *Epulum, arbitrio Arrî.*] Ac proinde ſumptuoſum ex ingenio Arrii hominis valdè ſumptuoſi. Cic. in Vatin. n. 30. quærit à Vatinio, cur *in epulo Qu. Arrii atratus,* ſeu, *cum togâ pullâ accubuiſſet* . . . ſubditque: *ita illud epulum eſt funebre, ut munus ſit funeris,* &c. & pauld poſt: *ex epulo magnificentiſſimo famem illam veterem tuam non explêras.*

87. *Frumenti quantum metit Africa.*] Hanc frumento abundare jam dictum lib. 1. Od. 1. v. 10. jam verò dicendum, ex hac magnam annonæ ſuæ partem Romanos habuiſſe. Nam licet è Siciliâ & Sardiniâ frumenti plurimum

Seu rectè hoc volui, nè ſis patruus mihi. Credo
Hoc Staberî prudentem animum voluiſſe. Quid
ergo 89
Senſit, cùm ſummam patrimonî inſculpere ſaxo
Hæredes voluit? quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, et cavit nihil acriùs: ut, ſi
Fortè minùs locuples uno quadrante periret,
Ipſe videretur ſibi nequior: omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina, humanáque pul-
chris [648]
Divitiis parent; quas qui conſtruxerit, ille 96
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens etiam, et rex,
Et quidquid volet: hoc veluti virtute paratum,
Speravit magnæ laudi fore. Quid ſimile iſti
Græcus Ariſtippus? qui ſervos projicere aurum
In mediâ juſſit Libyâ, quia tardius irent 101
Propter onus ſegnes. Uter eſt inſanior horum?
Nil agit exemplum litem quod lite reſolvit.

Seu bene illud ego juſſi, nè ſis mihi cenſor. Exiſtimo ſapienter hoc à Staberio juſſum. DAMAS. *Quid igitur voluit quando pecuniæ* legatæ *ſummam juſſit ſepulchro ab hæredibus incidi?* STERTIN. Nempè *quamdiu in vivis fuit, cenſuit paupertatem ſummum* eſſe *malum; nihilque magis* ille *fugit* quàm eam: *nè ſi forte obiiſſet minus dives uno quadrante, ipſe ſibi inimicus* fuiſſe *exiſtimaretur. Enimverò præclaris opibus obediunt univerſa, probitas, exiſtimatio, gloria, divina, atque humana: quiſquis illas comparaverit, is habebitur nobilis, ſtrenuus, juſtus; prudens quoque, nec non rex, & quodcunque libuerit.* Itaque illi ſibi *pollicitus eſt hoc magno honori futurum tanquam à virtute profectum. Quid ſimile huic* egit *Græcus Ariſtippus; qui famulis imperavit, in mediâ Lybiâ aurum abjicere, eo quòd lentiùs progrederentur ob onus graves? Uter horum magis deſipit?* DAM. *Nihil prodeſt exemplum quod controverſiam controverſiâ dirimit.*

ANNOTATIONES.

colligerent, tamen Ægyptus & Africa præſertim dicebantur horrea duo populi Rom. Varro de re ruſtic. lib. 2. *Manus movere maluerunt in theatro ac circo quàm in ſegetibus ac vinetis: frumentum locamus qui nobis advehat, quo ſaturi ſiamus ex Africâ & Sardiniâ, &c.* Cornel. Tacit. Annal. 12. *Olim ex Italiæ regionibus longinquas in provincias commeatus portabant; neque nunc in fœcunditate laboratur; ſed Africam potius & Ægyptum exercemus, navibuſque & caſibus vita populi Rom. permiſſa eſt.* Apud Claudian de bello Gildonis, v. 52. Roma ſic loquens inducitur:

Tot mihi pro meritis Libyam Nilúmque dedêre,
Ut dominam plebem, bellatorémque Senatum
Claſſibus æſtivis alerent; geminóque viciſſim
Littore diverſi complerent horrea venti.
Stabat certa ſalus. Memphis ſi fortè negaſſet,
Penſabam Pharium Gætulis meſſibus annum.
Frugiferas certare rates, latéque videbam
Punica Niliacis concurrere carbaſa velis.

Sive ego prave, &c.] Hoc referunt ad Damaſippum nonnulli, certè perperàm: meliùs alii ad Staberium.

88. *Ne ſis patruus mihi.*] Noli me reprehendere, ut ſolet ultrò patruus nepotes. Vide lib 4. Od. 12.

Credo Hoc Staberî prudentem, &c.] Loquitur Stertinius.

89. *Prudentem animum voluiſſe*] Alii legunt *prudentem animum voluiſſe,* & explicant, *providiſſe ſagaciter*: nec abſurdè.

94. *Videretur ſibi nequior.*] Utpote qui non caviſſet ingens malum, cùm poſſet; nec bona tot ſibi procurâſſet ex opibus manantia.

98. *Hoc veluti virtute paratum, &c.*] Hinc igitur tantâ curâ divitias congeſſit ac ſervavit, quòd ex his ſibi provenirent affatim fructus virtutis uberrimi & præſtantiſſimi, ut quidem exiſtimabat fatue. Juven. Sat. 14. v. 136.

Cùm furor haud dubius, cùm ſit manifeſta phreneſis,
Ut locuples moriaris, egenti vivere fato.

99. *Quid ſimile iſti Græcus, &c.*] Sic varia ſunt inſaniæ genera. Staberius inſaniebat pecuniæ amore: contrà deſipit Ariſtippus nimio ejus contemptu: quippe qui neceſſarium abjiciat viaticum, futili prorſùs ratione.

100. *Ariſtippus.*] Is genere Cyrenaïcus, Athenas venit Socratem auditurus; ſectæ Cyrenaïcæ auctor fuit: primus Socraticorum inſtitutionis mercedem exegit. Geſtabat ejus famulus in itinere pecuniam; & cum onere ſe preſſum quæſtus eſſet; Effunde quod nimis eſt, inquit Ariſtippus; & fer quod potes. Laërt. ex Bione, Suidas, &c. Alii aliter rem narrant. Porrò quod *Græcus* appellatur hîc, ratio varia affertur: vel quod Græcè philoſophatus ſit: vel quod Socratis audiendi causâ Athenis commoratus ſit: vel quod eſſet ex inſulâ Therâ, quæ Græca erat colonia.

102. *Uter.*] An Staberius, an Ariſtippus?

103. *Nil agit exemplum, &c.*] Incertum quidem ex incerto, obſcurum ex obſcuro minimè eluceſcit.

Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec ſtudio citharæ, nec Muſæ deditus ulli;
Si ſcalpra et formas non ſutor, nautica vela [649]
Averſus mercaturis: delirus et amens
Undique dicatur merito. Quid diſcrepat iſtis
Qui nummos aurúmque recondit, neſcius uti
Compoſitis, metuénſque velut contingere ſacrum?
Si quis ad ingentem frumenti ſemper acervum
Projectus vigilet cum longo fuſte, neque illinc
Audeat eſuriens dominus contingere granum,
Ac potiùs foliis parcus veſcatur amaris:
Si poſitis intus Chii veteríſque Falerni
Mille cadis (nihil eſt, tercentum millibus) acre
Potet acetum; age, ſi et ſtramentis incubet unde
Octoginta annos natus, cui ſtragula veſtis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putreſcat in arcâ:
Nimirùm inſanus paucis videatur, eò quòd
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.
Filius aut etiam hæc libertus ut ebibat hæres,
Diis inimice ſenex, cuſtodis, nè tibi deſit?
Quantulum enim ſummæ curtabit quiſque dierum,
Ungere ſi caules oleo meliore, capútque [650]
Cæperis impexâ fœdum porrigine? quare,
Si quidvis ſatis eſt, perjuras, ſurripis, aufers
Undique? Tún' ſanus? Populum ſi cædere ſaxis
Incipias ſervóſve, tuo quos ære parâris;
Inſanum te omnes pueri clamentque puellæ.

Si quis emat citharas, emptaſque unum in lucum *deferat, nec peritus citharæ* pulſandæ *aut ullius muſicæ: Si ſcalpra & formas* congerat qui non eſt *ſutor:* aut *vela nautica qui à mercaturâ abhorret: inſanus & vecors ab omnibus jure appelletur.*

At enim *quid his differt* Ille *qui aurum & nummos accumulat, ignorans* benè *uti comparatis, ac timens* Illa *contingere quaſi rem ſacram? Si quiſpiam jacens continuò excubet prope magnum tritici cumulum, ar*matus *ingenti fuſte; nec inde famelicus audeat granum accipere* licet *dominus, imò parcens* illi *alat ſe oleribus acerbis: ſi conditis in* cellâ *Chii & Falerni vetuſti cadis mille (parum eſt,* imò *trecentis millibus) acre bibat acetum: Quin etiam ſi in ſtramine decumbat annos ætatis habens octoginta uno minùs, cui in arculâ putreſcat ſtragulum veſtimentum, lumbricorum & vermiculorum cibus:* is *videlicet non multis cenſeatur deſipere, quoniam hominum pars maxima ſimili vitio laborat.* Vah, *ſenex numinibus inviſe,* an *ea ſervas, ut filius vel etiam libertus hæres abſumat;* an *ne egeas? etenim quàm minimum ex acervo diminuet quæque dies, etiamſi meliore oleo perfundere inceperis braſſicas, & caput impexum ac porrigine immundum? Quòd ſi quidlibet* parvum *ſufficere* dicas, *cur violas fidem, cur deprædaris ac furaris undequaque? an tu ſapis? Si lapidibus petas populum aut famulos tuâ pecuniâ emptos, inſanire te dicent pueri cuncti & puellæ.*

ANNOTATIONES.

104. *Si quis emat citharas, &c.*] Conglobatis exemplis explicatur avari inſania. Qui pecunias quæ ſunt ad uſum, & χρήματα proinde Græcis dicuntur, magno ſtudio congerit, nec iis utitur; prorsùs eſt ſimilis homini citharas comparanti quas pulſare neſcit, &c.

106. *Scalpra & formas.*] Inſtrumenta ſutoria, cultros, pedés ligneos, &c.

114. *Foliis amaris.*] Vel ſilveſtribus oleribus, quæ hortenſibus ſunt amariora; vel malè conditis, & hinc inſipidis & acerbis.

115. *Chii.*] Vini exquiſiti ex inſula Chio. lib. 3. Od. 19. v. 5. *Falerni*, lib. 1. Od. 20.

117. *Acetum.*] Vinum aceſcens, corruptioni proximum.

Stramentis incubet.] Strato vili ac duro, cùm habeat molliores ſtragulas, periſtromata, &c.

123. *Diis inimice.*] Dant enim Dii utilia hominibus, non ut recondant, ſed ut ad uſum promant; at avarus adeò metuit nè ſibi aliquando quod opus eſt deſit, ut ſemper deſit, cùm iis quæ adſunt non utatur.

125. *Ungere ſi caules.*] Si victu paulò meliore ac lautiore utaris. Vide lib. 1. Sat. 6. ſub finem.

126. *Porrigine.*] E ſordibus & incuriâ pectendi capitis oritur porrigo, quo vitio caput furfuribus velut farinâ obſitum in ſquamulas quaſdam reſolvitur.

Cùm

Cùm laqueo uxorem interimis, matrémq; veneno,
Incolumi capite es? quid enim? neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro, ut demens, genitricem occidis, Oreſtes.
An tu reris eum occiſâ inſaniſſe parente,
Ac non antè malis dementem actum Furiis, quàm
In matris jugulo ferrum tepeſcit acutum?
Quin ex quo eſt habitus malè tutæ mentis Oreſtes,
Nil ſanè fecit quod tu reprehendere poſſis.
Non Pyladem ferro violare auſuſve ſororem
Electram: tantùm maledicit utriq; vocando [651]
Hanc furiam, hunc aliud, juſſit quod ſplendida bilis.
Pauper Opimius argenti poſiti intus et auri,
Qui Vejentanum feſtis potare diebus
Campanâ ſolitus trullâ, vappámq; profeſtis,
Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus; ut hæres
Jam circum loculos et claves lætus ovánſque
Curreret. Hunc medicus multum celer atq; fidelis
Excitat hoc pacto; menſam poni jubet, atque
Effundi ſaccos nummorum; accedere plures
Ad numerandum: hominem ſic erigit: addit et illud:
Ni tua cuſtodis, avidus jam hæc auferet hæres.

Quando reſte conjugem, vel toxico matrem occidis, an mente ſanâ es? Nec tu id perpetras Argi, nec ferro; ſicut Oreſtes furioſus interemit parentem. Nunquid putas eum in furorem actum poſt matrem interfectam, nec Furiis mente dejectum priuſquam acutam ſecurim calefecerit in faucibus parentis? imò ex quo tempore *Oreſtes dicitur inſaniiſſe, certò nihil commiſit quod tu damnare queas. Nec Pyladem nec ſororem Electram gladio petiit, ambos dicteriis duntaxat inceſſit, hanc vocans furiam, illud* autem *aliud, quod micans bilis ſuggeſſit. Opimius indigens auro & argento domi reconditis, qui poculo fictili è Campaniâ bibere Vejentanum conſueverat feſtis diebus, vappam autem nefaſtis, olim oppreſſus eſt veterno maximo; adeò ut hæres exultans ac triumphans jam curreret ad arcam & claves. At hunc medicus fidus & velox expergefecit, iſtâ ratione; menſam admoveri imperavit, effundique ſaccos nummorum, ac plures accingi ad ſupputandum. Ità virum excitavit, adjungens hæc etiam* verba: *Niſi tua defendis, ea mox hæres inhians aſportabit*

ANNOTATIONES.

* 131. *Cùm laqueo uxorem, &c.*] Carpit Horatius quoſdam ſceleratos ſui temporis, quales Scæva, de quo hujus lib. Sat. 1. v. 53, & Nerius, de quo Perſ. Sat. 1. v. 14.

Nerio jam tertia ducitur uxor.

Hic nempè, ut dotibus potiretur, uxores necabat, ille matri vitam eripuit, ut hæreditatem adiret, vel nè diutiùs aleret.

132. *Neque tu hoc facis Argis,*] Non in urbe Græcâ, ſed Romæ.

133. *Nec ferro,*] Sed veneno. Sarcaſmus, cit. Sat. 1. hujus lib.

Oreſtes.] Hic matrem Clytemneſtram peremit ulturus patrem Agamemnonem ab eâ interfectum. Vide Sophocl. Electram: Euripid. Oreſtem. Senec. Agamemnonem.

135. *Antè dementem*] Quocirca tu, Scæva, Oreſte nequior & inſanior.

Actum furiis] Virgil. Æn. 4 v. 471.

. . . *Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes*
Armatam facibus matrem & ſerpentibus atris
Cùm fugit, ultriceſque ſedent in limine Diræ.

139. *Pyladem*] Amicum. Vid. Cic. de amicit. 24. Porrò ſingularis Oreſtem inter & Pyladem amicitia etiam proverbio decantata. Tull. de finib. 2. n. 84. *Pyladea amicitia.*

140. *Maledicit utrique.*] Aliter paulò Euripides. Sed poëtis licet adjuncta rei immutare, & cominiſci nova: ut dicitur in Epiſt. ad Piſ.

141. *Aliud, juſſit quod ſplendida bilis.*] Aliud convicium, quod ſuggerebat iracundia, ſeu furor è flava bili. Alii atram bilem interpretantur. Perſ. Sat. 3. v. 8. *Vitrea bilis.*

142. *Pauper Opimius*] Opimia gens Romæ præclara celebritatem dedit Opimiano etiam vino & marmori. Hic *pauper* dicitur ob ſordidam avaritiam, cui deeſt tam quod habet quàm quod non habet, ut habet adagium.

143. *Vejentanum*] Vinum inſipidum & vile è Vejentano Hetruriæ agro, meminit Perſ. Sat. 5. v. 157.

. . . *Vejentanumque rubellum*
Exhalet vapidâ læſum pice ſeſſilis obba.

Feſtis diebus] Quibus tamen lætitiæ cauſa vinum optimum debet poni.

144. *Campanâ trullâ,*] Vaſe fictili è Campaniâ.

Vappam.] Corruptum vinum lib. 1. Sat. 1.

146. *Claves*] Ad arcas aperiendas, auferendoſque nummos Opimii.

Men' vivo? Ut vivas igitur, vigila: hoc age. Quid vis?
Deficient inopem venæ te, ni cibus atque
Ingens accedit ſtomacho fultura ruenti. 154
Tu ceſſas? agedum: ſume hoc ptiſanarium oryzæ. [650]
Quanti emptæ? Parvo. Quanti ergo? Octo aſſibus. Eheu!
Quid refert, morbo, an furtis, pereámve rapinis?
Quiſnam igitur ſanus? Qui non ſtultus. Quid avarus?
Continuò ſanus? Minimè. Cur, Stoïce? Dicam.
Non eſt cardiacus (Craterum dixiſſe putato) 161
Hic æger. Rectè eſt igitur, ſurgétque? Negabit:
Quòd latus aut renes morbo tententur acuto. 163
Non eſt perjurus neque ſordidus: Immolet æquis
Hic porcum Laribus. Verùm ambitioſus et audax.
Naviget Anticyram. Quid enim differt, barathróne
Dones quidquid habes, an nunquam utare paratis. [653]
Servius Oppidius Canusî duo prædia; dives 168

Me ſcilicet viventem? exclamat æger. *Ergò ut vitam retineas,* inquit medicus, *expergiſcere: iſtud cura. Quid præcipis? Vena te imbecillum deſtituent, niſi alimenta & fulcrum validum adhibeantur labenti ſtomacho. Quid moraris? age: accipe hanc pultem oryzæ. Quanti conſtat? Vili. Quanti, inquam? Octo aſſibus. Eheu! quid intereſt, utrum moriar ægritudine, an furtis & rapinis?* DAMASIP. *Quis ergò tandem ſapit?* STERTIN. *Is qui non vecors.* DAMASIP. *Quid avarus?* STERTIN. *Fatuus eſt & demens.* DAMASIP. *Ecquid? Si aliquis non avarus ſit, an proinde ſapiens?* STERTIN. *Nequaquam.* DAMASIP. *Quare, ô Stoïce?* STERTIN. *Explicabo. Ægrotus iſte non eſt cardiacus (crede tibi Craterum loqui) an ergò benè valet, atque exſurget? Minimè, inquiet? nam latùs vel renes afficiuntur acri morbo. Non eſt perjurus nec ſordidè parcus. Ille ſuem mactet benignis Laribus. Atqui eſt ambitioſus ac temerarius. Navi pergat Anticyram. Quid enim intereſt, utrum bona tua projicias in barathrum, an acquiſitis utare nunquam? Servius Oppidius veteri cenſu locuples duo prædia duobus filiis Canuſ*

ANNOTATIONES.

152. *Men' vivo?*] Inquit expergiſcens ille è veterno, ad ſonitum pecuniæ commotæ, & ad voces jacturam illius minantes.

Hoc age. Quid vis?] Sermocinatio eſt lethargici vix evigilantis, & medici lethalem ſoporem diſcutere ſatagentis.

155. *Ptiſanarium.*] Diminutivum eſt à ptiſanâ: πτίσσειν, pinſere, decorticare, eſt [illegible] vel [illegible], ptiſana, ſeu hordeum piſtum & cortice purgatum, unde fit puls optimi & ſalubris ſucci reſtaurandis viribus accommodati. Galen. lib. 1.

Oryzæ.] Ex oryzâ, Gall. *du ris,* Angl. *Rice,* fit, pariter, ut ex hordei farinâ, puls ſanitati perutilis. Plin. lib. 18. cap. 7. *Inde maximè quidem oryzâ gaudent Italicâ* (Al. ut Itali) *è quâ ptiſanam conficiunt quam reliqui mortales ex hordeo. Oryzæ quidem folia carnoſa, porro ſimilia: ſed latiora: altitudo cubitalis, flos purpureus, radix gemmæ rotunditatis.*

156. *Quanti emptæ*] Adverte ſordes avari moribundi, plus quidem etiam tum anxii de pretio remedii neceſſarii ad ſalutem, quàm de propriâ ſalute.

Octo aſſibus.] Al. octuſſibus. Gallicâ monetâ circiter *deux ſols, dix deniers.*

158. *Quiſnam igitur ſanus?*] Damaſippus loquitur Stertinio.

161. *Cardiacus*] Ore ventriculi affectus, laborans eo morbo, quem Græci καρδιαλγίαν nuncupant; Gall. *mal d'eſtomac.*

Craterum] Illuſtrem medicum tempore Auguſti. Eum laudat Perſius Sat. 3. v. 65. nec non Tullius ad Atticum.

164. *Immolet æquis Hic porcum Laribus.*] Laribus diis domeſticis creditam hominum curam veteres exiſtimabant. Hinc iis ſacrificabant ſive ut à vitiis ac malis eſſent liberi eorum præſidio; ſive pro collatâ ope grati. Quoniam verò mater Larium Mania dicebatur, patrocinium illorum requirebant ad depulſionem inſaniæ, quæ Græcis μανία. Porcum rite propriè Laribus immolari, patet ex Od. 23. lib. 3.

166. *Naviget Anticyram.*] Elleborum ſcilicet ibi quæſiturus, ad expurgandam inſaniam quâ laborat. Vide ſuprà.

Barathro] Ventri, [illegible] Quidam explicant, ambitioni, quæ eſt veluti gurges. Propriè *barathrum* locus erat Athenis profundiſſimus, in quem demittebantur noxii & capite damnati. Senſus Horatii eſt; quid differt utrum prodigalitate an avaritiâ peccare & ad inſaniam ruere?

168. *Servius Oppidius*] Rem illuſtrat exemplo patris prudentiſſimi filios duos à diverſâ inſania ſpecie deterrentis.

Canuſi,] Hæc urbs erat Apuliæ, de quâ lib. 1. Sat. 5.

Antic

cenſu, natis diviſſe duobus
et hoc moriens pueris dixiſſe vocatis
m: Poſtquam te talos, Aule, nucéſque
u laxo, donare, et ludere vidi;
eri, numerare, cavis abſcondere triſtem;
, ne vos ageret veſania diſcors:
nentanum, tu nè ſequerere Cicutam.
per divos oratus uterque Penates,
e nè minuas: tu nè majus facias id
atis eſſe putat pater, et natura coërcet.
eà nè vos titillet gloria, jure-
o obſtringam ambo: uter Ædilis fuerit
vel [654]
m Prætor, is inteſtabilis et ſacer eſto,
ere, atque fabâ, bona tu perdàſque lupinis,
ut in circo ſpatiere, et aëneus ut ſtes,
s agris, nudus nummis, inſane, paternis?

partitus eſſe narratur; moribundus autem vocaſſe liberos ad cubile, & ſic allocutus: Ex quo te, Aule, perſpexi talos ac nuces aperto ſinu portare, necnon largiri atque ludere: Te verò, Tiberi, mœſtum ſupputare, & in cavis occultare: veritus equidem ſum nè vecordia diſpar vos teneret: ne tu Nomentanum, tu Cicutam imitareris. Quamobrem per deos penates ambos obſecro, tu nè dilapides, tu nè augeas id quod pater ſufficiens arbitratur, ac natura definit. Inſuper utrumque ſacramento obligabo, ne vos capiat bonorum cupiditas: *uter veſtrum Ædilis aut Prætor fuerit, is teſtimonii expers & execrandus eſto.* Nempe *ut in circo* [...]*e incedas, vel ſtes ex ære conflatus, tu, ſtulte, opes in cicere & faba & lupinis effundas.* [...]*diis & pecuniis à patre acceptis ſpoliere?*

ANNOTATIONES.

. *Diviſſe*] Diviſiſſe, ſyncope.

. *Aule,*] Fili mi.

os] Ne teſſeras luſorias, Gall. *dez*, ac-[...]ector, ſed ocellatos. His enim, non item luſitabant pueri. Suet. Oct. cap. 83. [...]*i laxandi cauſa, modò piſcabatur hamo: talis aut ocellatis, nucibuſque ludebat cum* [...]*s minutis*; ubi *oſſiculis* alii, alii *ocillis* le-[...]: alii etiam *ocellatis nucibus*, id eſt, in [...]i figuram compoſitis.

72. *Ferre ſinu laxo,*] Sine magnâ curâ, [...]ligenter.

173. *Tiberi,*] Alter hic eſt Servii Oppidii [...]s.

174. *Veſania diſcors:*] In pueris nempè elu-[...]ant mores, jam ſtudia micabant. Aulus [...]pendebat in prodigalitatem. Tiberius ad [...]aritiam vergebat.

175. *Nomentanum,*] Hominem profuſione luxuriâ famoſum: de eo lib. 1. Sat. 8.

Cicutam] Feneratorem avaritiæ ſordidæ.

178. *Natura coërcet.*] Nimirùm illa paucis contenta nihil niſi quod ſufficiat requirit.

179. *Nè vos titillet gloria,*] Ne vos ambitione [...]i & teneri contingat: nè ambiatis ullum magiſtratum, Præturam, &c.

181. *Inteſtabilis,*] Adempto jure teſtimonii [...] & condendi teſtamenti infamis. Gell. lib. 6. cap. 7. & lib. 15. cap. 13.

182. *In cicere, atque fabâ,*] Ejuſmodi nempè donaria & congiaria faciebant demulcendæ & captandæ plebis gratiâ, qui ad magiſtratus ſibi viam munire ſtudebant; ſpargebant in vulgus legumina, quæ magni tum æſtimabantur à populo nondum locuplete & ſuperbiente. Plin. lib. 18. cap. 12. varia cicerum genera affert: ejuſdem verò capitis initio ità ſcribit. *Inter legumina maximus honos fabæ: quippe ex quâ tentatus ſit etiam panis*, cap. 14. *lupino*, inquit, *uſus eſt proximus: cum ſit & homini, & quadrupedum generi ungulas habenti communis*: & poſtea: *maceratum callidâ aquâ homini quoque in cibo eſt.*

183. *Latus ut in circo, &c.*] Ut in circo magnificè & glorioſè ambules, cùm *Ædilis* ex more ludos Florales procurabis, tumque munera etiam plebi diſperges, ad benevolentiam ejus aucupandam, atque majores aliquando magiſtratus capeſſendos. Perſ. Sat. 5. v. 177.

. . . . cicer ingere largè
Rixanti populo, noſtra ut Floralia poſſint
Aprici meminiſſe ſenes.——————

Æneus ut ſtes.] Ut erigatur tibi ſtatua ex ære.

114. *Nudus agris, &c.*] Plures certè bona ſua profuderunt in miſſilibus & donariis; & Milo quidam tria dicitur patrimonia conſumpſiſſe auram venando popularem congiariis.

Scilicet

Scilicet ut plauſus, quos fert Agrippa, feras tu,
Aſtuta ingenuum vulpes imitata leonem?
Nè quis humâſſe velit Ajacem, Atrida, vetas cur?
Rex ſum. Nil ultrà quæro plebeius. Et æquam
Rem imperito: ac ſi cui videor non juſtus, inulto
Dicere quod ſentit permitto. Maxime regum,
Dii tibi dent captâ claſſem deducere Trojâ.
Ergò conſulere, & mox reſpondere licebit?
Conſule. Cur Ajax heros ab Achille ſecundus
Putreſcit, toties ſervatis clarus Achivis;
Gaudeat ut populus Priami Priamuſq; inhumato,
Per quem tot juvenes patrio caruêre ſepulchro?
Mille ovium inſanus morti dedit, inclytum Ulyſſem
Et Menelaum unà mecum ſe occidere clamans.
Tum cùm pro vitulâ ſtatuis dulcem Aulide natam

Nimirùm ut plauſus quos accipit Agrippa, tu quoque *accipias*, quaſi *vafra vulpes generoſum leonem æmulata? O Atrida, quare probibes ne quiſpiam curet ſepeliendum Ajacem?* AGAMEMNON. Quia *rex ſum*. STERTIN. Ego *unus è plebe nihil ampliùs interrogo*. AGAMEM. Quin & *rem juſtam jubeo. Quod ſi quis me iniquum judicat*, huic *per me licet impunè loqui quicquid cenſet*. STERT. *O regum maxime, tibi numina largiantur, ut expugnatâ Trojâ claſſem reducas* incolumem. *Igitur interrogare, ſtatimque reſponſum dare permittis?* AGAMEM. *Permitto*. STERTIN. *Quare Ajax heros poſt Achillem maximus computreſcit, Græcis toties liberatis inclytus? An ut lætetur populus Priami*, ipſeque *Priamus* quod ille maneat *inſepultus, per quem tot adoleſcentes patriâ ſepulturâ privati ſunt?* AGAMEM. Imò quod *mille oves furens trucidavit, vociferans, mactare ſe præclarum Ulyſſem ac Menelaum, atque ipſum me*. STERT. *At at, quando tu in Aulide*

ANNOTATIONES.

185. *Agrippa,*] Auguſti gener, populo item dilectiſſimus: de eo lib. 1. Od. 6.

186. *Aſtuta ingenuum, &c.*] Tu puſillus magnos perperam æmulatus. Sunt qui alludi velint ad Æſopi Fabulam de Vulpe, ſeu Aſino Cumano leoninis exuviis induto.

187. *Nè quis humâſſe velit, &c.*] Novus Dialogus, quo ambitioſos pariter inſanire demonſtratur; aſſeriturque id quod eſt ſuprà, v. 45. *Hæc magnos formula reges tenet.* Itaque Stertinius ſeu plebeius quiſquam inducitur loquens cum Agamemnone; qui quidem, ut *regum maximus* appellatur, grande piaculum non dubitat perpetrare: videlicet propriam filiam ambitioni ſuæ magis immolat, quàm Dianæ aut publicæ utilitati. Vidè Euripid. Iphigen. in Aulide.

Ajacem,] Telamonis filium, excepto Achille ſolo, fortiſſimum Græcorum; eorumque *inſigne propugnaculum*, atque inter cæteros *capite & latis humeris eminentiorem*: teſte Homero Iliad, 2, & 3. Vide lib. 2. Od. 4.

Vetas cur?] Ajacem propriâ manu interfectum Teucer frater ad ſepulturam efferre moliebatur; at prohibitus eſt juſſu Agamemnonis, eò quòd hoſtilem in Græcos animum ille præbuiſſet, ut mox explicabitur.

188. *Nil ultra quæro*] Quidam legunt, *quære*, ut continuus ſit Agamemnonis ſermo.

195. *Gaudeat ut populus Priami*] Gaudium nempè hoſtibus Trojanis ingens paras; ex Iliad. Y.

Priamus] Is non Trojæ ſolùm, ſed propè totius Aſiæ rex: pater Hectoris, Paridis, aliorumque numero 50 teſte Cic. Tuſc. 1. quorum 17. è legitimâ uxore. Hos bello Trojano ferè omnes vidit ab hoſtibus occiſos: ipſe denique Trojâ captâ interemptus à Pyrrho Achillis filio.

197. *Mille ovium inſanus morti dedit, &c.*] De armis Achillis mortui contendit Ajax cum Ulyſſe; causâ verò cecidit: unde irâ & furore percitus in Græcos, ulciſci putans, pecudes benè multas trucidavit. Demum ad mentem reverſus facinoris pudore ſemet gladio peremit. Vide Sophocl. Ajac. flagel. Ovid. Metam. 13, &c.

Mille ovium] De hâc loquendi formulâ, *Mille hominum, &c.* Gell. lib. 1. cap. 16. Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 5.

198. *Menelaum*] Agamemnonis fratrem, Spartæ regem; cujus uxor Helena à Paride rapta, Trojæ incendio flammas ſuppeditavit.

Unà mecum ſe occidere clamans.] Arietes nempè grandiores ac boves occidens Ajax arbitrabatur ſe mactare Agamemnonem, Ulyſſem, Menelaum: & ſcommata etiam in eos jactabat. Sophocl. cit. Juvenal. Sat. 14. 286.

Hic bove percuſſo mugire Agamemnona credit.

199. *Tum cum pro vitula, &c.*] Vid. Euripid. Iphigen. in Aulide. Virgil. Æn. 2. v. 116.

Sanguine placaſti ventos & virgine cæſa.

Porrò totam hanc fabulam confinxerunt Poetæ ex Hiſtoriâ Jephthæ, lib. Judic. c. 11. Item ex ſacrificio Abrahæ, Geneſ. c. 22. Præclarè Cicero l. 3. n. 95. *Quid Agamemnon, cum devo-*

Ante

Ante aras, ſpargíſq; molâ caput, improbe, ſalsâ;
Rectum animi ſervas? Quorſum? Inſanus quid enim Ajax
Fecit, cùm ſtravit ferro pecus? abſtinuit vim
Uxore, et nato; mala multa precatus Atridis;
Non ille aut Teucrum, aut ipſum violavit Ulyſſem.
Verùm ego, ut hærentes adverſo littore naves
Eriperem, prudens placavi ſanguine divos.
Nempe tuo, furioſe. Meo, ſed non furioſus.
Qui ſpecies alias veris, ſceleriſq; tumultu [657]
Permiſtas capiet, commotus habebitur, atque
Stultitiâne erret, nihilum diſtabit an irâ.
Ajax immeritos dum occidit, deſipit, agnos?
Cùm prudens ſcelus ob titulos admittis inanes,

filiam dilectam loco juventæ altaribus admoves, caputque, molâ ſalsâ, ſcelerate, conſpergis, num tenes judicii æquitatem? AGAM. *Quid loqueris?* STERT. *Enimverò quid peccavit Ajax furioſus, quando pecudes enſe jugulavit? haud conjugem & filium læſit, diras* quidem *in filios Atrei jactavit*: at *nec Teucrum nec ipſum Ulyſſem percuſſit.* AGAM. *Atqui ut abſtraherem naves iniquo littore detentas, ego ritè numina placavi ſanguine.* STERT. *Tuo videlicet, inſane?* AGAM. *Meo,* inquam, *ſed minimè inſanus.* STERT. Verùm *qui ſpeciebus falſis & ſcelere confuſis conſpurcatiſque ducitur*, certè *furioſus cenſeri* debet: *nec intereſt utrum per inſaniam an per iram peccet.* Nunquid *Ajax inſanit, cùm agnos perimit innocentes?* an tu *mente ſana es; quando ſponte crimen perpetras ob*

ANNOTATIONES.

viſſet Dianæ quod in ſuo regno, pulcherrimum natum eſſet illo anno (obſerva, Lector, Hiſtoriæ varietatem ſeu variam narrationem) *immolavit Iphigeniam, quâ nihil erat eo quidem anno natum pulchrius? Promiſſum potius non faciendum, quàm tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergò & promiſſa non facienda nonnunquam.* Sic profectò & Jephthe culpatur, tum quòd vovit ſtulte, tum quòd putavit ſtultum votum adimplendum eſſe.

Statuis dulcem Aulide natam Ante aras,] Ad Aulidem Bœotiæ portum detinebatur claſſis Græcorum, ſuſpenſis ventis, & graſſante peſtilentiâ, ob Dianæ cervum ab Agamemnone imprudenter venando interfectum. Quâ de re conſulti vates reſponderunt placandos eſſe Deos mactatâ Iphigeniâ Agamemnonis filiâ. Itaque, ſacrificio peracto Græci proſperam navigationem habuerunt, Trojamque exciderunt. Euripid. cit. Ovid. Metam. 12. Alii aliter. Vide Cic. antè cit. Offic. 3.

200. *Spargiſque molâ caput, &c.*] Ex ſolemni ritu ſacrificorum; qui quidem talis erat: 1. Inter cornua victimæ deponebant molam ex farre molito & ſale; unde facta vox *immolare.* Vide lib. 3. Od. 23. ubi *farre pio & ſaliente micâ.* 2. In caput hoſtiæ affundebatur vinum; è quo prius tum Sacerdos tum aſtantes deguſtare ſeu delibare ſolebant: hincque dicta libatio. 3. Ipſe manu ſetas avellebat inter hoſtiæ cornua: atque in ignem, velut prima libamina projiciebat. 4. Victimarius mandabat hoſtiam cædere ac jugulare. 5. Aruſpex cultro ferreo viſcera explorabat, an perlitatum foret. 6. Miniſtri è ſingulis viſceribus ac membris certas partes exſecabant, farinâque involutas & in calathis compoſitas ſacrificanti offerebant; hic verò aris imponebat, accenſoque foculo cremabat. 7. Epulas inſtruebant, circum aras ſaltabant, choreas ducebant, hymnos Diis concinebant.

204. *Uxore.*] Tecmeſsâ. *Nato,* Euryſace. *Atridis,* Agamemnone & Menelao.

204. *Teucrum.*] Fratrem ſuum.

Ulyſſem.] Cui tamen Ajax iratus maxime.

208. *Qui ſpecies alias veris, &c.*] Urget Stertinius, quaſi diceret: Imò furioſus es ac demens, quippe falſis rerum ſpeciebus illuſus atq; (ut ait Tull. Tuſc. c. 5. n. 68.) *mentem habes imbutam pravitatis erroribus.* Quod ſi *animo ſtares,* ſi *commotus* non eſſes, veras utique ſpecies habuiſſes, *rectum animi ſervâſſes,* atque adeò intellexiſſes hominis cædem haud placere numinibus, à quibus vita nobis tribuitur; neq; vanâ honoris cupiditate deceptus crimen infandum ſpecioſâ religionis umbrâ velatum ſtultè admiſiſſes. Certè ſana mens *cauſas rerum & conſecutiones videt.* Cic. de finibus 2. n. 45.

212. *Ob titulos inanes,*] Vanæ gloriæ, ſummi Græcorum imperii, ambitioſi nominis ſtudio, ut toties Græciæ exercitûs imperator dicaris. Vide Il. 2. ſub finem: ubi numerantur & nominantur reges ac duces Græcorum copiarum. Præcipui verò iſti; Achilles Myrmidonum, Ulyſſes Ithacenſium, Thoas Ætolorum, Idomeneus Cretenſium, Tlepolemus Rhodiorum, Philoctetes Melibœorum, Ajax Telamonius Salaminiorum, Ajax Oileus Locrenſium, Mneſtheus Athenienſium, Neſtor Pyliorum, Diomedes Argivorum, Menelaus Lacedæmoniorum, Agapenor Arcadum, &c. Quibus omnibus, id eſt, navibus circiter mille ac ducentis, virorum autem millibus centum & viginti præerat Agamemnon Mycenenſium rex.

Stas

vanam gloriam? utrum culpâ caret animus, dum ſuperbit? Age verò, ſi quis agnam lecticâ circumferre gaudeat: ac velut filiæ veſtes, aurum, famulas tribuat: puellam vel puellulam nominet: atque viro generoſo conjugem dare velit: Iſti Prætor edicto omnem auferat poteſtatem; curaque ſit penes cognatos ſapientes. Quid ſi aliquis filiam loco agnæ mutæ addicit morti? *an mente conſtat? Nequaquam affirmes. Itaque ubi eſt iniqua fatuitas, ibi ſumma eſt inſania. Qui improbus, erit pariter inſanus. Quiſquis præclaræ exiſtimationis avidus* fuerit, *hunc attonitum fecit Bellona ſanguinolenta.* STERT. ad DAMAS. *Jam verò metum excute luxuriam & Nomentanum, quippe ratio probabit luxurioſos deſipere & furere. Iſte ubi a patre accepit mille talenta,*

Stas animo? & purum eſt, vitio tibi cùm tumidum eſt cor?
Si quis lecticâ nitidam geſtare amet agnam, 214
Huic veſtem, ut natæ, paret ancillas, paret aurum,
Puſam aut puſillam appellet, fortique marito [658]
Deſtinet uxorem; interdicto huic omne adimat jus
Prætor, et ad ſanos abeat tutela propinquos.
Quid? ſi qui natam pro mutâ devovet agnâ;
Integer eſt animi? Ne dixeris. Ergò ubi prava
Stultitia, hîc ſumma eſt inſania. Qui ſceleratus,
Et furioſus erit. Quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc, age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum:
Vincit enim ſtultos ratio inſanire nepotes,
Hic ſimul accepit patrimonî mille talenta,

ANNOTATIONES.

213. *Stas animo?*] An non tua mens de ſuâ ſede mota ac dejecta eſt? cùm enim ſtat illa, rectè ſentit, rectè agit.

Purum eſt, vitio tibi cum tumidum eſt cor?] Alii ſic interpungunt: *purum eſt vitio, tibi cum tumidum eſt cor;* certè bonus utrobique cenſus.

214. *Si quis lecticâ, &c.*] Aliud argumentum à ſimili. Porrò ne cui ea ſimilitudo videatur futilis aut inſulſa legat lib. 2. Reg. cap. 12. ubi Nathan Propheta ex pari ſimilitudine Davidem regem redarguit: *Pauper nihil habebat omnino præter ovem unam parvulam, quæ creverat apud eum cum filiis ejus, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in ſinu illius dormiens: eratque illi ſicut filia.* Item Sueton. Calig. cap. 55. nimirùm Imperator ille equo ſuo, *præter æquile marmoreum, & præſepe eburneum, præter & purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam & familiam & ſupellectilem dedit, quo lautiùs nomine ejus invitati acciperentur: Conſulatum quoque traditur deſtinaſſe.* Quid verò Xerxes platano arbori donans aureum monile, aſſiduumque ſatellitem, ex eorum numero qui immortales vocabantur? Herod. lib. 7. Vide Annot. lib. 2. Od. 15. v. 4.

216. *Puſam aut puſillam.*] Puſus & puſa, undè puſilla & puſio, idem ſignificant quod puer & puella: Varro 6. de Ling. Lat. Alii legunt *pupam & pupillam.*

217. *Interdicto huic omne adimat jus Prætor,*] Huic homini tanquam malè ſano Prætor interdicat omni jure adminiſtrandi bona ſua.

218. *Abeat tutela,*] Bonorum illius adminiſtratio ſeu procuratio transferatur & committatur propinquis. Lex. 12. tab. ita ſtatuebat: *ſi furioſus exiſtit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniâque ejus poteſtas eſto.*

219. *Quid, ſi quis natam, &c.*] Quid ergò Agamemnon morti addicens filiam, & aris devovens, num integrâ mente eſt?

221. *Qui ſceleratus, Et furioſus erit.*] Non abludit quòd legitur apud Iſai. cap. 35. *Via ſancta vocabitur & directa, ita ut ſtulti non errent per eam.*

222. *Vitrea fama,*] Vel fragilis; vel ſplendens, inſtar vitri.

223. *Hunc circumtonuit, &c.*] Hunc bellicæ gloriæ plus æquo avidum & ſtultè appetentiorem, ſcilicet attonitum indèque veſanum reddidit Bellona bellorum Dea. Juvenal. Sat. 4. v. 123.

. . . . . *Ut Fanaticus æſtro*
Percuſſus Bellona tuo. ———

Græcis ἐμβρόντητος, veſanus fulmine vel tonitru ſtopefactus; ἐμβροντησία, ſtupor, veſania.

224. *Nunc age luxuriam, &c.*] Oſtendimus inſanire avaros & ambitioſos; nunc luxurioſos arripiamus, omneſque Nomentani ſimiles.

Nomentanum] Hominem profuſione & luxuriâ famoſum, de eo jam. l. 1. Sat. 8. & l. 2. Sat. 1.

229. *Hic ſimul accepit, &c.*] Statim atque Nomentanus pinguem hæreditatem accepit, eam dilapidare totam aggreditur.

Mille talenta,] Gallicæ monetæ *ſix cens mille Ecus:* ſi quidem unum quodque talentum ad rationes noſtras, facit nummos ſexcentos.

Edicit

Edicit, piſcator uti, pomarius, auceps, [659]
Unguentarius, ac Tuſci turba impia vici,
Cum ſcurris fartor, cum Velabro omne macellum
Manè domum veniant. Quid tum? venere frequentes.
Verba facit leno: Quidquid mihi, quidquid & horum
Cuique domi eſt, id crede tuum; & vel nunc pete, vel cras.
Accipe quid contrà juvenis reſponderit æquus.
Tu nive Lucanâ dormis ocreatus, ut aprum
Coenem ego: tu piſces hiberno ex æquore verris: [460]
Segnis ego, indignus qui tantùm poſſideam, aufer;
Sume tibi decies: tibi tantundem: tibi triplex,
Undé uxor mediâ currit de nocte vocata.
Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ

ſtatim venire manè in ſuam domum jubet piſcatores, pomarios, aucupes, myropolas, turbamque ſceleratam Hetruſci vici, ſcurras, fartores, denique macellum totum ac Velabrum. Quid inde? magno numero confluxere. Leno prologuitur: Quicquid habeo, quicquid etiam illorum ſinguli domi habent, tuum illud puta: ac ſeu mox, ſeu cras poſce. Audi quid ad hæc repoſuerit bonus adoleſcens: Tu in nivibus Lucaniæ pernoctas ocreas indutus, ut aprum ego comedam: tu piſces hyeme in mari quæris mihi. Ego certè *deſes haud mereor tantas* opes *habere. Tolle, accipe tibi decies* centena millia ſeſtertiûm: *tibi tantundem: triplum* verò *tibi, per quem feſtinat conjux mediâ nocte arcerſita. Æſopi filius margaritam eximiam ex aure Metellæ*

ANNOTATIONES.

227. *Pomarius,*] Qui fructus ſive poma omnis generis vendit.

228. *Unguentarius,*] Pharmacopola, lib. 1. Sat. 2. Gall. *Parfumeur.*

Tuſci turba impia vici,] Quotque voluptatum aſſeclæ & miniſtri habitant vicum Tuſcum; qui Palatium inter & Capitolium ſitus eſt: dictus à Tuſcis incolis. Quam appellandi rationem variè quidem explicant. Varro de Ling. Lat. l. 4. Tit. Liv. l. 3. Dion Halic. Vide Alex. ab Alex. l. 2. c. 18. In eo meretrices habitârunt; item unguentarii: unde & Thurarius dictus eſt; certè malæ famæ notam habuit. Plaut. Ciſtell. 2, 3, 2. *Tuſco modo indignè dotem quæras corpore.* Et Curcul. 4, 2, 2, *in Tuſco vico, ibi ſunt homines qui ipſi ſeſe venditant.*

229. *Scurris*] Gall. *Bouffons.*

Fartor,] Qui aves farcit & ſaginat: qui lucanicas aliaq; id genus farcimina facit & condit.

Cum velabro omne macellum] Cuncti ſimul cupediarum ac deliciarum artifices & miniſtri.

Velabro] Velabrum à vehendo dictum volunt aliqui cum Varrone l. 4. de Ling. Lat. paluſtris & aquoſus pridem locus erat, per quem etiam Tiberis defluxit, donec ab Auguſto in alveum eſt coactus, quemadmodum dicitur in Arte Poet. v. 67. hinc & Tibul. l. 2. Eleg. 5.

At quâ velabri regio patet, ire ſolebat
Exiguus pulsâ per vada linter aquâ.

Exinde vicus fuit Romæ celebris; ex quibuſdam, in foro boario; ex aliis, in foro olitorio: hod. *S. Georgio in Velabro.* Nomen alii deducunt ex eo quod locus erat obtentus velis, ſub quibus vendebantur oleum, caſei, & ſimilia, Plaut. Captiv. 3, 1, 29. *quaſi in Velabro olearii.* Martial. l. 13. Epigr. 32. caſeum Velabrenſem commendat.

Macellum] Locus obſoniis vendendis Romæ deſtinatus: à mactandis pecoribus ac venundandis appellatus: vel à quodam Macello nomine, cujus domus olim ibi diruta fuerit. Alii aliter.

231. *Leno:*] Hic vel à leniendo vel ab alliciendo dictus, accommodatum planè ſuo nomini ſermonem habet ad juvenem prodigum.

233. *Æquus.*] Ironicè Nomentanus ſcilicet erga nequam illos homines ac jucundos libidinum miniſtros benignus ac liberalis.

234. *Tu nive Lucanâ, &c.*] Quantas, inquit, pro me fers ærumnas, venando in Lucaniæ montibus ac ſilvis, vel dum nivibus rigeſcunt, ut mihi apros afferas! de Lucania, in Epod. 1, ſub finem.

235. *Verris:*] Hinc retis genus piſcatorium vocârunt *everriculum.* Non. Marcel.

237. *Sume tibi decies:*] En vobis præmia rependere ſtatui; dono videlicet tibi, venator, decies centena millia ſeſtertiûm; tantumdem quoque tibi, piſcator: tibi vero triplum, ô leno, qui ſedulò mihi voluptates procuras.

239. *Filius Æſopi, &c.*] Æſopus Tragoedus fuit locuples admodum & luxurioſus. Sed Clodius ejus filius decoxit ab eo relictam ſibi hæreditatem ducenties ſeſtertiûm, ut aiunt; & cum à Cæciliâ Metellâ adamaretur, pendentem ex ejus aure margaritam ingentis pretii detraxit, atque aceto liquefactam exſorbuit. Vide Valer. Max. l. 9. c. 1. Macrob. l. 3. c. 14. Plin. l. 9.

3 (Sci-

(Scilicet ut decies ſolidûm exſorberet) aceto 240
Diluit inſignem baccam, quî ſanior, ac ſi
Illud idem in rapidum flumen jacerétve cloacam?
Quinti progenies Arrî, par nobile fratrum, 243
Nequitiâ & nugis pravorum & amore gemellum
Luſcinias ſoliti impenſo prandere coëmptas, [661]
Quorſum abeant? ſanín'? cretâ an carbone notandi?
Ædificare caſas, ploſtello adjungere mures, 247
Ludere par impar, equitare in arundine longâ,

ablatam aceto liquefecit, nempe abſorberet decies centena *ſimul: nonne tam inſanus, quàm ſi id ipſum projeciſſet in currentem fluvium aut in cloacam? Filii Q. Arrii, par fratrum illuſtre, improbitate, & ſcurrilitate, & criminum ſtudio ſimillimum; aſſueti comedere luſcinias magno* pretio *emptas; quâ parte credantur ſapere? an candido, an atro lapide notandi? Si vetulus quiſpiam gaudeat extruere domunculas, parvo currui mures alligare ludere par impar, equitare in longo fuſte;*

ANNOTATIONES.

cap. 35. ubi de Cleopatra Antoniique epulis pariter luxurioſis; ſubditque: *Prior id fecerat Romæ in unionibus magnæ taxationis Clodius Tragœdi Æſopi filius, relictus ab eo in amplis opibus hæres; ne in Triumviratu ſuo nimis ſuperbiat Antonius, pene Hiſtrioni comparatus, &c.* Caligula quoque pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorbuit. Sueton. Calig. cap. 37.

240. *Scilicet ut decies ſolidum exſorberet*] Plin. modò cit. *Duo fuere maximi uniones per omne ævum: utrumque poſſedit Cleopatra Ægypti reginarum noviſſima, per manus Orientis regum ſibi traditos. Hæc, cùm exquiſitis quotidie Antonius ſaginaretur epulis, ſuperbo ſimul ac procaci faſtu, ut regina meretrix, lautitiam ejus omnem apparatumque obtrectans, quærente eo quid adſtrui magnificentiæ poſſit, reſpondit, una ſe cœna centies ſeſtertium abſumpturam,* &c.

Aceto Diluit] Hanc ineſſe vim aceto, docet Vitruv. lib. 8. cap. 3. Macrob. lib. 3. cap. 17. Plin. cit. *Ex præcepto miniſtri unum tantùm vas ante eam poſuêre aceti, cujus aſperitas viſque in tabim margaritas reſolvit.* Item lib. 23. cap. 1. ſub finem; *acetum ſaxa rumpit infuſum, quæ non ruperit ignis antecedens.*

243. *Quinti progenies Arrî, &c.*] Pariter leves ac luxurioſi duo fratres Q. Arrii filii. Is videtur eſſe, de quo ſuprà v. 86.

245. *Luſcinias ſoliti impenſo prandere*] Valer. Max. cit. Æſopi Tragœdi filius, inquit, *non ſolùm perditæ ſed etiam furioſæ luxuriæ juvenis, cantu commendabiles aviculas immanibus emptas pretiis in cœnâ pro ficedulis ponere, acetoque liquatos magnæ ſummæ uniones potionibus aſpergere ſolitus, ampliſſimum patrimonium velut amaram ſarcinam quàm celerrimè abjicere cupiens.* Plin. lib. 10. cap. 51. *Inſignis eſt Æſopi hiſtrionis tragici patina ſexcentis millibus ſeſtertium taxata: in quâ poſuit aves cantu aliquo aut humano ſermone vocales, nummis ſex ſingulas coëmptas; nullâ inductus ſuavitate, niſi ut in his imitationem hominis manderet, nè quæſtus quidem ſuos reveritus illos opimos & voce meritos: dignus prorſus filio, à quo devoratos dixi margaritas.*

Prandere] Vox fortaſſe ad augendam invidiam poſita. Nam qui tam exquiſitas dapes prandebant, quas non cœnabant? Si quidem ex Plutarchi Sympoſ. 8. cap. 6. prandium erat matutina quæpiam eſitatio, ſine apparatu, ex obviis quibuſlibet: cœna vero convivium paratum & elaboratum. Unde & ſoli prandebant, at cœnabant in coetu amicorum; unde nomen. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

246. *Quorſum abeant ſani?*] Quomodo ſanis annumerentur? Marcilius haud abſurdè corrigit: Quorſum abeant? ſanin'? cretâ an carbone notandi?

Creta an carbone notandi?] An laudandi, an vituperandi? Perſ. Sat. 5. v. 108.

Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notaſti.

247. *Ædificare caſas, &c.*] Amantes etiam deſidere jam probat; tamque puerilia agere, quàm ſolent pueri domunculas extruentes è cœno & lapillis; mures velut jumenta ad ploſtellum alligantes, &c.

248. *Ludere par impar,*] Sicut pueri manu prementes copiam nucum, fabarum, caſtanearum, nummorum, divinandum alii aliis proponunt, ſitne par numerus, an impar. Sic tamen viri luſitârunt interdum, imò & Auguſtus. Sueton. Octav. cap. 71. *Aleæ rumorem nullo modo expavit: luſitque ſimpliciter & palam oblectamenti causâ etiam ſenex.* Et poſtea; ſcribit ad filiam: *Miſi tibi denarios ducentos quinquaginta, quos ſingulis convivis dederam, ſi velint inter ſe, inter cœnam, vel talis vel par impar ludere.* De his Jul. Pollux lib. 9. cap. 7. Ovid. de Nuce. v. 80.

Eſt etiam, par ſit numerus, qui dicat, an impar;
Ut divinatas auferat augur opes.

Equitare in arundine longâ,] Ita cum filiolis luſiſſe narratur ſapiens ille Socrates; nec ſupervenientem Alcibiadem erubuiſſe.

Si

Si quem delectet barbatum; amentia verſet.
Si puerilius his ratio eſſe evincet amare,
Nec quicquam referre, utrúmne in pulvere, trimus [662]
Quale priùs, ludas opus, ȧn meretricis amore
Sollicitus plores; quæro, faciàſne, quod olim
Mutatus Polemon; ponas inſignia morbi,
Faſciolas, cubital, focalia: potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas,
Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri.

hunc dicas *agi veſaniâ. Si ratio vincat, amare puerilius eſſe quam iſta: nec ullum eſſe diſcrimen utrum in arena ludas* iiſdem *ludis quibus olim ludebas tres annos natus, an amore meretricis anxius lacrymere;* rogo te, *nam acturus ſis quod Polemo quondam* egit *errore liberatus? an abjicies morbi ſigna, faſcias, palliolum, faucium operimenta: quemadmodum ille comeſſatus narratur coronas capite detraxiſſe, ſtatim ut reprehenſus eſt à ſobrio præceptore.*

ANNOTATIONES.

249. *Si quem delectet barbatum;*] Id eſt, ſi quis barbatus & ſenex ludos iſtos pueriliter conſectetur, ac totus iis incumbat. Nam, ut dixi, tum paulò antè, tum alibi, nugari ac ludere viri graves aliquando viſi ſunt. Vide Sat. 1. hujus lib.

254. *Mutatus Polemon;*] Is adoleſcens Athenienſis luxuriâ perditus, die quâdam ebrius & comeſſabundus ſcholam Xenocratis ingreſſus eſt: hunc verò cum de temperantiâ, ſobrietate, pudicitiâ vehementer diſputantem audîſſet, adeò commotus eſt ejus oratione, ut luxurioſum morem extemplo ejurârit. Quin & factus Xenocratis diſcipulus poſt ipſum docuit magnâ cum laude. Diog. Laërt. lib. 4. Valer. Max. lib. 6. cap. ult. Suidas, &c. Meminit & S. Ambroſ. lib. de Eliâ, cap. 12.

255. *Faſciolas,*] Integumenta pariter & ornamenta, quibus tibias & crura præligabant ac vinciebant præſertim molles: Græci periſcelidas vocant: Latini ſubligar, caligas, braccas, feminalia: Gall. *bas & haut de chauſſes.* Cic. de Haruſ. reſpon. *P. Clodius à mitrâ, à muliebribus ſoleis, à purpureis faſciolis, à ſtrophio . . . eſt factus repente popularis.* Quintil. lib. 11. cap. 3. *faſciae quibus crura veſtiuntur.*

Cubital,] Pulvillum cœnantis cubito ſupponendum aliqui interpretantur, ſed abſurdè. Nam quid ad rem? Imò erat palliolum quoddam ſuper humeros ad cubitos uſque pretenſum, caput etiam cucullo protegens contra frigus. Quintil. modò cit.

Focalia:] Torques, coronas floreas, inquiunt. Imò colli ac faucium involucrum & fomentum, è faſciis laneis. Vide Perſ. Sat. 1. v. 17. annot. Quintil. citat. *Palliolum, ſicut faſcias quibus crura veſtiuntur, & focalia & aurium ligamenta, ſola poteſt excuſare valetudo.* Senec. Natur. quæſt. 4. *Videbis quoſdam graciles, palliolo focalique circumdatos.* Martial. lib 14. Epigr. 142.

Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas afferat auriculas.

Et lib. 4. Epig. 41.

Quid recitaturus circundas vellera collo?

Potus ut ille Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas,] Valer. Max. citat. *Polemo . . . Vino gravis, unguentis delibutus, ſertis capite redimito, pellucidâ veſte amictus, patentem Xenocratis ſcholam intravit turbâ doctorum hominum refertam. . . . . Cujus gravitate ſermonis reſipiſcere coactus, primum coronam capite detractam projecit; paulò poſt brachium intra pallium reduxit; procedente tempore, oris convivalis hilaritatem depoſuit; ad ultimum totam luxuriam exuit.*

257. *Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri.*] Ex Diogene Laërtio cit. & aliis. Xenocrates valdè ſobrius & continens fuit. Ergò quod *impranſus* hìc dicitur ille; et quod ait Perſius Sat. 5. v. 85. *cur quis non prandeat, hoc eſt?* ſimiliter utrobique notat ſobrietatem philoſophorum ſemel in die cibum capientium, nè *multo cibo & potione completi minùs rectè uti poſſent mente* ac ingenio, ut loquitur Cic. Tuſc. 5. Porrò ut ſiccus Xenocrates, ità & caſtus: Nam & Phrynes & Laidis nobilium meretricum blandimentis atque illecebris nequicquam tentatus pudore ſuffudit ipſas impudentes; quæ demùm victæ prædicârunt non virum illum ſed ſtatuam viſum eſſe. Diog. Laërt. lib. 4, &c.

Correptus voce magiſtri.] Val. Max. antè cit. *Non contentus* Polemo *tam deformi introitu, conſedit etiam, ut clariſſimum eloquium & prudentiſſima præcepta temulentiæ laſciviis eluderet.* At Xenocrates *vultum in eodem habitu continuit; omiſſiſque de quibus diſſerebat, de Modeſtia ac Temperantia loqui cœpit. . . . .* Itaque Polemo *unius orationis* ſaluberrimâ *medicinâ ſanatus, ex infami ganeone maximus Philoſophus evaſit. Peregrinatus eſt hujus animus in nequitia, non habitavit.*

Por-

Si offers poma irato puero, reſpuit. Accipe, mi puſille, inquies: ille *abjicit. Quod ſi deneges, efflagitat. In quo differt amator expulſus, cum animo pugnat: redeat ne accerſitus, an non, eò quo reverſurus fuerat* etiam *non revocatus: nec recedit ab infeſtâ januâ: Quamvis me nunc ſponte accerſat, an ibo? an finem doloribus conquiram? Repulit:* jam *accerſit,* an severtar? *minime; licet precetur. En famulus longè prudentior. O domine, conſilio & ratione haud geritur negotium modo & ratione carens. In amore hæc ſunt incommoda: bellum ac deinde pax. Iſta ſi quiſpiam firma reddere nitatur,* quæ *tempeſtatis inſtar incerta* ſunt, *atque cæco impetu moventur;* is *non magis proficiat, quàm ſi velit deſipere certâ ratione & modo. Quid? cum Picenis pomis ſemina detrahens lætaris, ſi caſu ferias tectum convexum;* an *tui es compos? Quid? quando ſenili palato molliculas voces fingis.*

Porrigis irato puero cùm poma, recuſat: [663]
Sume, catelle; negat: ſi non des; optet: amator
Excluſus quî diſtat? agit ubi ſecum, eat an non,
Quò rediturus erat non arceſſitus; & hæret
Inviſis foribus. Nec nunc, cum me vocat ultro,
Accedam? an potiùs mediter finire dolores?
Excluſit; revocat; redeam? non, ſi obſecret. Ecce
Servus non paulò ſapientior. O Here; quæ res
Nec modum habet neque conſilium, ratione, modòque
Tractari non vult. In amore hæc ſunt mala: bellum,
Pax rurſum. Hæc ſi quis tempeſtatis propè ritu [664]
Mobilia, & cæcâ fluitantia ſorte, laboret
Reddere certa; ſibi nihilo plus explicet, ac ſi
Inſanire paret certâ ratione modòque.
Quid? cum Picenis excerpens ſemina pomis
Gaudes, ſi cameram percûſti fortè? penès te es?
Quid? cum balba feris annoſo verba palato;

ANNOTATIONES.

258. *Porrigis irato puero, &c.*] Comparat actiones amatoris cum actionibus pueri.

259. *Amator Excluſus*] Ex Terentii Eunuch. Sc. 1. ubi Phædria expulſus à Thaide meretrice, ac pòſt accerſitus, ita ſecum agit ac deliberat:

Quid igitur faciam? non eam? nè nunc quidem.
Cum accerſor ultro? an potiùs ità me comparem
Non perpeti meretricum contumelias:
Excluſit: revocat: redeam? Non ſi me obſecret.

Perſ. Sat. 5. 171.

Nunc ferus & violens, at ſi vocet, haud mora, dicas:
Quidnam igitur faciam? nè nunc, cùm accerſat & ultrò
Supplicet, accedam?

261. *Hæret Inviſis foribus.*] Odit & averſatur januam, ubi repulſam tulit, nec tamen ab eâ poteſt diſcedere. Vide Perſ. modò cit.

263. *An potiùs mediter finire dolores?*] Perſ. cit.

. . . . finire dolores
Præteritos meditor.

265. *Servus non paulò ſapientior.*] Parmeno ſervus Phædriæ juvenis amatoris, ipſo quidem hero ſuo longè ſapientior.

Quæ res Nec modum habet, &c.] Ex Terentio cit.

Here, quæ res in ſe neque conſilium neq; modum
Habet ullum, eam conſilio regere non potes.
In amore hæc omnia inſunt vitia, injuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum. Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm ſi des operam ut cum ratione inſanias.

Plutarch. amant, oderunt: eundem abſentem deſiderant, præſentem metuunt: adulantur, convicia dicunt: pro amato moriuntur, occidunt: optant non amare, abſtinere amore nolunt, &c. Vide Plaut. Ciſt. Sc. 4. *Credo ego, &c*

272. *Quid? cum Picenis, &c.*] Aliis amantium ineptias confert cum puerorum nugis. Nimirùm ſolebant amatores pomi ſemina ſeu grana primoribus digitis preſſare & in altum ejaculari, quæ ſi cameram ſive lacunar triclinii contigiſſent, velut felix augurium accipiebant: ſeque rem concupitam ſperabant aſſecuturos. Vide Jul. Poll. lib 9. cap. 7.

Picenis.] Synecd. pro quibuſlibet malis ac pomis: laudabantur verò illa quæ proveniebant in Piceno Italiæ regione, quæ hodie complectitur Marchiam Anconitanam & partem Aprutii.

273. *Gaudes, ſi cameram, &c.*] Ineptè & pueriliter exultas leni ac futili de causâ, an ergò ſapis.

274. *Cum balba, &c.*] Cum tu ſenex molliuſcule verba efferes & pueri ad inſtar balbutiendo pronuncias, blanditiarum causâ, ad captandum puellæ benevolentiam. Tibul.

Et tibi blanditias tremulâ componere voce.

Quid?

Quid? cum balba feris annoſo verba palato,
Ædificante caſas quî ſanior? adde cruorem
Stultitiæ, atq; ignem gladio ſcrutare: modò, inquam,
Hellade percuſsâ, Marius cùm præcipitat ſe, [665]
Cerritus fuit? an commotæ crimine mentis
Abſolves hominem, et ſceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita ſiccus
Lautis manè ſenex manibus currebat, et, Unum,
(Quid tam magnum? addens,) unum me ſurpite morti,
(Dîs etenim facile eſt) orabat: ſanus utriſque
Auribus atq; oculis: mentem, niſi litigioſus
Exciperet dominus, cùm venderet. Hoc quoque vulgus [666]

Quid? quando ſenili palato molliculas voces fingis, num ſapientior es puero domunculas extruente? adjunge ſanguinem dementiæ, & flammam enſe rimare. Dic vero, Marius nuper Hellade occiſâ præcipitem ſe dans, fuitne furioſus? num inſaniâ laboraſſe illum negabis, ac ſceleratum ipſummet affirmabis, proximâ, ut fit, appellatione res quaſque deſignans? Erat libertinus quidam vetulus manè jejunus diſcurrens per plateas, manibus lautis, atque ita precabatur: Unum me (quid tam magnum? aiebat) unum, inquam, ab interitu vindicate, O dii; nam poteſtis. Is *aures ambas & oculos integros habebat*; at *mentem exciperet eum venundans herus, ſi lites fugiſſet.* *Atque hoc etiam* hominum.

ANNOTATIONES.

Perſius ſimile quid habet, Sat. 1. v. 33.

Rancidulum quiddam balbâ de nare locutus
Phyllidas, Hyſipylas, vatum & plorabile ſi quid
Eliquat; & tenero ſupplantat verba palato.

275. *Adde cruorem Stultitiæ.*] Verùm amor non tantùm facit inſanos, ſed & crudeliter furioſos. Nam ad cædes etiam perpetrandas impellit & cogit.

276. *Ignem gladio ſcrutare:*] Pythagoricum illud ſymbolum ac præceptum erat; *Ignem gladio ne fodito:* id eſt, hominis, præſertim verò potentis, iram jam ardentem ne magis accende & move. Diog. Laert. lib. 8. Hîc Horatius innuit, eum qui jam gravi affectu, ut amore abreptus, alio inſuper affectu, ut irâ, commovetur, omninò inſanire, imò ad quodvis patrandum facinus & crimen accingi. Sic Marius nuper, inquit, Helladem puellam, quam deperibat, præ irâ & zelotypiâ trucidavit; ac deinde ſemetipſum præ dolore præcipitavit. Rem ſuo tempore videlicet factam poëta commemorat.

278. *Cerritus.*] Quaſi Cereritus, id eſt, à Cerere perculſus, & in furorem actus.

An commotæ crimine mentis, &c.] Urget valde hæc ratio: An, inquit Stertinius, mavis iſtum hominem ſceleratum dicere, quàm fateri inſanum? verùm quoquo modo reſpondeas, nihil proficis; ſi quidem improbus quilibet inſanit.

281. *Libertinus erat, &c.*] Jam ſuperſtitioſos aggreditur, omnemque ſimul religionem deridet.

Circum compita.] In compitis coli penates juſſerat Auguſtus.

Siccus manè ſenex, &c.] Singulæ voces advertendæ, animum tranquillum & hoc magis ſuperſtitioſum notantes.

282. *Lautis manibus.*] Ritè omnia peragit, puraſque manus ad deos tollere ſatagit, fatuè tamen.

283. *Quid tam magnum?*] Quid hoc diis magnum & difficile? unum ſcilicet hominem morti eripere. Alii leg. *quidnam magnum?* Alii vulgò, *quiddam magnum addens.* Verùm noſtra lectio clarior, ac meliorem ſenſum gignit.

Unum me ſurpite morti.] Immortalitatem concedite mihi veſtrûm obſervantiſſimo. Huc pertinet verum etymon vocis *ſuperſtitiæ*, cujus meminit Cic. 2. De nat. Deor. n. 72. *Qui totos dies precabantur & immolabant, ſui ut liberi ſibi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomen poſtea latiùs patuit.* Contrà tamen pugnat Lactant. lib. 4. De verâ ſap. cap. 28. Saltem liquet ſuperſtitionis vocabulum olim aptatum iis hominibus, qui ſuperſtites eſſe cupiebant vehementiùs, mortem abhorrentes pluſculum, & vitam a diis enixè flagitantes.

285. *Mentem, niſi litigioſus, Exciperet dominus &c.*] Id eſt, libertinus ille, ſive libertus, ſanus quidem erat corpore, at mente nequaquam: quocirca ſi eum adhuc ſervum dominus vendidiſſet, vitium mentis dicere debuiſſet ementi, ſi lites habere cum eo nollet; atq; adeò ſanum aſſeverans, mentem debebat excipere. Cic. Offic. 3. n. 91. *In mancipio vendendo dicenda illa vitia, quæ niſi dixeris, redhibeantur mancipium jure civili.* Vide Gell. lib. 4. cap. 2. ubi ſic ſcribit: *In edicto ædilium curulium, qua parte de mancipiis vendundis cautum eſt, ſcriptum ſic fuit: Titulus ſervorum ſingulorum ut ſcriptus ſit curato, ita ut intelligi rectè poſſit quid morbi vitiique cuique ſit, &c.* Unde ſi morboſum aut vitioſum, noxave non ſolutum ignoraſſet emptor, redhibere poterat ex lege.

genus recenſet Chryſippus in numeroſo Menenii grege. Mater pueri à quinq; menſibus ægrotantis ita orabat: O Jupiter, qui magnas ægritudines immittis & auſers, ſi frigida quartana reliquerit meum hunc filiolum, nudus in Tiberi ſtabit mane, qua die tu jejunia præſcribis: itaq; ſeu *caſus ſeu medicus ægrotum è periculo liberaverit, veſana parens in frigido littore ſtatuet, ac revocata febri interimet. Ecquo morbo mente affecta? metu numinum.* DAMASIP. ad Horat. *Iſta mihi* velut *amico dedit arma Stertinius ſapientum octavus, ne deinceps impunè* dicteriis *inceſſerer. Quiſquis me dementem appellârit, pariter à me vocabitur,*

Chryſippus ponit fœcundâ in gente Meneni.
Jupiter, ingentes qui das adímíſque dolores,
Mater ait pueri menſes jam quinque cubantis,
Frigida ſi puerum quartana reliquerit, illo
Manè die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi ſtabit. Caſus medicúſve levârit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit [677]
In gelidâ fixum ripâ, febrímque reducet. 294
Quóne malo mentem concuſſa? timore deorum.
Hæc mihi Stertinius ſapientum octavus amico
Arma dedit, poſthac ne compellarer inultus.
Dixerit inſanum qui me, totidem audiet, atque

ANNOTATIONES.

286. *Hoc quoque vulgus, &c.*] Hanc ſuperſtitioſorum turbam accenſet Chryſippus numeroſæ genti ac multitudini inſanorum, ſive ſimilium Menenii. De Chryſippo lib. 1. Sat. 3. v. 127.

287. *Fœcundâ in gente.*] Sap. *Stultorum infinitus eſt numerus.*

Meneni.] Hic parùm integræ ſanæve mentis vivebat Horatii tempore, ſuperſtes unus ex illâ Meneniorum familiâ pridem celebri quamvis plebeiâ. Notus in primis extitit Agrippa ille Menenius, qui ſolerti membrorum ac ventris diſſidentium apologo, patres & plebem alienatos in concordiam reduxit. Tit. Liv. lib. 2.

288. *Jupiter, ingentes, &c.*] Aliud ſuperſtitionis genus & exemplum. Mater ſtultè votum facit, ac ſtultiùs adimplet. Vovet pro incolumitate filii, voti rea incolumem ipſa enecat.

290. *Frigida quartana.*] Ex atra bile quartana febris proficiſcitur: atque hujus paroxyſmo incipiente, totum corpus frigore & horrore concutitur.

291. *Illo die, quo, &c.*] Die nempè Jovis, quo jejunia indicebantur à magiſtratibus ac ſacerdotibus, quæ a populo in Jovis honorem obſervanda erant. Morem certè hunc hauſerant à Judæis, Chaldæis, Ægyptiis, quorum ingens erat Romæ numerus. Illi enim ad ſolemnes feſtos ſe jejuniis præparabant, ut & hodie Chriſtiani.

Nudus In Tiberi ſtabit.] Quaſi ut toto ablutus corpore, hinc purior ad Jovis ſacra procederet: is veterum mos erat ſuperſtitioque. Virgil. Æn. 2. v. 789.

Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Juvenal. Sat. 6. v. 521.

Hybernum fractâ glacie deſcendet in amnem:
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipſis
Verticibus timidum caput abluet.

Perſ. Sat. 2. v. 15.

Hæc ſanctè ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis,
Manè caput bis terque, &c.

292. *Caſus medicuſve levârit.*] Sæpius enim parùm valet medici induſtria adverſus quartanam: quæ proinde vocatur *Medicorum opprobrium.*

293. *Mater delira necabit.*] Veſana mater voti ſe religione putans obſtringi ad ſtatuendum eum nudum in gelido flumine, reducet febrim depulſam, & filium enecabit.

293. *Timore deorum.*] Cic. De nat. Deor. 1. n. 118. *In ſuperſtitione ineſt timor inanis deorum: religio deorum cultu pio continetur.*

296. *Hæc mihi Stertinius, &c.*] Damaſippus ſermonem finiens, Hæc ego documenta, inquit, hauſi & accepi à Stertinio, qui ſanè meretur annumerari ſeptem Græciæ ſapientibus. Quæ vero illa? (adverte quàm acre ludibrium) nimirùm tota ſapientiæ Stertinii laus in eo eſt, quod omnes ſtultos eſſe docuerit.

Sapientum octavus.] Sic. Juvenal. Sat. 2. v. 40.

Tertius è cœlo cecidit Cato.

De ſeptem illis viris ſapientiæ famâ inclytis, ita Cic. De finibus 2. n. 7. *Septem illi non ſua, ſed populorum omnium ſuffragio nominati ſunt.* Non conſentiunt omnes de ſingulis tamen; at quatuor hi ab univerſis agnoſcuntur: Thales Mileſius, Bias Prienæus, Pittacus Mitylenæus, Solon Athenienſis, quibus alii alios ſubnectunt. Ergò & iſti celebrantur; Ariſtodemus, Cleobulus, Periander, Chilo, Anaxagoras, Pythagoras, Anacharſis, Arceſilaus, &c. Vide Diogen. Laërt. lib. 1. Cic. 2. De leg. n. 26. *Thales ſapientiſſimus inter ſeptem,* inquit.

297. *Ne compellarer inultus.*] O egregium ſapientiæ fructum! imò ridiculam vanitatem! non deinceps inultus compellabitur ipſe ſtultus, quippè qui pariter alios poſſit ſtultos vocare, didiceritque fere omnes inſanire; unde convicianti conviciari queat.

Reſpicere

Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.
Stoice (poſt damnum ſic vendas omnia pluris)
Quâ me ſtultitiâ (quoniam non eſt genus unum) [668]
Inſanire putas? ergo nam videor mihi ſanus.
Quid? caput abſciſſum demens cùm portat Agave
Nati infelicis, ſibi tum furioſa videtur?
Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam inſanum; tantùm hoc ediſſere, quo me
Ægrotare putes animi vitio. Accipe: primùm
Ædificas: hoc eſt, longos imitaris, ab imo
Ad ſummum totus moduli bipedalis; et idem
Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum et inceſſum. Quî ridiculus minus illo?
An quodcunque facit Mæcenas, te quoq; verum eſt,
Tanto diſſimilem, et tanto certare minorem?
Abſentis ranæ pullis vituli pede preſſis, [669]

monebiturque advertere pendentia dorſo averſo. HOR. *O Stoice, poſt jacturam bonorum, ita venundes cuncta pluris:* dic verò, *quandoquidem diverſa ſunt inſaniæ genera, ecquo me laborare autumas? enimverò ſapere me exiſtimo.* DAMAS. *Quid? furens Agave miſeri filii caput geſtans amputatum,* num *ſe credit inſanire?* HOR. *Fatebor quod res eſt; concedo me dementem, imò & veſanum: at ſaltem doce, quâ me animi noxâ affectum arbitreris.* DAMASIP. *Audi: ædes conſtruis: id eſt, tu à vertice ad calcem vix duos pedes altus, æmularis proceros: ipſeque armati Turbonis animum & greſſum corpore majorem deridens, quomodo* videare, *minùs illo ridiculus? Quicquid* autem *præſtat Mæcenas, an expedit te certatim moliri tanto diſparem & inferiorem?* Sic profectò fabulantur: *Abſentis ranæ pullis vituli pede contritis,*

ANNOTATIONES.

299. *Ignoto diſcet pendentia tergo.*] Nimirùm fabulatus eſt Æſopus, homines duas habere peras hinc & illinc pendentes: in anteriore aliena reponi vitia, propria verò in poſteriore, quæ á tergo eſt; quo fit ut illa facilè videant, hæc non ita. Senſus itaque eſt, diſcet ſcrutari & cognoſcere propria vitia quæ ignorabat. Catull. Carm. 20. v. 21.

Sed non videmus, manticæ quod in tergo eſt.

Perſ. Sat. 4. v. 24.

Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Non abſurdus omninò, ſed aproſdionyſus, qui locum hunc interpretetur ex verbis anteà poſitis, *caudam trahat*: hoc ſenſu: diſcet ille pendere ſibi alligatam tergo caudam, inſaniæ videlicet indicem ac probroſam notam. Vide ibi, ſi vacat & libet, v. 53.

300. *Stoice poſt damnum, &c.*] Abhinc ad ſatiræ finem Horatius cum Damaſippo colloquitur.

Sic vendas omnia pluris, &c.] Ironica prorſus apprecatio: faxint dii, ut quæſtuoſâ negotiatione reſarcias priora damna jacturaſque olim factas: quandoquidem ex inope tam ſapiens evaſiſti, ac tot ſapientiæ arcana mihi revelaſti. At cum me inſanum tam aſſeveranter pronuncies, qui fit ut ſanus ipſe mihi videar?

303. *Quid? caput abſciſſum, &c.*] Tibi nempè ſanus videris: nec tamen ſanus es. Enimverò in propriis cæcutimus. Dic amabò, nunquid Agave ſe furere noverat, cùm maxime fureret?

Agave.] Hæc cum aliis Bacchantibus Orgia peragens, Pentheum filium ſacra illa contemnentem, & ad ea curioſiùs & contra fas penetrantem, Bacchi furore incitata diſcerpſit, abſciſſumque caput quaſi ovans thyrſo circumtulit, rata ſe occidiſſe immanem aprum, vel, ut alii ſcribunt, vitulum. Vide Ovid. Metam. 3. & Perſ. Sat. 1. v. 100. & quæ adnotavi lib. 2. Od. 19. v. 14.

305. *Stultum me fateor.*] Victus iſtâ ratione Horatius fatetur quod antè negabat; inquirit tamen, quæ ſua ſit ægritudo, quod animi vitium. Quæ quidem Damaſippus ipſi ediſſerit.

308. *Ædificas.*] Hoc primùm: ædificandi libidine vexatus, magnatis ambitioſè æmulatus.

Longos imitaris.] Ludus eſt in ambiguâ voce *longos*. Tu puſillus magnos, tenuis & modicis bonis opulentos ac divites vis imitari ſtultè quidèm: ædes moliris facultatibus majores.

309. *Moduli bipedalis.*] Minima certè hæc eſt humani corpuſculi menſura. Vide Plin. lib. 7. cap. 16.

310. *Turbonis.*] Gladiator ille ſtaturâ exiguus erat, cæterum grandis animo, inceſſu, actione.

312. *An quodcunque facit Mæcenas, &c.*] Hic in Eſquiliis ſumptuoſas ædes hortoſque magnificos tunc temporis moliebatur

314. *Abſentis ranæ pullis, &c.*] Æſopi fabula eſt, quam Phædrus pauló immutavit.

unum effugiſſe. Is verò matri ediſſerit, qua ratione immanis beſtia conſanguineos oppreſſerit. Illa ſciſcitatur, quanta? atque intumeſcens quærit, an ergo tanta eſſet? Major. Deinde, an ſic? Cumque plus & plus intumeſceret; ait pullus, Etiamſi diffregeris te, haud par fueris. Imago iſta non valde tibi diſſimilis. Adde jam carmina (id eſt, oleum igni appone) quæ ſi condit ſapiens quiſquam, tu quoque ſapis, illa faciens. Taceo iracundiam graviorem (HORAT. *Obe ſatis eſt) nitorem facultates excedentem* (HORAT. *O Damaſippe, rerum ſatage duntaxat tuarum) amores ſexcentarum puellarum totidemque puerorum.* HORAT. *O ſtultorum maxime, indulge denique minori.*

Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliſerit. Illa rogare,
Quantáne? num tandem, ſe inflans, ſic magna fuiſſet?
Major. Dein: Num tantum? cùm magis atque
Se magis inflaret; Non, ſi te ruperis, inquit,
Par eris. Hæc à te non multùm abludit imago.
Adde poëmata nunc (hoc eſt, oleum adde camino)
Quæ ſi quis ſanus fecit, ſanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem. (Jam deſine) cultum
Majorem cenſu (Teneas, Damaſippe, tuis te)
Mille puellarum, puerorum mille furores.
O major, tandem parcas, inſane, minori.

ANNOTATIONES.

321. *Adde poëmata.*] Apud Stoicos pridem, ut & plerumque apud alios, & etiamnùm, vix bene ſani poëtæ habiti ſunt. Epiſt. ad Piſones, v. 296.

——— *excludit ſanos Helicone poëtas*
Democritus.———

Oleum adde camino.] Proverbium eſt. Indicat hîc hominem jam fortè inſanum, ſi verſus faciendi prurigine inſuper titillatur, duplici inſaniâ laborare.

323. *Horrendam rabiem, &c.*] Patientiam imprimis colebant Stoici; cultum verò corporis, & nitorem veſtium negligebant. Duo his contraria Damaſippus objicit Horatio. Quæ quidem ipſe non diffitetur. Nam iracundum, ſeu *iraſci facilem* ſe innuit, tum in Epiſt. ult. lib. 1. tum alibi non ſemel: *cultum verò mundiorem*, atque *majorem cenſu* etiam declarat lib. 1. Sat. 6. v. 78.

Jam deſine.] Hæc & ſequentia quædam iracundulus reponit Horatius crebro, Damaſippum interpellans, tam lepidè quàm falsè.

324. *Teneas, Damaſippe, tuis te.*] Tua vitia diſcute, non mea.

325. *Mille puellarum, &c.*] Erat enim libidinoſus admodùm, atque *in Venerem putris*, ut loquitur Perſ. Sat. 5.

326. *Major tandem parcas, &c.*] Cùm ſis maxime inſanus, mihi parce minus te inſano.

SATIRA IV.

Præcepta culinaria Epicureorum quorundam falsè irridet.

HORAT. *Unde* venit, & *quò* vadit *Catius?* CAT. Tibi reſpondere *non licet mibi per tempus cupienti*

UNDE, et quò Catius? Non eſt mihi tempus aventi

ANNOTATIONES.

1. *Unde & quo &c.*] Quemadmodum ſatirâ præcedenti falſos & adulterinos Stoicos ſub Damaſippi perſonâ Horatius inſectatus eſt; ſic in hâc ſophiſtas Epicureos exagitat ſub perſonâ Catii.

Unde, & quò] Fortuitum occurſum fingit poeta. Simile eſt exordium Phædri Platonici.

Catius.] Hic ipſe eſt M. Catius Epicureus philoſophus Inſuber, cujus mentionem faciunt Cicero & Quintilianus, Quintil. lib. 10. cap. 1. ita ſcribit: *In Epicureis levis quidem, ſed non injucundus tamen auctor eſt Catius*: nempe is de rerum naturâ, & de ſummo bono quatuor libros ſcripſit, inquit vet. comment. teſte verò Cicerone mox citando, doctrinam Epicuream Latinè deſcripſit. Cic. lib. 15. Epiſt. 16. Caſſium à Stoicâ ad Epicuri diſciplinam tranſlatum quaſi transfugam vellicat: *Ne te fugiat Catius Inſuber Epicureus, &c.* . . . . *Jam biennium aut triennium eſt, cum virtuti nuncium remiſiſti delinitus illecebris voluptatis.* Epiſt. 19. ſeq. *Ubi igitur, inquies, philoſophia? Tua quidem in culina, mea moleſta eſt.* Reſcribens autem Ciceroni Caſſius eod. lib. Epiſt. 19. ſic habet:

Ponere

Ponere ſigna novis præceptis, qualia vincant
Pythagoram, Anytique reum, doctúmque Platona. [671]
Peccatum fateor, cùm te ſic tempore lævo
Interpellârim : ſed des veniam bonus, oro,
Quod ſi interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox,
Sive eſt naturæ hoc, ſive artis; mirus utroque.
Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem ;
Utpote res tenues tenui ſermone peractas. 9
Ede hominis nomen; ſimul an Romanus, an hoſpes.
Ipſa memor præcepta canam : celabitur auctor.

notare nova documenta, quæ ſupergrediantur Pythagoram, & accuſatum ab Anyto, atque eruditum Platonem. HOR. *Confiteor erratum, quòd te avocarim hora tam importuna : ſed precor, indulge benignus : ſi enim excidat tibi modò quidpiam, ſeu illud pendet à natura, ſeu ab arte revocabis facilè, cum utraque polleas.* CAT. *Imò ſatagebam, ut ſingula retinerem, quippe ſubtilia ſubtili dictione comprehenſa.* HOR. *Eloquere nomen viri, pariterque dic, an Romanus* ſit, *an externus.* CAT. *Præcepta quidem recitabo memoriter :* at *reticebo auctorem.*

ANNOTATIONES.

Non mehercule in hac meâ peregrinatione quidquam libentius facio, quam ſcribo ad te. Videor enim cum præſente loqui & jocari. Nec tamen hoc uſu venit propter ſpectra Catiana : pro quo tibi proxima epiſtola tot ruſticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum eſſe dicas . . . . Difficile eſt hominibus perſuadere τὸ καλὸν δὶ αὐτὸ αἱρετὸν eſſe : *ἡδονὴν verò & ἀταραξίαν virtute, juſtitiâ,* τῷ καλῷ *parari, & verum, & præterea probabile eſt. Ipſe enim Epicurus, à quo omnes Catii & Amafinii mali verborum interpretes proficiſcuntur, dicit,* οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν. *Itaque & Panſa, qui ἡδονὴν ſequitur, virtutem retinet ; & ii, qui a nobis* φιλήδονοι *vocantur, ſunt* φιλόκαλοι καὶ φιλοδίκαιοι *; omneſque virtutes & colunt & retinent.* Ex quibus intelligitur doctrina Epicuri quidem ſana, & quorundam Epicureorum, è quorum ſe eſſe numero Caſſius ille oſtendit ; inſana verò aliorum plurimum, inter quos iſte Catius, quem hic ſubſannat poeta. Hi nimirùm ad corporis voluptates perperàm referebant quicquid Epicurus tribuebat voluptati dumtaxat ei, quam animus è virtute percipit ac metit. Vid. Sat. 8. ſeq.

Non eſt mihi tempus, &c.] Interpellantem amovet & amandat, quaſi rem gravem moliatur anxiè, dum culinæ myſteria pertractat.

2. *Ponere ſigna.*] Hæc σημεῖα καὶ μνήματα vocat Plato in Cratylo : & certe non minus per imagines quàm per literas rerum memoria conſervatur. Vide Cicer. 3. ad Heren. Senec. Epiſt. 6.

Qualia vincant Pythagoram.] Talia ſunt hæc documenta, ut pluris æſtimanda videantur, quam quæ ſcripſere Pythagoras, Socrates, Plato; quocirca laboro, ne quid memoriâ effluat, ait Catius.

3. *Pythagoram.*] Samo inſulâ oriundus ille floruit ante Chriſtum annis ferme ſexcentis. Diſcendi cupidus ad Ægyptios & Babylonios ſe contulit. Diog. Laert. lib. 8. Venit in Italiam, regnante Tarquinio Superbo, eamq; regionem quæ Magna Græcia dicta eſt, privatim & publice exornavit præſtantiſſimis inſtitutis & artibus. Cùm vero doctrina ejus longè lateque flueret, permanavit in urbem Romam. Hæc Cicero Tuſc. 1. n. 38. Tuſc. 4 n. 2. Tuſc. 5. n. 10. De eo jam anteà lib. 1. Od. 28. & Epod. 15.

Anytique reum.] Socratem, quem reum egerunt Anytus quidam dives, Melitus poëta, & Lycon orator, quaſi malè de diis ſentientem. Alia ab aliis accuſationis capita referuntur : invidiâ & calumniis oppreſſum conſtat. *Quæ verò publicè damnârat Athenienſium civitas, publicè luxit* ; atque in ejus accuſatores indignationem & ultionem convertit ; ut ſcribit S. Auguſt. De civ. Dei, lib. 8. cap. 2. Vide Lactant. lib. 5. cap. 15. Platon. Apologiam Socratis : Apul. De aſino aur. lib. 10. Athen. lib. 13. Nec prætermitte Cicer. cum variis locis, tum præcipuè Tuſc. 1. n. 71. *Socrates,* inquit, *impiis damnatis ſententiis . . . . cum jam in manu mortiferum illud teneret poculum, locutus ita eſt, ut non ad mortem trudi, ſed in cœlum videretur aſcendere.* De Socrate jam dixi non pauca lib. 3. Od. 21.

Platona.] Hic Socratis auditor, magiſtro par aut major evaſit, *divini* etiam conſecutus elogium : facundus adeò & eloquens, ut Platonice locuturum fuiſſe Jovem, ſi Græcè loqui voluiſſet, vulgò dicerent. Cœlebs, & caſtus vixit ad annum ætatis 81. teſte D. Auguſt. Vide Sat. præced. v. 11. annot. item Cœl. Rhodig. lib. 22. cap. 4. lib. 30. cap. ult. & alibi ſæpe.

7. *Mirus utroque.*] Memoriâ valens tum naturali tum artificiali, ac mirum in modum ſolers. Ita nempe Catio blanditur aſſentaturque, ut impellat ad dicendum.

11. *Celabitur aucto.*] Videlicet eò quòd Epicuri nomen erat vulgò odioſum, inquiunt. Verùm quid hæc ad Epicurum præcepta attinent ?

Cura ut apponas ova figuræ oblongæ, utpote gratioris ſaporis, atque rotundis candidiora. Etenim duriora continent maſculum vitellum. Braſſica in arido ſolo educata, ſuavior eſt ſuburbanâ. Certè nihil eſt magis exſuccum horto ſæpè rigato. Si tibi hoſpes inopinanti advenerit ſerò, ne gallina durior palato malè-nè reluctetur, memento adhuc *ſpirantem perfundere Falerno muſto: id molliculum reddet. Præſtantem naturam habent fungi in pratis naſcentes, alii non tutò comeduntur. Ille æſtates ſanas traducet, qui finiet prandia moris nigris ex arbore decerptis ante ſolem ardentem.*

Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut ſucci melioris, et ut magis alba rotundis [672]
Ponere: namque marem cohibent calloſa vitellum.
Caule ſuburbano, qui ſiccis crevit in agris,
Dulcior. Irriguo nihil eſt elutius horto.
Si veſpertinus ſubitò te oppreſſerit hoſpes,
Ne gallina malùm reſponſet dura palato,
Doctus eris vivam muſto merſare Falerno:
Hoc teneram faciet. Pratenſibus optima fungis
Natura eſt: aliis malè creditur. Ille ſalubres
Æſtates peraget, qui nigris prandia moris [673]
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore ſolem.

ANNOTATIONES.

12. *Longa quibus, &c.*] Incipit Catius diſſerere. Sunt qui velint ridiculum exhiberi Catium, quòd ſtatuat omnia convivalibus præceptis optimorum auctorum diſſidentia; pluſque conſulat palato quàm valetudini. Verum tamen quædam affert ſatis probabilia & vera. Ergò ridiculus ille potiùs, quod rem futilem, putà, culinariam, ut jam dixi, tam ſtudiosè anxieque moliatur, quàm alii res quaſque graviſſimas.

Longa quibus facies ovis erit, &c.] Ab ovis epulas incipiebant veteres. Vid. lib. 1. Sat. 3. v. 6.

13. *Ut ſucci melioris.*] Plin. lib. 19. cap. 52. *Quæ oblonga ſunt ova, gratioris ſaporis putat Horatius. Fœminam edunt, quæ rotundiora gignuntur; reliqua marem.* Columel. pariter ſcribit: *Cum volet quis mares excludi, ova longiſſima & acutiſſima ſubjiciet: & rurſus cum fœminas, rotundiſſima.* Contrarium verò his omninò docet Ariſtot. Hiſtor. animal. lib 6. nimirum rotundis & obtuſis ovis mares, longis & acutis fœminas produci. Vide Cœl. Rhodig. l. 27. cap. 17. ubi ex Avicenna & Alberto ſic habet: *Ex orbiculari ovo brevique progignitur mas: ex oblongis acutiſve fœmina. Ipſum hoc comprobat experimentum, & ſuffragatur ratio: ſiquidem virtutis perfectio in maſculinis ovis ambit æqualiter, & continet extrema; at in fœminis à centro longius abit materia, in quo eſt vitalis calor: hoc verò planè imperfectionis argumentum eſt.* Certi tamen nihil eſt in iſtis. Nam & è longioribus ovis mares excluduntur.

14 *Calloſa.*] Denſiora, proindeque duriuſcula; veluti callo obducta. Itaque callus ovi eſt putamen, ſive teſticula: alii intelligunt albumen: ſed perperam.

15. *Caule ſuburbano, &c.*] Sive quod ſiccum ſolum caulibus eſt aptum, ſeu quod irrigatio frequentior terræ ſuccum ac bonitatem eluit, detergit, demit. Porrò ſuburbanos hortos tenent olitores, eoſque rigant crebrius. Sic enim celeriùs & copioſiùs olera gignuntur, ſed minùs bona.

19. *Vivam muſto merſare Falerno.*] Fit tenerior gallinæ caro, ſi adhuc palpitans ſubmergatur aquâ frigidâ; magiſque ſi in muſto Falerno ſubmergatur; ſic enim fortiùs repercutiuntur includunturque ſpiritus naturales, quorum intus actio carnis partes dirimit. Lambinus aliam docet rationem teneram efficiendi gallinam. *Sume,* inquit, *quodlibet lapathi genus: hanc herbam in ollam, in qua gallinam ſeu quaſlibet alias carnes coquere volueris, imponito: hoc teneras faciet.*

20. *Pratenſibus optima fungis Natura eſt.* Certè aperto aëre creſcentia quælibet meliora ſunt: fungos verò ubique reperiri alios bonos, alios malos etiam conſtat. Vide Plin. lib. 22. cap. 23. ſic habet: *Quæ voluptas tanta ancipitis cibi? Familias nuper interemere fungi, & tota convivia, Annæum Serenum, præfectum Neronis vigilum, & tribunos & centuriones.* Corn. Tac. Ann. 13. & Senec. Epiſt. 63.

22. *Qui nigris prandia moris Finiet.*] Imò, teſte Galeno, quòd facilè corrumpantur mora, noxia ſunt poſt alios cibos ſumpta; initio verò cœnæ proſunt magis. Aliter locum hunc intelligere poſſumus, ex more veterum, qui levem & modicum duntaxat cibum manè capiebant; nimirùm è refrigerantibus valde moris prandium utile eſſe æſtate, hæc apud nos in jentaculo plerique amant.

23. *Ante gravem quæ legerit arbore ſolem.*] Tunc enim virtutem ſuam totam nocturno frigore incluſam continent teneriores fructus. Contra duriores ardore ſolis quaſi cocti & perfecti, ex arbore decerpi debent fervente potiſſimùm die.

Aufidius

Aufidius forti miſcebat mella Falerno,
Mendoſè: quoniam vacuis committere venis
Nil niſi lene decet: leni præcordia mulſo
Prolueris meliùs. Si dura morabitur alvus,
Mitulus et viles pellent obſtantia conchæ,
Et lapathi brevis herba: ſed albo non ſine Coo.
Lubrica naſcentes implent conchylia lunæ.
Sed non omne mare eſt generoſæ fertile teſtæ.
Murice Baiano melior Lucrina peloris;

Aufidius mel immiſcebat Falerno valentiori, malè quidem: *nam vacuis venis nihil debet infundi niſi dulce. Viſcera ſuavi melicrato perfundes aptius. Si piger ac durus fuerit venter, obices removebunt mitulus & conchæ viliores, & rumex herba* foliis *brevioribus, ſed non ſine albo Coo. Luna creſcens implet conchylia fluentia. Sed non mare quodlibet profert optima teſtacea. Baiano murice præſtat peloris Lucrina:*

ANNOTATIONES.

24. *Aufidius.*] Ejus meminit Plin. lib. 10. cap. 10. *Mar. Aufidius Lucro ſaginare primus inſtituit pavones, circa noviſſimum piraticum bellum: ex eoque quæſtu reditus ſeſtertiûm ſexaginta millia habuit.*

Forti miſcebat mella Falerno.] Jam antè eſt obſervatum Sat. 2. huj. lib. 15. ſolitos veteres inchoare convivia à promulſide ſeu potione mulſi, id eſt, vini cum melle mixti, à mulcendo factum nomen, quòd venas mulceat lenitate ſuâ. Varro De re ruſt. lib. 3. cap. 16. *Venit favus ad altaria, & mel ad principia convivii.* Porrò mulſi potionem confectam interdum apponebant; aliquando vinum & mel ſeparatim; ut conviva utrumq; temparans, ſibi mulſum arbitrio quiſq; ſuo faceret. Mulſum laudat Plin. 22. cap. 24. *Multi ſenectam longam mulſi tantum nutritu toleravere, neque alio ullo cibo, celebri Pollionis exemplo. Centeſimum annum excedentem eum D. Auguſtus, hoſpes interrogavit, quanam maximè ratione vigorem illum animi corporiſque cuſtodiſſet. At ille reſpondit: Intus mulſo, foris oleo.*

25. *Mendoſè: quoniam vacuis, &c.*] Ita ò benè Quippe excit. modò Plin. *Mulſum ex veteri vino utiliſſimum, faciliimeque cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam evenit. Ex auſtero factum, non implet ſtomachum, neque ex decocto melle, minuſque inflat, quod ferè evenit. Appetendi quoque revocat aviditatem cibi.* Vide Dioſcorid. lib. 5. cap. 16. & Macrob. lib. 7. cap. 12.

26. *Leni præcordia mulſo Prolueris meliùs.*] Delicato & faſtidioſo Catii palato mulſum è Maſſico leniori placuiſſet magis quàm è forti Falerno: cujus tamen auſteritas melle & quâdam vetuſtate mitigata, virtus autem adhuc ſalis vegeta roborando ſtomacho longè utilior. Docet Martialis, lib. 13. Epig. 108.

Attica nectareum turbaſtis mella Falernum.
Miſceri decet hoc à Ganymede merum.

28. *Mitulus & viles pellent obſtaculæ conchæ.*] Alvum duram emollient obſtructamque laxabunt mitulorum aliarumve concharum ſalſus humor, lapathi herbæ ſuccus, & vinum album; hoc ſcilicet illis concoctis admixtum. Cornel. Celſus, lib. 2. cap. 29. *Alvum,* inquit, *movent cochleæ, garum, ſalſamenta, oſtrea, pelorides, echini, muſculi, & omnes fere conchulæ, maximè jus earum.* Athen. lib. 3. cap. 9. *Ex conchyliis, alvo movendo ciendoque lotio excellunt pectines, muſculi, chamæ, oſtrea.* Vide Caton. De re ruſt. cap. 158. Plin. lib. 32. cap. 9.

Mitulus.] Alii ſcribunt, *mytilus,* & *mutilus.* Piſciculus eſt è concharum genere, in arenoſis potiſſimùm locis proveniens. Martial. meminit. lib. 3. Epigr. 59. Non defuit, qui iſto Horatii loco legerit, *mugilis.*

29. *Lapathi.*] De lapatho jam in Epod. 2. Lucilius apud Cicer. De fin. 2. n. 24.

O lapathe, ut jactere neceſſe eſt cognitu' cui ſis.

Coo.] Cos ſive Coos, hod. *Lango,* inſula maris Ægæi Cariæ proxima, producebat vina lenia alvum ſolventia; quæ idcirco *lubrica* vocat Perſius Sat. 3. v. 135.

30. *Lubrica.*] Lubricantia, alvum ſolventia. Alii abſurdè interpretantur polita intus & lævia. Athen. lib. 3. cit. *Oſtrea cum malva & lapatho aut piſcibus ventrem leniter ducunt.*

Naſcentes implent conchylia lunæ.] Lucilius:
Luna alit oſtrea & implet echinos; muribu' fibras,
Et pecu addit.

Idem ſcribunt Cicero 2. De divin. n. 33. Gell. lib. 20. cap. 7. Plin. lib. 2. cap. 41. *Lunari poteſtate augeri rurſuſque minui corpora oſtrearum, conchyliorumque omnium: quin & ſoricum fibras reſpondere numero lunæ.* Verùm errorem hunc jam dudum experientia contraria diſcuſſit.

32. *Murice Baiano, &c.*] Baiani ſinûs murice melior eſt peloris capta in Lucrino lacu. De *Baiis* lib. 2. Od. 18. *Murex* piſcis aculeos habens & cuſpides complures. Plin. lib. 9. cap. 33. *Firmioris jam teſtæ murices & concharum genera: in quibus magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, lævibus, rugatis, vertice muricatim intorto, &c.*

Oſtrea Circæis. Miſeno oriuntur echini. [675]
Pectinibus patulis jactat ſe molle Tarentum.
Nec ſibi cœnarum quivis temere arroget artem,
Non prius exactâ tenui ratione ſaporum.
Nec ſatis eſt carâ piſces averrere menſâ,
Ignarum quibus eſt jus aptius, et quibus aſſis
Languidus in cubitum jam ſe conviva reponet. [676]
Umber, et ilignâ nutritus glande rotundas

Oſtrea præſtantiſſima juxta Circæos, echini verò è Miſeno proveniunt. Tarentum delicatum venditat ampliores pectunculos. Nemo ſibi temerè attribuat ſcientiam epularum, niſi antea ſubtiles exploraverit ſapores. Nec è menſâ piſces caro pretio auferre prodeſt, ſi ignoretur quibuſnam juſculum ſit magis idoneum, & quibus aſſis excitatus conviva *jam ſatur in cubitum ſeſe reponet. Aper ex Umbria, & querna glande nutritus, rotundas*

ANNOTATIONES.

Lucrina peloris.] Hoc conchylium nomen habet à Peloro Siciliæ promontorió ubi frequenter capitur; non autem à voce Græcâ πελώριον *magnum*, ut ſcribunt quidam ex Athenæo ante citato. Eſt de genere chamarum, ſeu oſtreorum teſtam hiantem habentium.

Lucrina] Lucrinus lacus, ad intimum ſinûs Puteolani receſſum, piſcibus olim delicatiſſimis abundabat; at modo cœnoſa eſt palus terræ motu facta anno 1538. De eo jam lib. 2. Od. 15.

33. *Oſtrea Circæis.*] Optima capiuntur oſtrea apud Circæos urbem, vel ad Circœum promontorium, quod in mare Tyrrhenum excurrit prope Circæi rudera; quæ fuit olim civitas Latii, nominata a Circe ſorore Medeæ. Circæis oſtreis *nec dulciora nec teneriora eſſe ulla compertum eſt*, inquit Plin. lib. 32. Cap. 6. At Lucrina tamen in primis laudabantur; ut dictum eſt in Epod. 2. Tarentina quoque celebrat Varro, item Gellius lib. 7. cap. 16.

Miſeno.] Miſenum urbs & promontorium juxta Baias, dictum à Miſeno Æneæ nauclero ibidem ſubmerſo & ſepulto.

Echini.] Echinus, Gall. *heriſſon*, Ang. *an urchin or hedge-hog*, de genere cancrorum, ſpinas habet pro pedibus, alius terreſtris, alius marinus Plin. lib. 9. cap. 31. Nomen habet ἀπὸ τῦ ἔχειν ἑαυτὸν, quod convolutus ita ſe condat & contineat, ut nullæ carnes appareant: vel ἀπὸ τῦ μὴ δύνασθαι ἔχεσθαι, quod teneri minimè poſſit ob aculeos, quibus totus inhorreſcit & contegitur: unde echinum vocarunt *ſpinoſum caſtaneæ operculum*. Plin. lib. 27. cap. 9. *In cacumine capitula ſunt echinata ſpinis.* Inquit Martial. lib. 13. Epig. 86.

Iſte licet digitos teſtudine pungat acutâ,
Cortice depoſito, mollis echinus erit.

34. *Pectinibus patulis*] Hi piſces, Gall. *petoncles*, Ang. *cockles*, conchas habent ſerratas inſtar pectinis; unde nomen Græcis κτενες vocantur dentes anteriores, item piſces iſti ob allatam rationem. *Patulos* dicit Horatius ob apertum os & teſtam. Ariſtot. lib. 4. Hiſtor. animal. cap. 4. *Teſtaceorum alia ſunt patula, ut pectines, muſculi, &c.* Athen. lib. 3. cit. cap. 9. & ſeq. de his plura.

Molle Tarentum.] De hac urbe lib. 1. Od. 28. lib. 2. Od. 6. lib. 3. Od. 5. *Molle*, vel propter aërem molliorem; vel ab purpuram & lanas exquiſitas, atque luxuriam; vel à *Tereno* Sabinorum linguâ *molle* ſignificante. Macrob. lib. 3. cap. 18.

35. *Cœnarum arroget artem.*] Eſt coquorum gens arrogans & faſtuoſa, teſte Athenæo lib. 7. cap. 11. ubi refert quorundam coquorum vanos ſermones non infacetos. *Ambroſiam ergo reperi: jam mortui ſi olfecerint, ut reviviſcant ego efficiam.* Item alius: *Si ſemel coquinam aptavero, quod olim apud Sirenas accidebat, id ipſum tu videbis modo contingere, præ odoris ſuavitate nemo poterit hac angiporti præterire viâ. Si quis autem propius accedat ad has fores; aperto ſtatim ore ſtupefactus conſiſtet, velut affixus clavis, & mutus, donec aliquis accurrens nares prehenſas vellat.*

37. *Averrere menſâ,*] Quaſi everriculo abſtrahere piſces omnes in menſâ piſcatoriâ expoſitos & venales.

38. *Quibus eſt jus aptius, & quibus aſſis.*] Qui piſces elixari debeant, & in juſculo condiri & inferri; item quos aſſari magis conveniat, & ſine ullo condimento & jure apponi. Ex Non. Marcello, *aſſum in obſoniis* dicitur, quod eſt *ſine pigmento ſaporis alieni*; *ſicut merum dicitur ſolum.*

39. *In cubitum jam ſe conviva reponet.*] Excitatus quaſi novâ fame novos cibos appetens, & ad jucundè comedendos ſe rurſus componens. Eum porrò diſcumbendi morem veterum & rationem fuſè explicavi lib. 1. Od. 27. ad has voces, *et cubito remanete preſſo*: item lib. 2. Sat. 4. v. 86.

40. *Umber.*] Umbria Italiæ regio inter Hetruriam, Picenum, & mare Adriaticum, Apennino monte diviſa. Statius Sylv. 4. carm. . . . . . *cur Tuſcus aper generoſior Umbro.*

Curvet

Curvet aper lances carnem vitantis inertem.
Nam Laurens malus eſt, ulvis & arundine pinguis.
Vinea ſummittit capreas non ſemper edules.
Fœcundæ leporis ſapiens ſectabitur armos.
Piſcibus atque avibus quæ natura, et foret ætas,
Ante meum nulli patuit quæſita palatum.
Sunt quorum ingenium nova tantúm cruſtula promit. [677]
Nequaquam ſatis in re unâ conſumere curam:
Ut ſi quis ſolum hoc, mala ne ſint vina laboret,
Quali perfundat piſces ſecurus olivo.
Maſſica ſi cœlo ſupponas vina ſereno,
Nocturnâ, ſi quid craſſi eſt, tenuabitur aurâ,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.
Surrentina vafer qui miſcet fæce Falernâ

oneret patinas averſantis carnem flaccidam. Nec enim bonus eſt Laurens paluſtribus herbis & arundinibus ſaginatus. Vinea capellas haud ſemper facit eſui bonas. Prudens requiret humeros leporis fœcundi. Ante meum guſtum nemo ſcivit diſtinguere quæ natura ætaſque ſit piſcibus & avibus. Sunt quorum ingenium novas duntaxat placentas excogitat. Non ſufficit unam rem curare: quemadmodum ſi quiſpiam hoc tantum ſatagat, ut vinum ſit exquiſitum, parum ſollicitus quo oleo piſces inungat. Si aperto aëri exponas vina Maſſica, quicquid craſſi ineſt, expurgabitur nocturnâ aurâ, & abigetur odor infeſtus nervis: illa vero lino percolata omnem amittunt ſaporem. Qui vinum Surrentinum Falernæ fæci ſcite infundit.

ANNOTATIONES.

41. *Curvet aper lances*] Pondere ſcilicet magno. Integros enim apros olim appoſitos docet Juvenalis Sat. 1. v. 140.

. . . . quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!

42. *Laurens malus*] Inſipidus eſt aper ex agro Laurenti paludoſo: quem idcircò ranis aptiorem dicit Martialis lib. 10. Laurentes agri & populi Lavinio proximè fuere, versùs oram Tyrrheni maris. Virgil. Æneid. 10. v. 707.

. . . . de montibus altis
Actus aper (multos Veſulus quem piniſer annos
Defendit, multoſque palus Laurentia) ſylvâ
Paſtus arundineâ.

43. *Vinea ſummittit capreas, &c.*] Non ſemper guſtui grata eſt caro caprearum & capreolorum vitis palmitibus nutritorum. Virgil. Georg. 2. v. 371 docet, vitem ſepibus muniendam adverſus capreas ſequaces.

44. *Fœcundæ leporis*] Plin. lib. 8. cap. 55. diſſerit de leporum & cuniculorum innumerâ fœcunditate. Quidam legunt, *fœcundi*: nempe incerti ſexûs habitus eſt lepus apud veteres.

Sapiens] Qui ſubtili & ſagaci eſt palato guſtuque. Cic. 2. De fin. n. 24. *Non ſequitur,* inquit, *ut cui cor ſapiat, ei non ſapiat palatum.*

Sectabitur armos.] Plerique noſtrûm ſectantur potius lumbum, *le rable,* velut ſublimioris ſaporis & ſucci: non abs re tamen quis *armos* præferat ut teneriores. At ſuum cuique judicium eſt, ſimiliter & palatum.

45. *Piſcibus atque avibus quæ natura, &c.*] Sic apud Juvenal. Sat. 4. v. 139. Montanus ille deſcribitur delicati & ſolertis admodùm palati:

. . . . nulli major fuit uſus edendi
Tempeſtate meâ. Circæis nata forent, an
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu:
Et ſemel aſpecti littus dicebat echini.

47. *Cruſtula*] Gall. *de la patiſſerie.* De his ſcriptum à Catio librum refert vet. comment. Eò fortaſſe reſpicit et alludit ſatiricus noſter.

51. *Maſſica ſi cœlo ſupponas vina, &c.*] Plin. lib. 14. cap. 21. *Mitiores plagæ doliis condunt, infodiuntque terræ tota, aut ad portionem ſitus: item cœlum præbent: alibi vero impoſitis tectis arcent.* Et poſteà: *Campaniæ nobiliſſima vina expoſita ſub dio in cadis, verberari ſole, lunâ, imbre, ventis, aptiſſimum videtur.* Scilicet ubi cœlum calidius, vina ſub dio relinquuntur: ubi frigidius, defodiuntur tota: ubi medium, partim abdunatur terra, partim cœlo permittuntur, inquit Dalecampius. Athenæus. l. 1. c. 25. pariter docet vina quædam aperto loco ſub dio exponenda, ut nimia illorum vehementio expirando minuatur. De *Maſſici* vini bonitate, l. 1. Od. 1.

53. *Et decedet odor nervis inimicus;*] Plin. l. 23. c. 1. ſcribit nervis prodeſſe Albanum; non item Falernum: & paulò poſt, *Vinum illud quod vetuſtate dulceſcit, minus infeſtare nervos.*

54. *Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.*] Per ſaccum lineum tranſmittebant & colebant vina, ad ea defæcanda; vel ad frangendam vim. Plin. l. 14, &c. Martial. l. 12. Epig. 41.

Turbida ſollicito tranſmittere Cæcuba ſacco.

55. *Surrentina vafer qui miſcet fæce Falerna*] Nimirum ut ex Falerni bonitate aliquid contrahat Surrentinum paulò auſterius. *Falerno* lib. 1. Od. 20. *Surrentinum,* ex agro Campa-

Vina, columbino limum benè colligit ovo;
Quatenùs ima petit volvens aliena vitellus.
Toſtis marcentem ſquillis recreabis et Afrâ [678]
Potorem cochleâ: nam lactuca innatat acri
Poſt vinum ſtomacho: pernâ magis ac magis hillis
Flagitat immorſus refici: quin omnia malit,
Quæcunque immundis fervent allata popinis.
Eſt operæ pretium duplicis pernoſcere juris
Naturam. Simplex è dulci conſtat olivo:
At pingui miſcere vero muriâque decebit,
Non aliâ quàm quâ Byzantia putuit orca. [679]
Hoc ubi confuſum ſectis inferbuit herbis,
Corycióque croco ſparſum ſtetit; inſuper addes

limum bene coercet ovo columbæ: quoniam vitellus decidens in fundum, ſimul abripit aliena. Potorem languentem excitabis per ſquillas toſtas & cochleas Africanas. Etenim poſt epulas lactuca innatat acerbo ſtomacho. Quin potiùs ad edendum reſtaurari debet pernâ atque hillis vellicatus. Imo præferret cuncta que ex popinis minimè lautis afferrantur *calida. Expedit noſſe naturam juſculi mixti. Simplex* quidem *conficitur ex oleo dulci, cui oportebit immiſcere craſſum vinum & muriam non aliam quàm qua putuit orca Byzantina. Poſtquam* autem *hoc herbis conciſis mixtum* atque *incoctum eſt, & Corycio croco perfuſum conquievit, adjunge præterea*

ANNOTATIONES.

niæ prope Surrentum urbem, convaleſcentibus optimum, caput minimè tentans, ac ſtomachi & inteſtinorum rheumatiſmos cohibens: ex Plin. lib. 14. cap. 6. & lib. 23. cap. 1.

56. *Columbino limum benè colligit ovo;*] Vitellus ovi, vel, ut alii afferunt, albumen potiùs, in dolium vini turbidi conjectum, *aliena*, id eſt, fæcem omnem ad ima devolvit ſecumque detrahit; ac purum efficit vinum.

58. *Toſtis ſquillis*] Aſſis, vel frictis. *Squilla* eſt è cancrorum genere. Plin. lib. 9. cap. 42.

Afra cochlea:] Varro 3. De re ruſt. cap. 14. has commendat.

59. *Lactuca innatat acri Poſt vinum ſtomacho:*] Lactucam utpote frigidam veteres adhibebant poſt epulas & vinum, ad hujus vapores comprimendos. Unde eſt illud,

Grataque nobilium requies lactuca ciborum.

Poſteà verò contra factum, atque initio cœnæ intulerunt, ſeu ad movendam & lubricandam alvum, ſeu ad ſomnum conciliandum. Martial. lib. 11. Epig. 53.

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis.

Et lib. 13. Epig. 14.

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

60. *Hillis*] Tomaculis, lucanicis. Gall. *Andoüilles, ſauciſſes.* Ang. *Chitterlings, or ſauſages.* Varro 4. De R. R. *Hilla ab hilo, id eſt minimo dicta.* Feſtus autem, ab hira inteſtino, quod jejunum vocant, fit diminutivum hilla ſive hillum, inquit; & inde ponitur pro ſuillis inteſtinis & carnibus minutatim conciſis & arvinâ fartis; ut modò dictum.

61. *Immorſus refici:*] Ut modò, ſic & olim in conviviis adhibita ſunt quædam irritamenta gulæ, ad redintegrandam edendi appetitionem: v. g. oleæ ſale conditæ, rapæ, cappares, aliaque edulia aceto & ſinapi macerata, pernæ, &c. Vide Athen. lib. 4. Quidam explicant, *impranſus, jejunus*; abſurde quidem, ut animadverterunt doctiores: ſignificat enim id quod, *vellicatus, excitatus, punctus, pervulſus.*

63. *Duplicis pernoſcere juris Naturam.*] Simplex jus ex olivo dulci tantùm; duplex autem, ſeu mixtum, cùm inſuper illi adduntur, muria, vinum, crocum, herbæ conciſæ, &c.

65. *Muria.*] Iſidorus lib. 20. cap. 3. docet eſſe piſcium liquorem ſive liquamen ſalſum. Plin. lib. 31. cap. 7. & 8. *Aliud etiamnum*, inquit, *liquoris exquiſiti genus, quod garum vocavere, inteſtinis piſcium, cæteriſque quæ abjicienda eſſent, ſale maceratis, ut ſit illa putreſcentium ſanies.* Illud garum ſeu liquamen exquiſitum è ſcombris fiebat, & divitum erat; aliud erat pauperum vile è thunnis. Vide Martial. lib. 13.

66. *Byzantia orca.*] De eâ marinâ belluâ Plin. lib. 9. cap. 6. Quidam intelligunt thunnum, qui quidem in Boſphorum Thracium ſeu fretum Byzantinum aliquando penetrat. Alii *orcam* interpretantur vas fictile ventricoſum, ore anguſto, in quo muria reponi ſolita eſſet, quale Byzantii frequens erat uſu. Perſius eo ſenſu dixit, Sat. 3. v. 76.

Mænaque quod prima nondum defecerit orca.

Byzantia] Byzantium urbs ad Boſphorum Thracium celebratiſſima; Conſtantinopolis ſubinde appellata, hodie *Stambol.*

68. *Corycioque croco*] Corycus urbs & mons Ciliciæ optimi croci abundanter ferax. Strabo.

Stetit;] Deferbuit. Alii explicant, concrevit; quos bene redarguit Torrentius, ex eo quòd liquidum eſſe oporteat, minimè verò concretum jus, in quo piſces aliave obſonia innatent.

Preſſa

Preſſa Venafranæ quod bacca remiſit olivæ.
Picenis cedunt pomis Tiburtia ſucco:
Nam facie præſtant. Venucula convenit ollis:
Rectiùs Albanam fumo duraveris uvam:
Hanc ego cum malis, ego fæcem primus & alec,
Primus et invenior piper album cum ſale nigro
Incretum puris circumpoſuiſſe catillis.
Immane eſt vitium, dare millia terna macello,
Anguſtòque vagos piſces urgere catino.
Magna movent ſtomacho faſtidia, ſeu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit;
Sive gravis veteri crateræ limus adhæſit.
Vilibus in ſcopis, in mappis, in ſcobe, quantus

quod exprimitur è baccâ Venafranâ. Picentina poma ſucco præſtant Tiburtinis licet *pulchrioribus. Venucula uva ollis apta eſt: Albanam aptiùs fumo induraveris. Ego primus invenior in mundis patinis illam circumpoſuiſſe cum pomis, item fæcem atque alec, nec non piper candidum cum ſale nigro mixtum. Grande eſt flagitium macello tribuere tria millia* ſeſtertiûm, *& piſces vagabundos arcta patina congerere. Ingentem nauſeam ſtomacho faciunt, ſive famulus ſcyphum contrectavit ſordidis manibus, dum ligurit ſurrepta; ſive craſſior limus occupat antiquam crateram. Quam parvæ ſunt impenſæ, in ſcopis, in mappis, in ſcobe;*

ANNOTATIONES.

Inſuper addes, &c.] Poſtquam ſupradicta illa ſimul incocta ſunt, aſpergitur crocum, & affunditur oleum *Venafranum.* De hujus excellentia lib. 2. Od. 6.

70. *Picenis cedunt pomis.*] Deinceps præcepta dat ad ſecundam menſam pertinentia. *Picena* poma jam laudavit Horatius in Satirâ præced. & meminit Plinius lib. 15. cap. 15. De Tibure ac *Tiburtino* agro dixi lib. 1. Od. 7. & 18. Item lib. 2. Od. 6.

71. *Venucula convenit ollis:*] Albana uva optimè ſervatur paſſa & fumo indurata: at Venucula in ollis meliùs cuſtoditur. Hinc *ollares* uvæ apud Martial. lib. 7. Epig. 19. Item apud Columell. Hic lib. 3. cap. 2. *Uvæ,* inquit, *temporibus hyemis durabiles vaſis conduntur, ut Venuculæ.* Vide & lib. 12. cap. 43. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 20. appellat *Venuculam.* Plinius autem *Veniculam,* dicit, *ollis aptiſſimam,* lib. 14. c. 2. capite verò primo, *Durant,* inquit, *aliæ poſt hyemem, penſili concatenatæ nodo, aliæ in ſua tantum continentur anima ollis fictilibus, & inſuper doliis incluſæ . . . . aliis gratiam, qui & vinis, fumus affert fabrilis,* &c.

73. *Hanc ego cum malis,* &c.] Ego primus docui in vaſis nitidis circumponere Albanam uvam fumo exſiccatam; item alec ſeu muriam, &c. *circumpoſuiſſe:* vel ſingulis convivis aut certè binis catillum unum, vel certis locis catilla quædam communia diſponere, unde facilè acciperent plures.

Fæcem & alec,] Denotat ἓν διὰ δυοῖν: nempe vel piſces fæcatos ſeu fæce conditos; vel piſciculorum fæcem, ſeu è tabefactis illorum inteſtinis. Enimverò *alec* non eſt certi piſcis nomen; imò ſignificat minimos quoſvis piſciculos, aut certè liquamen ex iis, muriæ vel garo non abſimile.

75. *Incretum*] Vel mixtum; vel, incerniculo ſeu cribro quodam à furfure expurgatum: ab incerno, purgo.

77. *Anguſtoque vagos,* &c.] Sumptuoſo & vano luxu accumulatos piſces uno catino apponere, emptos videlicet tribus millibus ſeſtertiûm: Gall. *pour ſcixante & quinze écus de poiſſons dans un plat.*

81. *Vilibus in ſcopis,* &c.] Ut nimius ſumptus in obſoniis damnatur, ita certè negligentiam vel ſordes in vaſis ac ſupellectili nemo probaverit. Ergo calices, lances, menſam, mappas, triclinii pavimentum, toros, ac toralia, munda eſſe oportet; ut etiam præcipitur lib. 1. Epiſt. 5.

Mappis,] Erat mappa utilis ad tergendas manus tantùm; mantile, ad ſternendam ſeu tegendam menſam. Abſurdus eſto quiſquis aliter ſcripſerit. Ad convivia, ſeu privata ſeu publica, ſuam quiſque mappam detulit pridem; at mantili ſternebat menſam, qui convivium præbebat. Vide Martial. lib 12. Epigr. 29.

Scobe] Scobs eſt limatura, ſive ramentum & ſtrigmentum è materiâ quâlibet, dum vel ſerrâ diſcinditur, vel terebrâ perforatur, vel limâ imminuitur aut politur. Gall. *Limaille, ſcieure.* Ang. *Filings, pin-duſt, or ſaw-duſt.* Scobe triclinium inſpergi ſolebat, ad colligenda faciliùs poſt cœnam purgamenta, & ſcopis auferenda. Senec. Controv. lib. 9. declam. 2. *Inter purgamenta & jactus cœnantium, atque ſparſam in convivio ſcobem, humanus ſanguis everritur,* Scobs etiam pretioſa ad faſtum ſpargebatur. Lamprid. Heliogabal. *Scobe auri porticum ſtravit & argenti, dolens quod non poſſet & electri.* Adhibebatur quoque lignea ſcobs, ad atria emundanda. Juvenal. Sat. 14. v. 64.

Ergo miſer trepidas ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici;

Conſiſtit ſumptus? neglectis, flagitium ingens.
Tén' lapides varios lutulentâ radere palmâ,
Et Tyrias dare circum illota toralia veſtes? [681]
Oblitum, quanto curam ſumptúmq; minorem
Hæc habeant, tanto reprehendi juſtius illis,
Quæ niſi divitibus nequeunt contingere menſis.
Docte Cati, per amicitiam divóſque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocunque, memento.
Nam quamvis referas memori mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantumdem juveris. Adde
Vultum habitúmque hominis, quem tu vidiſſe beatus
Non magni pendis, quia contigit; at mihi cura
Non mediocris ineſt, fontes ut adire remotos, [682]
Atque haurire queam vitæ præcepta beatæ.

tam *gravis culpa* eſt, *ſi negligantur. An convenit te lapides varii* coloris *mundare palmâ cœnoſâ, & Tyria operimenta imponere toralibus immundis; immemorem quo minor ſumptus & cura eſt in his, eo redargui juſtiùs quam iis, quæ non poſſunt occurrere niſi* in *menſis divitum.* HORAT. *Erudite Cati, oro te per deos & familiaritatem* noſtram, *fac ut me deducas ad audiendum, quocunque ibis. Etenim licet memoriter enarres mihi ſingula, at renuncians haud ita prodeſt. Adde hominis vultum geſtumque, cujus tu potitus aſpectu non multi æſtimas, quoniam hoc habuiſti; ego verò magnopere cupio ignotos poſſe adire fontes, & percipere documenta vitæ fortunatæ.*

ANNOTATIONES.

Ne perfuſa luto ſit porticus: & tamen uno
Semodio ſcobis hæc emendat ſervulus unus.

Id eſt, ſervus inſpergens ſcobis ſemodium, ſtatim abradet lutum ac ſordes omnes, mundaque præſtabit atria, porticum, &c. Valeant qui ſcobem autumant utilem fuiſſe ad defricanda vaſa, dandumque iis ſplendorem.

83. *Lapides varios*] Pavimentum è verſicoloribus lapidibus et marmoribus. Vide lib. 2. Od. 14. in fine.

Palma,] Scopis è palmâ. Martial. lib. 14. Epig. 82.

In pretio ſcopas teſtatur palma fuiſſe.

84. *Tyrias veſtes;*] Stragula & periſtromata pretioſa ſeu purpurea ex urbe Tyro: de quâ lib. 3. Od. 29. in fine.

Toralia] Torus à tortis herbis dictus; quod in iis congeſtis olim ſedebant ac diſcumbebant. *Toral,* quod ante torum eſt, ex Varrone 4. De ling. Lat. puta congeſtæ herbæ, paleæ, arundinis, item lanæ, vel etiam plumæ involucrum ſeu operimentum. Itaque lecto imponebatur matta, culcita, lodix: Gall. *pailaſſe, matelas, loudier.* Hæc vero interdum contegebantur purpureis ſtragulis, ad pompam & faſtum. Cicer. Tuſcul. 5. *Collocari hominem juſſit in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo magnificis operibus picto.* Ubi tria vides, lector, diſtingui, lectum, toral, ſive ſtratum, ſtragulum, Ovid. Metam, 8.

. . . *In medio torus eſt de mollibus ulvis:*
Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto
Sternere conſuerant.

Lamprid. cit. Heliogabalus *primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit.* Ex his intelligì poteſt iſte Horatii locus ſatis commodè. Verùm magis ad rem videtur, quod *toral* ſignificat etiam ſegeſtria, ſive amictum vel tegmen linteum, tricliniari lecto circumdatum, quaſi munimen adverſus cœnantium purgamenta & jactus, atque ad cuſtodiendam à ſordibus ſtragulam pretioſam; quod quidem toral ſeu tegmen, quando ſordidum erat, lavabatur et eluebatur, ne odore fœdo ac turpi nares offenderent; ut innuitur lib. 1. Epiſt. 5.

. . . . *ne turpe toral, ne ſordida mappa*
Corruget nares.

Iſidorus, lib. 19. cap. 26. hoc ſenſu, *toralia* dicit eſſe *longas perpetuaſque mappas a toro appellatas.* Ergò hic Horatius vel potiùs Catius damnat incuriam hominis *toralia* expurgare negligentis, ſed ea *illota* & immunda *veſtibus Tyriis,* ſeu pretioſæ ſtragulæ ac purpureæ *circumdantis* & circumponentis.

91. *Adde vultum habitumque hominis,*] Seneca Epiſt. 34. *Conſpectus, & præſentia, & converſatio habet aliquid vivæ voluptatis.*

94. *Fontes remotos,*] Ipſos auctores illius doctrinæ tam excellentis mihi incognitos.

SATIRA

SATIRA V.

Deſcribit artes & inſidias captantium teſtamenta & hæreditates.

HOC quoque, Tireſia, præter narrata, petenti
Reſponde: quibus amiſſas reparare queam res
Artibus atque modis. Quid rides? Jámne, doloſe,
Non ſatis eſt Ithacam revehi, patrióſque penates [68]
Aſpicere? O nulli quidquam mentite, vides ut
Nudus inópſq; domum redeam, te vate; neq; illic
Aut apotheca procis intacta eſt, aut pecus: atqui
Et genus et virtus, niſi cum re, vilior algâ eſt.
Quando pauperiem miſſis ambagibus horres,
Accipe quâ ratione queas diteſcere. Turdus
Sive aliud primum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet domino ſene. Dulcia poma,
Et quoſcunque feret cultus tibi fundus honores,

ULYSS. *O Tireſia, præter jam reſponſa, illud etiam quæſo dic, quibus rationibus & artibus reſarcire poſſim facultates perditas. Quare rides?* TIRES. *Ergone* tibi, *verſute non ſufficit Ithacam repetere, ac reviſere domum paternam?* ULYSS. *O nemini falſa locute, cernis quemadmodum ſpoliatus & egens revertar in patriam ex tuis oraculis: nec ibi proci pepercerunt cellis aut gregibus. Verum enim & origo & virtus vilior eſt algâ, ſi opibus deſtituantur.* TIRES. *Quandoquidem ſine tergiverſatione paupertatem averſaris, audi quo pacto locupletari liceat. Si donetur tibi turdus vel quidpiam privatum, ſtatim deferatur eo ubi magnæ opes fulgent domino ætate provecto. Quoſcunque fructus exquiſitos & munera producet ager excultus,*

ANNOTATIONES.

1. *Hoc quoque, &c.*] Non ſine multo ſale perſequitur noſter ſatiricus, quibus Romæ blandimentis & artibus ſenum animos ineſcarent captatores, ut hæredes ab iis ſcriberentur. Inducit itaque Ulyſſem apud inferos cum Tireſiâ vate ſermocinantem, & poſt alia multa quærentem modos ſarciendi ſuas res afflictas. Unde eſt initium illud, *Hoc queq;* velut continuatio ſermonis, quem Ulyſſes habet conſulens Tireſiam de ſuo reditu. Apud Homer. Odyſſ. 11. vel, ſi mavis, fingit Horatius Ulyſſem ad inferos reverſum poſt amiſſa naufragio bona, rurſumq; à Tireſiâ reſponſa perſcrutari de reparandis opibus.

Tireſia,] Thebanus ille vates apud inferos etiam gratioſus Proſerpinæ fuit; quæ illi mortuo mentem firmam ac ſapientem ſoli tribuiſſe dicitur, Odyſſ. 10. ſub finem: ubi Circe Ulyſſi perſuadet ut ad inferos deſcendat Tireſiam conſulturus. Ejus meminit Cic. 1. De divin. n. 88. Tuſc. 5. n. 115. De nat. Deor. 2. 7.

2. *Amiſſas res*] Tireſias enim Ulyſſi præfixerat reditum in patriam, ſi modò ipſe ac ſocii non violarent boves Solis in Siciliâ paſcentes. Verùm illi, Ulyſſe dormiente, mactatos devorarunt. Qui naufragio perierunt conſcelerati: Ulyſſes autem nudus vix enatavit.

3. *Jamne doloſe,*] Videtur Tireſias Ulyſſi exprobare crimen ſociorum vel doloſè permiſſum, vel non ſatis diligenter ab eo impeditum.

4. *Non ſatis eſt Ithacam revehi,*] Quod maximum erat, et in votis Ulyſſis præcipuum. Cic. 1. De orat. *Patria nos delectat: ejuſque rei tanta vis eſt, ut Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum affixam ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret.*

Ithacam] Hæc inſula maris Ionii, hod. *Val di Compare*, inter Cephaleniam ad occaſum & Echinadas ad ortum, Ulyſſis patria fuit.

6. *Te vate;*] Odyſſ. 11. cit. reditum fore difficilem prænunciarat Tireſias: at mala quamvis patientes Ithacam perventuros, modò ſuum Ulyſſes ac ſociorum animum coërceret illæſique omitterentur boves Solis. Quod niſi caveret, navim ac ſocios interituros; ipſum verò calamitoſum fore, domique reperturum ſuperbos viros ipſius victum abſumentes.

7. *Apotheca*] Reconditorium, locus in quo reponitur id omne quod pertinet ad victum; ſeu fruges, ſeu vinum, &c.

Aut pecus:] Odyſſ. 1. proci Penelopes dicuntur cibo veſci alieno; atque ad epulandum mactabant boves & oves Ulyſſis, quod & Minerva queritur.

10. *Turdus.*] Vide Lib. 1. Sat. 5. & hujus Lib. Sat. 2.

11. *Primum*] Propriis deliciis reſervatum.

Ante Larem guſtet venerabilior Lare dives;
Qui quamvis perjurus erit, ſine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus; ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.
Utne tegam ſpurco Damæ latus? haud ita Trojæ [684]
Me geſſi, certans ſemper melioribus. Ergo
Pauper eris. Fortem hoc animum tolerare jubebo,
Et quondam majora tuli: tu protinus, unde
Divitias æríſque ruam, dic, augur, acervos.
Dixi equidem, & dico. Captes aſtutus ubique
Teſtamenta ſenum: neu, ſi vafer unus & alter
Inſidiatorem præroſo fugerit hamo,
Aut ſpem deponas, aut artem illuſus omittas.
Magna minórve foro ſi res certabitur olim,
Vivet uter locuples ſine natis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius eſto
Defenſor. Famâ civem cauſâque priorem
Sperne, domi ſi natus erit fœcundáve conjux. [685]
Quinte, puta, aut Publi (gaudent prænomine molles

deguſtet ea ſenex *opulentus præ Laribus colendus. Qui licet perfidus fuerit, ignobilis, fratricida, ſervus; ne tamen dubites eum aſſectari tu comes inferior, ſi petat.* ULYSS. *Egone turpis Damæ ſim aſſecla? minimè ſic vixi apud Trojam,* imò *præſtantioribus nunquam ceſſi.* TIRES. *Inops igitur vives.* ULYSS. *Imperabo animo id ferre viriliter: & pejora dudum ſuſtinui. At tu, vates, doce quamprimum, unde congeram opum cumulos.* TIRES. *Certè docui, ac repeto, callidus paſſim aucupare legata ſenum: ac ſi unus aut alter effugerit captatorem, hamo circumroſo; ne vel ſpem abjicias, vel deceptus ſtudium deſeras. Si quando* in *foro diſceptetur* de *re* ſeu *gravi* ſeu *parva; quiſquis erit dives & ſine liberis, ejus propugnator ſis, qui ſceleratus ac petulans meliorem ſponte laceſſiverit. Contemne verò civem exiſtimatione & jure potiorem, ſi liberos aut uxorem fœcundam habuerit.* Et quoniam *aures delicatæ amant prænomen,* ſic alloquere: *Quinte, ſcilicet, vel Publi,*

ANNOTATIONES.

14. *Ante Larem*] Laribus Diis fructuum primitias deferebant. Vide lib. 2. Od. 23. & hujus lib. Sat. 3. v. 165.

15. *Sine gente,*] Nullis majoribus, qui jam claruerint; homo novus, libertus, libertinus. Cic. Topic. n. 22. *Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem ſunt nomine ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo ſervitutem ſerviivit, qui capite non ſunt diminuti.*

17. *Comes exterior,*] Inferiori parte incedens, honoris deferendi cauſâ. *Interior* comes, qui ad dextram, *exterior* qui ad lævam.

18. *Utne tegam*] Gall. *Moy? je ſervirois à eſtaſier à un coquin?* Abhorret magnus Ulyſſis animus à ſordidâ & infami illâ diteſcendi ratione. *Latus* alicui *tegere* dicitur, qui virum honoratum vel ſtipat ut ſatelles, vel comitatur ut aſſecla: atque ad ejus capeſſenda imperia eſt expeditus.

Damæ] Servi nomen eſt diminut. à Demetrio. Vide lib. 1. Sat. 6. item Perſ. Sat. 6. v. 76, & 79.

19. *Certans melioribus.*] Virtute & gloriâ contendens cum Agamemnone & Ajace, &c.

20. *Fortem hoc animum,* &c.] Paupertatis ærumnas ferre conabor potiùs quàm vitæ ſceleratæ infamiam. Aliter vulgò interpretantur, ſed abſurdè planè, qui decorum & notos Ulyſſis mores prave immutari velint ab Horatio, contra id quod ipſe tam luculenter præcipit, Epiſt. ad Piſ. v. 119.

21. *Tu protinus,* &c.] Ne mihi illude, vates optime; turpem res perditas reparandi modum ne propone: meliora quæſo verba profer, meoque nomine dignas rationes doce.

22. *Dixi equidem, & dico.*] Satiricus in inſtituto pergit, atque per veridicum vatem effert quicquid reipſa fiebat turpiter Romæ paſſim ab improbis teſtamentorum captatoribus.

25. *Præroſo fugerit hamo,*] Sicut piſcis eſcam prærodens, hamum verò non arripiens: ità fortè quiſpiam veterator mentem tuam intelligens callidè operâ tuâ, officiis tuis ac donis abutetur, nec te ſcribet hæredem; ſed ne ſtatim deſpera, nec ab incœpto deſiſte; ſic enim rem aliquando facies, ac ſi unus effugerit, alios captabis.

28. *Vivet uter,* &c.] Conſidera uter litigantium vivet locuples & ſine gnatis; atque huic cauſam licet deteriorem habenti auxiliatorem te acriter præſta.

31. *Sperne, domi ſi natus erit,* &c.] Juvenal. Sat. 5. v. 140.

Jucundum & carum ſterilis facit uxor amicum.

32. *Quinte, puta, aut Publi.*] Ejuſmodi prænomine erant nobilium duntaxat; Gall.

Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum:
Jus anceps novi: cauſas defendere poſſum:
Eripiet quivis oculos citiùs mihi, quàm te
Contemptum caſsâ nuce pauperet. Hæc mea cura eſt,
Ne quid tu perdas, neu ſis jocus. Ire domum, atq;
Pelliculam curare jube: ſi cognitor ipſe:
Perſta, atq; obdura; ſeu rubra canicula findet
Infantes ſtatuas; ſeu pingui tentus omaſo
Furius hybernas canâ nive conſpuet Alpes.
Nónne vides (aliquis cubito ſtantem propè tangens [686]
Inquiet) ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?
Plures annabunt thynni, & cetaria creſcent.

tua virtus amicum tibi me devinxit: jus controverſum caleo: cauſas orare valeo: quilibet oculos mihi eruet, priuſquam te victum defraudet nuce vacuâ. Iſta mea eſt ſolicitudo, ut nihil amittas, neve ludibrio habearis. Mox *ſuade ut domum ſe recipiat, & genio indulgeat.* Interim *tum-ac procurator eſto; labora & plrſevera, ſive ardens canicula diſſecabit mutas imagines, ſive Furius obeſo ventre diſtentus Alpes hyemes conſperget albis nivibus.* Tum enim *quiſpiam proximum cubito pulſans monebit: An non advertis quàm ille patiens, quàm ſedulus, quàm amicis* ſit *commodus?* Mox *adnatabunt thynni plurimi, & augeſcent piſcinæ.*

ANNOTATIONES.

Monſeigneur, Porrò virum honoratum aſſentatores prænomine ſalutabant: at familiares cognomine ſe invicem appellabant: ut, *Cæſar Pulcro.*

Molles auriculæ.] Aſſentationibus aſſuetæ.

34. *Jus anceps.*] Quod in utramque partem ſæpiùs trahi poteſt. Unde *varium & controverſum* dicit Tullius. Verum *juris ignoratio potiùs litigioſa eſt quàm ſcientia*, inquit ipſe, De legib. 1.

36. *Caſſa nuce*] Re qualibet inani & minimâ.

38. *Si cognitor ipſe:*] Cauſæ ipſius cognitionem, curam, defenſionem ſuſcipe. *Cognitor* dicitur, qui præſentis cauſam novit, & ſic tuetur ut ſuam, inquit Aſcon. in 1. Verr. Porrò, *ſi* eſt imperandi modus a ſio, quo & Plautus non ſemel uſus eſt. Alii legunt *ſis*.

39. *Seu rubra canicula, &c.*] Æſtatis & hyemis incommoda, æſtum & frigus, ſuſtine patienter. De *canicula* alibi dixi.

Findet Infantes ſtatuas;] Ut acriori gelu finduntur lapides, ſic etiam æſtu dicit findi *ſtatuas* lapideas, ligneas, &c. quas & *infantes* vocat. Dura ſane dictio, quam eſſe crediderim inſulſi cujuſdam poetæ nobis ignoti, ac notari proſcindique ab Horatio: quemadmodum & mox Furii metaphoram, *conſpuet*.

40. *Pingui tentus omaſo*] Omaſum inteſtinum, pro ventre, Synecd. Ita Perſ. Sat. 1. Calvi poetæ *aqualiculam ſeſquipede extantem* ridet.

41. *Furius hybernas, &c.*] Parodia eſt Furiani verſiculi, quem ut duriorem carpit Horatius: ſimiliter & notat Quintil. lib. 8. cap. 6. Furius nempe hyemem diſcribens, dixerat,

Jupiter hybernas cana nive conſpuit Alpes.

Cæterùm poeta ille cognomento Bibaculus ſummo ingenio & in primis lepido fuiſſe narratur, ut non minorem laudem tulerit quàm Catullus aut Horatius. Certè quædam ex eo mutuari atque imitari Virgilius non dubitavit. Cremonæ natum aiunt, iiſdem temporibus, quibus Lucilius & Sext. Turpilius interierunt: & in carmine iambico egregiè verſatum. P. Crinit. lib. 2. De poet. Lat. cap. 31. Macrob. Saturnal. lib. 6. Quintil. lib. 10 cap. 1. Gell. lib. 18. cap. 11. Crinitus cit. hos Furii verſus affert de villa Tuſculana Catonis, quæ propter æs alienum creditoribus ceſſerat.

Catonis modò, Galle, Tuſculanum
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati ſumus unicum magiſtrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes ſolvere poſſe quæſtiones,
Nullum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

42. *Nonne vides (aliquis, &c.*] Hæc ſi feceris, aliquis ſeni aſtans tuam ſedulitatem laudabit, dicetque ei, Videſne hominis tibi addicti ſtudium & laborem, &c.

Cubito tangens.] Perſ. Sat. 4. v. 34.

Eſt prope te ignotus cubito qui tangat, &c.

44. *Plures annabunt thynni,*] Plures exinde ſenes opulenti accedent ad te, priorem tuam diligentiam aſſiduaque officia contemplati, ſeq; ultrò ſuaſque res tuæ fidei curæ committent. *Thynni* ſunt piſces grandiores, vitæ brevis, &c. Plin lib. 9. cap. 15. Cum his aptè comparantur ſenes oplibus potentes, ut & captator cum piſcatore. Similiter Juvenal. Sat. 12. v. 122. orbum ſenem ab inſidiatore captum dicit *incluſum carcere naſſæ*. Sic habet:

. . . . . . ſi Libitinam evaſerit æger,
Delebit tabulas incluſus carcere naſſæ,
Poſt meritum ſanè mirandum.

Porrò ſi aliquis filium valetudine parum firmâ educet ac nutriat inter opulentam familiam; ne aperta cœlibis obſervantia te detegat, ſenſim per officia perveni ad ſpem, ut hæres ſubſtituaris; ac ſi caſus aliquis puerum ad inferos demiſerit, locum vacantem ſubeas. Iſte ludus valde raro fruſtratur. At *quicunque tabulas offeret tibi legendas, cura recuſare atque à te codices rejicere: ita nihilo minus ut obliquis* oculis *inſpicias quid prima* tabula *cerata edicat in ſecundâ lineâ. Celeri aſpectu obſerva,* an *ſolus an cum pluribus* ſis *hæres.* Enim verò *nonnunquam ſcriba ex quinqueviro factus biantem corvum fruſtrabatur, & Naſica inſidiator Corono ludum præbebit.* ULYSS. *An inſanis, an ſciens ludificaris me involuta reſpondendo?* TIRES. *O Laërtis fili, quodcunque prænunciavero, vel ſiet vel non.*

Si cui præterea validus malè filius in re
Præclarâ ſublatus aletur; ne manifeſtum
Cœlibis obſequium nudet te, leniter in ſpem
Arrepe officioſus, ut et ſcribare ſecundus
Hæres, & ſi quis caſus puerum egerit Orco, [687]
In vacuum venias. Perrarò hæc alea fallit.
Qui teſtamentum tradet tibi cunque legendum,
Abnuere, et tabulas à te removere memento:
Sic tamen ut limis rapias quid prima ſecundo
Cera velit verſu: ſolus multiſne cohæres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatòrque dabit riſus Naſica Corano.
Num furis, an prudens ludis me, obſcura canendo?
O Laërtiade, quicquid dicam, aut erit, aut non,

ANNOTATIONES.

Cetaria creſcent.] Allegoria. Cete, Ciceroni piſtrices, ſunt piſces maximi: hinc *cetaria* ſunt vivaria ſeu piſcinæ, in quibus aluntur magni quilibet piſces.

46. *Sublatus aletur*;] Propriè: nam infantes olim in lucem modò editi humi deponebantur. Tum tollebantur, utque ut adoleſcerent educandi tradebantur, ſi placerent parentibus: dicebanturque ſublati. Alii contrà ſpernebantur, jubebanturq; exponi, ac fortunæ permitti, ſeu in viâ publicâ, ſeu in ſylvà, ſeu in ripâ maris aut fluminis.

Ne manifeſtum Cœlibis obſequium nudet te.] Ne homini uxore carenti officium frequentius exhibitum patefaciat mentem tuam atque inſidias, prodentur age & cautè; paulatim ejus animum demerere, ne ſuſpicioni locum des.

48. *Secundus Hæres,*] Secundo gradu hæres, ſubſtitutus hæredi ſeu filio parùm valenti, ſi hæreditatem non adierit; ut tum ſuccedas ei fortè e vivis excedenti, vacuumque locum occupes.

49. *Egerit Orco,*] Morti addixerit. Orcus inferorum fluvius eſt quibuſdam, aliis eſt Cerberus, Ciceroni eſt ipſe Pluto 3. De nat. Deor. n. 43. ab ὅρκος *juramentum* quod nihil ſit religioſius, quàm cum per Stygiam paludem juratur. Feſtus ſcribit *orcbum*, & ab urgendo vult dici, quod ad mortem urgeat.

50. *Perrarò hæc alea fallet.*] Rarò fit ut inanis ſit labor iſte, & ars captandi: imò ferè ſemper optatum ſortitur eventum.

52. *Tabulas à te removere memento:*] Callide nimirùm, ne ſuſpicioſus videare.

53. *Rapias*] Raptim & celeriter legas & obſerves.

Prima cera] In ceratis tabulis olim ſcribebant, ut jam dictum lib. 1. Sat. 10. ubi de ſtylo. Itaque *prima cera* ſignificat primam teſtamenti paginam. Vide Sueton. Nero cap. 17.

Secundo verſu:] In primo verſu nomen teſtatoris, in ſecundo hæredis nomen, in imo ſubſtitutiones ſcribebantur.

55. *Recoctus Scriba ex quinque viro*] Senex quidam exercitatus ac peritus rerum, vafer, aſtutus; utpote qui diu ſcriba fuerit, ac magiſtratus etiam in provincias comitatus ſit: vel in municipiis quinquevir extiterit, publica interdum aliqua adminiſtratione & procuratione functus: à numero dicti Duumviri, Triumviri, &c.

56. *Corvum deludet hiantem,*] Captatorem alienæ hæreditati inhiantem eludet, non ſecus ac vulpes corvum in Æſopi fabulâ.

57. *Dabit riſus Naſica Corano,*] Deceptus captator ludibrio erit omnibus, quemadmodum Naſica olim deluſus Corano ſeni. Vide infrà.

58. *Num furis,*] An more vatum furore correptus? an ſanus & tui compos?

59. *Laërtiade,*] Ulyſſes filius Laërtis, Ithacæ & Dulichii inſularum rex: vir facundus, vafer bellicoſus, laborum patientiſſimus, inter Græcos principes eximius, ab Homero totâ Odyſſeâ celebratus.

Aut erit, aut non.] Magna hîc inter doctores etiam controverſia. Alii contendunt, ſerio loqui Horatium, ſive Tireſiam hoc ſenſu: cæteri vates loquuntur obſcura & per ambages; ego verò loquor apertè & ſine ambagibus; quodque futurum prædico, erit; & contra non erit quicquid dico non futurum. Alii volunt jocari Horatium, & ſatiricè irridere ambigua vatum reſponſa.

Di-

Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
Quid tamen iſta velit ſibi fabula, ſi licet, ede. [688]
Tempore quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demiſſum genus Æneâ, tellure maríque
Magnus erit; forti nubet procera Corano
Filia Naſicæ metuentis reddere ſoldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas ſocero dabit, atq;
Ut legat, orabit. Multùm Naſica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget; inveniétq; [689]
Nil ſibi legatum, præter plorare, ſuíſque.
Illud ad hæc jubeo: mulier ſi fortè doloſa,
Libertúſve ſenem delirum temperet; illis
Accedas ſocius: laudes, lauderis ut abſens.
Adjuvat hoc quoque: ſed vincit longè priùs ipſum
Expugnare caput. Scribet mala carmina vecors?
Laudato. Scortator erit? cave te roget: ultro
Penelopen facilis potiori trade. Putáſne,
Perduci poterit tam frugi támque pudica,
Quam nequiêre proci recto depellere curſu?
Venit enim magnum donandi parca juventus,
Nec tantùm Veneris, quantùm ſtudioſa culinæ.

Quippè magnus Apollo dat mihi vaticinandi peritiam. ULYSS. *Attamen ſi fas eſt, dic quid ſignificet hæc fabula.* TIRES. *Quo tempore adoleſcens Parthis formidoloſus, propagata ſoboles ab excelſo Ænea, terra & mari potens extiſtet, ſtrenuo Corano locabitur grandis filia Naſicæ detrectantis exſolvere integrum* debitum. *Tum gener hoc aget: teſtamentum offeret ſocero, rogabitq; ut legat. Naſica diu recuſatum tandem capiet, ac leget ſecretò; videbitq; nihil ſibi & ſuis relictum, niſi fletus. Iſtis hæc monita addo. Si fortè aſtuta fœmina vel libertus regat ſenem delirantem, adjunge te his ſocium & lauda eos, ut abſentem ii te laudent.* Nam *& hoc prodeſt: verum multò utilius eſt ipſum hominem captare.* Qui *ſi demens inconditos faciat verſus, applaude.* Si *mœchus fuerit,* ne *te oret, cave: ſponte ei potiori* tuam *Penelopen facilis dona.* ULYSS. *An credis tam probam & caſtam poſſe flecti, quam proci à recta via dimovere non potuerunt?* TIRES. Scilicet *ad eam acceſſere juvenes haud liberaliter munifici, neque tam amoris, quàm gulæ ſectatores.*

ANNOTATIONES.

62. *Tempore quo, &c.*] Tireſias deſignat non tantùm perſonas & nomina, ſed & tempus ipſum, quo res eventuræ ſunt; quod alii vates non ſolent facere. Horatius autem aptè inducit Tireſiam velut divinantem ac prædicentem futura, quæ nuper facta eo tempore noſcebantur. Sunt in Æneide multa ejuſmodi longinqua egregiè à Virgilio tempori accommodata: pendetque ex hoc non minima lux ac virtus poëſeos. Vide Æneid. 6. ſub finem.

Juvenis Parthis horrendus,] Auguſtus: de cujus in Parthos victoriâ, terrore, famâ, receptiſque ſignis, lib 3. Od. 5. & lib. 4. Od. 15.

Ab alto Demiſſum genus Æneâ,] De Auguſti origine lib. 4. Od. 5. & lib. 4. Od. 15. in fine.

64 *Forti Coranò,*] Juvenal. Sat. 16. v. 54. meminit pariter Corani. Sic habet:

——Ergo Coranum
Signorum comitem caſtrorumque æra merentem,
Quamvis jam tremulus captat pater.

65. *Naſicæ metuentis reddere ſoldum.*] Naſica avarus pecuniam mutuò acceperat à Corano ſene perinde avaro, ſed aſtutiore; cumque fugeret exſolvere debitum, filiam tradidit; ſperans inſuper, atque ita captans Corani hæreditatem. Naſicæ mentem Coranus intellexit, ſibiq; mimum fecit è deluſâ inſidiatoris captatione. Neque modò nihil teſtamento reliquit, ſed & voluit Naſicam reſcire nihil ſibi legatum; atque ex ejus dolore ac mœſtitiâ gaudium ſibi affatim riſumque dedit.

Soldum.] Seu dotem filiæ, ſeu debitam dudum ſummam pecuniæ integram.

66. *Gener ſocero,*] Coranus Naſicæ. Ironiæ plena animadverte paſſim verba; eoq; magis, quod ſeria prorsùs & gravis dictio videtur. Sic & paulò antè, *nubet procera forti Corano Filia Naſicæ, &c.*

67. *Multum Naſica negatas, &c.*] Callidè nimirùm ex more captatorum, ad amovendam ſuſpicionem, ut antè jam dictum.

69. *Sibi ſuiſque.*] Nec ſibi, nec filiæ ſuæ.

76. *Putaſne Perduci poterit*] Perſuaderi ac pellici in adulterium. Penelopes uxoris Ulyſſis invictam pudicitiam totus Homerus cantat. Porrò, ſicut priùs *Damæ latus tegere* Ulyſſes recuſavit, ita & ſuam Penelopen turpiter addicere multò magis negare intelligendus.

79. *Venit enim magnum donandi, &c.*] Muneribus expugnari ſæpe caſtitatem notat.

80. *Studioſa culinæ.*] Suprà annotat. v. 71

Hinc pudicam habes Penelopen: quæ ſi ſemel delibârit ex uno ſene, lucri partem nacta tecum, vix unquam amovebitur, velut canis ab uncto corio. Dum ſenex eram, contigit id quod enarrabo: Apud Thebas vetula quædam malitioſa ad ſepulcrum ſic elata eſt ex teſtamento: hæres nudis humeris portavit cadaver oleo multo perfuſum: nempe ſi poſſet mortua effugere: quia, ut opinor, nimiis officiis vivam proſecutus fuerat. Callidus accede: nec labori parce, nec plus æquo urge. Verboſus ſponte diſplicebit moroſo & difficili: ne vero taceas. Eſto Davus comicus: permane inflexo capite, valde ſimilis timenti: per officia irrepe. Si ventus acrior ingruat, admone ut carum caput operiat diligenter. Defende à turbâ objectis humeris: aurem accommoda garrulo. Quod ſi *pluſculum laudari amat; inſta, atque inflatum utrem imple verbis adulatoriis, donec elatis ſurſum manibus dicat: Heus, ſatis eſt. Quando* verò *te liberaverit diuturnâ ſervitute & ſollicitudine, ac verè experrectus audiveris, Ulyſſes eſto hæres quartæ partis;* tum exclama, *Igitur non extat amplius amicus Dama? Repete* verò *identidem, Ubi reperiam æquè fidum, æquè conſtantem? ſique vales,*

Sic tibi Penelope frugi eſt: quæ ſi ſemel uno
De ſene guſtârit, tecum partita lucellum,
Ut canis à corio nunquam abſterrebitur uncto.
Me ſene, quod dicam, factum eſt: anus improba Thebis [690]
Ex teſtamento ſic eſt elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres:
Scilicet elabi ſi poſſet mortua; credo,
Quòd nimium inſtiterat viventi. Cautus adito:
Neu deſis operæ, neve immoderatus abundes.
Difficilem & moroſum offendet garrulus ultro:
Non etiam ſileas. Davus ſis comicus, atque
Stes capite obſtipo, multùm ſimilis metuenti:
Obſequio graſſare: mone, ſi increbuit aura,
Cautus utì velet carum caput: extrahe turbâ
Oppoſitis humeris: aurem ſubſtringe loquaci.
Importunus amat laudari? donec, Ohe! jam
Ad cœlum manibus ſublatis, dixerit, urge, et
Creſcentem tumidis infla ſermonibus utrem.
Cùm te ſervitio longo curâque levârit; [691]
Et certùm vigilans, Quartæ ſit partis Ulyſſes,
Audieris, hæres: Ergo nunc Dama ſodalis (lem?
Nuſquam eſt? unde mihi tam fortem, tamq; fide-
Sparge ſubinde: et, ſi, paulùm, potes, illacrymare. Eſt

ANNOTATIONES.

83. *Ut canis à corio, &c.*] Canibus venaticis ad venationem excitandis dari ſolet captæ feræ corium recens detractum & ſanguinolentum, cujus appetentiſſimi cognoſcuntur.

84. *Me ſene, quod dicam, &c.*] Aliud Tireſiæ monitum ad demerendum teſtatoris animum, ſcilicet frequentioribus ac nimiis officiis non eſſe urgendum.

Anus improba Thebis] Anus quædam ita eſt captata, ut captatorem importunum ac moleſtum averſaretur. Itaque cùm non poſſet viva, ſaltem mortua ulciſci voluit. Cavit nimirùm ſuo teſtamento, ut cadaver multo perunctum oleo nudis humeris hæres efferret, quaſi elabi cupiens, illumq; legatis fraudare. Ea quippe conditio erat; ut ſi portanti cadaver, portans hæreditate excideret.

Thebis] Non una eſt hujus nominis civitas. Alia caput Thebaidis, Hecatompylos dicta, in Ægypto, hodie *Minio*: ſed hîc mentio eſt de aliâ in Bœotiâ, hodie *Stives*, Heptapylos cognominatâ, patriâ Herculis, Bacchi, Pindari, Epaminondæ, Tireſiæ vatis, &c.

91. *Non etiam ſileas.*] Ne contrà nimis taciturnum te exhibeas.

Davus ſis comicus,] Talis eſto, qualis Davus comicus, qui timidè & verecundè ſemper herum alloquitur.

92. *Capite obſtipo,*] In alterum humerum inclinato & immoto: quod hominem notat modeſtum, ſubditum, & obſequi paratiſſimum.

95. *Aurem ſubſtringe loquaci.*] Accinge te ad audiendas quaſcunque ejus narrationes, moleſtas licet & graves. Apage qui interpretatur, adulatoriè prehende auriculam.

98. *Creſcentem tumidis infla ſermonibus*] Homini vano adulationibus gaudenti affatim tribue & indulge, donec ille, velut plenus vento uter, ampliùs non expetat; imò dicat, Ohe, ſatis eſt.

99. *Cùm te ſervitio, &c. levârit.*] Per mortem ſuam.

Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum
Permiſſum arbitrio ſine ſordibus extrue: funus
Egregiè factum laudet vicinia. Si quis
Fortè cohæredum ſenior malè tuſſiet; huic tu
Dic, ex parte tuâ, ſeu fundi, ſive domûs ſit
Emptor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperioſa trahit Proſerpina. Vive, valéque.

effunde lacbrymas aliquot: oportet ficto vultu occultare lætitiam. Sepulcrum tuæ voluntati commiſſum ædifica ſumptuoſe. Vicini celebrent præclarè factas exſequias. Quòd ſi aliquis cohæredum ætate provectus laboret tuſſi periculoſâ, ſive prædium, ſive domum emere velit, huic tu dic lætè quidem *ſeſtertio te* ei *traditurum partem tuam. At me Proſerpina dominatrix* jam *revocat. Vive, & vale.*

ANNOTATIONES.

180. *Ex parte tuâ,*] Ex parte hæreditatis tibi relictæ.

109. *Gaudentem nummo te addicere.*] Alii ſic explicant: Dic te pecuniam malle quam fundum, ideoque libenter te venditurum. Alii interpretantur de fictâ & ſimulatâ venditione. Lex nempe vetabat rem teſtamento legatam donare. At legi fraudem faciebant, uno rem nummo addicentes. Sic enim res verè empta & vendita dicebatur.

Sed me Imperioſa trahit Proſerpina.] Aptè omninò ſermo abrumpitur, ne Ulyſſes loquatur id, quod loqui decorè non poterat. Benè verò Tireſiam repentè revocat Proſerpina, uxor Plutonis, & inferorum domina, pro ſuo in mortuos ſummo imperio. Vide lib. 1. Od. 28. item Virg. Æn. 6. v. 545.

SATIRA VI.

Sorte ſuâ mediocri contentum ſe eſſe. Otium ruſticum præſtat urbanis tumultibus & moleſtiis.

HOC erat in votis: modus agri non ita magnus; [692]
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquæ fons,
Et paulùm ſilvæ ſuper his foret. Auctius atque
Dii melius fecere. Benè eſt: nihil amplius oro,
Maiâ nate, niſi ut propria hæc mihi munera faxis.
Si neque majorem feci ratione malâ rem,
Nec ſum facturus vitio culpâve minorem;

HORAT. *Illud fuerat in optatis: menſura agri non valde ampla, ubi eſſet hortus & fons aquæ perennis domui propinquus, ac nemus aliquod præter iſta. Dii amplius ac melius* quidpiam *conceſſerunt. Abundè eſt. O fili Maiæ, nihil ultra peto, niſi ut iſta bona mihi perpetua facias.* Ergò *ſi nec opes auxi malis artibus, nec abſumpturus ſum peccatis ac ſceleribus;*

ANNOTATIONES.

1. *Hoc erat in votis:*] Lepida eſt hæc ſatira, & quædam præcepta morum habet valde luculenta: nonnulla etiam grati animi teſtimonia erga Mæcenatem.

Modus agri.] Modicum prædium. Virgil. Georg. 2. v. 412.

Laudato ingentia rura: Exiguum colito.

Columel. *Modus erit ſua cuique moderata voluntas facultaſque.* Vide Plin. lib. 18. cap. 5. & 6. *Modum agri imprimis ſervandum antiqui cenſuere, &c.*

3. *Auctius atque Dii melius fecere.*] De viliâ Horatianâ lib. 1. Epiſt. 16. Jamque de eâ ante nonnihil lib. 1. Od. 7. lib. 2. Od. 18. lib. 3. Od. 13. & Epod. 1.

4. *Nihil amplius oro,*] Vide lib. 3. Od. 16.

Bene eſt cui Deus obtulit
Parcâ quod ſatis eſt manu.

& Epod. 1.

Satis ſuperque me benignitas tua ditavit.

5. *Maiâ nate,*] Mercurium præcipue colit & invocat Horatius, memor frequentis ejus tutelæ: de quâ lib. 2. Od. 7. & 13. &c.

Si veneror ſtultus nihil horum: O ſi angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O ſi urnam argenti fors qua mihi monſtret! ut
illi, [693]
Theſauro invento, qui mercenarius agrum 11
Illum ipſum mercatus aravit, dives amico
Hercule: ſi, quod adeſt, gratum juvat; hâc prece te
Pingue pecus domino facias, et cætera, præter (oro,
Ingenium; utq; ſoles, cuſtos mihi maximus adſis.
Ergò ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,
Quid priùs illuſtrem ſatiris muſâq; pedeſtri? 17
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auſter,
Autumnúſve gravis, Libitinæ quæſtus acerbæ.

ſi nihil inſanus efflagito ejuſmodi: O ſi angulus iſte vicinus, qui agrum meum *de format, adjungatur; O ſi fortuna alicubi oſtendat mihi urnam pecuniâ* re'ertam, *quemadmodum ei, qui, cum theſaurum invéniſſet, Hercule propitio locupletatus, emit & coluit eundem agrum,* quem antea colebat *conductus: ſi contentus ſum iis, quæ habeo; à te peto tantùm hoc,* ut *pingues efficias greges, & alia, præter ingenium; atque, ut conſuevisti, adſis mihi tutor perpetuus. Itaque poſtquam ex urbe ſeceſſi in colles & arcem, quid potiùs exornem quàm ſatiras & muſam pedeſtrem? Illic neque me prava corrumpit ambitio, neque gravis Auſter, vel autumnus morbiſer, lucrum præſtans duræ Libitinæ.*

ANNOTATIONES.

8. *Veneror*] Enixè & votis importunis expoſco. Quidam legunt *venor*, ſed perperàm.

O ſi angulus ille] O ſi haberem partem illam agri vicini, quæ meum agrum inæqualem reddit. Perſius Sat. 6. v. 13. hunc imitatus eſt Horatii locum.

9. *Denormat*] Vitruv. lib. 7. *Anguli ad normam reſpondentes exigantur: longitudines ad regulam, altitudines ad perpendiculum.*

10. *O ſi urnam argenti, &c.*] O ſi theſaurum terræ infoſſum inveniam. Perſ. Sat. 2. v. 20.

——— O ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria, dextro
Hercule.

Porrò theſaurus definitur quædam vetus depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat; etenim theſaurus cenſetur, quod metûs vel cuſtodiæ causâ terræ infoſſum conditumque fuerit.

12. *Amico Hercule:*] Hic lucro inopinato & recludendis theſauris præeſſe credebatur. Diodor. Sic. lib. 5. cap. 2. Macrob. lib. 3. cap 12. Plutarch. problem. Arnob. lib. 4.

24. *Præter Ingenium;*] Ludit in ambiguâ ſignificatione vocis *pingue*. Senſus eſt; ne verò ingenium etiam facias pingue, id eſt, craſſum, hebes, ſtupidum.

15. *Cuſtos mihi maximus adſis*] Poëtæ nimirùm in tutelâ ſunt Mercurii. lib. 2. Od. 1. & 17.

16. *In arcem*] Villam Tuſculanam in edito colle ſitam. Epod. 1. ſub finem. Item lib. 1. Epiſt. 16.

17. *Quid priùs illuſtrem ſatiris, &c.*] Sunt qui ſic interpretentur: Quid priùs canam, & carminibus celebrem, quam deos agreſtes, Satyros, Faunos, &c. Vide lib. 3. Od. 18. Alii melliùs: Quid aptiùs ſcribam, quàm ſatiras, oratione quidem ſtrictâ, ſed quæ ſolutæ ſimilis videatur & vulgari *ſermoni propior:* ac proinde *muſa pedeſtris* vocari queat. Vide lib. 1. Sat. 4. v. 40. & ſeq.

18. *Plumbeus Auſter,*] Gravia & tardiora efficiens corpora. Lib. 2. Od. 14.

Fruſtra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.

19. *Autumnuſve gravis,*] Juvenal. Sat. 4. *lethiferum* appellat: bene quidem, tunc enim acutiores morbi ſunt & frequentiores. Hippocrat. Gal. &c. Idem. Sat. 6. v. 516.

——— metuique jubet Septembris & Auſtri
Adventum.

Cur autem Horatius in ſuâ villâ non metuat Auſtrum in autumno, quamvis noxium, ipſe explicat Epiſt. 16. ſita nempe illa opportunè & ſalubriter haud excipiebat peſtilentes Auſtri flatus.

Hæ latebræ dulces, etiam, ſi credis, amœnæ
Incolumem tibi me præſtant Septembribus horis.

Libitinæ quæſtus acerbæ.] Pluribus enim in autumno morientibus, majorem quæſtum habent ii, qui funeribus procurandis incumbunt, dicti Libitinarii à Libitinâ funerum deâ: de qua lib. 3. Od. 30. Seneca 6. De beneficiis, comparat vota eorum, qui teſtamenta captant, cum votis Libitinariorum: nempe utrique lucri gratiâ mortem hominum cupiunt, etiam amicorum. Huc verò præcipuè facit, quod ex inſtituto Servii Tulli, Rom. regis, naſcentes recenſebantur in æde Junonis Lucinæ; puberes in Juventæ; morientes in Veneris Libitinæ: nummo quidem pro ſingulis delato. Dionyſ. Halic. lib. 4. Hinc Sueton. Neron. cap. 39. *Tantis ex principe malis probriſque acceſſerunt quædam & fortuita: peſtilentia unius autumni, quâ triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.*

Matutine

Matutine pater, ſeu Jane libentiùs audis,
Unde homines operum primos vitæque labores
Inſtituunt (ſic Diis placitum) tu carminis eſto
Principium. Romæ ſponſorem me rapis: Eja,
Ne prior officio quiſquam reſpondeat, urge:
Sive Aquilo radit terras, ſeu bruma nivalem [695]
Interiore diem gyro trahit, ire neceſſe eſt.
Poſtmodo quod mî obſit clarè certúmque locuto
Luctandum in turbâ: facienda injuria tardis.

O Pater Matutine, ſive mavis, Jane, à quo homines exordiuntur primos labores actuoſæ vitæ (ita numinibus placet) tu initium ſis verſuum meorum. Quando *Romæ* ſum, *me fidejuſſorem eſſe cogis: Eja*, inquis, *propera, ne quiſquam officioſior ante reſpondeat. Sive Aquilo ſtringat terras, ſive hyems contrahat dies nivoſos orbe interiori, oportet ire. Poſteà verò quam apertè & manifeſtè dixi quod mihi noceat, cogor contra turbam: vis facienda lentis.*

ANNOTATIONES.

20. *Matutine pater,*] Janus dicitur *Matutinus* à Matutâ, ſive Aurorâ: & quod manè primus invocaretur, ut qui temporibus præſit, ac velut rerum omnium incipiendarum auctor. Arnob. lib. 3. *Quem in cunctis ante ponitis precibus.* Et alibi: *Incipiamus ergo ſolemniter ab Jano & nos patre.*

Pater,] *Janum vocamus* Patrem *quaſi deorum Deum,* inquit Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 1.

Jane] Sic appellatur, quod quaſi janua ſit ad novum annum, imo ad menſes ſingulos; omniaque regat tempora. Macrob. cit.

Libentiùs audis,] Seu mavis appellari Jani nomine. Deos ſuos pluribus inſigniebant appellationibus, honoris vel aſſentationis causâ. Macrob. *In ſacris invocamus Janum geminum, Janum patrem, Janum Junonium, Janum Quirinum, Janum Conſivium, Janum Patulcium & Cluſium, &c.* Sic & Horat. Carm. ſecul.

Lenis Ilithyia tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

22. *Sic Diis placitum*] Ut præſideas temporibus & primis hominum laboribus, deſque iis felix auſpicium: Quippe tu *in Italia primum Diis templa feciſti, & ritus inſtituiſti ſacrorum: unde in ſacrificiis præfationem meruiſti perpetuam.* Macrob. jam cit.

Carminis eſto Principium.] Fave mihi hanc ſatiram exordienti, in qua urbanæ vitæ incommoda à matutinis horis perſequor.

23. *Romæ ſponſorem me rapis:*] Hoc primum eſt incommodum, quòd pro aliis ſpondere frequenter neceſſe ſit, ac forenſibus tumultibus intereſſe.

24. *Ne prior officio*] Ne deſis amico, acriter ſubveni, laborantem in judicio tuere & juva: officium præbe, ſive per hyemis frigora, ſive per anguſtias dierum breviſſimorum.

25. *Aquilo*] Septentrionalis ventus, à vehementiſſimo inſtar aquilæ volatu dictus, ex Feſto. Græcis Boreas, ἀπὸ τῆς βοῆς, à boatu: quoniam ſit violenti flatus & ſonori. Gell. lib. 2. cap. 22.

Brumâ] A dierum brevitate dicitur, ex Varrone & Feſt. Alii factum nomen putant à βραχὺ ἦμαρ, *brevis dies,* Macrob. Sat. 1. Iſidor. lib. 5. Jul. Scalig. lib. 1. De cauſ. L. L. *Bruma,* ſive ſolſtitium hyemale, ex Ovid. Faſt. 1. eſt dies.

Prima novi, veteriſque noviſſima ſolis.

26. *Interiore gyro*] Breviori curſu & ambitu: circulum minorem, utpote qui centro propior ſit, ſole in Capricorno decurrente, ac breviores hinc dies faciente. Scil. in ſphæra noſtrâ obliquâ hyemalis tropicus ita ab horizonte interſecatur, ut minor pars ſupra terram, major autem ſub terra exiſtat. Cic. 2. De nat. Deor. Cynoſura, inquit ex Arato,

Curſu interiori brevi convertitur orbe.

Ire neceſſe eſt.] Ad ſpondendum pro altero.

27. *Poſtmodò quod mî obſit, &c.*] Alterum eſt incommodum; quod poſtquam ſpoſpondi, vix è turbâ me eripere liceat; quodque luctandum & jurgandum ſit cum obviis & remorantibus.

Quod mî obſit] Certè rarò eſt expers moleſtiæ & damni quiſquis pro altero ſpondet. Proverb. cap. 6. *Si ſpoſponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuum; illaqueatus ex verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus.* Bias ſapienter admodum dicebat: *Sponde, noxa præſtò eſt.* Cic. Epiſt. ad Brut. *Dependendum tibi eſt quod mihi pro illo ſpoſpondiſti.*

Clarè certumque locuto] Debet enim ſponſio ac fidejuſſio præſtari diſertis verbis & ſine ambagibus. Alii locum hunc minùs rectè intelligunt de advocatione & peroratione cauſarum: afferuntque verba Tullii De petit. conſul. *Nonnullos eſſe tibi iratos ex iis cauſis quas egiſti, neceſſe eſt:* & alibi, *Quos læſiſti, cum pro amico contra eos diceres.*

28. *Facienda injuria tardis.*] In forenſi turbâ pulſare oportet & objurgare tardiùs euntes, dum inde quamprimum exire contendo,

Ante Larem guſtet venerabilior Lare dives ;
Qui quamvis perjurus erit, ſine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus ; ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.
Utne tegam ſpurco Damæ latus ? haud ita Trojæ [624]
Me geſſi, certans ſemper melioribus. Ergo
Pauper eris. Fortem hoc animum tolerare jubebo,
Et quondam majora tuli : tu protinus, unde
Divitias æríſque ruam, dic, augur, acervos.
Dixi equidem, & dico. Captes aſtutus ubique
Teſtamenta ſenum : neu, ſi vafer unus & alter
Inſidiatorem præroſo fugerit hamo,
Aut ſpem deponas, aut artem illuſus omittas.
Magna minórve foro ſi res certabitur olim,
Vivet uter locuples ſine natis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius eſto
Defenſor. Famâ civem cauſâque priorem
Sperne, domi ſi natus erit fœcundáve conjux. [625]
Quinte, puta, aut Publi (gaudent prænomine molles

deguſtet ea ſenex opulentus præ Laribus colendus. Qui licet perfidus fuerit, ignobilis, fratricida, ſervus ; ne tamen dubites eum aſſectari tu comes inferior, ſi petat. ULYSS. *Egone turpis Damæ ſim aſſecla ? minimè ſic vixi apud Trojam, imò præſtantioribus nunquam ceſſi.* TIRES. *Inops igitur vives.* ULYSS. *Imperabo animo id ferre viriliter : & pejora dudum ſuſtinui. At tu, vates, doce quamprimum, unde congeram opum cumulos.* TIRES. *Certè docui, ac repeto, callidus paſſim aucupare legata ſenum : ac ſi unus aut alter effugerit captatorem, hamo circumroſo ; ne vel ſpem abjicias, vel deceptus ſtudium deſeras. Si quando in foro diſceptetur* de *re* ſeu *gravi* ſeu *parva ; quiſquis erit dives & ſine liberis, ejus propugnator ſis, qui ſceleratus ac petulans meliorem ſponte laceſſiverit. Contemne verò civem exiſtimatione & jure potiorem, ſi liberos aut uxorem fœcundam habuerit.* Et quoniam *aures delicatæ amant prænomen,* ſic alloquere : *Quinte, ſcilicet, vel Pub.i,*

ANNOTATIONES.

14. *Ante Larem*] Laribus Diis fructuum primitias defeiebant. Vide lib. 2. Od. 23. & hujus lib. Sat. 3. v. 165.

15. *Sine gente,*] Nullis majoribus, qui jam claruerint ; homo novus, libertus, libertinus. Cic. Topic. n. 22. *Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem ſunt nomine ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit, qui capite non ſunt diminuti.*

17. *Comes exterior,*] Inferiori parte incedens, honoris deferendi cauſâ. *Interior* comes, qui ad dextram, *exterior* qui ad lævam.

18. *Utne tegam*] Gall. *Moy ? je ſervirois à eſtaſier à un coquin ?* Abhorret magnus Ulyſſis animus à ſordidâ & infami illâ diteſcendi ratione. *Latus* alicui *tegere* dicitur, qui virum honoratum vel ſtipat ut ſatelles, vel comitatur ut aſſecla : atque ad ejus capeſſenda imperia eſt expeditus.

Damæ] Servi nomen eſt diminut. à Demetrio. Vide lib. 1. Sat. 6. item Perſ. Sat. 6. v. 76, & 79.

19. *Certans melioribus.*] Virtute & gloriâ contendens cum Agamemnone & Ajace, &c.

20. *Fortem hoc animum,* &c.] Paupertatis ærumnas ferre conabor potiùs quàm vitæ ſceleratæ infamiam. Aliter vulgò interpretantur, ſed abſurdè planè, qui decorum & notos Ulyſſis mores prave immutari velint ab Horatio, contra id quod ipſe tam luculenter præcipit, Epiſt. ad Piſ. v. 119.

21. *Tu protinus,* &c.] Ne mihi illude, vates optime ; turpem res perditas reparandi modum ne propone : meliora quæſo verba profer, meoq; nomine dignas rationes doce.

22. *Dixi equidem, & dico.*] Satiricos in inſtituto pergit, atque per veridicum vatem effert quicquid reipſa fiebat turpiter Romæ paſſim ab improbis teſtamentorum captatoribus.

25. *Præroſo fugerit hamo,*] Sicut piſcis eſcam prærodens, hamum verò non arripiens : ità fortè quiſpiam veterator mentem tuam intelligens callidè operâ tuâ, officiis tuis ac donis abutetur, nec te ſcribet hæredem ; ſed ne ſtatim deſpera, nec ab incœpto deſiſte ; ſic enim rem aliquando facies, ac ſi unus effugerit, alios captabis.

28. *Vivet uter,* &c.] Conſidera uter litigantium vivet locuples & ſine gnatis ; atque huic cauſam licet deteriorem habenti auxiliatorem te acriter præſta.

31. *Sperne, domi ſi natus erit,* &c.] Juvenal. Sat. 5. v. 140.

Jucundum & carum ſterilis facit uxor amicum.

32. *Quinte, puta, aut Publi.*] Ejuſmodi prænomine erant nobilium duntaxat ; Gall.

Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum:
Jus anceps novi: cauſas defendere poſſum:
Eripiet quivis oculos citiùs mihi, quàm te
Contemptum caſsâ nuce pauperet. Hæc mea cura eſt,
Ne quid tu perdas, neu ſis jocus. Ire domum, atq;
Pelliculam curare jube: ſi cognitor ipſe:
Perſta, atq; obdura; ſeu rubra canicula findet
Infantes ſtatuas; ſeu pingui tentus omaſo
Furius hybernas canâ nive conſpuet Alpes.
Nónne vides (aliquis cubito ſtantem propè tangens [686]
Inquiet) ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?
Plures annabunt thynni, & cetaria creſcent.

tua virtus amicum tibi me devinxit: jus controverſum caleo: cauſas orare valeo: quilibet oculos mihi eruet, priuſquam te victum defraudes nuce vacuâ. Iſta mea eſt ſolicitudo, ut nihil amittas, neve ludibrio habearis. Mox ſuade ut domum ſe recipiat, & genio indulgeat. Interim *tum ut procurator eſto; labora & perſevera, ſive ardens canicula diſſecabit mutas imagines, ſive Furius obeſo ventre diſtentus Alpes hyeme conſperget albis nivibus.* Tum enim *quiſpiam proximum cubito pulſans monebit: An non advertis quàm ille patiens, quàm ſedulus, quàm amicis* ſit *commodus?* Mox *adnatabunt thynni plurimi, & augeſcent piſcinæ.*

ANNOTATIONES.

Monſeigneur, Porrò virum honoratum aſſentatores prænomine ſalutabant: at familiares cognomine ſe invicem appellabant: ut, *Cæſar Pulcro.*

Molles auriculæ.] Aſſentationibus aſſuetæ.

34. *Jus anceps.*] Quod in utramque partem ſæpiùs trahi poteſt. Unde *varium & controverſum* dicit Tullius. Verum *juris ignoratio potiùs litigioſa eſt quàm ſcientia*, inquit ipſe, De legib. 1.

36. *Caſſa nuce*] Re qualibet inani & minimâ.

38. *Si cognitor ipſe:*] Cauſæ ipſius cognitionem, curam, defenſionem ſuſcipe. *Cognitor* dicitur, qui præſentis cauſam novit, & ſic tuetur ut ſuam, inquit Aſcon. in 1. Verr. Porrò, *ſi* eſt imperandi modus a ſio, quo & Plautus non ſemel uſus eſt. Alii legunt *ſis*.

39. *Seu rubra canicula, &c.*] Æſtatis & hyemis incommoda, æſtum & frigus, ſuſtine patienter. De *canicula* alibi dixi.

Findet Infantes ſtatuas;] Ut acriori gelu finduntur lapides, ſic etiam æſtu dicit findi *ſtatuas* lapideas, ligneas, &c. quas & *infantes* vocat. Dura ſane dictio, quam eſſe crediderim inſulſi cujuſdam poetæ nobis ignoti, ac notari proſcindique ab Horatio: quemadmodum & mox Furii metaphoram, *conſpuet*.

40. *Pingui tentus omaſo*] Omaſum inteſtinum, pro ventre, Synecd. Ita Perſ. Sat. 1. Calvi poetæ *aqualiculam ſeſquipede extantem* ridet.

41. *Furius hybernas, &c.*] Parodia eſt Furiani verſiculi, quem ut duriorem carpit Horatius: ſimiliter & notat Quintil. lib. 8. cap. 6. Furius nempe hyemem diſcribens, dixerat,

Jupiter hybernas cana nive conſpuit Alpes.

Cæterùm poeta ille cognomento Bibaculus ſummo ingenio & in primis lepido fuiſſe narratur, ut non minorem laudem tulerit quàm Catullus aut Horatius. Certè quædam ex eo mutuari atque imitari Virgilius non dubitavit. Cremonæ natum aiunt, iiſdem temporibus, quibus Lucilius & Sext. Turpilius interierunt: & in carmine iambico egregiè verſatum. P. Crinit. lib. 2. De poet. Lat. cap. 31. Macrob. Saturnal. lib. 6. Quintil. lib. 10 cap. 1. Gell. lib. 18. cap. 11. Crinitus cit. hos Furii verſus affert de villa Tuſculana Catonis, quæ propter æs alienum creditoribus ceſſerat.

Catonis modò, Galle, Tuſculanum
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati ſumus unicum magiſtrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes ſolvere poſſe quæſtiones,
Nullum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratteis.

42. *Nonne vides (aliquis, &c.*] Hæc ſi feceris, aliquis ſeni aſtans tuam ſedulitatem laudabit, dicetque ei, Videſne hominis tibi addicti ſtudium & laborem, &c.

Cubito tangens.] Perſ. Sat. 4. v. 34.

Eſt prope te ignotus cubito qui tangat, &c.

44. *Plures annabunt thynni,*] Plures exinde ſenes opulenti accedent ad te, priorem tuam diligentiam aſſiduaque officia contemplati, ſeq; ultrò ſuaſque res tuæ fidei curæ committent. *Thynni* ſunt piſces grandiores, vitæ brevis, &c. Plin lib. 9. cap. 15. Cum his aptè comparantur ſenes oplibus potentes, ut & captator cum piſcatore. Similiter Juvenal. Sat. 12. v. 122. orbum ſenem ab inſidiatore captum dicit *incluſum carcere naſſæ*. Sic habet:

. . . . . . ſi Libitinam evaſerit æger,
Delebit tabulas incluſus carcere naſſæ,
Poſt meritum ſanè mirandum.

Si

Porrò ſi aliquis filium valetudine parum firmâ educet ac nutriat inter opulentam familiam; ne aperta cœlibis obſervantia te detegat, ſenſim per officia perveni ad ſpem, ut hæres ſubſtituaris; ac ſi caſus aliquis puerum ad inferos demiſerit, locum vacantem ſubeas. Iſte ludus valde raro fruſtratur. At *quicunque tabulas offeret tibi legendas, cura recuſare atque à te codices rejicere: ita nihilo minus ut obliquis* oculis *inſpicias quid prima* tabula *cerata edicat in ſecundâ lineâ. Celeri aſpectu obſerva,* an *ſolus an cum pluribus* ſis *hæres.* Enim verò *nonnunquam ſcriba ex quinqueviro factus biantem corvum fruſtrabatur, & Naſica inſidiator Corono ludum præbebit.* ULYSS. *An inſanis, an ſciens ludificaris me involuta reſpondendo?* TIRES. *O Laërtis fili, quodcunque prænunciavero, vel fiet vel non.*

Si cui præterea validus malè filius in re
Præclarâ ſublatus aletur; ne manifeſtum
Cœlibis obſequium nudet te, leniter in ſpem
Arrepe officioſus, ut et ſcribare ſecundus
Hæres, & ſi quis caſus puerum egerit Orco, [687]
In vacuum venias. Perrarò hæc alea fallit.
Qui teſtamentum tradet tibi cunque legendum,
Abnuere, et tabulas à te removere memento:
Sic tamen ut limis rapias quid prima ſecundo
Cera velit verſu: ſolus multiſne cohæres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatòrque dabit riſus Naſica Corano.
Num furis, an prudens ludis me, obſcura canendo?
O Laërtiade, quicquid dicam, aut erit, aut non,

ANNOTATIONES.

Cetaria creſcent.] Allegoria. Cete, Ciceroni piſtrices, ſunt piſces maximi: hinc *cetaria* ſunt vivaria ſeu piſcinæ, in quibus aluntur magni quilibet piſces.

46. *Sublatus aletur;*] Propriè: nam infantes olim in lucem modò editi humi deponebantur. Tum tollebantur, utque ut adoleſcerent educandi tradebantur, ſi placerent parentibus: dicebanturque ſublati. Alii contrà ſpernebantur, jubebanturq; exponi, ac fortunæ permitti, ſeu in viâ publicâ, ſeu in ſylvà, ſeu in ripâ maris aut fluminis.

Ne manifeſtum Cœlibis obſequium nudet te.] Ne homini uxore carenti officium frequentius exhibitum patefaciat mentem tuam atque inſidias, prodentur age & cautè; paulatim ejus animum demerere, ne ſuſpicioni locum des.

48. *Secundus Hæres,*] Secundo gradu hæres, ſubſtitutus hæredi ſeu filio parùm valenti, ſi hæreditatem non adierit; ut tum ſuccedas ei fortè e vivis excedenti, vacuumque locum occupes.

49. *Egerit Orco,*] Morti addixerit. Orcus inferorum fluvius eſt quibuſdam, aliis eſt Cerberus, Ciceroni eſt ipſe Pluto 3. De nat. Deor. n. 43. ab ὅρκος *juramentum* quod nihil ſit religioſius, quàm cum per Stygiam paludem juratur. Feſtus ſcribit *orcbum,* & ab urgendo vult dici, quod ad mortem urgeat.

50. *Perrarò hæc alea fallet.*] Rarò fit ut inanis ſit labor iſte, & ars captandi: imò ferè ſemper optatum ſortitur eventum.

52. *Tabulas à te removere memento:*] Callide nimirùm, ne ſuſpicioſus videare.

53. *Rapias*] Raptim & celeriter legas & obſerves.

Prima cera] In ceratis tabulis olim ſcribebant, ut jam dictum lib. 1. Sat. 10. ubi de ſtylo. Itaque *prima cera* ſignificat primam teſtamenti paginam. Vide Sueton. Nero cap. 17.

Secundo verſu:] In primo verſu nomen teſtatoris, in ſecundo hæredis nomen, in imo ſubſtitutiones ſcribebantur.

55. *Recoctus Scriba ex quinque viro*] Senex quidam exercitatus ac peritus rerum, vafer, aſtutus; utpote qui diu ſcriba fuerit, ac magiſtratus etiam in provincias comitatus ſit: vel in municipiis quinquevir extiterit, publica interdum aliqua adminiſtratione & procuratione functus: à numero dicti Duumviri, Triumviri, &c.

56. *Corvum deludet biantem,*] Captatorem alienæ hæreditati inhiantem eludet, non ſecus ac vulpes corvum in Æſopi fabulâ.

57. *Dabit riſus Naſica Corano,*] Deceptus captator ludibrio erit omnibus, quemadmodum Naſica olim deluſus Corano ſeni. Vide infrà.

58. *Num furis,*] An more vatum furore correptus? an ſanus & tui compos?

59. *Laërtiade,*] Ulyſſes filius Laërtis, Ithacæ & Dulichii inſularum rex: vir facundus, vafer bellicoſus, laborum patientiſſimus, inter Græcos principes eximius, ab Homero totâ Odyſſeâ celebratus.

Aut erit, aut non.] Magna hîc inter doctores etiam controverſia. Alii contendunt, ſerio loqui Horatium, ſive Tireſiam hoc ſenſu: cæteri vates loquuntur obſcura & per ambages; ego verò loquor apertè & ſine ambagibus; quodque futurum prædico, erit; & contra non erit quicquid dico non futurum. Alii volunt jocari Horatium, & ſatiricè irridere ambigua vatum reſponſa.

Di-

Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
Quid tamen iſta velit ſibi fabula, ſi licet, ede. [688]
Tempore quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demiſſum genus Æneâ, tellure maríque
Magnus erit; forti nubet procera Corano
Filia Naſicæ metuentis reddere ſoldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas ſocero dabit, atq;
Ut legat, orabit. Multùm Naſica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget; inveniétq; [689]
Nil ſibi legatum, præter plorare, ſuíſque.
Illud ad hæc jubeo: mulier ſi fortè doloſa,
Libertúſve ſenem delirum temperet; illis
Accedas ſocius: laudes, lauderis ut abſens.
Adjuvat hoc quoque: ſed vincit longè priùs ipſum
Expugnare caput. Scribet mala carmina vecors?
Laudato. Scortator erit? cave te roget: ultro
Penelopen facilis potiori trade. Putáſne,
Perduci poterit tam frugi támque pudica,
Quam nequiêre proci recto depellere curſu?
Venit enim magnum donandi parca juventus,
Nec tantùm Veneris, quantùm ſtudioſa culinæ.

Quippè magnus Apollo dat mihi vaticinandi peritiam. ULYSS. *Attamen ſi fas eſt, dic quid ſignificet hæc fabula.* TIRES. *Quo tempore adoleſcens Parthis formidoloſus, propagata ſoboles ab excelſo Ænea, terra & mari potens exiſtet, ſtrenuo Corano locabitur grandis filia Naſicæ detrectantis exſolvere integrum* debitum. *Tum gener hoc aget: teſtamentum offeret ſocero, rogabitq; ut legat. Naſica diu recuſatum tandem capiet, ac leget ſecretò; videbitq; nihil ſibi & ſuis relictum, niſi fletus. Iſtis hæc monita addo. Si fortè aſtuta fœmina vel libertus regat ſenem delirantem, adjunge te his ſocium & lauda* eos, *ut abſentem* ii *te laudent.* Nam *& hoc prodeſt: verum multò utilius eſt ipſum hominem captare.* Qui *ſi demens inconditos faciat verſus, applaude.* Si *mœchus fuerit,* ne *te oret, cave: ſponte ei potiori tuam Penelopen facilis dona.* ULYSS. *An credis tam probam & caſtam poſſe flecti, quam proci à recta via dimovere non potuerunt?* TIRES. Scilicet *ad eam acceſſere juvenes haud liberaliter munifici, neque tam amoris, quàm gulæ ſectatores.*

ANNOTATIONES.

62. *Tempore quo, &c.*] Tireſias deſignat non tantùm perſonas & nomina, ſed & tempus ipſum, quo res eventuræ ſunt; quod alii vates non ſolent facere. Horatius autem aptè inducit Tireſiam velut divinantem ac prædicentem futura, quæ nuper facta eo tempore noſcebantur. Sunt in Æneide multa ejuſmodi longinqua egregiè à Virgilio tempori accommodata: pendetque ex hoc non minima lux ac virtus poëſeos. Vide Æneid. 6. ſub finem.

Juvenis Parthis horrendus,] Auguſtus: de cujus in Parthos victoriâ, terrore, famâ, receptiſque ſignis, lib 3. Od. 5. & lib. 4. Od. 15.

Ab alto Demiſſum genus Æneâ,] De Auguſti origine lib. 4. Od. 5. & lib. 4. Od. 15. in fine.

64 *Forti Coranò,*] Juvenal. Sat. 16. v. 54. meminit pariter Corani. Sic habet:

———*Ergo Coranum*
Signorum comitem caſtrorumque æra merentem,
Quamvis jam tremulus captat pater.

65. *Naſicæ metuentis reddere ſoldum.*] Naſica avarus pecuniam mutuò acceperat à Corano ſene perinde avaro, ſed aſtutiore; cumque fugeret exſolvere debitum, filiam tradidit; ſperans inſuper, atque ita captans Corani hæreditatem. Naſicæ mentem Coranus intellexit, ſibiq; minimum fecit è deluſâ inſidiatoris captatione. Neque modò nihil teſtamento reliquit, ſed & voluit Naſicam reſcire nihil ſibi legatum; atque ex ejus dolore ac mœſtitiâ gaudium ſibi affatim riſumque dedit.

Soldum.] Seu dotem filiæ, ſeu debitam dudum ſummam pecuniæ integram.

66. *Gener ſocero,*] Coranus Naſicæ. Ironiæ plena animadverte paſſim verba; eoq; magis, quod ſeria prorsùs & gravis dictio videtur. Sic & paulò antè, *nubet procera forti Corano Filia Naſicæ, &c.*

67. *Multum Naſica negatas, &c.*] Callidè nimirùm ex more captatorum, ad amovendam ſuſpicionem, ut antè jam dictum.

69. *Sibi ſuiſque.*] Nec ſibi, nec filiæ ſuæ.

76. *Putaſne Perduci poterit*] Perſuaderi ac pellici in adulterium. Penelopes uxoris Ulyſſis invictam pudicitiam totus Homerus cantat. Porrò, ſicut priùs *Damæ latus tegere* Ulyſſes recuſavit, ita & ſuam Penelopen turpitèr addicere multò magis negare intelligendus.

79. *Venit enim magnum donandi, &c.*] Muneribus expugnari ſæpe caſtitatem notat.

80. *Studioſa culinæ.*] Suprà annotat. v. 7.

Sic tibi Penelope frugi eſt : quæ ſi ſemel uno
De ſene guſtârit, tecum partita lucellum,
Ut canis à corio nunquam abſterrebitur uncto.
Me ſene, quod dicam, factum eſt : anus improba Thebis [690]
Ex teſtamento ſic eſt elata : cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres :
Scilicet elabi ſi poſſet mortua ; credo,
Quòd nimium inſtiterat viventi. Cautus adito :
Neu deſis operæ, neve immoderatus abundes.
Difficilem & moroſum offendet garrulus ultro :
Non etiam ſileas. Davus ſis comicus, atque
Stes capite obſtipo, multùm ſimilis metuenti :
Obſequio graſſare : mone, ſi increbuit aura,
Cautus utì velet carum caput : extrahe turbâ
Oppoſitis humeris : aurem ſubſtringe loquaci.
Importunus amat laudari ? donec, Ohe ! jam
Ad cœlum manibus ſublatis, dixerit, urge, et
Creſcentem tumidis infla ſermonibus utrem.
Cùm te ſervitio longo curâque levârit ; [691]
Et certùm vigilans, Quartæ ſit partis Ulyſſes,
Audieris, hæres : Ergo nunc Dama ſodalis (lem ?
Nuſquam eſt ? unde mihi tam fortem, tamq; fide-
Sparge ſubinde: et,ſi,paulùm, potes,illacrymare. Eſt

Hinc pudicam habes Penelopen : quæ ſi ſemel delibârit ex uno ſene, lucri partem nacta tecum, vix unquam amovebitur, velut canis ab uncto corio. Dum ſenex eram, contigit id quod enarrabo : Apud Thebas vetula quædam maliti.ſa ad ſepulcrum ſic elata eſt ex teſtamento : hæres nudis humeris portavit cadaver oleo multo perfuſum : nempe ſi poſſet mortua effugere : quia, ut opinor, nimiis officiis vivam proſecutus fuerat. Callidus accede : nec labori parce, nec plus æquo urge. Verboſus ſponte diſplicebit moroſo & difficili : ne vero taceas. Eſto Davus comicus : permane inflexo capite, valde ſimilis timenti : per officia irrepe. Si ventus acrior ingruat, admone ut carum caput operias diligenter. Defende à turbâ objectis humeris : aurem accommoda garrulo. Quod ſi *pluſculum laudari amat ; inſta, atque inflatum utrem imple verbis adulatoriis, donec elatis ſurſum manibus dicat : Heus, ſatis eſt. Quando verò te liberaverit diuturnâ ſervitute & ſollicitudine, at verè experrectus audiveris, Ulyſſes eſto hæres quartæ partis ;* tum exclama, *Igitur non extat ampliùs amicus Dama ? Repete* verò *identidem, Ubi reperiam æquè fidum, æquè conſtantem ? ſique vales,*

ANNOTATIONES.

83. *Ut canis à corio, &c.*] Canibus venaticis ad venationem excitandis dari ſolet captæ feræ corium recens detractum & ſanguinolentum, cujus appetentiſſimi cognoſcuntur.

84. *Me ſene, quòd dicam, &c.*] Aliud Tireſiæ monitum ad demerendum teſtatoris animum, ſcilicet frequentioribus ac nimiis officiis non eſſe urgendum.

Anus improba Thebis] Anus quædam ita eſt captata, ut captatorem importunum ac moleſtum averſaretur. Itaque cùm non poſſet viva, ſaltem mortua ulciſci voluit. Cavit nimirùm ſuo teſtamento, ut cadaver multo perunctum oleo nudis humeris hæres efferret, quaſi elabi cupiens, illumq; legatis fraudare. Ea quippe conditio erat ; ut ſi portanti cadaver, portans hæreditate excideret.

Thebis] Non una eſt hujus nominis civitas. Alia caput Thebaidis, Hecatompylos dicta, in Ægypto, hodie *Minio* : ſed hîc mentio eſt de aliâ in Bœotiâ, hodie *Stives*, Heptapylos cognominatâ, patriâ Herculis, Bacchi, Pindari, Epaminondæ, Tireſiæ vatis, &c.

91. *Non etiam ſileas.*] Ne contrà nimis taciturnum te exhibeas.

Davis ſis comicus,] Talis eſto, qualis Davus comicus, qui timidè & verecundè ſemper herum alloquitur.

92. *Capite obſtipo,*] In alterum humerum inclinato & immoto : quod hominem notat modeſtum, ſubditum, & obſequì paratiſſimum.

95. *Aurem ſubſtringe loquaci.*] Accinge te ad audiendas quaſcunque ejus narrationes, moleſtas licet & graves. Apage qui interpretatur, adulatoriè prehende auriculam.

98. *Creſcentem tumidis infla ſermonibus*] Homini vano adulationibus gaudenti affatim tribue & indulge, donec ille, velut plenus vento uter, ampliùs non expetat ; imò dicat, Ohe, ſatis eſt.

99. *Cum te ſervitio, &c. levârit.*] Per mortem ſuam.

Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum
Permiſſum arbitrio ſine ſordibus extrue: funus
Egregiè factum laudet vicinia. Si quis
Fortè cohæredum ſenior malè tuſſiet; huic tu
Dic, ex parte tuâ, ſeu fundi, ſive domûs ſit
Emptor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperioſa trahit Proſerpina. Vive, valéque.

effunde lacbrymas aliquot: oportet ficto vultu occultare lætitiam. Sepulcrum tuæ voluntati commiſſum ædifica ſumptuoſe. Vicini celebrent præclarè factas exſequias. Quòd ſi aliquis cohæredum ætate provectus laboret tuſſi periculoſâ, ſive prædium, ſive domum emere velit, huic tu dic lætè quidem *ſeſtertio te ei traditurum partem tuam. At me Proſerpina dominatrix* jam *revocat. Vive, & vale.*

ANNOTATIONES.

180. *Ex parte tuâ,*] Ex parte hæreditatis tibi relictæ.

109. *Gaudentem nummo te addicere.*] Alii ſic explicant: Dic te pecuniam malle quam fundum, ideoque libenter te venditurum. Alii interpretantur de fictâ & ſimulatâ venditione. Lex nempe vetabat rem teſtamento legatam donare. At legi fraudem faciebant, uno rem nummo addicentes. Sic enim res verè empta & vendita dicebatur.

Sed me Imperioſa trahit Proſerpina.] Aptè omninò ſermo abrumpitur, ne Ulyſſes loquatur id, quod loqui decorè non poterat. Bene verò Tireſiam repentè revocat Proſerpina, uxor Plutonis, & inferorum domina, pro ſuo in mortuos ſummo imperio. Vide lib. 1. Od. 28. item Virg. Æn. 6. v. 545.

SATIRA VI.

Sorte ſuâ mediocri contentum ſe eſſe. Otium ruſticum præſtat urbanis tumultibus & moleſtiis.

HOC erat in votis: modus agri non ita magnus; [692]
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquæ fons,
Et paulùm ſilvæ ſuper his foret. Auctius atque
Dii melius fecere. Benè eſt: nihil amplius oro,
Maiâ nate, niſi ut propria hæc mihi munera faxis.
Si neque majorem feci ratione malâ rem,
Nec ſum facturus vitio culpâve minorem;

HORAT. *Illud fuerat in optatis: menſura agri non valde ampla, ubi eſſet hortus & fons aquæ perennis domui propinquus, ac nemus aliquod præter iſta. Dii amplius ac melius quidpiam conceſſerunt. Abundè eſt. O fili Maiæ, nihil ultra peto, niſi ut iſta bona mihi perpetua facias. Ergò ſi nec opes auxi malis artibus, nec abſumpturus ſum peccatis ac ſceleribus;*

ANNOTATIONES.

1. *Hoc erat in votis:*] Lepida eſt hæc ſatira, & quædam præcepta morum habet valde luculenta: nonnulla etiam grati animi teſtimonia erga Mæcenatem.

Modus agri.] Modicum prædium. Virgil. Georg. 2. v. 412.

Laudato ingentia rura: Exiguum colito.

Columel. *Modus erit ſua cuique moderata voluntas facultaſque.* Vide Plin. lib. 18. cap. 5. & 6. *Modum agri inprimis ſervandum antiqui ataveere, &c.*

3. *Auctius atque Dii melius fecere.*] De viliâ Horatianâ lib. 1. Epiſt. 16. Jamque de eâ ante nonnihil lib. 1. Od. 7. lib. 2. Od. 18. lib. 3. Od. 13. & Epod. 1.

4. *Nihil amplius oro,*] Vide lib. 3. Od. 16.

Bene eſt cui Deus obtulit
Parcâ quod ſatis eſt manu:

& Epod. 1.

Satis ſuperque me benignitas tua ditavit.

5. *Maiâ nate,*] Mercurium præcipue colit & invocat Horatius, memor frequentis ejus tutelæ: de quâ lib. 2. Od. 7. & 13. &c.

ſi nihil inſanus efflagito ejuſmodi: O ſi angulus iſte vicinus, qui agrum meum *deformat, adjungatur; O ſi fortuna alicubi oſtendat mihi urnam pecuniâ refertam, quemadmodum ei, qui, cum theſaurum inveniſſet, Hercule propitio locupletatus, emit & coluit eundem agrum,* quem antea colebat *conductus: ſi contentus ſum iis, quæ habeo; à te peto tantùm hoc,* ut *pingues efficias greges, & alia, præter ingenium; atque, ut conſueviſti, adſis mihi tutor perpetuus. Itaque poſtquam ex urbe ſeceſſi in colles & arcem, quid potiùs exornem quàm ſatiras & muſam pedeſtrem? Illic neque me prava corrumpit ambitio, neque gravis Auſter, vel autumnus morbifer, lucrum præſtans duræ Libitinæ.*

Si veneror ſtultus nihil horum: O ſi angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O ſi urnam argenti fors qua mihi monſtret! ut illi, [693]
Theſauro invento, qui mercenarius agrum 11
Illum ipſum mercatus aravit, dives amico
Hercule: ſi, quod adeſt, gratum juvat; hâc prece te oro,
Pingue pecus domino facias, et cætera, præter
Ingenium; utq; ſoles, cuſtos mihi maximus adſis.
Ergò ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,
Quid priùs illuſtrem ſatiris muſâq; pedeſtri? 17
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auſter,
Autumnúſve gravis, Libitinæ quæſtus acerbæ.

ANNOTATIONES.

8. *Veneror*] Enixè & votis importunis expoſco. Quidam legunt *venor*, ſed perperàm.

O ſi angulus ille] O ſi haberem partem illam agri vicini, quæ meum agrum inæqualem reddit. Perſius Sat. 6. v. 13. hunc imitatus eſt Horatii locum.

9. *Denormat*] Vitruv. lib. 7. *Anguli ad normam reſpondentes exigantur: longitudines ad regulam, altitudines ad perpendiculum.*

10. *O ſi urnam argenti, &c.*] O ſi theſaurum terræ infoſſum inveniam. Perſ. Sat. 2. v. 10.

——— *O ſi*
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria, dextro
Hercule.

Porrò theſaurus definitur quædam vetus depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat; etenim theſaurus cenſetur, quod metûs vel cuſtodiæ causâ terræ infoſſum conditumque fuerit.

12. *Amico Hercule:*] Hic lucro inopinato & recludendis theſauris præeſſe credebatur. Diodor. Sic. lib. 5. cap. 2. Macrob. lib. 3. cap 12. Plutarch. problem. Arnob. lib. 4.

24. *Præter Ingenium;*] Ludit in ambiguâ ſignificatione vocis *pingue*. Senſus eſt; ne verò ingenium etiam facias pingue, id eſt, craſſum, hebes, ſtupidum.

15. *Cuſtos mihi maximus adſis*] Poëtæ nimirùm in tutelâ ſunt Mercurii. lib. 2. Od. 1. & 17.

16. *In arcem*] Villam Tuſculanam in edito colle ſitam. Epod. 1. ſub finem. Item lib. 1. Epiſt. 16.

17. *Quid priùs illuſtrem ſatiris, &c.*] Sunt qui ſic interpretentur: Quid priùs canam, & carminibus celebrem, quam deos agreſtes, Satyros, Faunos, &c. Vide lib. 3. Od. 18. Alii meliùs: Quid aptiùs ſcribam, quàm ſatiras, oratione quidem ſtrictâ, ſed quæ ſolutæ ſimilis videatur & vulgari *ſermoni propior*: ac proinde *muſa pedeſtris* vocari queat. Vide lib. 1. Sat. 4. v. 40. & ſeq.

18. *Plumbeus Auſter,*] Gravia & tardiora efficiens corpora. Lib. 2. Od. 14.

Fruſtra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.

19. *Autumnuſve gravis,*] Juvenal. Sat. 4. *lethiferum* appellat: bene quidem, tunc enim acutiores morbi ſunt & frequentiores. Hippocrat. Gal. &c. Idem. Sat. 6. v. 516.

——— *metuique jubet Septembris & Auſtri*
Adventum.

Cur autem Horatius in ſuâ villâ non metuat Auſtrum in autumno, quamvis noxium, ipſe explicat Epiſt. 16. ſita nempe illa opportunè & ſalubriter haud excipiebat peſtilentes Auſtri flatus.

Hæ latebræ dulces, etiam, ſi credis, amœnæ
Incolumem tibi me præſtant Septembribus horis.

Libitinæ quæſtus acerbæ.] Pluribus enim in autumno morientibus, majorem quæſtum habent ii, qui funeribus procurandis incumbunt, dicti Libitinarii à Libitinâ funerum deâ: de qua lib. 3. Od. 30. Seneca 6. De beneficiis, comparat vota eorum, qui teſtamenta expectant, cum votis Libitinariorum: nempe utrique lucri gratiâ mortem hominum cupiunt, etiam amicorum. Huc verò præcipuè facit, quod ex inſtituto Servii Tulli, Rom. regis, naſcentes recenſebantur in æde Junonis Lucinæ; puberes in Juventæ; morientes in Veneris Libitinæ: nummo quidem pro ſingulis delato. Dionyſ. Halic. lib. 4. Hinc Sueton. Neron. cap. 39. *Tantis ex principe malis probriſque acceſſerunt quædam & fortuita: peſtilentia unius autumni, quâ triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.*

Matutine

Matutine pater, ſeu Jane libentiùs audis,
Unde homines operum primos vitæque labores
Inſtituunt (ſic Diis placitum) tu carminis eſto
Principium. Romæ ſponſorem me rapis: Eja,
Ne prior officio quiſquam reſpondeat, urge:
Sive Aquilo radit terras, ſeu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire neceſſe eſt.
Poſtmodo quod mî obſit clarè certúmque locuto
Luctandum in turbâ: facienda injuria tardis.

O Pater Matutine, ſive mavis, Jane, à quo homines exordiuntur primos labores actuoſæ vitæ (ita numinibus placet) tu initium ſis verſuum meorum. Quando *Romæ* ſum, *me fidejuſſorem eſſe cogis: Eja*, inquis, *propera, ne quiſquam officioſior ante reſpondeat. Sive Aquilo ſtringat terras, ſive hyems contrahat dies nivoſos orbe interiori, oportet ire. Poſteà verò quam apertè & manifeſtè dixi quod mihi noceat, cogor contra turbam: vis facienda lentis.*

ANNOTATIONES.

20. *Matutine pater,*] Janus dicitur *Matutinus* à Matutâ, ſive Aurorâ: & quod manè primus invocaretur, ut qui temporibus præſit, ac velut rerum omnium incipiendarum auctor. Arnob. lib. 3. *Quem in cunctis ante ponitis precibus.* Et alibi: *Incipiamus ergo ſolemniter ab Jano & nos patre.*

Pater,] *Janum vocamus* Patrem *quaſi deorum Deum,* inquit Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 1.

Jane] Sic appellatur, quod quaſi janua ſit ad novum annum, imo ad menſes ſingulos; omniaque regat tempora. Macrob. cit.

Libentiùs audis,] Seu mavis appellari Jani nomine. Deos ſuos pluribus inſigniebant appellationibus, honoris vel aſſentationis causâ. Macrob. *In ſacris invocamus Janum geminum, Janum patrem, Janum Junonium, Janum Quirinum, Janum Conſivium, Janum Patucilum & Cluſium, &c.* Sic & Horat. Carm. ſecul.

Lenis Ilithyia tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

22. *Sic Diis placitum*] Ut præſideas temporibus & primis hominum laboribus, deſque iis felix auſpicium: Quippe tu *in Italia primum Diis templa feciſti, & ritus inſtituiſti ſacrorum: unde in ſacrificiis præfationem meruiſti perpetuam.* Macrob. jam cit.

Carminis eſto Principium.] Fave mihi hanc ſatiram exordienti, in qua urbanæ vitæ incommoda à matutinis horis perſequor.

23. *Romæ ſponſorem me rapis:*] Hoc primum eſt incommodum, quòd pro aliis ſpondere frequenter neceſſe ſit, ac forenſibus tumultibus intereſſe.

24. *Ne prior officio*] Ne deſis amico, acriter ſubveni, laborantem in judicio tuere & juva: officium præbe, ſive per hyemis frigora, ſive per anguſtias dierum breviſſimorum.

25. *Aquilo*] Septentrionalis ventus, à vehementiſſimo inſtar aquilæ volatu dictus, ex Feſto. Græcis Boreas, ἀπὸ τῆς βοῆς, à boatu: quoniam ſit violenti flatus & ſonori. Gell. lib. 2. cap. 22.

Brumà] A dierum brevitate dicitur, ex Varrone & Feſt. Alii factum nomen putant à βραχὺ ἦμαρ, *brevis dies*, Macrob. Sat. 1. Iſidor. lib. 5. Jul. Scalig. lib. 1. De cauſ. L. L. *Bruma*, ſive ſolſtitium hyemale, ex Ovid. Faſt. 1. eſt dies.

Prima novi, veteriſque noviſſima ſolis.

26. *Interiore gyro*] Breviori curſu & ambitu: circulum minorem, utpote qui centro propior ſit, ſole in Capricorno decurrente, ac breviores hinc dies faciente. Scil. in ſphærâ noſtrâ obliquâ hyemalis tropicus ita ab horizonte interſecatur, ut minor pars ſupra terram, major autem ſub terra exiſtat. Cic. 2. De nat. Deor. Cynoſura, inquit ex Arato,

Curſu interiori brevi convertitur orbe.

Ire neceſſe eſt.] Ad ſpondendum pro altero.

27. *Poſtmodò quod mî obſit, &c.*] Alterum eſt incommodum; quod poſtquam ſpoſpondi, vix è turbâ me eripere liceat; quodque luctandum & jurgandum ſit cum obviis & remorantibus.

Quod mî obſit] Certè rarò eſt expers moleſtiæ & damni quiſquis pro altero ſpondet. Proverb. cap. 6. *Si ſpoſponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuum; illaqueatus ex verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus.* Bias ſapienter admodum dicebat: *Sponde, noxa præſtò eſt.* Cic. Epiſt. ad Brut. *Dependendum tibi eſt quod mihi pro illo ſpoſpondiſti.*

Clarè certumque locuto] Debet enim ſponſio ac fidejuſſio præſtari diſertis verbis & ſine ambagibus. Alii locum hunc minùs rectè intelligunt de advocatione & peroratione cauſarum: afferuntque verba Tullii De petit. conſul. *Nonnullos eſſe tibi iratos ex iis cauſis quas egiſti, neceſſe eſt:* & alibi, *Quos læſiſti, cum pro amico contra eos diceres.*

28. *Facienda injuria tardis.*] In forenſi turbâ pulſare oportet & objurgare tardiùs euntes, dum inde quamprimum exire contendo,

Quid vis, inſane, et quas res agis? Improbus urget
Iratis precibus: Tu pulſes omne quod obſtat,
Ad Mæcenatem memori ſi mente recurras?
Hoc juvat, et melli eſt; non mentiar. At ſimul atras
Ventum eſt Eſquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa ſaliunt latus. Ante ſecundam
Roſcius orabat ſibi adeſſes ad Puteal cras.
De re communi ſcribæ magnâ atque novâ te
Orabant hodie meminiſſes, Quinte, reverti. [697]
Imprimat his cura Mæcenas ſigna tabellis.

Hi vero increpant: *Quid petis, ſtulte, & quid moliris?* Quidam autem *iracundas* addit *imprecationes*: *An* igitur *evertas quicquid obſiſtit* tibi *ad Mæcenatem feſtinanti, urgente memoria?* Ut *verum dicam, illud jucundum & ſuave eſt. Verùm cum ad Eſquilias atras perveni, aliena centum negotia invadunt caput & latera. Roſcius poſcit* ut *ei cras opituleris ad Puteal ante* horam *ſecundam. Horati, ſcribæ te rogant* ut *bodie redeas ad negotium commune ac novum. Fac ut Mæcenas has tabellas obſignet.*

ANNOTATIONES.

29. *Quid vis, inſane,*] Ita reluctatur, qui ab Horatio feſtinante pulſatus eſt: trudentem retrudit, atque execrationes jaculatur. Quidam *iratas preces* explicant iram hominis adverſus Horatium excandeſcentis, quod ipſius obteſtantis patrocinium aut ſuſcipere detrectet, aut non ſatis acriter aſſumat. Prior interpretatio magis probatur.

31. *Ad Mæcenatem memori ſi mente recurras?*] Dum properas adire Mæcenatem condicto tempore: vel quod acceptorum beneficiorum memor quotidianis officiis vel ſemel deeſſe metuas.

32. *Hoc juvat, & melli eſt, &c.*] Objurgationes ejuſmodi, quantumvis invidioſæ, me quidem delectant, & quaſi mel dulces videntur, adeò Mæcenatis mentio, nomen, & recordatio veneranda mihi ſunt.

At ſimul atras Ventum eſt, &c.] Tertium hoc genus moleſtiarum urbanarum eſt. Cùm verò ad Mæcenatis ædes in Eſquiliis ſitas veni, aſſiliunt importuni plerique ſua mihi negotia commendantes: quos amoliri nefas. De Mæcenatis ædibus apud Eſquilias; lib. 3. Od. 29. v. 10. & lib. 1. Sat. 8. v. 14. Vide ibi annot.

Atras Eſquilias,] De atris curis quidam interpretantur: at meliùs alii de ſepulcreto, quod fuerat olim in Eſquiliis; ut fuſe diſſerui ad Epod. 5. v. 100. Epod. 18. v. 6. & lib. 1. Sat. 8.

34. *Per caput & circa ſaliunt latus.*] Undiquè adoriuntur & circumobſident. Preclara hypotypoſis.

Ante ſecundam] Maturè, ut tempus habeat de re ſuâ diſſerendi tecum, priuſquam forum aperiatur ac diſceptandum ſit in judicio. *Ante ſecundam.* Gall *A buit beures preciſes du matin plûtoſt devant qu' apres*: Ang. *At eight of the clock in the morning, rather before than after.* Unâ ſcilicet horâ ante judicia, quæ horâ tertiâ exercebantur.

Exercet raucos tertia cauſidicos,

Martial. lib. 4. Epig. 8. ubi & diei varias occupationes pro diverſis horis explicat. Porrò ex alibi annotatis, lector, intellige illam diei naturalis horam tertiam Romanorum nobis quidem Francis nonam eſſe matutinam. Vide lib. 1. Epiſt. 16. v. 8. & Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 20.

35. *Sibi adeſſes*] Quaſi advocatus, adjutor, fautor. Apud judices actor, & patronus rei cauſam dicebat. At aderant preterea quidam advocati, ſuâq; præſentiâ vel teſtimonio etiam, ſi opus eſſet, reum adjuvabant.

Ad Puteal] Ad judicium. *Puteal* locus erat in comitio Romæ, ubi jus reddebatur. Lib. 1. Epiſt. 19. v. 8. *Forum Putealque Libonis Mandabo ſiccis.* Nimirùm in ipſis gradibus, ad lævam curiæ, ſtatua erat Actii Navii auguris, qui, inſpectante Tarquinio Priſco rege, cotem novaculâ diſciderat. Ibidem porrò cotem illam & novaculam eſſe defoſſam tradunt, ſupraque impoſitum puteal, id eſt, umbellam ſive operculum, quale puteis imponi ſolet. Cic. de Divin. 1. n. 52. Illic etiam fœneratores convenire ſolitos idem teſtatur pro Sextio, n. 18. *Puteali & fœneratorum gregibus inflatus.* Item Perſ. Sat. 4.

Si puteal multâ cautus vibice flagellas.

Vide Cœl. Rhodig. lib. 10. cap. 17.

36. *De re communi ſcribæ, &c.*] De ſcribarum ſe numero fuiſſe oſtendit.

Scribæ] Gall. *Les greffiers, ou ſecretaires de l'Epargne.* Angl. *Regiſters or ſecretaries.* Horum officium erat, acta publica literis mandare, literas publicas ſcribere, &c. Conſtat ſcribas maximæ probitatis à quæſtoribus allectos, Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 2.

38. *Imprimat his cura, &c.*] Alius ita rogat; O Horati, cura ut Mæcenas ſigillo muniat has tabellas: oro te etiam atq; etiam.

Signa] De ſigillo ſive annulo Auguſti intellige. Hunc enim ab eo concreditum Mæcenati, diximus ad Epod. 1. v. 3. & conſtat ex Xiphilino ibi cit. Item ex Dione lib. 51.

Dixeris

Dixeris, Experiar: Si vis, potes, addit et inſtat.
Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Mæcenas me cœpit habere ſuorum
In numero, duntaxat ad hoc, quem tollere rhedâ
Vellet, iter faciens; et cui concredere nugas
Hoc genus: Hora quota eſt? Thrax eſt Gallina Syro par?
Matutina parùm cautos jam frigora mordent:
Et quæ rimoſâ benè deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus ſubjectior in diem et horam
Invidiæ. Noſter ludos ſpectaverat unà,
Luſerat in campo, fortunæ filius, omnes.
Frigidus à roſtris manat per compita rumor; [698]
Quicunq; obvius eſt, me conſulit: O bone (nam te
Scire, deos quoniam propiùs contingis, oportet)
Num quid de Dacis audîſti? Nil equidem. Ut tu
Semper eris deriſor! At omnes Dî exagitent me,
Si quicquam. Quid? militibus promiſſa Triquetrâ
Prædia Cæſar, an eſt Italâ tellure daturus?

Quod ſi his reſpondeam: Tentabo: eſt qui reponat & urgeat: Atqui potes, ſi lubet. Prope finem habet annus ſeptimus, & mox octavus incipiet, ex quo tempore Mæcenas inter familiares me aſcivit; ad id verò ſolùm, quem in currum aſſumere placeret, quando viam iniit; & cum quo loqueretur futilia ejuſmodi: Quota eſt hora? Gallina Thracius eſtne par Syro? Incautos jam ſtringit frigus matutinum: & ſimilia, quæ committi queant auribus perfluentibus. Exinde verò magis ac magis obnoxius invidiæ fui. Aiunt *plerique, noſter fortunæ filius ludos ſpectavit, in campo* Martio *certavit cum* Mæcenate. Quod ſi *è roſtris per plateas frigidus rumor diſcurrat; quiſquis occurrerit, interrogat me: O bone, an de Dacis aliquid accepiſti? quippè te ſcire oportet, qui ad magnates accedis.* Tum ego; *Nihil certè.* Illi continuò: *Ergone tu ſemper deriſor fueris? Me,* inquam, *diſperdant omnes dii, ſi quidquam* ſcio. *Ecquid?* aiunt, *agros militibus promiſſos an aſſignabit Auguſtus in Sicilia,* an in *Italicâ regione?*

ANNOTATIONES.

32. *Dixeris, Experiar:*] Si huic dixero, Curabo, & experiar, numquid à Mæcenate id beneficii queam obtinere tibi. Hîc Horatii modeſtiam adverte, lector, ſuam apud Mæcenatem gratiam extenuantis, tametſi apud eum ſummè valere diceretur. Vide & quæ ſequuntur.

40. *Septimus octavo propior*] Septimus hic annus prope eſt elapſus, & mox octavus agetur, ex quo, &c.

42. *Duntaxat ad hoc,*] Non ad res graves ſed ad nugas, ad jocos, atque ad relaxandum animum magnis curis paſſim diſtentum me adhibet Mæcenas, inquit noſter, duntaxat.

44. *Thrax eſt Gallina Syro par?*] An ille gladiator huic par eſt virtute, robore, arte, peritiâ? ille ſecutor huic retiario; ille Thrax huic Mirmilloni? Horum pugnandi rationem diverſamque armaturam fusè explicavi ad Juvenal. Sat. 2. v. 1. 143. & Sat. 8. v. 200.

45. *Matutina parùm cautos, &c.*] Verba hæc innuunt ſcriptam autumni tempore hanc ſatiram.

46. *Et quæ rimoſâ, &c.*] Et ſimilia, quæ loquaciſſimo cuilibet poſſunt committi, atq; homini nullum ſecretum retinenti, ſed paſſim quòd audivit in obvios quoſq; ſtatim effundenti; qualis ille apud Terent. de ſeipſo prædicans:

Plenus rimarum ſum: hac atque illac perfluo.

48. *Noſter ludos ſpectaverat unà, &c.*] Sic de Horatio loquuntur invidi: En ille fortunæ filius ſimul cum Mæcenate ludos ſpectavit: en cum ipſo luſit in campo Martio. De hac vide lib. 1. Od. 8. annotat.

50. *Roſtris*] In foro Rom. erant roſtra, id eſt, ſuggeſtum ante Curiam Hoſtiliam extructum, ornatum verò navium roſtris ab Antiatibus captarum, unde nomen. Tit. Liv. lib. 8. Varro lib. 4. de L. L. Ex eo loco leges ferebantur, & conciones ad populum habebantur; imò & jus dicebatur.

Rumor] Eſt fama incerta ſine capite, id eſt, ſine auctore, *frigidus*, vel triſtis, vel levis.

52. *Deos*] Auguſtum, Mæcenatem.

53. *De Dacis*] Cum his tunc Romani bellum habebant. Vide lib. 2. Od. 20.

55. *Militibus promiſſa Prædia*] Sicut jam aſſignata fuerant poſt Philippenſem victoriam. Vide ſuprà Sat. 2. v. 110. & ſeq. item Virgil. Eclog. 1.

Triquetrâ,] Sicilia Trinacris etiam dicitur ob triangularem formam; habetque in triplici angulo triplex promontorium. Pelorum, Pachynum, Lilybæum, Hinc Ovid Faſt. 4.

Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor
Trinacris; à poſitu nomen adepta loci.

Jurantem me ſcire nihil, mirantur, ut unum
Scilicet egregii mortalem altique ſilentî.
Perditur hæc inter miſero lux, non ſine votis.
O rus quando ego te aſpiciam? quandóq; licebit
Nunc veterum libris, nunc ſomno et inertibus horis
Ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ?
O quando faba Pythagoræ cognata, ſimulque
Uncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo? [699]
O noctes, cœnæque Deûm, quibus ipſe, meíque,
Ante Larem proprium veſcor, vernaſque procaces
Paſco libatis dapibus. Prout cuique libido eſt,
Siccat inæquales calices conviva, ſolutus
Legibus inſanis: ſeu quis capit acria fortis
Pocula, ſeu modicis humeſcit lætiùs. Ergo
Sermo oritur, non de villis domibùſve alienis;
Nec malè necne Lepos ſaltet; ſed quod magis ad nos
Pertinet, et neſcire malum eſt, agitamus: Utrùmne

At affirmantem me nihil ſcire, admirantur, velut hominem raræ & profundæ taciturnitatis. In iſtis diem perdo infelix, non ſine deſideriis. O villa, quando te adibo? ecquando gratam oblivionem vitæ anxiæ capiam ibi, *modò ſcripta veterum* legendo, *modò dormiendo & otiando? ô quando apponetur faba Pythagoræ affinis, ſimulque olera condita lardo pingui? O noctes & epulæ Deorum,* in *quibus ego & familiares cænamus ad Larem meum, ac protervos famulos alo cibis libatis.* Ibi *quiſque liber à ſtultis legibus, ad arbitrium exhaurit ſcyphos diverſos, ſive capax ingentes ſumit calices, ſive minoribus cupit madeſcere. Tum fit confabulatio, non de aliorum prædiis vel ædibus; neque* utrum *Lepos ineptè ſaltet, an non; ſed quod utilius, quodque ignorare eſt nefas, quærimus:*

ANNOTATIONES.

63. *O quando faba, &c.*] Quando ruri veſcar fabis, oleribus, &c. tranquillam ejuſmodi vitam agreſtem præfero lautis epulis quibuſcunque.

Faba Pythagoræ cognata,] Varia hic varii comminiſcuntur. Ajunt plerique *fabam Pythagoræ cognatam* dici ironicè quidem & ſatiricè, quaſi homini coævam & conſanguineam: nempe quod ille aſſereret fabam ex eadem origine & eodem tempore cum homine natam; eamque, ſi pyxide incluſa ſervetur, vel infodiatur, in carnem & ſanguinem converti. Ego nec fabulas nec metempſychoſim afferre huc velim: *cognatam* interpretabor amicam. Fabis enim, aliiſque leguminibus atque oleribus, omníque cibo parabili Pythagoras & Pythagorici libenter veſcebantur; carnibus autem vix aut nunquam, frugalitatis quidem & ſanitatis gratiâ, quanquam nonnulli contrarium ſcribunt. Vide Cic. De divin. 2. n 119. Diog. Laert. lib. 8. Athen. lib. 4. & 10. Plin. lib. 18. cap. 12. Gell. lib. 4. cap. 11. Cœl. Rhodig. lib. 21. cap. 3. lib. 28. cap. 12. lib. 30. cap. 36. et quæ nos ad Juvenal. Sat. 15. ver. 173. ubi de anthropophagis quibuſdam ita ſcribit:

——— ———*Quid diceret ergò,*
Vel quo non fugeret, ſi nunc hæc monſtra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abſtinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulſit non omne legumen?

Pythagoræ] Vide lib. 1. Od. 28. Epod. 15. & Sat. 4. hujus lib.

65. *O noctes, cœnæque Deûm,*] O quieti ſomni! ô epulæ tranquillæ & jucundæ; quantumvis ſobriæ & frugales, certe nectari & ambroſiæ deorum æquiparandæ! vel *noctes* dicit poëta, quod olim in multam noctem producerent cœnam, ut alibi notavimus.

66. *Ante Larem proprium*] Religioſè diis domeſticis libans, & primitias offerens ruſticarum dapum; ac poſtea è *libatis dapibus* hilariter cum familiaribus & ſervis cœnans. Vide lib. 1. Od. 12.

Vernas] Sic vocantur, qui ex ancillis nati ſunt verno tempore. Feſtus, *procaces*, à procando, ſive poſcendo.

69. *Legibus inſanis:*] De his conviviorum legibus vide lib. 2. Od. 7. annot.

Seu quis capit acria fortis Pocula.] Plin. lib. 14. cap. 22. refert, *Ciceronem Marci filium binos congios ſimul haurire ſolitum*, atque ebrietatis mala eleganter deſcribit. Vide Macrob. Saturn. 2 cap. ultimo. Gell. lib. 15. cap. 2.

70. *Humeſcit.*] Al. *uveſcit* Lib. 4. Od. 5. in fine, *uvidi*, id eſt, bene poti, madidi ac pleni vino.

71. *Non de villis domibuſve alienis;*] De his invidi et avari ſermocinantur; ut deliciarum ſectatores & voluptarii de ſaltatoribus & ſcurris.

72. *Lepos*] Auguſti ſcurra, archimimus, egregius ſaltator, Lepos dictus, à molli, ſcitâ, & lepidâ ſaltandi ratione.

Quod magis ad nos Pertinet, &c.] De aptis convivio ſermonibus, Gell. lib. 13. cap. 11, &c.

Divitiis

Divitiis homines, an ſint virtute beati;
Quídve ad amicitias, uſus, rectúmne, trahat nos; [700]
Et quæ ſit natura boni, ſummùmque quid ejus.
Cervius hæc inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Nam ſi quis laudat Arellî
Sollicitas ignarus opes, ſic incipit: Olim
Ruſticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepiſſe cavo, veterem vetus hoſpes amicum,
Aſper, et attentus quæſitis; ut tamen arctum
Solveret hoſpitiis animum. Quid multa? neq; illi
Sepoſiti ciceris, nec longæ invidit avenæ:
Aridum et ore ferens acinum, ſemeſáque lardi
Fruſta dedit, cupiens variâ faſtidia cœnâ
Vincere tangentis malè ſingula dente ſuperbo:
Cùm pater ipſe domûs paleâ porrectus in hornâ, [701]
Eſſet ador loliùmque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc, Quid te juvat, inquit, amice,
Prærupti nemoris patientem vivere dorſo?
Vis tu homines urbemque feris præponere ſilvis?
Carpe viam, mihi crede, comes; terreſtria quando
Mortales animas vivunt ſortita, neque ulla eſt
Aut magno aut parvo lethi fuga: quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus:
Vive memor, quàm ſis ævi brevis. Hæc ubi dicta

an opibus homines, an virtute felices exiſtant: utrum nos ad amicitias impellat, utilitas an honeſtum: item quid ſit bonum, & quæ ejus perfectio. Interea Cervius vicinus aniles fabulas appoſitè narrat. Etenim ſi quis imperitus laudat anxias Arellii divitias, ita exorditur: Quondam mus agreſtis urbanum murem cavernula dicitur excepiſſe, vetus hoſpes veterem amicum; durus, & ſtudioſus rerum *congeſtarum*, ita *tamen ut animum reſtrictum laxaret hoſpitum gratiâ. Quid plura? nec parcè dedit è congeſto cicere, nec ex avenâ oblongâ: ore portans acinum deſiccatum, & ſemeſa lardi fruſtula obtulit, optans multiplici dape vincere nauſeam faſtidiosè ſingula delibantis ſuperbo dente; dum ipſe ædium dominus in ſtramine jacens ederet frumentum ac zizaniam, cibis optimis abſtinens. Denique urbanus hunc ſic allocutus eſt: Amice, quorſum ærumnoſus degis ad latus montis ardui? annon vis homines & urbem præferre ſilvis deſertis? Mihi auſculta, iter mecum ingredere; quandoquidem animantia ſuper terram vitam agunt morti obnoxiam, nec effugiendi* ratio *eſt ſive parvo ſive magno. Quocirca. O bone, quamdiu potes, rebus fruere jucundis, recordatus quàm brevi* tempore *ſis victurus.*

ANNOTATIONES.

75 *Uſus, rectúmne,*] Alii quippè ſentiebant amicitias propter utilitatem colendas, alii propter virtutem. Vide Cic. Lælium, ubi, *Solem*, inquit, *è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vitâ tollunt——Amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere, &c.*

Rectúmne,] Cic. mox. cit. *Virtus amicitiam & gignit & continet ——————Virtutum amicitia adjutrix à natura data eſt.* Et in fine ejuſdem lib. *Vos hortor, ut ità virtutem locetis, ſine quâ amicitia eſſe non poteſt, ut, eâ exceptâ, nihil amicitiâ præſtabilius eſſe putetis.*

76. *Summúmque quid ejus.*] In quo conſiſtat ſummum bonum; hoc enim in voluptate alii, alii in virtute reponebant. Vide Cicer. De finib. Tuſc. Quæſt. &c.

78. *Ex re fabellas.*] Sunt fabulæ ad perſuadendum valde commodæ & efficaces, ſi appoſitè adhibeantur. Hinc ſacri etiam codices proverbiis & parabolis inſperſi ſunt, hiſque perſæpè uſus eſt Chriſtus Dominus, veritas Dei & ſapientia. *Ut quod per ſimplex præceptum teneri ab auditoribus non poteſt, per ſimilitudinem & exempla teneatur.* S. Hieronym. lib. 3. Comment. in Matth.

Arellî.] Arellius famosè avarus: contra ſtultam ejus de opibus opinionem Cervius affert aptè exemplum & apologum ruſtici muris & urbani.

83. *Hoſpitiis*] Hoſpitibus amicè excipiendis.

84. *Nec longæ invidit avenæ:*] Helleniſmus.

86. *Varia cænâ*] *Dubiam cænam* dixit ſuprà Sat. 2. v. 77.

88. *Hornâ,*] Novâ, hujus anni. L. 3. Od. 23. v. 3.

89. *Ador.*] Frumenti genus, ab edendo appellatum; vel quod aduratur, ut è toſto fiat mola ſalſa ad ſacrificia utilis. Feſtus. Alii alitèr.

93. *Terreſtria quando, &c.*] Vel ex perſonâ murium, aliorumque brutorum: vel ex perſonâ atheorum hoc dicit poëta.

97. *Vive memor, quám ſis ævi brevis.*] Eandem hanc orationem tribuit Herculi Euripides in Alceſtide, ut benè obſervavit Muretus.

Agreſtem

Sermonibus illis excitatus ruſticus, proſilit alacer è domicilio. Hinc uterque viam inceptam decurrunt, cupientes noctu ſubire civitatis pomœrium. Et jam nox attigerat medium cœli locum, quando pedem ambo inferunt in ædes opulentas, ubi ſtragula fulgebat purpurea ſuper thoros eburneos, & plurimæ dapes reſtabant è lauto convivio, quæ heri procul fuerant in ſportulis congeſtæ. Poſtquam igitur ruſticum ſtatuit in ſtragulâ pretioſâ recumbentem, velut expeditus hoſpes circumcurſat, cibos cibis accumulat, & inſtar famuli miniſtrat ſedulus, prægustans quicquid apportat. Ille quietus lætatur mutatâ conditione, hilaremque ſe convivam exhibet favente fortunâ; quando magnus repente forium ſtrepitus toris ambos expulit. Mox trepidi cœperunt *fugere per omne cubiculum gravius autem expaveſcere* quaſi *moribundi, cum ædes amplæ inſonuerunt magnis canibus. Tunc agreſtis dixit: Nequaquam me juvat vita iſta,* eique *nunciam remitto: me nemus & cavernula à periculis libera conſolabuntur exiguo legumine.*

Agreſtem pepulêre, domo levis exilit. Inde
Ambo propoſitum peragunt iter, urbis aventes
Mœnia nocturni ſubrepere. Jámque tenebat
Nox medium cœli ſpatium, cùm ponit uterque
In locuplete domo veſtigia; rubro ubi cocco
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos,
Multáque de magnâ ſupereſſent fercula cœnâ,
Quæ procul extructis inerant heſterna caniſtris.
Ergò ubi purpureâ porrectum in veſte locavit
Agreſtem, veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,
Continuátq; dapes, nec non verniliter ipſis [702]
Fungitur officiis, prælibans omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutatâ ſorte, boniſque
Rebus agit lætum convivam: cùm ſubitò ingens
Valvarum ſtrepitus lectis excuſſit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magíſque
Exanimes trepidare, ſimul domus alta Moloſſis
Perſonuit canibus. Tum ruſticus, Haud mihi vitâ
Eſt opus hâc, ait, & valeas: me ſilva, cavúſque
Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur ervo.

ANNOTATIONES.

104. *Fercula.*] A ferendo vocantur ſic vaſa eduliorum, & per Synecd. ipſa edulia, &c.

108. *Vernaliter.*] Al. *Verniliter*, more ſervorum prælambens dapes quas affert.

114. *Moloſſis*] Ingentibus canibus è Moloſſiâ regione Epiri. Apud Moloſſos Epiri populos erant canes venatici generoſiſſimi.

117. *Ervo*] Quovis legumine, Synecd. *Ervum*, Græcis ὄροβος, Gall. *ers*, Angl. *vetches, or tares.* Legumen eſt piſis affine, ſaginandis armentis utile. Columel. Plin. Virg. Ecl. 3. v. 100. ejus meminit, ſi fides quibuſdam veteribus membranis. Nam aliæ habent *arvo*, aliæ *ervo*.

SATIRA VII.

Inducitur ſervus, pro libertate Saturnalium, heri vitia taxans & carpens.

DAVUS. *Jam diu* eſt *quod te audio; atque avens tibi*

JAM dudum auſculto, & cupiens tibi dicere ſervus [703]

ANNOTATIONES.

1. *Jam dudum auſculto,*] Suum ipſe ſervum vitia ſibi objicientem ita inducit Horatius, ut quilibet vitioſus à ſervo ſuo pariter reprehendi ſe juſtè quidem putet & ſentiat. Porrò ſententiam hanc aſſerit, ſolum ſapientem eſſe liberum, quam tractat Cicero Parad. 5. & Perſ. Sat. 5.

Auſculto,] Ad omne obſequium paratus adſto.

Pauca,

Pauca, reformido. Davuſne? Ita, Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi, quod ſit ſatis; hoc
eſt,
Ut vitale putes. Age, libertate Decembri
(Quando ita majores voluerunt) utere: narra.
Pars hominum vitiis gaudet conſtanter, et urget
Propoſitum: pars multa natat; modo recta ca-
peſſens, [704]
Interdum pravis obnoxia. Sæpe notatus
Cum tribus annellis, modò lævâ Priſcus inani,
Vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas:
Ædibus ex magnis ſubitò ſe conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeſtè:
Jam mœchus Romæ, jam mallet doctus Athenis

pauca loqui, ego famulus timeo. HORAT. *Numquid Davus?* DAV. *Etiam, Davus, hero ſervus fidelis, ac frugalis abunde: id eſt, ut vita dignum exiſtimes.* HOR. *Age, fruere licentiâ* menſis *Decembris, quandoquidem ita ſanxerunt majores* noſtri: *loquere.* DAV. *Plerique hominum obſtinate vitiis delectantur, & perſeverant in* pravis *moribus: alii multi fluctuant, nunc virtutem ſequentes, aliàs vitiis obſequentes.* Sic. *Priſcus frequenter viſus* eſt *cum tribus annulis; paulò* verò *poſt ſiniſtrâ vacuâ, diverſus vitiis, adeò ut veſtem mutaret horis* ſingulis; vicinus autem *ſuperbâ è baſilicâ repente migraret* illuc, *unde vix decenter egrederetur libertinus nitidulus. Modo Romæ adulter, modò Athenis eruditus degere cuperet;*

ANNOTATIONES.

2. *Davuſne?*] Ipſene *Davis* hæc loquitur?

4. *Ut vitale putes.*] Habebant domini in ſervos ſuos vitæ ac necis. Davus ait, pro ſedulâ & diuturnâ ſervitute videre ſibi meruiſſe apud herum ut vivat. Alii alias interpretationes afferunt, at meo judicio longè petitas. Quidam volunt Davum ſignificare ſe mediocriter bonæ eſſe indolis, quod contrà rarò ſint longævi, qui indole ſunt eximiâ. Seneca Controv. 1. *Tum immaturè magnum ingenium non eſſe vitale.* Alii ſic: Davus oſtendit ſe in victu moderatum ac temperatum diutiùs eſſe victurum, contra morem ſervorum, quos edacitas brevi conficit.

Libertate Decembri utere:] Dic liberè quicquid volueris, ſiquidem hoc tibi dant Saturnalia. Ea nempe 14. cal. Jan. celebrabantur in honorem Saturni, & monumentum aurei ſub ejus regno ſeculi, quo tempore cuncti æquales erant, tam ſervi quàm ingenui. Macrob. lib. 1. cap. 10. *Saturnalia uno die ſolita peragi: poſt in triduum propagatio, adjectis à Cæſare huic menſi diebus: deinde ex edicto Auguſti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit—— ——ſed Sigillariorum adjecta celebritas in ſeptem dies diſcurſum publicum & lætitiam religionis extendit.* Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. *Saturni feſtis diebus ſervos ingenuorum miniſteria occupare, pileos ſumere, & à liberis nullo diſcrimine differre, ſtipeſque invicem dare, & munera miſſitare, ſervatum eſt. Regna quoque ſortiri inter æquales, & tanquam reges imperitare, magiſtratus purpuram induere, reliquos in veſte candidâ diem concelebrare. Qui etiam mos Græcis & exteris communis fuit. Namque apud Babylonios Sacra appellantur feſta, quibus dies quinque imperabant ſervi dominis, eorumque unus ſtolâ ſumptâ dominabatur,* &c. Vide ſupra Sat. 3.

7. *Natat;*] Inſtabilis eſt: ſicut natantes modò contra flumen, modò currente feruntur amne.

9. *Cum tribus annellis,*] Plures annulos geſtare luxurioſum habebatur.

Priſcus] Hic orator fuiſſe dicitur, ſenatorii quidem, vel certe equeſtris ordinis.

Lævâ inani,] Sine ullo annulo, quod egeſtatis ſignum. In lævâ, utpote minùs actuosâ, annuli geſtantur. Macrob. lib. 7. cap. 15. *Annulum in digito, qui minimo vicinus eſt, quem etiam medicinalem vocant, & manu præcipue ſiniſtrâ geſtandum eſſe.* Gell. lib. 10. cap. 10. *Repertum eſt nervum quendam tenuiſſimum ab eo digito ad cor hominis pervenire.* Hinc tali honore eum digitum placuit decorari. Vidè Plin. lib. 33. cap. 1. ubi de origine & jure annulorum aureorum. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 9. &c.

10. *Inæqualis,*] Sibi parù n,conſtans.

Clavum] Modo latum, modo anguſtum ſumens. De eâ veſte præclarâ, lib. 1. Sat. 5. v. 36.

11. *Ædibus ex magnis*] E ſuperbo domicilio in vile & abjectum migraret.

13. *Jam mœchus Romæ,*] Salſus in Romanorum impudicitiam ſarcaſmus.

Jam mallet doctus Athenis Vivere;] Modò otioſum & luxurioſum præferens vitæ genus, modò ſtudia literarum & honeſtos doctrinæ ac philoſophiæ labores.

Athenis] Ubi fons omnium doctrinarum. Cic. De orat. *Ubi artium exquiſitarum officina; ubi præcipuè coluntur ea myſteria, quibus ex agreſti immaniq; vitâ exculti ad humanitatem & eruditionem mitigati ſumus.* Id. De leg. 4. *Ubi tanta auctoritas, ut de ejus urbis poſſeſſione inter deos certamen fuerit; ut jam fractum propè ac debilitatum Græciæ nomen hujus urbis laude nitatur.* Id. Orat. n. 25.

Vivere;

certe natus infeſtis omnibus Vertumnis. Contrà *Volanerius ſannio, quando juſta chiragra illi fregit digitos,* hominem *quotidiana mercede conductum aluit, qui taxillos pro ſe colligeret, ac immitteret in alveolum: quanto magis conſtans in pravis, tanto minus infelix quam prior iſte, qui nunc intento, nunc laxato fune luctatur.* HORAT. An *non hodie declarabis, furcifer, quo ſpectent illa adeò inepta?* DAV. *Dico, ad temetipſum.* HOR. *Ecquâ ratione, ô nequam?* DAV. *Extollis conditionem & inſtituta priſci populi; tuque ipſe fortiter abnuas, ſi numen aliquod ad ea te redigat: ſive quod non* firmiter *tenes melius eſſe id quod aſſeris; ſive quod non conſtanter virtutem propugnas; atque hæſitas, fruſtra exoptans pedem luto extrahere.* Cum *Romæ* verſaris, *cupis* ruri degere: *cum ruri degis, remotam urbem laudas incenſtans. Si à nemine invitatus es ad cœnam, extollis olera tranquilla, & quaſi pergas coactus, ſic te beatum prædicas, atque gratularis* tibi,

Vivere; Vertumnis, quotquot ſunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, poſtquam illi juſta chiragra [705]
Contudit articulos, qui pro ſe tolleret, atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurnâ
Conductum pavit: quanto conſtantior idem
In vitiis, tanto levius miſer ac prior ille,
Qui jam contento, jam laxo fune laborat.
Non dices hodie, quorſum hæc tam putida tendant,
Furcifer? Ad te, inquam. Quo pacto, peſſime? Laudas
Fortunam et mores antiquæ plebis, & idem,
Si quis ad illa Deus ſubitò te agat, uſq; recuſes:
Aut quia non ſentis, quod clamas, rectius eſſe;
Aut quia non firmus rectum defendis; & hæres,
Nequicquam cœno cupiens evellere plantam. [706]
Romæ rus optas, abſentem ruſticus urbem
Tollis ad aſtra levis: ſi nuſquam es fortè vocatus
Ad cœnam, laudas ſecurum olus; ac velut uſquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amáſque,

ANNOTATIONES.

14. *Vertumnis.*] Vertumnus, deus anno vertendo præſidens, multiformis erat; & variè pingebatur, & variis celebatur locis tum in urbe tum in municipiis: modò foſſor, modò arator, ſeminator, plantator, meſſor. Hinc plurali numero Vertumni appellantur. Aiunt etiam ſenſus & cogitationes hominum ab eo verti. Undè iratis Vertumnis dicitur natus, quiſquis ſemper incertus & inconſtans aliis aliiſque affectibus agitatur. Tibul. 4, 2, 13.

Talis in æthereo felix Vertumnus olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

15. *Chiragra.*] Vel metri causâ licenter & contra etymon primam corripit ſyllabam; vel poëta ſcripſit *cheragra*, ut volunt quidam ἡ ἄγρα τῆς χειρὸς, poëticè χερὸς. *Juſta*, digna luxuriæ pœna. Perſ. Sat. 5. v. 58.

———Sed cum lapidoſa chiragra
Fregerit articulos.

Scilicet morbus ille articularis manûs ac digitorum uſum præpedit, non ſecus ac ſi fracti & contuſi eſſent articuli manum.

16. *Qui pro ſe tolleret,*] Cùm talis ſemper ludere conſuevisset, interclusâ manus ſuas movendi facultate, alienâ manu talos colligebat, movebat, jactabat.

17. *Phimum*] Vaſculum ligneum, corneum, eburneum, oris anguſti, è quo tali anteà agitati effunduntur in alveum ſeu tabulam. *Fritillum* vocant Juvenalis & Seneca, *orcam* Perſius, *turriculam* Martialis, *pyrgum* (quæ vox Græca turriculam deſignat) alii, & hic Horatius, ut placet multis, hiſque doctiſſimis. Gall. *cornet à dez*, Angl. *the dice-box*. Jul. Pol. lib. 10. cap. 13. phimum, φιμὸν, numerat inter aleatoris inſtrumenta: item Æſchines in Timarch. apud Suidam.

20. *Qui jam contento,*] Metaphorica dictio. Velut Priſcus modò parcus admodùm & frugalis, modò laxus, magnificus, luxurioſus; utrinque nimius & vitio laborans.

21. *Putida*] Auditu ingrata; translatio à naribus ad aures.

22. *Furcifer?*] Servus hoc probro inceſſebatur, cum ob delictum quodpiam levius appenſam collo furcam cogebatur ferre, ignominiæ causâ.

23. *Mores antiquæ plebis,*] Probos nimirùm & caſtos. Nam ſubinde vitia ſenſim gliſcere viſa ſunt.

27. *Nequicquam cœno cupiens evellere plantam.*] Fruſtrà cupiens è gurgite vitiorum emergere.

30. *Laudas ſecurum olus;*] Tranquillam domi cœnam è cibo parabili laudas, & præfers quibuſlibet lautis & opimis apud alios epulis, ad quas invitatus fueris.

Velut uſquam Vinctus eas,] Videri vis ad alienam ire cœnam velut coactus, vinctus,

Quod

Quòd nuſquam tibi ſit potandum. Juſſerit ad ſe
Mæcenas ſerum ſub lumina prima venire
Convivam, Nemón' oleum feret ociùs? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, furíſque.
Milvius et ſcurræ, tibi non referenda precati,
Diſcedunt. Etenim fateor me, dixerit ille,
Duci ventre levem: naſum nidore ſupinor:
Imbecillus, iners, ſi quid vis, adde, popino.
Tu cùm ſis quod ego, et fortaſſis nequior, ultrò
Inſectere velut melior, verbíſque decoris
Obvolvas vitium? quid, ſi me ſtultior ipſe [707]
Quingentis empto drachmis deprenderis? Aufer
Me vultu terrere: manum ſtomachúmque teneto,
Dum quæ Criſpini docuit me janitor, edo.
Te conjux aliena capit, meretricula Davum:
Peccat uter noſtrûm cruce dignius? acris ubi me
Natura incendit; ſub clarâ nuda lacernâ,
Quæcunque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitavit equum laſciva ſupinum,
Dimittit, neque famoſum, neque ſollicitum, ne
Ditior aut formæ melioris meiat eodem.
Tu cùm, projectis inſignibus, annulo equeſtri,

quod apud nullum cœnare contingit. Verùm *ſi Mæcenas vocet* te *cœnatum apud ſe veſperi ad primas candelas; horrendum vociferaris furibundus, Nullusne afferet unguenta citius? quinam auſcultat?* Tum verò *Milvius & paraſiti abeunt, tibi imprecati minimè narranda. At dicet aliquis me ventri obnoxium eſſe, naſum tollere ſupinum ad nidores; ignavum, ſegnem* eſſe, *adde* etiam, *popinarum ſectatorem, ſi lubet; non inficiabor. Tu* verò *cum ſis* ſervus, *ut ego, & fortaſſe ſis pejor; cur me ſponte reprehendis quaſi præſtantior? quare præclaris ſermonibus tegis* quod *pravum habes? quid, ſi tu agnoſceris inſanior me,* quem *emiſti drachmis quingentis? Deſine vultu terrorem mihi facere: coërce manum atque iram, dum loquor ea, quæ didici à Criſpini janitore. Tu ſectaris uxorem alterius, Davus meretricem. Uter noſtrum cruce dignior peccat? Cum me ardens libido inflammat,* * * * * * * * * * * * * * * * * ab ea *diſcedo, nec infamis, nec anxius, ne opulentior vel pulchrior eâdem potiatur. Tu verò quando, exutis ornamentis, annulo equeſtri,*

ANNOTATIONES.

invitus: ac felicem te dicis quod nemo te vocarit. Verum te diſſimulas.

33. *Serum ſub lumina prima*] Magnates quidem ſerò cœnabant pluribus negotiis occupati: at alii vulgò circa tertiam aut quartam horam pomeridianam. Martial. lib. v. Epig. 8.

Imperat extructos frangere nona toros.

34. *Nemon' oleum feret ocyùs? &c.*] Clamitas moræ impatiens, & mirum quantum properans ire illuc bene lotus, bene unctus. Sic nimirùm veteres ad cœnam invitati pergebant, unguentis odoriferis perfuſi.

35. *Furiſque*] Alii leg. *fugiſque*, id eſt, cum magna feſtinatione domo abis, & ad Mæcenatis cœnam curris.

36. *Milvius & ſcurræ, &c.*] Paraſiti & ſcurræ apud te cœnâ ſperatâ fraudati, diras in te jactant, imprecantur tibi mala omnia diſcedentes.

38. *Naſum nidore ſupinor:*] Elatum habeo naſum ad captandos odores obſoniorum: tanquam ventris & gulæ mancipium cœnas venor.

43. *Quingentis empto drachmis*] Gall. *acheté cinquante écus.* Angl. *That coſt you but fifty crowns.* Siquidem drachma Attica ſex aſſes, ſive ſolidos noſtræ monetæ continebat.

Me ſtultior deprenderis?] Ego enim vitia mea ipſe agnoſco & fateor; tu verò tua celas, & vano decore tegis: & hinc aliis tibique etiam bonus videri gaudes, ſtultè.

44. *Manum ſtomachumque teneto,*] Ne minas, ne verbera mihi intentes, dum tibi vera loquor.

45. *Dum quæ Criſpini docuit me janitor, edo.*] Doctum ſe ſervus à ſervo philoſophi aptè dicit. Certe à magiſtris publicis documenta quædam ſervi eorum captabant, ſeu domi, ſeu cuſtodientes januam ſcholarum in quibus docebant: audire nempe multa atque utiliter excipere poterant, ſi paulùm ingenioſi eſſent. De *Criſpino* Stoicam ſectam amplexo, lib. 1. Sat. 1. & 3.

46. *Te conjux aliena capit,*] Adulteriorum ſectator quilibet hic arguitur, non ipſe Horatius: qui ab iis abhorrebat, lib. 1. Sat. 2.

53. *Tu cum, projectis inſignibus,*] Depoſitâ togâ, exuto anguſto clavo, equeſtrique annulo & dignitate, quibus ab Auguſto es inſignitus: ſervilem autem indutus habitum, ne agnoſcaris: jam non videris eques Romanus, ſed vilis ſervus. Vide Gell. lib. 13. cap. 20.

Romanóq;

Romanóque habitu, prodis ex judice Dama
Turpis, odoratum caput obſcurante lacernâ;
Non es quod ſimulas? Metuens induceris, atque [708]
Altercante libidinibus tremis oſſa pavore.
Quid refert, uri virgis, ferróque necari
Auctoratus eas, an turpi clauſus in arcâ,
Quò te demiſit peccati conſcia herilis,
Contractum genibus tangas caput? Eſtne marito
Matronæ peccantis in ambos juſta poteſtas?
In corruptorem vel juſtior. Illa tamen ſe
Non habitu mutátve loco, peccátve supernè,
Cùm te formidet mulier, neq; credat amanti.
Ibis ſub furcâ prudens, dominóque furenti
Committes rem omnem, et vitam, et cum corpore
Evâſti? metues credo, doctúſq; cavebis. (famam.
Quæres quando iterum paveas, iterúmque perire
Poſſis. O toties ſervus! Quæ bellua ruptis, [709]
Cùm ſemel effugit, reddit ſe prava catenis?
Non ſum mœchus, ais. Neque ego hercule fur, ubi vaſa

& Romana veſte è judice mutaris in vilem ſervum, cucullo obvolvente caput unguentis delibutum; an non es quod fingis? Pavidus quidem *intromitteris, & corpore concuteris, metu adverſus cupiditates luctante.* Age verò, *quid intereſt* an *pergas addictus virgis cædi, & gladio interfici? an infami incluſus arca,* in *quam te compegit* ancilla *flagitii heræ particeps, genibus tangas caput inflexum?* Dic porrò, *ſi vir matronæ delinquentis jus habet adverſus utrumque, an non æquius contra adulterum? Certe fœmina hæc ſuum non mutat habitum, vel locum;* * * * *quoniam te metuit, nec amanti fidit. Sponte feres patibulum, atque hero furioſo addices cuncta bona, vitam, corpus, exiſtimationem.* Quod ſi incolumis *evadas,* deinceps *fortaſſe vereberis, & eruditus evitabis.* Imò verò *inquires rurſum timendi pereundiq; occaſiones. O multis modis mancipatus! Ecqua fera vinculis fractis improbè ſe religat, ſi quando evaſit?* At enim *non ſum adulter, inquis. Nec ego certe fur,*

ANNOTATIONES.

54. *Ex judice*] Certarum rerum cognitio & judicium ad equites Rom. pertinebat, ſive quod eligebantur judices tam ex equeſtri quàm ſenatorio ordine.

55. *Lacernâ*;] Pallio caput etiam adverſus imbres protegente. *Cucullum* vocat Juvenalis, Sat. 3, 6, & 8, Gall. *une cape.* Angl. *a cowl.*

56. *Metuens induceris,*] In domum mœchæ induceris metuens pericula, de quibus lib. 1. Sat. 2.

58. *Quid refert uri virgis, &c.*] Gladiatores emens has illis conditiones proponebat; flammis uri, virgis cædi & ſecari, ferro necari: quas cùm accepiſſent certo quidem pretio, auctorati dicebantur, ſeu obligati & obſtricti ad quidlibet perpetiendum. Senſus eſt: Tu ſervili metu continuò preſſus, ſervili auctoramento quaſi addictus, an non verè ſervus es? Nihil certè intereſt gladiatorem inter & adulterum. Gladiator virgis cædendum ferroque necandum ſe addicit: tu pariter cum adulteria committis. Quid enim cum timens adulteræ maritum in arcâ recluderis?

61. *Eſtne marito Matronæ, &c.*] Olim adulterum in adulterio deprehenſum marito licebat occidere, ſimul & adulteram. Lex ſubinde Julia de adulteris nonnihil immutavit, atque flagitiorum ejuſmodi cognitionem ad certos judices referri juſſit. Vide annot. lib. 1. Sat. 2.

64. *Non habitu mutatve loco.*] Adultera non egreditur domo ſuâ, non inſignia deponit, ut tu: proindeque longè pejus illâ facis, juſtiorque pœna te ſequitur.

66. *Ibis ſub furcâ prudens,*] Sponte ſubis ſervilem ignominiam & pœnam.

Dominoque furenti, &c] Vel irato & ultionem anhelanti marito; vel affectui vehementi cuilibet tibi tyrannicè dominanti paratus es addicere bona, famam, vitam.

68. *Evâſti? credo metues, &c.*] Ironicè. Quod ſi è vitæ periculo emergas, fortaſſe cautus deinceps ſimile diſcrimen longè fugies. Imò verò quæres ſemper novas mœchandi, totieſque periclitandi occaſiones: adeò mancipatus es tyrannidi vitiorum.

70. *Quæ bellua ruptis, &c.*] Hunc Horatii locum imitatus eſt Perſius, Sat. 5. v. 168. & ſqq.

72. *Non ſum mœchus, ais, &c.*] Si tu non es mœchus, eò quòd apertè non ſectaris matronas; nec ego fur ſum, qui argentea vaſa quælibet obvia metu pœnæ non ſurripio palam. Verùm ſi periculi formido removeatur, jam ego furabor, & tu mœchaberis; & vitioſæ indoli

Præterea

Prætereo ſapiens argentea. Tolle periclum,
Jam vaga proſiliet frenis natura remotis.
Túne mihí dominus, rerum imperiis hominúmq;
Tot tantiſq; minor? quem ter vindicta quatérque
Impoſita haud unquam miſerâ formidine privet?
Adde ſuprà dictis, quod non leviùs valeat. Nam
Sive vicarius eſt, qui ſervo paret, uti mos
Veſter ait, ſeu conſervus; tibi quid ſum ego? nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis ſervis miſer, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.
Quiſnam igitur liber? Sapiens; ſibi qui imperioſus;
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent:
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, et in ſeipſo totus teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per læve morari;
In quem manca ruit ſemper fortuna. Poteſne
Ex his, ut proprium, quid noſcere? Quinq; talenta
Poſcit te mulier, vexat, foribúſque repulſum
Perfundit gelidâ, rurſùs vocat. Eripe turpi
Colla jugo. Liber, liber ſum, dic age. Non quis:

quando argentea vaſa cautus tranſeo. Auſer verò *periculum, ſtatim indoles ſoluta erumpet ſublatis frenis.* Quæ cùm ita ſint, *an meus es herus, tu ſubditus dominatui tot rerum atque hominum? quem virga* prætoria *ter aut quater incuſſa non unquam liberet moleſto metu? His adjunge, quod non minoris momenti ſit. Etenim ſeu vicarius eſt, qui ſervo obedit, ſicut inſtitutum veſtrum docet, ſive conſervus; quid ego ſum erga te? ſcilicet ipſe, qui mihi dominaris, aliis obtemperas miſer, ac moveris, perinde ac lignea effigies viribus non propriis.* HORAT. *Ergò quiſnam liber?* DAV. *Sapiens, qui ſibi dominatur: quem nec egeſtas, nec mors, nec catenæ territant:* qui *valet repugnare cupiditatibus, & ſpernere dignitates, atque* eſt *in ſemet omninò æqualis & globoſus, ut nihil externi queat hærere per expolitum: quem fortuna impetit ſemper debilis. An potes aliquid ex iſtis velut tuum obſervare? Fœmina talenta quinque à te exigit, urget, dum ejicit, aquâ aſpergit, iterum accerſit. Exime cervicem infami ſervituti. Heus dic, Liber, liber ſum.* Atqui *non vales:*

ANNOTATIONES.

ambo ſerviemus. Ergò tu perinde ſervus ac ego. Huc pertinet quod Stoici plus animum peccandi ſpectabant quàm factum.

75. *Rerum imperiis hominumque Tot tantiſq; minor?*] Obnoxius libidini, timori, ambitioni, &c. quæ à ſervitute prætor eximere te non valet.

76. *Vindicta*] Tribus modis à ſervitute vindicabatur, & in libertatem aſſerebatur ſervus: 1. Cenſu. 2. Teſtamento. 3. Vindictâ: nempè cum virgâ capiti ſerviliter incuſſâ ritè manumittebat ſervum prætor. Vide Perſ. Sat. 5. v. 88. ubi ſic habet:

Vindictâ poſtquàm meus à prætore receſſi.

77. *Haud unquam miſerâ formidine privet?*] Corporis quidem dabit libertatem, at animi nequaquam.

79. *Vicarius.*] Inter ſervos erat unus præcipuus, ut plurimùm atrienſis, quibuſdam diſpenſator dictus. Hic aliis ſervis diſtribuebat ex more dimenſum cibum aut frumentum, habebátque in eos quandam auctoritatem. Reliqui ſervi dicebantur vicarii, ſeu conſervi: communem etenim habebant dominum.

82. *Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.*] Tu, qui meus es dominus, affectuum ac vitiorum ſervus es; atque ab eis duceris, perinde ac imagunculæ ligneæ certis nervis & fidiculis motæ, per ſe videntur moveri, caput, brachia, pedes agitare, oculos etiam torquere, &c. Gell. lib. 14. cap. 1. *Nihil arbitratu ſuo faciunt*, inquit, *ſed ludicra νευρόσπαστα eſſe videntur, id eſt, nervis moventia.*

86. *Totus teres atque rotundus,*] Tam lævis, politus, æquabilis, ut quaſi perfectus globus facile moveatur, nihilque aſperum anſatumve habeat, quo retineri ac retardari queat, aut invitus impelli vi quâdam externâ. Perſ. Sat. 1. v. 64.

——*Ut per læve ſeveros*
Effundat junctura ungues.——

88. *In quam manca ruit ſemper fortuna.*] Sicut affectibus non ſervit, ita nec fortunæ; & quemadmodum irruentium vitiorum, ſic & fortunæ impetum frangit.

91. *Perfundit gelidâ,*] Mulierum ea eſt improbitas. De quâ Perſ. Sat. 5. v. 169.

Soleâ puer objurgabere rubrâ.

Eripe turpi Colla jugo.] Si tu liber es, age, te liberum oſtende: ſpernentem te meretriculam ſperne & deſere. Atqui non vales,

Urget

quippe animum premit herus gravis, acreſque ſtimulos ſubdit fatigato, & reluctantem exagitat. Verùm enimverò quando ſtupens miraris tabellam à Pauſiâ pictam, quá ratione leviùs delinquis quàm ego, cum attentus contemplor pugnas Fulvii, Rutubæ, & Placideiani, rubricâ, vel carbone delineatas, intento poplite altero, *quaſi re ipſa viri decertent, moveant arma, impetant, declinent?* Nempe *Davus iners & pravus* habebitur: *tu verò ſolers & peritus cognitor* rerum *antiquarum prædicaberis. Si trahor* odore *placentæ calidæ*, homo *nibili ſum*; at *tibi magna virtus & mens temnit lautas dapes. Quare* verò *damnoſius mihi eſt obtemperare ventri?* nimirùm *quia dorſum verberatur.* Sed *quo pacto minus tu puniris, quoties appetis edulia iſta, quæ* pretio *exiguo haberi non poſſunt? Quinimò amaræ ſunt dapes frequentiùs captatæ, & pedes vacillantes detrectant portare corpus vitiatum.* Denique *nunquid peccat ſervus quiſpiam pro uvâ*

Urget enim dominus mentem non lenis, et acres
Subjectat laſſo ſtimulos, verſátque negantem. 94
Vel cùm Pauſiacâ torpes, inſane, tabellâ, [711]
Quî peccas minùs atq; ego, cùm Fulvi, Rutubæq;
Aut Placideiani contento poplite miror
Prælia, rubricâ picta aut carbone, velut ſi
Re verâ pugnent, feriant, viténtque moventes
Arma viri? Nequam et ceſſator Davus: at ipſe
Subtilis veterum judex et callidus audis. 101
Nil ego, ſi ducor libo fumante: tibi ingens
Virtus atque animus cœnis reſponſat opimis.
Obſequium ventris mihi pernicioſius eſt cur?
Tergo plector enim: quî tu impunitior, illa, 105
Quæ parvo ſumi nequeunt, cùm obſonia captas?
Nempè inamareſcunt epulæ ſine fine petitæ, [712]
Illusíque pedes vitioſum ferre recuſant
Corpus. An hic peccat, ſub noctem qui puer
uvam

ANNOTATIONES.

cupiditati ſubditus. Cic. Parad. 5. *An ille mihi liber videatur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præſcribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet. Poſcit? dandum eſt. Vocat? veniendum. Ejicit? abeundum. Minatur? extimeſcendum. Ego verò iſtum non modò ſervum, ſed nequiſſimum ſervum puto.*

93. *Urget enim dominus*] Dominatur tibi libido, invitumq; trahit. Perſ. cit. Sat. 3. v. 124.

Liber ego. Unde datum hoc ſumis, tot ſubdite rebus?
An dominum ignoras, niſi quem vindicta relaxat?

95. *Vel cùm Pauſiacâ torpes, inſane, tabellâ,*] Cum præ immoderato pictarum egregiè tabellarum ſtudio velut inſanis. Cic. Parad. 5. *Sunt pari ſtultitiâ, quos ſigna, quos tabulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimiopere delectant.————————Echionis tabula te ſtupidum detinet, aut ſignum aliquod Polycleti —————intuentem te, admirantem, clamores tollentem, cum video, ſervum te eſſe ineptiarum omnium judico. Nonne igitur ſunt iſta feſtiva? ſunt. Nam nos quoque oculos eruditos habemus. Sed obſecro te, ita venuſta habeantur iſta, non ut vincula virorum ſint, ſed ut delectamenta puerorum.*

Pauſiacâ] Pauſias inſignis pictor, de quo Plin. lib. 21. cap. 2. & lib. 35. cap. 11.

96. *Fulvi, Rutubæ, Placideiani;*] Hi famoſi erant gladiatores.

97. *Contento poplite.*] Is geſtus eſt certantium digladiantium.

98. *Prælia, rubricâ picta aut carbone*] Publicè & propalam expoſita. Plin. lib. 35. cap. 7. *Quatuor coloribus ſolis immortalia illa opera fecere Apelles, Echion, Melanthius, Nicomachus, clariſſimi pictores; ex albis melino, ex ſilaceis Attico, ex rubris ſinopide Ponticâ, ex nigris atramento————————publicas porticus inveſtivit picturâ gladiatorum, miniſtrorumq; omnium veris imaginibus redditis————————Pingi autem gladiatoria munera, atq; in publico exponi, cœpta à C. Terentio Lucano.*

101. *Subtilis veterum judex & callidus audis.*] Cic. ante citat. *Nos quoque oculos eruditos habemus,*

105. *Quî tu impunitior,*] Perſ. Sat. 5. v. 130. ſimiliter.

————— *quî tu impunitior exis?*

107. *Nempè inamareſcunt epulæ.*] Immodicè epulatus das pœnas, cum debilitatum cruditate corpus vexatur; pedeſque bono ſucco & alimento, proindeque viribus deſtituti, vacillant, ſolitumque officium non præſtant. Vide Sat. 2. huj. lib. v. 75. ſeq.

 Furtivam

Furtivâ mutat ſtrigili? Qui prædia vendit,
Nil ſervile gulæ parens habet? Adde quòd idem
Non horam tecum eſſe potes, non otia rectè
Ponere; téque ipſum vitas fugitivus et erro;
Jam vino quærens, jam ſomno fallere curam:
Fruſtra: nam comes atra premit, ſequitúrque fugacem.
Unde mihi lapidem? Quorſum eſt opus? Unde ſagittas?
Aut inſanit homo, aut verſus facit. Ocyùs hinc te
Nî rapis, accedes opera agro nona Sabino. [713]

dans ſtrigilem ſubreptam circa noctem? qui verò gulæ indulgens prædia venundat, nihil ſervile exhibet? Adde quod tu nequis unâ horâ tecum verſari, nec benè uti otio; atque temet fugis, ut ſervitutem *abhorrens & vagabundus; nunc vino, nunc ſomno quærens levare ſollicitudines, inutiliter: quippe* hæ *triſtes affectæ fugientem urgent ac perſequuntur.* HORAT. *Quâ parte habebo lapidem?* DAVUS. *Ecquid neceſſe eſt?* HORAT. *Ubi tela inveniam?* DAVUS. *Vel furit homo* noſter, *vel condit carmina.* HORAT. *Niſi hinc abis velociter, ibis ad agrum* meum *Sabinum nonus operarius.*

ANNOTATIONES.

110. *Furtivâ mutat ſtrigili?*] Dans ſtrigilem, quam furatus eſt, ad habendam uvam, quam appetit. Strigil inſtrumentum eſt æneum, ferreum, argenteum, quo in balneis ſudorem veteres detergebant.

112. *Non horam tecum eſſe potes,*] Variis diſtractus cupiditatum illecebris, unâ horâ manere apud te ſolus eſſe vix potes; animo tranquillo nunquam frueris: ac proinde *otia rectè ponere,* utiliterque tempus inſumere non vales in rebus feriis & honeſtis. Perſ. in fine Sat. 4. *Tecum habita.* Nunquam minus ſolus ſapiens, quàm cùm ſolus eſt.

113. *Teque ipſum vitas*] Vitioſi ſibimetipſis graves ſunt, maximè ſi ſoli ſint; quia tunc recurrente flagitiorum memoriâ & conſcientiâ ampliùs torquentur.

Fugitivus et erro;] A te diſcedere cupis vel omninò, vel ad tempus: ſicut moleſtum dominum evitat ſervus *fugitivus,* redire nunquam valens: aut ſaltem velut *erro,* dies multos abſens, tandemque rediens.

116. *Unde mihi lapidem, &c.*] Unde lapidem habebo, quo feriam impudentem ſervum? *Unde ſagittas,* quibus illum confodiam?

117. *Aut verſus facit.*] Poëtico furore abreptus. Satira 3. hujus libri in fine:

Adde poëmata nunc; (hoc eſt, oleum adde camino.)

118. *Accedes opera agro nona Sabino.*] Protinùs hinc te amandabo ad ergaſtula prædii & villæ meæ apud Sabinos, ubi cum aliis octo ſervis operi ruſtico incumbas; fiaſque agreſtis ex urbano, vinctus è ſoluto, ſordidus & abjectus è præcipuo. Juvenal. Sat. 14. v. 24. *Carcer ruſticus.* Plin. lib. 18. cap. 3. *Vincti pedes, damnatæ manus rura exercent.* Et cap. 6. *Coli rura ab ergaſtulis peſſimum eſt, & quicquid agitur à deſperantibus.*

SATIRA VIII.

Cœnæ Naſidieni luxum minime lautum irridet.

UT Naſidieni juvit te cœna beati?

HORATIUS. *Quomodo te oblectavit cœna Naſidieni ditis?*

ANNOTATIONES.

1. *Ut Naſid.*] Horatius à Fundanio percunctatur, qualis fuerit cœna illa, quam vanus oſtentator Naſidienus præbuerat Mæcenati, & cui ille interfuerat.

Naſidieni.] Is eques Rom. fuiſſe dicitur. Porro ad metri legem, vel quadriſyllabam vocem accipe, ut *vindemiator,* lib. 1. Sat. 7. v. 30. vel anapæſtum loco dactyli. Apage qui legunt, *Ut te Naſid.* &c. vel, *Naſidieni qui juvit te,* &c. Nam reclamant codices; nec non Priſcianus lib. 17.

Etenim herè mihi te cœnaturum apud me perquirenti dictum eſt te ibi epulari à meridie. FUNDANIUS. *Ita ut nunquam, ex quo vivo, rectius habuerim.* HOR. *Si moleſtum non eſt, dic quod edulium primò ſedaret gravIorem famem.* FUNDAN. *Initio fuit aper è Lucaniâ Auſtro placido captus, quemadmodum affirmabat convivator;* circa erant *acres rapæ, lactucæ, radices; & quæ languentem ſtomachum excitant; ſiſer, alec, fæx* vini Coi. *Poſtquam remota ſunt iſta, ſervus altè ſuccinctus menſam ex acere deterſit mappâ villoſâ purpureâ; alter autem corraſit quicquid ſupervacuum, & quod poſſet nauſeam creare convivis.* Tum *ſubniger Hydaſpes progrediens ad inſtar puellæ Athenienſis, quando ſacra Cereris portat, vinum Cæcubum detulit; Alcon* autem *Chium ſine marinâ aquâ. Mox dominus dixit:* Si fortè *Albanum vel Falernum, ô Mæcenas, te pluſculùm juvat,* quàm *quæ allata ſunt, utrumque adeſt.*

Nam mihi convivam quærenti dictus herè illic
De medio potare die. Sic ut mihi nunquam
In vitâ fuerit melius. Dic, (ſi grave non eſt,)
Quæ prima iratum ventrem placaverit eſca.
In primis Lucanus aper leni fuit Auſtro [714]
Captus, ut aiebat cœnæ pater; acria circùm
Rapula, lactucæ, radices; qualia laſſum
Pervellunt ſtomachum; ſiſer, alec, fæcula Coa.
His, ubi, ſublatis, puer altè cinctus acernam
Gauſape purpureo menſam perterſit, et alter
Sublegit quodcunque jaceret inutile, quódque
Poſſet cœnantes offendere; ut Attica virgo
Cum ſacris Cereris, procedit fuſcus Hydaſpes,
Cæcuba vina ferens: Alcon Chium maris expers.
Hîc herus: Albànum, Mæcenas, ſive Falernum [715]
Te magis appoſitis delectat; habemus utrumque.

ANNOTATIONES.

2. *Herè*] *Heri & here* dicebant veteres: ut *veſpere & veſperi.* Priſcian. Juvenalis Sat. 3. v. 23.

3. *De medio potare die.*] Solemnes ergò epulæ, quæ tam maturè inivèntur, contra morem, de quo alibi Juvenal. Sat. 11. v. 88.

—Ad has epulas ſolito maturiùs ibat.

6. *Lucanus aper*] De Lucaniâ Italiæ regione apris fœcundâ, jam dictum eſt Sat. 3 hujus libri.

Leni Auſtro Captus,] Fruſtra conatur Naſidienus venditare, ſic teneriores factas eſſe illius apri carnes, & fruſtra excuſat fœtorem inductum vehementiori Auſtri flatu, cum nares convivarum eo offenderentur. Vide Sat. 2. hujus lib. v. 40.

7. *Cœnæ pater*;] Convivil præfectus, infrà *Parochus,* nempe Naſidienus.

Acria circum Rapula, &c.] Aptè ſatis ad emendandum fœtorem apri.

9. *Siſer.*] Olus utile ſtomacho, urinam ciens, appetitum excitans. Gall. *Chervy,* vel *ſelris.* Angl. *Skirwort.* Dioſcorid. Plin. &c. Tiberius Cæſar eo delectatus narratur.

Alec,] Vide Sat. 4. hujus libri, v. 73.

Fæcula Coa.] Condimentum è fæce, ſive è craſſiori ſedimento Coi vini. Suprà Sat. 4.

10. *Altè cinctus*] Quo expeditior foret.

Acernam menſam] Ex acere arbore. Gall. *Erable.* Angl. *Maple.* Plin. lib. 16. cap. 15. *Acer,* inquit, *operum elegantiâ & ſubtilitate citro ſecundum.* Pariter & Martial. lib. 14. Epigr. 90.

11. *Gauſape purpureo menſam perterſit,*] Gauſape & gauſapa, periſtroma ſeu tapes, quo menſa inſternebatur. At hîc adhibetur ad tergendam menſam, quæ nullo mantili tecta fuiſſe oſtenditur.

13. *Ut Attica virgo*] Ut Cereris ſacra in caniſtris portat virgo Attica, ſublatis ſupra caput manibus; ita famulus altè defert vaſa vinaria, proceditque lento gradu, ad faſtum & pompam. Vide lib. 1. Sat. 3.

14. *Hydaſpes,*] Puer famoſus, ortus in Parthiâ, prope Hydaſpen fluvium, indeque adeptus nomen. Vide lib. 1. Od. 22.

15. *Cæcuba*] De his lib. 1. Od. 20.

Alcon] Alter famulus.

Chium maris expers.] De Chio vino ſuprà Sat. 4. Quod addit, *maris expers,* vel indicat vinum in Italiâ factum, adeoque non tranſmarinum, quod tamen pro Chio & Græco venderetur; vel hinc jactat purum eſſe, & cui nihil aquæ marinæ admixtum ſit. Nam ſolebant Græci vino infundere marinam aquam, ut firmius, defæcatius, & incorruptius redderetur. Columel. Athen. lib. 1. Plin. lib. 23. cap. 1. Huc pertinet oraculum quoddam paſtoribus editum, quod jubebat Dionyſium in mare mergere.

16. *Albanum,*] Lib. 3. Od. 11.

Falernum] Lib. 1. Od. 20.

Divitias miſeras! ſed queis cœnantibus unà,
Fundani, pulchrè fuerit tibi, noſſe laboro.
Summus ego, et prope me Viſcus Thurinus, et infrà,
Si memini, Varius cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Mæcenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat ſuper ipſum, Porcius infrà,
Ridiculus totas ſimul abſorbere placentas:
Nomentanus ad hoc, qui, ſi quid fortè lateret, [716]
Indice monſtraret digito. Nam cætera turba,
Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, piſces,
Longè diſſimilem noto celantia ſuccum:
Ut vel continuò patuit, cùm paſſeris aſſi, et
Inguſtata mihi porrexerat ilia rhombi.
Poſt hoc me docuit melimela rubere, minorem
Ad lunam delecta. Quid hoc interſit, ab ipſo

HOR. *O infortunatas opes! at aveo ſcire, quibuſcum epulantibus* tàm *lautè cœnaveris, O Fundani.* FUNDAN. *Ego ſupremo in thoro, & juxta me Viſcus Thurinus* accumbebat; *atque inferiori* loco, *ſi* bene *recordor, Varius.* Aderant in medio lecto *Servilius Balatro, & Vibidius, quos aſſeclas adduxerat Mæcenas.* In imo erat *Nomentanus ſupra Naſidienum, infrà* verò *Porcius, riſum præbens,* cùm *devoraret ſimul integras placentas.* Porrò *Nomentanus propterea* aderat, *ut digito indicaret, ſi quid forte* apponeretur *reconditi* ſaporis. *Etenim reliqui è vulgo, nos, inquam, comedimus aves, conchylia, piſciculos, ſaporem habentia valdè cognito diſparem. Hocque mox innotuit, quando mihi obtulit ilia paſſeris aſſi & rhombi, qualia non* ante *guſtâram. Tum me docuit, melimela rubicundiora eſſe,* ſi *decerpantur imminutâ lunâ. Quid* autem *id referat, ab ipſo*

ANNOTATIONES.

18. *Divitias miſeras!*] Hoc alii dici volunt à Fundanio, alii ab Horatio. Senſus eſt: Miſeras divitias, quæ divitem non faciant beatum, imò perſæpè ſordidùm & miſerum reddant! Certè hîc ſordes Naſidienus exhibet, qui non ſtatim optima vina Mæcenati depromat. Eccui enimverò alii reſervabat Albanum ſuum & Falernum?

19. *Fundani,*] Hic erat eo tempore poëta comico ſale & facetiis clarus.

20. *Summus ego,*] Ego ſummus in ſummo lecto. De ſitu diſcumbentium, & ratione diſcumbendi ad menſam, egi lib. 1. Od. 27. Item l. 1. Sat. 4. v. 86. Porrò notandum eſt, honoratiorem in quoque thoro locum fuiſſe medium, & convivii dominum in imo lecto ſemper accubuiſſe. Itaque hîc in ſummo thoro medius erat Fundanius Viſcum Thurinum ſuperiorem inter & Varium inferiorem. In medio lecto medius Mæcenas Balatronem inter & Vibidium, *quos adduxerat umbras.* In imo Naſidienus cum ſuis convivis, Nomentano ſcilicet & Porcio.

Viſcus Thurinus,] Thurio Calabriæ oppido oriundus. Lib. 1. Sat. 10. v. 83.

21. *Varius*] De eo celebri poetâ lib. 1. Od. 6. lib. 1. Sat. 5, & 8.

22. *Umbras.*] Scurras, paraſitos, homines non invitatos à convivatore, ſed ab invitatis adductos velut comites. Sic enim pridem ad cœnam vocatus, de hoſpitis confiſus benevolentiâ, quoſdam deducebat aſſeclas ſecum; quibus nomen datum ex eo quod invitatum ſequerentur, velut umbra corpus. Plutarch. Sympoſ. lib. 7. cap. 6. & alibi.

23. *Nomentanus*] De eo luxurioſo nepote lib. 1. Sat. 8. & alibi.

Porcius] Famoſus nepos.

24. *Placentas:*] Hæ cenſebantur inter præcipuas veterum cupedias & delicias. Caſaubon. in Athen. lib. 3. cap. 29. Perditiſſimi catillonis ſit, inquit, non alimentis veſci, ſed gulæ irritamentis. Epicureus quidam pro mortuo dicitur elatus, placentâ fervente devoratâ. Hieronym, ad Marcellam: *Suaves non ſunt epulæ, quæ non placentas redolent.*

25. *Si quid fortè lateret, &c.*] Ad hoc præſertim vocatus ille, ut cibos quoſque indicaret, & eorum ſaporem velut exquiſitum venditaret. Scilicet erat inſignis obſoniorum artifex, ſeu gulæ antiſtes & myſta.

28. *Longè diſſimilem, &c.*] Ironia. Senſus eſt: Si illi vano oſtentatori & garrulo fides, cœnabamus exquiſita omnia, & ſuccum habentia longè diſſimilem ei, quem guſtare conſuetum eſt.

29. *Ut vel continuò patuit,*] Pergit ironicè loqui.

Paſſeris] Paſſer piſcis planus. Gall. *Carrelet.* Angl. *A plaiſe.* A rhombo differt ſitu corporis duntaxat. Nam *dexter reſupinatus rhombo, paſſeri lævus.* Plin. lib. 6. cap. 20.

31. *Melimela*] Gall. *Pommes de Paradis.* Angl. *Apples of Paradiſe.* Plin. lib. 15. cap. 14. Mala *muſtea à celeritate miteſcendi ſeu matureſcendi, quæ nunc melimela dicuntur à ſapore melleo.*

Minorem ad lunam.] Alii creſcentem, alii decreſcentem interpretantur. Ego certè *lunam minorem* dixerim potiùs quando minuitur, quàm cùm augetur & creſcit: aſtipulatur Plinius, qui imminui lunam ait, pro, decreſcere.

melius acceperis. Deinde Vibidius ait Balatroni: Niſi potamus cum damno præbentis cœnam, moriemur ſine ultione; ſtatimque *petit ſcyphos capaciores. Tunc pallor cœpit immutare vultum dantis epulas, nihil tam formidantis quàm validos potores: ſive quod dicacitres ſiunt, ſive quia vini calor hebetat guſtum acutiorem. Jam Vibidius & Balatro, cunctique pariter urnas integras exhauriunt* poculis *Allifanis: infimi* vero *tori homines minimè læſerunt lagenas.* Mox *apponitur muræna in catino extenſa inter ſquillas juſculo immerſas. Tum dominus ait: Iſta prægnas capta eſt, quæ mihi bonâ carne fuiſſet, poſtquam peperiſſet.*

Audieris meliùs. Tum Vibidius Balatroni,
Nos, niſi damnoſè bibimus, moriemur inulti;
Et calices poſcit majores. Vertere pallor
Tum parochi faciem, nil ſic metuentis ut acres [717]
Potores: vel quòd maledicunt liberiùs, vel
Fervida quòd ſubtile exſurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatróque, ſecutis omnibus: imi
Convivæ lecti nihilum nocuere lagenis.
Affertur ſquillas inter muræna natantes
In patinâ porrecta. Sub hoc herus, Hæc gravida, inquit, [718]
Capta eſt, deterior poſt partum carne futura.

ANNOTATIONES.

32. *Quid hoc interſit,*] Quanti referat, ut hoc vel illo ſtatu lunæ melimela colligantur, ab ipſo Naſidieno didiceris melius. Nempe ille magnâ verborum pompâ de re futili qualibet uſque ad nauſeam diſſerebat.

34. *Nos, niſi damnoſè bibimus, &c.*] Naſidieni, ejuſque convivii inſulſitatem ulciſci aliter non poſſumus, quàm vinum ejus affatim bibendo, cum damno ipſius & dolore.

35. *Vertere pallor*] Avarum ſubit indignatio, ubi œnophora ſua inverti conſpicit.

36. *Parochi*] Παρέχω præbeo.

38. *Fervida quod ſubtile, &c.*] Ex perſonâ avari honeſtam colendi rationem prætexit, quaſi palatum immodici potûs calore obtuſum jam vini bonitatem ſapere nequeat.

39. *Allifanis*] Majoribus & capacioribus poculis, ex Alliſis urbe Samnii, ad amnem Vulturnum, in planitie ſitâ, non longè ab Apennino: quæ nunc in ruderibus jacet. Allifani agri meminit Tullius 2. contra Rullum: & pro Plancio.

40. *Imi Convivæ lecti, &c.*] Naſidienus, ejuſque aſſeclæ duo, Nomentanus & Porcius, in imo lecto diſcumbentes, parum aut nihil biberunt; quia nos majoribus ſcyphis brevi lagenas exhauſimus, & vinaria tota invertimus, ut paulò ante dictum; ſive quod illi attoniti ſpectarent alios tam acriter & ſtrenue potantes; ſeu quod Nomentanus & Porcius Naſidieno familiari ſuo jam pallenti ex avaritiâ novum dolorem creare formidarent, ſi ſaltem ipſi vino ejus haud pepercíſſent. Horatii locum hunc alii aliter interpungunt, *ſecutis omnibus imis. Convivæ lecti, &c.* atque interpretantur ut libuerit: judicabit æquus lector ſenſum fore confuſum & ineptiorem. Apage qui convivas lectos comminiſcitur, id eſt, ſelectos, honoratos. Certè unus Mæcenas ibi primarius vir. Porrò quæ interpretatio, *nihilum nocuere lagenis,* à potu ſibi temperarunt, ſeu temperantiam ſervarunt? Neque verò aptiùs huc intruduntur imi ſubſellii homines, paraſiti, ſcurræ: quorum nulla eſt ibi mentio.

42. *Squillas*] Squilla piſciculus eſt è cancrorum genere, de quo jam antè Sat. 4. Cicero De nat. Deor. 2. n. 123. *Pinna* (quæ eſt è conchis marinis) *cum parvâ ſquillâ coit ſocietatem comparandi cibi.* Plinius lib. 9. cap. 42. rem feſtivè explicat; nec pigebit tranſcribere: *Concharum generis pinna eſt. Naſcitur in limoſis, ſubrecta ſemper, nec unquam ſine comite, quem pinnotheram, vocant alii pinnophylacem. Is eſt ſquilla parva, alibi cancer, dapis aſſectator. Pandit ſe pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piſcibus præbens. Aſſultant illi protinus: & ubi licentia audacia crevit, implent eam. Hoc tempus ſpeculatus index morſu levi ſignificat. Illa, ore compreſſo, quicquid incluſit, exanimat; partemque ſocio tribuit.*

Muræna] Piſcis carens pinnis & bronchiis, de genere eorum, qui *flexuoſo corporum impulſu ita mari utantur, ut ſerpentes terrâ: in ſicco etiam repentes.* Plin. lib. 9. cap. 20, & 23. Idem ibid. cap. 55. celebrat murænarum vivaria, & earum ſex millia in cœnis triumphalibus Cæſaris Dictatoris.

43. *Porrecta.*] Ergò magna & procera. Sat. 2. huj. lib.

Porrectam magno magnum ſpectare catino
Vellem, &c.

Gravida capta eſt, Quod hoc ad rem? & quæ ratio fulciat ea, quæ mox adduntur? Profectò inſulſi convivatoris vana ſomnia.

His

His miſtum jus eſt oleo, quod prima Venafri
Preſſit cella, garo de ſuccis piſcis Iberi;
Vino quinquenni, verùm citrà mare nato,
Dum coquitur: cocto Chium ſic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud; pipere albo, non ſine aceto,
Quod Methymnæam vitio mutaverit uvam.
Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monſtravi incoquere; illutos Curtillus echinos,
Ut meliùs, muriâ, quam teſta marina remittit. [719]
Intereà ſuſpenſa graves aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos majus veriti, poſtquàm nihil eſſe pericli
Senſimus, erigimur. Rufus, poſito capite, ut ſi
Filius immaturus obîſſet, flere. Quis eſſet
Finis, nî ſapiens ſic Nomentanus amicum
Tolleret? Heu fortuna, quis eſt crudelior in nos
Te Deus? ut ſemper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappâ compeſcere riſum
Vix poterat. Balatro ſuſpendens omnia naſo,

His affuſum eſt jus, oleo expreſſo è præcipuâ Venafri cellâ, garo è ſucco piſcium Hiſpanorum, vino quinque annorum, at ciſmarino, dum coquitur: cocto verò ita Chium aptum eſt, ut nullum aliud aptius ſit, non ſine pipere albo, & aceto, quod vinum Leſbium corrupit. Primus ego erucas virides & inulas acerbas; Curtillus autem *herinaceos non lotos, velut convenientius, coquenda inſtituimus muriâ, quam teſta marina reddit. Interim appenſa aulæa graviter collapſa ſunt in catinum,* tantumque *nigri pulveris extulerunt, quantum non movet Aquilo in agris Campanis. Nos timentes* aliquid *gravius, ubi comperimus nihil mali impendere, bono animo fuimus. Rufus* Naſidienus *contra demiſſo capite lacrymatus eſt, quaſi filius intempeſtivè eſſet mortuus. Ecquis modus adfuiſſet, niſi callidus Nomentanus ita familiarem ſolatus eſſet? Eheu fortuna, quod numen eſt inclementius erga nos quàm tu? quantum ſemper gaudium captas res humanas ludendo! Varius cachinnos mappâ coercere vix poterat. Balatro cuncta in jocum*

ANNOTATIONES.

45. *Venafri*] De præſtantiâ olei Venafrani Plin. lib. 15 cap. 2. *In hoc quoque bono principatum obtinuit toto orbe Italia, maximè agro Venafrano.* De eo jam ſuprà Sat. 4. v. 69. De urbe Venafro lib. 2. Od 6. in fine.

46. *Garo de ſuccis piſcis Iberi*;] Garum muriæ genus laudatiſſimum è ſcombris piſcibus, qui frequentes ſunt ad Iberiæ ſeu Hiſpaniæ littora, præſertim ad Carthaginem novam. Plin. lib. 31. c. 8. Vide ſuprà Sat. 4. v. 65. Nec prætermittendum, adjacere parvam inſulam Scombrariam, & promontorium ejuſdem nominis, ſic appellata a frequenti piſcatione ſcombrorum. Strabo.

Iberi;] Iberus fluvius Hiſpaniæ præcipuus, eamque dividens olim in citeriorem & ulteriorem, ei quoque ſæpius apud poetas appellationem tribuit.

47. *Citra mare nato*] Vernaculo, Italico.

49. *Aceto, Quod Methymnæam, &c.*] Aceto optimo ex optimo vino Leſbi inſulæ. Vide lib. 1. Od. 17. Methymna ibi civitas poſt Mitylenen præclara, vino generoſo celebris Silius Ital. lib. 7.

Tmolus, & amb oſiis Arviſia pocula ſuccis,
Ac Methymna ferax Latiis ceſſere Falernis.

51. *Erucas*] Gall. *de la roquette.* Ang *the herb rocket.* Hæc herba urinam ciet, coctionem juvat, alvum laxat. Caſaub. in Athen. lib. 3. cap. 2. *Erucæ*, inquit, *in tenuiorum lautitiis, aliquando etiam in beatorum menſam admiſſæ, ut in cœnâ Naſidieni.*

Inulas.] Gall. *de l'aunée.* Ang. *Elicampane.* *Triſtes* vocat Columella: Horat. ſuprà Sat. 2. v. 44. *acidas.*

52. *Illutos Curtillus echinos, &c.*] Curtillus Epicureus docuit non faciendam è maceratis echinis muriam, ſed integros potiùs coquendos eſſe *illutos*, id eſt, non ablutos, & ſuâ ſalſugine non purgatos, ſed quales depromuntur è vaſis, in quibus ſaliti fuerunt.

Echinos,] De his Sat. 4 huj. lib. v. 33.

53. *Ut melius.*] Aſſerens nihil eſſe melius, quam ita illos incoquere in muriâ ſive ſucco illo ſalſo, qui reperitur in murinâ teſtâ.

54. *Suſpenſa graves aulæa ruinas, &c.*] Grande certe infortunium. Olim triclinii camero velo ſeu tabernaculo obtendebatur ad accipiendum pulverem. Varro. Servius ad Æneid. 1. v. 701.

56. *Campanis excitat agris.*] Campania, quòd ſit plana & campeſtris regio, plus habet pulveris.

57. *Nos majus veriti.*] Scilicet ruinam & caſum tecti ac domûs.

63. *Mappâ compeſcere riſum*] Appoſitâ ori mappâ.

64. *Suſpendens omnia naſo,*] Lib. 1. Sat. 6. v. 5.

Hæc eſt conditio vivendi, aiebat; eóque
Reſponſura tua nunquam eſt par fama labori.
Téne, ut ego accipiar lautè, torquerier omni
Sollicitudine diſtrictum? ne panis aduſtus,
Ne malè conditum jus apponatur; ut omnes
Præcincti rectè pueri comptíque miniſtrent? [720]
Adde hos prætereà caſus: aulæa ruant ſi,
Ut modò; ſi patinam pede lapſus frangat agaſo.
Sed convivatoris, utì ducis, ingenium res
Adverſæ nudare ſolent, celare ſecundæ.
Naſidienus ad hæc: Tibi dii, quæcunque preceris,
Commoda dent; ita vir bonus es, convivàq; comis.
Et ſoleas poſcit. Tum in lecto videres
Stridere ſecretâ diviſos aure ſuſurros.
Nullos his mallem ludos ſpectâſſe. Sed illa
Redde, age, quæ deinceps riſiſti. Vibidius dum
Quærit de pueris, num ſit quoqe fracta lagena,
Quod ſibi poſcenti non dentur pocula; dúmque
Ridetur fictis rerum, Balatrone ſecundo; [721]
Naſidiene, redis mutatæ frontis, ut arte
Emendaturus fortunam. Deinde ſecuti

trahens, dicebat, Ea ſors eſt hujus vitæ, ideoque nunquam fama æqua reſpondebit labori tuo. Itane verò oportet *te ſollicitari multiplici curâ diſcerptum, ut ego lautas* epulas *capiam? ne aduſtus panis, ne jus malè conditum inferatur; ut benè expediti miniſtri omnes nitidique famulentur? His adjunge infortunia: putà, ſi tentoria coliabantur, ut modò* contigit; *ſi offenſo pede ſervus catinum diſrumpat. Verùm ſicut imperatoris,* ita *convivium præbentis animum res contrariæ oſtendere, proſperè occultare conſueverunt. Naſidienus ad iſta* reſpondit: *Quæcunque bona poſtulabis, Dii largiantur tibi; adeò vir probus es, & facetus conviva.* Tumque *petit crepidas. Mox in ſingulis thoris aſpexiſſes clam ad aurem fieri ſuſurrationes diverſas.* Certè *nullos velim ludos ſpectaſſe potius quam iſtos,* HORAT. *At refer ea, quæ poſtea jocum tibi dedere.* FUNDANIUS, Riſimus *dum famulos interogavit Vibidius, an fracta etiam lagena ſit, quod poſtulanti ſibi pocula non præberentur. Dum verò conflatur riſus è ſimulatis rebus, Balatrone obſecundante*; en *revertitur Naſidienus mutatâ fronte, quaſi ingenio reparaturus infortunia. Pone ſequebantur*

ANNOTATIONES.

65. *Hæc eſt conditio vivendi*] Ut nullum ſit bonum purum, & ſtabile; ſed *extrema gaudii luctus occupet.*

66. *Reſponſura tua nunquam, &c.*] Fama nunquam ſatis prædicare poterit tuum hunc laborem in parandis ac reparandís epulis, quarum hilaritas gravi aulæorum caſu interturbata eſt.

70. *Comptique miniſtrent?*] Hoc maximè ad convivii lautitiam pertinere credebant olim, ut formoſi & nitidi eſſent miniſtri, quorum aſpectu convivæ oblectarentur.

72. *Agaſo.*] Propriè qui jumenta curat. Gall. *Palefrenier.* Ang. *A hoſtler, or groom.* Non caret ſarcaſmo dictio illa: qualis enim erat agaſo, ut miniſtraret convivis?

77. *Et ſoleas poſcit.*] Veteres priuſquam accumberent, togas mutabant veſtibus, quas à re *cœnatoria* dixerunt. Petron. *Cœnatoria repetimus, & in proximam cellam ducti ſumus, in quâ tres lecti ſtrati erat.* Tum etiam ſoleas pedibus demebant, ne lectum lectique ſtragula & toralia conſpurcarent. Martial. 3. 50.

Depoſui ſoleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas oxygarumque liber.

Quò verò pergit Naſidienus ſoleis reſumptis? Convivium aulæorum caſu & multo pulvere inquinatum vult reparare, Balatronis ſermone ſcilicet erectus & ipſe reparatus. Vide J. Lipſ. Antiq. lect. lib. 3.

Soleas] Calceamenti genus plantas tegens pedum, annexum teretibus habenis cætera propè nuda vincientibus. Factum nomen, quod ſolum dumtaxat ſeu plantam obtegerent. Porrò calceis veteres foris utebantur, at domi ſoleis. Has etiam appellabant crepidas & crepidulas, à Græcâ voce κρηπῖδες. Gell. lib. 13. cap. 20.

78. *Stridere ſecretâ, &c.*] Alter alteri inſuſurrat: Ecquo pergit ille? quid molitur? Obſerva, lector, in hoc verſu frequentiorem literam S, belle ſuſurros exprimentem.

83. *Fictis rerum,*] Ridendi prætextus fingebatur, ne ſe derideri Naſidienus adverteret, cùm maxime rideretur. Sat. 2. hujus lib. *Vanis rerum corruptus.*

Balatrone ſecundo;] Secundas partes agente, Vibidium adjuvante, ad movendum riſum.

84. *Mutatæ frontis,*] Hilaris è mœſto factus, læto animo lætitiam inſtauraturus.

Mazo-

Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes
Membra gruis ſparſi ſale multo, non ſine farre;
Pinguibus et ficis paſtum jecur anſeris albi,
Et leporum avulſos, ut multò ſuaviùs, armos,
Quàm ſi cum lumbis quis edit: tum pectore aduſto
Vidimus et merulas poni, et ſine clune palumbes:
Suaves res, ſi non cauſas narraret earum, et [722]
Naturas dominus; quem nos ſic fugimus ulti,
Ut nihil omninò guſtaremus, velut illis
Canidia afflâſſet pejor ſerpentibus Afris.

famuli in prægrandi lance geſtantes membra gruis diviſa, plurimo ſale itemque farre conſperſa; *nec non jecur albi anſeris pinguibus ficis ſaginatum; humeros etiam leporinos abſtractos, tanquam longè melius* quid, *quàm ſi cum lumbis edantur. Tum aſpeximus afferri merulas aduſto pectore, & palumbes ſine natibus: quæ* quidem, *jucunda* extitiſſent, *ſi cauſas eorum & naturas* importunè *herus non commemoraſſet.* Ergò *hunc nos ulti* ſumus, *ita fugientes, nihilque prorsùs delibantes, perinde ac ſi Canidia Africanis anguibus peſtilentior illa aſpirando infeciſſet.*

ANNOTATIONES.

86. *Mazonomo*] Genus eſt lancis magnæ: dicitur ἀπὸ τῦ νέμειν μάζας, à diſtribuendo mazas, id eſt, edulia quædam è farinâ & lacte, ut vult Suid. è farinâ, aquâ, & oleo, ut placet Heſychio. Varro uſus eſt eâ voce lib. 3. cap. 4. De re ruſt. *Lucullus*, inquit, *è turdis aviarium fecit in Tuſculano; ut alios videret poſitos in mazonomo coctos, alios circum feneſtras volitantes.*

Diſcerpta ferentes Membra gruis] Quale hoc edulium è receſis gruis membris multo ſale farrato conſperſis? Alii intelligunt τραχήλια ſeu edulia è partibus avium extremis, maximè cervicibus. Plin. lib. 10. cap. 23. *Cornelius Nepos, qui D. Auguſti principatu obiit, cum ſcriberet turdos paulò antè cœptos ſaginari; addidit, ciconias magis placere quàm grues: cum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit tetigiſſe.*

88. *Pinguibus & ficis paſtum jecur anſeris albi,*] Hoc in præcipuis deliciis erat. Plin. lib. 10. cap. 22. *Noſtri ſapientiores, qui eos* (anſeres) *jecoris bonitate noverunt. Fartilibus in magnam amplitudinem creſcit, ... exemptum quoque lacte mulſo augetur.* Juvenal. Sat. 5.

Anſeris ante ipſum magni jecur.

Perſ. Sat. 6.

———*Satur anſeris extis.*

Martial. lib. 13. Epigr. 58.

Aſpice quam tumeat magno jecur anſere majus.

Vide Athen. lib. 9. cap. 8.

Anſeris albi.] Talem in primis commendat. Varro De re ruſt. lib. 3. cap. 10.

89. *Et leporum avulſos, &c.*] Vide hujus lib. Sat. 4. ubi,

Leporis ſapiens ſectabitur armos.

Martial. de anate: 13, 52.

Tota tibi ponetur anas, ſed pectore tantum
Et cervice ſapit. Cætera redde coquo.

91. *Merulas*] Gall. *Des merles.* Angl. *Blackbirds.*

Palumbes;] Silveſtres columbas. Gall. *Ramiers.* Angl. *Ring-doves.*

Sine clune] Quæ tamen pars optima eſt, et palato ſuaviſſima. Vide Gell. lib. 15. cap. 8. *Negant ullam avem præter ficedulam totam comeſſe oportere: cæterarum avium atque altilium niſi tantum apponatur, ut à cluniculis inferiori parte ſaturi fiant, convivium putant inopiâ ſordere: ſuperiorem partem avium atque altilium qui edunt, eos palatum non habere, &c.*

92. *Suaves res, ſi non, &c.*] Quæ quidem obſonia nobis fortaſſe jucunda extitiſſent, ſi non importunâ garulitate ea Naſidienus nimium venditaſſet; ac velut optima collaudaret, quæ ſunt deteriora, adductis perperàm à rerum naturâ cauſis & rationibus.

93. *Fugimus ulti, Ut nihil, &c.*] Ulti ſumus, nihil guſtando ex iis quæ ſic ineptè venditârat.

94. *Velut illis Canidia afflâſſet, &c.*] Ut ſi afflatu ſuo venenum lethiferum affudiſſet *Canidia*, venefica celebris, de quâ in Epod. ult. Columel. *Cavendum ne à ſerpentibus afflentur, quarum odor tam peſtilens, ut interimat univerſos.*

95. *Sepentibus Afris.*] Africa monſtrorum omnis generis ferax. Alii leg. *atris.*

Q. HORATII FLACCI EPISTOLARUM

LIBER I.

HÆC pars Horatii Sermonum altera dici poteſt, continens epiſtolas, in quibus eleganter & ornatè quidem ad amicos ſcribit, non tam de rebus domeſticis & futilibus, quâm de graviſſimis quibuſque, putà de moribus verâ virtute informandis. Meritò igitur *Sapientes Epiſtolas* nuncupat Scaliger. Quod ſi novum, at certè pulchrum eſt, verſibus & ſtrictâ oratione ſcribere ejuſmodi epiſtolas. Hinc etenim & major familiaritas in ſuos elucet, & nonnullam ſcribenti libertatem & amœnitatem tribuunt Muſæ. Ita ſanè quædam faciliùs enarrantur, & quæ per ſe auſtera, jucundiùs excipiuntur.

Prima hæc epiſtola Mæcenatis hortatu ſcripta ſatis apparet, & quidem ætate jam provecto poëta noſtro. In eâ reprehenduntur homines virtutem honoribus ac divitiis poſthabere ſoliti, & quæ ad corpus, quàm quæ ad animum ſpectant, multò ſtudioſiùs inquirentes. Jul. Scaliger Poët. lib. 6. quanquam durus aliàs caſtigator, *nitidioris ſtyli* fatetur eſſe Epiſtolas. *Prima*, inquit, *quovis melle dulcior eſt: ſententiæ appoſitæ, dictio caſta, rotunda, ſuavis. Quapropter arbitror poſtremam omnium factam, primam poſitam ob luculentam raritatem. Quare etiam Epiſtolarum librum Satiris poſtponendum cenſeo. Id quod cùm in vetuſtis exemplaribus videamus, neſciò quid conſilii in mentem venerit iis, qui inventum ordinem ſubverterunt. Grammatico nihil infelicius. Credo quòd viderent verſum illum,* ſummâ dicende camœnâ: *quaſi verò non hanc ipſam intelligeret.*

EPISTOLA I. Ad *MÆCENATEM*.

Inconſtantiam hominum redarguit, & pravum judicium de opibus & honoribus.

PRIMA dicte mihi, ſummâ dicende Camœnâ [724]
Spectatum ſatis, et donatum jam rude quæris,
Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.
Non eadem eſt ætas, non mens. Veianius, armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extremâ toties exoret arenâ.
Eſt mihi purgatam crebro qui perſonet aurem; [725]
Solve ſeneſcentem maturè ſanus equum, ne

INTERPRETATIO.

O Mæcenas, a me celebrate primis carminibus, & celebrande poſtremis, me ſat probatum, jamq; libertate fruentem, vis rursùm obſtringere veteri exercitatione. Atqui *non eadem ætas adeſt, non* idem *ingenium. En Veianius, armis in Herculis æde ſuſpenſis, deliteſcit quietus ruri, ne amplius populum deprecetur in ultimâ arenâ.* Certè *adeſt, qui ſæpius inſuſurret ad aurem meam ſapientem: Dimitte prudens tempeſtivè equum ad ſenium vergentem, ne*

ANNOTATIONES.

1. *Primâ dicte mibi, &c.*] Similem dictionem legas apud Græcos poëtas, Heſiod. Homer. Theocrit. Theogn. præſertim erga Deos: unde Horatius Mæcenatem quaſi numen venerari ſe oſtendit. Sic Eclogâ 8. Virgilius ſivè Pollionem ſive Auguſtum alloquitur,

A te principium, tibi deſinet: accipe juſſis
Carmina cœpta tuis.

2. *Donatum rude*] Acceptâ miſſione jam liberum. *Rudis* virga erat (palmea ſi quibuſdam fides) quâ donabantur gladiatores, in ſignum exauctorationis; ut deinceps ceſſarent à gladiaturâ, & alimenta ex publico caperent. Hinc dicti rudiarii. Priſcian. Sueton. Tiber. cap. 7. *Munus gladiatorium dedit diverſis temporibus ac locis. Primum in foro, ſecundum in amphitheatro, rudiariis quoque quibuſdam revocatis auctoramento centenûm millium.*

3. *Antiquo ludo.*] Scribendis etiamnum lyricis & amatoriis carminibus, velut olim in juvenili flore & facultate. Atqui minùs aptus nunc ſum iſtis rebus: imo ſeria, honeſta, philoſophica dein conſector.

4. *Veianius,*] Illuſtris gladiator.

Armis Herculis ad poſtem fixis,] Armis poſt emerita ſtipendia ſuſpenſis ex more in Herculis ſacello, quod erat ad amphitheatrum: ut notat Theod. Marcilius. Cujus certè magis arridet ſententia, quàm opinantium idcircò præ cæteris diis Herculem nominari, quod ille cum monſtris luctatus toties victor fuerit.

5. *Latet abditus agro,*] Apud villulam ſuam ruſticam otio fruitur.

6. *Ne populum extremâ, &c.*] Ne ultrà cogatur ſupplicare populo in theatro ſedenti; ſeu ad petendam vocationem, ſeu ad deprecandam mortem: *extremâ arenâ,* in ultimo vitæ diſcrimine, & jamjam à pari ſuo victore enecandus: vel, in extremâ amphitheatri margine, ubi certabatur.

7. *Eſt mihi purgatam, &c.*] Prima ratio ſeu excuſatio non ſcribendi fuit Veianii rudiarii exemplum; altera eſt rationis monitum recte & ſapienter ſuggerentis, mature ceſſandum, ne prior gloria poſterioribus ſcriptis & animo jam marceſcente obſcuretur.

Purgatam] Philoſophiæ documentis excultam, & ſanam mentem. Perſ. Sat. 5.

——purgatas inſeris aures
Fruge Cleanthea——

8. *Solve ſeneſcentem*] Sicut prudentis eſt incitatoris, equum ætate fatiſcentem jamque minus alacrem ſolvere à curru, & maturè à circo removere, ne iliosſus ac ſuſpirioſus in curuli certamine deficiat, prioreſque victorias dehoneſtet; ita debet ſcriptor ingenioſus tempeſtivè ſe quieti dare, & à ſcribendo ceſſare, cùm ſenio fatiſcens eximia, ut ante, depromere non valet. Ennius,

Sicut fortis equus, ſpatio qui ſæpè ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectu' quieſcit.

De circenſibus Romam tranſlatis, de poſitis metis, de ſolemnibus curriculis, deq; ſepteno aurigarum ad metam circuitu, ac cæteris ludorum ritibus, vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. &c.

9. *Ilia ducat.*] Spiritûs ducendi laborans difficultate, circi decurrere ſpatia pari ut olim ve-

Peccet

Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.
Nunc itaq; et verſus, et cæterà ludicra pono:
Quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc ſum:
Condo, et compono, quæ mox depromere poſſim.
Ac ne fortè roges, quo me duce, quo lare tuter;
Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes. [726]
Nunc agilis fio, et merſor civilibus undis,
Virtutis veræ cuſtos, rigidùſque ſatelles;
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor;
Et mihi res, non me rebus, ſubjungere conor.
Ut nox longa quibus mentitur amica, diéſq;
Longa videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum;
Sic mihi tarda fluunt ingratáq; tempora, quæ ſpem
Conſiliúmque morantur agendi gnaviter id, quod
Æquè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè;
Æquè neglectum pueris ſenibúſque nocebit.
Reſtat, ut his ego me ipſe regam ſolèrq; elementis.

Sub finem deficiat, atque ægre anhelitum trahens de rideatur. Ergò jam carminibus, aliiſque jocis nuncium remitto. Satago deinceps & quæro, quid bonum, quid honeſtum ſit; *atque in id incumbo totus. Colligo & contexo, quæ ſtatim adbibere queam* ad uſum. *Ac ne forte ſciſciteris, quem ego magiſtrum, quam diſciplinam ſequar; nullius* videlicet *præceptoris opinionibus me addico; ſed velut hoſpes feror, quocunque me impetus agit. Modò ſum actuoſus, & reip. negotiis occupor, acer virtutis ſinceræ defenſor & obſervans; modò clam redeo ad Ariſtippi documenta; mihique res, non me rebus, velim ſubjici. Sicut* autem *longa nox* iis, *quos meretrix fallit, & dies longa operi debito aſtrictis videtur; annus verò tardus pupillis ſeveræ diſciplinæ novercarum obnoxiis; ita mihi lentum & moleſtum tempus labitur, quod ſpem differt ac deſiderium exequendi ſtrenue illud, quod inopibus pariter ac divitibus utile ſit; ſpretum* verò *pueris ac ſenibus ſimiliter nocebit. Supereſt ut me ipſe his præceptionibus regam & tuear.*

ANNOTATIONES.

Focitate & ardore, adeóque alios ſecum certantes prævertere & ſuperare nequeat. Plin. lib. 26. cap. 6. *Tanta vis,* inquit, *verbaſco eſt ut jumentis non modò tuſſientibus, ſed ilia quoque trahentibus auxilietur potu.*

10. *Cætera ludicrà*] Nugas, jocos, lyrica, ſatirica.

11. *Quid verum atque decèns, &c.*] Philoſophiæ morali operam do ſedulam.

12. *Condo, & compono,*] Moralia documenta in mente meâ recondo & rumino, ac pòſt in ordinem digeſta ſcribo, tum ad meam, tum ad aliorum utilitatem.

13. *Quo duce, quo lare, &c.*] Quam ſectam amplectar. Lib. 1. Od. 9. *Socraticam domum.* Plures nempe philoſophorum familiæ celebres ſuum quæque ducem ac principem colebant: Academici Platonem, Peripatetici Ariſtotelem, Stoici Zenonem, Cyrenaici Ariſtippum, Epicurei Epicurum, &c. Vide Diogen. Laert.

14. *Nullius addictus jurare, &c.*] *Nullis ullius diſciplinæ legibus adſtricti, quibus in philoſophiâ neceſſariò paremus, quid ſit in quaque re maximè probabile ſemper requiramus.* Cicer. Tuſcul. 4. n. 7.

Jurare in verba] Metaphora eſt à re militari, apud quam milites in verba ducis jurant, eique ſe obſtringunt ſacramento.

16. *Nunc agilis fio, &c.*] Interdum Stoicus, proſcriptis voluptatibus, ſummum bonum in virtute repono, & ſapientem à capeſſendâ republ. non removeo.

18. *Nunc in Ariſtippi, &c.*] Aliàs voluptates corporis conſector, atque in his ſummum bonum ſtatuo: rei verò publicæ adminiſtratione ſapienti interdico; pariter ſentiens cum Cyrenaicis & Epicureis, cumque horum ducibus Ariſtippo & Epicuro. Cic. 4. Acad. n. 131. *Alii voluptatem finem eſſe voluerunt, quorum princeps Ariſtippus, qui Socratem audierat: unde Cyrenaici*——————*Ariſtippus, quaſi animum nullum habeamus, ita corpus ſolum tuetur.*

19. *Et mihi res, non me rebus, &c.*] Quid hoc ſibi velit, Ariſtippus ipſe dicat & explicet. Nimirùm cùm objiceretur, Habere eum Laida: minimè erubeſcens, *Habeo Laida,* inquit, *non habeor à Laide.* Cicer. lib. 9. Epiſt. 26.

24. *Agendi gnaviter id, quod*] Scribendi vulgandique libellum moralia præcepta continentem.

26. *Pueris ſenibuſq;*] Perſ. Sat. 5. v. 65.

——*Petite hinc, juveneſque ſeneſque,*
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.

27. *Elementis.*] Primis philoſophiæ documentis, morum regulis.

Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi; [727]
Nec, quia deſperes invicti membra Glyconis,
Nodoſâ corpus nolis prohibere chiragrâ.
Eſt quôdam prodire tenus, ſi non datur ultrà.
Fervet avaritiâ, miſeróque cupidine pectus?
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? ſunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinoſus, amator,
Nemo adeò ferus eſt, ut non miteſcére poſſit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.
Virtus eſt vitium fugere, et ſapientia prima [728]
Stultitiâ caruiſſe. Vides, quæ maxima credis
Eſſe mala, exiguum cenſum, turpémq; repulſam,
Quanto devites animi capitiſque labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes:

Enimverò quamvis *nequeas tam acute videre quam Lynceus, non ideo tamen deſinas ungere oculos lippientes; ac licet non ſperes robur fortis Glyconis, non* proptereà *negligas à corpore arcere chiragram innodantem. Licet aliquatenus progredi, tametſi non liceat ulteriùs.* Verum enim *ſi animus æſtuat avaritiâ & cupiditate miſeros faciente*; in promptu *adſunt ſermones, quibus mitigare queas hoc malum, & magnam iſtius ægritudinis partem depellere. Si gloriæ ſtudio inardeſces, habes quædam remedia, quibus curari poſſis, libro ter ſanctè perlecto.* Denique, *invidus, iracundus, piger, ebrioſus, perditè amans, & quantumvis inhumanus quiſque* profectò *ſanari poteſt, ſi quidem animum docilem præbeat diſciplinæ. Virtus eſt fugere vitium, & prima ſapientia liberum eſſe à ſtultitate. Cernis, quanto animi & corporis niſu declines mala, quæ putas eſſe maxima*; videlicet, *paupertatem, ac repulſam ignominioſam.* Sic tu *negotiator ad ultimos Indos contendis, inopiam ſtrenue devitans per mare, per ſcopulos, per flammas;*

ANNOTATIONES.

29. *Non tamen idcirco, &c.*] Etſi nequeas tam acres habere oculos, quam Lynceus; non ideò tamen negligas collyrium oculis adhibere, ad arcendam vel ſanandam lippitudinem. De *Lynceis* oculis, lib. 1. Sat. 2.

30. *Glyconis,*] Is fuiſſe robuſtus pugil dicitur. Quidam legunt, *Milonis*; nempe Crotoniatæ mentionem hîc eſſe volunt, qui taurum vivum humeris tulit, manu mactavit, ac devoravit, in Olympicis victor. Heinſius ingenioſè & eruditè contendit intelligendum eſſe hîc Glyconem philoſophum, quem Laërtius ſcribit, *firmo corpore & habitu prorſùs athletico* extitiſſe.

31. *Nodoſâ chiragrâ.*] De *chiragrâ* lib. 2. Sat. 7. *Nodoſa*, quia nodis quaſi præpedit motum & uſum manuum, Seu quòd humor craſſus digitorum internodia occupans, turgeſcere faciat velut nodos & lapillos quoſdam. Unde Perſius *lapidoſam* dicit chiragram, Sat. 5. v. 58.

32. *Eſt quodam prodire tenus, &c.*] Al. *quadam*. Senſus eſt: Quanquam non licet recondititiſſima philoſophiæ arcana ſcrutari, at prodeſt tamen plurimùm vel primis *elementis* imbui, & ſaltem delibare nonnihil ex iſtis medicamentis vitiorum. Expugnat Horatius eos, qui ſapientiæ ſtudium hinc diſſuadebant, quòd eam aſſequi perfectè nemo poſſit.

34. *Sunt verba & voces, &c.*] Doctrina morum habet remedia adverſus quemlibet animi morbum.

36. *Piacula, quæ te Ter purè lecto, &c.*] Adverte tria verba à rebus ſacris & religione tranſlata ad ſapientiæ ſtudium. *Piacula:* lib. 1. Od. 2. v. 29. & Epod. 5. v. 90. *Ter:* de ternario numero in ſacris ſolemni dixi alibi. Juvenal. Sat. 6. v. 522. Perſ. Sat. 2. v. 16. *Purè:* purâ mente. Tibull.

Caſta placent ſuperis: purâ cum veſte venite:
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

40. *Si modò culturæ patientem, &c.*] Cic. Tuſc. 2. n. 13. *Cultura animi philoſophia eſt, quæ vitia radicitus extrahit, ac præparat animum ad ſatus excipiendos: eaque mandat & ſerit, quæ adulta fructus uberrimos ferant.*

42. *Stultitiâ caruiſſe.*] Carere vitiis. Is enim vitioſus, qui falſis ac ſtultis vulgi opinionibus velut normâ vivendi abutitur. Contrà qui rectæ rationis lumen ſequitur, bonus & ſapiens eſt.

43. *Turpemque repulſam,*] In petendo magiſtratu. Cic. pro Plancio: C. *Marius duas Ædilitias accepit repulſas.* Offic. 1. n. 71. *Cum offenſiones tum repulſas quaſi quandam ignominiam timet & infamiam.*

44. *Capitiſque labore.*] Synecd. pars pro toto.

45. *Ad Indos,*] Ad remotiſſimas orbis regiones. Vide lib. 1. Od. 12. v. 56.

46. *Per mare pauperiem fugiens,*] Juvenal. Sat. 14. v. 275.

at verò *detrectas auſcultare ſapientiori, ac erudiri, ut ſcias ea contemnere, quæ fatuè æſtimas magni, & concupiſcis? Ecquis peritus certandi in pagis & compitis, non malit victor eſſe in celebribus Olympicis, ſi ſpes facilis adſit adipiſcendæ victoriæ ſine* magno *labore?* Enimverò *ut argentum auro,* ſic *aurum virtutibus poſtponi debet.* Nec audiendus qui ſic moneat: *O cives, cives, opes primò ſunt comparandæ; virtus autem poſt pecuniam. Illud* quidem *monſtrat Janus ſummus atque imus. Hæc præcepta recolunt tam pueri quàm ſenes, brachio ſiniſtro appenſa* geſtantes *loculos & tabulam.* Adde quod *ſi ſex* aut *ſeptem millia deſiderantur ad quadringenta,* licet *habueris ingenium, probitatem, facundiam, integritatem;* nihilominùs eris *plebeius. Verum* quanto melius *pueri inter ludendum edicunt, Rex eris,*

Ne cures ea, quæ ſtultè miraris et optas,
Diſcere et audire, et meliori credere non vis?
Quis circùm pagos et circùm compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine pulvere palmæ? [729]
Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum.
O cives, cives, quærenda pecunia primùm,
Virtus poſt nummos: hæc Janus ſummus ab imo
Perdocet: hæc recinunt juvenes dictata ſenéſq;
Lævo ſuſpenſi loculos tabulámque lacerto.
Eſt animus tibi, ſunt mores, et lingua, fidéſque;
Si quadringentis ſex ſeptem millia deſint;
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,

ANNOTATIONES.

——————Aſpice portus,
Et plenum magnis trabibus mare. Plus hominum eſt jam,
In pelago. Veniet claſſis quocunque vocarit
Spes lucri; nec Carpathium, Gætulaque tantùm
Æquora tranſiliet, &c.

46. *Per ſaxa,*] Per ſcopulos marinos, per quælibet vitæ diſcrimina.

Per ignes:] Vel per graviſſima pericula, vel per mundi partes Zonæ torridæ ſubjectas. Lib. 3. Od. 3. v. 55. Virgil. Georg. 1. v. 234.

47. *Ne cures ea, &c.*] Ut minora mala declines, v. g. paupertatem, nullum non laborem ſubeundum ultro credis; cur igitur detrectas facilè doceri, quo pacto fugias multò gravius malum? Scilicet *audire piget* ac *diſcere, & credere non vis* aſſerenti philoſopho, *Stultum* eſſe *mirari & optare,* ſeu avidè conſectari opes & honores tantis *curis* atque laboribus.

48. *Diſcere & audire,*] Ὕστερον πρότερον. Prius enim *audire* quàm *diſcere.*

49. *Quis circum pagos, &c.*] Majorem gloriam minori præfert vel ruſticus & hebes quivis. Quare ergo tu virtutis decus, & glorioſum pecuniæ contemptum non anteponis ipſis opibus; præſertim cùm hæ non niſi ægrè & vix haberi queant, illa verò facilè poſſint comparari per ſtudium ſapientiæ?

50. *Olympia,*] Olympicis in ludis. Vide lib. 1. Od. 1.

51. *Sine pulvere*] Ἀκονιτὶ Thucyd. & Herodian. Metaph. *citra laborem, nullo certamine & periculo.* Ita etiam ἀνιδρωτὶ & ἀναιμωτὶ, *ſine ſudores* ἀναιμωτὶ νικᾷν, *ſine ſanguine, ſeu incruentam victoriam referre.*

52. *Vilius argentum eſt auro, &c.*] Caſſian. Collat 23. cap. 3. præclaram ſimiliter gradationem inſtituit: *Stannum vilius argento, argentum auro, aurum gemmis, gemma margaritis, margaritæ ſanctitate.*

53. *O cives, cives, &c.*] Proſopopœia, quâ ſtultè loquens inducitur quiſpiam è vulgo.

54. *Hæc Janus ſummus, &c.*] Id norunt & docent fœneratores ac trapezitæ in foro conſiſtentes duas inter Jani ſtatuas. De his lib. 2. Sat. 3. v. 18.

56. *Lævo ſuſpenſi, &c.*] Hunc eundem verſum anteà jam poſitum explanavi, lib. 1. Sat. 6. v. 24. *Loculos,* ad fœnus reponendum, vel in quibus calculi ad numerandum: *tabulam,* vel in quâ debitorum nomina deſcripta ſunt, vel ſuper quam poſitis calculis aut numeris ſupputatur.

57. *Quadringentis.*] Supple millibus ſeſtertiûm; qui cenſus equeſtris eſt, ut alibi annotavi. Quidam legunt, *Sed quadringentis, &c.* ut ſic loquatur avarus idem & ambitioſus: Quidni opes congeram, ut â plebe me ſegregem, & ad equeſtrem cenſum, ordinem, dignitatemq; aſſurgam? At prior lectio & interpretatio præferenda.

59. *At pueri ludentes,*] Confutatio eſt ſtultorum præceptorum Jani, ex naturali lumine & recto puerorum judicio. Hi nimirum verè, ſanctè, juſtè ſentientes, inter ludendum ſpondent principatum ei, qui rectius egerit, non ei, qui ſit pulchrior, opulentior, nobilior. Vide Jul. Poll. lib. 9. cap. 7. ubi de baſilindâ, aliiſque ludis puerorum.

Si

Si rectè facies. *Hic* murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ.
Roſcia, dic ſodes, melior lex, an puerorum eſt [730]
Nænia, quæ regnum rectè facientibus offert,
Et maribus Curiis, et decantata Camillis?
Iſne tibi meliùs ſuadet, qui ut rem facias; rem,
Si poſſis rectè; ſi non, quocunque modo rem;
Ut propiùs ſpectes lacrymoſa poëmata Puppî;
An qui fortunæ te reſponſare ſuperbæ
Liberum et erectum præſens hortatur, et aptat?
Quòd ſi me populus Romanus fortè roget, cur
Non ut porticibus, ſic judiciis fruar îſdem,
Nec ſequar, aut fugiam quæ diligit ipſe vel odit; [731]
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni

ſi rectè agas? Ita ſane. *Hic* tibi *murus ſit ex ære; nullius peccati conſcium eſſe, nullius flagitii* probrum *timere. Age, reſponde, an Roſcia lex præſtantior, an puerorum edictum, quo bene agentibus regnum defertur, fortibus Curiis & Camillis celebratum? An ille tibi meliora ſuggerit, qui* admonet, *ut opes acquiras juſte* quidem, *ſi* fieri *poteſt; ſin autem, quâcunque ratione opes* congeras, *ut propius ſpectes flebilia carmina Puppî; an qui præſens ſuadet ac deſiderat, ut expeditus ac fortis arroganti fortunæ obſiſtas? Quod ſi populus Rom. à me forte percunctetur, quare non eadem* cum ipſo *judicia habeam, ſicut porticus* habeo communes; & cur *non amem vel oderim quæ ipſe amat aut averſatur*; *reſpondebo* idem, *quod olim aſtuta vulpes aiebat leoni ægrotanti*:

ANNOTATIONES.

60. *Hic murus aheneus eſto.*] Proverbialis dictio. Senſus eſt: nihil firmiùs tene quàm doctrinam hanc: vel, ut explicat Eraſmus, hoc certum ſit tibi & immutabile animi decretum. Item muro quolibet aheneo fortior & inexpugnabilior eſt innocentia & integritas. Hæc tibi ſit velut propugnaculum ære validius.

62. *Roſcia lex.*] Lex theatralis lata à Roſcio Othone trib. pleb. quâ vetuit equitem Rom. fieri, niſi qui poſſideret quadringenta millia ſeſtertiûm. Vide Epod. 4. v. 16. ibidque annot.

63. *Nænia.*] Propriè lugubris cantio, ſed ad alia quoque transfertur. Hîc ſignificat ſolemne dictum puerorum, de quo mox.

64. *Maribus Curiis & Camillis.*] Fortiſſimis Romanorum maſculâ virtute præditis. Lib. 1. Od. 12.

65. *Iſne tibi meliùs.*] Roſcius ille theatralis legis auctor, tibi ſuadens ut ſtudeas lucro per fas & nefas.

67. *Ut propiùs ſpectes, &c.*] Equeſtribus in gradibus ſedens. Nempe ludos ſpectabant ſenatores ex orcheſtrâ, qui proximus erat proſcenio locus; equites Romani deinde è quatuordecim theatri gradibus ex Othonis lege; denique plebs è caveâ.

Lacrymoſa poëmata Puppî.] Ironicè. Tragœdias Puppii tragici poëtae, quem vetus interpres narrat ita moviſſe affectus ſpectantium, ut etiam lacrymari cogeret: ac proinde de ſeipſo feciſſe hoc diſtichon iambicum:

Flebunt amici & benè noti mortem meam:
Nam populus in me vivo lacrymavit ſatis.

68. *An qui fortunæ.*] An verò melius tibi non ſuadet morum præceptor, vel animus tuus philoſophiâ imbutus, cùm docet calcandam fortunæ adverſantis ſuperbiam; cumque hortatur, ut à vitiis liber ad virtutes erigaris?

70. *Cur non ut porticibus, ſic, &c.*] Cur non cum ipſo pariter ſentiam de honoribus & divitiis, ſicut promiſcuè cum illo rebus communibus utor; v. g. publicis ambulationibus, congreſſibus, colloquiis.

71. *Porticibus,*] De porticibus Romæ variis atque inſignioribus fusè Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 23. Nos etiam aliquid lib. 2. Od. 15. Celebris in primis erat porticus Auguſti in palatio cum bibliothecâ Græcâ Latinâque, Numidico marmore eleganter extructa, nec non eximiis imaginibus, tum laureatis & magnificis operibus exculta. Erat prætereà porticus Catuli, de manubiis Cimbricis facta: porticus Pompeii ante ipſius curiam: porticus Octaviæ juxta ædem Junonis, in quâ Auguſtus collocavit ſigna militaria olim Domitio à Dalmatis erepta: Philippi porticus, in quâ effigies Herculis, & Helenæ imago, Zeuxidis manu elaborata: porticus duplex ad circum Flaminium, opere Corinthio inſignis, ubi matronæ vectari & ſpatiari ſolebant: porticus Quirini antiquo opere ſpectanda: porticus Claudiæ, ubi ambulationes ſubdiales, miro ingenio conſtructæ & ornatæ, &c.

73. *Olim quod vulpes, &c.*] Apologus eſt Æſopi, celebratus etiam à Platone in Alcibiade primo. Leo rex animalium ægrotabat: feras jam plures officii cauſâ adeuntes devoraverat. Accedit & vulpes ad oſtium cavernæ: at cùm

Reſpondit,

Reſpondit, referam : Quia me veſtigia terrent
Omnia te adverſum ſpectantia, nullà retrorſum.
Bellua multorum es capitum : nam quid ſequar,
aut quem ?
Pars hominum geſtit conducere publica : ſunt qui
Cruſtis et pomis viduas venentur avaras, [73²]
Excipiántque ſenes, quos in vivaria mittant :
Multis occulto creſcit res fœnore : verùm
Eſto, aliis alios rebus ſtudiíſque teneri ;
Iidem eadem poſſunt horam durare probantes ?
Nullus in orbe ſinus Baiis prælucet amœnis,
Si dixit dives ; lacus et mare ſentit amorem
Feſtinantis heri ; cui ſi vitioſa libido

Quia me deterrent veſtigia ad te converſa omnia, nulla autem retro. O populus, *bellua es plurium capitum. Quid verò aut quem ſequar ? Pars hominum gaudet conducere* vectigalia *publica : ſunt qui viduas avaras captent cruſtulis & pomis ; atque circumveniant ſenes, quos mittant in vivaria. Multi opes augent occulto fœnore. At licet diverſi diverſa conſectentur negotia & propoſita,* numquid *ipſi eadem conſtanter proſequi valent per unam horam ? Si locuples dicat, Nullus ſinus in mundo præſtat jucundis Baiis ;* ſtatim *lacus marinus experitur cupiditatem domini properantis.* Quod *ſi perverſum ſtudium* ædificandi *augurium ei*

ANNOTATIONES.

ingredi renueret, quid ita officium ſola detrectaret ? leoni interroganti, reſpondit : Quia me deterrent belluarum veſtigia, quibus ad te ſpectantibus univerſis, cognoſco multas adiiſſe, rediiſſe nullas. Apud Non. Lucil. lib. 30.

Quid ſibi vult, quare ſit ut introverſus & ad te
Spectent, atque ferant veſtigia ſe omnia prorſùs ?

74. *Referam :*] Sic ego, inquit Horatius, populo quærenti cur non amem & *ſequar* eadem, quæ *ipſe diligit*, nec *fugiam* quod *ipſe odit* ; reſpondebo : quoniam multos equidem cerno vitiorum inire viam, at paucos inde emergere : imò fere omnes avaritiâ & ambitione inveteratâ miſere abſumptos.

76. *Bellua multorum es capitum :*] Velut Hydra. Egregia populi deſcriptio.

77. *Conducere publica :*] Hinc dicti publicani, qui vectigalia populi Romani redimunt, exercent, exigunt. Notandum verò ex Caio Juriſc. nullam civitatem præter Romam habere publicanos ; quoniam aliæ urbes membra cenſeantur reip. Rom. *Eum*, inquit, *qui vectigal populi Rom. conductum habet, publicanum vocamus. Nam publica appellatio in compluribus cauſis ad pop. Rom. reſpicit : civitates enim loco privatorum habentur.* Porrò triplex olim vectigal exigebatur : primum ex importatione rerum & exportatione, dicebaturque *portorium*, exactores autem *portitores* ; alterum ex agris, nimirùm decima pars frumenti excipiebatur ; quòd qui redimebant, *decumani* appellabantur, quòd *decumas* exigerent : tertium è ſilvis, ſeu è paſtione pecorum ; & *ſcriptura* vocabatur ; qui verò paſcua publica conducebant, *magiſtri ſcripturæ*, ſeu ſcripturarii, dicebantur, à deſcribendis ejuſmodi vectigalibus. Quartum è salinis inſtituit Ancus Martius. Cic. pro lege Maniliâ, ita ſcribit ; Cùm hoſtium copiæ non longè abſunt, etiamſi irruptio nulla facta eſt ; tamen *pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum navigatio conquieſcit.* Ita neque ex *portu*, neque ex *decumis*, neque ex *ſcriptura* vectigal conſervari poteſt.

78. *Cruſtis*] Quid leg. *fruſtis*, minùs benè. Alii, *fructis*, pro fructibus ; quod uſurpavit Cato, Terentius, &c. At *cruſtula* jam habemus lib. 1. Sat. 1. Poſita pro muneribus ac donis vilioribus & parvis.

79. *Excipiantque ſenes, &c.*] Senum ac viduarum opibus & hæreditatibus inſidiantur nonnulli.

Quos in vivaria mittant :] Devorandos à ſe, quaſi piſces in vivariis educatos.

83. *Nullus in orbe, &c.*] Jam levitatem hominum & inconſtantiam in propoſito reprehendit.

Baiis] De hac urbe deliciis tantis affluente, ut mores integerrimos depravaret, dixi jam lib. 2. Od. 18.

84. *Lacus & mare*] Lucrinus lacus in ſinu Baiano ſitus. De eo lib. 2. Od. 15. & lib. 2. Sat. 4.

85. *Feſtinantis heri ;*] Cupide properant in locum amœnum, ab ibi ſtruendas ædes deliciis deſtinatas. Juvenal. Sat. 3. v. 4.

Janua Baiarum eſt, & gratum littus amœni
Seceſsûs.

Cui ſi vitioſa libido Fecerit auſpicium, &c.] Si libido ſuo inſtinctu, vel pruritu incitarit, ac velut avis cantu aut volatu auſpicium fecerit ; ſtatim Baiis relictis, Teanum aliove feſtinabit ; eoque cæmenta, ligna, ferramenta, cæteraque inſtrumenta ad ædificandum neceſſaria transferri jubebit.

Fecerit

Fecerit auſpicium, cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. Lectus genialis in aulâ eſt?
Nil ait eſſe prius, melius nil cœlibe vitâ:
Si non eſt, jurat benè ſolis eſſe maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? [733]
Quid pauper? ride. Mutat cœnacula, lectos,
Balnea, tonſores: conducto navigio æquè
Nauſeat ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si curtatus inæquali tonſore capillos
Occurri, rides: ſi forte ſubucula pexæ
Trita ſubeſt tunicæ, vel ſi toga diſſidet impar,
Rides: quid, mea cùm pugnat ſententia ſecum;
Quod petiit, ſpernit; repetit quod nuper omiſit:
Æſtuat, et vitæ diſconvenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis?
Inſanire putas ſolemnia me; neque rides;
Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati; rerum tutela mearum [734]
Cùm ſis, et pravè ſectum ſtomacheris ob unguem
De te pendentis, te reſpicientis amici.
Ad ſummum ſapiens uno minor eſt Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum;

dederit, cras ferramenta transportabitis Teanum, ô artifices. Porrò ſi *genialis thorus in aula ejus ſit; affirmat nihil præſtabilius eſſe, nihil optabilius vita cœlibe. Si non adeſt, aſſeverat ſolos conjuges beatos eſſe. Quonam laqueo ſtringam Proteum vultus variantem? Inops* autem quid agit? *ride: mutat domicilium, thoros, balnea, tonſores; conductæ cymbæ faſtidio pariter afficitur, ut dives, qui proprio vehitur navigio. Si obvius tibi fiam habens capillos inæqualiter reciſos à tonſore, cachinnos tollis: ſi ſubucula detrita ſuppoſita fuerit tunicæ mundæ, vel ſi toga inæqualis diſconvenit; in riſum ſolveris. Quid verò, cum mea mens ſecum luctatur? contemnit quod cupivit, requirit quod modò abjecit; agitatur ac diſcordat toto vitæ ordine: deſtruit, extruit; quadrata mutat rotundis?* tum certè *exiſtimas me communi inſania laborare, neque derides, nec putas indigere medico vel curatore à prætore aſſignato: cum ſis columen rerum mearum, ô* Mecænas, *& indigneris propter male reciſum unguem amici à te pendentis, teque* velut unicum præſidium *intuentis. Denique ſapiens Jove ſolo eſt inferior, opulentus, liber, inſignis, formoſus, imo rex regum;*

ANNOTATIONES.

86. *Teanum*] Cognomento Sidicinum, urbs Campaniæ in colle extructa inter Cales & Sueſſam, non longè habet acidulas aquas calculoſis valde ſalubres. Plin. lib. 31. cap. 2.

87. *Lectus genialis in aulâ eſt?*] Si uxorem habet, cœlibes laudat; ſi non habet, felices prædicat matrimonio junctos; adeo levis eſt animi & propoſiti, diverſaque ſemper expetit.

Genialis] In nuptiis ſternebatur lectus ad honorem Genii: cui nomen ab antiquo geno, i. egigno. Feſtus. Vide Catull. de nuptiis Pelei ac Thetidis.

90. *Protea*] Lib. 2. Sat. 3. v. 71.

91. *Quid pauper?*] Neque dives modò, ſed & pauper inconſtantiæ vitio laborat.

Cœnacula,] Ita vocabatur ſuperior ædium contignatio, ad quam ſcalis aſcenditur: quod quidem tenuiores domicilium mercede conducebant. Feſt. Meminit Juvenalis Sat. 10. v. 18. Plautus Amphitr. Apuleius Metamorphoſ. Prudentius:

Omnis quæ celſâ ſcandit cœnacula vulgus.

Porrò cœnatio divitum erat, cœnaculum verò pauperum; quod quidem non unum cubiculum continebat aut ſignificabat, imo quaſdam habebat appendices. Gall. *Un appartement.*

94. *Si curtatus inæquali, &c.*] Senec. De brev. vitæ: *Quis iſtorum non malit remp. turbari quam comam? quis non ſolicitior de capitis decore, quam de ſalute? &c.*

95. *Si fortè ſubucula pexæ*] Si veſtium inæqualitatem, diſcrepantiam, inconcinnam poſitionem videris, rides; quid verò ſi mentem meam à ſeipsâ diſſentientem animadvertas?

100. *Mutat quadrata rotundis?*] Quadratam ædificationem rotundâ mutat. Illa nimirum paulò ante placuerat, hæc verò jam magis placet.

101. *Inſanire putas ſolemnia me;*] Communi omnibus errore me duci putas, ideoque me non derides.

102. *Nec medici credis, &c.*] Non me credis inſanum, qui helleboro ſanandus ſim; & cui prætor curatorem dare debeat, ut dictum eſt, lib. 2. Sat. 3. v. 208.

104. *Pravè ſectum ob unguem,*] Ob leviſſima quævis errata, vitia, incommoda.

105. *De te pendentis,*] Clientis te velut patronum & præſidium unicum reſpicientis.

Præcipuè

ſanus præſertim, niſi quando pituita ægritudinem procreat. | Præcipuè ſanus, niſi cùm pituita moleſta eſt.

ANNOTATIONES.

108. *Niſi cùm pituita moleſta eſt.*] Irridere videtur Stoicos, aſſeverantes, ſapientem etſi ægrotet, nihilominùs ſanum eſſe; item, ſapientem non dolere. *Pituita*, quod petat vitam, dicta creditur nonnullis: Hæc acida & ſalſa mortorum fons eſt, quicunque à diſtillatione fiunt, teſte Platone in Timæo.

EPISTOLA II. Ad LOLLIUM.

Reprimendæ cupiditates. Virtus maturè excolenda.

Dum tu, Lolli, ſumme vir, Romæ recitas ſcriptorem belli Trojani, ego Præneſte hunc *revolvi: qui perfectius & uberius, quam Chryſippus & Crantor, docet quid honeſtum ſit, quid malum. Si nihil te prohibet, accipe quamobrem id ſic ſtatuerim. Carmen, quo Græcia refertur longo Phrygiæ contrita bello ob cupidinem Paridis.*

TRojani belli ſcriptorem, maxime Lolli, [735]
Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi:
Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Pleniùs ac meliùs Chryſippo et Crantore dicit.
Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.
Fabula, quâ Paridis propter narratur amorem [736]
Græcia Barbariæ lento colliſa duello,

ANNOTATIONES.

1. *Trojani belli*] Eximia eſt hîc laudatio poëmatum Homeri: qui ſane velut optimus ſcriptor epicus exemplis oſtendit luculentis, quid fugere, quid ſectari debeas; ita virtutis bona, vitii autem mala exprimens, ut ſtudioſus quiſque lector afficiatur. Vide Plutarch. lib. de Homero. Plin. 7. cap. 29. &c.

Maxime Lolli,] Huic nobili adoleſcenti inſcripta eſt Od. 9. lib. 4. item ſequ. Epiſt. 18. Ejus meminit Vel. Paterc. lib. 2. Sueton. Tiber. cap. 12, & 13. Dio. lib. 54. Ex quibus apparet cur *maximus* dicatur. Nempè is ſubinde militum tribunus Caio Cæſari in Armeniam pergenti rector datus eſt ab Auguſto patre. Quo magni ingenii ſummæque integritatis indicio non poteſt afferri aliud clarius.

2. *Dum tu declamas*] Dum tu exercitii causâ ex Homeri ſcriptis recitas aliquid, ac præclare diſſeris de virtute. Hoc faciebant Romæ præſtantes quique viri.

Præneſte] Seceſſerat Horatius in eam Latii urbem colito colli inædificatam Tuſculum inter & Tiberim: hod. *Paleſtrina* dicitur. Eam commendat Gell. lib. 16. cap. 13. ubi refert Prænestinos à Tiberio imper. municipes factos, pro referendâ gratiâ, quod ſub eorum oppido ex capitali morbo revaluiſſet.

4. *Chryſippo*] Stoicus ille philoſophus, imo Stoicorum coryphæus & columen. De eo lib. 1. Sat. 3. v. 127. nec non lib. Sat. 2. 3. v. 44.

Crantore] Academicus iſte, Platonis auditor, Xenocratis condiſcipulus, mire laudatur à Cicerone, tum alibi, tum Academ. qu. 4. n. 135. ubi ſic habet: *Legimus omnes Crantoris veteris Academici de luctu. Eſt enim non magnus, verum aureolus—————& ad verbum ediſcendus libellus.*

6. *Fabula, quâ Paridis, &c.*] Ilias viginti quatuor libris comprehenſa, opus omni laude majus, à ſummo poëtarum antiſtite conſcriptum, de bello Græcorum adverſus Trojanos ad vindicandam injuriam Helenæ Menelai regis Spartæ uxoris, ob ſingularem pulchritudinem per Paridem raptæ.

Fabula,] Sic vocatur epicum carmen, item dramaticum; quia in his conficta multa inſeruntur; differuntq; ab hiſtoria, quæ nihil niſi vere geſtum debet complecti. Vide Epiſt. ad Piſones, v. 111, 151, 338.

Paridis] Hic erat Priami & Hecubæ filius, frater Hectoris regis Trojæ, alio nomine Alexander vocatus; quem utero mater geſtans, vere ſomniavit facem ſe ardentem parere: et nam Trojani excidii incendiique causâ fuit. De eo jam lib. 1. Od. 15.

7. *Barbariæ*] Cur ſic appelletur Phrygia, repete ex annotatis lib. 2. Od. 4. v. 9. Item Epod. 9. v. 6.

Lento] Quod annis decem continuum fuit.

Stultorum regum et populorum continet æſtus,
Antenor cenſet belli præcidere cauſam:
Quod Paris, ut ſalvus regnet, vivátque beatus,
Cogi poſſe negat. Neſtor componere lites
Inter Peleiden feſtinat et inter Atreiden:
Hunc amor, ira quidem communíter urit utrumq;
Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi. 14
Seditione, dolis, ſcelere, atque libidine, et irâ, [737]
Iliacos intra muros peccatur, et extra.
Rurſum quid virtus, et quid ſapientia poſſit,
Utile propoſuit nobis exemplar Ulyſſem;
Qui domitor Trojæ multorum providus urbes,
Et mores hominum inſpexit; latúmq; per æquor,
Dum ſibi, dum ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis.
Sirenum voces, et Circes pocula noſti:

complectitur mutus ſtultorum principum atque populorum. Antenor belli cauſam dicit eſſe reſecandam: ad quod Paris affirmat ſe impelli non poſſe: etiam ut tutus regnet ac felix vivat. Neſtor Achillem inter & Agamemnonem diſſenſiones conatur dirimere. Hunc amor, ambos autem indignatio pariter accendit. Quodcunque peccant magnates, luunt Græci. Tam intra quàm extra muros Trojæ graſſantur ſeditiones, fraudes, flagitia, cupiditas, iracundia. Jam verò quid virtus, quid prudentia valeat, idem Homerus *exhibet nobis utili exemplo Ulyſſis; qui poſt expugnatam Trojam perluſtravit diverſos populos, eorumque mores callidus* obſervavit; *& dum ſibi ſociiſque reditum procurat, gravia plurima ſubiit immenſo mari, contrariis negotiorum fluctibus nuſquam ſubmerſus. Scis cantus Sirenum, atque Circes pharmaca:*

ANNOTATIONES.

8. *Regum & populorum*] Tam Græcorum quàm Phrygum.

9. *Antenor cenſet, &c.*] Unus ille ex Trojanorum principibus, qui auctor fuerat Helenæ reddendæ Græcorum legatis eam repoſcentibus. Iliad. 7. Paris autem negavit. Ibid.

11. *Neſtor*] Græcus princeps, de quo plura lib 1. Od. 15. & lib. 2. Od. 9.

12. *Peleiden.*] Pelei filium, de quo lib. 1. Od. 6, 9, 15. Lib. 2. Od. 4. 16. Lib. 4. Od. 6. Epod. 13, & 17.

Atreiden:] Atrei filium, de quo lib. 2. Od. 4. lib. 4. Od. 9. lib. 2. Sat 3, v. 187.

13. *Hunc amor, ira quidem, &c.*] Incitatio fuit amoris, iræque, Briſeis ſive Hippodamia, quam adamans Agamemnon, Achilli eam fortito eripuit, quæ cauſa implacabilis odii inter utrumque fomitem præbuit.

14. *Quicquid delirant reges, &c.*] Peccata regum luunt plebeii.

Delirant] Lira eſt ſulcus; lirare, arando ſulcos ducere. Hinc delirare ſignificat, à rectâ viâ declinare, aberrare, deſipere. Non. Mar. Feſt. Iſid.

Achivi.] Ita vocantur ab Achaiâ Græciæ regione, vel ab Achæo rege.

15. *Seditione,*] Achillis à reliquo exercitu ſecedentis. De quo lib. 1. Od. 15. in fine.

Dolis,] Ulyſſis Palamedem circumvenientis.

Scelere, libidine, irâ,] Paſſim exemplar legas in Iliade. De Agamemnone Ajacis cadaver humari vetante, item Iphigeniam mactante, dictum eſt lib. 2. Sat. 3. De Ajace furioſo ibid, &c.

18. *Propoſuit nobis exemplar Ulyſſem;*] In Odyſſeâ, ubi Ulyſſes infinita mari terrâque pericula modò virtute, modò arte viciſſe oſtenditur; non ſolùm contra homines & monſtra, ſed & contra deos luctatus. Jupiter & Neptunus concutiunt & frangunt aliquando naves; Lotophagi, Cyclopes, Læſtrygonii, Circe, Sirenes, Scylla, Charybdis, proci exitium machinantur. Ex his tamen omnibus evadens, dudum vagabundus, poſt annos viginti in patriam tandem rediit. *Quam multa paſſus eſt Ulyſſes in illo errore diuturno!* Cic. Offic. 1. n. 113.

19. *Domitor Trojæ*] Sic et Homerus πτολίπορθον, *urbis everſorem*, Ulyſſem vocat duntaxat, nec tribuit id nominis Achilli, Agamemnoni, Ajaci, Diomedi; ita prudentiâ magis, quam robore, maxima quæque peragi ſignificans.

23. *Sirenum voces,*] Ampla hæc ſeges fabulatoribus. Sirenibus nomen à *σειρὰ catena.* Alii aliter. Quidam originem Hebraicam expiſcantur. Tres fuerunt, Parthenope, Leucoſia, Ligea: ſuperiore corporis ſpecie mulieres, inferiore piſces aut aves. Una tibiis, altera lyrâ, tertia voce concinebat. His fata vivere conceſſerant, quamdiu pertranſeuntes cantu morarentur & captarent. Itaque præternavigantes ſuavi ſymphoniâ allicere ſtudebant, devorabantque. At Ulyſſes à Circe edoctus, nautarum & comitum auribus cerâ obturatis, ipſe verò malo navis alligatus, aud vit quidem, at prætervectus eſt incolumis. Unde illæ ſe in mare præcipitârunt. Sedem habebant

Quæ ſi cum ſociis ſtultus cupidúſque bibiſſet, [738]
Sub dominâ meretrice fuiſſet turpis et excors;
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.
Nos numerus ſumus, et fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopes, nebulones, Alcinoíque
In cute curandâ plus æquo operata juventus;
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
Ad ſtrepitum citharæ ceſſantem ducere curam.
Ut jugulent homines, ſurgunt de noćte latrones : [739]
Ut teipſum ſerves, non expergiſceris ? Atqui
Si noles ſanus, curres hydropicus : et, nî

Quæ ſi ſtultè & avidè potaſſet, ut ſui comites, ſub dominatu meretricis vixiſſet infamis & demens, at velut fœdus canis, aut porcus cœno gaudens. Nos quidem *ſumus* duntaxat *numerus*, & *vivimus* tantùm *ad abſumenda alimenta*: ſumus quaſi *proci Penelopes ignavi, atque Alcinoi juvenes curando corpori nimiam operam dantes: quibus optimum videbatur ſtertere* uſque *ad meridiem, atque citharæ cantu lenire ſolicitudines.* At quantum eſt illud dedecus? Ecce *prædones noctu ſurgunt ad homines trucidandos*; *tu* verò *non excitaris ad temet ſervandum? Verùm ſi valens detrećtas ire, hydropicus feſtinabis: ac niſi*

ANNOTATIONES.

ad Siculum littus; vel, ut alii ſcribunt, in Sirenuſis ſcopulis, & in Capreis inſulâ, atque ad Surrentinum Italiæ promontorium Tyrrheno imminens mari, inter ſinum Puteolanum, v. *Golfo di Napoli*, & Præſtanum, v. *Golfo di Salerno*. Homer. Odyſſ. 12. Ovid. Met. 5. cap. 9. Sirenes revera erant meretriculæ tum formâ inſigni, tum veneficiis animos hominum trahentes ac depravantes. Indicatur autem Ulyſſes voluptatum illecebras ac lenocinia prudenter devitaſſe. Plutarch. Symp. 9. cap. 14. *Homeri Sirenes*, inquit, *nobis immeritò fabuloſum injiciunt metum. Innuit verò ille avolantes ac divagantes animos per muſicam demulceri, & ad cæleſtia divinaque pellici.*

23. *Circes pocula*] De illâ famoſâ veneficiorum antiſtite & anteſignanâ fusè dictum eſt in Epod. 17. Plin. lib. 25. cap. 2. *Homerus quidem primus doćtrinarum & antiquitatis parens, multus aliàs in admiratione Circes, gloriam herbarum Ægypto tribuit.* Vide Odyſſ. 13.

26. *Amica luto ſus.*] Socii quidem Ulyſſis in porcos mutari à Circe veneficâ dicuntur, quia fœdis voluptatibus ita corrupti ſunt, ut rationis uſum amiſiſſe viderentur. Ita S. Chryſoſt. & alii. Vide Epod. 17. v. 15. At Jo. Bodinus Andegavenſis De magorum dæmonomaniâ, l. 2. cap. 6. de ejuſmodi hominum in belluas per artem magicam transformationibus fusè diſputans, multis & gravibus exemplis ac teſtimoniis eas revera fieri aſſerit, additque: Neque fabuloſum eſt, quod Homerus narrat, Ulyſſis comites per Circen maleficam in porcos fuiſſe transformatos, cùm Auguſtin. ipſe lib. De civ. hiſtoriam eandem adducat, quamvis opinione ipſius miram, & illam de Arcadibus. In Alpibus quoque memoriâ ſuâ frequens fuiſſe dicat, ut ſtabulariæ mulieres imbutæ malis artibus in caſeo darent viatoribus, unde in jumenta illico verterentur, ut neceſſaria quæque portarent, poſtque perfuncta opera iterùm ad ſe redirent. Videatur S. Auguſtinus De civ. Dei, l. 18. c. 17. & 18. Item Daniel. c. 4. ubi Nabuchodonoſor ab hominibus dicitur ejećtus, ac per annos ſeptem inter beſtias fœnum quaſi bos comediſſe: poſtea verò figurâ ejus reverſâ ad ipſum, recuperaſſe priſtinum ſenſum, ac decorem honoremque regni.

27. *Nos numerus ſumus,*] Turba ſumus ſine virtute, exercitûs numerum explentes duntaxat, velut Therſites ille iners & inglorius: videmur tantùm vivere, ut edamus.

28. *Sponſi Penelopes,*] Sive luxuriæ dediti, ſive gulæ; ut alibi eſt annotatum. Vide lib. 2. Sat. 5.

Alcinoique In cute curandâ, &c.] Similes ſumus Alcinoo Phæacum regi apud Corcyram inſulam, ejuſque familiaribus & populis; qui mollitie & voluptatibus perditi, in ignaviâ, ſocordiâque conteneſcebant. Proverb. Alcinoi menſa, id eſt, luxurioſa.

32. *Ut jugulent homines, &c.*] Torrentius ubique ſagax errorem hîc ſobodoratus, librarii incuriâ paginas confuſas aſſerit. Iſta nimirùm à v. 32. ad 64. pertinere contendit ad priorem Epiſtolam, atque reponi debere illic poſt v. 51. *cui ſit condito.* Materiæ quidem & argumenti ratio ad hanc emendationem ducit. Judicabit æquus lećtor de conjećturâ hac ſat audaci.

34. *Si noles ſanus, &c.*] Si dum ſanus es, ire nolis ad medicum; curres profećtò, cum ægrotabis. Quidam leg. *Si non is ſanus, &c.* Id eſt, ſi ſegnis es, & ire piget, dum ſanus es, ſi torpes ignaviâ; deinde cogeris ire, imo currere, cùm hydropiſi cruciaberis: curſu enim, & corporis agitatione ac labore morbus iſte minuitur. Senſus eſt; niſi vitia maturè corrigas, fruſtra deinde conaberis ea depellere inveterata; quia ab his opprimêre. Vulgare eſt:

Venienti occurrite morbo.

Poſces

Poſces ante diem librum cum lumine; ſi non
Intendes animum ſtudiis et rebus honeſtis,
Invidiâ vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quæ lædunt oculum, feſtinas demere; ſi quid
Eſt animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet. Sapere aude:
Incipe. Vivendi qui rectè prorogat horam,
Ruſticus expectat dum defluat amnis; at ille
Labitur et labetur in omne volubilis ævum.
Quæritur argentum, pueriſque beata creandis
Uxor, et incultæ pacantur vomere ſilvæ.
Quod ſatis eſt cui contingit, nihil amplius optet. [740]
Non domus et fundus, non æris acervus et auri
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. Valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus benè cogitat uti.
Qui cupit aut metuit, juvat illum ſic domus et res,
Ut lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram,
Auriculas citharæ collectâ ſorde dolentes.
Sincerum eſt niſi vas, quodcunq; infundis, aceſcit.
Sperne voluptates. Nocet empta dolore voluptas.
Semper avarus eget. Certum voto pete finem.
Invidus alterius macreſcit rebus opimis.
Invidiâ Siculi non invenêre tyranni

ante lucem petas librum cum lucernâ; niſi mentem applices ſtudio rerum honeſtarum, vigilans cruciaberis invidiâ vel amore, aliove affectu. Age verò, *quare tam diligenter tollis quicquid oculos offendit; differs* autem integro *anno ſanarè quod animum corrumpit?* Heus, *facti dimidium tenet, quiſquis incipit. Sapientiæ* ſtudium *audacter amplectere: incipe. Qui differt tempus benè vivendi,* eſt quaſi *ruſticus expectans donec amnis defluxerit; atqui fluit ille ſemperque fluens volvetur.* Quorſum verò tam ſolicitè *comparantur opes,* expetitur *conjux fœcunda gignendæ proli, nec non ſterilia nemora aratro domantur?* Verùm enim *qui nactus eſt quantum ſufficit, nihil ultrà cupiat.* Quippe *nec ædes, nec prædia, nec auri & pecuniæ cumulus* poſſunt *arcere morbos à corpore, vel curas ab animo domini laborantis. Oportet* benè *valere poſſeſſorem, ut fruatur congeſtis facultatibus.* Porrò *quiſquis* vel *cupiditate vel timore conflictatur, non magis prodeſt illi domus & pecunia, quàm lippo tabellæ pictæ, podagræ fomenta, atque auribus ob ſordes contractas malè affectis citharæ* ſuaviter reſonantes. Maturè forma tuos mores. Nam *ſi vas non eſt purum, quicquid immittes, vitiabitur. Contemne voluptates. Dolorem creat voluptas ægrè quæſita. Avarus ſemper eſt inops. Modum pone definitum cupiditati. Invidus torquetur rebus proſperis alterius. Siciliæ tyranni nullum habuerunt cruciatum invidiâ graviorem.*

ANNOTATIONES.

34. *Ni Poſces ante diem librum, &c.*] Si vigilare nolueris diſcendæ cauſâ virtutis ac ſapientiæ, fiet, ut dormire aliquando nequeas ob invidiam, amorem, aut aliud vitium, quo ſollicitabere.

40. *Dimidium facti, &c.*] Heſiodica ſententia eſt: *Principium eſt dimidium totius.* Auſon.
Incipe, dimidium facti eſt cœpiſſe. Superſit
Dimidium: rurſùm hoc incipe, & efficies.

42. *Ruſticus expectat, &c.*] Similis eſt ruſtico illi, qui cùm ad amnem perveniſſet, ſtolidè expectabat, dum efflueret omnis aqua, ut ad alteram ripam tranſire poſſet.

44. *Quæritur argentum, &c.*] Curamus omnia, quæ ad corpus ſpectant: quæ animi ſunt, cur negligimus?

49. *Valeat poſſeſſor oportet, &c.*] Quid proſunt opes diviti, ſi æger ſit animo, vel corpore? ſi febri, ſi metu, vel cupiditate torqueatur, an divitiæ ſublevabunt?

52. *Ut lippum pictæ, &c.*] Similitudo conglobata hîc, antè, & poſtea.

53. *Auriculas citharæ, &c.*] Iſta quidem leviter oblectant, & pauliſper fallunt dolorem; nequaquam ſanant.

55. *Nocet empta dolore voluptas.*] Menander: *Quàm ſæpe ob voluptates mœrore afficimur!* S. Hieronym. contra Jovinian. *Irridet Horatius appetitum ciborum, qui ſumpti relinquunt pœnitentiam: dicens,*
Sperne voluptates: nocet empta, &c.

56. *Semper avarus eget.*] Avaro deeſt tam quod habet, quàm quod non habet.

Certum voto pete finem.] Modum & finem ſtatue cupiditati & deſideriis. Vide l. 3. Od. 16.

58. *Siculi tyranni*] Dionyſius & Agathocles Syracuſanorum, Phalaris Agrigentinorum tyranni, &c. Juſtin. lib. 4. *Singulæ civitates in tyrannorum imperium conceſſerunt, quorum nulla terra feracior fuit.*

Majus tormentum. *Qui* non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit et mens,
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.
Ira furor brevis eſt. Animum rege, qui, niſi paret, [741]
Imperat; hunc frænis, hunc tu compeſce catenâ.
Fingit equum tenerâ docilem cervice magiſter
Ire viam, quam monſtrat eques. Venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aulâ,
Militat in ſilvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba, puer: nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu. Quòd ſi ceſſas, aut ſtrenuus anteis,
Nec tardum opperior, neo præcedentibus inſto.

Quiſquis iram non compreſſerit, poſteà cupiet non factum fuiſſe, quod juſſerit animus incitatus, dum vehementiùs dare *vindictam properat indignationi non ſatiatæ. Ira eſt brevis inſania. Fræna appetitum, qui dominatur, quando non eſt ſubactus. Hunc frænis, hunc vinculis ſtringe.* Nam certè *magiſter equum flexibilem molli cervice format ad currendum quacunque ſeſſor voluerit. Canis venaticus poſtquam cervi corium domi allatravit,* continuò *venatur in ſilvis. Jamjam ſincerâ mente documenta excipe, ô juvenis: jam optima inquire.* Enimverò *teſta cuſtodiet ſemper odorem, quo primum infecta fuerit. Quod ſi deſes maneas, vel ſi fortiter præcurris,* ego *neque deſidem expecto, neque præeuntes antevertere contendo.*

ANNOTATIONES.

60. *Infectum volet eſſe,*] Facti ſubinde pœnitebit.

61. *Dum pœnas odio*] Eſt enim odium iræ impatientia ultionem appetentis.

62. *Animum rege, &c.*] Appetitum vehementem compeſce, qui niſi à ratione prematur, hanc ipſe opprimit, & in præceps rapit. Perſ. Sat. 5. v. 38.

—— Intortos extendit regula mores:
Et premitur ratione animus, vincique laborat.

Cic. Offic. 1. n. 101. *Duplex eſt vis animorum ac naturæ. Una pars in appetitu poſita, hominem huc & illuc rapit; altera in ratione, docet & explanat, quid faciendum fugiendumve ſit. Ita fit, ut ratio præſit; appetitus verò obtemperet.*

———— Efficiendum autem eſt, ut appetitus obediant rationi; eamque nec præcurrant ob temeritatem, nec propter pigritiam aut ignaviam deſerant, &c.

64. *Fingit equum*] Equus tenerâ cervice domatur, & ad arbitrium fingitur: catulus ad venationem facile eruditur: ſic puer bonos mores ſponte imbibit.

65. *Ex quo Tempore cervinam pellem latravit*] Quando pellis, cervo interfecto detracta, ejus inteſtinis & ſanguine cum pane impletur, & inſuitur, taliſque venaticis canibus objicitur, ad eos ad venationem acuendos. Gall. *Faire la curée.*

67. *Militat in ſilvis*] Poſtquam domi catulus odore cervi aut alterius feræ imbutus eſt, ratione modo allata; exinde in ſilvis feras ultrò venatur.

Nunc adbibe puro] Præcepta morum accipe, dum animus adhuc purus tibi manet, necdum ullis occupatus aut corruptus eſt pravis opinionibus vel affectibus. Quidam leg. *adbibe*: ut ſit anapæſtus pro dactylo.

68. *Nunc te melioribus offer.*] Vel præbe te imbuendum optimis documentis: vel ad meliorem & ſapientiorem virum, à quo fingaris ad virtutem & rectum.

69. *Quo ſemel eſt imbuta, &c.*] Præclara ſententia, quam hinc mutuatus eſt S. Hieronymus ſcribens ad Lætam.

70. *Quod ſi ceſſas, &c.*] Si piger es in philoſophiæ ſtudio, non expectabo te minime valentem ſubſequi me acriorem. Quod ſi me ſtudioſior aut ingenioſior fueris, quem aſſequi non poſſum, nequaquam invidebo tibi aut inſtabo; nec ultra vires meas enitar. Ariſtoteles interrogatus, quo pacto diſcipuli egregie proficerent, reſpondet: *Si curſu præſtantes proſequi ſtudeant, tardiores autem minime expectent.* Diog. Laert.

EPI-

EPISTOLA III. Ad *JULIUM FLORUM.*

De Tiberio Claudio Nerone, deque literatis quibuſdam eum interrogat: deinde hortatur ad ſtudium ſapientiæ, & ad fraternam concordiam.

JULI Flore, quibus terrarum militet oris [742]
Claudius Auguſti privignus, ſcire laboro.
Thracàne vos, Hebrùſq; nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia turres,
An pingues Aſiæ campi collèſq; morantur? [743]
Quid ſtudioſa cohors operum ſtruit? Hoc quoque curo:
Quis ſibi res geſtas Auguſti ſcribere ſumit?
Bella quis, et paces longum diffundit in ævum?
Quid Titius, Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus,

O Juli Flore, noſſe deſidero, in quâ orbis regione bellum geras Claudius Auguſti privignus; an commoremini in Thracia ad Hebrum hiemali glacie conſtrictum; an apud mare defluens inter terras proximas; an in agris & collibus Aſiæ opimis? Quid operis molitur turma literatorum? Iſta ſcire etiam velim: quis ſuſcepit ſcribenda Auguſti facinora? quis bello & pace geſta *poſteritati mandabit? quid* agit *Titius, paulò poſt ſermone Romanorum celebrandus; qui non timuit* ex ipſo *fonte Pindari haurire,*

ANNOTATIONES.

1. *Juli Flore,*] *Tota bella eſt hæc epiſtola* inquit belle Parthenius: *pura admodum minimeque ambitioſa*, tèſte Scaligero. Scripto Julio Floro Claud. Neronem comitanti, ſeu ad Pannonicum bellum, ſeu apud Armeniam, cùm Tigranem in regnum reſtitueret. Ad illum Horatii familiariſſimum inſcripta eſt etiam Od. 2. lib. 4. item 2. Epiſt. 2. lib. Porrò in hac eò collimare videtur poëta, ut ad bene faciendam charitatem fraternam exhortetur: ad quod artificioſâ inſinuatione utitur, & per quaſdam ambages ſenſim procedit, ut meliùs propoſitum exequatur.

Juli] Theod. Marcilius non abs re, *Luci* reponendum contendit: quod *Julius* nuſquam ſit prænomen: nomen autem Floro nequeat ſtatui: ſiquidem Flori non Juliæ, ſed Aquilliæ gentis ſint.

2. *Claudius Auguſti privignus,*] Claud. Tiberius Nero, Druſi frater natu major, filius autem Liviæ Druſillæ. Hunc enim Auguſtus, repudiatâ Scriboniâ, marito ſuo *& quidem prægnantem abduxit, dilexitque & probavit unicè ac perſeveranter*. Sueton. Octav. cap. 63. Quin etiam erga ejus *pueros Nerones*, hoc eſt, in utrumque illum privignum, *animi paterni* fuit: Nam & hos adoptavit, ac Druſum quidem præcipuis honoribus decoravit; Tiberio verò Liviam ſuam ex Scribonia filiam dedit uxorem, denique imperium tradidit. Vide lib. 4. Od. 4. & 14. ibique annot.

3. *Thraca*] Gr. Θρῄκη, Thrace vel Thraca pro Thracia.

Hebrus] Thraciæ mons & fluvius. Porrò ibi vehemens rigere frigus dixi lib. 1. Od. 25.

4. *Freta vicinas inter, &c.*] Helleſpontus in anguſtiis illis fremens, ſcil. inter Seſtum Thraciæ & Abydum Aſiæ *arces*, vel oppida. Gall. *Les Dardanelles*. Item, *Le detroit de Gallipoli*. Ovid. Triſt. 1.

Seſton Abydenâ ſeparat urbe fretum.

Turres,] Quid. leg. *terras*, i. e. Europam & Aſiam anguſto illo mari ſeu freto diviſas. Lucan. lib. 2. *Europamque Aſiæ, Seſtonque admovit Abydo.*

5. *Pingues Aſiæ campi*] Cic. pro lege Manil. n. 14. *Aſia tam opima eſt & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.*

6. *Studioſa cohors*] Prætoriani milites literati, vel potiùs docti comites Tiberii. Ut enim ipſe ſtudioſus & literarum amans, ita ſecum habebat literatos quoſdam & imprimis ſtudioſos, quorum præcipui nominantur hic: Titius, & Celſus poetæ: Florus autem orator, poëta, & juriſperitus. Vide infrà Epiſt. 8.

9. *Titius,*] Septimus ille cognominatur quibuſdam, diciturque lyrica & tragica ſcripſiſſe: è quibus nihil extat.

10. *Pindarici fontis qui, &c.*] Qui vulgares & vulgaria contempſit, quaſi *lacus & rivos*:

Faſtidire lacus et rivos auſus apertos;
Ut valet? ut meminit noſtri? fidibuſne Latinis
Thebanos aptare modos ſtudet auſpice Muſâ;
An tragicâ deſævit, et ampullatur in arte?
Quid mihi Celſus agit? monitus multùmq; mo-
Privatas ut quærat opes, et tangere vitet (nendus,
Scripta Palatinus quæcunq; recepit Apollo. [744]
Ne, ſi fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum
Furtivis nudata coloribus. Ipſe quid audes?
Quæ circumvolitas agilis thyma? Non tibi parvum
Ingenium, non incultum eſt, nec turpiter hirtum.
Seu linguam cauſis acuis, ſeu civica jura
Reſpondere paras, ſeu condis amabile carmen;
Prima feres hederæ victricis præmia. Quod ſi
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes,
Quò te cœleſtis ſapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc ſtudium parvi properemus et ampli,
Si patriæ volumus, ſi nobis vivere cari.

lacus & rivulos patentes aſpernatus? quomodo valet? noſtrine recordatur? an muſarum auſpicio Pindaricos numeros accommodare Latinis chordis laboret; an graviter agit, aſſurgitque ſcribendo tragœdias? Quid Celſus facit? admonitus iterumque admonendus, ut proprias ſibi divitias comparet; caveat autem deſumere è libellis, quos ſervat Apollo Palatinus: ne ſi avium turba ſuas aliquando veniat plumas rejumere, riſum excitet cornix ſpoliata ſurreptis coloribus. Tu verò quid agis? quæ thyma circumvolitas ſedulus? Enimverò *non exiguum, non rude, non aſperum ingenium habes:* atq; adeò *ſive ad cauſas* orandas *facundiam adhibes; ſive te accingis ad interpretandum jus civile; ſive amatorios verſus conſcribis; præcipua telles munera hederæ victricis. Porrò ſi abjiceres ſomitem ſolicitudinum frigidam* efficientem, certè *pervenires, quo te ſumma eveheret ſapientia. Id curemus, ad id incumbamus tam parvi quàm magni, ſi volumus eſſe patriæ nobiſque utiles.*

ANNOTATIONES.

ipſum Pindarum lyricorum principem atque fontem adiit; Latiniſq; verſibus auſus eſt æmulari ſtyli ejus ſublimitatem & ſenſus profunditatem. Allegoria.

13. *Thebanos*] Pindarus Thebis oriundus. Lib. 4. Od. 2.

14. *Deſævit,*] Sævientes reges & principes repræſentans, graveſque rerum & animorum exprimens converſiones & motus, ut vulgò in tragœdiis.

Ampullatur] Debet magnus & ſplendidus eſſe tragœdiæ ſtylus. Unde & ſæpe ſignificatur cothurno ſublimi tragicorum calceamento. Vid. Epiſt. ad Piſ. v. 80.

15. *Celſus*] Pedo Albinovanus ipſe eſt, cui eſt ſcripta ſequens Epiſt. 8. Hunc monet, ut plagium evitet, neve aliena ſcripta uſurpet, venditetque quaſi ſua. Quo iratum ſibi poſteà redarguit Horatius obliquè, velut moroſum.

16. *Privatas ut quærat opes,*] Ut proprio, quod aiunt, Marte aliquid inveniat & componat; quæ verò ſunt aliorum, ne compilet, ſibiq; attribuat.

17. *Palatinus Apollo.*] Auguſtus bibliothecam in monte Palatino conſtruxit, adjunxitque Apollinis templo. Ibi deponebantur aſſervabanturque ſcripta quæcunque judicata fuerant cedro & immortalitate digna.

19. *Moveat cornicula riſum*] Nota Æſopi fabula, notum adagium Eraſmi, *Æſopicus graculus.* Cornix (vel graculus, ut alii volunt) plumarum ſuarum pertæſa, alias undequaq; mutuata eſt. At cùm ſe alienis coloribus ornatam & fulgentem admiraretur, ecce aves, quæ ſua erant ſingulæ repetentes, nudam haud ſine ludibrio reliquerunt.

20. *Ipſe quid audes?*] Tu quidem ipſe, Juli Flore, nihilne operum moliris? quæ ſcripta, quos auctores imitaris aut evolvis? unde eximia quæque decerpas, velut apes ſuccum è thymo & floribus optimis.

25. *Prima feres hederæ*] Sive in foro cauſas orare, ſive conſultoribus jura explicare, ſive carmina condere volueris, ubique victor & inſignis habebere.

Hederæ victricis.] In commiſſionibus & certaminibus ingenioſis victores hederâ coronabantur. Vide lib. 1. Od. 1. v. 29. Dicta eſt hedera, quòd hæreat; vel quod edita petat; vel quia id, cui adhæſerit, edat. In tutelâ Liberi putabatur eſſe, quia ut ille ſemper juvenis, ita hæc viret: vel quod illa omnia, ſicut ille mentes hominum, illigat. Feſtus.

Quòd ſi Frigida, &c.] Amicè caſtigat Flori vitia.

26. *Frigida curarum fomenta*] Ambitio & avaritia curas pariunt infinitas, nutriunt ac fovent, hominemque reddunt frigidum & ſegnem ad virtutes & ſtudium ſapientiæ.

29. *Si patriæ volumus, &c.*] Vide Cic. De officiis.

Debes hoc etiam reſcribere, ſi tibi curæ eſt, [745]
Quantæ conveniat, Munatius: an malè ſarta
Gratia nequicquam coit, et reſcinditur; at vos
Seu calidus ſanguis, ſeu rerum inſcitia vexat
Indomitâ cervice feros? ubicunque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus,
Paſcitur in veſtrum reditum votiva juvenca.

Illud inſuper mihi ſignificare te rogo; nunquid tam carus, quàm decet, tibi ſit Munatius: an concordia haud benè reconciliata dirimatur? Verùm ſive fervidus ſanguis, ſive rerum imperitia vos exagitat animo non erudito immites; profectò *non debetis amicitiam fraternam violare: at quacunque in regione verſamini,* ego *veſtrum in reditum vitulam paſco, diis ex voto* ſacrificandam.

ANNOTATIONES.

31. *Munatius:*] Non is eſt Plancus ille Munatius, ad quem eſt Od. 7. lib. 1. Sunt qui non fratrem Julii Flori, ſed familiarem duntaxat fuiſſe arbitrentur: *fœdus* verò *fraternum* dici poſſe de amicitiâ.

33. *Calidus ſanguis,*] Fervens in juventute, ſæpe & facilè ebulliens circa cor, iramq; faciens & offenſionem. Eſt in quibuſd. codd.
Heu calidus ſanguis! heu rerum inſcitia vexat!

Rerum inſcitia vexat] Contrà rerum uſus & experientia, pariter & doctrina morum, ejuſmodi juveniles motus placat, & cohibere docet animum temere efferveſcentem.

36. *Votiva juvenca.*] Diis vota, & promiſſa pro felici reditu veſtro & incolumitate. Huc fortaſſe pertinet, quod, ut tragici hircum, ita lyrici vitulum ſeu juvencum ſolebant mactare.

EPISTOLA IV. Ad *ALBIUM TIBULLUM.*

Ad laborem honeſtum, moxque ad voluptatem hortatur.

ALBI, noſtrorum ſermonum candide judex, [746]
Quid nunc te dicam facere in regione Pedanâ?
Scribere quod Caſsî Parmenſis opuſcula vincat?
An tacitum ſilvas inter reptare ſalubres,
Curantem quicquid dignum ſapiente bonóq; eſt?

Tibulle, bone cenſor noſtrorum ſermonum, quid putem agere te nunc in regione Pedana? Credamne te *componere, quod ſuperet opera Caſſii Parmenſis; an otioſum ambulare in nemoribus amœnis,* cæterùm *nihil prætermittentem* eorum, *quæ decent virum probum ac prudentem?*

ANNOTATIONES.

1. *Albi.*] Albius ille Tibullus equeſtri familiâ Romæ natus, eodem tempore quo Ovidius. Ingenii ſolertiâ & ſuavitate, nec non præſtanti corporis formâ inſignis, nobilibus charus extitit. Elegiarum quatuor libros perelegantes ſcripſit. Horatio quàm familiaris fuerit, patet ex Od. 33. lib. 1. & ex hâc Epiſtolâ.

Sermonum] Satirarum pariter & epiſtolarum.

Candide judex,] Sine invidentiâ & adulatione. Fortaſſe alludit ad nomen *Albii*. Epiſt. ad Piſon. v. 445.
Vir bonus & prudens verſus reprehendet inertes,
Culpabit duros, &c.

2. *Pedanâ?*] Pedum Latii oppidum fuit, non longè ab urbe Româ. Pedanos ſimul & Aricinos, Lavinienſes ac Veliternos civitate donatos ſcribit T. Liv. In eâ porrò regione Tibullus prædium habebat amœnum & locuples. Quo cùm ſeceſſiſſet ad leniendas quaſdam curas, ad eum ſcripſit Horatius, oſtenditq; multis donatum muneribus à naturâ, à diis, à fortunâ etiam, frui debere illis, dum liceret per uſuram vitæ ſenſim defluentis; neque ſolicitum eſſe oportere.

3. *Caſsî Parmenſis*] Idem is creditur, de quo lib. 1. Sat. 13. quiq; *Etruſcus* dicitur. Scripſit tragœdias, elegias, epigrammata. De eo ſic vet. comm. Caſſius Parmenſis, tribunus militum, in partibus Caſſii & Bruti fuit. Quibus victis, Athenas ſe contulit. Quintus autem Varus eò miſſus ab Auguſto, ut eum interimeret, ſtudentem reperit; illoq; perempto, ſcrinium cum libris abſtulit. Unde multi credidere Thyeſten tragœdiam eſſe opus Caſſii Parmenſis.

Non tu corpus eras ſine pectore. Dî tibi formam,
Dî tibi divitias dederunt, artémque fruendi. [747]
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Qui ſapere, & fari poſſit quæ ſentiat, utque
Gratia, fama, valetudo contingat abundè,
Et mundus victus, non deficiente crumenâ?
Inter ſpem curámque, timores inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.
Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora.
Me pinguem & nitidum benè curatâ cute viſes,
Cùm ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Atqui *tu non corpus es ſine mente. Dii elegantem tibi ſpeciem opeſque, & his bene utendi facultatem largiti ſunt. Quid verò nutrix alumno cariſſimo exoptet melius, qui ſapere & quæ ſentit poſſit eloqui, et qui favorem habeat, & exiſtimationem, ſanitatemque, & victum lautum, & marſupium nunquam vacuum?* Quoniam autem vivimus *inter ſpem & ſolicitudines, inter timores atque indignationes,* auctor tibi ſum, ut *unumquemque diem ultimum tibi lucere exiſtimes.* Sic enim *jucundum tempus accedet minime ſperatum. Certè me ſucci plenum & corpore egregie culto fulgentem videbis, imò, ſi jocari velis, ſuem ex harâ Epicuri.*

ANNOTATIONES.

6. *Sine pectore.*] Sine corde, excors, ſine animo & ingenio.

Formam] Egregiâ corporis formâ præſtitiſſe dicitur Tibullus.

7. *Dederunt,*] Hoc eò referunt aliqui, cùm pauperior jam factus eſſet Albius: alii explodunt, conſtanterque legunt, *dederunt*; penultimâ licenter correptâ. Ut & apud ipſum Tibull. lib. 2. Eleg. 5. *Hæc fuerunt olim,* &c. pro *fuerant.* Apud Lucret. lib. 5. & Æneid. 3 *conſtiterunt,* ubi vulgò *conſtiterant.* Certè conſentiunt de Ecl. 4. Virgil.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Artemque fruendi.] Oeconomiæ ſcientiam & peritiam.

8. *Quid voveat dulci nutricula, &c.*] Perſius de his fusè, Sat. 2.

9. *Utque.*] Leg. al. *& cui.*

10. *Gratia,*] Apud magnates. Meſſala Corvinus mirè Tibullum fovit: pariter Meſſalam Tibullus celebravit. Ipſe teſtis eo diſticho:

Hic jacet immiti conſumptus morte Tibullus,
Meſſalam terrâ dum ſequiturque mari.

Fama,] Apud omnes. Ovid.

Donec erunt ignes arcuſque Cupidinis arma,
Dicentur numeri, culte Tibulle, tui.

11. *Mundus victus,*] Lib. 2. Sat. 2.

Mundus erit, qui non offendit ſordidus, atque
In neutram partem cultus miſer.

12.] *Inter ſpem, curamque, &c.*] His enim vita mortalium perpetuò conflictatur.

14. *Grata ſuperveniet,*] Gratiora ſunt, quæ non expectata ſuperveniunt bona, acceduntque inſperata.

15. *Me pinguem*] Se, qualis reapſe erat, pingit Horatius, obeſulum, & cultûs corporis ſtudioſum.

16. *Epicuri de grege porcum.*] Abdomini & voluptatibus ultrò indulgentem. Cic. in Piſon. *Epicure noſter ex harâ producte, non è ſcholâ.* Apud Athen. lib. 7. cap. 5. non obſcurè dicit; ſed altâ voce clamat Epicurus: *Quod bonum ſit nullum agnoſco, præter voluptatem ex guſtu & venere.* Contrà tamen ſenſiſſe Epicurum, vide in annot. lib. 2. Sat. 4. init.

EPI-

EPISTOLA V. Ad *TORQUATUM.*

Ad cœnam frugalem invitat, & hilaritatem. Ebrietatis commoda recenſet.

SI potes Archiacis conviva recumbere lectis,
Nec modicâ cœnare times olus omne patellâ,
Supremo te ſole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes iterum Tauro diffuſa paluſtres 4
Inter Minturnas, Sinueſſanúmq; Petrinum. [749]
Sin melius quid habes, arceſſe; vel imperium fer.
Jamdudum ſplendet focus, et tibi munda ſupellex.
Mitte leves ſpes, et certamina divitiarum,
Et Moſchi cauſam. Cras nato Cæſare feſtus

Si conviva potes accumbere in thoris brevibus, nec abhorres edere quodvis olus è tenui patinâ, ô Torquate, expectabo te domi occidente ſole. Potabis vinum, Tauro iterum conſule, in cados *fuſum inter Minturnas paludoſas & Petrinum Sinueſſanum. Quod ſi habes aliquid melius, affer; vel juſſa exequere. Jampridem accenſus eſt meus ignis, meaque ſupellex tui gratiâ nitescit. Intermitte curam* rerum *futilium, ac labores* pro *opibus, atque Moſchi defenſionem. Dies craſtina Cæſaris*

ANNOTATIONES.

1. *Si potes*] Si frugalis & tenuis cœnæ apparatus tibi placere poteſt.

Archiacis] Sicut a Pauſia pictore *Pauſiaca tabella*, Sat. 2, 7, 95, ita ab *Archia* fabro *Archiaci* lecti.

Conviva recumbere lectis,] Ad menſam accumbere triclinaribus in lectis antiquo modo fabricatis è rudiori materiâ.

2. *Olus omne*] Durum olus, *betam plebeiam*, Perſ. Sat. 3. v. 112.

3. *Supremo ſole*] Sub veſperam. Perperam aliqui altiſſimum ſolem accipiunt, afferuntque illud ex lib. 2. Sat. 8. *Dimidio putare die*: nec enim hora iſta convenit frugali cœnæ: adde quod ſequitur de *æſtivæ noctis benigno ſermone*.

Torquate,] Eſtne is L. Manlius ipſe Torquatus, cauſarum patronus; ad quem eſt Od. 7. lib. 4. Theod. Marcilius, *Euge*, inquit: *Sic mortuum vocat Quintus ſcilicet.* Intelligit verò Q. Nonium Aſprenatem, qui & Torquatus ſit appellatus, Auguſtoque *junctus arctiùs* dicitur. Sueton. Octav. cap. 56. Vide ibid. cap. 43. ubi ſic habetur: *In hoc ludicro C. Nonium Aſprenatem lapſu debilitatum aureo torque donavit: paſſuſque eſt ipſum poſteroſque Torquati ferre cognomen.*

4. *Vina bibes*] Nec generoſa, quippe è paluſtribus Minturnis, nec vetuſtate inſignia; nam annis ſuperioribus fuſa in amphoras.

Iterum Tauro] Conſulum nominibus ſolita notari vina alibi dictum eſt. Vide lib. 1. Od. 20. & lib. 2. Od. 3. Porrò T. Statilius Taurus, homo novus, ut & Agrippa, ſed Auguſti amicitiâ, victoque in Siciliâ Lepido, rebuſque mox in Africa geſtis (unde & triumphum meruit) amphitheatro etiam extructo fuit clariſſimus. Conſul primò fuiſſe dicitur anno U. C. 717. ſecundò verò 728. cùm Horatius annum ætatis agèret 40. aut circiter. Neroni nupſit ejus abneptis Statilia Meſſalina.

5. *Minturnas,*] Hæc olim fuit urbs Latii ſatis culta, prope oſtia Liris fluvii, planitie, ubi amphitheatrum & aquæductus. Horum reliquiæ adhuc viſuntur, de urbe verò ſupereſt parva turris cum tabernâ duntaxat. Non longe aberat ingens palus, in quâ latuit Marius à Syllâ profligatus. De quo Juvenal. Sat. 10. v. 276.

Exilium, & carcer, Minturnarumque paludes.

Sinueſſanumque Petrinum.] Montem aiunt eſſe urbi Sinueſſæ imminentem, ubi hodie oppidum cum arce apud Sinueſſam exciſam, V. *Rocca di monte Dragone.* Alii dicunt fuiſſe vicum agri Sinueſſani, qui celebris erat, vini non quidem bonitate, ſed copiâ. Sinueſſa verò *Sinope*, in orâ ubi Maſſicus mons deſinit, inter oſtia Liris & Vulturni fluminum.

6. *Imperium fer.*] Quidam interpretantur, Tu me fac regem convivii: quod mihi quidem abſurdum videtur.

7. *Splendet focus, &c.*] Ad convivium parandum, coquendaſque dapes.

8. *Mitte leves ſpes,*] Omitte paululum ſolitas occupationes moleſtas, ſive pro divitiis, ſive pro famâ & honoribus, ſive pro defenſione clientum tuorum.

9. *Moſchi*] Is fuiſſe rhetor Græcus refertur, origine Pergamenus, qui veneficii reus à Torquato defendebatur.

Cras nato Cæſare feſtus] Cras juſtitium eſt, ob

natalibus ſacra indulget licentia dormiendi, faſque erit noctem æſtivam gratis colloquiis traducere. Quid opes juvant, *ſi non licet* his *frui? Si quis parcè* victitat, *nimiſque triſtis, hæredum cauſâ,* ille *ſtulto proximus eſt.* Ego verò contrà, *hoc magis bibam, & ſpargam flores; nec verebor etiam temerarius vocari. Ecquid vinolentia non efficit? detegit occulta; firmam dat fiduciam; inermem impellit ad certamina; anxiæ mentis ægritudinem diſcutit; artes docet; Scyphi abundantes quem non reddiderunt eloquentem? quem non liberalem* vel *in anguſtâ inopiâ?* Certè *aptus & non repugnans ego iſta jubeor curare; ne toral immundum, ne mappa illota nares* faciat *contrahi; ut vaſa et patinæ te tibi repræſentent; ne inter familiares reperiatur, qui dicta exportet extrà; ut pares congregentur.*

Dat veniam ſomnúmq; dies. Impunè licebit
Æſtivam ſermone benigno tendere noctem.
Quò mihi fortunas, ſi non conceditur uti?
Parcus ob hæredis curam, nimiúmque ſeverus
Aſſidet inſano. Potare et ſpargere flores
Incipiam, patiárq; vel inconſultus haberi.
Quid non ebrietas deſignat? operta recludit;
Spes jubet eſſe ratas; in prælia trudit inermem;
Sollicitis animis onus eximit; addocet artes.
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contractâ quem non in paupertate ſolutum?
Hæc ego procurare et idoneus imperor, et non
Invitus; ne turpe toral; ne ſordida mappa
Corruget nares; ne non et cantharus et lanx
Oſtendat tibi te; ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet; ut coëat par

ANNOTATIONES.

natalem Cæſaris; ac proinde ſilentibus judiciis, ac ſtrepitu forenſi, dormire in multam lucem, & epulari, & hilaritati vacare licebit.

9. *Nato Cæſare*] Accipiunt vulgò de natali Auguſti, qui cùm in Septembri ſit circa finem, ex Suetonio, ad rem præſentem non facit admodum. Malim igitur cum quibuſdam intelligere natalem Jul. Cæſ. qui Julio menſe habet *noctes æſtivas*. Vide Mac. Sat. 1. c. 12. Dion. l. 44.

11. *Æſtivam ſermone benigno tendere noctem.*] Noctem æſtate breviorem extendere ſeu protrahere ſermonibus prolixis, familiaribus, jucundis.

12. *Quo mihi fortunas,*] Ita Muretus, aliique deinceps. Habent tamen codices plerique: *Quo mihi fortuna.*

13. *Parcus ob hæredis curam,*] Quiſquis ſumptui parcit, geniumque defraudat, ut majores hæredibus opes relinquat, inſanit propè.

14. *Spargere flores incipiam,*] Splendide cœnam apparabo, atque in ſecundâ menſâ de more flores inſpergam.

16. *Deſignat?*] Non Marcell. *deſignare*, eſt cum notâ & ignominiâ aliquid facere. Donat. in Terent. Adelph. ad eas voces: *Modo quid deſignavit?* eſt, inquit novum, quid moliri, ſeu malum ſeu bonum.

17. *Spes jubet eſſe ratas;*] Lib. 3. Od. 21.
Tu ſpem reducis mentibus anxiis.
Vide ibi, item lib. 4. Od. 12.

Inermem;] Al. *interim.* Loco mox citato:
Vireſque & addis cornua pauperi,
Poſt te nec iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

18. *Sollicitis animis onus eximit;* Hinc Liber dictus Bacchus.

Addocet artes,] Seu quia vinum moderatè ſumptum acuit ingenium, ſive quod ebrii pleſculùm ſunt jactabundi, ſeque omnia ſcire prædicant ineptè quidem.

20. *Solutum?*] Vel ab omni ſolicitudine paupertatis liberum, vel prodigum in ipſa paupertate.

21. *Idoneus, & non Invitus;*] Erat enim Horatius agilis, hilaris, necnon munditiei perquam ſtudioſus.

22. *Ne turpe toral,*] Ne thori ſeu lecti triclimiares offendant convivis ſordibus. Vide lib. 2. Sat. 4. ſub finem.

Ne ſordida mappa] Ne dum manus abſtergant convivæ, inter edendum, mappæ immunditia faſtidium pariat & nauſeam, quod naribus corrugatis ſignificatur. Vide loc. mox cit. Sat. 4. l. 2.

23. *Cantharus & lanx Oſtendat tibi te;*] Vaſa tam ſint nitida, ut quaſi ſpeculum imaginem tuam reddant exhibeantque.

Cantharus] Vas vinarium ſpeciem referens ſcarabæi, qui κάνθαρος Græcè dicitur: tali poculo uſus Bacchus, ipſi proinde ſacro. Meminit Macrob. pariterque Athenæus. Item Plin. lib. 33. cap. 11. *C. Marius poſt victoriam Cimbricam cantharis potaſſe Liberi patris exemplo traditur.* Arnob. ſub finem lib. 6. *Quid in Liberi dextera pendens poterius cantharus?* Magnum anſatumque indicat Virgil. Ecl. 6. v. 17.
Et gravis attritâ pendebat cantharus anſâ.

25. *Sit, qui dicta foras eliminet;* Ne quis extra limen domûs efferat, effutiat, evulget,

Junga-

Jungatúrque pari. Butram tibi Septimiúmque
Et, niſi cœna prior potiorque puella, Sabinum
Detinet, aſſumam. Locus eſt et pluribus umbris:
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.
Tu quotus eſſe velis, reſcribe; et, rebus omiſſis
Atria ſervantem poſtico falle clientem.

Porrò convivas tibi dabo Butram & Septimium, Sabinum quoque, dummodò non detineat eum cœna prior & amica potior. Eſt etiam locus multis comitibus: at in convivio nimis conſtipato caprinus fœtor moleſtus eſt. Tu reſcribe quotus eſſe cupias. Mox autem negotiis abjectis, per fores poſteriores fuge clientem in atrio ſtantem.

ANNOTATIONES.

quæ inter potandum dicta liberiùs fuerint: ex quibus temerè invidia conflatur. Apud Lacedæmonios, inquiunt, publica intrantibus convivia aliquis ſenior oſtendens fores ita monebat: *Per has ne verbum ullum egrediatur.*

25. *Ut coeat par.*] Hinc enim jucundior fit ſermocinatio.

26. *Butram, tibi, &c.*] Non unus eſt qui legat *Brutum.*

28. *Umbris.*] De his conviviorum ſectatoribus lib. 2. Sat. 8.

29. *Sed nimis arcta premunt*] Ubi plures ſunt convivæ, axillarum gravis odor creat nauſeam. Vide Epod. 12.

30. *Tu quotus eſſe velis, reſcribe;*] Dic quot velis tibi ſodales convivas. Varro dicebat, convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Muſarum; id eſt, proficiſci à tribus, & conſiſtere in novem, &c. quæ lege apud Gell. lib. 13. cap. 11.

31. *Poſtico*] Plautus *poſticulam*, dicit, ſub oſtium. Petronius *poſticulam*, ſub januam. Gall. *Porte de derriere.* Angl. *The back door.* Virgil. Æn. 2. v. 453. ita rem explicat:

Limen erat, cæcæque fores, & pervius uſus
Tectorum inter ſe Priami, poſteſque relicti
A tergo.

Clientem.] Moſchum vel alium, qui in atrio te obſervat alloquendi cupidus. Hunc autem falle egrediens per januam poſteriorem, & veni ad me.

EPISTOLA VI. Ad *NUMICIUM.*

Felix eſt, qui nihil timet, nihil cupit.

NIL admirari propè res eſt una, Numici,
Solàque quæ poſſit facere et ſervare beatum.
Hunc ſolem, et ſtellas, et decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nullâ
Imbuti ſpectent. Quid cenſes munera terræ?
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?

O Numici, nihil mirari, eſt unica fere & ſola res, quæ poſſit beatum efficere & ſervare. Reperiuntur homines, qui nullâ trepidatione affecti contemplantur ſolem hunc, & ſtellas, & tempora certis horis abeuntia. Quid putas de terræ donis? quid de muneribus maris ultimos Arabas Indoſque locupletantis?

ANNOTATIONES.

1. *Nil admirari*] *Admirabilis epiſtola*, inquit Parthenius; *erudita*, Torrentius; *aurea*, Landinus. Sanè admirabilis, quæ nihil ſtultè mirari, luculenter mirè docet; erudita, quæ philoſophiæ moralis & Stoæ myſteria reconditiſſima clarè exhibet, atque ſoleriter inſinuat; aurea, quæ *aureæ mediocritatis*, ac veræ virtutis imaginem eleganter adumbrat.

Nil admirari, &c.] Non percelli admiratione illâ fatuâ è quâ naſcitur cupiditas vel timor, animum perinde torquentes. De eâ Epiſt. 1. v. 47. Stultæ illi admirationi virtutem contrariam Democritus vocabat ἀθαυμασίαν.

Numici,] Numicia gens Romæ patricia.

3. *Decedentia certis Tempora momentis,*] Converſiones aſtrorum, indeque natas mutationes, temporum vices, ac tempeſtatum varietates, &c.

4. *Formidine nullâ Imbuti*] Quod ſi intrepidi ſpectant cœleſtia, certe multò magis terrena.

5. *Munera terræ?*] Aurum, argentum, &c.

6. *Munera maris?*] Margaritas, gemmas, &c.

Arabas] De his lib. 1. Od. 29. lib. 12. Od. 12.

Indos?] Lib. 1. Od. 12.

Ludicra

quid de ludis, & applauſu, ac muneribus populi *Romani ſentiatis? Quo animo, quo judicio vultuque aſpicienda hæc putas?* Certè *qui formidat iſtis contraria, eodem modo afficitur, quo* is, qui ea *deſiderat:* atque *in utroque trepidatio eſt æquè moleſta; cum inſperata ſpecies utrumque perturbat; ſeu lætetur, ſeu mæreat, ſeu cupiditate, ſeu formidine* percellatur. *Quid* autem *ad propoſitum, ſi cum aliquid aſpexerit fortunatius aut infelicius quàm ſperavit, oculos* tenet *immotos, atque mente* ſimul *& corpore obſtupeſcit? Virtutem ipſam ſi quis nimium expetat; ſapiens deſipere, juſtus injuſtus eſſe exiſtimabitur. I modò; admirare argentum, & vetus marmor, & fabrefacta ex ære; purpuram & gemmas concupiſce: lætare quod te dicentem mille oculi attendunt: manè forum frequenta ſedulus, ac ſerò domum redi, ne Mucius plus tritici,* quam tu, *colligat ex agris dotalibus, et ne ille (quod indignum eſt) ignobiliori ſtirpe genitus à te ſuſpiciatur magis, quam tu ab illo. Quodcunque abditum in terrâ* delitefcit, id *tempus exponet in apertum; defodiet autem & occultabit conſpicua.* Sic *poſtquam*

Ludicra quid, plauſus, et amici dona Quiritis?
Quo ſpectanda modo, quo ſenſu credis et ore? [753]
Qui timet his adverſa, ferè miratur eodem
Quo cupiens pacto: pavor eſt utrobique moleſtus;
Improviſa ſimul ſpecies exterret utrumque; 11
Gaudeat, an doleat, cupiat, metuátne. Quid ad rem,
Si, quicquid vidit melius pejúſve ſuâ ſpe,
Defixis oculis, animóque et corpore torpet?
Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui, 15
Ultrà quàm ſatis eſt virtutem ſi petat ipſam.
I nunc; argentum, et marmor vetus, æráque et artes
Suſpice; cum gemmis Tyrios mirare colores;
Gaude, quòd ſpectant oculi te mille loquentem;
Gnavus manè forum, et veſpertinus pete tectum,
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris 21 [754]
Mutus, et (indignum quod ſit) pejoribus ortus
Hic tibi ſit potiùs, quàm tu mirabilis illi. 23
Quicquid ſub terrâ eſt, in apricum proferet ætas;
Defodiet condétque nitentia. Cum benè notum

ANNOTATIONES.

7. *Ludicra*] Victoriam in ludis, quæ magni olim habita.

Plauſus,] Benevolentiam populi ſignificatam publicè, vel aſſurgendo, vel conſalutando, vel acclamando, vel applaudendo. Vide l. 1. Od. 20.

Dona Quiritis?] Honores & magiſtratus delatos per ſuffragia populi Rom. *Qui dabat olim Imperium, faſces, legiones, omnia.* Juvenal. Sat. 10. v. 78.

8. *Quo ſenſu*] Stoicì dicebant perturbationes omnes opinione conſtare.

Ore?] Fronte: oculis affectus demonſtrantur ut plurimùm.

9. *His adverſa,*] Inopiam, contemptum, ignominiam, ſibilos, exploſiones.

10. *Pavor*] *Metus eſt mentem loco movens.* Cic. Tuſcul. 4.

Utrobique moleſtus;] Al. *utrique*, cupienti ac timenti: timens enim vexatur dolore mali futuri, cupiens autem deſiderio boni abſentis.

11. *Improviſa ſimul ſpecies exterret utrumque;*] Seu ſpecies boni præſentis inſperata, quæ nimio gaudio exanimat etiam interdum, ſeu ſpecies mali præſentis triſtitiam creans eo graviorem, quo minùs exſpectabatur. Unde exoritur ſtupor, torpor, ægritudo, mentis alienatio, &c.

12. *Quid ad rem.*] Quid ad felicitatem, quam nunc rem inveſtigamus.

17. *I nunc, &c.*] Si res bonas, ſi virtutem ipſam ultrà quàm ſatis eſt, expetere ſtultum eſt; an licebit cupidè ſcrutari metalla, vaſa, lapillos, purpuram; imò famam, celebritatem nominis, opes, honores, &c?

18. *Tyrios colores;*] Vide lib. 2. Od. 18. v. 8. ibique annot. Item lib. 3. Od. 20. in fine.

20. *Gnavus manè forum, &c.*] Vel primo manè forum negotiantium pete, ibique exerce, quod *Janus ſummus ab imo perdocet*; hoc eſt, fœnore divitias accumula: Epiſt. 1. v. 54. item lib. 2. Sat. 3. vel forum judiciarium frequenta, & cauſis agendis quæſtum fac. Martial.

Dives eris, Romæ ſi cauſas egeris.

Veſpertinus pete tectum,] Diem totam lucro faciendo conſume; nec domum redi, niſi ſerò & ſub veſperam.

21. *Dotalibus agris*] Ab uxore acceptis dotis nomine.

22. *Mutus.*] Plebeius & ignobilis.

23. *Quàm tu mirabilis illi.*] Quod tu patricius illi obſcuro & abjecto non ſis mirabilis per majores divitias. Prolepſis.

24. *Quicquid ſub terra eſt,*] Quicquid nunc *ſtultè miraris & optas,* peribit; & tu pariter cum iſtis: quære potiùs virtutem; quæ ſola bonum ſtabile eſt et ſolidum. Epiſt. 1. v. 47.

Porticus Agrippæ, et via te conſpexerit Appî;
Ire tamen reſtat, Numa quò devenit & Ancus.
Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quære fugam morbi. Vis rectè vivere? Quis non?
Si virtus hoc una poteſt dare; fortis omiſſis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putas, ut
Lucum ligna? cave ne portus occupet alter; [755]
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas:
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porrò et
Tertia ſuccedant, et quæ pars quadret acervum.

porticus Agrippæ & via Appia te ſpectaverit valde illuſtrem; attamen ſupereſt ut perges eo, quo Numa & Ancus tandem iverunt. Age verò, ſi latus aut renes graviter dolent; exquire doloris levamen. At viſne rectè vivere? Ecquis non vult? inquies. *Ergo, ſi ſola virtus hoc conferre valet, ad hanc labora ſtrenuè, abjectis voluptatibus.* Quod *ſi* contrà *virtutem cenſes mera eſſe verba, ſicut lucum arbores* tantùm; *cura* diligenter *ne alter portus occupet, neve dimittas negotiationem apud Cibyrates & Bithynos:* cura ut *mille talenta compleantur, totque altera adjiciantur, itemque tertia,* imo & quarta, *ut cumulus reddatur quadratus.*

ANNOTATIONES.

26. *Porticus Agrippæ,*] M. Agrippa tertiùm conſul Pantheon fecit; addidit verò porticum columnis ingentibus, trabibus etiam æneis auro ſuperfuſis ſuperbam. Synecdoc. pro quavis porticu, quæ quidem Romæ fuit multiplex. Epiſt. 1. v. 71. In his ambulare, ſeque oſtentare inſignes quique conſueverant.

Via Appî;] Appius Claudius cenſor viam Romæ per portam Capenam Brunduſium uſque conſtravit adeò latam, ut plauſtra duo ſibi occurrentia facilè pertranſirent. Hæc à Trojano inſtaurata Statius 2. Sylv. carm. 2.

Appia longarum teritur regina viarum.

27. *Ire tamen reſtat,*] Poſtquam te omnibus oſtentâris, diuque ſplendide egeris, tandem moriendum eſt; perinde ac ipſi Rom. reges mortui ſunt. Vide lib. 1. Od. 28. & lib. 4. Od. 7. v. 15.

Numâ] Pompilius, ſecundus à Romulo rex, juſtitiâ clarus & religione. T. Liv. lib. 1. Plutarch, &c.

Ancus] Martius, rex quartus Rom. Numæ ex filiâ nepos, bellicâ gloriâ effulſit. T. Liv. cit.

28. *Si latus aut renes, &c.*] Si labores pleuritide, vel nephritide. Vide lib. 2. Sat. 3. v. 29.

29. *Quære fugam morbi.*] Ut corporis, ſic & animi debes morbos fugere, pari ſaltem diligentiâ.

31. *Virtutem verba putas,*] Si inane quid eſſe virtutem putas. Hercules apud tragicum quendam, & exinde Brutus (ex Dione lib. 47.) deploratis rebus exclamaſſe fertur: *O miſera virtus, eras igitur nugæ tantummodò: aſt ego te velut rem ſolidam ſectabar, verum fortunæ ſerviebas:* tumque vocavit unum è familiaribus, ut ſe interficeret.

Ut Lucum Ligna?] Veruntamen non arbores faciunt lucum, ſed religio & conſecratio alicui numini.

32. *Cave ne portus occupet alter;*] Ante alios mari te committe: naviga ad Cibyrates & Bithynos: occaſiones occupa negotiandi, & ex negotiatione diteſcendi. Perſ. Sat. 6. v. 75.

Mercare, atque excute ſolers Omne latus mundi, ne ſit præſtantior alter, &c.

33. *Cibyratica,*] Cibyra urbs Phrygiæ magnæ, in confinio Lyciæ, cognomento magna, æquitatis famâ celebris; ex Strabone. Eò verò mitti ſolebant luciones, & quotquot valde quæſtum odorari & ſectari cognoſcebantur. Altera fuit Cibyra minor dicta, apud Ciliciam, ab orâ maris diſtans decem propè milliaribus.

Bithyna] Bithynia Aſiæ regio, hinc Euxino mari, illinc Propontidi vicina, Thracia Aſiatica Xenophonti, nuncupata. Urbes habuit præclaras Chalcedonem, Nicomediam, Apamiam, Nicæam, Heracleam, Pruſam.

34. *Mille talenta rotundentur,*] Rotundum dicitur omni ex parte perfectum. Gal. *Faire le compte rond:* & Ang. *To make up a round ſum.*

Talenta] Talentum, τάλαντον, *ſtatera, lanx, pondus:* aliquando ponitur pro quovis ingenti pondere auri vel argenti, aliàs ſignificat certum pondus, quod tamen varium variis gentibus. Celebratur in primis talentum Atticum, quod drachmas ſexies mille continebat. Porrò drachma Attica reſpondet groſſo Francico, qui valet octo ſolidos cum ſex denariolis, aut circiter: ſiquidem marca argenti groſſos habet ſexaginta quatuor, illaque ut plurimùm valet viginti ſex aut ſeptem libellas, ſive Francicos, ut vocamus. Quæ cùm ita ſint; groſſi illi ſexies millies multiplicati conficiunt monetæ noſtræ libellas 2550. Quanto verò talentum auri majus ſit argento, ex auri ſupra argentum valore facilè æſtimaveris.

35. *Quæ pars quadret acervum.*] Ut quatuor mille talenta inveniantur integra, completa, & perfecta. Perſ. cit.

Rem duplica: feci: jam triplex, jam mihi quartò,
Jam decies redit in rugam.

Scilicet

Scilicet uxorem cum dote, fidémque, et amicos,
Et genus, et formam regina pecunia donat;
Ac benè nummatum decorat Suadela Venúſque.
Mancipiis locuples eget æris Cappadocum rex:
Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt, [756]
Si poſſet centum ſcenæ præbere rogatus; (bebo,
Quî poſſum tot? ait: tamen et quæram, et quot ha-
Mittam. Poſt paulò ſcribit, ſibi millia quinque
Eſſe domi chlamydum: partem vel tolleret omnes.
Exilis domus eſt, ubi non et multa ſuperſunt,
Et dominum fallunt, et proſunt furibus. Ergo,
Si res ſola poteſt facere et ſervare beatum;
Hoc primus repetas opus, hoc poſtremus omittas.
Si fortunatum ſpecies et gratia præſtat;
Mercemur ſervum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodicet latus, et cogat trans pondera dextram [757]

Nempe dominatrix pecunia tribuit opulentam conjugem, & fidem, & amicos, & nobilitatem, & pulchritudinem: atque divitem ſtipant Suada & Venus. Verum enim *Cappadociæ rex abundans ſervis indiget pecuniâ. Ne tu fueris ejuſmodi,* ſed potiùs Lucullo ſimilis. *Lucullus, inquiunt, interrogatus num poſſet centenas chlamydes ad ſpectaculum commodare, reſpondit: Quâ* ratione *poſſum tot* præbere? *attamen quæram, & quot inveniam, præbebo. Paulò* verò *poſtea ſignificat, ſe domi habere quinque millia chlamydum:* poſſe igitur *ſumi partem vel cunctas.* Hoc eſt locupletem eſſe. At contrà *anguſta eſt res familiaris, in quâ non plurima ſuperfluunt, ignoranturque à domino & juvant fures.* Quæ cum ita ſint, *ſique opes ſolæ valent reddere felicem & conſervare; hunc laborem primum aſſume, & ultimum dimitte. Si beatum facit decus* externum *& favor; emamus ſervum, qui nomina* civium *ſuggerat, qui latus ſiniſtrum pungat, moneatque manum offerre trans moles:*

ANNOTATIONES.

38. *Suadela*] Sive Suada, Gr. Πειθὼ, perſuaſionis dea. Videtur Horatius indicare facilitatem conciliandi nuptias, tum quod addit, *Venuſque*; tum quod antè dixit, *uxorem cum dote.*

39. *Mancipiis locuples, &c.*] Cappadocia minoris Aſiæ perampla regio, cujus populi ad ſervitutem adeò nati, ut offerentibus libertatem Romanis, maluerint regem eligere Ariobarzanem. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 27. Cic. poſt redit. in ſenatum: *Cappadocem modò abreptum de grege venalium diceres.* Perſ. jam cit.

Cappadocas rigidâ pingues plauſiſſe cataſtâ.

40. *Ne fueris hic tu.*] Ne ſis qualis rex ille, unâ re abundans, cæterarum inops. Quin potiùs ſis ut Lucullus adeo locuples rebus omnibus, ut plus poſſideret quàm ſciret. Vult ſuadere poeta ſapientiæ ſtudendum imprimis, quam habenti omnia præſtò adſunt.

Chlamydes Lucullus, &c.] Lucullus Romæ inſignis vir nobilitate, facundiâ, opibus, Africam prætor juſtiſſimè adminiſtravit; Mithridatem non ſemel profligavit, &c. Is rogatus à prætore urbano, ut celebrandi causâ ſpectaculi commodaret chlamydes multas, longè plures etiam obtulit.

43. *Millia quinque Eſſe domi chlamydum:*] Plutarch. in Luculli vita, cap. 39. minorem numerum deſignat; centum nempe ait ab eo petitas, ducentas autem fuiſſe miſſas: quod certè propiùs ad verum accedit.

46. *Dominum fallunt,*] Neſcientem eſſe tantas ſibi divitias.

Proſunt furibus.] Scilicet è magno numero facile detrahitur ac ſurripitur aliquid, domino vix advertente. Plaut. *Nihil eſt hic quod ſit furibus: ita inaniis ſunt oppleta atque araneis.*

47. *Si res ſola poteſt, &c.*] Si opibus fieri beatum credimus, iis maximè congerendis operam demus.

49. *Si fortunatum*] Si nominis ſplendore & gratiâ apud populum conſtare felicitatem exiſtimamus, captandis civium animis incumbamus, magiſtratus & dignitates ambiamus: adeoque *mercemur ſervum* nomenclatorem, qui nobis præeat, ut ſit, deducatque ad prenſandum unumquemque & verbis officioſis demerendum.

50. *Qui dictet nomina, &c.*] Qui candidatum moneat, quo quiſque civium appellandus nomine, quo officii genere obtinendum ſit ejus ſuffragium. Cic. pro Muræna: *Quid quod habes nomenclatorem? . . . . . ſi nomine appellari abs te cives tuos honeſtum eſt, turpe eſt eos notiores eſſe ſervo tuo quàm tibi.* Vide Signon. 3. De judic. cap. 30.

Lævum Qui fodicet latus,] Servus nomenclator incedens ad latus heri lævum honoris causâ, quoties obvius repente fiebat quiſpiam ſalutandus, domini latus cubito pulſabat fodiebatque atque inſuſurrabat, quis & qualis eſſet ille civis, ut ritè & honeſtè appellaretur.

Porri-

Porrigere: Hic multùm in Fabiâ valet, ille Velinâ;
Cuilibet hic faſces dabit, eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur: frater, pater, adde,
Ut cuique eſt ætas, ita quemque facetus adopta.
Si benè qui cœnat, bene vivit; lucet, eamus [758]
Quo ducit gula: piſcemur, venemur; ut olim
Gargilius, qui manè plagas, venabula, ſervos
Differtum tranſire forum populúmque jubebat;
Unus ut è multis populo ſpectante referret
Emptum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti; Cærite cerâ

atque inſuſurret indigitetque: *Iſte plurimum poteſt in Fabiâ tribu, hic in Velinâ: ille, cui voluerit, faſces dabit, & cui libuerit ebur curule detrahet moleſtus: voca fratrem vel patrem ſecundum ætatem cujuſque: ſic unumquemque urbanè tibi concilia.* Quod *ſi beatè vivit, qui lautè veſcitur; dies eſt, pergamus quo gula trahit: piſcemur, venemur: ſicut pridem Gargilius, qui mane per forum populo frequens ire imperabat famulos cum retibus ac venabulis, ut coram plebe mulus unus è pluribus reveheret aprum pretio comparatum.* Epulemur etiam, *& balnea ſubeamus* cibis *non coctis pleni; nec curemus, quid honeſtum ſit, & quid indecorum:* præſtemus nos licet *cenſura*

ANNOTATIONES.

51. *Trans pondera dextram Porrigere:*] Varia hic varii effutiunt. Sunt qui notari velint ambitioſos petitores publica pondera in largitionibus excedentes, & olei, vini, cæterorumque pluſculum donantes. Alii ſic explicant: Moneat brachium exerere extra togam collectam & complicatam, dextramque porrigere ad prenſandum occurrentem fortè civem. Hæc ſanè longè quæſita videantur. Verò propius eſt: Admoneat candidatum occurrenti civi obviam ire. & manum vel prenſando vel adjuvando porrigere, ſuperatis etiam impedimentis, ſi quæ interveniant; v. g. ſive turba obſtiterit, ſive moles aut trabes in viâ ſaxaque ponderoſa fuerint intermedia, ea tranſiliendo, & ſalutandum civem diligenter & officioſè adeundo.

52. *Hic multùm in Fabiâ, &c.*] Sic nomenclator hero candidato ſuggerit: En ille civis in tribu Fabiâ multùm valet: eum proinde multis officiis & blandimentis capta.

Fabiâ, Velinâ;] Pop. Rom. in 35 tribus ſeu claſſes aut familias diviſum, nôrunt omnes; & ſuffragia ferri ſolita modò viritim, ſeu per viros ſingulos; modò tributim aut centuriatim, id eſt, per tribus aut centurias. Vide Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 3. ubi de comitiis curiatis, centuriatis, tributis, deque variâ ſubinde ratione ſuffragandi.

Fabiâ.] A gente Fabiorum nominatiſſimâ dicta eſt.

Velinâ,] Seu à Velinâ, editâ urbis regione; ſeu à Velino lacu, cujus incolæ in civitatem aſciti. Cætera tribuum nomina, numerumque quandoque diverſum lege apud cit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 17, &c.

53. *Cuilibet hic faſces dabit,*] Imperium, conſulatum, ſummum magiſtratum hic habet, & afferet cuicunque ille ſuffragari voluerit; adeò valet apud tribules, totque ſuffragatores ſecum trahit. Et è contrario.

Faſces,] Nemo neſcit pro magiſtratu poni hæc magiſtratuum inſignia. Synecd. Nimirùm dictatori apparebant lictores 24. cum faſcibus; conſuli duodecim; proconſuli, & prætori ſex. *Faſces* autem erant virgæ plures ſecuri circumligatæ, ita ut extaret ferrum; quibus ſignificabatur poteſtas caſtigandi quæ corrigenda erant, præcidendi verò quæ non poſſent emendari. Plutarch. Problem.

Curule ebur:] Synecd. magiſtratum, cui jus eſt ſellæ curulis eburneæ, & in eâ ſedendi, ſeu cùm judicia exercet, ſeu cùm in curiam vehitur. Gell. l. 3. c. 18. Tull. Catil. 4. *Non hæc ſedes honoris, ſella curulis, unquam vacua mortis periculo atque inſidiis fuit.* Juvenal Sat. 10. v. 91.

. . . . ille ſellas donare curules:
Illum exercitibus præponere, &c.

56. *Si benè qui cœnat, benè vivit;*] Perſ. Sat. 4. v. 17.

Quæ tibi ſumma boni eſt? unctâ vixiſſe patellâ
Semper, & aſſiduo curata cuticula ſole.

60. *Gargilius,*] Is inanis & ſtultâ gloriæ cupiditate ductus, videri cupiebat venando cepiſſe feram, quam pretio mercatus erat ab aliis captam.

61. *Crudi tumidique lavemur,*] Lavabant priſci helluones ad accelerandam ciborum coctionem, excitato calore naturali per frigoris antiperiſtaſin, ut citiùs & novâ fame ad epulas redirent.

62. *Cærite cerâ digni:*] Digni inferri in tabulas Cæritum, id eſt, à cenſore infamiæ labe notari, non ſecus ac urbis Cære populi, quibus ob flagitioſam defectionem jus ſuffragii ademptum eſt. Vide Gell. lib. 16. cap. 13. Item Petrum Crinit. De hon. diſc. lib. 7. cap. 6. ubi ſic habet: Primi omnium municipes facti Cærites ſine ullo juris ſuffragio . . . . . unde tabulæ Cærites dictæ, in quas cenſor eos

Digni: remigium vitioſum Ithacenſis Ulyſſei,
Cui potior patriâ fuit interdicta voluptas. 64
Si, Mimnermus uti cenſet, ſine amore jociſque
Nil eſt jucundum; vivas in amore jociſque. [759]
Vive, vale. Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.

dignos: imitemur *luxurioſos comites Ulyſſis Ithacæ* regis, *qui patriam poſthabuerunt vetitæ voluptati. Si autem, ut Mimnermus arbitratur, nihil dulce eſt ſine amore & jocis; in amore & jocis vive. Age, vale. Si quidpiam ſcis his melius, benignè communica* nobiſcum; *ſi non* autem, *illis mecum utere.*

ANNOTATIONES.

referebat, qui notâ vel ignominiâ quâpiam forent inſignes. Ex quo eruditè Flaccus in Epiſtolâ ad Numicium, dignos Cærite cerâ appellat Romanos, qui luxu & voluptatibus turpiſſimis tenebantur: quem locum Horatiani interpretes ineptiſſimè, ut alia permulta, expoſuerunt. Hactenùs ille.

63. *Remigium vitioſum Ithacenſis Ulyſſei,*] Ulyſſes à Tireſiâ vate monitus edixerat ſociis, ne boves ſolis violarent. At illi, Ulyſſe dormiente, ex iis mactatis epulas ſibi paràrunt. Quapropter iræ numinum obnoxii pœnas dederunt, naufragioque abſumpti patriam non reviſerunt. Vide lib. 2. Sat. 5.

65. *Mimnermus*] Hic poëta Epicureus, Colophonius, vel Smyrnæus, ſeptem ſapientibus antiquior vel æqualis: pleraque ſcripſit amatoria elegiaco verſu, tam ſuaviter & argutè, ut Ligyoſtades appellaretur. Suidas. *Mimnermus dulces reperit ſonos, & mollis pentametri cantus.* Athen. lib. 13. cap. 8. Propert. lib. 1. Eleg. 9.

Plus in amore valet Mimnermi verſus Homero:
Carmina manſuetus lenia quærit amor.

Apud Plutarch. lib. De virtute morali, hoc Mimnermi diſtichon refertur:

Τίς δὲ χάρις, τί τὸ τερπνὸν, ἄνευ χρυσῆς Ἀφροδίτης;
Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι.
Quid gratum, quid jucundum, aureus ſi Venus abſit?
Emoriar, me horum cura relinquat ubi.

67. *Iſtis,*] Quæ de ſummo bono diſſerui.

EPISTOLA VII. Ad *MÆCENATEM.*

Mæcenatis in ſe liberalitatem laudat, at libertatem & otium opibus præfert.

QUinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax deſideror: atqui

Promiſeram tibi, Mæcenas ruri me commoraturum non plus *quinque diebus;* ecce autem *integro* menſe

ANNOTATIONES.

1. *Quinque dies*] De hâc epiſtolâ rectè quidem Scaliger; *Septima,* inquit, *adeo elegans eſt, adeo urbana, ut ad eas virtutes nihil addi poſſe videatur.*

Rure] In villâ mea Sabinâ. Vide infrà Epiſt. 16. Ce illâ jam antèà lib. 1. Od. 7. lib. 2. Od. 18. lib. 3. Od. 13. Epod. 1.

2. *Sextilem*] Hic menſis, ut & Quintilis, à numero dictus, ſecundùm Romuli ordinationem, Martio anni tenente principium: nihilominùs tamen etiam poſt præpoſitos à Numâ Januarium ac Februarium, vetus nomen retinuerunt Quinctilis & Sextilis, quamvis non jam quintus & ſextus, ſed ſeptimus & octavus eſſent. Poſteà verò in honorem Julii Cæſaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio Marci filio conſule, Quintilis appellatus eſt Julius, quòd eo menſe ad 4. id. Quintil. Julius Cæſar in lucem editus ſit. Auguſtus deinde eſt qui Sextilis anteà vocabatur, donec honori Auguſti daretur ex ſenatus conſulto, cujus hæc ſunt verba: *Cum imperator Cæſar Auguſtus menſe Sextili & primum conſulatum inierit, & triumphos tres in urbem intulerit; & ex Janiculo legiones deductæ ſecutæque ſint ejus auſpicia ac fidem; & Ægyptus hoc menſe in poteſtatem populi Rom. redacta ſit; finiſque hoc menſe bellis civilibus impoſitus ſit; atque ob has cauſas hic menſis huic imperio feliciſſimus ſit ac fuerit; placere ſenatui, ut menſis Auguſtus appelletur.* Macrob. lib. 1. cap. 12.

Si

Si me vivere vis ſanum recteque valentem ; [760]
Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Mæcenas, veniam ; dum ficus prima, caloſque
Deſignatorem decorat lictoribus atris ;
Dum pueris omnis pater et matercula pallet ;
Officioſaque ſedulitas, et opella forenſis
Adducit febres, et teſtamenta reſignat.
Quod ſi bruma nives Albanis illinet agris,
Ad mare deſcendet vates tuus, et ſibi parcet, [761]
Contractúſque leget. Te, dulcis amice, reviſet
Cum Zephyris, ſi concedes, et hirundine primâ.
Non, quo more pyris veſci Calaber jubet hoſpes,
Tu me feciſti locupletem. Veſcere ſodes.
Jam ſatis eſt. At tu quantum vis tolle. Benignè.
Non inviſa feres pueris munuſcula parvis.

Auguſto abſum fallax. *Verum ſi me vis incolumem vivere, & bene valere, quod ægrotanti concederes, hoc indulge ægrotare metuenti ; dum prima ficus, & æſtus libitinarium exornat atratis miniſtris ; dum parentes filiis timent ; Aſſiduus & officioſus in foro labor gignit febres, atque aperit teſtamenta.* *Cum verò hyems nivibus operit agros Albanos, ſtatim ad mare decurret tuus poëta, ſuique ſolicitus rarius leget.* Demum *ad te revertetur cum Favoniis, & primâ hirundine, ſi quidem ita volueris,* ô *ſuavis amice.* Enimverò *nequaquam mibi opes largitus es, quâ ratione boſpes Calaber viatorem cogit pyra comedere.* CAL. *Comede, quæſo, ait.* VIAT. *Abunde eſt.* CAL. *Aufer quantum placuerit.* VIAT. *Liberalis* es admodum. CAL. *Aufer,* inquam, *dona puerulis grata.*

ANNOTATIONES.

4. *Dabis ægrotare timenti, Mæcenas, veniam ;*] Horatium nempe habere comitem aſſiduum Mæcenas cupiebat. At ille amantior ſuæ libertatis, hoc ſervitii genus vix ferebat. Adde quod poëta & carmina ſeceſſum atque otium requirunt. Vide poſteà v. 34.

5. *Dum ficus prima, calorque*] Dum fervet canicula, quo tempore matureſcunt ficus. Porrò gravis æſtate eſt Romæ habitatio niſi divitibus domicilia quædam & viridaria, ſæviente etiam æſtu, frigida habentibus.

6. *Deſignatorem*] Sic dicitur, qui pompam funebrem, vel ludos ſcenicos conſtituit, ordinat, componit ; quique locum & tempus ad agendum perſonis deſignat. Gall. *Juré crieur :* Item, *Maiſtre de ceremonies.*

Decorat lictoribus atris ;] Lepidè, quaſi magiſtratum lictoribus, ſic deſignatorem exhibet poëta noſter ſtipatum & decoratum ſuis miniſtris libitinariis, veſpillonibus, uſtoribus, pollinctoribus, ſandapilariis, qui omnes pullâ veſte induti adſunt.

7. *Dum pueris omnis pater, &c.*] Ob frequentes & periculoſas eâ tempeſtate ægritudines.

8. *Opella forenſis*] Nimia quidem opera clientibus præſtita nimia ſedulitas in actione forenſi.

9. *Teſtamenta reſignat.*] Scilicet aperiuntur teſtamenta duntaxat poſt mortem.

10. *Albanis*] Circumjectos Romæ agros indicat. *Alba* Latii urbs, Româ antiquior, inde diſtans 14 millia paſſ. ab Aſcanio condita paulò poſt excidium Trojanum : nunc jacet in ruderibus. Ex his autem ſurrexit crevitque Albanum, v. *Albano*, principatus titulo gaudens.

11. *Ad mare deſcendet*] Ad urbem aliquam mari proximam, ubi per hyemem aër tepeſcit, æſtate verò friget. De Tarentinâ temperie lib. 2. Od. 6.

Ver ubi longum tepidaſque præbet
Jupiter brumas.

12. *Contractuſque leget.*] Legendis libris minus incumbet. Metaph. à navigantibus, qui vela contrahunt, & littus legunt, tempeſtate ingruente vel imminente.

13. *Cum Zephyris,*] Verno tempore, quo incipiunt flare Zephiri. Vide lib. 3. Od. 1.

Hirundine primâ.] Hirundines abeunt hybernis menſibus, apricos ſecutæ montium receſſus ; redeunt vere primo. Plin. lib. 2. cap. 47. *Favonii hybernum molliunt cælum.* . . . . *Favonium ſtatuunt quidam ad 7. Calend. Mart. Chelidoniam vocant ab hirundinis viſu.* Id. lib. 10. cap. 24. & lib. 18. cap. 26. Cic. ad Heren. l. 4. n. 62. *Hirundines æſtivo tempore præſtò ſunt, frigore pulſæ recedunt.* Vide Plutarch. Sympoſ. lib. 8. cap. 7. & Cœl. Rhodig. lib. 16. cap. 10. ubi de proverbio, *Una hirundo non facit ver :* item de Ariſtophanis dicto. *Hirundinibus plurimis indigere :* quo deridebat hominem hyeme attritas veſtes habentem ; & ſignificabat, opus eſſe illi, ut ver æſtaſque quamprimùm adeſſent. Id. Rhodig. lib. 21. cap. ult. aſſerit hirundinem albam perdice haud minorem apparuiſſe in Samo.

14. *Calaber*] De Calabriâ Italiæ regione lib. 1. Od. 3.

Tam teneor dono, quàm ſi dimittar onuſtus.
Ut libet: hæc porcis hodie comedenda relinques.
Prodigus et ſtultus donat, quæ ſpernit et odit,
Hæc ſeges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Vir bonus et ſapiens dignis ait eſſe paratum,
Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis.
Dignum præſtabo me etiam pro laude merentis.
Quòd ſi me noles uſquam diſcedere; reddes
Forte latus, nigros anguſtâ fronte capillos:
Reddes dulce loqui: reddes ridere decorum, et
Inter vina fugam Cynaræ mœrere protervæ.
Forte per anguſtam tenuis nitedula rimam
Repſerat in cumeram frumenti, paſtaque rurſus
Ire foras pleno tendebat corpore fruſtra.
Cui muſtella procul, Si vis, ait, effugere iſtinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra ſubiſti.
Hâc ego ſi compellar imagine, cuncta reſigno.

VIAT. *Tantum debeo tibi ob munera, quantum ſi diſcedam iis oneratus.* CAL. *Penes te ſunt omnia iſta, quæ dimittes hodie ſuibus devoranda. Profuſus & fatuus elargitur, quæ contemnit & averſatur: & hæc meſſis ingratos procreat, ſemperque procreabit. Probus autem vir & prudens profitetur ſe paratum eſſe largiri dignis: neque tamen neſcit, quod diſcrimen ſit inter nummos & lupinos. Ego quidem me præſtabo dignum laude promerentis. Quòd ſi me nuſquam abire permiſeris; reſtitue firmum robur, & nigros crines fronte arctiori: reſtitue lepidum ſermonem, jocos facetos, & dolere Cynaræ laſcivæ diſceſſum inter epulas. Olim mus agreſtis macer per fiſſuram ſubierat tritici alveum, deinde verò ſaturatus exire obeſo corpore fruſtrà nitebatur. Huic muſtela è longinquo dixit. Si cupis illinc evadere, per anguſtam rimam exibis gracilis, per quam gracilis intrâſti. Iſtâ ego ſimilitudine ſi urgear, omnia libens reſtituo.*

ANNOTATIONES.

21. *Hæc ſeges ingratos tulit,*] Donatio rerum nempe viliſſimarum gratum animum haud meretur. Hinc non abludit quod ait Iſocrates, Τὰς χάριτας ἀχαρίτως χαρίζεσθαι. Gall. *Donner de ſi mauvaiſe grace, qu'on n'en à point d'obligation.*

22. *Vir bonus & ſapiens, &c.*] At vir prudens in dando, perſonam, locum, tempus conſiderat: cum delectu agit: dignos cum indignis non confundit.

23. *Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis.*] Novit diſtinguere pretioſum à vili, verum à falſo, dignum ab indigno, nummos bonos à malis ludicris, ſcenicis. *Lupinus* eſt legumen, quod aliqui dictum putant, quod lupinâ quadam indole terram voret: alii tamen melius ἀπὸ τῆς λύπης, quòd vultum guſtantis amaritudine contriſtet. Iſidor. Hinc Virgil. Georg. 1. *triſtem* lupinum dicit. Ejus leguminis ſemina orbiculata ſunt & compreſſa: hinc olim iis utebantur in comœdiis ad imitandos nummos, quò alludit Horatius hoc loco. Plaut. Pœnul. Act. 3. Sc. 2.

Ag. *Agite, inſpicite, aurum eſt.*
Col. *Profectò, ſpectatores, comicum.*
Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boves.
Verum ad hanc rem agendam Philippeum eſt.

25. *Reddes Forte latus, &c.*] Oportet ut mihi reddas priores ac meliores annos apud te conſumptos.

26. *Nigros capillos:*] Nigros olim in juventute, jam verò canos.

Anguſtâ fronte] Dum erant capilli denſiores, anguſtâ; at eis decidentibus, jamque rarioribus, latâ.

27. *Ridere decorum, & Inter vina fugam, &c.*] Levitates amatorias & juveniles.

29. *Fortè per anguſtam, &c.*] Apologus & ſimilitudo maximè ad rem, quibus ſolerter & ingenioſè mentem ſuam declarat Horatius.

30. *Cumeram*] Vas ſparteum, palmeum, vimineum, quo plebeii condebant frumenta. Ejus mentio jam lib. 1. Sat. 1. v. 53. facta.

32. *Muſtella*] Sive *muſtela.* Gall. *une belette.* Ang. *a weaſel.*

34. *Cuncta reſigno.*] Non temere aut fictè, ſed conſultò & ex animi ſententiâ loquitur Horatius. Ejus certè menti penitùs inſidebat illud:

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Quod quidem oſtendit luculenter, cùm nec ipſi Auguſto ſuam mancipare libertatem voluit. Sic enim Mæcenati Imperator ſcripſerat: *Antè ipſe ſufficiebam ſcribendis epiſtolis amicorum; nunc occupatiſſimus & infirmus Horatium noſtrum te cupio adducere. Veniet igitur ab iſtâ paraſiticâ menſâ ad hanc regiam, & nos in epiſtolis ſcribendis adjuvabit.* Quid verò ad hæc Horatius?

 Nec

Nec ſomnum plebis laudo ſatur altilium, nec [763]
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Sæpe verecundum laudâſti: rexque paterque
Audiſti coram, nec verbo parciùs abſens.
Inſpice, ſi poſſum donata reponere lætus.
Haud malè Telemachus proles patientis Ulyſſei;
Non eſt aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis
Porrectus ſpatiis, neque multæ prodigus herbæ:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent. Mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.
Strenuus et fortis, cauſiſque Philippus agendis [764]
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimiùm diſtare Carinas
Jam grandis natu queritur; conſpexit, ut aiunt,
Adraſum quendam vacuâ tonſoris in umbrâ,
Cultello proprios purgantem leniter ungues.

Neque plenus dapibus exquiſitis laudo plebis quietem, nec libertatem opibus Arabum permutare velim. *Sæpe me laudâſti paucis contentum: tuque à me rex & pater celebratus es præſens, pariterque abſens. Experire, num ſponte queam reſtituere quæ dediſti. Bene quidem Telemachus patientis Ulyſſis filius* aiebat: *Ithacæ regio non eſt equis idonea, quippe nec campis operta, nec graminis ferax. Non accipiam tua munera, ô Menelae, tibi magis idonea. Exiguo exigua conveniunt. Roma populoſa nunc me non juvat, ſed Tibur minus frequens, vel Tarentum haud bellicoſum. Philippus cauſarum actor ſedulus, acer, inſignis, ab occupationibus* conſuetis *revertebatur circa horam* diei *octavam: & jam ſenior conquerebatur Carinas foro longius abeſſe. Tum, inquiunt, in tabernâ tonſoris prætonſum quendam vidit cultro ungues otioſè reſecantem.* Mox *ſervo mandata ſua ſtrenuè capeſſenti* imperavit:

ANNOTATIONES.

Præclarum nihilominus officium deprecatus eſt, detrectavit, recuſavit. Patet ex Auguſti ad ipſum epiſtolâ, in quâ ſic erat: *Tui qualem habeo memoriam, poteris ex Septimio quoque noſtro audire — neque enim ſi tu ſuperbus amicitiam noſtram ſpreviſti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν.* Quæſo, lector, ἐν παρόδῳ adverte Imperatoris benignitatem & clementiam: quam virtutem principibus idoneam ut magis admirere, non pigebit inſuper referre quod idem ad eundem ſcribebat: *Sume tibi aliquid juris apud me tanquam ſi convictor mihi fueris. Rectè enim & non temerè feceris: quoniam id uſus mihi tecum eſſe volui, ſi per valetudinem tuam fieri poſſet.*

35. *Nec ſomnum plebis laudo ſatur*] Neque verò plebeiorum quietam frugalitatem nunc laudo, cùm ſumptuoſis epulis abundo & ſatur ſum, aliam ſententiam aliumque ſermonem habiturus, ſi egeſtatis incommoda ſentiam. Imo libertatem præfero quibuſlibet divitiis.

Altilium,] Avium quæ domi aluntur ſaginanturque ad epulas ſumptuoſiores ac lautiores.

36. *Divitiis Arabum*] Vid. lib. 1. Od. 29.

37. *Rexque paterque Audiſti*] Ellipſis, deeſt *dici*; hoc ſenſu: audiſti dici te à me *regem* ob munificentiam, *patrem* ob amorem. Sic volgo aiunt: *bene vel male audire.*

40. *Haud malè Telemachus*] Menelao ſcilicet equos dare volenti reſpondit Telemachus, haud ſibi aptos eſſe, &c. Homer. Odyſſ. 4. *De Ulyſſe*, lib. 2. Sat. 5. *De Ithaca*, ibid. v. 4.

44. *Regia Roma,*] Urbium principem dicit, Lib. 4. Od. 3.

45. *Vacuum Tibur*] Minus populoſum. Lib. 1. Od. & 18.

Imbelle Tarentum] Voluptatibus magis quàm bello aptum. Lib. 1. Od. 28. Lib. 2. Od. 6. Lib. 3. Od. 5.

46. *Strenuus & fortis, &c.*] Egregio lepidoque exemplo demonſtrat, opibus longe præſtare quietum vitæ genus, quamvis mediocre & anguſtum.

Philippus] L. Marcius Philippus, conſularis vir ac cenſorius, gravitate, ingenio, facundiâ, divitiis etiam præclarus. Eum laudat Cicero in Bruto. Item in orat. pro Quinctio.

47. *Ab officiis*] Forenſibus fatigatus officiis, quibus tam acriter incumbebat, ut *eloquentiâ florentiſſimus civitatis* diceretur. Cic. cit.

Octavam circiter horam] Horâ poſt meridiem ferè ſecundâ: quod alibi explanavi fusè.

48. *Carinas*] Vicus erat Romæ curvus & oblongus inſtar carinæ: unde nomen. In eo ſita erat Philippi domus. Erant & plures aliæ ædes ſuperbæ, atque inter illas Pompeianæ: quapropter *lautas Carinas* vocat Maro, Æn. 8. v. 361.

49. *Grandis natu queritur;*] Iter quippe ſenibus moleſtum eſt.

51. *Purgantem leniter ungues.*] Quod animi tranquillitatem denotabat.

Demetri (puer hic non lævè juſſa Philippi
Accipiebat) abi, quære, et refer, unde domo, quis,
Cujus fortunæ, quo ſit patre, quóve patrono.
It, redit, et narrat, Vultejum nomine Menam,
Præconem, tenui cenſu, ſine crimine notum,
Et properare loco, et ceſſare, et quærere, et uti,
Gaudentem parvíſque ſodalibus, et lare certo,
Et ludis, et, poſt deciſa negotia, campo.
Scitari libet ex ipſo quodcumque refers: dic [766]
Ad cœnam veniat. Non ſanè credere Mena:
Mirari ſecum tacitus. Quid multa? Benignè,
Reſpondet. Negat ille mihi? Negat improbus, et te
Negligit, aut horret. Vultejum manè Philippus
Vilia vendentem tunicato ſcruta popello
Occupat, et ſalvere jubet prior. Ille Philippo
Excuſare laborem et mercenaria vincla,
Quòd non manè domum veniſſet; deniq; quòd non
Providiſſet eum. Sic ignoviſſe putato
Me tibi, ſi cœnas hodie mecum. Ut libet. Ergo
Poſt nonam venies: nunc i, rem ſtrenuus auge.
Ut ventum ad cœnam eſt, dicenda, tacenda locutus,
Tandem dormitum dimittitur. Hìc ubi ſæpe
Occultum viſus decurrere piſcis ad hamum;

Demetri, vade, percunctare, & narra, quis iſte, quâ conditione & familiâ, quo patre ſit, et quo patrono. Ille *vadit, revertitur, ac refert, Vultejum Menam vocari, præconem eſſe, re familiari exiguâ, probum æxiſtimari, diſcurrere, & interquieſcere, comparare, & uti; parvis ſociis fixoque domicilio frui, necnon ſpectaculis & campo* Martio *poſt negotia peracta.* Tum Philippus: *Ab ipſo velim quærere ea, quæ narras: ad cœnam voca. Vix fidem habet Mena: apud ſe attonitus cogitat. Quid plura? Nimis liberaliter, inquit.* PHILIP. Itane *recuſat iſte?* DEMET. *Recuſat pertinax, teque curat parum, vel formidat.* Poſtridiè *Philippus improviſus adoritur, ſalutatque prior Vultejum exiguas merces venumdantem plebeculæ tunicâ indutæ. Vultejus Philippo obtendit curas & occupationes negotiationis, propter quas ad eum mane non iviſſet;* veniamque petit, *quod eum non prior ſalutaſſet.* PHILIP. *Tum demum condonaſſe me tibi exiſtima, ſi mecum hodie cœnaveris.* VULT. Faciam *quod jubes.* PHILIP. *Ergo venies poſt* horam *nonam; jam abi, opeſque ſedulò congere. Poſtquam ad cœnam convenit, atque tam proferenda quàm reticenda effutiit, tandem mittitur dormitum. Mena jam frequenter rediens,* velut *piſcis ad uncum obtectum,*

ANNOTATIONES.

52. *Demetri (puer hic, &c.]* Adverte narrationem & hypotypoſin eximiam: rem oculis obverſari credas, adeò vivida ſunt omnia.

56. *Præconem,]* Buccinatorem publicum, qui venalia proclamabat, aliaque denuntiabat.

57. *Properare loco,]* Tanquam viatorem, aut mercatorem.

58. *Gaudentem parvis ſodalibus,]* Æqualibus ſibi conditione hominibus conſueſcentem, & cum iis exigua ſed pacata vitæ gaudia delibantem.

59. *Campo.]* De Martio campo, & frequentibus illic exercitationibus dixi lib. 1. Od. 8.

62. *Benignè,]* Reſponſio blandè recuſantis. Gall. *C'eſt trop d'honneur qu'il me fait. Je luy ſuis fort obligé. Je le remercie.*

63. *Negat ille mihi?* Philippus excandeſcit.

65. *Scruta]* Gr. γρύτη, & γρυτάρια, frivola. Hinc *ſcrutariam facere,* i. e. vilia quædam vaſa vendere, apud Apuleium lib. 4. quod tamen alii aliter exponunt. Hinc & *ſcrutarium,* locus in quo venduntur ſcruta; & *ſcrutarius,* qui vendit. Lucil.

Quidni? & ſcruta quidem ut vendat ſcrutarius laudat,
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

Vide Gell. lib. 3. cap. 14.

Tunicato popello] Infimæ ſortis plebi, non togâ, ſed tunicâ ſimplice veſtitæ.

69. *Providiſſet]* Al. leg. *proviſiſſet.*

71. *Poſt nonam]* Ad cœnam venies horâ ſolitâ, nempe tertiâ poſt meridiem: de quâ non alibi, & Alex. ad Alex. l. 5. c. 21. quem adi, multa ibi diſquirentem ſcitu digna.

72. *Dicenda, tacenda locutus,]* Egregiè videlicet potus & cœnatus, atque hilaris è Baccho factus quævis liberè effutiebat: ut ferè fit.

74. *Piſcis ad hamum;]* Mena rerum imperitus ad oblatum Philippi patrocinium decurrit, velut piſcis ad hamum, ignorans quid inde ſibi impenderet & conflaretur mali. Nempe ipſius libertas & animi quies in diſcrimen adducebatur.

 Manè

Manè cliens, et jam certus conviva, jubetur [766]
Rura ſuburbana indictis comes ire Latinis.
Impoſitus mannis, arvum cœlúmque Sabinum
Non ceſſat laudare. Videt, ridétque Philippus;
Et ſibi dum requiem, dum riſus undique quærit,
Dum ſeptem donat ſeſtertia, mutua ſeptem
Promittit; perſuadet utì mercetur agellum.
Mercatur: ne te longis ambagibus ultrà
Quàm ſatìs eſt, morer, ex nitido fit ruſticus; atq;
Sulcos et vineta crepat mera; præparat ulmos;
Immoritur ſtudiis; et amore ſeneſcit habendi.
Verùm ubi oves furto, morbo periere capellæ; [767]
Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando;
Offenſus damnis, mediâ de nocte caballum
Arripit, iratúſque Philippi tendit ad ædes.
Quem ſimul adſpexit ſcabrum intonsúmque Philippus,
Durus, ait, Vultei, nimis attentúſque videris
Eſſe mihi. Pol me miſerum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per genium, dextrámque, deóſque Penates,

cliens manè, jamque convictor aſſuetus jubetur ad villam ſuburbanam comitari per ferias Latinas imperatas Is equo inſidens, agrum & aërem Sabinum valde laudat. Philippus videt, ac ridet; dumque ſibi joca & oblectamenta undequaque perquirit, ſeſtertia ſeptem largitur, aliaque ſeptem commodare ſpondet; ſuadetque ut emat prædiolum. Vultejus *emit. Ac ne te prolixò ſermone pluſculum detineam, de homine polito ſit agreſtis;* & dein *loquitur ſolùm de ſulcis ac vinetis; arbores diſponit; macerat ſe curis, & in cupiditate poſſidendi inveteraſcit. At cùm* cœpit *oves furto, & capras morbo perdere;* cùm *meſſis ſpem feſellit, boves* autem *arando confecti ſunt;* tum *jacturis perculſus nocte mediâ inſcendit equum, iratuſque ad Philippi domum properat. Hunc Philippus ſqualidum cernens atque horridum, dixit: Vultei, nimis te laborioſum & anxium video.* Vultejus *reſpondit: Certè miſerum appellabis, ô patrone, ſi verè me nominare volueris. Quocirca enixè te rogo per genium, & dextram, Penateſque deos,*

ANNOTATIONES.

75. *Manè cliens,*] Patronum clientes quotidiè mane ſalutabant, officiumque ſuum ei deferebant.

Certus conviva,] Sic Menæ libertati inſidiabatur Philippus, ſibique mimum parabat.

76. *Indictis Latinis.*] Feriis, quibus erat *liberis litium & jurgiorum quies, ſervis autem operum & laborum,* inquit Cicero 2. De leg. n. 29.

Indictis] Has enim tempore incertas magiſtratus vel pontifex maximus in diem certam concipiebat indicebatque. Quatuor feriarum erant genera: Stativæ, ſtatis menſibus ac diebus obſervatæ; ut ſaturnalia, Lupercalia, &c. Conceptivæ; ut Latinæ, Sementinæ, Paganalia, Compitalia: Imperativæ, quas conſul, prætorve, aut pontifex maximus pro arbitrio imperabat: Nundinæ, quæ feriæ paganorum nefaſtæ erant. Cætera ad ferias pertinentia lege apud Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 7.

Latinis] Varro 5. de L. L. *Latinæ feriæ, dies conceptivus dictus à Latinis populis, quibus pariter cum Romanis jus fuit carnem petere ex ſacris:* ſcil. ex tauro in *Albano monte* ſacrificari ſolito, ad honorem Jovis Latialis. Latinas ferias Tarquinius a principio in unum diem indixit. Poſt reges autem exactos, altera dies adjecta populi juſſu. Demùm reſtitutâ plebe, quæ ad ſacrum montem ſeceſſerat, à conſule vel præfecto Latinarum indictæ ſunt in tres aut quatuor dies. Interjecto deinde tempore dilatas ſervataſque invenimus in dies decem: ultra quos duo etiam poſt Latinas religioſi habiti, quibus ſolemne ludicrum in Capitolio exhibebatur, quadrigis concito curſu decertantibus. Hæc Alex. ab Alex. modò cit.

77. *Sabinum*] In Sabinis agris ſita erat Philippi villa. Vide Epod. 2.

80. *Septem ſeſtertia,*] Poëtice, pro ſeptem millia ſeſtertiûm. Nec enim agellus ſeptem aut etiam quatuordecim nummis ſeſtertiis emi poterat: ut bene ſtatuunt Budæus & alii. Vide poſteà lib. 2. Epiſt. 2. v. 33.

84. *Præparat ulmos;*] Ad vites ſuſtentandas.

89. *Iratúſque Philippi tendit ad ædes.*] Ergo jam Vultejus hamo captus ejus aculeum ſentit: Philippus autem parato indè ſibi ludibrio gaudet & oblectatur.

92. *Pol*] Id eſt per Pollucem.

94. *Genium,*] Præſidens natalibus numen.

ut reſtituas me priſcæ conditioni. Itaque quicunque ſemel agnovit, quantum relicta præcellant concupitis, ſtatim revertatur, ac reſumat dimiſſa. Æquum eſt enim, *ut ſe quiſque ſuâ menſura & pede metiatur.*

Obſecro, et obteſtor, vitæ me redde priori.
Qui ſemel aſpexit, quantum dimiſſa petitis
Præſtent, maturè redeat, repetátque relicta.
Metiri ſe quemque ſuo modulo, ac pede, verum eſt.

ANNOTATIONES.

94. *Penates*] Deos patrios ac domeſticos, quorum erat religio ſanctiſſima. Qui vero illi fuerint haud conſtat. Alii ſtatuunt Jovem, Junonem, & Minervam: alii Neptunum & Apollinem: alii Cœlum & Terram, &c.

Dextramque,] Plin. lib. 11. cap. 45. *Ineſt,* inquit, *hominis dextræ quædam religio, obſervatione gentium.* Sic. Virgil. Æneid. 4. v. 314.

Per ego has lacrymas, dextramque tuam;

& Æneid. 7. v. 234.

Fata per Æneæ juro dextramque potentem.

96. *Qui ſemel aſpexit, &c.*] Hæc aliqui dicta volunt à Philippo Vulteii Menæ votis reſpondente: ego verò, ab Horatio apud Mæcenatem perorante.

98. *Metiri ſe quemque ſuo modulo, &c.*] Debet unuſquiſque ſeipſum nôſſe, ac pervidere, quænam ſibi conditio potiſſimùm conveniat ad beatè vivendum. Sic ferme Perſius Sat. 4. v. 52.

Tecum habita; & noris, quàm ſit tibi curta ſupellex.

EPISTOLA VIII. Ad *CELSUM ALBINOVANUM.*

Quædam ejus vitia obliquè vellicat.

O Muſa, Celſo Albinovano, comiti & ſcribæ Neronis renuncia, quæſo, ſalutem & proſperitatem. Si interroget, quid agam; reſponde, me plurima & præclara ſpondere, at vitam ducere nec bonam nec jucundam: non quòd grando fregerit vites, aut nimius calor olivas areſecerit; nec quòd greges malè ſe habeant in agris remotis; ſed quoniam pejus animo valens, quàm toto corpore,

CELSO gaudere et bene rem gerere Albinovano [68]
Muſa rogata refer, comiti ſcribæque Neronis.
Si quæret, quid agam; dic multa et pulchra minantem
Vivere nec rectè, nec ſuaviter: haud quia grando
Contuderit vites, oleámve momorderit æſtus;
Nec quia longinquis armentum ægrotet in arvis;
Sed quia mente minùs validus, quàm corpore toto,

ANNOTATIONES.

1. *Celſo gaudere, &c.*] Seipſum ita hîc poëta reprehendit, ut Celſum in ſuâ perſonâ videatur arguere levitatis & arrogantiæ: quem ſuprà (ſi quidem is idem eſt) jam nonnihil vellicavit, Epiſt. 3. v. 15. & ſeq.

Celſo] Corneliorum & Papiorum cognomen fuit *Celſus.* Poſthumiorum autem *Albinovanus,* ut notat Torr. ex Appiano.

Gaudere & bene rem gerere] Sic amicos ſalutabant Græci. χαίρειν ϗ εὐπράττειν: quibus exoptabant proſpera omnia. Plato ſanitatem mentis potiùs optandam aiebat: atque ita ſalutandos familiares: Σωφρονεῖν, vel γνῶθι σεαυτόν.

2. *Comiti ſcribæque Neronis.*] Ex iis qui magiſtratus in provincias ſectabantur, alii officii gratiâ; ut ſcribæ, medici, accenſi, &c. alii honoris & amicitiæ causâ duntaxat. Sic. Jul. Florus Neronem comitabatur: de quo ſuprà Epiſt. 3. Vide Cic. Ver. 4.

Scribæ] Librario, ſcribendis literis præpoſito. Gall. *Secretaire des commandemens.*

4. *Nec rectè,*] Non ſatis ſecundum virtutem.

Nec ſuaviter:] Epicurus ipſe ſtatuebat, abſque virtute neminem poſſe ſuaviter vivere.

Nil

Nil audire velim, nil diſcere, quod levet ægrum:
Fidis offendar medicis, iraſcar amicis,
Cur me funeſto properent arcere veterno: [769]
Quæ nocuere ſequar: fugiam quæ profore credam:
Romæ Tibur amem ventoſus, Tibure Romam.
Poſt hæc, ut valeat; quo pacto rem gerat, et ſe;
Ut placeat juveni, percontare atque cohorti.
Si dicet, rectè; primum gaudere: ſubinde
Præceptum auriculis hoc inſtillare memento:
Ut tu fortunam, ſic nos te, Celſe, feremus.

nihil auſcultare, nihil diſcere velim, quod ægrotum me curet. Porrò fidelibus medicis offendar, & amicis iraſcar, eo quòd lethargium fatalem à me depellere ſtudeant: imo verò *conſectar noxia, devitem profutura: Romæ inconſtans deſiderem Tibur, Tiburi* autem *Romam. Poſtea, quære, quomodo ſe habeat, & quantum negotia promoveat; quàmque gratioſus adoleſcenti ſit, atque ejus familiaribus. Si reſpondit, bene* omnia procedere; *primò ſibi gaudere* jubes: *tum ad aurem inſuſurra monitum iſtud: Nos tecum agemus, ô Celſe, quemadmodum tu fortunâ uteris.*

ANNOTATIONES.

8. *Nil audire velim, &c.*] Malis meis remedium petere nolim è philoſophiâ, ut *mens ſana* mihi *ſit in corpore ſano.* Juven. Sat. 10. v. 356.

9. *Fidis offendar, &c.*] Recta monentibus minimè obtemperans amicis, qui mederi conantur ægritudini meæ.

10. *Veterno:*] Morbo pertinaci, metaph. inconſtantiæ animæ ſuperbæ, &c. De veterno ſeu lethargo, lib. 2. Sat. 3. v. 30.

12. *Romæ Tibur amem, &c.*] Dum Romæ ſum, populares ſtrepitus abhorreo, et ruſticum otium expeto: cum verò ſum ruri, ſolitudinis impatiens urbanam vitam deſidero. Lib. 2. Sat. 7. v. 28.
Romæ rus optas, abſentem ruſticus urbem
Tollis ad aſtra levis.

Tibur.] Lib. 1. Od. 7. & 18. Lib. 2. Od. 6.

Ventoſus,] Vel levis inſtar venti, vel inflatus vento, & ſuperbiens rebus ſecundis.

14. *Juveni,*] Tiberio Claudio Neroni: de quo Epiſt. ſeq. Item ſuprà Epiſt. 3.

Cohorti.] Præcipuis amicis & familiaribus. Vide modò cit. Epiſt. 3. Sueton. Galb. cap. 7. *Per hoc gratiſſimus Claudio, receptuſque in cohortem amicorum, tantæ dignationis eſt habitus,* &c. Senec. De clement. lib. 1. cap. 10. cohors prima interioris admiſſionis.

17. *Ut tu fortunam, &c.*] Si ex amicitiâ Claudii Neronis proſperâque fortunâ non extollaris, te ſemper amicum habebimus. Sin autem tui oblitus ſuperbias, te negligemus velut amicitiâ noſtrâ indignum. Lib. 3. Od. 27. v. 74.
——————— *bene ferre magnam*
Diſce fortunam.

EPISTOLA IX. Ad *CLAUDIUM NERONEM.*

Septimium illi commendat.

SEptimius, Claudi, nimirum intelligit unus, [770]
Quanti me facias. Nam cùm rogat, et prece cogit,
Scilicet ut tibi ſe laudare et tradere coner,

O Claudî Nero, *ſolus nempe Septimius novit, quanti me æſtimes. Etenim quando me orat inſtatque precibus, ut ipſum ad te perducam, & commendem, tanquam*

ANNOTATIONES.

1. *Septimius,*] Adverte, lector, quàm poëta ſolers pariter ac modeſtus: qui quanto ſuam apud Claud. Neronem gratiam extenuat, tanto illam auget: oſtenditque, teneat ſe artem placendi principibus viris.

Septimius,] Is eſt de quo lib. 2. Od. 6.

Claudi,] De eo Tib. Claud. Nerone Auguſti privigno, ſuprà Epiſt. 3. initio.

3. *Tradere coner,*] Cic. lib. 7. Epiſt. ad Trebat. *Sic ei te commendavi & tradidi, ut graviſſimè diligentiſſimeque potui.*

non indignum amicitiâ & familiaritate principis, non niſi *probos eligentis; quando putat me cenſeri inter amicos interiores tuos, animadvertit ſcitque magis quam ego ipſe, quantum* apud *te valeam. Plurima certè cauſatus ſum, ut me excuſarem. At veritus ſum, ne viderer minorem exhibuiſſe meam auctoritatem,* eamque *voluiſſe occultare,* ut *mibi ſoli utilis* forem. *Itaque ego devitans gravioris peccati notam, deveni ad ſpeciem urbani vultûs. Ergo ſi probas, quod verecundiam abjeci amici gratiâ; hunc tuis aggrega, & exiſtima probum & conſtantem.*

Dignum mente domóq; legentis honeſta Neronis,
Munere cùm fungi propioris cenſet amici;
Quid poſſim videt ac novit me valdiùs ipſo.
Multa quidem dixi, cur excuſatus abirem:
Sed timui, mea ne finxiſſe minora putarer,
Diſſimulator opis propriæ, mihi commodus uni.
Sic ego majoris fugiens opprobria culpæ, [771]
Frontis ad urbanæ deſcendi præmia. Quod ſi
Depoſitum laudas ob amici juſſa pudorem;
Scribe tui gregis hunc, et fortem crede bonumque.

ANNOTATIONES.

4. *Legentis honeſta Neronis,*] Hæc laus graviſſima eſt in magnate, tum verò præſertim in juvene. Epiſt. præced. v. 14. Vide Pſaltis regis Pſal. 101. *Non adhæſit mihi cor pravum ——— cum ſuperbo non edebam ——— non habitabit in meâ domo, qui loquitur inique,* &c.

5. *Proprioris amici;*] Apud Senec. De benef. lib. 6. cap. 33. *Non iſti ſunt amici, qui agmine magno januam pulſant, qui in primas & ſecundas admiſſiones digeruntur.*

7. *Cur excuſatus abirem:*] Ne commendatitiam hanc epiſtolam ad te ſcriberem, tibique moleſtus viderer.

8. *Mea finxiſſe minora*] Exhibuiſſe minùs poſſe me, quam poſſim.

9. *Opis*] Æneid. 1. v. 604.

——— Grates perſolvere dignas
Non opis eſt noſtræ, Dido.

Mihi commodus uni.] Quod ſanè invidioſum. Nam ex Platone, homo non ſibi ſoli, ſed aliis quoque natus.

10. *Majoris opprobria culpæ,*] Diſſimulationem, invidiam, ſolius mei ſtudium & amorem.

11. *Frontis ad urbanæ*] Solet, qui in urbe degit, eſſe humanior atque officioſior, contrà ruſticus & agreſtis fronte & verbis aſperior. Alii *frontem urbanam* interpretantur perfrictiorem, audaciorem, minùs pudentem. Favet quod mox ſequitur: *Depoſitum pudorem.*

Quod ſi depoſitum laudas, &c.] Si laudas quod malui apud te eſſe confidentior, quàm videri parùm ſincerus ac fidelis amicus.

EPISTOLA X. Ad *FUSCUM ARISTIUM.*

Vitam ruſticam præ urbanâ laudat.

Nos *ruris amantes ſalutamus Fuſcum urbis amantem: in hoc tantum diſpares valde, in reliquis autem prope gemini, mente fraternâ; quodcunque alter reſpuit,* alter *quoque* recuſat: *unà* verò *conſentimus,* ut *veteli, & noti columbi. Tu nidum cuſtodis: ego*

URbis amatorem Fuſcum ſalvere jubemus
Ruris amatores: hâc in re ſcilicet unâ
Multùm diſſimiles, at cætera penè gemelli,
Fraternis animis; quidquid negat alter, et alter.
Annuimus pariter, vetuli notíq; columbi. [771]
Tu nidum ſervas: ego laudo ruris amœni

ANNOTATIONES.

1. *Fuſcum*] Ariſtio Fuſco comœdiarum ſcriptori inſcriptam vidimus jam Oden 22. lib. 1. ejus quoque mentio fuit in Satiris.

3. *Gemelli,*] Perquam ſimiles, ut ſolent eſſe gemini.

5. *Columbi,*] Inter hos plurimus, & mutuus planè amor eſſe conſuevit.

6. *Nidum ſervas.*] Reſides in urbe Româ, quâ mirum in modum delectaris.

Rivos,

Rivos, et muſco circumlita ſaxa, nemúſque.
Quid quæris? vivo et regno, ſimul iſta reliqui,
Quæ vos ad cœlum effertis rumore ſecundo.
Utque ſacerdotis fugitivus, liba recuſo;
Pane egeo jam mellitis potiore placentis.
Vivere naturæ ſi convenienter oportet,
Ponendæque domo quærenda eſt area primùm;
Noviſtíne locum potiorem rure beato?
Eſt ubi plus tepeant hyemes? ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis, [773]
Cùm ſemel accepit ſolem furibundus acutum?
Eſt ubi divellat ſomnos minùs invida cura?
Deteriùs Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quàm quæ per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur ſilva columnas;
Laudatúrque domus, longos quæ proſpicit agros.
Naturam expelles furcâ, tamen uſque recurret,

villæ jucundæ rivulos, & ſaxa muſco obducta, atque ſilvam præfero. Quid plura? vivo & rex ſum, ſtatim ut diſceſſi ab his, quæ vos laudatis admodùm, vulgo approbante. Placentas autem repudio, velut ſervus ſacerdotis; panem verò *libis melle conditis ſuaviorem requiro. Quòd ſi expedit vivere congruenter naturæ, atque area primo deligenda eſt ad extruendam domum; an ſcis locum aptiorem tranquillo rure? Eſtne* locus, *in quo tepidiores ſint hyemes? in quo mitior aër temperet furorem Caniculæ, & tempora, quibus Leo fervens ſuſcipit ardentem ſolem? Eſtne locus, in quo moleſtæ ſolicitudines minùs perturbent ſomnum? An herba pejus olet aut fulget quàm marmor Numidiæ? An aqua in vicis contendens frangere* tubulos *plumbeos, limpidior* eſt, *quàm quæ reſonans labitur alveo declivi? Scilicet nemus fovetur inter columnas verſicolores, & laudatur domus habens proſpectum ad campos remotos.* Verum tametſi *furcâ naturam abigas, nihilominus redibit ſemper,*

ANNOTATIONES.

6. *Laudo ruris amœni Rivos, &c.*] Columella vitam ruſticam dicit eſſe proximam ſapientiæ, & quaſi conſanguineam. Vide Epod. 2. Seneca Hippolyt. Act. 2. vitæ ruſticæ commoda ſic deſcribit:

Non alia magis eſt libera & vitio carens,
Rituſque meliùs vita quæ priſcos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus ſylvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicavit montium inſontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis:
Non peſtilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno ſervit; aut regno imminens
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes:
Spei metuſque liber, &c.
Nec ſcelera populos inter atque urbes ſita
Novit, &c.
Et teſte cœlo vivit, *&c.*

9. *Quæ vos ad cœlum effertis*] Scil. honores, opes, favorem populi, pompam urbanam, &c.

10. *Sacerdotis fugitivus,*] Is faſtidiens liba & placentas, quæ ſacerdoti è ſacrificiis obveniunt, ſimplicem panem appetit & præfert, hencque fugit præ illorum tædio. Ovid. Faſt. 3.

Liba deis fiunt, ſuccis quia dulcibus idem
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

12. *Vivere naturæ ſi convenienter*] Naturæ impertiri duntaxat idonea & neceſſaria, negare item, quæ vitioſa expetit libido.

13. *Ponendæque domo, &c.*] Si vitæ beatæ & tranquillæ fundamenta jacienda ſint.

16. *Rabiem Canis,*] Caniculæ ardores moleſtos. Lib. 1. Od. 17. v. 17. Lib. 3. Od. 13.

Momenta Leonis, &c.] Æſtum ferventem, dum ſol obit ſignum Leonis, menſe Julio. Vide lib. 3. Od. 29. v. 19.

18. *Invida cura?*] Invidens homini, & eripiens quietem.

19. *Libycis lapillis?*] Lybia pro Numidia, quæ utraque eſt regio Africæ. Porro Numidicum marmor in pretio erat. Lib. 2. Od. 18. v. 4.

20. *Purior in vicis aqua, &c.*] Per tubos & canales plumbeos deducta. Aquæductus magno ſumptu extructos Romæ paſſim vide apud Alex. ab Alex. &c.

22. *Nempe inter varias, &c.*] Satis patet, inquit Horatius, quanti rura æſtimantur; cum in mediâ urbe, & in ædibus magnificentiſſimis nemora conſtruantur, &c.

24. *Naturam expelles furcâ, &c.*] Eraſmus, *Senſus eſt,* inquit, *haud facilè dediſci, quæ nobis natura penitùs indidit & inſevit. Ducta metaphora à ramis, qui appoſitâ furcâ torquentur alio quam natura poſuerat, quâ ſublatâ, rurſum vergunt eodem quo prius.* Alii, *furcâ expellere,* interpretantur, per vim, aſperè, & ignominioſè expellere. Quod magis arridet. Cic. ad Attic. lib. 16. Epiſt. 2. *Sed quoniam furcillâ extrudi-*

Et

VIAT. *Tantum debeo* tibi ob *munera, quantum ſi diſcedam* iis *oneratus.* CAL. *Penes te* ſunt omnia *iſta, quæ dimittes hodie ſuibus devoranda. Profuſus & fatuus elargitur, quæ contemnit & averſatur: & hæc meſſis ingratos procreat, ſemperque procreabit. Probus* autem *vir & prudens profitetur* ſe *paratum eſſe largiri dignis: neque tamen neſcit, quod diſcrimen ſit* inter *nummos & lupinos.* Ego *quidem me præſtabo dignum laude promerentis. Quòd ſi me nuſquam abire permiſeris; reſtitue firmum robur, & nigros crines fronte arctiori: reſtitue lepidum ſermonem, jocos facetos, & dolere Cynaræ laſcivæ diſceſſum inter epulas.* Olim *mus agreſtis macer per fiſſuram ſubierat tritici alveum,* deinde verò *ſaturatus exire obeſo corpore fruſtrà nitebatur. Huic muſtela è longinquo dixit. Si cupis illinc evadere, per anguſtam rimam exibis gracilis, per quam gracilis intrâſti. Iſtâ ego ſimilitudine ſi urgear, omnia* libens *reſtituo.*

Tam teneor dono, quàm ſi dimittar onuſtus.
Ut libet: hæc porcis hodie comedenda relinques.
Prodigus et ſtultus donat, quæ ſpernit et odit.
Hæc ſeges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Vir bonus et ſapiens dignis ait eſſe paratum;
Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis. [762]
Dignum præſtabo me etiam pro laude merentis.
Quòd ſi me noles uſquam diſcedere; reddes
Forte latus, nigros anguſtâ fronte capillos:
Reddes dulce loqui: reddes ridere decorum, et
Inter vina fugam Cynaræ mœrere protervæ.
Forte per anguſtam tenuis nitedula rimam
Repſerat in cumeram frumenti, paſtaque rurſus
Ire foras pleno tendebat corpore fruſtra.
Cui muſtella procul, Si vis, ait, effugere iſtinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra ſubiſti.
Hâc ego ſi compellar imagine, cuncta reſigno.

ANNOTATIONES.

21. *Hæc ſeges ingratos tulit,*] Donatio rerum nempe viliſſimarum gratum animum haud meretur. Hinc non abludit quod ait Iſocrates, Τὰς χάριτας ἀχαρίτως χαρίζεσθαι. Gall. *Donner de ſi mauvaiſe grace, qu'on n'en a point d'obligation.*

22. *Vir bonus & ſapiens, &c.*] At vir prudens in dando, perſonam, locum, tempus conſiderat: cum delectu agit: dignos cum indignis non confundit.

23. *Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis.*] Novit diſtinguere pretioſum à vili, verum à falſo, dignum ab indigno, nummos bonos à malis ludicris, ſcenicis. *Lupinus* eſt legumen, quod aliqui dictum putant, quod lupinâ quadam indole terram voret: alii tamen melius ἀπὸ τῆς λύπης, quòd vultum guſtantis amaritudine contriſtet. Iſidor. Hinc Virgil. Georg. 1. *triſtem* lupinum dicit. Ejus leguminis ſemina orbiculata ſunt & compreſſa: hinc olim iis utebantur in comœdiis ad imitandos nummos, quò alludit Horatius hoc loco. Plaut. Pœnul. Act. 3. Sc. 2.

> Ag. *Agite, inſpicite, aurum eſt.*
> Col. *Profectò, ſpectatores, comicum.*
> *Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boves.*
> *Verum ad hanc rem agendam Philippeum eſt.*

25. *Reddes Forte latus, &c.*] Oportet ut mihi reddas priores ac meliores annos apud te conſumptos.

26. *Nigros capillos:*] Nigros olim in juventute, jam verò canos.

Anguſtâ fronte] Dum erant capilli denſiores, anguſtâ: at eis decidentibus, jamque rarioribus, latâ.

27. *Ridere decorum, & Inter vina fugam, &c.*] Levitates amatorias & juveniles.

29. *Fortè per anguſtam, &c.*] Apologus & ſimilitudo maximè ad rem, quibus ſolerter & ingenioſè mentem ſuam declarat Horatius.

30. *Cumeram*] Vas ſparteum, palmeum, vimineum, quo plebeii condebant frumenta. Ejus mentio jam lib. 1. Sat. 1. v. 53. facta.

32. *Muſtella*] Sive *muſtela.* Gall. *une belete.* Ang. *a weaſel.*

34. *Cuncta reſigno.*] Non temere aut fictè, ſed conſultò & ex animi ſententiâ loquitur Horatius. Ejus certè menti penitùs inſidebat illud:

> *Non bene pro toto libertas venditur auro.*

Quod quidem oſtendit luculenter, cùm nec ipſi Auguſto ſuam mancipare libertatem voluit. Sic enim Mæcenati Imperator ſcripſerat: *Antè ipſe ſufficiebam ſcribendis epiſtolis amicorum; nunc occupatiſſimus & infirmus Horatium noſtrum te cupio adducere. Veniet igitur ab iſtâ paraſiticâ menſâ ad hanc regiam, & nos in epiſtolis ſcribendis adjuvabit.* Quid verò ad hæc Horatius?

Nec

Nec ſomnum plebis laudo ſatur altilium, nec [763]
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Sæpe verecundum laudâſti : rexque paterque
Audiſti coram, nec verbo parcius abſens.
Inſpice, ſi poſſum donata reponere lætus.
Haud malè Telemachus proles patientis Ulyſſei ;
Non eſt aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis
Porrectus ſpatiis, neque multæ prodigus herbæ :
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent. Mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.
Strenuus et fortis, cauſiſque Philippus agendis [764]
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimiùm diſtare Carinas
Jam grandis natu queritur ; conſpexit, ut aiunt,
Adraſum quendam vacuâ tonſoris in umbrâ,
Cultello proprios purgantem leniter ungues.

Neque plenus dapibus exquiſitis laudo plebis quietem, nec libertatem opibus Arabum permutare velim. *Sæpe me laudâſti paucis contentum :* tuque à me *rex & pater celebratus es præſens, paritérque abſens. Experire, num ſponte queam reſtituere quæ dediſti. Bene quidem Telemachus patientis Ulyſſis filius* aiebat : *Ithacæ regio non eſt equis idonea, quippe nec campis operta, nec graminis ferax. Non accipiam tua munera, ô Menelae, tibi magis idonea. Exiguo exigua conveniunt. Roma populoſa nunc me non juvat, ſed Tibur minus frequens, vel Tarentum haud bellicoſum. Philippus cauſarum actor ſedulus, acer, inſignis, ab occupationibus* conſuetis *revertebatur circa horam* diei *octavam : & jam ſenior conquerebatur Carinas foro longius abeſſe. Tum, inquiunt, in tabernâ tonſoris præatonſum quendam vidit cultro ungues otioſè reſecantem.* Mox *ſervo mandata ſua ſtrenuè capeſſenti* imperavit :

ANNOTATIONES.

Præclarum nihilominus officium deprecatus eſt, detrectavit, recuſavit. Patet ex Auguſti ad ipſum epiſtolâ, in quâ ſic erat : *Tui qualem habeo memoriam, poteris ex Septimio quoque noſtro audire — neque enim ſi tu ſuperbus amicitiam noſtram ſprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν.* Quæſo, lector, ἐν παρόδῳ adverte Imperatoris benignitatem & clementiam : quam virtutem principibus idoneam ut magis admirere, non pigebit inſuper referre quod idem ad eundem ſcribebat : *Sume tibi aliquid juris apud me tanquam ſi convictor mihi fueris. Rectè enim & non temerè feceris : quoniam id uſus mihi tecum eſſe volui, ſi per valetudinem tuam fieri poſſit.*

35. *Nec ſomnum plebis laudo ſatur*] Neque verò plebeiorum quietam frugalitatem nunc laudo, cùm ſumptuoſis epulis abundo & ſatur ſum, aliam ſententiam aliumque ſermonem habiturus, ſi egeſtatis incommoda ſentiam. Imo libertatem præfero quibuſlibet divitiis.

Altilium,] Avium quæ domi aluntur ſaginanturque ad epulas ſumptuoſiores ac lautiores.

36. *Divitiis Arabum*] Vid. lib. 1. Od. 29.

37. *Rexque paterque Audiſti*] Ellipſis, deeſt *dici* ; hoc ſenſu : audiſti dici te à me *regem* ob munificentiam, *patrem* ob amorem. Sic vulgo aiunt : *bene vel male audire.*

40. *Haud malè Telemachus*] Menelao ſcilicet equos dare volenti reſpondit Telemachus, haud ſibi aptos eſſe, &c. Homer. Odyſſ. 4. *De Ulyſſe,* lib. 2. Sat. 5. *De Ithaca,* ibid. v. 4.

44. *Regia Roma,*] Urbium principem dicit, Lib. 4. Od. 3.

45. *Vacuum Tibur*] Minus populoſum. Lib. 1. Od. & 18.

Imbelle Tarentum] Voluptatibus magis quàm bello aptum. Lib. 1. Od. 28. Lib. 2. Od. 6. Lib. 3. Od. 5.

46. *Strenuus & fortis, &c.*] Egregio lepidoque exemplo demonſtrat, opibus longe præſtare quietum vitæ genus, quamvis mediocre & anguſtum.

Philippus] L. Marcius Philippus, conſularis vir ac cenſorius, gravitate, ingenio, facundiâ, divitiis etiam præclarus. Eum laudat Cicero in Bruto. Item in orat. pro Quinctio.

47. *Ab officiis*] Forenſibus fatigatus officiis, quibus tam acriter incumbebat, ut *eloquentiâ florentiſſimus civitatis* diceretur. Cic. cit.

Octavam circiter horam] Horâ poſt meridiem ferè ſecundâ : quod alibi explanavi fusè.

48. *Carinas*] Vicus erat Romæ curvus & oblongus inſtar carinæ : unde nomen. In eo ſita erat Philippi domus. Erant & plures aliæ ædes ſuperbæ, atque inter illas Pompeianæ ; quaproptèr *lautas Carinas* vocat Maro, Æn. 8. v. 361.

49. *Grandis natu queritur* ;] Iter quippe ſenibus moleſtum eſt.

51. *Purgantem leniter ungues.*] Quod animi tranquillitatem denotabat.

Demetri (puer hic non lævè juſſa Philippi
Accipiebat) abi, quære, et refer, unde domo, quis,
Cujus fortunæ, quo ſit patre, quóve patrono.
It, redit, et narrat, Vultejum nomine Menam,
Præconem, tenui cenſu, ſine crimine notum,
Et properare loco, et ceſſare, et quærere, et uti,
Gaudentem parvíſque ſodalibus, et lare certo,
Et ludis, et, poſt deciſa negotia, campo.
Scitari libet ex ipſo quodcumque refers: dic [766]
Ad cœnam veniat. Non ſanè credere Mena:
Mirari ſecum tacitus. Quid multa? Benignè,
Reſpondet. Negat ille mihi? Negat improbus, et te
Negligit, aut horret. Vultejum manè Philippus
Vilia vendentem tunicato ſcruta popello
Occupat, et ſalvere jubet prior. Ille Philippo
Excuſare laborem et mercenaria vincla,
Quòd non manè domum veniſſet; deniq; quòd non
Providiſſet eum. Sic ignoviſſe putato
Me tibi, ſi cœnas hodie mecum. Ut libet. Ergo
Poſt nonam venies: nunc i, rem ſtrenuus auge.
Ut ventum ad cœnam eſt, dicenda, tacenda locutus,
Tandem dormitum dimittitur. Hìc ubi ſæpe
Occultum viſus decurrere piſcis ad hamum;

Demetri, vade, percunctare, & narra, quis iſte, quâ conditione & familiâ, quo patre ſit, et quo patrono. Ille *vadit, revertitur, ac refert, Vultejum Menam vocari, præconem eſſe, re familiari exiguâ, probum exiſtimari, diſcurrere, & interquieſcere, comparare, & uti; parvis ſociis fixoque domicilio frui, necnon ſpectaculis & campo* Martio *poſt negotia peracta.* Tum Philippus: *Ab ipſo velim quærere ea, quæ narras: ad cœnam voca. Vix fidem habet Mena: apud ſe attonitus cogitat. Quid plura? Nimis liberaliter, inquit.* PHILIP. Itane *recuſat iſte?* DEMET. *Recuſat pertinax, teque curat parum, vel formidat.* Poſtridiè *Philippus improviſus adoritur, ſalutatque prior Vultejum exiguas merces venumdantem plebeculæ tunicâ indutæ. Vultejus Philippo oſtendit curas & occupationes negotiationis, propter quas ad eum mane non iviſſet;* veniamque petit, *quod eum non prior ſalutaſſet.* PHILIP. *Tum demum condonaſſe me tibi exiſtima, ſi mecum hodie cœnaveris.* VULT. Faciam *quod jubes.* PHILIP. *Ergo venies poſt* horam *nonam; jam abi, opeſque ſedulò congere. Poſtquam ad cœnam convenit, atque tam proferenda quàm reticenda effutiit, tandem mittitur dormitum. Mena jam frequenter rediens,* velut *piſcis ad hamum obtectum,*

ANNOTATIONES.

52. *Demetri (puer hic, &c.*] Adverte narrationem & hypotypoſin eximiam: rem oculis obverſari credas, adeò vivida ſunt omnia.

56. *Præconem,*] Buccinatorem publicum, qui venalia proclamabat, aliaque denuntiabat.

57. *Properare loco,*] Tanquam viatorem, aut mercatorem.

58. *Gaudentem parvis ſodalibus,*] Æqualibus ſibi conditione hominibus conſueſcentem, & cum iis exigua ſed pacata vitæ gaudia delibantem.

59. *Campo.*] De Martio campo, & frequentibus illic exercitationibus dixi lib. 1. Od. 8.

62. *Benignè,*] Reſponſio blandè recuſantis. Gall. *C'eſt trop d'honneur qu'il me fait. Je luy ſuis fort obligé. Je le remercie.*

63. *Negat ille mihi?* Philippus excandeſcit.

65. *Scruta*] Gr. γρύτη, & γρυλάρια, frivola. Hinc *ſcrutariam facere,* i. e. vilia quædam vaſa vendere, apud Apuleium lib. 4. quod tamen alii aliter exponunt. Hinc & *ſcrutarium,* locus in quo venduntur ſcruta; & *ſcrutarius,* qui vendit. Lucil.

Quidni? & ſcruta quidam ut vendat ſcrutarius laudat,
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

Vide Gell. lib. 3. cap. 14.

Tunicato popello] Infimæ ſortis plebi, non togâ, ſed tunicâ ſimplice veſtitæ.

69. *Providiſſet*] Al. leg. *proviſiſſet.*

71. *Poſt nonam*] Ad cœnam venies horâ ſolitâ, nempe tertiâ poſt meridiem: de quâ non alibi, & Alex. ad Alex. l. 5. c. 21. quem adi, multa ibi diſquirentem ſcitu digna.

72. *Dicenda, tacenda locutus,*] Egregiè videlicet potus & cœnatus, atque hilaris è Baccho factus quævis liberè effutiebat: ut ferè fit.

74. *Piſcis ad hamum;*] Mena rerum imperitus ad oblatum Philippi patrocinium decurrit, velut piſcis ad hamum, ignorans quid inde ſibi impenderet & conflaretur mali. Nempe ipſius libertas & animi quies in diſcrimen adducebatur.

Manè cliens, et jam certus conviva, jubetur [766]
Rura ſuburbana indictis comes ire Latinis.
Impoſitus mannis, arvum cœlúmque Sabinum
Non ceſſat laudare. Videt, ridétque Philippus;
Et ſibi dum requiem, dum riſus undique quærit,
Dum ſeptem donat ſeſtertia, mutua ſeptem
Promittit; perſuadet utì mercetur agellum.
Mercatur: ne te longis ambagibus ultrà
Quàm ſatìs eſt, morer, ex nitido fit ruſticus; atq;
Sulcos et vineta crepat mera; præparat ulmos;
Immoritur ſtudiis; et amore ſeneſcit habendi.
Verùm ubi oves furto, morbo periere capellæ; [767]
Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando;
Offenſus damnis, mediâ de nocte caballum
Arripit, iratúſque Philippi tendit ad ædes.
Quem ſimul adſpexit ſcabrum intonsúmque Philippus,
Durus, ait, Vultei, nimis attentúſque videris
Eſſe mihi. Pol me miſerum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per genium, dextrâmque, deóſque Penates,

cliens manè, jamque convictor aſſuetus jubetur ad villam ſuburbanam comitari per ferias *Latinas imperatas Is equo inſidens, agrum & aërem Sabinum valde laudat. Philippus videt, ac ridet; dumque ſibi joca & oblectamenta undequaque perquirit, ſeſtertia ſeptem largitur, aliaque ſeptem commodare ſpondet; ſuadetquè ut emat prædiolum.* Vultejùs *emit. Ac ne te prolixò ſermone pluſculum detineam, de homine polito fit agreſtis;* & dein *loquitur ſolùm de ſulcis ac vinetis; arbores diſponit; macerat ſe curis, & in cupiditate poſſidendi inveteraſcit. At* cùm cœpit *oves furto, & capras morbo perdere;* cùm *meſſis ſpem fefellit, boves* autem *arando confecti ſunt;* tum *jacturis perculſus nocte mediâ inſcendit equum, iratuſque ad Philippi domum properat. Hunc Philippus ſqualidum cernens atque horridum, dixit: Vultei, nimis te laborioſum & anxium video.* Vultejus *reſpondit: Certè miſerum appellabis, ô patrone, ſi verè me nominare volueris. Quocirca enixè te rogo per genium, & dextram, Penateſque deos,*

ANNOTATIONES.

75. *Manè cliens,*] Patronum clientes quotidiè mane ſalutabant, officiumque ſuum ei deferebant.

Certus conviva,] Sic Menæ libertati inſidiabatur Philippus, ſibique mimum parabat.

76. *Indictis Latinis.*] Feriis, quibus erat *liberis litium & jurgiorum quies, ſervis autem operum & laborum,* inquit Cicero 2. De leg. n. 29.

Indictis] Has enim tempore incertas magiſtratus vel pontifex maximus in diem certam concipiebat indicebatque. Quatuor feriarum erant genera: Stativæ, ſtatis menſibus ac diebus obſervatæ; ut ſaturnalia, Lupercalia, &c. Conceptivæ; ut Latinæ, Sementinæ, Paganalia, Compitalia: Imperativæ, quas conſul, prætorve, aut pontifex maximus pro arbitrio imperabat: Nundinæ, quæ feriæ paganorum nefaſtæ erant. Cætera ad ferias pertinentia lege apud Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 7.

Latinis] Varro 5. de L. L. *Latinæ feriæ, dies conceptivus dictus à Latinis populis, quibus pariter cum Romanis jus fuit carnem petere ex ſacris:* ſcil. ex tauro in *Albano monte* ſacrificari ſolito, ad honorem Jovis Latialis. Latinas ferias Tarquinius a principio in unum diem indixit. Poſt reges autem exactos, altera dies adjecta populi juſſu. Demùm reſtitutâ plebe, quæ ad ſacrum montem ſeceſſerat, à conſule vel præfecto Latinarum indictæ ſunt in tres aut quatuor dies. Interjecto deinde tempore dilatas ſervataſque invenimus in dies decem: ultra quos duo etiam poſt Latinas religioſi habiti, quibus ſolemne ludicrum in Capitolio exhibebatur, quadrigis concito curſu decertantibus. Hæc Alex. ab Alex. modò cit.

77. *Sabinum*] In Sabinis agris ſita erat Philippi villa. Vide Epod. 2.

80. *Septem ſeſtertia,*] Poëtice, pro ſeptem millia ſeſtertiûm. Nec enim agellus ſeptem aut etiam quatuordecim nummis ſeſtertiis emi poterat: ut bene ſtatuunt Budæus & alii. Vide poſteà lib. 2. Epiſt. 2. v. 33.

84. *Præparat ulmos;*] Ad vites ſuſtentandas.

89. *Iratúſque Philippi tendit ad ædes.*] Ergo jam Vultejus hamo captus ejus aculeum ſentit: Philippus autem parato indè ſibi ludibrio gaudet & oblectatur.

92. *Pol*] Id eſt per Pollucem.

94. *Genium,*] Præſidens natalibus numen.

ut reſtituas me priſcæ conditioni. Itaque *quicunque ſemel agnovit, quantum relicta præcellant concupitis, ſtatim revertatur, ac reſumat dimiſſa. Æquum eſt* enim, ut *ſe quiſque ſuâ menſura & pede metiatur.*

Obſecro, et obteſtor, vitæ me redde priori.
Qui ſemel aſpexit, quantum dimiſſa petitis
Præſtent, maturè redeat, repetátque relicta.
Metiri ſe quemque ſuo modulo, ac pede, verum eſt.

ANNOTATIONES.

94. *Penates*] Deos patrios ac domeſticos, quorum erat religio ſanctiſſima. Qui vero illi fuerint haud conſtat. Alii ſtatuunt Jovem, Junonem, & Minervam: alii Neptunum & Apollinem: alii Cœlum & Terram, &c.

Dextramque,] Plin. lib. 11. cap. 45. *Ineſt,* inquit, *hominis dextræ quædam religio, obſervatione gentium.* Sic. Virgil. Æneid. 4. v. 314.

Per ego has lacrymas, dextramque tuam, &c.

& Æneid. 7. v. 234.

Fata per Æneæ juro dextramque potentem.

96. *Qui ſemel aſpexit, &c.*] Hæc aliqui dicta volunt à Philippo Vultaii Menæ votis reſpondente: ego verò, ab Horatio apud Mæcenatem perorante.

98. *Metiri ſe quemque ſuo modulo, &c.*] Debet unuſquiſque ſeipſum nôſſe, ac pervidere, quænam ſibi conditio potiſſimùm conveniat ad beatè vivendum. Sic ferme Perſius Sat. 4. v. 52.

Tecum habita; & noris, quàm ſit tibi curta ſupellex.

EPISTOLA VIII. Ad *CELSUM ALBINOVANUM.*

Quædam ejus vitia obliquè vellicat.

O Muſa, Celſo Albinovano, comiti & ſcribæ Neronis renuncia, quæſo, ſalutem & proſperitatem. Si interroget, quid agam; reſponde, me plurima & præclara ſpondere, at vitam ducere nec bonam nec jucundam: non quòd grando fregerit vites, aut nimius calor olivas areſecerit; nec quòd greges malè ſe habeant in agris remotis; ſed quoniam pejus animo valens, quàm toto corpore,

CELSO gaudere et bene rem gerere Albinovano [·68]
Muſa rogata refer, comiti ſcribæque Neronis.
Si quæret, quid agam; dic multa et pulchra minantem
Vivere nec rectè, nec ſuaviter: haud quia grando
Contuderit vites, oleámve momorderit æſtus;
Nec quia longinquis armentum ægrotet in arvis;
Sed quia mente minùs validus, quàm corpore toto,

ANNOTATIONES.

1. *Celſo gaudere, &c.*] Seipſum ita hîc poëta reprehendit, ut Celſum in ſuâ perſonâ videatur arguere levitatis & arrogantiæ: quem ſuprà (ſi quidem is idem eſt) jam nonnihil vellicavit, Epiſt. 3. v. 15. & ſeq.

Celſo] Corneliorum & Papiorum cognomen fuit *Celſus.* Poſthumiorum autem *Albinovanus,* ut notat Torr. ex Appiano.

Gaudere & bene rem gerere] Sic amicos ſalutabant Græci. χαίρειν ϗ εὐπράττειν: quibus exoptabant proſpera omnia. Plato ſanitatem mentis potiùs optandam aiebat: atque ita ſalutandos familiares: Σωφρόνει, vel γνῶθι σεαυτόν.

2. *Comiti ſcribæque Neronis.*] Ex iis qui magiſtratus in provincias ſectabantur, alii officiî gratiâ; ut ſcribæ, medici, acconſi, &c. alii honoris & amicitiæ causâ duntaxat. Sic. Jul. Florus Neronem comitabatur: de quo ſuprà Epiſt. 3. Vide Cic. Ver. 4.

Scribæ] Librario, ſcribendis literis præpoſito. Gall. *Secretaire des commandemens.*

4. *Nec rectè,*] Non ſatis ſecundum virtutem.

Nec ſuaviter:] Epicurus ipſe ſtatuebat, abſque virtute neminem poſſe ſuaviter vivere.

Nil

Nil audire velim, nil diſcere, quod levet ægrum:
Fidis offendar medicis, iraſcar amicis, 9
Cur me funeſto properent arcere veterno: [769]
Quæ nocuere ſequar: fugiam quæ profore credam:
Romæ Tibur amem ventoſus, Tibure Romam.
Poſt hæc, ut valeat; quo pacto rem gerat, et ſe;
Ut placeat juveni, percontare atque cohorti.
Si dicet, rectè; primum gaudere: ſubinde
Præceptum auriculis hoc inſtillare memento:
Ut tu fortunam, ſic nos te, Celſe, feremus.

nihil auſcultare, nihil diſcere velim, quod ægrotum me curet. Porrò fidelibus medicis offendar, & amicis iraſcar, eo quòd lethargium fatalem à me depellere ſtudeant: imo verò conſecter omnia, devitem profutura: Romæ inconſtans deſiderem Tibur, Tiburi autem Romam. Poſtea, quære, quomodo ſe habeat, & quantum negotia promoveat; quàmque gratioſus adoleſcenti ſit, atque ejus familiaribus. Si reſpondeat, bene omnia procedere; primò ſalvere jubes: *tum ad aurem inſuſurra monitum iſtud: Nos tecum agemus, ô Celſe, quemadmodum tu fortunâ uteris.*

ANNOTATIONES.

8. *Nil audire velim, &c.*] Malis meis reme dium petere nolim è philoſophiâ, ut *mens ſana mihi ſit in corpore ſano.* Juven. Sat. 10. v. 356.

9. *Fidis offendar, &c.*] Recta monentibus minimè obtemperans amicis, qui mederi conantur ægritudini meæ.

10. *Veterno:*] Morbo pertinaci, metaph. inconſtantiæ animæ ſuperbæ, &c. De *veterno* ſeu lethargo, lib. 2. Sat. 3. v. 30.

12. *Romæ Tibur amem, &c.*] Dum Romæ ſum, populares ſtrepitus abhorreo, et ruſticum otium expeto: cum verò ſum ruri, ſolitudinis impatiens urbanam vitam deſidero. Lib. 2. Sat. 7. v. 28.

Romæ rus optas, abſentem ruſticus urbem
Tollis ad aſtra levis

Tibur.] Lib. 1. Od. 7. & 18. Lib. 2. Od. 6.

Ventoſus,] Vel levis inſtar venti, vel inflatus vento, & ſuperbiens rebus ſecundis.

14. *Juveni,*] Tiberio Claudio Neroni: de quo Epiſt. ſeq. Item ſuprà Epiſt. 3.

Cohorti.] Præcipuis amicis & familiaribus. Vide modò cit. Epiſt. 3. Sueton. Galb. cap. 7. *Per hoc gratiſſimus Claudio, receptuſque in cohortem amicorum, tantæ dignationis eſt habitus,* &c. Senec. De clement. lib. 1. cap. 10. cohors prima interioris admiſſionis.

17. *Ut tu fortunam, &c.*] Si ex amicitiâ Claudii Neronis proſperâque fortunâ non extolleris, te ſemper amicum habebimus. Sin autem tui oblitus ſuperbias, te negligemus velut amicitiâ noſtrâ indignum. Lib. 3. Od. 27. v. 74.

——————— *bene ferre magnam*
Diſce fortunam.

EPISTOLA IX. Ad *CLAUDIUM NERONEM.*

Septimium illi commendat.

SEptimius, Claudi, nimirum intelligit unus, [770]
Quanti me facias. Nam cùm rogat, et prece cogit,
Scilicet ut tibi ſe laudare et tradere coner,

O Claudi Nero, *ſolus nempe Septimius novit, quanti me æſtimes. Etenim quando me orat inſtatque precibus, ut ipſum ad te perducam, & commendem, tanquam*

ANNOTATIONES.

1. *Septimius,*] Adverte, lector, quàm poëta ſolers pariter ac modeſtus: qui quanto ſuam apud Claud. Neronem gratiam extenuat, tanto illam auget: oſtenditque, tenere ſe artem placendi principibus viris.

Septimius,] Is eſt de quo lib. 2. Od. 6.

Claudi,] De eo Tib. Claud. Nerone Auguſti privigno, ſuprà Epiſt. 3. initio.

3. *Tradere coner,*] Cic. lib. 7. Epiſt. ad Trebat. *Sic ei te commendavi & tradidi, ut graviſſimè diligentiſſimeque potui.*

non indignum amicitiâ & familiaritate principis, non niſi *probos eligentis; quando putat me cenſeri inter amicos interiores tuos, animadvertit ſcitque magis quam ego ipſe, quantum* apud *te valeam. Plurima certè cauſatus ſum, ut me excuſarem. At veritus ſum, ne viderer minorem exhibuiſſe meam auctoritatem,* eamque *voluiſſe occultare,* ut *mibi ſoli utilis* forem. *Itaque ego devitans gravioris peccati notam, deveni ad ſpeciem urbani vultûs. Ergo ſi probas, quod verecundiam abjeci amici gratiâ; hunc tuis aggrega, & exiſtima probum & conſtantem.*

Dignum mente domóq; legentis honeſta Neronis,
Munere cùm fungi propioris cenſet amici;
Quid poſſim videt ac novit me valdiùs ipſo.
Multa quidem dixi, cur excuſatus abirem:
Sed timui, mea ne finxiſſe minora putarer,
Diſſimulator opis propriæ, mihi commodus uni.
Sic ego majoris fugiens opprobria culpæ, [771]
Frontis ad urbanæ deſcendi præmia. Quod ſi
Depoſitum laudas ob amici juſſa pudorem;
Scribe tui gregis hunc, et fortem crede bonumque.

ANNOTATIONES.

4. *Legentis honeſta Neronis,*] Hæc laus graviſſima eſt in magnate, tum verò præſertim in juvene. Epiſt. præced. v. 14. Vide Pſaltis regis Pſal. 101. *Non adhæſit mihi cor pravum* ——— *cum ſuperbo non edebam* —— *non habitabit in meâ domo, qui loquitur inique,* &c.

5. *Proprioris amici;*] Apud Senec. De benef. lib. 6. cap. 33. *Non iſti ſunt amici, qui agmine magno januam pulſant, qui in primas & ſecundas admiſſiones digeruntur.*

7. *Cur excuſatus abirem:*] Ne commendatitiam hanc epiſtolam ad te ſcriberem, tibique moleſtus viderer.

8. *Mea finxiſſe minora*] Exhibuiſſe minùs poſſe me, quam poſſim.

9. *Opis*] Æneid. 1. v. 604.

——— *Grates perſolvere dignas*
Nos opis eſt noſtræ, Dido.

Mihi commodus uni.] Quod ſanè invidioſum. Nam ex Platone, homo non ſibi ſoli, ſed aliis quoque natus.

10. *Majoris opprobria culpæ,*] Diſſimulationem, invidiam, ſolius mei ſtudium & amorem.

11. *Frontis ad urbanæ*] Solet, qui in urbe degit, eſſe humanior atque officioſior, contrà rusticus & agreſtis fronte & verbis aſperior. Alii *frontem urbanam* interpretantur perfrictiorem, audaciorem, minus pudentem. Favet quod mox ſequitur: *Depoſitum pudorem.*

Quod ſi depoſitum laudas, &c.] Si laudas quod malui apud te eſſe confidentior, quàm videri parùm ſincerus ac fidelis amicus.

EPISTOLA X. Ad *FUSCUM ARISTIUM.*

Vitam ruſticam præ urbanâ laudat.

Nos *ruris amantes ſalutamus Fuſcum urbis amantem: in hoc tantum diſpares valde, in reliquis autem prope gemini, mente fraternâ; quodcunque alter renuit,* alter *quoque* recuſat: *unà* verò *conſentimus,* ut *vetuli, & noti columbi. Tu nidum cuſtodis: ego*

URbis amatorem Fuſcum ſalvere jubemus
Ruris amatores: hâc in re ſcilicet unâ
Multùm diſſimiles, at cætera penè gemelli,
Fraternis animis; quidquid negat alter, et alter.
Annuimus pariter, vetuli notíq; columbi. [772]
Tu nidum ſervas: ego laudo ruris amœni

ANNOTATIONES.

1. *Fuſcum*] Ariſtio Fuſco comœdiarum ſcriptori inſcriptam vidimus jam Oden 22. lib. 1. ejus quoque mentio fuit in Satiris.

3. *Gemelli,*] Perquam ſimiles, ut ſolent eſſe gemini.

5. *Columbi,*] Inter hos plurimus, & mutuus planè amor eſſe conſuevit.

6. *Nidum ſervas.*] Reſides in urbe Româ, quâ mirum in modum delectaris.

Rivos,

Livos, et muſco circumlita ſaxa, nemúſque.
Quid quæris? vivo et regno, ſimul iſta reliqui,
Quæ vos ad cœlum effertis rumore ſecundo.
Jtque ſacerdotis fugitivus, liba recuſo;
Pane egeo jam mellitis potiore placentis.
Vivere naturæ ſi convenienter oportet,
Ponendæque domo quærenda eſt area primùm;
Noviſtíne locum potiorem rure beato?
Eſt ubi plus tepeant hyemes? ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis, [773]
Cùm ſemel accepit ſolem furibundus acutum?
Eſt ubi divellat ſomnos minùs invida cura?
Deteriùs Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quàm quæ per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur ſilva columnas;
Laudatúrque domus, longos quæ proſpicit agros.
Naturam expelles furcâ, tamen uſque recurret,

villæ jucundæ rivulos, & ſaxa muſco obducta, atque ſilvam præfero. Quid plura? vivo & rex ſum, ſtatim ut diſceſſi ab his, quæ vos laudatis admodùm, vulgo approbante. Placentas autem repudio, velut ſervus ſacerdotis; panem verò libis melle conditis ſuaviorem requiro. Quòd ſi expedit vivere congruenter naturæ, atque area primò deligenda eſt ad extruendam domum; an ſcis locum aptiorem tranquillo rure? Eſtne locus, in quo tepidiores ſint hyemes? in quo mitior aër temperet furorem Caniculæ, & tempora, quibus Leo fervens ſuſcipit ardentem ſolem? Eſtne locus, in quo moleſtæ ſolicitudines minùs perturbent ſomnum? An herba pejus olet aut fulget quàm marmor Numidiæ? An aqua in vicis contendens frangere tabulos plumbeos, *limpidior eſt, quàm quæ reſonans labitur loco declivi? Scilicet nemus fovetur inter columnas verſicolores, & laudatur domus habens proſpectum ad campos remotos.* Verum tametſi *furcâ naturam abigas, nihilominus redibit ſemper,*

ANNOTATIONES.

6. *Laudo ruris amœni Rivos, &c.*] Columella vitam ruſticam dicit eſſe proximam ſapientiæ, & quaſi conſanguineam. Vide Epod. . Seneca Hippolyt. Act. 2. vitæ ruſticæ commoda ſic deſcribit:

Non alia magis eſt libera & vitio carens,
Rituſque meliùs vita quæ priſcos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus ſylvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicavit montium inſontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis:
Non peſtilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno ſervit; aut regno imminens
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes:
Spei metuſque liber, &c.
Nec ſcelera populos inter atque urbes ſita
Novit, &c.
Et teſte cœlo vivit, *&c.*

9. *Quæ vos ad cœlum effertis*] Scil. honores, es, favorem populi, pompam urbanam, &c.

10. *Sacerdotis fugitivus,*] Is faſtidiens liba placentas, quæ ſacerdoti è ſacrificiis obveunt, ſimplicem panem appetit & præfert, hemque fugit præ illorum tædio. Ovid. Faſt. 3.

Liba deis fiunt, ſuccis quia dulcibus idem
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

12. *Vivere naturæ ſi convenienter*] Naturæ pertiri duntaxat idonea & neceſſaria, negare tem, quæ vitioſa expetit libido.

13. *Ponendæque domo, &c.*] Si vitæ beatæ & tranquillæ fundamenta jacienda ſint.

16. *Rabiem Canis,*] Caniculæ ardores moleſtos. Lib. 1. Od. 17. v. 17. Lib. 3. Od. 13.

Momenta Leonis, &c.] Æſtum ferventem, dum ſol obit ſignum Leonis, menſe Julio. Vide lib. 5. Od. 29. v. 19.

18. *Invida cura?*] Invidens homini, & eripiens quietem.

19. *Libycis lapillis?*] Lybia pro Numidia, quæ utraque eſt regio Africæ. Porro Numidicum marmor in pretio erat. Lib. 2. Od. 18. v. 4.

20. *Purior in vicis aqua, &c.*] Per tubos & canales plumbeos deducta. Aquæductus magno ſumptu extructos Romæ paſſim vide apud Alex. ab Alex. &c.

22. *Nempe inter varias, &c.*] Satis patet, inquit Horatius, quanti rura æſtimantur; cum in mediâ urbe, & in ædibus magnificentiſſimis nemora conſtruantur, &c.

24. *Naturam expelles furcâ, &c.*] Eraſmus, *Senſus eſt,* inquit, *haud facilè dediſci, quæ nobis natura penitùs indidit & inſevit. Ducta metaphora à ramis, qui appoſitâ furcâ torquentur alio quam natura poſuerat, quâ ſublatâ, rurſum vergunt eodem quo prius.* Alii, *furcâ expellere,* interpretantur, per vim, aſperè, & ignominioſè expellere. Quod magis arridet. Cic. ad Attic. lib. 16. Epiſt. 2. *Sed quoniam furcillâ extrudi-*

Et

Et mala perrumpet furtim faſtidia victrix.
Non qui Sidonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiúſve medullis, [774]
Quam qui non poterit vero diſtinguere falſum.
Quem res plus nimio delectavere ſecundæ,
Mutatæ quatient. Si quid mirabere, pones
Invitus. Fuge magna: licet ſub paupere tecto
Reges, et regum vitâ præcurrere amicos.
Cervus equum pugnâ melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frænúmque recepit:
Sed poſtquam victór violens diſceſſit ab hoſte,
Non equitem dorſo, non frænum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret; dominum vehet improbus, atq;
Serviet æternùm, quia parvo neſciet uti.
Cui non conveniet ſua res, ut calceus olim
Si pede major erit, ſubvertet; ſi minor, uret.
Lætus forte tuâ vives ſapienter, Ariſti;
Nec me dimittes incaſtigatum, ubi plura [775]
Cogere quàm ſatis eſt, ac non ceſſare videbor.
Imperat aut ſervit collecta pecunia cuique,
Tortum digna ſequi potiùs, quam ducere funem.

& ſenſim victrix perfringet improbam libidinem. Enimverò qui diſcrimen ignoràrit purpuram Sidoniam inter & lanam Aquinate ſucco imbutam, detrimentum haud capiet majus, & medullis pernicioſius, quàm qui neſciet diſcernere falſum à vero. Qui rebus proſperis lætatur pluſculum, adverſis deturbabitur. Si aliquid nimiùm æſtimes, invitus relinques. Devita grandia. In tugurio longe beatior vita duci poteſt, quàm *ducunt principes & principium familiares. Cervus pugnacior equum arcebat paſcuis communibus, donec in diuturnâ pugnâ inferior auxilium petiit ab homine, ac frænum admiſit. At poſteaquam vi hoſtem devicit, nec tergo equitem, nec ore frænum excuſſit. Ita qui timens inopiam ſpoliat ſe libertate metallis pretioſiore; infelix dominum feret, ſemperq; ſervus erit, quia parvo contentus non eſt. Cui ſuæ non congruent facultates, ut olim calceus, ſi pede ſit amplior, deſtruet, ſi anguſtior, lædet. O Ariſti, vives ſapienter conditione tuâ contentus; neque redargues, quando videbis accumulare plus, quàm ſufficit, & non deſinere. Opes congeſtæ unicuique dominantur vel ſerviunt; at debent magis funem trahi, quam trahere.*

ANNOTATIONES.

mur: quanquam ibi alii leg. aliter. Ariſtophanes; de Pac. ſimili dictione utitur, [illegible] τὸν [illegible]. Sat. 23. v. 239.

——Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari neſcia.

25. *Et mala perrumpet furtum faſtidia*] Sapienter natura, quæ paucis contenta eſſe ſolet, vincet & damnabit faſtidioſam luxuriem divitum pleraque malè expetentium, præter, aut etiam contra inſtinctum naturæ.

26. *Sidonio*] Sidon & Tyrus urbes Phœniciæ, optimâ purpurâ nobiles. Vide lib. 3. Od. 29. & Epod. 16. ſub finem.

Contendere callidus oſtro Neſcit Aquinatem, &c.] Apud Aquinum Latii urbem fiebat purpura, ſed quam periti facilè dignoſcebant longè viliorem genuinâ & pretioſâ è Tyro vel Sidone. Alii parum callidi in Aquinate, quod Sidoniam imitaretur, decipiebantur. Aquinum ignobile oppidum angelici doctoris Thomæ illinc oriundi fama ſubinde illuſtravit.

Oſtro] Color eſt ſubrubeus aut violaceus, è ſanie confectus oſtreorum, maximè verò muricis, cujus frequens piſcatus eſt ad urbes modò dictas.

28. *Propiuſve medullis,*] Metaph. à venenis aut morbis; quibus cum medullæ ac reconditiores partes corporis attinguntur, de ſalute conclamatum eſt.

34. *Cervus equum, &c.*] Steſichoro fabulam iſtam attribuit Ariſtoteles, narratque Rhetor. 2.

40. *Dominum vehet improbus, &c.*] Sicut victor cervi equus in ſervitute hominis manſit, ſic homo paupertate excuſſâ mancipium fit cupiditatis & pecuniæ ſibi dominantis.

42. *Cui non conveniet ſua res,*] Qui opes habebit nimias, ideoque ſibi non convenientes, tam ab iis lædetur, quam pes à calceo parum apto.

Ut calceus] Proverbium eſt à Græcis derivatum: *Ne ſupra pedem calceus.*

47. *Imperat aut ſervit*] Senec. De vitâ beatâ: *Divitiæ apud ſapientem virum in ſervitio ſunt, apud ſtultum in imperio.*

48. *Tortum digna ſequi, &c.*] Dictio vide-

Hæc

Hæc tibi dictabam poſt fanum putre Vacunæ,
Excepto, quòd non ſimul eſſes, cætera lætus.

Ego tibi ſcribebam iſta pone vetus Vacunæ templum, bilaris ſane per omnia, niſi quòd mecum non ſis.

ANNOTATIONES.

tur ducta, à ſacris illis ſaltationibus Romæ fieri conſuetis ad reſtim, cujus principium tenens præſultor funem ducere, alii verò fune duci, aut ductum funem ſequi dicebantur. Tit. Liv. lib. 27. *Per manus reſte datâ virgines ſonum vocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt.*

49. *Hæc tibi dictabam*] Puero vel librario dictabam Epiſtolam hanc tibi mittendam.

Poſt fanum putre Vacunæ,] Hæc vacationis dea, Sabinis pridem culta fuit: unde fanum ejus vetuſtate & cario detritum, *putre* dicitur. Ingenioſè verò & lepidè ſe ipſe poëta collocat ad Vacunam, dum vacuus & otioſus ſcribit ad occupatiſſimum Fuſcum Ariſtium.

Vacunæ,] Vetuſtiſſima hæc Sabinorum dea, in agro Reatino, ſacra etiam habens nemora, ex Plin. lib. 3. cap. 12. aliis dicitur Minerva, aliis Diana, Venus, Ceres. Varro Rer. divin. lib. 1. ait eſſe Victoriam, quæ facit vacare à curis. Vet. ſchol. Porrò Vacunalia Decembri menſe celebrabantur à ruſticis jam vacuis operum, poſt collectos fructus. Ovid. Faſt. 6.

Nunc quoque cum fiunt antiqua ſacra Vacunæ,
Ante Vacunales ſtantque ſedentque focos.

EPISTOLA XI. Ad *BULLATIUM*.

Ad felicitatem parùm facit locus.

QUid tibi viſa Chios, Bullati, notáque Leſbos? [776]
Quid concinna Samos? quid Crœſi regia Sardis?
Smyrna quid, et Colophon? majora minoráne famâ?
Cunctáne præ campo et Tiberino flumine ſordent?

O Bullati, quid cenſes de Chio, & de Leſbo celebratiſſimâ? quid de Samo nitidâ? quid de Sardi Crœſi regiâ? quid de Smyrnâ & Colophone? an habent aliquid majus aut minus famâ? An omnia videntur ſpernenda præ Martio campo & flumio Tiberi?

ANNOTATIONES.

1. *Quid tibi viſa, &c.*] Bullatium clariſſimas Aſiæ minoris urbes pervagatum compellat poëta: & quòd noſſet hanc eſſe ejus mentem, ut extra Romam vix ſe beatè vivere exiſtimaret; occaſionem ſumit aſſerendi, felicitatem minime à loco pendere: ac ſapientem virum ubique locorum eſſe beatum poſſe.

Chios,] Inſula maris Ionii: de quâ lib. 3. Od. 19.

Leſbos?] Ægæi maris inſula *nota* cùm vino generoſo, tum præſertim natalibus Alcæi & Sapphonis: de quibus lib. 1. Od. 17 & 32. item lib. 2. Od. 13.

2. *Samos?*] Inſula maris Icarii contra urbem Epheſum: *concinna*, vel ædificiis elegantiſſimis, vel cœlo temperato, vel cultu præcipuo Junonis. Adde celebritatem è vaſis fictilibus, quæ Samia dicuntur: necnon ob Pythagoram illinc oriundum, &c.

Crœſi regia Sardis?] Hæc urbs Lydiæ, regia quondam Crœſi, hodie jacet. *Crœſus* immenſis divitiis inclytus, à Cyro ſubinde victus ſenſit, quod ante Solon monuerat, rebus humanis haud eſſe fidendum. Nempe *fortuna vitrea eſt: cum ſplendet, frangitur.*

3. *Smyrna*] Urbs Ioniæ maritima, hodie regionis primaria.

Colophon?] Hæc civitas Smyrnam inter & Epheſum, mari pariter imminet; auro probatiſſimo celebrata eſt: dedit etiam locum dictioni iſti, *Colophonem imponere*, id eſt, ultimam operi manum adhibere. Inde fluxit, quod cùm exardeſceret bellum inter populos quoſpiam, illud ſtatim conficeretur, ubi primùm alteros equitatu ſuo juviſſent Colophonii. Strabo.

Majora minorane famâ?] Suntne urbes iſtæ ſuperiores an inferiores laudibus, quas illis fama tribuit?

4. *Campo*] Amœniſſimo illo ad Tiberim, exercitationibus Rom. juventutis celeberrimo. Metonym. pro urbe Româ. lib. 1. Od. 8.

Tiberino flumine] Albula pridem dictus is

An optares aliquam è civitatibus Attali? an Lebedum cupias, maris pertæſus atque itinerum? BULLAT. *Noſti, qualis ſit Lebedus; deſertum magis oppidum Gabiis & Fidenis: attamen* ego *mallem ibi degere, atque immemor propinquorum, iiſque contemptus, è terrâ mare tumidum eminus contemplari.* HORAT. *At nec qui Capua Romam pergit, pluvia & cœno conſpurcatus, morari ſemper in cauponâ velit: nec qui contraxit frigus, laudat furnos & balnea, tanquam præbentia vitam omnino felicem. Neque ſi et vehemens Auſter exagitaverit in aperto* mari, *ideo vendas navem ultra mare Ægæum.* Certe hominem *ſanæ* mentis non plus *juvat Rhodus & clara Mitylene, quàm lacerna* in *ſolſtitio* æſtivo, *campeſtre tempeſtate nivali,*

An venit in totum Attalicis ex urbibus una? [777]
An Lebedum laudas odio maris atque viarum?
Scis, Lebedus quid ſit; Gabiis deſertior atque
Fidenis vicus: tamen illic vivere vellem,
Oblítuſque meorum, obliviſcendus et illis,
Neptunum procul è terrâ ſpectare furentem.
Sed neque qui Capuâ Romam petit, imbre lutóque
Adſperſus, volet in cauponâ vivere: nec qui
Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
Ut fortunatam plenè præſtantia vitam.
Nec ſi te validus jactaverit Auſter in alto,
Idcirco navem trans Ægæum mare vendas.
Incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit, quod [778]
Penula ſolſtitio, campeſtre nivalibus auris,

ANNOTATIONES.

fluvius Romam interluens, Tiberino Albæ rege ſubmerſo, novam eſt appellationem ſortitus. Lib. 1. Od. 2. Ovid Faſt. 2.

Albula, quem Tiberim merſus Tiberinus in undis
Reddidit.

5. *Attalicis ex urbibus una?*] Quædam ex urbibus Aſiaticis, quas tenuit rex Attalus. Lib. 1. Od. 1. Lib. 2. Od. 18.

6. *An Lebedum laudas odio maris, &c.*] Adeone pertædet navigationis & peregrinationis, ut in quovis ignobili & deſerto vico malis ſubſiſtere ac reſidere, quàm mare aut quodvis iter amplius inire?

Lebedum] Oppidum Aſiæ minoris, ad oram ſinûs Ionici; ubi quotannis ſcenici ludi celebrabantur in honorem Liberi. Strabo. Non deſunt, qui vicum eſſe in Italiâ maritimum dicant.

7. *Scis, Lebedus, &c.*] Reſponſio eſt Bullatii, odium ſuum *maris & viarum* exhibens. Hæc tamen cæteraque omnia ipſi Horatio tribui poſſunt.

Gabiis, Fidenis] Duo hæc oppida Latii in Sabinis poſita.

10. *Neptunum procul, &c.*] Deum maris. Meton. pro ipſo mari. Lucret. Lib. 2.

Suave, mari magno motantibus æquora ventis,
E terrâ magnum alterius ſpectare laborem.

11. *Sed neque qui Capuâ, &c.*] Vel ſe ipſe pœna corrigit, vel Bullatium refellit ſimilitudine conglobatâ. Quaſi viator in cauponâ ſemper diverſari velit, qui lutum itinere collectum illic abſterſerit, madidaſque imbre veſtes exſiccaverit; atque imbrium lutique odio viam ac patriam nolit repetere.

Capuâ] De hac urbe Campaniæ præcipuâ, Epod. 16. & Lib. 1. Sat. 5.

Romam petit,] Longo itinere.

13. *Furnos & balnea laudat,*] Calida nempe loca.

15. *Auſter.*] Ventus meridionalis, pluvius admodum & procelloſus. Lib. 2. Od. 4.

16, *Idcirco navem trans Æg. &c.*] Velut nunquam rediturus in patriam, ſatiùs ducens in regione tranſmarinâ vitam finire, quàm navigationis incommoda & pericula iterum experiri.

Ægæum mare] Lib. 2. Od. 6.

17. *Incolumi Rhodos, &c.*] Vir ſapiens ad beatam vitam non magis expetit Rhodum, aliaſve urbes florentiſſimas, quàm penulam æſtate, &c. Vel ſenſus eſt: Quamvis jactatus ſis Auſtro & tempeſtatibus, attamen ſalvus evaſiſti: nec te morari debet incolumem Rhodus, &c. Ergo Romam redi quamprimùm, dum vales; ubi apud nos jactes & extollas Rhodi pulchritudinem ac Mitylenæ, Samum etiam & Chium, &c.

Rhodos, Mitylene] Inſulæ rebus omnibus felices. Vide lib. 1. Od. 7.

18. *Penula ſolſtitio.*] Pallium denſum adverſus imbres & frigus, fervente æſtu, Junio menſe in ſolſtitio æſtivo, cùm ſol ultrà non progreditur. Macrob. Somn. Scip. lib. 2. cap. 7. *Conſtat ſolem neque surſum ultrà Cancrum, neque ultrà Capricornum deorſum meare; ſed cum ad tropicorum confinia pervenerit, mox reverti: unde & ſolſtitia vocantur. Et quia æſtivus tropicus temperatæ noſtræ terminus eſt, ideo cum ſol ad ipſum finem venerit, facit nobis æſtivos calores, de vicino urens ſenſu majore ſubjecta.*

Campeſtre] Subligaculum aliqui interpretantur: alii tenuiorem veſtem, quâ induti juvenes ſeſe in campo Martio exercebant.

Per

Per brumam Tiberis, Sextili menſe caminus.
Dum licet, ac vultum ſervat fortuna benignum,
Romæ laudetur Samos, et Chios, et Rhodos abſens.
Tu, quamcunque Deus tibi fortunaverit horam,
Gratâ ſume manu, neu dulcia differ in annum:
Ut, quocunque loco fueris, vixiſſe libenter
Te dicas. Nam ſi ratio et prudentia curas,
Non locus effuſi latè maris arbiter, aufert; [779]
Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic eſt:
Eſt Ulubris, animus ſi te non deficit æquus.

Tyberis hyeme, focus menſe Auguſto. Dum potes, & ſors propitiam exhibet faciem, Romæ lauda Samum, & Chium, & Rhodum procul poſitas. Quodcunque verò tempus felix tibi Deus conceſſerit, gratâ manu accipe, nec in annum differ lætitiam: ut quacunque in regione degas, te ſponte ibi *commorari declares. Enimverò ſi ratio & ſapientia, non* autem *ſitus arcens mare exundans, abigit ſolicitudines; qui ultra mare navigant, cælum* quidem *mutant, non* verò *animum. Gravis nos tenet ſocordia: navibus & equis vitam beatam quærimus.* Atqui *hîc eſt* illud, *quod quæris: eſt Ulubris, modo tibi pacata mens adfuerit.*

ANNOTATIONES.

19. *Per brumam Tyberis,*] Quaſi verò quiſquam hyeme cupiat flumen ſubire, ſeque in eo lavare, aut natare.

Sextili menſe] Ardente cælo & caniculâ. Vide ſuprà, Epiſt. 7.

Caminus] Vox Græca eſt fornacem ſignificans, ἀπὸ τῦ καύματ⊙, à *calore*. Iſidor.

21. *Romæ laudetur Samos, &c.*] Hæc Bullatius: Romæ ſim modò, laudabo ſponte Samum, Rhodum, &c. at ad eas urbes & inſulas navigare ne mihi contingat in poſterum. Vel hæc pariter, & quæ ſequuntur, intellige ab Horatio dicta, quemadmodum explicavi paulò ante.

22. *Tu, quamcunque Deus, &c.*] Reponit Horatius: Imò quâcunque horâ & quocunque loco lætus ac beatus eſſe potes, ſi ratio & prudentia duces tibi ſint. Vel, interim, dum ad nos redeas, horis felicibus fruere, ubique lætus eſto, & æquo animo quævis accipe.

23. *Nec dulcia differ*] Lib. 3. Od. 8. v. 27.

Dona præſentis cape lætus horæ.

26. *Locus effuſi latè maris arbiter,*] Urbe quævis ad mare pulcherrima & potentiſſima, portu commoda, navigatione celebris, egregiè munita aggeribus, quibus velut ad arbitrium fluctus maris aſſilientes frangit ac domat.

27. *Cælum non animum mutant, &c.*] Pythagoras dicebat, non mutatione locorum prudentiam doceri, aut imprudentiam tolli.

28. *Strenua inertia:*] Oxymoron.

Navibus atque Quadrigis.] Gall. *Par mer & par terre:* Item, *A pied & à cheval.*

29. *Quod petis, hîc eſt:*] Ne longè quæras quod in promptu eſt. Si ſapis, ubicunque ſis, felicitatem præſtò habes, vel in quovis angulo & oppidulo maximè obſcuro & ignobili; v. g. Ulubris in Italiâ; vel Lebedi in Aſiâ.

30. *Ulubris,*] Ulubræ oppidum Latii in Campaniâ prope Velitras, deſertum ac vile, hoc unum habens memorabile, quod Auguſtus Cæſar in eo ſit educatus.

Animus ſi te non deficit æquus.] Plaut. Aulul. *Pol, ſi eſt animus æquus tibi, ſatis, habes qui benè vitam colas.*

EPISTOLA XII. Ad *ICCIUM.*

Tantum dives quiſque, quantum rebus utitur.

FRuctibus Agrippæ Siculis, quos colligis, Icci, [780]

O Icci, ſi verò potiaris proventibus Agrippæ, quos in Siciliâ percipis, majores

ANNOTATIONES.

1. *Fructibus Agrippæ*] Ad Iccium hunc eſt Od. 29. lib. 1. ubi, ſicut & hîc, ejus cupiditas notatur, non ſine multo ſatirico ſale.

Agrippæ] Is Auguſti gener, de quo l. 1. Od. 6.

Siculis,] Sicilia inſula Italiæ adjacens, & ab eâ anguſto ſatis freto diviſa, triangularis formæ

Si

tibi opes dare nequit Jupiter: deſine conqueri. Nec enim eſt inops, qui rerum habet uſum. Si venter, ſi latus ac pedes commode ſunt, nihil amplius regum divitiæ conferre valent. Si fortè inter edulia *poſſeſſa ſobrius veſceris oleribus & leguminibus, ita porrò victitabis, ut ſors te ſtatim aureo flumine locupletet: ſeu quoniam pecunia nequit indolem mutare; ſive quod omnia infra ſolam virtutem ponis.* Non eſt quòd *demiremur, ſi Democriti agros & ſata depaſcatur grex* alienus, *dum mens agilis* velut *extra corpus peregrinatur: quandoquidem tu in tantâ prurigine & lue quæſtus,*

Si rectè frueris, non eſt ut copia major
Ab Jove donari poſſit tibi: tolle querelas.
Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit uſus.
Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibuſque tuis; nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.
Si fortè in medio poſitorum abſtemius herbis
Vivis, et urticâ; ſic vives protinus, ut te
Confeſtim liquidus fortunæ rivus inauret: [781]
Vel quia naturam mutare pecunia neſcit,
Vel quia cuncta putas unâ virtute minora.
Miramur, ſi Democriti pecus edit agellos,
Cultáque, dum peregre eſt animus ſine corpore velox:
Cúm tu inter ſcabiem tantam et contagia lucri,

ANNOTATIONES.

eſt. Habet in circuitu plus quàm ſexcenta paſſuum millia; omnium maris Mediterranei ampliſſima cenſetur; frumenti adeo ferax, ut horreum populi Romani diceretur. Cic. Ver. 5. c. 2. *Sapiens ille M. Cato penariam cellam reip. noſtræ, nutricem plebis Rom. Siciliam nominavit.*

1. *Quos colligis,*] Velut procurator aut coactor ab Agrippâ conſtitutus, ad colligendos fructus ex agris fructuariis, paſcuis, vectigalibus. Sunt qui Iccio donatos ab Agrippâ aſſerant agros. Verùm quod ait poëta, *frueris*, indicat magis uſum fructuum fuiſſe conceſſum, id eſt, jus utendi fruendique iis, quæ Agrippæ erant.

5. *Si ventri bene, &c.*] Si cibus potuſque ſuppetit, ſi ſtratum & cubile, ſi equus, vel potiùs calcei ac indumenta. Hinc volunt quidam Iccium perſtringi velut Epicureum. Quin imo paulo poſt Stoicus fuiſſe oſtenditur, ac rerum ſublimium ſtudioſus.

8. *Urticâ;*] Plin. lib. 21. cap. 15. *Urtica incipiens naſci vere, non ingrato, multis etiam religioſo in cibo eſt, ad pellendos totius anni morbos.* Vide & Dioſcorid. lib. 4. cap. 94. Nihil ad rem. *Urtica* piſciculus carnis tenerrimæ, coctu facilis, in mari Siculo frequens: de quo Athen. lib. 5.

9. *Rivus inauret:*] Alluſio eſt ad fabulam Midæ Phrygiæ regis, qui cùm ſtolidè optâſſet in aurum converti quicquid contrectâſſet, jamque cibis pariter immutatis fama periret; tandem Bacchi, vel Apollinis conſilio ſe abluit in Pactolo flumine, quod exinde inauratum pretioſas cœpit arenas volvere. Cicero ad Trebatium ſcribit: *Malle te puto a Cæſare conſuli, quam inaurari.*

10. *Vel quia naturam*] Liberalior non fit avarus, etſi opibus affluat; nec abundante pecuniâ [illegible] imminuitur.

11. *Vel quia cuncta putas, &c.*] Satirice vellicat ejus parſimoniam; quaſi oleribus veſcatur præ amore virtutis, & contemptu dapum exquiſitarum; cùm ſordidâ parcitate & avaritiâ potiùs ducatur.

12. *Miramur, ſi Democriti, &c.*] Adeò mirari non debemus, quod Democritus ita neglexerit patrimonium, unis rebus philoſophicis intentus, ut etiam agros & fruges ſuas permitteret à vicinorum pecoribus devorari. Tu certè, Icci, mirabilior es, qui quidem augendis opibus ſedulò vacas, ſimul & ſtudio rerum maximè ſublimium. Irriſio ſalſiſſima.

Democriti] Abderites iſte philoſophus ex atomis conſtare omnia ſtatuebat. Naturalia, moralia, mathematica, omneſque diſciplinas liberales callebat. Vixit cum Socrate, circa Olympiadem 80. conſenuit verò ad annum ætatis 109. Plinius eum vocat, *Sagaciſſimum ac vitæ utiliſſimum.* Cicero paſſim laudat. De nat. D. l. 1. n. 121. *Democritus vir magnus in primis, cujus fontibus hortulos ſuos Epicurus irrigavit.* n. 69. ait, *Eſſe corpuſcula quædam levia; alia aſpera, rotunda alia, partim angulata; curvata quædam, & velut adunca: & ex his effectum eſſe cœlum atque terras, nulla cogente naturâ, ſed concurſu quodam fortuito.* Acad. Q. l. 4. n. 56. *Ex individuis omnia gigni affirmat:* & n. 121. *Aſperis & levibus, hamatis, uncinatiſque corporibus concreta hæc eſſe,* &c.

13. *Dum peregrè eſt animus*] Dum mens extra corpus veluti peregrinata naturæ arcana ſcrutatur: adeoque non advertit, quæ circa ſe gerantur. Cic. pro Milone. *An verò tu ſolus ignoras? tu hoſpes in hac urbe verſaris? tuæ peregrinantur aures?*

14. *Scabiem*] Avaritiam inſtar ſcabiei adhæreſcentem, ſerpentem, mordentem,

Nil

Nil parvum ſapias, et adhuc ſublimia cures:
Quæ mare compeſcant cauſæ; quid temperet annum;
Stellæ ſponte ſuâ, juſſæne vagentur et errent: [782]
Quid premat obſcurum lunæ, quid proferat orbem;
Quid velit et poſſit rerum concordia diſcors:
Empedocles, an Stertinii deliret acumen.
Verùm ſeu piſces, ſeu porrum et cæpe trucidas,
Utere Pompejo Groſpho; et ſi quid petet ultro
Defer: nil Groſphus niſi verum orabit et æquum. [783]
Vilis amicorum eſt annona, bonis ubi quid deeſt.
Ne tamen ignores, quo ſit Romana loco res;

nihil abjectum cogites, atque excelſa mediteris: putà, quæ cauſæ cohibeant mare: quid tempora componat: an ſidera per ſe, an imperata errent ac diſcurrant: quid lunam faciat ſine lumine, quid lumen ejus producat: quid valeat efficiatque diſſentiens rerum conſenſio: utrum Empedocles, an Stertinii ſubtilitas aberret. At ſive piſces, ſive porrum aut cæpe occidis, familiariter adhibe Pompeium Groſphum; ac ſi aliquid rogârit, ſponte dona. Nihil Groſphus petet niſi rectum & juſtum. Vilis eſt amicorum proventus, quando bonis quidpiam deeſt. Ne autem neſciat, quo ſtatu ſit reſpublica;

ANNOTATIONES.

16. *Quæ mare compeſcant cauſæ,*] Ne terram obruat, cum eâ ſit altius. Propert. lib. 3. Eleg. 4.

Cùrve ſuos fines altum non exeat æquor?

Quid temperet annum;] Quid varias temporum faciat commutationes ac vices, quatuor anni tempeſtates; ver, æſtatem, autumnum, hyemem.

17. *Stellæ ſponte ſuâ, juſſæne vagentur, &c.*] An motu proprio, an juſſu & impulſu externo. Virgil. Æn. 9. v. 21. *Palantes cælo ſtellas* dicit. Plin. lib. 2. de his multa. Cap. 6. *Septem ſidera ab inceſſu vocamus errantia,* inquit, *cum errant nulla minùs illis, &c.*

18. *Quid premat obſcurum lunæ, &c.*] Quid lunam creſcere ac decreſcere menſibus ſingulis efficiat. Plin. modo cit. lib. cap. 9. *Omnium admirationem vincit lunæ ſidus terris familiariſſimum. Multiformi hæc ambage torſit ingenia contemplantium, & proximum ignorari maximè ſidus indignantium: creſcens ſemper aut ſeneſcens: & modò curvata in cornua, modò æquâ portione diviſa, modo ſinuata: —— ——Immenſa orbe pleno, ac repente nulla; aliàs pernox, aliàs ſera, &c.*

19. *Quid velit & poſſit rerum concordia diſcors:*] Quomodo elementa quatuor inter ſe pugnantia concinnam tamen mundi compagem reſque omnes conſtituant, perinde ac ſi virtutes non contrarias haberent. Lactant. lib. 2. cap. 10. *Diſcordi concordiâ mundum conſtare* dicit. Ovid. Metamorph. l. 1. v. 430.

Quippe ubi temperiem ſumpſere humorque calorque,
Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumque ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat: & diſcors concordia fœtibus apta eſt.

20. *Empedocles, an Stertinii deliret acumen.*] Empedocles ſanè haud cum Stertinio comparandus, præterquàm quod (ut eſt in Epiſt. ad Piſones, v. 464.)

——————Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Inſiluit.

Quâ certè unâ veſaniâ æquavit aut ſuperavit ſtultitiam multiplicem Stertinii abundè ventilatam, l. 2. Sat. 3. Præterea verò id habentes ſimiles quod, ut Stertinius ducentos ac viginti libros Stoicorum verſibus Latinis deſcripſit, ita Empedocles Pythagorea acuto magis quàm utili carmine complexus eſt: ac ſic nimirum uterque philoſophiam obſcuriorem reddidit, fatuoque ſe labore pariter maceravit. De Empedocle iterum dicemus ad locum modo cit. Epiſt. ad Piſones.

21. *Seu piſces, ſeu porrum, &c.*] Seu lautè, ſeu frugaliter victitas. Vel, ſeu Pythagoreus es ſobriuſque, & ab omni animalium carne abſtines, leguminibus autem veſci amas; ſeu more Epicureorum piſces ac dapes exquiſitas ſectaris. In deliciis piſces habitos patet ex dictis lib. 2. Sat. 4.

22. *Utere Pompejo Groſpho;*] In contubernium tuum ac familiaritatem adhibe Pompeium Groſphum, equitem Rom. è Siciliâ oriundum. Hunc Horatii fuiſſe amicum, cùm ex hoc loco innoteſcit, tum ex Ode 16. lib. 2.

24. *Vilis amicorum eſt annona, &c.*] Parvo conſtant amici, cùm boni viri non omnino ſunt divites; hos enim vili pretio comparabis, tibique adjunges, videlicet haud ita difficiles, ſed officioſos; haud in petendo importunos, ſed verecundos. At contra opulentos, quippe ut plurimùm arrogantes ac ſuperbos, demereri, ſibique conciliare non ita facile eſt. Paſſeratius legit; *Bonis ubi quid dat:* ſenſu non valde abſimili. Plaut. Trinumm. *Cariſſimam probe-*

Cantabri ab Agrippâ, Armenii à Claudio Nerone ſubacti ſunt. Phraates ſupplex ſubdidit ſe legibus ac poteſtati Cæſari. Abundantia pleno cornu fruges Italiæ profundit.

Cantaber Agrippæ, Claudî virtute Neronis
Armenius cecidit: jus, imperiúmque Phraates
Cæſaris accepit genibus minor. Aurea fruges
Italiæ pleno diffundit copia cornu.

ANNOTATIONES.

vum eſſe annonam, improborum verò proventum multò uberrimum.

26. *Cantaber Agrippæ, &c.*] Ex his innuitur ſcripta hæc Epiſtola, Auguſto ſextum conſule, anno imperii ejus decimo ſexto, qui fuit inſignitus triplici ejus victoriâ, Cantabricâ, Armenicâ, Parthicâ. Georg. Fabric. Anno U. C. circiter 733. Cantabros à L. Æmilio jam antè debilitatos victoſque, at rurſum bellum moventes, Agrippa ſubegit. Eodem tempore Tiberius in Armeniam profectus regnum Tigrani reſtituit. Parthi demum bis perculſi amicitiam Auguſti petiverunt, Phraateſque regnum ſuum recuperavit.

Cantaber] De Cantabris lib. 2. Od. 6. lib. 3. Od. 8. lib. 4. Od. 14.

Agrippæ,] Vide citat. modò lib. 2. Od. 6.

Claudi virtute Neronis Armenius cecidit:] Sueton. Tiber. cap. 6. *Stipendia primâ expeditione Cantabricâ tribunus militum fecit. Deinde ducto ad orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani reſtituit, ac pro tribunali diadema impoſuit. Recepit & ſigna, quæ M. Craſſo ademerant Parthi.* De Claud. Nerone ſuprà Epiſt. 3. & 9. De Armeniâ lib. 2. Od. 9.

27. *Phraates*] Perſarum rex & Parthorum. Vide lib. 2. Od. 2.

28. *Genibus minor.*] Supplicans apud Auguſtum Cæſarem. Plin. 11. cap. 25. ita ſcribit: *Hominis genibus quædam ineſt religio, obſervatione gentium. Hæc ſupplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc ut aras adorant: fortaſſe quia ineſt iis vitalitas.* Virgil. Æn. 3. v. 607.

> ——*Genua amplexus genibuſque volutans*
> *Hærebat.*

Quem in locum Servius, *Genua,* inquit, *miſericordiæ conſecrata, ut aures memoriæ, frons genio, dextra fidei.*

Aurea fruges, &c.] Abundans eſt frugum annona & proventus in totâ Italiâ.

29. *Pleno copia cornu.*] Vide lib. 1. Od. 17.

EPISTOLA XIII. Ad *VINNIUM ASELLAM.*

Docet, quâ ratione libros Auguſto decenter offerat.

Quemadmodum non ſemel, nec paucis admonui te diſcedentem, ô Vinni, offeres Cæſari libros meos ſigillo clauſos, ſi quidem benè

UT proficiſcentem docui te ſæpe, diúque [784]
Auguſto reddes ſignata volumina, Vinni;
Si validus, ſi lætus erit, ſi denique poſcet:

ANNOTATIONES.

1. *Ut proficiſcentem*] Scripto iterat Horatius mandata verbo ante commiſſa Vinnio ſuo vel miniſtro vel familiari. Ruri tum fuiſſe illum intelligimus.

Sæpe, diuque,] Nempe, ut ad Brutum lib. 2 Epiſt. 16. ſcribit Cicero, *Permagni intereſt, quo tempore epiſtola reddatur. Nam quemadmodum qui ad nos intempeſtivè adeunt, moleſti ſæpe ſunt; ſic epiſtolæ offendunt non loco redditæ.*

2. *Signata volumina,*] Æquum eſt enim, ut primo rei miſſæ aſpectu fruatur ille, ad quem mittitur, præſertim ſi vir ſit primarius. Quòd ſi quis præriperet, aut per incuriam improbitatemve librarii vel tabellarii interciperet, munus vile & peſſum ire cenſendum.

Volumina,] Gall. *Un rouleau de papier.* Ang. *A roll of paper or parchment.*

Vinni;] Is C. Vinnius Fronto dicitur. Vet. comment.

3. *Si validus, ſi lætus erit,*] Cicer. modo cit. *Præcepi ei, quem ad te miſi, ut tempus obſervaret epiſtolæ tibi reddendæ——utrum cum ſolicitudinis aliquid haberes, an cum ab omni moleſtiâ vacuus eſſes* Noſter lib. 2. Sat. 1. v. 18.

> ——*Niſi dextro tempore Flacci*
> *Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem.*

Si denique poſcet:] Hinc apparet expetita ab Auguſto fuiſſe carmina, quæ Horatius per Vinnium mittebat. Itaque mandat Vinnio, ut ſiſtat ſe decenter coram principe, expectetque

Ne

Ne ſtudio noſtri pecces, odiúmque libellis
Sedulus importes, opera vehemente miniſter:
Si te fortè meæ gravis uret ſarcina chartæ,
Abjicito potiùs, quàm quò perferre juberis, [785]
Clitellas ferus impingas; Aſinæque paternum
Cognomen vertas in riſum, et fabula fias.
Viribus utêris per clivos, flumina, lamas.
Victor propoſiti ſimul ac perveneris illuc,
Sic poſitum ſervabis onus: ne fortè ſub alâ
Faſciculum portes librorum, ut ruſticus agnum;
Ut vinoſa glomos furtivæ Pyrrhia lanæ;
Ut cum pileolo ſoleas conviva tribulis.
Ne vulgo narres te ſudaviſſe ferendo
Carmina, quæ poſſint oculos auréſque morari
Cæſaris: oratus multâ prece, nitere. Porrò [786]
Vade, vale: cave ne titubes, mandatáq; frangas.

valeat, ſi hilari ſit animo, *tandem ſi petat.* Cave *ne erres per nimium* erga *nos affectum, atque invidiam ſcriptis* noſtris *conſles nimiâ ſedulitate & officioſior es ſtudio. Quòd ſi librorum meorum onus tibi moleſtiam faceſſat, projice magis, quam ruſtice protrudas ſarcinam* illùc, *quo deportare imperavi;* ſicque *patris* tui *Aſinæ cognomen traducas in ludibrium, & fabula fias. Contende per colles, fluvios lacunas. Cùm* autem *eo deveneris feliciter, quò tendis, hunc in modum faſciculum pones: ne ſub brachio codices meos deferas, ut agreſtis agnum; ut bibax Pyrrhia ſphærulas lanæ furto ablatæ; ut plebeius conviva ſoleas ac pileum.* Præterea *ne obvio cuique effutias, te magno labore portâſſe carmina oculos & aures Auguſti oblectare idonea. Etiam atque etiam rogatus, perge ultra. Ito, vale: cave ne vacilles, aut præceptorum* quidquam *prætermittas.*

ANNOTATIONES.

aolùm, dum ſuo nomine ſalutatus Cæſar ultrò uærat, num ab eo ſint delata, quæ popoſcerat.

4. *Ne ſtudio noſtri pecces, &c.*] Quiſquis vel on opportunè, vel ineptè rem molitur, peccat. indarus egregiè ὁ δὲ καιρὸς παντὸς ἔχει κορυφὰν. *opportunitas omnis rei ſummam, caput, erfectionem continet.* Pyth. Od. 9.

6. *Si te fortè gravis, &c.*] Nihil age omninò, potiùs quam temerè, inconſideratè quidiam agas coram auguſtiſſimo imperatore. ave ne delatum munus parùm decorè tradas; t ſtolide feſtinando, aut præproperè mandatis rfungi cupiendo.

8. *Clitellas*] Thecas librorum. Alludit ad ſinæ cognomen, ut & in ſequentibus.

Ferus] Præceps, inurbanus, ſtupidus.

Impingas;] Solent Aſini grave moleſtumque i onus excutere, & in terram impingere.

Aſinæque paternum, &c.] Pater Vinnii ſina, hinc *Aſellæ* cognomen habebat.

10. *Viribus utêris per clivos,*] Viriliter ac enuè aſcendes ſuperabiſque ardua loca urbis tem collibus inædificatæ, ut ad ædes Auſti pervenias in monte Palatino conſtitutas.

Lamas.] Fluvii foſſas, vel majores lacunas iam pluviam continentes, ἀπὸ τοῦ λαιμοῦ, e vorago viarum eſt, ſeu foſſa fluviorum. nc quoque dictæ ſunt lamiæ puerorum voraes. Hæc vet. interp. Alii tamen aliter. De iſtis Ennius:

Silvarum ſaltus, latebras, lamaſque lutoſas.

11. *Victor propoſiti ſimul ac, &c.*] Cùm propoſitum finem adeptus eris, ac perveneris ad Auguſti palatium.

12. *Sic poſitum ſervabis onus: &c.*] Decenti aptoque geſtu libros defer in manibus, non autem ſub brachio.

14. *Pyrrhia*] Nomen eſt ancillæ in fabula quadam Titinii; quæ furata lanæ glomos, ita geſtavit, ut deprehenſa ſit. Ita vet. ſchol.

15. *Ut cum pileolo ſoleas*] Ut vicinus ex eâdem tribu ad cœnam invitatus, pileolum ac ſoleas portat, indéque reportat, nempe tenens ſub axillâ. Ex iſto loco patet, pileolum habuiſſe veteres conviviis proprium ac peculiarem: qualem etiamnum plerique noſtrates interdum aſſumunt inter epulandum, velut aptiorem, leviorem, commodiorem. *De ſoleis* dixi ad Sat. 8. lib. 2.

18. *Oratus multâ prece, nitere. Porrò*] A me toties rogatus, ô Vinni, diligenter ac ſedulò exequere & perfice quod præcepi. Alii ſic; Etſi fortè curioſus quiſpiam oret te percuncteturque, quid rei ſit, propter quam veneris; ne immorare, ne obſequere, imò abi quamprimum.

19. *Cave ne titubes, &c.*] Conſtanter age; quæcunque verò docui te ſæpe verbo, & nunc ſcripto hoc, accuratè obſerva.

EPISTOLA XIV. Ad *VILLICUM SUUM.*

Illum reprehendit, quod habitationem urbis deſideret.

O procurator nemorum & prædii me mihi reſtituentis, quod tu ſpernis, quinq; licet familiis habitatum, & probos quinq; ſenes Bariam mittere conſuetum; contendamus, *utrum ego diligentiùs ex animo* meo *vepres evellam, an tu ex agro;* atque *utrum plus valeat Horatius, an ejus prædium. Me* Romæ *detinet caritas & amor Lamiæ fratrem deſiderantis, &* ſic *eum* morte *præreptum dolentis, ut nihil ſolatii admittat; attamen eò me impellit mens & animus, & exoptat frangere repagula ſpatiari impedientia. Ego felicem appello degentem ruri;* tu contra *in urbe commorantem. Scilicet qui alienam conditionem cupit, propriam odit.*

VIllice ſilvarum et mihi me reddentis agelli,
 Quem tu faſtidis, habitatum quinque focis, et
Quinque bonos ſolitum Bariam dimittere patres;
Certemus, ſpinas animone ego fortius, an tu [787]
Evellas agro; et melior ſit Horatius, an res.
Me quamvis Lamiæ pietas et cura moretur
Fratrem mœrentis, rapto de fratre dolentis
Inſolabiliter; tamen iſtuc mens animúſque
Fert, et amat ſpatiis obſtantia rumpere clauſtra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum.
Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.

ANNOTATIONES.

1. *Villice ſilvarum,* &c.] Hujus epiſtolæ argumentum convenit cum ſeptimâ & decimâ, at diverſè tractatur.

Villice] Villæ cuſtos, aliiſque ſervis ſibi ſubſtitutis agrorum colendorum opus diſpenſans. Varro lib. 1. De re ruſt. cap. 11. *Villicus agri colendi causâ conſtitutus; appellatuſque à villâ, quod ab eo in eam convehuntur fructus; & evehuntur cùm veneunt.*

Mihi me reddentis] Urbanæ ſcilicet occupationes me mihi præripiunt, inquit poëta; at mihi me reddit ruris ſolitudo, otium, tranquillitas; ubi memetipſo frui videor, ac meus eſſe: nam Romæ ſum Mæcenatis & amicorum. Vide ſuprà Epiſt. 7.

Agelli,] Is ſitus erat ultra Tiber, ad octavum ab urbe lapidem in viâ Valeriâ. Poſteà Epiſt. 16.

2. *Habitatum quinque focis,*] Amplum ſatis & ſufficientem ad habitationem quinque familiarum, ſervilium nempe.

3. *Quinque bonos ſolitum,* &c.] Bonos homines ætatis provectæ, quinque familiarum capita: ſervos frugi, qui Bariam mittebantur ad nundinas, venaleſque fructus eò convehebant. Varro antè cit. Alii interpretantur homines grandes natu mitti ſolitos ad lites in Bariâ dirimendas: imò & ſenatores Romam interdum accitos. Verùm auſcultandus magis Theod. Marcilius ſic ſcribens in hunc Horatii locum; *Non injucunda ſtultitia eſt narrantium hic de quinque ſenatoribus, & quaſi patribus conſcriptis, qui ex Horatii agello Bariam venientes, de ſummâ Sabinorum rep. deliberent.*

Bariam] Al. *Variam,* oppidum Sabinorum ad fluvium Anienem.

4. *Certemus, ſpinas,* &c.] Videamus an tu diligentiùs agrum colas, an ego animum; utrùm ego ſtudioſiùs curas mentem pungentes reſecem, quàm tu vepres, herbaſque inutiles noxiaſque ex agro avellas.

5. *Melior ſit Horatius, an res.*] Ego certè melior, inquit Horatius, quia memet excolere ſtudeo; res verò deterior, quia parùm curas & colis, ô villice, quam faſtidis.

6. *Me quamvis Lamiæ,* &c.] Quanquam ego Romæ detineor, & validiſſimo amoris in Lamiam vinculo conſtringor; mens mea tamen quærit evadere, perpetuoq; tendit rus & in villam.

Lamiæ pietas] Vide lib. 3. Od. 17.

8. *Iſtùc*] In agrum meum Sabinum, unde tu in urbem redire perperam cupis.

9. *Amat ſpatiis obſtantia,* &c.] Hinc ſæpiùs impedimenta quælibet excutio, frango, tranſilio; ut libertate, otio, meque ipſo fruar apud villam meam; ac ſpatier tantillùm, animumque reficiam urbani tumultûs pertæſum.

Clauſtra.] Metaph. à circo, in quo certis clauſtris detinebantur equi, donec liceret ſigno dato apertoque ſtadio decurrere.

Stultus

Stultus uterq; locum immeritum cauſatur iniquè.
In culpâ eſt animus, qui ſe non effugit unquam.
Tu mediaſtinus tacitâ prece rura petebas: [788]
Nunc urbem, et ludos, et balnea villicus optas.
Me conſtare mihi ſcis, et diſcedere triſtem,
Quandocunque trahunt inviſa negotia Romam.
Non eadem miramur: eò diſconvenit inter
Méque et te: nam quæ deſerta et inhoſpita teſqua
Credis, amœna vocat mecum qui ſentit; et odit
Quæ tu pulchra vocas. Fornix tibi et uncta popina
Incutiunt urbis deſiderium, video; et quòd
Angulus iſte feret piper et thus ocius uvâ:
Nec vicina ſubeſt vinum præbere taberna
Quæ poſſit tibi; nec meretrix tibicina, cujus
Ad ſtrepitum ſalias terræ gravis; et tamen urges
Jam pridem non tacta ligonibus arva, bovémque
Disjunctum curas, et ſtrictis frondibus exples.
Addit opus pigro rivus, ſi decidit imber,
Multâ mole docendus aprico parcere prato. [789]
Nunc age, quid noſtrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuêre togæ nitidíque capilli,
Quem ſcis immunem Cynaræ placuiſſe rapaci,

Fatuus uterq; improbè criminatur locum innoxium. Imò accuſandus eſt animus, qui ſe nunquam deſerit. Tu vile mancipium ſecretis votis rus exoptabas: jam verò procurans villam, expetis civitatem, & ſpectacula, & balnea. Me conſtantem eſſe nôſti, ac mæſtum abire, quoties moleſta negotia Romam revocant. Haud iiſdem rebus *delectamur; hinc ego teque diſſentimus. Etenim quæ deſerta, aſpera, & inhabitabilia loca vocas, ea grata putat quiſquis mecum ſentit; & averſatur quæ tu jucunda exiſtimas. Tibi ganea & lautæ popinæ injiciunt cupiditatem urbis, ſcio; & quòd hic agellus producet thus & piper citiùs* quàm *uvas: nec prope adeſt taberna, quæ vinum tibi ſuppeditet; neque meretrix tibicina, cujus ad cantum ſaltes terram graviter* pul*ſans: ac nihilominus exerces agros dudum incultos; & curas bovem otioſum, ſaturaſq; foliis decuſſis. Porrò deſidis laborem auget rivus, ſi pluvia decidat, conſtipato aggere prohibendus, ne expoſitum devaſtet pratum. Diſce nunc quid conſentire nos impediat. Me, quem* olim *ſubtiles veſtes & crines uncti delectaverunt; quem noſti ſine muneribus fuiſſe dilectum Cynaræ avaræ,*

ANNOTATIONES.

12. *Locum immeritum cauſatur iniquè.*] Nec enim locus animi eſt cauſa inquieti; ſed ipſe animus pariter ſanus haud quieſcit, ubi maximè quietus eſſe deberet.

13. *Qui ſe non effugit*] Adeoque ſecum defert ſemper fomitem perturbationum, quocunque migret, & quamvis loca mutet. Vide lib. 2. Od. 16. v. 20.

14. *Mediaſtinus*] Servus in *medio ſtans* ad viliſſima quæque miniſteria paratus. Quòd mox dicitur *optare balnea*, favet iis, qui *mediaſtinum* appellari volunt, quòd *mediis* in balneis, ſeu in *medio* lavantium *ſtet* ad quæque ſervitia promptus; quanquam illud *ſtinus* mera videtur eſſe productio vocis, ut in *clandeſtinus*.

19. *Teſqua*] Loca ſemota, edita, aſpera, agreſtia, inculta, ſuo ſitu ac ſilentio horrorem ſacrum incutientia; hincque peragendis myſteriis vel captandis auguriis apta & conſecrata. Proinde quidam ſcribunt *teſca*, quaſi *tueſca*, à tuendis ſacris. Varro 6. De ling. Lat. Feſt. loca denſam umbram facientia eſſe *teſqua*, ait Scalig.

23. *Angulus iſte*] Exiguus iſte meus ager Sabinus.

Feret piper, &c.] Adunaton.

25. *Meretrix tibicina*] Ut plurimùm tibicinas fuiſſe meretrices alibi notavimus.

26. *Terræ gravis:*] Saltatione ſeu tripudiatione rudi, agreſti, ruſticâ, inconcinnâ. Vide lib. 3. Od. 18.

Et tamen urges] Ironicè: negligebat enim villicus iſte faſtidioſus hæc, quæ hîc enumerantur, ſanè ad villæ procurationem facienda.

28. *Disjunctum*] Jugo ſolutum, ab altero bove compare ſuo dejunctum.

29. *Addit opus pigro rivus, &c.*] Longè profectò major eſt opera laborque in moliendo novo aggere per torrentem aquam deſtructo, quàm fuiſſet in vetere muniendo ac conſtipando. Quod ſi facere pigeat, rivus imbribus repentinis auctus, eluvione ſuâ & exundatione proximum pratum devaſtabit.

32. *Tenues togæ, &c.*] Juvenili ætati convenientes.

33. *Cynaræ*] De eâ lib. 3. Od. 13. & lib. 4. Od. 1.

Rapaci,] Quaſi vorago eſt meretrix, ut dictum eſt in Sat. 2. lib. 1.

Quem bibulum liquidi mediâ de luce Falerni,
Cœna brevis juvat, et prope rivum ſomnus in herba:
Nec luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum.
Non iſtic obliquo oculo mea commoda quiſquam
Limat, non odio obſcuro morsúque venenat.
Rident vicini glebas et ſaxa moventem.
Cum ſervis urbana diaria rodere mavis:
Horum tu in numerum voto ruis. Invidet uſum
Lignorum, et pecoris tibi calo argutus, et horti.
Optat ephippia bos: piger optat arare caballus.
Quam ſcit uterq; libens, cenſebo, exerceat artem.

& à meridie Falernum potâſſe; delectat nunc *frugalis cœna, & ſomnus in gramine juxta rivum. Nequè* verò jam *pudet nugatum fuiſſe, ſed nugas non abdicare. Ibi mea bona invidis oculis nemo diminuit, nec ſecretis inimicitiis & dicteriis depravat. Vicini* autem *approbant verſantem glebas & lapides. Tu cum mancipiis urbana diaria comedere expetis: his adjungi vehementer exoptas.* Atqui *verſutus calo tibi invidet uſum lignorum, & pecudum, & hortuli.* Sic *bos ephippia, equus iners aratrum deſiderat.* Ego verò *edicam*, ut *quiſque gaudens colat artem, quam novit.*

ANNOTATIONES.

34. *Quem bibulum, &c.*] Quem optimi vini appetentem ſcis intemperanter compotâſſe à meridie in multam noctem. Luxurioſi hoc faciebant, contrà ſobrii non ante horam tertiam, aut etiam ſeriùs cœnam adibant.

36. *Non incidere ludum.*] Finis enim aliquando ponendus inſaniæ juvenili. Juvenal. Sat. 8. v. 165.

———————*breve ſit quod turpiter audes.*

37. *Non iſtic obliquo*] Rure in Sabinis nemo mihi invidet, aut maledicit, aut nocere conatur. Imò vicini gaudent cernentes me tractantem ruſtica inſtrumenta, ligone moventem ceſpites, protrudentem ſaxa, &c.

40. *Cum ſervis urbana, &c.*] Tu abundanti victu dudum potitus, quaſi magiſter in villâ meâ aliis ſervis imperans, honeſtæ hujus præfecturæ jam pertæſus, optas Romæ eſſe, ibique tenuiter victitare è dimenſo in quamque diem cibo, qualis in urbe ſervis attribui ſolet. Vide J. Lipſ. Elect. lib. 2. cap. 15. Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 31. & lib. 25. cap. 17. & ſeq.

41. *Invidit uſum Lignorum, &c.*] Tu ſervis urbanis aſcribi & annumerari geſtis. Contra urbanus *calo*, qui foras it lignatum, &c. *tibi invidet uſum* & facilitatem habendi ligna, pecudes, olera. Adeòque alienam quiſque conditionem diligit, ſuam odit; quia ſuæ ſentit incommoda, non autem alienæ.

42. *Calo*] Græci lignum κᾶλον dicunt: hinc ſervus lignis quærendis & ſubminiſtrandis deputatus, dictus *calo*, quaſi *lignarius* ſeu lignator; quo præcipue vocabulo intelligi ſolet militum ſervus, iis præbens & portans ligna ſeu ligneas clavas. Feſt. Pomp. Non. Marcell. Latinam verò aſſignat originem Servius, in Æneid. 7. ita ſcribens: *Calas dicebant majores noſtri fuſtes, quos portabant ſequentes dominos ad bellum: unde & calones dicti.* Lucil. *Scinde puer calam, ut caleas*; id eſt, Serve, frange fuſtem, ſeu lignum, fac focum, accende ignem.

43. *Optat ephippia bos:*] Proverb. in eos, qui ſui muneris officia & onus impatienter ferunt, aliena verò temerè appetunt.

Ephippia] Ἐφίππιον, ſtratum ſive ſella equi, apud Xenophontem.

44. *Quam ſcit uterque, &c.*] Quæ cùm ita ſint, & cùm ſuo quemque muneri incumbere expedit; villicus rus colat, calo maneat in urbe, &c. Cic. Tuſc. 1. n. 41. *Bene Græcorum proverbio dicitur,*

Quam quiſque nôrit artem, in hâc ſe exerceat.

EPI-

EPISTOLA XV. Ad *NUMONIUM VALAM.*

Percunctatur de Veliâ & Salerno, deque rebus ad jucundè vivendum idoneis.

QUÆ ſit hiems Veliæ, quod cœlum, Vala, Salerni, [79¹]
Quorum hominum regio, et qualis via (nam mihi Bajas
Muſa ſupervacuas Antonius; et tamen illis
Me facit inviſum, gelidâ cùm perluor undâ
Per medium frigus. Sanè myrteta relinqui,
Dictaque ceſſantem nervis elidere morbum [79²]
Sulfura contemni, vicus gemit, invidus ægris,
Qui caput et ſtomachum ſupponere fontibus audent

O Vala, tuum eſt nobis perſcribere, noſtrum *verò tibi credere* perſcribenti, *qualis ſit hiems apud Veliam, qualis aër apud Salernum, quales homines utriuſque regionis, & quæ via (etenim Antonius Muſa Bajas, haud mihi utiles eſſe* dicit; *me verò illis efficit odioſum, quando frigidâ aquâ perfundor rigente frigore. Certè deſeri myrteta, & poſthaberi* aquas *ſulfuratas, exiſtimatas ſanare morbum nervos præpedientem, dolet oppidum, invidens ægrotis, qui non verentur caput & pectus ſubjicere aquis*

ANNOTATIONES.

1\. *Quæ ſit hiems, &c.*] Conſilio medici profecturus Veliam & Salernum Horatius, lippitudinis curandæ causâ, ſignificat quærere ſe pariter ſalubritatem atque delicias.

Veliæ,] Lucaniæ oppidum eſt maritimum, olim *Helia*. Plin. lib. 3. cap. 5. Virg. Æn. 6.
——— *potuſque require Velinos.*
Vide Gell. lib. 10. cap. 16.

Quod cœlum,] Interrogat quæ ſit temperies aëris, & quæ hiemis aſperitas illic, ubi hiematurus erat.

Vala,] Is dicebatur C. Numonius Vala, aut Vaala.

Salerni,] Urbs eſt Lucaniæ, ad Tyrrheni maris littus, dicta à copiâ ſalis: portum ſatis càpacem etiamnum oſtendit.

2\. *Bajas*] Vide lib. 2. Od. 18.

3\. *Muſa*] Antonius Muſa medicâ arte clarus, ex quo Auguſtum ancipiti morbo laborantem ſanaverat; ab eo non tantùm ingenti pecuniâ donatus, ſed & ſtatuâ juxta ſignum Æſculapii erectâ: nec non ipſi, quamvis liberto, imò & quibuſcunque medendi artem profeſſis conceſſo jure annuli aurei. Dio. lib. 53. Sueton. Octav. cap. 59. & 81.

Supervacuas] Acrioris pituitæ in oculis defluxu vehementer affectus poëta noſter, ſolebat proficiſci Bajas ad lavacra calida; verùm Ant. Muſa contrariis utendum remediis auctor fuit, juſſitque ablutiones quærere frigidas, quibus defluens humor retunderetur. Pari ſcilicet modo Auguſtum calidis fruſtrà uſum ille frigidis curaverat. Plin. lib. 29. cap. 1. *Antonius Muſa Auguſtum contrariâ medicinâ gravi periculo exemerat.* Sueton. cit. cap. 81. Octav. *Diſtillationibus jocinore vitiato ad deſperationem redactus, contrariam & ancipitem rationem medendi neceſſariò ſubiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, auctore Antonio Muſâ.*

5\. *Myrteta*] Amœna loca myrtis conſita apud Bajas.

6\. *Dictaque ceſſantem nervis elidere morbum Sulfura*] Sulfuratas aquas ibidem ſcaturientes non longè ab Averno lacu, quibus curari dicitur morbus articularis, *ceſſare* faciens *nervos*, id eſt, præpediens uſum & motum articulorum atque nervorum.

7\. *Vicus gemit,*] Bajani indignantur contemni ſuos fontes toto orbe celebres, ſuaſque myrtos relinqui. Plin. lib. 31. cap. 2. *Emicant benignè & paſſim in plurimis terris aquæ alibi calidæ, alibi frigidæ, alibi unctæ——alibi tepidæ, auxilia morborum conferentes—————nunquam tamen largius quàm in Bajano ſinu, nec pluribus auxiliandi generibus; aliæ ſulphuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ etiam acidâ ſalsâve miſturâ——nervis proſunt, pedibuſque, &c.*

8\. *Qui caput & ſtomachum ſupponere*] Ex ægris enim alii medicantes illas aquas bibunt, alii in iis lavantur, alii partes affectas, v. g. caput, ventriculum, renes, ſtillicidiis aquam ejuſmodi affundentibus ſupponunt unâ horâ per dies aliquot.

Cluſinis, Gabióſque petunt et frigida rura.
Mutandus locus eſt, et diverſoria nota
Præteragendus equus. Quo tendis? non mihi Cumas
Eſt iter, aut Bajas, lævâ ſtomachoſus habenâ
Dicet eques: (ſed equis frænato eſt auris in ore)
Major utrum populum frumenti copia paſcat, [793]
Collectóſne bibant imbres, puteóſne perennes
Dulcis aquæ: (nam vina nihil moror illius oræ.
Rure meo poſſum quidvis perferre patíque;
Ad mare cùm veni, generoſum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet
In venas animúmque meum, quod verba miniſtret,
Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.)
Tractus uter plures lepores, uter educet apros;
Utra magis piſces et echinos æquora celent;
Pinguis ut inde domum poſſim Phæáxque reverti,
Scribere te nobis, tibi nos accredere par eſt.

Cluſinis, perguntque Gabios & in frigidas regiones. Itaque locum mutare oportet, equumque agere ultra diverſoria cognita. Quo pergis? haud Cumas vel Bajas contendo, inquiet iracundus eques, frænum ad lævum torquens: *verum auricula eſt in ore frænatis equis) uter populus majore tritici abundantia nutriatur; an pluvias collectas potent, an aquas dulces è fontibus, perpetuò manantibus. Etenim ſperno vina iſtius regionis.* In *villâ* quidem *meâ quodlibet valeo tolerare ac ſuſtinere*; at *cum deveni ad mare, deſidero* vinum *generoſum ac lene, quod pellat ſollicitudines, quod in venas fluens ingentem fiduciam meæ menti conferat, quod verba ſuppeditet, quod me juvenem gratum reddat Lucanæ meretrici; utra regio plures lepores, utra apros alat; utrum mare meliores piſces & echinos habeat; ut illinc domum redire queam obeſus & Phæax.*

ANNOTATIONES.

Fontibus Cluſinis, &c.] Aquis frigidis ad Cluſium Etruriæ oppidum.

9. *Gabioſque petunt*] Urbs iſta Latii in viâ Prænestinâ ferè mediâ Romam inter & Præneſte. Virgil. Æneid. 7,

—— *quique arva Gabinæ*
Junonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis,

Illic verò ſalubres aquas fuiſſe, teſtatur Strabo lib, 5. *Per hanc planitiem Anio decurrit, & aquæ frigidæ dictæ Albulæ multis è fontibus manant varios ad morbos tum bibentibus ſalutares, tum ſedentibus infuſæ.*

10. *Mutandus locus eſt,*] Jubente medico relinquendæ ſunt Bajanæ deliciæ, pergendumque Veliam aut Salernum, ut lippientibus oculis mederi poſſim. Plin. cit, lib. 31, cap. 2. *Capiti, auribuſque privatim medentur; oculis verò Ciceroniæ aquæ* ———————— *In Ænariâ inſulâ calculoſis,* ———————— *Idem contingit in Velino lacu potantibus, &c.*

11. *Quo tendis?*] Verba ſunt Horatii ad equum ſuum.

Cumas] Urbs eſt Campaniæ maritima, antro Sibyllæ celebrata, Bajis proxima.

12. *Lævâ ſtomachoſus habenâ*] Neapolim, indeque Veliam aut Salernum euntibus ad dextram ſunt Bajæ, avertendo igitur equo flectenda erat ad ſiniſtram habena.

13. *Equis frænato eſt auris in ore*] Equus non verbis ſed fræno docetur, percipitque quo ſit eundum.

14. *Major utrum populum, &c.*] Repetendus hîc & paſſim verſus 25. *Scribere te nobis,— par eſt*; ſcilicet, *major utrum populum, &c.* Adverte ergo, lector, hyperbaton longiſſimum.

Utrum populum] An Velienſem, an Salerninum.

15. *Collectoſque imbres,*] In ciſternis.

18. *Ad mare cum veni,*] Ad aliquam urbem maritimam.

19. *Quod curas abigat, &c.*] Vide lib. 1. Od. 18. &c.

20. *Animumque*] Vini calor ſpiritus vitales excitat accenditque, hincque animum pariter.

Quod verba miniſtret,] Epiſt. 5.

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

21. *Commendet amicæ*] Hilarem & facetum præſtando. Apage hinc aliam interpretationem.

22. *Tractus uter*] Velinus, an Salerninus.

23. *Echinos*] De his libro 2. Satira 4.

24. *Pinguis ut inde, &c.*] Ut ex iſtis regionibus poſſim redire non ſolùm oculis ſanus, ſed & toto corpore nitidus, pinguis, & bene curatâ cute. Gall. *Gros et gras, dans l' embonpoint.*

Phæax] Inſtar Phæacum: de quibus ſuprà Epiſt. 2. v, 29.

25. *Accredere*] Hâc etiam voce utitur Lucretius lib. 3.

—— *Facilè hoc accredere poſſis.*

Mænius

Mænius ut, rebus maternis atque paternis
Fortiter abſumptis, urbanus cœpit haberi; [794]
Scurra vagus, non qui certum præſepe teneret;
Impranſus, non qui civem dignoſceret hoſte;
Quælibet in quemvis opprobria fingere ſævus;
Pernicies, et tempeſtas, barathrúmque macelli;
Quicquid quæſierat, ventri donabat avaro:
Hic ubi nequitiæ fautoribus et timidis nil
Aut paulùm abſtulerit, patinas cœnabat omaſi
Vilis, et agnini, tribus urſis quod ſatis eſſet;
Scilicet ut ventres lamnâ candente nepotum
Diceret urendos correctus. Mænius idem
Quicquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne [795]
Verterat in fumum et cinerem, Non hercule miror,
Aiebat, ſi qui comedunt bona: cùm ſit obeſo
Nil melius turdo, nil vulvâ pulchrius amplâ:

Quemadmodum Mænius, patrimonio devorato, facetum ſe exhibuit: paraſitus ille vagabundus, cui certa non eſſet culina: qui famelicus civem ab hoſte non diſtinguerit; in quemlibet verò contumelias quaſque dirus confingeret; damnum, procella, & gurges macelli, quodcunque lucratus erat, ventri avido largiebatur: porrò *iſte, cum parùm aut nihil obtinuerat à luxuriæ patronis & formidoloſis, cœnabat è lance plenâ vervecinis extis craſſioribus, quantum ſufficeret tribus urſis;* adeò *nimirùm ut emendatus aſſereret belluonum ventres ardente laminâ eſſe inurendos: ipſe Mænius cum in fumum & favillam redegiſſet, ſi quid opimum captaverat, dicere erat* ſolitus, *Haud equidem miror, ſi nonnulli facultates abſumant, quandoquidem nihil jucundius eſt pingui turdo, nihil ſuavius prægrandi vulvâ:*

ANNOTATIONES.

26. *Mænius ut, &c.*] Fab. Mænius Pantalabus gurges & vorax: de quo jam anteà non ſemel, lib. 1. Sat. 3. Hic nonnulli dividunt, alteramque epiſtolam faciunt, ſed perperam. Deinceps enim explicat Horatius quod ſuprà dixit v. 27. & ſeq.

27. *Urbanus*] Lepidus, feſtivus, ut ad menſas divitum facilè admitteretur.

28. *Scurra vagus,*] Modò hoc modò illuc cœnam mendicans & captans per facetias.

Præſepe] Metaph. Eſt enim propriè locus præſeptus, in quo pecudes ſtabulantur: & per ſynecd. linter, in quo pabulum jomentis apponitur.

29. *Impranſus,*] Theod. Marcilius interpretatur, bene pranſus, ſatur, temulentus.

30. *Quælibet in quemvis, &c.*] Qui fame quaſi furore quodam percitus, omnes obvios impetebat, maledico dente carpebat, probris inceſſebat.

31. *Pernicies, & tempeſtas, &c.*] Univerſa macelli edulia abradens, rapiens, vaſtans, quaſi tempeſtas; & abſorbens, quaſi vorago & βάραθρον.

33. *Ubi nequitiæ fautoribus, &c.*] Mænius iſte, cùm nihil fuerat venatus apud divites luxuriam ſuam fovere & alere ſolitos, eique faventes, utpote ſimiliter luxurioſos.

Timidis] Avaris ſumptum facere timentibus: vel ſcurrilem nequitiam & maledicentiam reformidantibus, qui cibos interdum offerebant, ne dicteriis ejus lancinarentur.

34. *Patinas cœnabat omaſi*] Vili quâlibet eſcâ contentus domi cœnabat. Quidam leg. *tabulas*, ut ſit *tabula* lancis genus planum.

Omaſi] Craſſior ventriculi pars, adipata. Gall. *Des trippes, des freſſures.* Ang. *tripe.* Al. caro bubula pinguior.

35. *Agnini,*] Al. *agninæ*, ſup. carnis.

Urſis] Quod animal ingens & vorax.

36. *Scilicet ut ventres, &c.*] Mænius vili cibo expletus domi, *correctus*, & agnoſcens naturam haud egere lautioribus alimentis, luxuriam ipſe ultrò damnans aiebat, luxurioſos eſſe diſperdendos. Vel, *correctus*, eruditus propriâ experientiâ & egeſtate, quam ſibi per luxurioſum victum conflaverat.

37. *Correctus. Mænius idem*] Quidam leg. *correptus Beſtius idem Quicquid*, &c. hoc ſenſu; Beſtius avarus à Mænio luxurioſo ſordidæ parcitatis accuſatus & acriter *correptus*, præ irâ & indignatione dicebat, *Urendos nepotum ventres laminâ candente.* Beſtii avaritiam carpit Perſ. Sat. 6.

Mænius idem Quicquid, &c.] Ille qui domi tenui victu contentus erat, quando lautiorea nactus dapes deglutierat, exquiſito ſapore affectus aiebat, Haud miror quod opes abſumant aliqui, ut delicatiora comedant obſonia.

40. *Obeſo Nil melius turdo,*] Martial. lib. 13. Epigr. 92. inter aves turdo primam ſaporis gloriam adjudicat. Perſ. Sat. 6. v. 24.

Tenuem ſolers turdorum noſſe ſalivam.

Nempe Romæ catillones erant ſubtilis adeo palati, ut guſtu dignoſcerent turdorum ſapores varios; an ſilveſtres, an ex aviario; an mares, an fœminæ. Vide ſuprà lib. 1. Sat. 5. & lib. 2. Sat. 2.

Nimirum hic ego ſum: nam tuta et parvula laudo,
Cùm res deficiunt, ſatis inter vilia fortis:
Verùm, ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos ſapere, et ſolos aio bene vivere, quorum
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.

Talis nempe ſum ego: quippe laudo ſecura & exigua, quando opes deſunt, ſat conſtans inter parva; at quando præſtantius aliquid & lautius nactus ſum, tum ipſe vos dico ſapere, & ſolos beatos eſſe, qui habetis opes bonis prædiis ſtabilitas.

ANNOTATIONES.

Vulvâ] Jucundam palato & maximè delicatam primiparæ ſuis vulvam, teſtatur Plin. l. 8. c. 51. & lib. 11. cap. 37. Martial lib. 13. Epigr. 56.

Me materna gravi de ſue vulva capit.

42. *Hic ego ſum;*] Mænio ſimilis ſum: parvo & vili contentus, cùm deſunt meliora; quando verò ſuppetunt lautiora, hæc ſanè haud ſperno, imo collaudo: & quibus opes atque iſtæ deliciæ adſunt, beatos cenſeo & prædico.

45. *Quorum Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.*] Cenſum habentes fundo certo ſtabilitum, villam proventus certos referentem: *opes fundatas atque optime conſtitutas;* ut ait Cic. pro Rabirio. Idem pro Domo: *fundatiſſima familiæ ruina.*

EPISTOLA XVI. Ad *QUINCTIUM.*

Deſcriptio villæ Horatianæ. Quis dicendus vir bonus.

Ne percuncteris, fundus meus, optime Quincti, [796]
Arvo paſcat herum, an baccis opulentet olivæ,
Pomíſne et pratis, an amictâ vitibus ulmo;
Scribetur tibi forma loquaciter, et ſitus agri.
Continui montes, niſi diſſocientur opacâ
Valle, ſed ut veniens dextrum latus aſpiciat ſol,
Lævum diſcedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid, ſi rubicunda benignè
Corna vepres et pruna ferant? ſi quercus et ilex
Multâ fruge pecus, multâ dominum juvet umbrâ?
Dicas adductum propiùs frondere Tarentum.

Ne quæras, ô bone Quincti, utrùm ager meus dominum frugibus nutriat, an baccis oleæ ditet, an fructibus, an vitibus ulmo circumdatis; en *tibi verboſè deſcribam ſpeciem & ſitum prædii* mei. *Perpetui ſunt colles, niſi* quod *ſeparantur valle umbroſâ, ita ut ſol oriens aſpiciat latus dextrum, abeunte* verò *curru decedens tepefaciat ſiniſtrum. Temperatum* cœlum *laudaveris. Porrò ſentes producunt affatim rubra corna & pruna: quercus & ilices glandem plurimam pecoribus & denſam umbram hero ſuppeditant. Diceres Tarentum prope advectum florere.*

ANNOTATIONES.

1. *Ne percuncteris,*] Per inſinuationem agrum ſuum deſcribit poëta: deinde quis verè ſit bonus explicat: ubi Quinctium notat velut adulatoribus nimis credulum,

Quincti,] Is videtur eſſe Quinctius Hirpinus, cui eſt inſcripta Od, 11. lib. 2,

5. *Continui montes, &c.*] Situs ille ſaluberrimus, vallis amœna ventis orientalibus & occidentalibus expoſita, meridie verò & ſeptentrione duobus collibus defenſa: quæ porrò temperatâ fruitur aurâ, & fonte irrigetur, cujus aquæ infirmo capiti alvoque medeantur.

6. *Valle,*] Hæc *Uſtica* dicebatur, ut volunt quidam. Cruquius verò opinatur nomen hoc fuiſſe potius propinqui montis, cui ex adverſo immineret Lucretilis mons, de quo lib. 1. Od. 17.

11. *Tarentum.*] Urbem prorſus jucundam & voluptariam, quam ſæpius commemorat Horatius, Lib. 1, Od. 28. lib. 2. Od. 6. lib. 3. Od. 5.

Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec [797]
Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hæ latebræ dulces, etiam (ſi credis) amœnæ,
Incolumem tibi me præſtant Septembribus horis.
Tu rectè vivis, ſi curas eſſe quod audis.
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum.
Sed vereor, ne cui de te plus quàm tibi credas;
Neve putes alium ſapiente bonóque beatum;
Neu, ſi te populus ſanum rectéque valentem
Dictitet, occultam febrem ſub tempus edendi
Diſſimules, donec manibus tremor incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat. [798]
Si quis bella tibi terrâ pugnata marique
Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures:
Téne magis ſalvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui conſulit et tibi et urbi,
Jupiter: Auguſti láudes agnoſcere poſſis?
Cùm pateris ſapiens emendatúſque vocari,

Interluit quoque fons aptus nomen rivo tribuere, quo neque frigidior, nec limpidior Hebrus Thraciam irrigat, capiti male affecto, pariter & ventri ſaluber. Grata hæc latibula, quin &, ſi fidem habes, jucunda, ſanum tibi me faciunt menſe Septembri. Tu rectè vivis, ſi ſtudes eſſe qualis diceris. Te felicem dudum prædicamus omnes Romani. At metuo, ne aliis de te plus credas quàm tibimetipſi; neve exiſtimes felicem diverſum a probo & ſapiente; ac, ſi te ſanum & benè habentem dicat populus, ne ſecretam febrem celes circa horam cœnæ, uſque quò tremulæ fiant manus unctæ. Improba verecundia abſcondit ulcera fatuorum putrida. Si aliquis narret certamina terrâ marique à te confecta, atque aures tuas patentes delineat iſto ſermone: Utinam Jupiter, qui te urbemque diligit, incertum ſemper *teneat, utrum populus te magis exoptet incolumem, an tu populum: numquid diſcernere poteris Auguſti laudationem? Quando* verò *finis te appellari ſapientem & perfectum,*

ANNOTATIONES.

12. *Fons etiam rivo*] Blanduſia nempe fons in finibus Sabinorum apud Mandelam pagum. De illo lib. 3. Od. 13. *Rivus* autem *Digentia* vocabatur, atque in Tiberim defluebat per Farfarum fluvium & Vacunæ fanum. Vide poſtrà Epiſt. 18. v. 104.

Dare nomen idoneus,] Tam abundantes aquas ei rivo præbens, ut inter fluvios Sabinorum *Digentia* numeretur & nominetur.

13. *Thracam*] Vide lib. 1. Od. 25.

Hebrus,] Ingens Thraciæ fluvius, de quo jam ſuprà Epiſt. 3. & cit. Od. 25. lib. 1.

16. *Hæ latebræ dulces, &c.*] Autumno ineunte ſecedens in hanc villam meam, à morbis tunc frequentibus me vindico. Juvenalis *lethiferum autumnum* dicit, Sat. 4. v. 56. ex Hippoc. & Galen. Id. Sat. 6. v. 516.

——— *Metuique jubet Septembris & Auſtri Adventum.*

17. *Tu rectè vivis, &c.*] Cic. Offic. 2. n. *Præclarè Socrates hanc viam ad gloriam proximam & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret ut qualis haberi vellet, talis eſſet.*

19. *Sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas;*] Imitatus Perſius Sat. 4. v. 46.

Egregium cùm me vicinia dicat,
Non credam?

21. *Neu, ſi te populo, &c.*] Perſ. modò cit.

Nequicquam populo bibulas donaveris aures.
Reſpue quod non es, tollat ſua munera cerdo;
Tecum habita, & nôris quam ſit tibi curta ſupellex.

22. *Occultam febrem Diſſimules, &c.*] Vereor ne vitia tibi certè non obſcura diſſimules & negas, donec ea ipſe prodas incautus, aut vitioſo quopiam impetu abreptus, & patefactus qualis es: ſicut æger edendi appetens aſſerit ſe non tentari febre, nec à cibo temperat, donec ipſa ſe prodat febris edentiſque manus reddat tremulas. Perſius Satira 3. v. 100.

Sed tremor inter vina ſubit, calidumque triental
Excutit è manibus; dentes crepuere retecti;
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.

24. *Stultorum incurata pudor, &c.*] Stulti ſua vitia non curant emendare, ſed curant abſcondere, per malum pudorem.

26. *Vacuas permulceat aures:*] Adulationibus gaudentes, & adulatoribus ſemper apertas.

27. *Tene magis ſalvum, &c.*] Hi duo verſus vel a Varo aliove poeta in laudem Auguſti ſcripti fuerant, ac velut noti hic referuntur; vel ab ipſo Horatio facti, ſub tertiâ perſonâ adhibentur.

29. *Auguſti laudes agnoſcere poſſis?*] An tibi ſtulte attribues, quod ad Auguſtum noſcitur pertinere? an cognoſces non ad te, ſed ad ipſum ſcriptas eas laudes?

30. *Emendatus*] Vitiis carens.

Reſpon-

Reſpondéſne tuo, dic ſodes, nomine? Nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego, ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras ſi volet, auferet: ut ſi
Detulerit faſces indigno, detrahet idem.
Pone; meum eſt, inquit. Pono, triſtiſq; recedo.
Idem ſi clamet furem, neget eſſe pudicum,
Contendat laqueo collum preſſiſſe paternum;
Mordear opprobriis falſis, mutémq; colores? [799]
Falſus honor juvat, et mendax infamia terret
Quem, niſi mendoſum et mendacem? Vir bonus
 eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges, juráque ſervat;
Quo multæ magnæque ſecantur judice lites;
Quo reſponſore, et quo cauſſæ teſte tenentur.
Sed videt hunc omnis domus, et vicinia tota
Introrſus turpem, ſpecioſum pelle decorâ.
Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat
Servus: Habes pretium, loris non ureris, aio.
Non hominem occidi: Non paſces in cruce corvos.
Sum bonus et frugi: renuit, negat atq; Sabellus:
Cautus enim metuit foveam lupus, accipitérque
Suſpectos laqueos, et opertum miluüs hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ. [800]

quæſo dic an reſpondes huic tuæ appellationi? Scilicet ego probus & ſapiens vocari gaudeo, & tu ſimiliter. Verùm *qui hodiè tribuit iſtud* elogium, *ipſe cras eripiet, ſi lubet; & quaſi immeritò honorem detulerit, adimet. Depone, ait* populus, quod *meum eſt. Depono, ac mœſtus abeo.* Si autem *ipſe furem me aut impudicum vocet, vel patrem à me ſtrangulatum aſſerat;* an *percellar falſis* iſtis *criminationibus aut expalleſcam? inanis gloria delectat, & falſa contumelia exterret ecquem, niſi vitioſum & fallacem?* Age: *quis eſt vir probus? Qui edicta, qui leges & inſtituta majorum obſervat: quo judice dirimuntur plures & graves controverſiæ: quo adſtipulatore, quo teſtimonium perhibente, cauſæ obtinentur. At iſtum cuncta familia omneſque vicini cognoſcunt intus flagitioſum,* quamvis *externa ſpecie honeſtum.* Verùm enimverò *ſi mihi ſervus dicat, Haud furatus ſum, neque aufugi: reſpondebo, Mercedem tenes, ſcilicet ſcuticis minimè cæderis.* Si dicat, *Neminem interfeci, reſpondebo:* Benè eſt, *haud in patibulo corvis eſcam præbebis.* Dicat, *Probus ſum & innocens: Venuſinus refragatur & contradicit. Quippe lupus aſtutus foveam timet, accipiter autem pedicam inviſam, & milvius uncum obtectum. Probi fugiunt peccatum* ob *ſtudium virtutis. Tu verò non peccabis metu ſupplicii:*

ANNOTATIONES.

31. *Nomine?*] Pro nomini, ut bene obſervat Marcilius.

Nempe vir bonus, &c.] Reſponſio eſt Quintii, quam mox Horatius refellit.

32. *Delector, ac tu.*] Cic. Philip. 1. n. 57. *Levis eſt animi lucem ſplendoremque fugientis, veram gloriam, qui fructus veræ eſt virtutis, repudiare.*

33. *Quid edit hoc hodiè, cras, &c.*] Populus nempe inconſtans & levis. Verùm ut bonus & ſapiens talis eſt, quamvis à populo non dicatur; ſic qui non eſt, talis non ſit, licet dicatur.

40. *Mendacem?*] Qui ſe exhibet alium quàm ſit, videlicet bonum & ſapientem, cùm ſit turpis & ſtultus. Sunt qui legunt *medicandum*, id eſt, egentem medicaminibus philoſophiæ, ad mores formandos aut emendandos.

Vir bonus eſt quis?] Ex opinione & fatuâ vulgi ſententiâ, quiſquis videtur eſſe bonus, talis exiſtimatur & prædicatur. Itaque per ironiam deſcribitur, qui falsò bonus cenſetur. Plato 2. De rep. *Si opinio & fama vim affert veritati, & penes eam eſt vitæ beatæ principatus — ergo umbracula quædam & ficta virtutis ſpecies nobis eſt quærenda.*

46. *Nec furtum feci,*] Rem illuſtrat ſimilitudine.

48. *Non paſces in cruce corvos.*] Non affigeris cruci, quod ſervile pridem erat ſupplicium: nec tuum cadaver ibi pendens corvis pabulum erit.

49. *Renuit, negat atque Sabellus:*] Ego Horatius contrarium aſſevero. Sabellis olim expulſis, invecti ſunt coloni Romani, ac Venuſium occupârunt. Vide lib. 2. Sat. 1. v. 36.

50. *Cautus enim, &c.*] Similitudine conglobatâ oſtendit ſervum haud poſſe dici bonum, eò quòd abſtinet à peccando metu pœnæ duntaxat.

52. *Oderunt peccare boni, &c.*] Bias dicebat, Non metu ſed decori gratiâ abſtinendum à peccato. Cic. 1. De leg. *Si non ipſo honeſto movetur, ut viri boni ſimus, ſed utilitate aliqui aut fructu callidi ſumus, non boni. Nam quid faciet in tenebris, qui nihil timet, niſi teſtem, vel judicem?*

53. *Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.*] Clemens Alexandrinus præclarè ſcribit, duo eſſe

it ſpes fallendi, miſcebis ſacra profanis.
Jam de mille fabæ modiis cùm ſurripis unum,
Damnum eſt, non facinus mihi pacto lenius iſto.
Vir bonus, omne forum quem ſpectat et omne tribunal,
Quandocunque deos vel porco vel bove placat,
ane pater, clarè, clarè cum dixit, Apollo,
Labra movet metuens audiri, Pulchra Laverna,
Da mihi fallere; da juſtum ſanctúmque videri;
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.
Quî melior ſervo, quî liberior ſit avarus,
n triviis fixum cùm ſe demittit ob aſſem,
Non video; nam qui cupiet, metuet quoque; porrò [801]
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum virtutis deſeruit, qui
Semper in augendâ feſtinat et obruitur re.
Vendere cùm poſſis captivum, occidere noli:
Serviet utiliter: ſine paſcat durus, arétque,

quod ſi *latere ſperes, fas & nefas attentabis.* Enimverò *quando à mille modiis fabarum unum furaris, injuria ſic mihi* quidem, *at non culpa minor* videtur. Nempe *vir* ille *honeſtus, quem forum univerſum & omnia tribunalia venerantur, quoties diis ſacrificat porcum aut bovem, poſtquam altâ vo*ce *pronunciavit Jane pater, vel Phœbe, labia commovet audiri timens, Præclara Laverna, tribue mihi* ut *latere* poſſim; *concede ut exiſtimer integer & innoxius: crimina caligine, dolos autem nubilo obvela.* Certè *haud intelligo, quâ ratione ſervo præſtantior aut liberior ſit avarus, quando in compitis ſe inclinat propter aſſem defixum. Etenim quiſquis appetet, etiam timebit; qui verò inter metum vitam ducit,* hunc *liberum nunquam cenſebo. Amiſit arma, ſtationem virtutis reliquit, quicunque in opibus amplificandis laborat atque opprimitur. Quandoquidem ſervum licet venundare, cave ne interficias: utile miniſterium exhibebit: permitte ut ærumnoſus* greges *paſcat,*

ANNOTATIONES.

genera timoris: unum, cui pudor junctus; quo timore bonum principem cives metuunt, & nos Deum timemus, & boni liberi parentes: alterum, cui comes odium; quali afficiuntur ſervi erga dominos aſperos.

56. *Damnum eſt, non facinus, &c.*] Legunt plerique.

Eſt damnum levius, ſed non facinus, tamen eſto. quod nec ſtylum Horatianum ſapit, nec reperitur in ullâ veteri membranâ.

57. *Vir bonus, omne forum, &c.*] Vir iſte bonus falsò à te & vulgo exiſtimatus.

60. *Labra movet metuens, &c.*] Videri vult rectè precari & orare ab Apolline vel Jano, ſed reverâ improbus improba precatur. Perſ. Sat. 2.

Mens bona, fama, fides: hæc clarè, & ut audiat hoſpes:
Illa ſibi introrſùm & ſub linguâ immurmurat: O ſi
Ebullit patrui præclarum funus, &c.

Laverna,] Dea, ſub cujus tutelâ erant fures, hinc laverniones dicti. Nomen vel à λαβεῖν *capere*, quaſi *Laberna*, mutato β in υ; vel à lavando, ſi *lavare* pro *furari*, veteres dixere: nam *levare* potiùs dixiſſe, alii affirmant: quod ſi ita eſt, *Laverna* dicta eſt, pro *Levarna*. Alii deducunt à λάφυρα, *ſpolia*, ut *Laverna* dicatur pro *Lapharna*, quòd minùs arridet. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 16. ſic ſcribit: *Lavernam furum Dea, in cujus loco, ut impunita eſſent furta, prædam fures ſortiri, & rapaciſſimum quemque immolare tradiderunt.* Huic erat ædes ſacra Romæ, & Lavernalis inde porta.

64. *In triviis fixum cum ſe demittit ob aſſem,* Cùm ad aſſem colligendum ſe inclinat, ac ludibrium ſubit puerorum, qui aſſem humi defigunt ad illudendum prætereuntibus. Perſ. Sat. 5. v. 111.

Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum.

67. *Perdidit arma, &c.*] Nihil militi eſt magis ignominioſum, quàm perdere arma, aut ſtationem deſerere. Senſus eſt: qui lucro avidè inhiat, ſanam perdidit mentem, quæ hominis eſt armatura adversùs errores, quibus ut hoſtibus ratio ejus felicitaſque impetuntur expugnanturque.

69. *Vendere cùm poſſis captivum, &c.*] Vel ita ratiocinari avarus eſt accipiendus, vel ſic interpretari licet: Quemadmodum non expedit ſervum occidere, quem vendere poſſumus; magiſque ſinendus eſt vivere, quia utilis ad multa erit; ſic ille avarus cupiditati ſervire permittendus eſt. Nec enim inutilis erit publicæ rei. Quippe ſi ad rem augendam negotietur, frumenta comportet, &c. *annonæ proderit*, eam viliorem faciendo; adeoque cives juvabit.

Naviget,

Naviget, ac mediis hiemet mercator in undis;
Annonæ proſit, portet frumenta penúſque,
Vir bonus et ſapiens audebit dicere, Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre patíque
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum. Tollas licet. In manicis et
Compedibus ſævo te ſub cuſtode tenebo. [802]
Ipſe Deus, ſimulatq; volam, me ſolvet. Opinor,
Hoc ſentit: Moriar. *Mors* ultima linea rerum eſt.

agros *colat, navigationem exerceat, ac negotiando hiemem in medio mari traducat; annonam promoveat, triticum & obſonia convehat.* Tandem *vir bonus & ſapiens non verebitur* ita *loqui: O Pentheu, rex Thebarum, quid me adiges innoxium ſuſtinere ac ſubire? Bonis ſpoliabo. Nimirum* auferes *greges, ſupellectilem, pecuniam. Aufer, potes. Manibus ac pedibus vinctum te retinebo ſub cuſtode ſæviſſimo. Ipſe Deus liberabit me, ubi primùm cupiam. Credo ego illum ita ſentire: Moriar: mors rerum omnium finis eſt.*

ANNOTATIONES.

73. *Vir bonus & ſapiens, &c.*] Vir reapsè bonus & ſapiens fortiter ſuam tuetur libertatem inter ipſa quoque vincula.

Pentheu, Rector Theb.] Dialogum inſtituit poëta, imitatus Euripidem in Bacchis, ubi inducitur Bacchus à Pentheo ligatus, nihilominùs audacter loqui, & conſtanti animo Penthei regis minas & vincula ſpernere. Hîc adumbrat Horatius virum verè ſapientem, quem nec metus, aut minæ, nec carcer, aut ulla vis ſervum efficere, aut à virtutis gradu valent depellere. De *Pentheo* lib. 2. Od. 19. De *Thebis* lib. 2. Sat. 5.

75. *Adimam bona.*] Cic. Parad. 1. *Nec tum ego dicam bona perdidiſſe, ſi quis pecus aut ſupellectilem amiſerit.*

78. *Ipſe Deus,*] Exſolvent me pater meus Jupiter, inquit Bacchus ad Penthea, apud citat. Euripid. Bacch. Act. 2.

Opinor, hoc ſentit:] Hæc Horatius: Credo ſapientem ita ſecum reputare: Quid grave tandem ac durum mihi poteſt accidere, quod metuam? quid me ſubigere & vincere valeat? Enimverò quibuſcunque ærumnis me exſolvet mors tandem, mors, inquam, rebus omnibus brevi finem impoſitura. Adde, quod corpus eſt animi carcer: ergò velut è carcere liberatur animus, quando per mortem corpore ſolvitur.

79. *Mors ultima linea rerum eſt.*] Metaph. vel à picturâ, vel à geometriâ. *Omnium mors eſt extremum.* Demoſth. Tull.

EPISTOLA XVII. Ad *SCÆVAM.*

Spernenda non eſt amicitia principum. Quomodo comparanda.

Quamvis, Scæva, ſatìs per te tibi conſulis, et ſcis, [803]
Quo tandem pacto deceat majoribus uti;
Diſce docendus adhuc, quæ cenſet amiculus, ut ſi
Cæcus iter monſtrare velit: tamen aſpice, ſi quid
Et nos, quod cures proprium feciſſe, loquamur.

O Scæva, quanquam ex temetipſo abunde ſapis, & noſti quâ demum ratione oporteat verſari cum magnatibus; adhuc tamen *erudiendus accipe, quæ exiſtimat parvus amicus* tuus; *velut ſi viam cæcus indicare tentet. Itaque adverte, ſi nos etiam aliquid dicamus, quod tuum facere ſtudeas.*

ANNOTATIONES.

1. *Quamvis, Scæva,*] Eſt hæc epiſtola gravis, elegans, erudita, callida, magnatum aſſectatoribus idonea.

Scæva,] Eques Romanus.

Per te tibi conſulis,] Alieno conſilio nequaquam egens. Sic leniter aſſentatur Horatius, ut animum præparet ad auſcultanda monita.

5. *Quod cures proprium feciſſe,*] Quod in tuam utilitatem vertas.

Si te grata quies et primam ſomnus in horam
Delectat; ſi te pulvis ſtrepitúſque rotarum,
Si lædit caupona; Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia ſolis;
Nec vixit malè, qui natus moriénſque fefellit.
Si prodeſſe tuis paulóque benigniùs ipſum [804]
Te tractare voles; accedes ſiccus ad unctum.
Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Ariſtippus. Si ſciret regibus uti,
Faſtidiret olus, qui me notat. Utrius horum
Verba probes et facta, doce; vel junior audi,
Cur ſit Ariſtippi potior ſententia. Namque
Mordacem Cynicum ſic eludebat, ut aiunt:
Scurror ego ipſe mihi, populo tu. Rectius hoc et
Splendidius multo eſt, equus ut me portet, alat rex.
Officium facio; tu poſcis vilia rerum,
Dante minor; quamvis fers te nullius egentem. [805]

Si te juvat tranquillum eſſe & dormire ad primam uſq; diei horam; ſi te offendit pulvis & curruum fragor, & caupona; ſuadebo ut pergas Ferentinum. Nec enim opulenti ſoli habent voluptatem; neque vixit infelix, qui natus & moriens latuit. At ſi tuis commodus eſſe cupias, teque ipſum aliquantò lautius habere; inops ad opulentum contendet. Si herbis veſci ſponte vellet Ariſtippus, haud magnates ſectaretur. Si cum magnatibus vivere noſſet is, qui me carpit, herbas reſpueret. Utrius iſtorum dicta factaque præferas, dic; vel junior auſculta, quamobrem melior videatur Ariſtippi ſententia. Etenim Cynicum dicacem ita refellebat, ut inquiunt: Ego mihi ipſe ſcurram ago, tu verò plebi. Atqui longè potius illud & honeſtius eſt, ut me vehat equus, & rex nutriat. Ego obſequium præſto; tu res viles petis, donante inferior; tametſi dicis nulla re indigere.

ANNOTATIONES.

6. *Primam in horam*] Uſque ad ortum ſolis, quæ prima eſt, & olim numerabatur, hora diei, naturalis videlicet.

7. *Pulvis*] Ob vehicula in urbe frequentia.

8. *Caupona*;] Ubi rixæ, pugnæ, contentiones, vociferationes, aliaque mala paſſim graſſantur.

Ferentinum] Parùm celebre oppidum Hernicorum. Synec. pro quovis alio ejuſmodi, in quo non ſunt eadem incommoda, quæ in magnis urbibus; ubi proinde quietam ducere vitam licet.

9. *Nam neque divitibus, &c.*] Imò tenuiores plerumque faciliùs vivunt quam divites.

10. *Nec vixit malè, &c.*] Epicurus dixerat λάθε βιώσας. Vitæ privatæ bona anteà non ſemel vidimus. Ovid. Triſt.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

12. *Accedes ſiccus ad unctum.*] Magnatum amicitiam, conſuetudinem, & familiaritatem requires, quorum ope tibi tuiſque utilis fias.

13. *Si pranderet olus, &c.*] Ariſtippus, Alexandri magni ſectator, aliquando invenit Diogenem olera lavantem ad cibum capiendum. Hic verò indignanti illi dixit: Si Ariſtippus oleribus ad victum, ut ego, contentus eſſet, profectò nollet ſerviliter obſequi regibus. Tum Diogeni reſpondit Ariſtippus: Si Diogenes ſciret uti familiaritate regum, certe olera faſtidiret, malletque, ut ego, principes ſectari.

14. *Ariſtip.*] De eo plura lib. 1. Sat. 3. &c.

18. *Mordacem Cynicum*] Cynici philoſophi ſectatores Antiſthenis, à caninâ mordacitate ſic appellati, quod in mores hominum nullo diſcrimine inveherentur. Quos inter eluxit Diogenes ille Cynicus, dolio ſuo, in quo degebat, celebris, victum in ſingulos dies emendicare ſolitus, hincq; dictus ἡμερόβιος. Alexandrum magnum inviſentem vix alloqui dignatus, eì ſe admirabilem præbuit. Ad annos propè nonaginta conſenuit. Plut. Laërt. Vide Juv. Sat. 14. v. 311.

19. *Scurror ego ipſe mihi,*] Ego meam ad utilitatem regibus me gratum præſto: tu verò te populo admirabilem exhibes per victum inopem & durum. Atqui quanto rex plebe eſt excellentior, tanto videtur melius regi quàm populo gratioſum eſſe. Ita cenſebat Ariſtippus, & cum eo noſter poëta. Vox *ſcurror* jam Sat. 2. lib. 2.

20. *Equus ut me portet, alat rex.*] Proverb. Græc. è Tragœdiâ quadam, inquiunt; in quâ juvenis militiæ aſcriptus, cùm ad petendam miſſionem impelleretur, abnuens reſpondit, ἵππος με φέρει, βασιλεὺς τρέφει. *equus me portat, rex alit:* quo ſcilicet oſtendebat benè ſibi eſſe.

21. *Officium facio; tu poſcis, &c.*] Ego me officioſum regibus exhibens, honeſtum victum nanciſcor; tu autem nullius egentem jactes licet, vilia tamen mendicans, te danti ſubjicis, quod multò eſt indignius.

Vilia rerum, Dante minor;] Sic habent optimi codices: quod elegantius, & magis Horatianum, quàm iſta,

——— *tu poſcis vilia, verùm es*
Dante minor, &c.

Omnis

Omnis Ariſtippum decuit color, et ſtatus, et res,
Tentantem majora, ferè præſentibus æquum.
Contrà, quem duplici panno patientia velat,
Mirabor, vitæ via ſi converſa decebit.
Alter purpureum non expectabit amictum;
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Perſonámque feret non inconcinnus utramque:
Alter Mileti textam cane pejùs et angue
Vitabit chlamydem. Morietur frigore, ſi non
Rettuleris pannum. Refer, et ſine vivat ineptus.
Res gerere, et captos oſtendere civibus hoſtes,
Attingit ſolium Jovis, et cœleſtia tentat.
Principibus placuiſſe viris, non ultima laus eſt.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Ariſtippum decuit quilibet habitus, & conditio, & fortuna. Quærebat meliora, ſed præſentibus contentus erat. E contrario, quem tolerantia duplici operit veſte, demirabor, ſi vitæ genus diverſum deceat. Alter non expectabit veſtem purpuream; & quácunque veſtitus ibit per loca maximè frequentata, nec illepidus ſuſtinebit hunc illumque habitum: alter Mileſiam chlamydem fugiet plus quàm *canem aut ſerpentem;* atque *necabitur frigore, niſi* ſuum *illi pannum reſtituas. Redde, & permitte* ut *vivat inſulſus.* Præclara *facinora exequi, & ſubactos hoſtes civibus exhibere, eſt aliquid poteſtati divinæ & cælo proximum. Neque mediocriter laudabile eſt demereri viros primarios. Non cuilibet datur Corinthum pervenire.*

ANNOTATIONES.

23. *Omnis Ariſtippum decuit color, &c.*] Laertio teſte, conformabat ſe Ariſtippus aptiſſimè ad omnem vitæ humanæ conditionem, ad locum, tempus, & perſonam ſeſe accommodans; dicebatque, turpe eſſe & nefas, non acquieſcere præſentibus, & plus ſemper appetere.

25. *Contrà, quem duplici, &c.*] Ariſtippus in omni ſtatu decorè ſe gerit, tam in opibus, quàm in inopiâ; at non ita Diogenes, qui inops quidem præclarè agit, at vix inter opes credam eum decoro & virtute acturum. Plato quidem ita de Ariſtippo ſentiebat.

Quem duplici panno patientia velat, &c.] Deſcriptio eſt ſeu periphraſis Diogenis Cynici, de quo Laërt. *Pallium, ut volunt quidam, primus duplicatum habuit in uſu, tum propter frigus tum ut eo ſe dormiens involveret.*

27. *Alter purpureum non exp. &c.*] Ariſtippus, ſi deſit veſtis purpurea, quâ uti ſolet, ſine morâ induet quamlibet viliorem, nec verebitur pannoſus prodire publicum. Contrà Diogenes pretioſum amictum omninò recuſabit; ac ſi defuerit viliſ ſibi confectus, nudus mallet conſiſtere, ac frigore confici.

29. *Perſonamque feret non inconc.*] Plutarch. Orat. 1. de fortunâ & virtute Alexandri; Ariſtippum mirantur, inquit, quòd tam vili pallio quàm Mileſiâ chlamyde utens, in utroque tuebatur perſonam ſuam.

30. *Alter*] Diogenes ſordidæ veſtis pluſculum tenax.

Mileti textam] Ex optimâ lanâ, è Mileto urbe Ioniæ versùs Cariæ fines, apud Aſiam minorem hodiè *Melaſſo*. Ubi molliores contextus olim chlamydes in matronarum deliciis habitas, teſtis Virg. Georg. 3. v. 306.

———— *Quamvis Mileſia magno*
Vellera mutentur, Tyrios incocta colores.

31. *Si non Rettuleris pannum.*] Aiunt Diogenem ab Ariſtippo invitatum ad balneas: ubi cum eſſent ſoli, prior Ariſtippus exiluit, ac Diogenis vile pallium induit, ſuumque purpureum ei reliquit. Tum verò pertinaciter repetere Diogenes quod ſuum erat, ac nudus remanere. Quem Ariſtippus increpavit ut nimiùm famæ ſervientem, & perpetuò algore malentem, quàm conſpici in purpureâ veſte ſibi inſolitâ.

32. *Refer, & ſine vivat ineptus.*] Præclarum ſchema.

Ineptus.] Non ut Ariſtippus, aptus & concinnus in quocunque fortunæ ſtatu & habitu; nec animo æquo omnia ſuſcipiens.

33. *Res gerere, &c.*] Hactenus oſtendit Horatius, laudabilius videri ſectari viros principes, quàm obſcurum & inopem vitam ducere. Jam dicit arduum eſſe cum principibus verſari, eorumque benevolentiam conſequi. Demum ad id quædam monita haud ſpernenda profert.

35. *Non ultima laus eſt.*] Prima ſit laus egregiam reip. navare operam, & præclarè geſtis rebus principatum aſſequi: ſecunda erit, ſummis viris, ac reip. clavum, aut primos in eâ gradus tenentibus placuiſſe, eorumque gratiam demereri.

36. *Non cuivis homini, &c.*] Hujus proverbii varia affertur origo. Alii ad magnas Corinthiorum opes & luxum referunt. Strabo. Alii ad Laïdem aliaſque meretrices nimio quæſtu famoſas. Gell. lib. 1. cap. 8. Alii optimè ad difficultatem adeundi portum Corinthiorum Iſthmi causâ geminum; unde bimaris *Corinthus* dicitur. Vide libr. 1. Od. 7.

Sedit,

Sedit, qui timuit ne non ſuccederet. Eſto.
Quid? qui pervenit, fecítne viriliter? atqui
Hic éſt, aut nuſquam, quod quærimus. Hic onus horret,
Ut parvis animis et parvo corpore majus:
Hic ſubit, et perfert. Aut virtus nomen inane eſt,
Aut decus et pretium rectè petit experiens vir.
Coram rege ſuo de paupertate tacentes,
Plus poſcente ferent. Diſtat, ſumáſne pudenter,
An rapias. Atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
Indotata mihi ſoror eſt, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis, nec paſcere firmus,
Qui dicit, clamat, Victum date. Succinit alter,
Et mihi dividuo findetur munere quadra.
Sed tacitus paſci ſi poſſet corvus, haberet
Plus dapis, et rixæ multo minus invidiæque.
Brunduſium comes aut Surrentum ductus amœnum,
Qui queritur ſalebras, et acerbum frigus, et imbres,
Aut ciſtam effractam, et ſubducta viatica plorat;

Quievit, qui metuit ne ſucceſſu careret. Eſto. At qui adiit, an ſtrenue ſe geſſit? Verùm enimvero quod petimus hîc ſtat, vel nuſquam exiſtit. *Ille fugit onus velut ſuperans animum & corpus imbecille: iſte ſubit & ſuſtinet.* Profectò *vel nomen vanum eſt virtus, vel peritus vir optimè quærit gloriam & præmium.* Ergo hæc animadverte. *Non querentes de inopiâ coram ſuo principe, plus conſequentur* quàm qui *petunt. Intereſt utrùm accipias verecunde, an extorqueas. Verùm tamen hæc ſumma & cardo rei eſt. Quiſquis ita loquitur: Sororem habeo ſine dote, matrem inopem, & prædium non facile vendi, nec* ſatis *alimenti præbens; is apertè dicit, Date cibos. Mox alter ſucclamat, Dividatur munus, ut etiam mihi pars diſtribuatur. Verum ſi corvus ſilens ederet, plus ciborum haberet, & longè minus rixarum & invidiæ. Porrò qui Brunduſium aut Surrentum comes aſſumptus conqueritur de* itineris *difficultate, de aſperitate frigoris, de pluviâ; vel deflet arcam ruptam, & viatica ſurrepta;*

ANNOTATIONES.

37. *Sedit qui timuit ne non ſuccederet, &c.*] Qui periclitari veretur, quoniam incertum exitum timet, is abſtinet à navigatione, vel quâlibet aliâ re grandi ſuſcipiendâ; deſeſque manet. Et is non reprehenſione dignus judicatur. Verùm qui non terretur difficultatibus, & laborem ultrò adit, remque exequitur, is ſanè viri fortis elogium meretur, & priore longe eſt laudabilior. Prolepſis eſt.

39. *Hic eſt, aut nuſquam, quod quærimus.*] In agendo viriliter conſiſtit ea vera laus & virtus quam quærere debemus, & de quâ modo diſputamus.

Onus horret,] Grave eſt ſanè magnatibus obſequi.

42. *Experiens vir.*] Magnum uſum habens rerum maximarum, & de iis recte judicans.

43. *Coram rege ſuo*] Jam præcipit quæ ſunt obſervanda apud viros primarios, ad gratiam eorum promerendam, obtinendumque *decus & precium*, id eſt, laudem pariter & præmia.

De paupertate tacentes, Plus poſcente ferent.] Quippe homo querulus fit importunus & odioſus. At qui modeſtè & tacitè feret aliquandiu ſuam pauperiem, patronum movebit ad opem ſibi largiùs impertiendam. Porrò ſi cum pudore ſumat, quæ dabuntur, nova indies dona novamque ſimul gratiam naneiſcetur.

45. *An rapias.*] Qui enim avide accipit aut poſtulat, velut inſatiabilis habetur; mox gradu excidit, & arcetur tanquam indecorè ſe gerens, indignuſque familiaritate nobilium.

Rerum caput et fons.] Hinc pendet omnis ratio captandæ magnatum benevolentiæ & gratiæ, ſi ſtudeas & ſcias cum potentioribus decenter verſari.

49. *Quadra.*] Vel panis fruſtum, vel lanx edulia continens. Juven. Sat. 5. *Alienâ vivere quadrâ.* Virg. Æneid. 7. *Nec parcere quadris.* Hæc ergo vox ſignificat tum placentam, tum catinum quadratæ figuræ. Metonymia eſt.

50. *Sed tacitus paſci, &c.*] Vel alludit ad apologum de corvo prædam nacto, quam vulpes crocitatione accita dolo intercepit; vel ad communem avium morem, quæ voce ſtrepunt cùm ad cibum accedunt; quod ſi tacerent, *plus haberent dapis*, non accitis garritu conſortibus.

52. *Brunduſium*] Urbs eſt Salentinorum maritima, de quâ jam lib. 2. Sat. 5. in fine.

Surrentum] Hæc urbs Picentinorum ad mare vino generoſo celebrata eſt lib. 2. Sat. 4. Ovid. Metam. 5.

Et Surrentinos generoſo palmite colles.

Nota-

Nota refert meretricis acumina, ſæpe catellam, [808]
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis veríſque doloribus adſit.
Nec ſemel irriſus triviis attollere curat
Fracto crure planum, licèt illi plurima manet
Lacryma; per ſanctum juratus dicat Oſirim,
Credite: non ludo: crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.

ille imitatur ſolitam meretricum aſtutiam, quæ modo catellam, modò periſcelidem amiſſam lacrymantur; adeo ut poſthac non credantur veræ jacturæ & lacrymæ. Et verò qui ſemel illuſus eſt, haud ſatagit erigere fraudulentum ruptâ tibiâ, quamvis abundantes fletus emittat, & ſacrum Oſirim conteſtatus clamet: Fidem habete: minimè jocor: ô inhumani debilem erigite. Huic enim vicini *ſtrenuè reſpondent:* Heus, *peregrinum invoca.*

ANNOTATIONES.

55. *Catellam.*] Vel parvum canem, quem in deliciis habebat; vel potius, monile muliebre, ut ſi diminutivum à cetenâ.

56. *Periſcelidem*] Cruris vinculum & ornamentum: *περὶ circum, τὰ σκέλη crura* vel *genua.* Gall. *Jarretiere.* Periſcelides ſunt ornamenta crurum mulierum, ſive armillæ pedum, quibus earum greſſus ornentur, inquit Iſidorus.

57. *Nulla fides damnis*] Sic ille querulus exploditur; ejuſque dolor et fletus apud patronum ficti habentur, nihilque muneris obtinent.

59. *Fracto crure planum*] πλάνος *fallax, impoſtor, nebulo:* quâ etiam voce utitur Cicero pro Cluentio, n. 72. *Hic ille planus improbiſſimus quæſtu judiciario paſtus.* Erat nempè quidam illuſor in triviis lamentari ſolitus, quaſi fractum crus eſſet, ut in vehicula tolleretur: cui, cùm aliquando id mali verè contigiſſet, haud etiam tum fides habita eſt; & fracto genu debilem nemo ſublevabat, quoniam anteà ſæpius illuſerat.

60. *Oſirim,*] Ægyptiorum deum; qui hîc præcipuè nominatur, ſeu quod planus iſte indicare vellet ab Oſiride irato immiſſum ſibi crurifragium; ſeu potius, quia Oſiris, velut alter Æſculapius, credebatur ægris mederi. Vide Plutarch. de Iſide & Oſiride. Diodor. Sic. &c.

62. *Quære peregrinum,*] Quære hominem imperitum, qui neſciat fraudes tuas & illuſiones, ut ei imponas, nobis enim jam perſpecti ſunt doli & joci tui.

Rauca.] Præ altâ vociferatione & reclamandi contentione.

EPISTOLA XVIII. Ad *LOLLIUM.*

Quæ ſint amici officia. Quid animo tranquillitatem conferat.

SI benè te novi, metues, liberrime Lolli, [809]
Scurrantis ſpeciem præbere, profeſſus amicum.
Ut matrona meretrici diſpar erit atque
Diſcolor, infido ſcurræ diſtabit amicus.
Eſt huic diverſum vitio vitium propè majus:
Aſperitas agreſtis, et inconcinna, graviſque,
Quæ ſe commendat tonsâ cute, dentibus atris,

Si benè cognoſco te, Lolli maximè liber, cavebis imitari ſcurram, te exhibens amicum. Sicut matrona differt à ſcorto, ita amicus à fallace ſcurrâ. Huic vitio eſt aliud oppoſitum fere pejus: nimirum duritia quædam *fera, inurbana, ſevera, quæ ſe oſtentat tonsâ pelle, & nigris dentibus,*

ANNOTATIONES.

1. *Si benè te novi, &c.*] Idem fere eſt argumentum hujus epiſtolæ, quod præcedentis.

Lolli,] Ad hunc inſcriptam jam vidimus ſuprà Epiſtolam 2. item Od. 9. lib. 4. Vide etiam poſteà Epiſt. ult. huj. lib. v. nlt.

2. *Scurrantis ſpeciem*] Ut potentiorem ineas amicitiam, nec adultationibus graſſabere, nec in contrarium impinges vitium moribus feris, aſperis, agreſtibus, nimiùm ſeveris: vitabis ſcurrilitatem pariter & gravitatem inconcinnam.

3. *Diſpar atque Diſcolor,*] Diſpar omninò, tam habitu quam moribus diſſimilis.

7. *Tonsâ cute, dentibus atris,*] Vel ſqualore hirſuti corporis (nam quæ tondentur, hirſuta

Dum vult libertas mera dici, veráque virtus.
Virtus eſt medium vitiorum, et utrinque reductum.
Alter in obſequium plus æquo pronus, et imi
Deriſor lecti, ſic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, et verba cadentia tollit; [810]
Ut puerum ſævo credas dictata magiſtro
Reddere, vel partes mimum tractare ſecundas.
Alter rixatur de lanâ ſæpe caprinâ;
Propugnat nugis armatus: ſcilicet, ut non
Sit mihi prima fides; et verè quod placet, ut non
Acriter elatrem, pretium ætas altera ſordet.
Ambigitur quid enim? Caſtor ſciat, an Docilis plus:
Brunduſium Numici melius via ducat, an Appî.
Quem damnoſa Venus, quem præceps alea nudat; [811]

dum vult exiſtimari integra libertas, & ſincera virtus. Virtus media eſt inter vitia, hinc & illinc recedens. Alter obſequentior, velut ſcurra infimi thori, ita potentis nutum religioſè veneratur, ita dicta repetit, & voces cadentes attollit, ut putes diſcipulum recitare dictata à duro præceptore, vel hiſtrionem partes ſecundas agere. Alter jurgatur ſæpe de lanâ caprinâ, armaque ſumit pro nugis. Nempe, inquit, *ut cætera mihi fides non habeatur; ut non audacter proferam quod prorſus libet, reſpuam ego mercedem ſecundæ ætatis. Enimverò quâ de rè quæſtio eſt?* Scilicet, *utrum Caſtor, an Docilis peritior exiſtat: Utrùm via Numicia, an Appia rectiùs perducat Brunduſium? Quem ibido pernicioſa & alea præcipitans deſpoliat;*

ANNOTATIONES.

ioſaque ſunt) vel potius agreſti mordacitate & dicacitate amicum radendo ad cutem, & urè paſſim caſtigando; quaſi ea ſit loquendi ibertas, ac vera virtus.

9. *Utrinque reductum.*] Ab utroque extremo emota eſt virtus.

10. *Alter in obſequium*] Aſſentator divitibus micis nimis obſequitur.

Imi Deriſor lecti,] Paraſitus in infimo lecto el in ſubſellio accumbens aut aſſidens, riſum iviti propinans inter epulas. Plaut. Stich. *cis me dudum eſſe imi ſubſelli virum.* Vide b. 1. Sat. 4. v. 86. & lib. 2. Sat. 8. v. 41.

11. *Horret,*] Admiratione & veneratione. irgil. Æneid. 6. v. 10.

—— *Horrendæque procul ſecreta Sibyllæ:*

eſt, ſacrum horrorem ſummamque veneraonem incutientis.

12. *Verba cadentia tollit;*] Quicquid loquitur res ille amicus, ſcurra velut eximium mirar ac repetit, nec finit elabi & cadere ſine nirabundis exclamationibus. Epiſtola ad ſones, v. 428.

. . . *Clamabit enim, Pulchrè, benè, rectè!*
Palleſcet ſuper his: etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem; ſaliet, tundet pede terram.
Deriſor vero plus laudatore movetur.

13. *Ut puerum ſævo,* &c.] Sicut diſcipulus itare jubetur dicta vel dictata à magiſtro, mpe ut memoriæ infigantur.

14. *Vel partes mimum tractare ſecundas.*] Mis nempe ſecundarius ſolet vocem & actionem a operâ extenuare, ut primus actor magis ceſcat, & *quam maximè excellat;* ut ait Cicero Ver. 1. Vide lib. 1. Sat. 9. v. 46. ibique annot.

15. *Alter rixatur de lanâ,* &c.] Agreſtis reprehenſor, *vitio prope majori,* altercatur graviſſimè de rebus levioribus: ſicut ille quondam, utrùm lanas an pilos ſetaſve capra habeat. Proverbium eſt.

16. *Scilicet, ut non Sit mihi prima fides,* &c.] Ita ille graviter, ſed inconcinnè & inſulsè: Liberè, inquit, loquar ſemper, & quodcunque libuerit: neque hanc libertatem perdere velim quovis pretio, etiamſi vita diuturnior ac nova ætas offeratur.

19. *Caſtor an Docilis*] Ambo gladiatores, vel pantomimi, ut alii dicunt.

20. *Brunduſium.*] De ea urbe lib. 1. Sat. 5. & Epiſt. præced.

Numici via, an Appî.] Utra via meliùs ducat Brunduſium. Atqui nihili ſunt iſtæ lites & controverſiæ. Sunt qui corrigant *Minuci,* metri gratiâ; ſed perperam: de poeticâ licentiâ rixari eſt.

21. *Damnoſa Venus,*] Vide lib. 1. Sat. 2. &c.

Præceps alea] Brevi aleatorem redigens ad inopiam. Perſ. Sat. 5. v. 55. *Hunc alea decoquit:* vel *præceps* indicat ſtudium aleæ vehemens & pertinax, quod ſummos etiam viros tenuit. Sueton. Octav. cap. 71. *Aleæ rumorem nullo modo expavit: luſitque ſimpliciter & palam oblectamenti causâ etiam ſenex.* Ubi & Auguſtus de ſe ſic ſcribit: *Luſimus per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus . . . Ego perdidi viginti millia nummûm,* &c. Id. Claud. cap. 33. *Aleam ſtudioſiſſime luſit: de cujus arte librum quoque emiſit: ſolitus etiam in geſtatione ludere, ita eſſedo alveoque adaptatis, ne luſus confunderetur.* Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 21. Aleâ taxillorum nempe jactu delectati ſunt, inquit, Portius Cato, Augu-

Gloria quem ſupra vires et veſtit, et ungit;
Quem tenet argenti ſitis importuna faméſque,
Quem paupertatis pudor & fuga; dives amicus,
Sæpe decem vitiis inſtructior, odit et horret:
Aut ſi non odit, regit; ac veluti pia mater,
Plùs quàm ſe ſapere, et virtutibus eſſe priorem
Vult, et ait propè vera: *Meæ* (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes: tibi parvula res eſt.
Arcta decet ſanum comitem toga. Deſine mecum
Certare. Eutrapelus cuicunque nocere volebat,
31 [312]
Veſtimenta dabat pretioſa. Beatus enim jam
Cum pulchris tunicis ſumet nova conſilia et ſpes;
Dormiet in lucem; ſcorto poſtponet honeſtum
Officium; nummos alienos paſcet: ad imum,
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu ſcrutaberis ullius unquam,
Commiſſúmque teges, et vino tortus et irâ.
Nec tua laudabis ſtudia, aut aliena reprêndes;
Nec, cum venari volet ille, poëmata panges.
Gratia ſic fratrum geminorum, Amphionis atque

quem faſtus excedens facultates veſtit, & lautè nutrit; quem occupat gravis pecuniæ cupiditas; qui abhorret ab inopiâ; hunc amicus opulentus multò vitioſior frequenter execratur & averſatur: vel ſi non odio habet, moderari vult, *atque ut bona parens, optat ſapientiorem ſe eſſe, & virtutibus ſuperiorem, dicitque* quod *ferè verum eſt: Ne conere mihi exæquari: divitiæ meæ inſanire me permittunt: tu mediocres facultates nactus es. Prudenti aſſeclæ convenit toga anguſtior. Ne contende par eſſe mibi. Eutrapelus,* ſi *quem peſſumdare cupiebat,* ei *pretioſas veſtes tribuebat. Etenim,* inquiebat, *ſplendidus nova propoſita & ſtudia cum præclaris veſtibus ſuſcipiet; ad diem* uſque *dormiet, meretricem decoræ occupationi præferet, nummos aliorum nutriet; denique gladiator fiet, vel equum olitoris pacto pretio circumducet. Tu ne cujuſquam ſecretum expiſcari velis unquam; creditum verò ne revela, ſeu vino, ſeu irâ pertenteris. Neque tua ſtudia laudabis, aut vituperabis aliena; & cùm ille venatum ire cupiat, tu verſus non proferes.* Nam *ſic diſſoluta eſt amicitia duorum fratrum, Amphionis &*

ANNOTATIONES.

ſtus, Domitianus, Claudius:——inter reliquos Theodoricus Gothorum rex, qui cùm in alea vinceret, fertur indulgentiſſimus fuiſſe: unde momenta illa promerendis gratiis captare domeſtici conſueverant. Sidonius de Theodorico ſic teſtatur: *Quibus horis tabula cordi eſt, teſſeras colligit rapidè, inſpicit ſolicitè, volvit argutè, mittit inſtanter, jlocalariter compellat, patienter expectat: in bonis jactibus tacet, in malis ridet, in neutris iraſcitur, in utriſque philoſophatur ——putes illum & in calculis arma tractare. Sola eſt illi cura vincendi. Cùm ludendum eſt, regiam ſequeſtrat tantiſper ſeveritatem, hortatur ad ludum, libertatemque, communionemque: dicam quod ſentio, timet timeri,* &c. Vide & annotat. ad Od. 24. lib. 3. ſub finem.

22. *Gloria quem,* &c.] Qui ſuperbas veſtes & lautas nimium epulas amat.

28. *Meæ Stultitiam patiuntur opes:*] Ingentes opes poſſidenti mihi licet, quod minimè tibi non ita locupleti. Luxuriari poſſim ego impunè, tu vero nequaquam.

29. *Stultitiam patiuntur opes:*] Ariſt. Rhet. 2. *Stultas eſſe divitias* ſcribit. Iſocrates Areopag. *Cum potentibus ambulat amentia,* inquit.

30. *Arcta decet ſanum comitem toga.*] Vel, ut magis ſplendeat dives ampliori togâ veſtitus, cum tu arctiorem habens comitaberis; vel, quòd, ſicut iter facienti moleſta ſit toga laxior, ita verum bonum impediunt opes majores. Vid. Epod. 4.

31. *Eutrapelus cuicunque,* &c.] Ariſtot. *Multis,* inquit, *Deus largitur felicitatem, non per benevolentiam, ſed ut in calamitates incidant graviores.* Sunt qui velint notari Volumnium Eutrapelum Antonii familiarem, cujus meminit. Cic. tum in Epiſt. tum Philip. 13.

35. *Nummos alienos paſcet:*] Alienam pecuniam grandi fœnore accipiet, atque ita paſcet augebitque.

36. *Thrax erit,*] Plerique gladiatores è Thracia erant. Libro. 7. Sat. 6. v. 44.

Olitoris aget mercede caballum.] Ad vile quodlibet ſervitium & miniſterium adigetur egeſtate & paupertate.

37. *Arcanum neque tu,* &c.] Suſpectus enim & inviſus fit, quiſquis ita curioſè ſcrutari vult aliorum res & arcana.

38. *Vinò tortus & irâ.*] His ſiquidem homines explorantur, quòd ut plurimùm bene poti & irati quidlibet effutiant.

41. *Gratia ſic fratrum,* &c.] Amphionis & Zethi concordia dirempta & diſſoluta e

Zethi,

Zethi, diſſiluit, donec ſuſpecta ſevero
Conticuit lyra. Fraternis ceſſiſſe putatur
Moribus Amphion. Tu cede potentis amici [813]
Lenibus imperiis; quotieſque educet in agros
Ætolis onerata plagis jumenta, canéſque,
Surge, et inhumanæ ſenium depone Camœnæ,
Cœnes ut pariter pulmenta laboribus empta.
Romanis ſolemne viris opus, utile famæ,
Vitæque, et membris; preſertim cùm valeas, et
Vel curſu ſuperare canem, vel viribus aprum
Poſſis. Adde, virilia quòd ſpecioſiùs arma
Non eſt qui tractet. Scis quo clamore coronæ
Prælia ſuſtineas campeſtria. Denique ſævam
Militiam puer, et Cantabrica bella tuliſti
Sub duce, qui templis Parthorum ſigna refixit;
Et nunc, ſi quid abeſt, Italis adjudicat armis.
Ac, ne te retrahas, et inexcuſabilis abſis,
Quamvis nil extra numerum feciſſe modúmq; [814]
Curas, interdum nugaris rure paterno.
Partitur lintres exercitus: Actia pugna

Zethi, donec cithara aſpero inviſa ſiluit. Ut autem *Amphion narratur ceſſiſſe indoli fratris,* ſic *tu morem gere æquis deſideriis amici opulenti:* & *quotieſcumque in agros proferet canes* & *jumenta Ætolis retibus onuſta, exurge,* & *ſeverioris Muſæ gravitatem abdica, ut ſimul comedas obſonia labore comparata.* Hoc enim *ſolemne eſt Romanis ſtudium, famæ utile,* & *vitæ,* & *corpori; maximè cum ſis validus,* & *queas canem curſu, viribus aprum vincere. Adde, quod nemo eſt, qui decentiùs tractet arma viris apta. Nôſti quibus circumſtantium acclamationibus obeas exercitationes campi* Martii. *Denique tu juvenis duram militiam* & *Cantabrica certamina confeciſti ſub imperatore, qui Parthorum templis abſtulit vexilla* noſtra, & *nunc poteſtati Romanorum adjungis, ſi aliquid deeſt. Ne verò* talia *relinquas;* & hinc *receſſiſſe culpêris, quanquam ſtudes nihil agere indecorè* & *perperàm;* quippe *in villâ patris quædam ludicra moliris.* Scilicet *partis naviculis pugnatur: te auctore certamen Actiacum*

ANNOTATIONES.

diſſimilibus eorum ſtudiis, cum alter philoſophiæ & muſicæ totus vacaret, alter ab iſtis alienus agreſtes & ruſticos mores ſequeretur. De Amphione lib. 3. Od. 11. Cic. 1. De Orat. *Miror cur philoſophiæ, ſicut Zethus ille Pacuvianus, propè bellum indixeris.* Ad Heren. n. 43. *Uti apud Pacuvium Zethus cum Amphione, quorum controverſia de muſicâ,* &c.

43. *Conticuit lyra.*] Amphion Zetho fratri obſequens, lyræ ſtudium & uſum ſponte abjecit, ſicque amicitiam reſarſit. Sic tu amici potentis voluntati obſequere; & cùm venationem molietur, cave ne muſarum ſtudia intempeſtivè obtrudas.

46 *Ætolis onerata plagis*] Ætolia regio Achaiæ in Epiri confinio. In hâc erat Calydon urbs, cujus regi Oeneo irata Diana immiſit aprum terribilem, non Calydoniæ ſolùm, ſed & totius Ætoliæ agros devaſtantem. At Meleager Oenei filius validis illum plagis irretitum interfecit. Hinc Ætolæ plagæ velut optimæ celebrantur, ponunturque per Synecd.

48. *Pulmenta laboribus empta.*] E prædâ venando captâ. Quid propriè pulmentum, dixi Libro 2. Satira 2. v. 20.

49. *Romanis ſolemne viris opus,*] Venatio nempe, ut Græcis trochi & diſci ludus. Vide Libro 3. Od. 24. Libro 2. Sat. 2.

Utile famæ, Vitæque & *membris;*]. Agitatio corporis & exercitatio valetudini prodeſt; roburque confert, & hinc famam fortitudinis.

52. *Specioſiùs*] Decentiùs quàm tu, Lolli, vel, quàm venator quilibet.

54. *Prælia campeſtria.*] De his lib. 1. Od. 8.

55. *Cantabrica bella*] Vide ſuprà Epiſtolam 19, item lib. 2. Od. 6. & lib. 3. Od. 8.

56. *Qui templis Parthorum ſigna refixit;*] Signa Rom. Craſſo erepta à Parthis, Auguſto reſtituta, Libro 4. Od. 15.

58. *Ne te retrahas.*] Ne ab exercitationibus campi Martii te diu removeas.

59. *Extra numerum*] Metaph. à ſaltatoribus. Id eſt, imperitè, ineptè, inconſideratè, perperam.

60. *Nugaris rure paterno.*] Ludicra prælia inſtituis apud villam paternam, in quâ diverſaris.

61. *Partitur lintres exercitus:*] Ut ſint duæ velut adverſariæ claſſes, quæ naumachiam exhibeant, maximè vero pugnam illam navalem, quâ Auguſtus Antonium debellavit, profligavitque apud Actium. De his lib. 1. Od. 37. & Epod. 1. & 9.

Te duce per pueros hoſtili more refertur.
Adverſarius eſt frater: lacus Adria: donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protinus ut moneam (ſi quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro, et cui dicas, ſæpe videto.
Percontatorem fugito; nam garrulus idem eſt;
Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures;
Et ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum.
Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puérve
Intra marmoreum venerandi limen amici; [815]
Ne dominus pueri pulchri, caræve puellæ
Munere te parvo beet, aut incommodus angat.
Qualem commendes, etiam atque etiam aſpice, ne
Incutiant aliena tibi peccata pudorem. (mox
Fallimur, et quondam non dignum tradimus. Ergo
Quem ſua culpa premet, deceptus omitte tueri,
Ut penitùs notum. Si tentent crimina, ſerves,
Tuteriſque tuo fidentem præſidio: qui
Dente Theonino cùm circumroditur, ecquid
Ad te pòſt paulò ventura pericula ſentis?
Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet:
Et neglecta ſolent incendia ſumere vires.

exhibetur per adoleſcentes hoſtium ad inſtar dimicantes. *Frater tuus adverſarii perſonam agit: lacus eſt* velut *mare: donec expedita victoria alterutrum coronet frondibus.* Certè Auguſtus, *qui ſuis te ſtudiis convenire intelliget, approbabit vehementer ludicra iſta. Ut au*tem *admonere te pergam (ſi quidem monitore opus habes) diligenter adverte, quid de unoquoque viro, & cui loquaris. Devita percontatorem, qui profectò eſt loquax: neque aures apertæ fideliter ſervant credita. Atqui vox prolata celeriter abit, nec poteſt revocari. Nec in ædibus amici potentis deperéas ancillam aut puerum, ne herus pulchri pueri vel puellæ adamatæ remuneret te exiguo dono, vel parùm benignus cruciet. Sedulò expende, quem commendabis; ne paulò pòſt alterius delicta probrum tibi faciant. Decipimur, & nonnunquam indignum commendamus. Quem igitur maculabit ſuum vitium, cave ne illuſus defendas velut planè cognitum.* Si verò quiſpiam *calumniis impetatur, propugna & protege auxilio tuo confiſum: qui cùm impugnatur morſibus invidorum, an non ſentis imminere tibi* ſimile *diſcrimen? Etenim tu periclitaris, quando flagrant vicinæ ædes. Neglecta verò incendia gliſcere conſueverunt.*

ANNOTATIONES.

62. *Per pueros*] Dion. lib. 50. narrat pueros Romæ præſignificâſſe Antonii cladem. Nimirùm diviſi inter ſe pugnârunt; cum alii ſe Antonianos, alii Cæſarianos dicerent. Biduo conflixerunt. Tandemque victi ſunt, qui Antoniani vocabantur.

63. *Lacus Adria:*] Lacus ruri paterno vicinus, inſtar eſt Adriatici maris. De hoc lib. 1. Od. 16. & lib. 2. Od. 11.

64. *Alterutrum*] Te, vel fratrem.

Velox victoria] Plutarchus, Florus, aliique referunt celerrimam fuiſſe Actiacam victoriam: vel ſpectat poëta victoriæ naturam, quæ fere *velox* eſt.

66. *Fautor utroque tuum laud.*] Auguſtus, cui ſic velificaris: vel, potentior amicus.

Utroque pollice] Impenſiſſimè, valde comprobabit. Pollice nimirùm compreſſo favor, inverſo condemnatio indicabatur olim. Plin. lib. 28. cap. 2. Juvenal. Sat. 3. v. 36.

69. *Percontatorem fugito;*] Inſidioſum indagatorem rerum & ſecretorum tuorum. Suprà monuit, res aliorum non eſſe indagandas; hîc monet, ab indagatore curioſe & ſubdolo cavendum.

75. *Angat.*] Adamatum puerum aut puellam tibi denegando.

80. *Ut penitùs notum:*] Hoc alii jungunt cum præcedentibus hoc ſenſu: Cave ne quemquam temerè commendes, neve quem vitiis aut criminibus occultis inquinatum pertinaciter tuearis, velut penitùs tibi nota & perſpecta ſit ejus innocentia. Nam ſæpiùs decipimur. Alii ſic: Si quem deceptus improbum commendaſti, deſere, nec tuearis; ut defendas alium quempiam tibi penitùs notum, ſi criminationibus inceſſatur; ſerveſque & tuteris innocentem ope tuâ fidentem & nixum.

82. *Dente Theonino*] Theon fuit maledicentiſſimus, ut aiunt, poſt Aceronem.

84. *Paries cùm proximus ardet:*] Æn. 2. v. 311.

——— jam proximus ardet
Ucalegon ———

Dulcis

Dulcis inexpertis cultura potentis amici;
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto eſt,
Hoc age, ne mutata retrorſum te ferat aura.
Oderunt hilarem triſtes, triſtémque jocoſi; [816]
Sedatum celeres, agilem gnavúmque remiſſi.
Potores bibuli mediâ de luce Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
Nocturnos jures te formidare vapores.
Deme ſupercilio nubem. Plerumque modeſtus
Occupat obſcuri ſpeciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges, et percunctabere doctos,
Quâ ratione queas traducere leniter ævum:
Ne te ſemper inops agitet vexétque cupido;
Ne pavor, et rerum mediocriter utilium ſpes:
Virtutem doctrina paret, naturane donet:
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum,
Quid purè tranquillet; honos, an dulce lucellum, [817]

Imperito jucunda eſt obſervantia divitis amici, at peritus formidat. Tu, dum tua navis in alto eſt, ad hoc labora, ne te ventus contrarius retro abripiat. Mœſti lætum, mœſtum feſtivi, tardum citi, lenti promptum & alacrem non amant. Qui Falernum uſque ad mediam noctem compotare ſolent, odio proſequuntur eum, qui propinatos calices recuſat, etſi affirmes te metuere vapores nocturnos. Excute fronte triſtitiam: ſæpe moderatus ſeveri ſpeciem habet, & taciturnus inhumani. In omnibus conſule peritos, & perquire, quo pacto ſuaviter poſſis vivere: ne te perturbet aut cruciet cupiditas ſemper egens; vel metus, vel deſiderium rerum non omninò neceſſariarum. Utrùm eruditio an natura virtutem conferat: quid diminuat ſolicitudines: quid te tibi amicum efficiat: quid veram tranquillitatem tribuat; an *dignitates, an ſuave lucrum,*

ANNOTATIONES.

86. *Dulcis inexpertis, &c.*] Qui non expertus, clientelam vel obſequium amici potentis credit facilia & dulcia eſſe omnia; at qui expertus eſt, quanta ſint in eâ re incommoda, longè aliter ſentit.

87. *Tu, dum tua navis, &c.*] Allegoria eſt aptiſſima. Tu, dum gaudes benevolentiâ principis, vide ne ab eâ excidas. Nam ob levem offenſionem hoc ſæpe accidit, & mutabilis omnino eſt potentium favor. Plaut. Pœn. Sc. 11.

Verùm ita ſunt iſti noſtri divites:
Si quid benè facias, levior plumâ eſt gratia:
Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.

89. *Oderunt hilarem triſtes, &c.*] Indolis, morum, & ſtudiorum ſimilitudo parit amicitiam ac neceſſitudinem; contra diſſimilitudo alienationem, & odium.

93. *Nocturnos vapores.*] Al. *tepores*, id eſt, calores vini, vel febres. Meliùs alii *vapores* vini caput petentes afficienteſque, noctu preſertim, atque ſomnum, & quietem impedientes.

94. *Deme ſupercilio nubem.*] Euripid. Hippolyt. ὀφρύων νέφος. Cic. in Piſ. *frontes nubeculam*, id eſt, faſtum, ſeveritatem, ægritudinem mentis, &c. Plin. l. 11. cap. 37. *Frons homini tantùm index triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeveritatis. In aſcenſu ejus ſupercilia pariter & alternè mobilia: & in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maximè indicant faſtum. Superbia alibi conceptaculum, ſed hîc ſedem habet. In corde naſcitur: huc ſubit, hic pendet. Nihil altius ſimul abruptiuſque invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet.*

98. *Inops cupido.*] Avarus enim ſemper eget, dum tam ei deeſt quod habet, quàm quod non habet.

100. *Virtutem doctrina paret, &c.*] Quæſtio eſt a veteribus agitata plurimùm. Tullius in Partit. Orat. *Quonam pacto virtus pariatur; naturâne, an ratione, an uſu.* Pro Archia poeta ſic cenſet: *Sæpius ad virtutem, naturam ſine doctrinâ, quàm ſine naturâ valuiſſe doctrinam.* At optime Ariſtoteles in lib. Ethic. ad Nicomach, ait, Virtutes morales à naturâ inchoatas doctrinâ & uſu perfici.

101. *Quid minuat curas,*] Nempe ſi paucis contentus vivas, ſi nihil cupidiùs appetas, ſi nihil humani à te alienum putes.

Quid te tibi reddat amicum,] Tibi ſi vera bona compares, virtutes ſcilicet, verè amicus tibi eris.

102. *Quid purè tranquillet;*] Non certè *honos* aut *lucrum*: nam hæc *famam importunam*, & *novam* indies *ſitim* afferunt ſecum, ut eſt ſupra verſu 24. Quid ergo? horum contemptus: *nil conſcire ſibi*, &c. quæ alibi poëta noſter haud ſemel aſſeruit. Præclarè Cic. De finib. l. 1. n. 50. *Sapientiam, temperantiam, fortitudinem, copulatas eſſe docui cum voluptate, ut ab eâ nec divelli nec diſtrahi poſſint. Sic de juſtitiâ judicandum eſt,*

an vitæ genus & ratio latens & occulta. Quoties verò cunque recreat me Digentia frigidus rivus, potum ſuppeditans Mandelæ vico valde algenti; quid ſentire, quid exoptare me putas, ô amice? Nempe ut maneat mihi quod habeo, vel etiam minus; ut mihi impendam quod vitæ reſtat, ſi quid amplius Dii largiantur: ſit librorum copia, & annona ad annum parata: neve anceps hæream expectatione temporis incerti. Sufficit iſta à Jove poſtulare, qui dat & adimit; tribuat vitam & facultates; at mihimet ipſe animum æquabilem præſtabo.

An ſecretum iter, et fallentis ſemita vitæ.
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugoſus frigore pagus;
Quid ſentire putas, quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc eſt, etiam minus; et mihi vivam
Quod ſupereſt ævi, ſi quid ſupereſſe volunt Di:
Sit bona librorum et proviſæ frugis in annum
Copia: neu fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ.
Hæc ſatis eſt orare Jovem, qui donat et aufert:
Det vitam, det opes; æquum mî animum ipſe parabo.

ANNOTATIONES.

quæ non modò nunquam nocet cuique, ſed contra ſemper alit aliquid tum vi ſuâ atque naturâ, quod tranquillet animos; tum ſpe nihil earum rerum defuturum, quas natura depravata deſiderat: quemadmodum temeritas, libido, ignavia ſemper animum excruciant ac ſolicitant, turbulentæque ſunt, &c.

102. *An ſecretum iter, &c*] Vita privata. Vide Epiſt. præced. v. 10, ibique annot.

Fallentis ſemita vitæ.] Allegoriam petè, ſi vis, lector, cum quibuſdam, à viatoribus callidis, qui paucis cognitas ineunt ſemitas, vel compendioſiores, vel minimè latronibus infeſtas. Sic qui vitam agunt privatam, tuti ſunt à curis, incommodis, periculis; quibus conflictantur quotquot rempub. capeſſunt.

103. *Me quoties reficit, &c.*] Cum ſeceſſu & quiete, meque ipſo fruor in villâ meâ Sabinâ, quam rigat Digentia amnis, aquas præbens oppidanis Mandelæ pagi. De his jam Epiſt. 16.

105. *Rugoſus frigore pagus;*] Ubi pagani præ frigore rugis contrahuntur. Vide Epiſt. 16.

107. *Mihi vivam.*] Tandem liber à tumultu, à negotiis officiiſque urbanis. Vide Epiſt. 7.

111. *Hæc ſatis, &c.*] Bona externa.

112. *Æquum mî animum ipſe parabo.*] Cic. 3. De nat. Deor. *Judicium hoc omnium mortalium eſt, fortunam à Deo petendam, à ſeipſo ſumendam eſſe ſapientiam.* Juven. Sat. 10. ſub finem:

Monſtro quod ipſe tibi poſſis dare: ſemita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.

EPISTOLA XIX. Ad *MÆCENATEM.*

Vitioſam imitandi rationem damnat.

O Mæcenas erudite, ſi fidem habes veteri Cratino, nulla poëmata diu placere vel celebrari queunt ab aquæ potoribus condita. Poſtquam ſu-

Priſco ſi credis, Mæcenas docte, Cratino, [318]
Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus. Ut male ſanos

ANNOTATIONES.

1. *Priſco ſi credis,*] Poëtaſtri quidam vino indulgebant pluſculùm: idque jactabant facere ſe exemplo veterum poëtarum, Cratini, Homeri, Ennii: quaſi bonum carmen pangere nequirent, niſi qui Baccho pleni eſſent. Adverſus hanc ſententiam pugnat ſoleenter hic noſter vates, & Eubulus apud Athen. lib. 2. cap. 6.

Cratino,] Is à Suidâ valde bibax & vinoſus extitiſſe traditur: à veteri autem ſcholi tantæ fuiſſe ebrioſitatis, ut ſoleret immejere in pelles, ſupra quas recumbebat. Ariſtophanes eum pariter deridet velut ebrioſum & ſubmejulum. Athen. lib. 2. cap. 3. *Vinum lepido poëtæ equus velociſſimus. Si potantur aquæ, nihil egregium produxis. Cratinus hoc dixit, cùm non utrem unum redoleret, ſed potiùs dolium integrum.* Epigramma eſt Nicerato attributum. Vide annot. lib. 1. Sat. 4.

3. *Ut male ſanos Adſcripſit Liber Satyris*] Hæc Cratinus, & quæ ſequuntur. Ex quo Bacchus poëtas vini calore concitatos, velut ſuo numine plenos, aſcripſit Satyris ac Faunis.

Adſcripſit

Adſcripſit Liber Satyris Fauniſque poëtas,
Vina ferè dulces oluerunt manè Camœnæ.
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus:
Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda. Forum Putealque Libonis [819]
Mandabo ſiccis: adimam cantare ſeveris.
Hoc ſimul edixit, non ceſſavere poëtæ
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? ſi quis vultu torvo ferus, et pede nudo,
Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem; [820]
Virtutemne repræſentet moreſque Catonis?

...rentes poetas Bacchus annumeravit Satyris & Faunis. Muſæ ſuaves vinum ſæpius oluerunt matutino tempore. Homerus vinum laudans ebrioſus extitiſſe *notatur. Antiquus ipſe Ennius nunquam niſi temulentus prorupit ad canenda bella. Sobriis committam forum & Puteal Libonis: abſtemiis auferam condendi verſus* facultatem. *Statim ut id pronunciavit, cœperunt vates noctu vinum certatim* bibere, *diurno fætere. Verum ſi quiſpiam ſeverâ fronte gravis nudis pedibus, & brevis togæ uſu Catonem exhibeat, num* proinde *Catonis referat mores ac virtutem?*

ANNOTATIONES.

4. *Satyris Fauniſque*] Diis agreſtibus, bibacibus quidem & vinoſis. De Satyris, lib. 1. Od. 1, lib. 2. Od. 19. De Faunis, lib. 1. Od. 4. lib. 2. Od. 17. lib. 3. Od. 18.

5. *Vina ferè dulces oluerunt*] Ipſæ Muſæ ſobriæ non fuerunt. Vide Plutarch. Sympoſ. lib. 7. cap. 8, 9, 10.

6. *Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus:*] Iliad. 6. &c.

7. *Ennius*] De eo lib. 1. Sat. 10. *pater* ob antiquitatem. Æſchylus pariter inter Græcos nunquam niſi ebrius ad ſcribendum ſe accingebat. Alcæus etiam φίλοινος notatur. Athen. lib. 10.

8. *Forum*] Res forenſes.

Puteal Libonis] Locum ſeu tribunal, ubi jus dicebat prætor in Rom. foro, conſtitutum a Libone. Vide lib. 2. Sat. 6. v. 35.

9. *Adimam cantare ſeveris.*] Carmina præclarè ſcribere interdictum ſit iis omnibus, qui Bacchi munere factus non erit entheus & furens. Non videtur hic aproſdionyſon, quod monuit Tibullus lib. 3. Eleg. 6.

——*poſcite Bacchi*
Munera——

Jam venit iratus nimiùm nimiúmque ſeveris.
Qui timet irati numina magna, bibat.

Ubi legunt vulgo *ſeverus*. Attamen credam ego reponendum *ſeveris*, id eſt, ſobriis: multo ſenſu meliori. Quo notantur, non qui convivia fugerent, ſed potiùs qui inter aliorum compotationes & crebras invitationes, ebrietatem aſtutè & callidè vitarent. Vid. Epiſt. præced. v. 91.

Poteres bibuli mediâ de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula, &c.

10. *Hoc ſimul edixit,*] Magna controverſia, quis *edixit*; an Liber, an Ennius, an Cratinus. Pro Cratino facit, quod de eo ante annotatum eſt. Torrentius, ex vet. cod. legit *edixi*; ut ipſi oratio tribuatur, velut prætorianum hoc edictum. Placet quibuſdam conjectura Heinſii tranſpoſitâ unâ literulâ legentis, *edixti*, pro edixiſti; ut ad Mæcenatem referatur. Sed optima eſt lectio, *edixit*: ſoluſque optimè Liber edixiſſe intelligitur, utpote deus poëſeos & poëtarum.

Non ceſſavere poëtæ Nocturno, &c.] Diu noctuque vino ſe ingurgitârunt, ut egregia moliri poëmata viderentur.

11. *Nocturno certare mero,*] Romæ frequens hoc erat bibonum certamen vigilem pergræcando noctem ducentium. Et qui ſic pervigilâſſent ſtrenuè, præmium accipiebant placentam. Jul. Pollux, Athen. lib. 14. ſchol. Ariſtoph. Equit.

Putere diurno.] De die *crapulam exhalantes*, ut ait Tull. Sic quidem luxurioſi quaſcunque horas compotationibus idoneas habebant. At viri graves & occupati non adibant cœnam, niſi veſperi & ad lucernas. Unde Alcæus ita queritur, ſe ipſe vinoſum arguens in Epigrammate: Πίνωμεν, τί τὸν λύχνον ἀμμένομεν; *Bibamus: quid lychnum expectamus?*

12. *Quid? ſi quis vultu, &c.*] Refellit Horatius opinionem antè allatam. Qui Cratinum imitatur in vitioſâ ipſius bibacitate, non proinde poëticam ejus virtutem aſſequetur; ſicut qui habitûs ſqualorem, aut vultûs ſeveritatem Catonis imitabitur, non continuò mores ejus optimos habebit, &c. Ergo boni exemplaris non vitia, ſed virtutes oportet æmulari.

Pede nudo,] Cato Uticenſis ſine calceis & ſine togâ prodibat in publicum; imo & prætor ſic ad roſtra veniebat, judicia exercebat, interdum etiam bene pranſus & potus. Plutarch.

13. *Exiguæque togæ textore*] Breviori togâ vilis texturæ, ſicut Epiſt. 1. ait, *Curtatus inæquali tonſore capillos*, pro, inæquali tonſurâ. Quod è vili plebeculâ quempiam decuiſſet, non vero patricium & nobilem, Lucanus Catonem illum Uticenſem canit; *Hirtam Romani more*

Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua,
Dum ſtudet urbanus tenditque diſertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile. Quòd ſi
Pallerem caſu, biberent exſangue cuminum.
O imitatores, ſervum pecus, ut mihi ſæpe
Bilem, ſæpe jocum veſtri movêre tumultus!
Libera per vacuum poſui veſtigia princeps:
Non aliena meo preſſi pede. Qui ſibi fidit,
Dux, regit examen. Parios ego primus iambos
Oſtendi Latio, numeroſque animoſque ſecutus [821]
Archilochi, non res, et agentia verba Lycamben.
Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quòd timui mutare modos et carminis artem:
Temperat Archilochi muſam pede maſcula Sappho,
Temperat Alcæus: ſed rebus et ordine diſpar,
Nec ſocerum quærit, quem verſibus oblinat atris,
Nec ſponſæ laqueum famoſo carmine nectit.
Hunc ego, non alio dictum priùs ore, Latinis

Hyarbitam perdidit ſua lingua Timagenem æmulata, cum lepidus & eloquens videri cuperet. Fallit exemplar vitiis imitabile. Enimverò *ſi fortè pallidus forem, potarent cuminum* ſuccum *pallere facientem.* *O imitatores ſtolidi & ſerviles, quam ſæpe agitationes veſtræ excitârunt mihi indignationem & riſum!* *Ego verò primus intuli pedem in vacua* ſpatia, *nec ſecutus ſum* veſtigia *alterius. Qui confidit ſibi, turmam ducit & gubernat. Ego prior iambos protuli apud Latinos, Archilochi Parii metrum & virtutem imitatus, non autem materiam & dictiones Lycamben adigentes* ad ſuſpendium. *Neque verò me propterea minoribus coronas frondibus, quoniam veritus ſum immutare numeros ac metri legem.* Nam *Archilochi poeſim verſu mitigat Sappho virilis, etiamque Alcæus: at diſſimilis ſententiis & diſpoſitione, nec petit ſocerum acerbo carmine proſcindendum, nec ſponſæ reſtim parat verſibus contumelioſis. Hunc à nullo alio antea celebratum, ego lyrâ canens Latinis oſtendi.*

ANNOTATIONES.

Quiritis induxiſſe togam. Sunt qui legant, *teſquiro*, id eſt, ſqualore, inquiunt.

15. *Rupit Hyarb. &c.*] Alii ſcribunt *Iarbitam*, ab Iarbâ rege Africani litoris. Hyarbita ignobilis, ac vix nomine notus quidam, volens imitari ſales & dicacitatem Timagenis, ſemet perdidit, ut ille, petulantem ejus linguam æmulatus velut urbanam & diſertam.

Timagenis] Hic rhetor fuit Alexandrinus, ex aliis Ægyptius, ſub Pompeio magno Romam adductus à Gabinio captivus, redemptus à Fauſto Syllæ filio; rhetoricam docuit ad tempora Auguſti. Demum ob maledicentiam urbe ejectus, in prædio Tuſcalano diem ſuum obiit. Suidas.

17. *Decipit exemplar vitiis imitabile.*] Præclarum exemplar quodlibet vix omnino vitiis caret; & ſtultum imitatorem decipit, qui non quod perfectum, ſed quod fortè vitioſum ineſt, imitari ſolet.

18. *Biberent exſangue cuminum.*] Poëtaſtri noſtri, inquit Horatius, ſi pallidò eſſem vultu, pallorem ſibi procurarent, ut æmulari me in cæteris etiam crederentur, paremque mihi poëſeos facultatem adipiſci. Vide Dioſcorid. lib. 3. cap. 18. Plin. lib. 20. cap. 14. *Cuminum pallorem bibentibus gignit. Ita certè ferunt Porcii Latronis clari inter magiſtros dicendi aſſectatores ſimilitudinem coloris ſtudiis contracti imitatos, &c.* Perſ. Sat. 5. v. 55.

——*Pallentis grana cumini.*

21. *Libera per vacuum, &c.*] Ego lyricam poëſim Latinam primus tentavi, ſine ullo exemplari mihi propoſito. *Vacuum*, locum a nemine occupatum. Vide Od. ult. lib. 3. & lib. 4. Od. 3.

23. *Regit examen.*] Metaph. ab apibus. Lyricorum ego princeps aliis deinceps exemplum præbebo.

Parios ego primus iambos Oſtendi Latio,] Iambos etiam verſus Latinè ſcripſi primus, ad inſtar Archilochi Græcorum iamborum inventoris, ex inſulâ Paro oriundi. De hoc lib. 1. Od. 19.

25. *Archilochi,*] De iſto poetâ jam antè in Epod. 6. & poſtea in Epiſt. ad Piſon. v. 79.

Lycamben.] Socerum, de quo cit. Epod. 6.

28. *Temperat Archilochi, &c.*] Archilochi aſperitatem temperavi ſuavitate Alcæi & Sapphonis. Scilicet jambi ſatis acres Epodarum temperantur Alcaicis & Sapphicis Odarum.

Maſcula Sappho,] Hæc nempe dicitur virilem adepta virtutem, quòd ſe præcipitârit ex eo ſaltu, unde viri tantum ſolebant ſe jaculari, præ amoris impatientia. Hinc Auſon. Eidyl. 6. v. 25.

Et de nimboſa ſaltum Leucate minatur
Maſcula Leſbiacis Sappho peritura ſagittis.

29. *Alcæus:*] Vide lib. 1. Od. 32. & lib. 2 Od. 13. ubi etiam de Sapphone.

30. *Socerum*] Lycamben.

31. *Sponſæ.*] Neobulæ Lycambes filiæ, quæ ſe quoque poſt patrem laqueo peremit. Epod. 6.

32. *Hunc*] Archilochum, quem ante Horatium, nemo Latinorum fuerat imitatus.

Vulgavi

Vulgavi fidicen. Juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculiſque legi, manibuſque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuſcula lector
Laudet ametq; domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor
Impenſis coenarum, et tritæ munere veſtis. [822]
Non ego nobilium ſcriptorum auditor et ultor
Grammaticas ambire tribus, et pulpita dignor.
Hinc illæ lacrymæ. Spiſſis indigna theatris
Scripta pudet recitare, et nugis addere pondus,
Si dixi: Rides, ait, et Jovis auribus iſta
Servas. Fidis enim manare poëtica mella
Te ſolum, tibi pulcher. Ad hæc ego naribus uti
Formido; et luctantis acuto ne ſecer ungui,
Diſplicet iſte locus, clamo, et diludia poſco.
Ludus enim genuit trepidum certamen, et iram; [823]
Ira truces inimicitias, et funebre bellum.

Et gaudeo nova proferens oculis ingeniorum perlegi, & manibus contrectari. Porrò *ſi ſcire cupis, cur lector iniquus mea carmina collaudet atq; in pretio habeat domi* quidem, *foris,* autem *improbè vituperet,* nempe *ego levis plebeculæ approbationem non quæro ſumptuoſis cœnis, & donanda veſtes detritas. Auctorum ego illuſtrium auditor & cenſor non dignor prenſare grammaticorum familias & ſuggeſta.* Inde veniunt *iſtæ querimoniæ. Si dicam, Pudet recitari carmina* mea *frequentibus theatris indigna, & nugas oſtentare:* mox aliquis *inquiet, Deriſor es, & Jovis auribus hæc reſervas. Quippe te unum producere mellita carmina confidis, tibimet præclarus. Ad iſta ego timeo exhibere ſannam; ac ne proſcindar acerbo ungue contendentis, locum iſtum devito, vociferor, & dilationem poſtulo. Etenim ludus gignit trepidationes, pugnas, indignationes; indignatio verò acerba odia, & bellum lugubre.*

ANNOTATIONES.

37. *Non ego ventoſæ, &c.*] Idcirco mihi invidiam creant, quia laudes & approbationem non capto, ut alii plerique, per munera & cœnas aſſentatoribus datas. Perſ. Sat. 1.

——Calidum ſcis ponere ſumen:
Scis comitem horridulum tritâ donare lacernâ.

Martial.

Quid tam grande Sophos clamat tibi turba togata?
Non tu, Pomponi, cœna diſerte tua eſt.

Vide poſtea Epiſt. ad Piſ. v. 419.

Ut præco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Aſſentatores jubet ad lucrum ire poëta
Dives agris, &c.

39. *Auditor*] Juvenal. Sat. 1.

Semper ego auditor tantùm?

Ultor] Optimorum auctorum errata notando & caſtigando, nulli per adulationem parcendo. Quidam interpretantur, mea ſcripta viciſſim recitando. Juvenal. cit.

——Nunquamne reponam?

Prior interpretatio magis ad rem. Nam mox ait, *Non ambire pulpita dignor.*

40. *Grammaticas ambire tribus,*] Ut ſcripta mea diſcipulis ſuis dictent & proponant ediſcenda. Perſ. Sat. 1. v. 29.

Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe,
Pro nihilo pendas?

Pulpita] E quibus recitentur carmina mea à grammaticis, vel à meipſo. De hac Romanorum ambitioſâ recitatione Perſius cit. & nos ibidem non pauca.

41. *Hinc illæ lacrymæ, &c.*] Terentianus iſte locus ex Andria in proverbium abiit; eoque utitur etiam Tullius pro M. Cœlio: *Hinc illæ lacrymæ: & hæc cauſa eſt omnium ſcelerum.*

42. *Nugis addere pondus,*] Velut eximium quiddam alte & graviter pronunciando res leviculas.

43. *Ait,*] Quiſpiam invidus.

Jovis.] Auguſti. Virgil. Eclog. 1. de eodem.

——Deus nobis hæc otia fecit.

44. *Fidis enim manare, &c.*] Unum te credis edere ſuavia poëmata.

45. *Tibi pulcher.*] Ipſe tibi videris præſtare cæteris omnibus: nullumque tibi parem exiſtimas.

Naribus uti] Naribus corrugatis indignationem vel deriſionem ſignificare timeo, ne ejuſmodi hominis iram in me concitem. Perſ. Sat. 1.

——Rides, & nimis uncis
Naribus indulges——

Vide ſupra lib. 1. Sat. 6. & lib. 2. Sat. 8.

47. *Iſte locus.*] Theatrum pulpita.

Diludia] Ludorum dilationem: id eſt, ſpatium intermiſſionemque, ad accuratiùs emendanda quæ ſcripſi, antequam vulgentur. Quod luculenter admonet Epiſtola ad Piſones. Metaphora eſt à gladiatorio ludo. Nam intra dies pugnæ deſtinatos, ſpatium concedebatur gladiatoribus, ut ſe ad certandum melius compararent. Malim ego tamen cum doctiſſimo Salmaſio legere, *deludia,* & ludendi ceſſationem & finem interpretari.

48.] *Ludus enim, &c.*] Climax eſt Ludus certamen, certamen iras, ira inimicitias, hæ bellum generant aliquando funebre & luctuoſum.

EPI-

EPISTOLA XX. Ad *LIBRUM SUUM.*

O liber, ut video, reſpicis Vertumnum & Janum: nempe ut venalis fias Soſiorum pumice expolitus. Claves fugis, & ſigilla verecundo grata: doles exhiberi paucis, & magni pendis divulgari, minime ſic educatus. Perge quo ire cupis: redire non licebit tibi vulgato. Tum verò: *Quid infelix egi, quid petii? inquies, quando te non nemo proſcindet. Noſti verò te in arctum compingi, cum* lector primò *avidus,* mox *faſtidioſus negligit. Quòd ſi non inſanit augur odio delinquentis, Romæ in pretio eris, uſquequò te juventus deficiat. Cum autem vulgi manibus tritus negligi incipies, vel clàm nutries blattas inutiles, vel ablegaberis Uticam,* vel *obligatus deportaberis Ilerdam.* Tunc *ridebit caſtigator non auditus, velut ille, qui aſinum non obedientem iratus impulit in præcipitium.*

Vertumnum Janúmque, liber, ſpectare videris [124]
Scilicet ut proſtes Soſiorum pumice mundus.
Odiſti claves, et grata ſigilla pudico:
Paucis oſtendi gemis, et communia laudas,
Non ita nutritus: fuge quò deſcendere geſtis:
Non erit emiſſo reditus tibi. Quid miſer egi?
Quid volui? dices, ubi quis te læſerit: et ſcis
In breve te cogi, plenus cùm languet amator.
Quòd ſi non odio peccantis deſipit augur, [125]
Carus eris Romæ, donec te deſerat ætas.
Contrectatus ubi manibus ſordeſcere vulgi
Cœperis; aut tineas paſces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus, ut ille,
Qui malè parentem in rupes protruſit aſellum

A N N O T A T I O N E S.

1. *Vertumnum*] Per proſopopæiam librum ſuum à publico deterret, ob imminentia pericula.

Vertumnum Janumque,] Hi dii præſidere vendentibus ementibuſque credebantur: & ad eorum ſtatuas ac templa erant tabernæ bibliopolarum. De Vertumno lib. 2. Sat. 7. De Jano lib. 2. Sat. 3. & 6.

Spectare videris:] In lucem prodire vis, & publice vendi.

2. *Soſiorum pumice mundus.*] Pellibus integebantur libri: pelles autem pumice lævigari, exæquari, expoliri ſolebant. *Pumex,* lapis cavernoſus, quo rudia & áſpera complanantur. Vide Plin. l. 36. c. 21. *Soſii* fratres erant bibliopolæ inſignes: unde hîc antonomaſticè nominatur.

3. *Odiſti claves, &c.*] Tædet incluſum reſidere: amplius in arcâ domi contineri non vis.

5. *Non ita nutritus:*] Non eo conſilio tamen ſcriptus, ut prodires in publicum.

Diſcedere] Al. *Deſcendere,* ſcil. è collibus in Thuſcum vicum ad imum Cælii montis, apud Velabrum, ubi Vertumnus ædem habebat; & plures erant tabernæ, librariorum præſertim.

6. *Non erit emiſſo reditus*] Cum ſemel emiſſus & vulgatus fueris, non poteris ad me redire, ut expurgeris erratis, quæ in te fortaſſe notabuntur.

7. *Scis In breve te cogi, &c.*] Scis in anguſtiam & diſcrimen redigi te, cum jam aſpernari incipit, qui prius diligebat. Alii ſic: ſcis te contrahi & complicari; vel, non integrum te legi, ſed quædam pervolvi duntaxat, & pleraque præteriri à lectore defeſſo & languente.

9. *Quòd ſi non odio, &c.*] Si non omnino fallor, ſi bene auguror, primò quidem novitate celebraberis, ac ſenſim in faſtidium incurres. Sic enim ferè fit.

12. *Tineas paſces*] Neglectum & projectum exedent tineæ & blattæ. *Taciturnus,* obſcurus & deſpectui habitus; jam tacentibus de te hominibus.

13. *Fugies Uticam,*] Tanquam exilio mulctatus, ſermone Romanorum haud amplius celebris.

Uticam.] Urbs eſt Africæ, Catone minori nobilitata; in quâ nimirum ſibi mortem ille conſcivit, & ab eâ dictus Uticenſis. Vide lib. 1. Od. 12. & lib. 2. Od. 1.

Vinctus mitteris Il.] Veluti captivus. Ex te fient mercium aut literarum involucra Ilerdam mittendarum. Olim epiſtolas chartis intectas obligari obſignarique mos erat. Alii legunt, *unctus,* optimo cenſu. Nam ſalſamenta, garum, piper, thus, aliaque ejuſmodi bene multa involvi ſolent chartis inutilibus. Vide l. 2. Ep. 1 in fine. Catull.

Et laxas ſcombris ſæpe dabunt tunicas.

Perſ. Sat. 1. v. 43.

Nec ſcombros metuentia carmina, nec thus.

Ilerdam,] Hæc urbs v. *Lerida,* Hiſpaniæ Tarraconenſis, ſive Cataloniæ, ad Sicoris fluvium. Ejus ita meminit Lucanus, lib. 4.

Fundata vetuſta
Surgit Ilerda manu, placidis prælabitur undis.

15. *Qui male parentem*] Quidam ruſticus aſinum cernens ad præcipitem rupem obſtinatè con-

Iratus:

atus: quis enim invitum ſervare laboret?
oc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
ccupet extremis in vicis balba ſenectus.
ûm tibi ſol tepidus plures admoverit aures; [826]
Ie libertino natum patre, et in tenui re
Majores pennas nido extendiſſe loqueris:
Jt quantum generi demas, virtutibus addas.
Ie primis urbis belli placuiſſe domique;
orporis exigui, præcanum, ſolibus aptum,
raſci celerem, tamen ut placabilis eſſem.
'ortè meum ſi quis te percunctabitur ævum;
Ie quater undenos ſciat impleviſſe Decembres,
ollegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

ecquis enim cavetur invitum ſervare? Illud etiam tibi continget, ut ſenex balbutiens te adhibeat docendis pueris primas literas ultimis in vicis. Cumque ſol tepeſcens plures auditores tibi præbuerit, dices me libertini patris filium, quamvis non opulentum, extendiſſe alas ultra nidulum: ſcilicet *ut* tantum *addas virtuti, quantum detraxeris origini.* Narrabis *gratioſum fuiſſe me Romæ optimatibus* tam *in bello* quàm *in pace; staturâ brevi, canum ante* tempus, *aprico gaviſum, iracundum, ſed mitigari facilem. Quòd ſi quiſiam à te inquirat meam ætatem; diſcat me quater undecim hyemes decurriſſe, quo anno Lollius Lepidum collegam ſortitus eſt.*

ANNOTATIONES.

tendere, retrahebat pro viribus: at pertinax beſtia renitebatur: tum iratus ille aſinum impulit quo tendebat, detruſitque in præcipitium.

17. *Ut pueros elementa docentem Occupet, &c.*] Ut atteraris vili manu ſenis cujuſpiam balbi, pueros doceas elementa. Juvenalis pariter notat miſeram hanc ſortem cum Virgilii tum noſtri Horatii, Sat. 7. v. 226.

——Cum totus decolor eſſet
Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, &c.

Vide, ſi vacet, quæ ibi pridem annotavi.

18. *Extremis in vicis*] Ludimagiſtri ſcholam habere amant in triviis, in quæ incidunt ac deſinunt plures vici, loco nempe maximè frequentato. Vel Horatius deſignat vilem magiſtrum in remotiſſima urbis regione habitantem.

19. *Cùm tibi ſol tepidus, &c.*] Cùm verò non pueri tantùm, ſed & alii plures ad te audiendum confluxerint, dum fervet æſtus: vel ſub veſperam, & ſole jam deferveſcente, cùm dictata diſcipulis traduntur.

20. *Me libertino natum patre, &c.*] Multa de me tum narrabis, ex obſcurâ origine evaſiſſe in præclarum nomen ac ſplendorem, &c.

Libertino natum patre,] Vide libro 1. Sat. 6.

21. *Majores pennas nido extendiſſe*] Natalium ac generis ignobilitatem illuſtrâſſe me nobilibus ſcriptis.

23. *Primis urbis.*] Mæcenati, Auguſto, Pollioni, &c.

24. *Corporis exigui,*] Lib. 2. Sat. 3. v. 308.

——Longos imitaris, ab imo
Ad ſummum totus moduli bipedalis.

25. *Iraſci celerem, tamen ut, &c.*] Cic. ad Attic. lib. 1. Epiſt. 14. ſcribit, *Irritabiles eſſe animos optimorum ſæpe virorum, eoſdemque placabiles: & eſſe hanc agilitatem mollitiemque naturæ plerumque bonitati tribuendam.*

27. *Quater undenos, &c.*] Annos ætatis quatuor & quadraginta compleviſſe, cum conſulatum inirent Lollius ac Lepidus; anno ſcil. U. C. 732. Nam Horatius natus erat, L. Manlio Torquato & L. Aurelio Cotta Coſſ. an. U. C. 688. ut dictum eſt lib. 3. Od. 21.

28. *Collegam Lepidum, quo, &c.*] M. Lollius virtute ſingulari & Cæſaris gratiâ adeptus conſulatum, geſſit laudabiliter cum Q. Æmilio Lepido. Dio. lib. 34. Ad eum ſunt Epiſt. 2. & 18. & lib. 3. Od. 9.

Q. HORATII

Q. HORATII FLACCI EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I. Ad *AUGUSTUM.*

Optimum maximumque principem mirâ ſolertiâ collaudat. De poëſi multa refert, & vetera duntaxat æſtimantes redarguit. Demum Cæſaris in poëtas benevolentiam ſtimulat.

CUM tot ſuſtineas et tanta negotia ſolus, [217]
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem, [218]
Si longo ſermone morer tua tempora, Cæſar.
Romulus, et Liber pater, et cum Caſtore Pollux,
Poſt ingentia facta, deorum in templa recepti,
Dum terras, hominumq; colunt genus, aſpera bella
Componunt, agros aſſignant, oppida condunt;
Ploravêre ſuis non reſpondere favorem
Speratum meritis. Diram qui contudit hydram,
Notáque fatali portenta labore ſubegit,

INTERPRETATIO.

Quandoquidem, ô Auguſte, portas unus molem *tot tantarumque rerum, Italiam armis defendis, inſtitutis exornas, legibus corrigis,* ego ſanè *peccarem adverſus utilitatem publicam, ſi prolixâ epiſtolâ interpellem occupationes tuas* graviores. *Romulus & Bacchus, Caſtor atq; Pollux, poſt magna facinora admiſſi in deorum fana, dum in terris verſantur cum hominibus, difficilia bella conficiunt, agros diſtribuunt, urbes ædificant; doluerunt gratum animum non exhiberi meritis ſuis parem. Qui ſævam occidit Hydram, & benè cognita monſtra periculorum pleno labore perdomuit,*

ANNOTATIONES.

1. *Cum tot*] Epiſtolam hanc ſane eximiam expreſſit Auguſtus ab Horatio, cùm ad eum ſcripſiſſet his verbis: *Iratum me tibi ſcito, quòd non in pleriſque ejuſmodi ſcriptis mecum potiſſimùm loquaris. An vereris, ne apud poſteros infame tibi ſit, quòd videaris familiaris nobis eſſe?* Nempe legerat Sermones Horatii Cæſar, ſuique nullam in eis factam mentionem ægrè ferebat. Antea verò jam Seculare carmen imperaverat ſcribere, item Vindelicam victoriam privignorum ſuorum Tiberii ac Druſi Neronum, Odarumque l. 4. Suet. in vita Horatii.

Suſtineas] Summus princeps alios quidem adhibet in conſilium, at ſolus imperii molem ſuſtinet.

Solus,] Diſcuſſis jam factionibus, victo Lepido, Antonio profligato.

2. *Res Italas*] Rom. Imperii ſplendorem.

Moribus] Optimis inſtitutis, rectâque diſciplinâ, quibus mores optimè formantur.

3. *Legibus emendes;*] Cic. Philip. 1. *Lex eſt recta, & à numine deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibens contraria.* Sueton. Oct. 32, 34. &c. utiliter ab eo ſancita pleraque commemorat: & cap. 27. etiam in triumviratu *recepiſſe morum legumque regimen perpetuum.*

5. *Romulus,*] Quatuor primi verſus inſtar proœmii ſunt: jam Auguſtum extollit ſupra heroes maximos, per comparationem. Vid. l. 1. Od. 1.

Liber Pater,] Indorum victor, animumque curis liberans, &c. De hoc alibi.

Caſtore Pollux,] De his Od. 3. & 12. lib. 1.

6. *Deorum in templa recepti,*] In deorum numerum adſciti.

7. *Aſpera bella Componunt,*] Multa in homines beneficia conferentes.

8. *Agros aſſignant,*] Colonias deducendo vel mittendo, agroſq; urbibus adjacentes iis diſtribuendo.

9. *Ploravere ſuis non reſpondere, &c.*] Queſti ſunt, quòd parùm grati populi haud pares ſuis meritis honores deferrent.

10. *Diram qui contudit hydram,*] Hercules duodecim laboribus exantlatis clarus, quos celebrat Lucret. init. l. 5. Vide l. 2. Od. 3. & l. 4. Od. 4.

Non hydra ſecto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem, &c.

11. *Fatali*] Erat in fatis, non aliter inferendum cœlo Herculem, quam debellatis monſtris.

Comperit

Comperit invidiam ſupremo fine domari.
Urit enim fulgore ſuo, qui prægravat artes
Infra ſe poſitas: extinctus amabitur idem.
Præſenti tibi maturos largimur honores, [829]
Jurandáſque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum aliàs, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hoc populus ſapiens et juſtus in uno,
Te noſtris ducibus, te Grajis anteferendo,
Cætera nequaquam ſimili ratione modóque
Æſtimat, et, niſi quæ terris ſemota, ſuiſque
Temporibus defuncta videt, faſtidit et odit.
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinq; viri ſanxerunt, fœdera regum [830]
Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annoſa volumina vatum,

cognovit invidiam ſolâ morte vinci. Nam ſplendore ſuo accendit, qui inferiorem induſtriam opprimit; & ipſe verò mortuus diligetur. Viventi tibi cultum deferimus tempeſtivum, araſq; erigimus, ad quas jurabitur per nomen tuum, profitentes nihil par tibi extitiſſe, nihilque futurum unquam. Verùm tuus ille populus in unâ re juſtus & ſapiens, nempe quod te imperatoribus Romanis Græciſque præfert, non æquè benè judicat de aliis rebus: ſcilicet *negligit atque aſpernatur* omnia, *præterquam quæ terris abſtracta dudumque præterita: adeò vetuſta probans, ut tabulas delinquere prohibentes, à decemviris conſtitutas, fœdera regum Romanorum ſeu apud Gabios, ſeu cum ſeveris Sabinis compoſita, jus pontificale, antiqua vatum prædicta,*

ANNOTATIONES.

12. *Invidiam ſupremo fine domari.*] Non ante mortem: mox rationem ejus rei ſubdit Quintil. Declam. *Res inter initia urunt: at livor morte ſolvitur.*

13. *Urit enim fulgore, &c.*] Qui cæteris præcellit, horum excitat invidiam, quia videntur ſibi ab eo deprimi. At cùm fato eſt functus, jam virtus ejus ab invidis etiam colitur, ampliùs non metuentibus viventis fulgore perſtringi & obrui.

15. *Præſenti tibi, &c.*] Tu, Cæſar, vivus etiam in deliciis es, invidiamq; viciſti: quod eſt prorsùs ſingulare. Nempe tua magnitudo cuncta ſupergreditur: invidia verò non reperitur niſi inter æmulos & ferè æquales. Adeoque ſolus honores divinos adeptus vel dum hîc inter nos degis.

Præſenti] Lib. 3. Od. 5.

Præſens divus habebitur Auguſtus.

Maturos] Jam viventi debitos. Servius ad Ecl. 1. *Auguſtus templa vivus meruit*, inquit, citatque hunc Horatii locum. Propert. l. 3. Eleg. 4.

Arma deus Cæſar dites meditatur ad Indos.

16. *Jurandaſque*] Aram tenentes jurabant olim.

Tuum per nomen] Theod. Marcilius vult, *Tuum per numen*. Sed tantundem eſt.

Ponimus aras,] Vide lib. 4. Od. 5. item Dion. l. 15. ubi refert edictum ſenatûs de divinis honoribus Auguſto tribuendis. Ovid. Faſt. 1.

Cæſaris arma canant alii, nos Cæſaris aras.

Tamen conſtat nullas Romæ fuiſſe, ſed tantùm in provinciis, niſi fortè privatas. Sueton. Octav. 52. & Dio. l. 54. decretas ſibi ex ſenatuſconſulto haud accepiſſe, imò prohibuiſſe, narrant. *In urbe quidem pertinaciſſimè abſtinuit hoc honore, atque argenteas etiam ſtatuas olim ſibi poſitas conflavit omnes: & ex iis aureas cortinas Apollini Palatino collocavit.* De privatis aris Auguſto erectis intelligendus ergo hîc Horatius, item Ovid. antè cit. & 1. de Ponto, Eleg. 5. & 3. Eleg. 1. & Virgil. Ecl. 1.

. . . . . . *Illius aram*
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

18. *Sed tuus hoc pop. &c.*] Tranſit ingenioſè & ſolerter ad eos reprehendendos, qui vetera ſectantur, & quævis nova faſtidiunt ſine diſcrimine & judicio.

21. *Terris ſemota,*] Ex hominum conſpectu ablata, carmina poëtarum mortuorum.

23. *Tabulas peccare vetantes,*] Leges 12 tab. quas decemviri, ad inſtar legum Solonis, compoſuerunt anno U. C. 302. Porrò quæ in eis continerentur, haud comperta omninò, niſi quòd pauca, quæ ad morum diſciplinam & judicia ſpectant, intereisè auctores produnt: ut ait Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 10. ubi & fragmenta quædam earum pervetuſta & obſoleta refert. *In urbe ne urito, neve ſepelito—ſi quid agro plantaveris, quinque pedes à vicino abeſto, &c.*

24. *Fœdera regum, &c.*] Duplex notat fœdus: alterum à Tarquinio Superbo cum captis civibus Gabiis, in ipſâ urbe; alterum à Romulo cum Tito Tatio Sabinorum rege: & hoc *æquatum* ſive æquis factum conditionibus; non autem prius illud, quod iniquum potiùs dicatur: ut bene obſervat. Theod. Marcil. De priori fœdere, Dion. Halic. lib. 4. de poſteriori lib. 2. ubi ſcribit conſtitutum eſſe, ut *Romæ reges eſſent æque Romulus & Tatius, paribus ſuffragiis, & æqualiter honoribus fruerentur.*

25. *Gabiis,*] De his T. Liv. lib. 1. Vide annot. noſtras lib. 1. Epiſt 11. & 15.

Sabinis,] T. Liv. cit. not. ad Epodon 2.

26. *Pontificum libros,*] Compoſitos à Numâ, continentes ritus ſacrificiorum, precationes, &c. Annales etiam ſignificari volunt. Cic de orat. n. 863. *In jure civili, & in pontificum libris & in duodecim tabulis plurima eſt antiquitatis effigies; quod & verborum priſca vetuſtas cognoſcitur, & actionum quædam genera majorum conſuetudinem vitamque declarant.*

Annoſa volumina vatum.] Attii Navii, apud Cic. De divin. Servius ad Æn. 5. Macrob. Sat.

Dictitet

à Muſis in monte Albano fuiſſe dictata afferat. Atqui ſi, quoniam ſcripta Græcorum vetuſtiſſima etiam præſtantiſſima exiſtunt, Latini ſcriptores ſimili ratione æſtimantur: pluribus verbis non eſt opus: nihil in olivâ, nihil extra nucem duri eſt. Fortunæ apicem attigimus: pingimus, & canimus, & luctamur ſolertiùs quàm Græci. Si tempus meliora facit carmina, perinde ac vina, quæro, quot anni auctoritatem dent libris? Scriptor ab annis centum mortuus debetne cenſeri inter veteres & bonos, an inter ignobiles & recentiores? Definitio temporis decidat controverſiam. Vetus & perfectus eſt, qui ante annos centum obiit. Quid verò? qui uno menſe vel anno junior interiit, quibus annumerabitur? an antiquis, an iis, quos ætas noſtra & ſecutura negliget?

Dictitet Albano Muſas in monte locutas. [831]
Si, quia Grajorum ſunt antiquiſſima quæque
Scripta, vel optima, Romani penſantur eâdem
Scriptores trutinâ; non eſt quod multa loquamur:
Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri. 31
Venimus ad ſummum fortunæ: pingimus, atque
Pſallimus, et luctamur Achivis doctiùs unctis.
Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit, 34
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteréſque referri debet, an inter [832]
Viles atque novos? Excludat jurgia finis.
Eſt vetus atque probus, centum qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor uno menſe, vel anno, 40
Inter quos referendus erit? veteréſne poetas?
An quos et præſens et poſtera reſpuet ætas?

ANNOTATIONES.

Marcii duo vaticinia ſatis incondita profert T. Liv. lib. 25. c. 12. alterum Cannenſem cladem prædicens, alterum, jubens inſtitui ludos Apollinares. Non pigebat ea deſcribere. Prius ſic fermè canebat.

Amnem Trojugena Cannam Romane fuge,
Ne te alienigenæ in campo cogant Diomedis
Conſeruiſſe manus pugnantem. Sed neque credes
Ante mihi, doneum compleris ſanguine campum,
Multaque millia cæſa tuorum deferat amnis
In pontum magnum de terrâ frugiferente;
Piſcibu' pennigeriſque feriſque colentibu' terras
Ut fuat eſca caro tua. Nam m' ita Jupiter inſit.

Poſterius carmen obſcurius perplexiuſque ſcripturæ genere, ut ait Livius, ita fere habebat:

Romulidæ ſi perduelles expellere voltis,
Et vomicam gentum, quæ longe alienigenarum
Venit; Apollineri voveatis cenſeo ludos,
Qui deo Apollineri fiunto come quotannis,
Quom jam poplicitus populus dederit ſtipi partem:
Conferiunto privatim pro ſeque ſuiſque.
Et prætor ludis faciundis ollu' præeſto,
Qui ſummum populo plebique endo urbe dabit jus.
At bis quinque viri Græco ſacra ritu obeunto:
Hæc ſi faxitis recte, gaudebitis ſemper,
Atque adeò fiet melior res poplica veſtra.
Nam is divus veſtros perduelles ſtinguet ad unum,
Qui veſtros compos placide nunc ruraque paſcunt.

27. *Albano Muſas in monte locutas*] Quia monticolæ ſunt Muſæ, hinc Horat. Muſarum Latinarum ſedem collocat apud Albanos tumulos, in medio Latii, ubi communia ſacra Latinorum celebrari ſolebant. Turneb. Alii mimicè in Albano Muſas collocari à poëtâ noſtro voluant; nempe ob ruſticitatem Albani montis, quæ tanta quidem, ut Virgilius Albanorum regum geſta exorſus ſcribere, omiſerit nominum aſperitate deterritus; quod teſtatur Servius ad Eclog. 6. Alii cum Acrone alludi putant ad colloquia Numæ cum Egeriâ nymphâ in monte Albano; præſertim cùm Egeriam unam de Muſis fuiſſe ſcribat Dionyſ. Halic. lib. 2. & Plutarch. in Numâ: quanquam Tull. 1. Leg. eos ut imperitos & bardos explodit, qui Numam eum Egeriâ collocutum credant, item qui apicem Tarquinio ab aquilâ impoſitum.

28. *Si, quia Græcorum, &c.*] Refellit poeta vulgi opinionem. Apud Græcos, inquit, vetuſtiſſimi quidem pariter etiam optimi ſunt. At non ita ſe habet de ſcriptoribus Latinis. Imò contrarium omnino fieri judicium debet. Atque tam falſum eſt arbitrari Latinorum antiquiſſimos eſſe præſtantiſſimos, quàm affirmare olivam nihil intus, nucem extra nihil duri habere; item quàm contendere pictores, cantores, athletas Romanos Græcis antecellere, quæ quidem apertè à vero, & ab omnium judicio abhorrent.

31. *Nil intra eſt oleam, &c.*] Proverbialis ſermo iſte uſurpari ſolet in eos, qui negant manifeſtè vera, vel afferunt perſpicuè falſa. Enimvero quid certius, quàm in olivâ eſſe os, & extra nucem eſſe putamen durum?

Oleam,] *Olea* proprie eſt arbor, *oliva* fructus; attamen utraq; vox in utrâq; ſignificatione ponitur.

32. *Venimus ad ſummum fortunæ:*] Uno abſurdo poſito, multa conſequuntur abſurda. Nempe dicamus deinceps, inquit poëta, nos famâ eſſe celebriores Græcis, & artium peritiores; quamvis hactenus ii præſtare omnibus crediti ſint.

33. *Unctis*] Athletæ ungebantur ante palæſtram, ut olei virtute membra fierent tum robuſtiora, tum etiam lubrica & teneri difficiliora.

34. *Si meliora dies,*] Aliud argumentum à diſſimili.

39. *Eſt vetus atque, &c.*] Reſponſio eſt adverſarii, quam mox convellit Horatius.

te quidem veteres inter ponetur honeſtè,
Qui vel menſe brevi, vel toto eſt junior anno.
Utor permiſſo, caudæque pilos ut equinæ
Paulatim vello; et demo unum, demo et item unum,
Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi,
Qui redit in faſtos, et virtutem æſtimat annis;
Miratúrque nihil, niſi quod Libitina ſacravit.
Ennius et ſapiens, et fortis, et alter Homerus, [*33]
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quò promiſſa cadant, et ſomnia Pythagoræa.
Nævius in manibus non eſt, et mentibus hæret
Pæne recens: adeò ſanctum eſt vetus omne poëma.
Ambigitur quoties, uter utro ſit prior; aufert
Pacuvius docti famam ſenis, Accius alti:

Ille, inquies, inter veteres rectè conſebitur, qui menſe duntaxat vel anno poſterior fuerit. Ego conceſſum aſſumo, & minutatim detraho quaſi pilos caudæ equinæ; atque diminuo unum itemque alterum, donec dilabentis cumuli ratione deceptus vincatur, qui annos numerat, & ex vetuſtate bonitatem colligit; quique nihil laudat, niſi quod mors conſecravit. Ennius & ſapiens, & ſtrenuus, & Homero ſecundus, ut aiunt cenſores, parum ſolicitus eſt, quo deveniant pollicita & ſomnia Pythagoræ. Nævius haud legitur, & animo tenetur velut novus; adeò ſacratum eſt omne carmen antiquum. At pudum expenditur, quis altero ſit præſtantior; Pacuvius docti ſenis, Accius excelſi exiſtimationem obtinere

ANNOTATIONES.

40. *Iſte quidem veteres*] Ita loquitur adverſarius.

45. *Utor permiſſo,*] Tua reſponſione utor, ac te expugno, inquit poëta.

Caudæ pilos et equinæ, &c.] Ex hiſtoriâ Sertorii, qui ut barbaros ac ferociores militum ſuorum animos erudiret, duos equos adduci juſſit, alterum imbecillem, alterum validum. Imbecilli appoſuit virum fortem, valido infirmum. Dato ſigno vir fortis equi imbecillis caudam ambabus captans manibus totam ſimul abſtrahere & avellere nitebatur fruſtra; contra vir infirmus fortis equi caudam brevi depudavit, ſingulos pilos evellens. Tum aſſurgens in concione Sertorius ait: Videtis, commilitones, induſtriam plus poſſe quàm vires; ſic quæ uno impetu ſuperari nequeunt, paulatim arte & patientiâ vincuntur. Plutarch.

46. *Demo unum, &c.*] Singulos annos demendo paulatim, corruet acervus ille tuus annorum centum: ſenſimque deducam te ad poſtrema tempora. Porrò licebit mihi ſemper unum annum detrahere: ſi quidem conceſſiſti, *inter veteres honeſtè poni, qui toto anno junior eſt.*

47. *Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi,*] Alluſio eſt ad ſoriten, quæ argumentatio multarum eſt acervus propoſitionum; quia diſſolvendo ſingulas, tota vis argumenti ſolvitur. Sicut autem Chryſippus ſiſtendum in unâ è propoſitionibus nequicquam dicebat: ita hic annos non poſſe definiri oſtendit Horatius. Chryſippum ſuggillat Perſius ad calcem Satyræ ultimæ:

——— Depinge ubi ſiſtam
Inventus, Chryſippe, tui finitor acervi.

49. *Libitina,*] De hac vide lib. 3. Od, 30. & lib. 2. Sat. 6. v. 19.

50. *Ennius & ſapiens, &c.*] Ennius ipſe à criticis agnoſcitur pleraque negligenter ſcripſiſſe, adeoque parùm memor eſſe promiſſorum ſuorum atque ſomniorum; quamvis ex Pythagoræ opinione & metempſychoſi, Homeri in ſe animam tranſmigraſſe jactâſſet, & poëtica ejus facultate ac ſpiritu ſe informatum. De eâ l. 4. Od. 8. v. 20. & l. 1. Sat 10.

Sapiens,] Quia cor triplex ſe habere dicebat, nempe quod triplicem linguam calleret, Græcam, Oſcam, Latinam. Gell. lib. 17. & cap. 17.

Fortis,] Quia militavit. Cic. Tuſc. 1. & pro Licinio Poeta. Claudian.

Alter Homerus,] Homericâ poëſeos virtute imbutus.

51. *Critici*] Grammatici, vel critici ab Auguſto inſtituti ad recenſendos libros in Palatinâ bibliothecâ collocandos. Vide ſuprà Epiſtolam 19. & poſtea Epiſt. ſeq.

52. *Somnia Pythag.*] Ennius ipſe de ſe An. 1.

In ſomniis mihi viſus Homerus adeſſe poëta.

De his vide quæ amplius annotavi pridem ad Perſ. Sat. 6. v. 10.

Cor jubet hoc Ennî, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides Quintus pavone ex Pythagoræo.

53. *Nævius in manibus non eſt, &c.*] Nævii ſcripta, quippe quæ memoriâ tenentur, non leguntur ampliùs, nec egent ſubſidio literarum: tam hærens animis, ut etiamnum recentia videantur. Nævius Ennio antiquior. Cicero in Bruto ſic Ennium alloquitur: *A Nævio ſumpſiſti multa, ſi fateris; vel ſi negas, ſurripuiſti.* Campanus fuit: ſtipendia meruit bellis Punicis, de quibus & carmen condidit: ſcripſit comœdias & tragœdias ſtylo in primis erudito & gravi. Romæ primates probris inſectatus, à triumviris in vincula conjectus; inde palinodia cantata exemptus eſt. Epigramma ſuperbiæ Campanæ plenum hoc ab eo factum traditur:

Immortales mortales ſi foret fas flere,
Flerent divæ Camenæ Nævium poëtam.
Itaque poſtquam eſt Orci traditus theſauro,
Obliti ſunt Romæ Latinâ loquier linguâ.

Nævium laudant Varro, Tullius, Feſtus, Nonius, Gellius, &c.

55. *Aufert Pacuvius docti famam ſenis,*] Pacuvius Q. Enni nepos, ut aiunt Euſebius & Plinius, Brunduſio oriundus, Romæ claruit ingenii & bonarum diſciplinarum luminibus: tragœdias bene

Afranii toga Menandro congruere putatur, Plautus currere ad inſtar Epicharmi Siculi, Cæcilius gravitate, Terentius artificio præſtare. Hos ediſcunt ac venerantur Romani anguſtiore Theatro coarcti: hos æſtimant, ac cenſent poëtas, ob ætate Livii Andronici uſque *ad noſtram.*

Dicitur Afranî toga conveniſſe Menandro, [54]
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte. 59
Hos ediſcit, et hos arcto ſtipata theatro [55]
Spectat Roma potens: habet hos, numeratque poëtas
Ad noſtrum tempus, Livî ſcriptoris ab ævo.

ANNOTATIONES.

multas egregiè ſcripſit: Hermionam, Atalantam, Antiopam, Ilionam, Medeam, Teucrum, &c. L. Accio paulò antiquior ad annos nonaginta conſenuit. Hinc *ſenex* ab Horatio dicitur. Tullius eum præfert omnibus in tragœdiâ. *Omnes apud hunc ornatos elaboratoſque eſſe verſus,* ait lib. De orat.

56. *Accius alti.*] Quintil. lib. 10. cap. 1. *Accius atque Pacuvius clariſſimi gravitate ſententiarum, verborumque pondere, & auctoritate perſonarum. Cæterùm nitor & ſumma in excolendis operibus manus magis videri poteſt temporibus, quàm ipſis defuiſſe. Virium tamen plus Accio tribuitur, Pacuvium videri doctiorem, qui eſſe docti affectant, volunt.* Cicero pleriſque locis Accium laudat, ejuſque verſus affert, maxime verò De nat. Deor. 1. Vide quæ de eo jam annotavi lib. 1. Sat. 10.

57. *Dicitur Afranî toga conveniſſe Menandro.*] Afranius Menandrum prope adæquaſſe fertur. Afranius poëta comicus Romæ celebratus eſt togatis fabulis, à togâ Rom. dictis, quia de rebus Romanis tractant. Menandrum imitatus eſt præcipuè, & ab eo non pauca ſumpſit. Ingenio & ſalibus excelluit, nec non ſummâ elegantiâ & venuſtate dictionum. Eum laudat Tullius in Bruto. Quintil. *In togatis excellit Afranius,* inquit. Gell. lib. 13. cap. 8. Afranii carmen commendat, in quo ſic loquitur de ſapientiâ:

Uſus me genuit: mater peperit memoria:
Sophiam vocant me Graii, vos ſapientiam.

Menandro,] De eo poetâ comico Athenienſi dictum eſt lib. 2. Sat. 3. v. 11.

58. *Plautus ad exemplar, &c.*] Egregiè Epicharmum imitari in fabulis conſtituendis & ornandis, atque ad exitum ſcitè perducendis. Plautus ex Umbria oriundus, ingenio fuit per urbano & maximè feſtivo. In urbe floruit iiſdem temporibus, quibus P. Scipio, & M. Cato. Comœdias ſcripſit viginti quinque ex Lælio. Latinæ parens & princeps elegantiæ, dicitur Gellio; & Muſas ſi Latinè loqui vellent, Plautino ſermone locuturas, ait Varro ex Stolone. Quintil. cit. Mortuus eſt P. Claudio & L. Portio Coſſ. Catone cenſore; ex Cic. De clar. orat. n. 60. Hoc ſibi epitaphium feciſſe dicitur:

Poſtquam morte eſt captus Plautus,
Comœdia luget, ſcena eſt deſerta,
Deinde riſus, luduſque, jocuſque, & numeri
Innumeri ſimul omnes collacrymârunt.

Properare] Hæc vox indicat officium gnari poetæ, de quo in Epiſt. ad Piſon. v. 148.

Semper ad eventum feſtinat.

Siculi Epicharmi.] Hic Pythagoræ auditor, quædam de naturâ rerum & medicinâ, complures autem comœdias præclare ſcripſit; quin & ei comœdiæ inventum aliqui tribuunt. Ab eo multa certè Plato delibavit. Tull. ad Attic. l. 1. Ep. 19. *Vafer ille Siculus inſuſurret Epicharmus cantilenam illam ſuam,* Νᾶφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. & De petit. Conſul. n. 30. Quamobrem, inquit, Ἐπιχάρμειον illud teneto: *Nervos atque artus eſſe ſapientiæ, non temerè credere.*

59. *Cæcilius*] Statius Cæcilius, Mediolanenſis, ut volunt quidam, ſcribendis comœdiis in urbe excellunt. Ennii familiaritate ac Terentii uſus, hujus etiam ſcriptorum cenſor. Fabulæ Cæcilii plus triginta à veteribus celebrantur: Nauclerus, Plocius, Epheſtion, Syracuſæ, Paſimachus, Epiclerus, Fallacia, Fœnerator, &c. Quintil. *Cæcilium veteres laudibus ferunt,* inquit.

Terentius.] P. Terentius poëta comicus Carthagine oriundus, puer adductus Romam, Terentii Lucani patroni diligentiâ inſtitutus, ac brevi manumiſſus ob egregiam indolem, ingeniique facilitatem & elegantiam. P. Scipione & C. Lælio uſus eſt familiariter, aliiſque primoribus civitatis. Statium Cæcilium maximè obſervavit, eumque cenſorem adhibebat. Sex fabulas ſcripſit ab Apollodoro & Menandro Græcis poëtis tranſlatas, tantâ Latini ſermonis proprietate & venuſtate, ut ab eruditis quibuſque mirè laudetur. Cic ad Attic. *Optimum Latinitatis auctorem* dicit. Quintil. jam cit. *Terentii ſcripta ad Scipionem Africanum referuntur,* nempe ob ſingularem elegantiam. Auſonius:

Tu quoque, qui Latium lecto ſermone, Terenti,
Comis, & aſtricto percurris pulpita ſocco.

Arte.] Terentii ſolertia præcipua fuit in exprimendis moribus, quam ſatis nemo laudare queat. Vide Donat. in Terent. Julius Scaliger Poët. lib. 3. cap. 97. *Lectiſſimam orationem, & artem ſummam Terentii* dicit.

60. *Arcto*] Præ multitudine affluentium ſpectatorum.

62. *Livî*] Livius Andronicus poëta epicus Romæ floruit eo tempore, quo S. P. Q. R. pacem fecit cum Pœnis. Utrâque linguâ primo docuit, non ſine magna commendatione ſui nominis. Epos apud Latinos primus dignè ſcripſit, geſta populi Rom. duodeviginti complexus libris, qui Annales Liviani dicti ſunt. Hymnos etiam deorum compoſuit, inquit Diomedes. Vide T. Liv. init. l. 7. & Cicer. Tuſc. 1. initio, &c.

Interdum

Interdum vulgus rectum videt: eſt ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudátque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet; errat.
Si quædam nimis antiquè, ſi pleraque durè [836]
Dicere credit eos, ignavè multa, fatetur;
Et ſapit, et mecum facit, et Jove judicat æquo.
Non equidem inſector, delendáve carmina Livî
Eſſe reor, memini quæ plagoſum mihi párvo
Orbilium dictare; ſed emendata videri,
Pulchráque, et exactis minimùm diſtantia, miror;
Inter quæ verbum emicuit ſi fortè decorum, et
Si verſus paulo concinnior unus et alter;
Injuſtè totum ducit vendítque poëma.
Indignor quidquam reprehendi, non quia craſsè [837]
Compoſitum, illepidéve putetur, ſed quia nuper;
Nec veniam antiquis, ſed honorem et præmia poſci.

Vulgus aliquando rectè judicat: alias aberrat. Si veteres poëtas adeo extollit & amat, ut nihil majus, nihil par credat, hallucinatur. Si verò quædam obſoletè, nonnulla inconditè, plurima negligenter eos ſcripſiſſe exiſtimat & agnoſcit; rectè cenſet, mihi adſtipulatur, & propitio Jove fert judicium. Haud ego certè deſpicio, nec proſcribo, poemata Andronici, quæ recordor mihi puero dictata ab immiti Orbilio: ſed accurata, eximia, & fere perfecta cenſeri, indignor: inter quæ ſi fortè dictio quæpiam *elegantior, ſique verſiculus unus aut duo venuſtiores appareant, inique* profectò *carmen integrum oſtentat & venditat. Ægrè fero quidvis culpari, non quod ruſtice vel imperite ſcriptum, ſed quod recens: ac veteribus non indulgentiam, ſed dignitatem & palmam exigi.*

ANNOTATIONES.

62. *Livî ſcriptoris ab ævo,*] Cum Pœnis pace factâ, Claudio Centone Appii Cæci filio, & M. Sempronio Tuditano conſulibus, anno poſt urbem conditam 515. primus omnium L. Livius poëta fabulas docere Romæ cœpit, poſt Sophoclis & Euripidis mortem annis plus fere 160. poſt Menandri, annis circiter 52. Anno dehinc ab. U. C. 519. C. Nævius poëta fabulas apud populum dedit, quem M. Varro ait bello Punico primo ſtipendia feciſſe, idque ipſum Nævium dicere in eo carmine, quod de eodem bello ſcripſit. Annis deinde ferè poſt 15. M. Cato orator in civitate, & Plautus in ſcena floruerunt. Neque magno intervallo poſtea Q. Ennius, & juxta Cæcilius, & Terentius, ac ſubinde Pacuvius, & Pacuvio jam ſene, Accius, clariorque tunc in poëmatibus eorum obtrectandis Lucilius fuit. Hæc fere ex Gellio l. 17. cap. ult. Quintilianus l. 10. cap. 2. ſcribit, *Nil in poëtis ſupra Livium Andronicum, nihil in hiſtoriis ſupra pontificum Annales.*

66. *Nimis antiquè,*] Ἀρχαϊκῶς. Gall. *A la vieille mode.* Angl. After the old Faſhion. Videtur Horatius loqui ex Auguſti ſententiâ. Sueton. Octav. cap. 86. *Cacozelos & antiquarios, ut diverſo genere vitioſos, pari faſtidio ſprevit.* Ipſe nimirum *genus eloquendi ſecutus elegans & temperatum; vitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, ut ipſe dicit, fœtoribus.*

68. *Jove judicat æquo.*] Recte ſentit, & judicat. Jupiter omnis æquitatis fons, ut & ſcientiæ ac ſapientiæ. Unde Minervam ex ejus cerebro procreatam dixerunt.

70. *Plagoſum Orbilium*] Magiſtrum meum frequentes plagas infligere ſolitum. Suet. De illuſtr. gram. c. 9. ſic habet: *Orbilius Puppillus Beneventanus, anno quinquageſimo Romam migravit, conſule Cicerone; docuit majore famâ quàm emolumento. Naturæ fuit acerbæ non modo in antiſophiſtas, quos omni ſermone laceravit, ſed etiam in diſcipulos.* De eo Domitius Marſus:

Si quos Orbilius ferulâ ſcuticâque cecidit.

Vixit ad annum ætatis prope centeſimum, amiſsâ jam pridem memoriâ; unde Bibaculi verſiculus.

Orbilius ubinam eſt, literarum oblivio?

71. *Videri exactis minimùm diſtantia, miror;*] Pariter de Livii Andronici ſcriptis cenſet Tullius. Quippe ejus fabulas non ſatis dignas legi aſſerit, in Bruto, De ſenectute, &c.

73. *Verbum emicuit ſi fortè decorum,* &c.] Atqui aſſutum craſſæ ac vili togæ fruſtum panni fulgentis præclaram veſtem haud facit, ut eſt in Ep. ad Piſ. v. 15. nec laudatur cælator ſat feliciter ære exprimens quidem ungues & capillos; at infelix operis ſummâ, quia totum bene affingere neſcit. Ib. v. 32. Vide ibi annot.

75. *Ducit*] Producit in publicum & in ſcenam, velut opus numeris omnibus abſolutum. Metaphoram volunt eſſe à mangonibus ac negotiatoribus ſervos venales producentibus. Quintil. Declam. 440. *Mango novitium puerum per publica roſtra ducit prætextatum.*

Venditque.] Ædiles à poëtis emebant poëmata.

76. *Craſsè*] Craſsâ & pingui Minervâ, ut aiunt.

77. *Illepidè*] Sine lepore.

78. *Nec veniam antiquis,* &c.] Excuſandos quidem fateor veteres, ſi rudia, craſſa, incondita pleraque habeant, nec enim ars ulla ſtatim perfecta fuit; at indignor eos abſolute laudari & venditari, quaſi nihil non accuratum & prorſus elaboratum ſcripſerint. Vide Tull. Orat. ubi de veteribus ſentit ac dicit idem cum Horatio.

Honorem & præmia] Imagines poëtis erectas in biblioth. Palatinâ, de quibus Perſ. in prologo,

 Rectè

Rectè nécne, crocum floréſque perámbulet Attæ
Fabula, ſi dubitem; clament periiſſe pudorem
Cuncti penè patres, ea cùm reprehendere coner,
Quæ gravis Æſopus, quæ doctus Roſcius egit:
Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, et quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.
Jam Saliare Numæ carmen qui laudat, et illud,
Quod mecum ignorat, ſolus vult ſcire videri;
Ingeniis non ille favet, plauditque ſepultis,
Noſtra ſed impugnat: nos, noſtráque lividus odit.
Quòd ſi tam Græcis novitas inviſa fuiſſet,
Quàm nobis; quid nunc eſſet vetus? aut quid haberet,
Quod legeret tererétque viritim publicus uſus?

Si expendam, utrum aptè an non Attæ fabula incedat per crocum & flores, univerſi propè ſeniores exclamabunt verecundiam nullam eſſe, quoniam haud dubitem ea redarguere, quæ acta ſunt ab Æſopo gravi & à ſolerte Roſcio: ſeu quod nihil bonum æſtimant, niſi quod ipſis placuit; ſeu quòd indignum arbitrantur cedere junioribus, & ſenes confiteri abjiciendo, quæ pueri didicerunt. Nunc qui Saliorum carmen à Numa conditum *extollit, vultque credi ſolus intelligere id quod, ut ego, non capit; is non favet induſtriæ, nec mortuos laudat; ſed noſtra impetit: nos & noſtra in invidiam adducit per livorem. Atqui ſi Græci tam recentia odiſſent, quam nos, quid jam antiquum extaret? vel quid eſſet, quod quiſque in manibus haberet & evolveret* quaſi *omnibus commune?*

ANNOTATIONES.

&c. item applauſum in theatro. *Præmia* etiam, quod pretium carminis ad ludos poetæ ſolveret ædilis vel prætor. Hinc ſequitur:

Geſtit etiam nummum in loculos dimittere.

76. *Recte nécne, crocum,* &c.] Si dubitem, an Attæ fabula mereatur in ſcenam produci, floribus conſperſam & odoribus perfuſam de more. Nam ea fuit olim conſuetudo. Lucret. lib. 2. v. 416.

Et cum ſcena croco Cilici perfuſa recens eſt.

Propert. lib. 4. Eleg. 1. 1. v. 16.

Pulpita ſolemnes non oluere crocos.

Plin. l. 21. c. 6. *Crocum vino mirè congruit, præcipue dulci: tritum ad theatra replenda.* Spartianus in Hadriano: *In honorem Trajani balſamum & crocum per gradus theatri fluere juſſit.* Vide Senec. Epiſt. 21.

Attæ] T. ille Quinctius togatarum ſcriptor, à quibuſdam magnopere commendatur: Atta cognominatus ob pedes aut crura vitioſa. Nam attæ dicuntur, qui eo pedum vitio laborent, ut videantur magis inniti plantis, quam liberè ambulare, ut obſervat Crinitus: atque hoc ſatyricè alludere poëtam noſtrum volunt, cum ait, *perambulet Attæ Fabula.* Illius meminerunt Cic. pro Sextio, Iſidorus, &c.

Attæ fabula,] Hæc inſcripta fuiſſe dicitur Matertera: at præterea citatur Atta in Satyris, ab Iſidoro; in Conciliatore, in Ædilibus, in Tirone proficiſcente, à Gellio, & aliis. Crinit. lib. 2. De poët. Lat.

80. *Clament periiſſe pudorem*] Perſius Sat. 5. v. 103.

. . . . Exclamat Melicerta periſſe
Frontem de rebus. ———————

81. *Ea cum reprehendere coner, Quæ gravis Æſopus,* &c.] Quaſi verò hiſtrionis fama & ſolertia pretium nomenque dare fabulæ queant.

82. *Gravis Æſopus*] Tragœdiarum actor, ravitate tragicâ & actione vehementi celebris. nc laudat Cicero pluribus locis: ac per ipſum onem in dicendo emendâſſe fertur. Quintil. l. 11. c. 3. *Roſcius citatior, Æſopus gravior,* inquit, *quòd ille comœdias, hic tragœdias egit.* Ejus divitias & luxum refert Plinius l. 10. c. 51. & l. 53. c. 12. Vide & annot. lib. 2. Sat. 3. v. 239.

Doctus Roſcius] Hic præſertim comœdiarum actor inſignis arte geſtum agendi excelluit. De eo Tullius ad Quinctum fratrem: *Videtiſne, quàm nihil ab eo hiſtrione niſi perfectè, nihil niſi cum ſummâ venuſtate fiat; niſi ita ut deceat, & uti omnes moveat ac delectet: Itaque hoc jam diu eſt conſecutus, ut in ſuo quiſquis artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur.* Et pro Archiâ poetiâ, Roſcii *excellentem artem ac venuſtatem* dicit eam fuiſſe, ut mori omnino non debuiſſe videretur. Macrob. Sat. l. 3. c. 14. Nullus, inquit, ignorat Ciceronem Roſcio & Æſopo hiſtrionibus tam familiariter uſum, ut res rationeſque eorum ſuâ ſolertiâ tueretur, &c. ————Is eſt Roſcius, qui etiam L. Syllæ cariſſimus fuit, & annulo aureo ab eodem dictatore donatus eſt, &c.

86. *Saliare Numæ carmen*] Inſtitutum à Numâ rege ſolemne carmen, quod Salii Martis ſacerdotes ancilia geſtantes ſaliendo canebant. Dionyſ. Halic. l. 2. Vide & annot. libi 1. Ode 36.

87. *Quod mecum ignorat,*] Illud enim obſcuriſſimum, atque initium fuit poëtices apud Romanos, teſte Varrone 6. De L. L. Quintil. l. 1. c. 6. *Saliorum carmina vix ſacerdotibus ſuis ſatis intellecta* dicit; quod vel ex iſto verſiculo Lucilii patet:

Præſul ut amptruat inde, & vulgu' redamptruat olli.

Feſtus ſic rem explicat: In Saliorum exultationibus, inquit, quando præſul amptruavit, id eſt, motus edidit, redamtruare dicuntur, qui eoſdem motus invicem referunt. De iſtis Dionyſ. Halic. cit. ſcribit: Ab tibiarum moveri numeroſè, motu armis accommodato nunc ſimul, nunc viciſſim, patrios hymnos cum choreis canentes.

Ut

Ut primùm poſitis nugari Græcia bellis
Cœpit, et in vitium fortunâ labier æquâ;
Nunc athletarum ſtudiis, nunc arſit equorum; [839]
Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amavit:
Suſpendit pictâ vultum mentémque tabellâ;
Nunc tibicinibus, nunc eſt gaviſa tragœdis.
Sub nutrice puella velut ſi luderet infans,
Quod cupidè petiit, maturè plena reliquit.
Quid placet, aut odio eſt, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuêre bonæ, ventique ſecundi.
Romæ dulce diu fuit, et ſolemne, recluſâ
Manè domo vigilare, clienti promere jura;
Cautos nominibus certis expendere nummos,
Majores audire, minori dicere, per quæ
Creſcere res poſſet, minui damnoſa libido. [846]
Mutavit mentem populus levis, et calet uno
Scribendi ſtudio: pueri patréſque ſeveri
Fronde comas vincti cœnant, et carmina dictant.
Ipſe egò, qui nullos me affirmo ſcribere verſus,

Age verò, poſtquam *Græci finitis bellis nugas amare inceperunt, & ſecundis rebus vitia ſectari; modò pugilum, modò equorum amore flagrârunt; artifices marmoris, vel eboris, vel æris coluerunt; oculos animumque tabulis pictis detinuerunt; modò tibiâ canentibus, modo tragœdis gaviſi ſunt; non ſecus ac infans puella cùm ſub nutrice ludit, quod ſtudioſè quæſiverunt, citò faſtidioſi abjecerunt.* Enimverò *quid placet, vel diſplicet, quod non contrà fiat? Iſta per pacem & res proſperas extitere.* Jam verò *apud Romanos diu fuit uſitatum & gratum, vigilare manè patente domo,* ibique *jus interpretari clientibus; certis cautionibus pecuniam locare, ſeniores conſulere, juniores docere, quibus* modis *opes augeri, pernicioſa* verò *cupiditas extirpari queant.* Subinde *plebs inconſtans ſtudia* vertit, jamque verſus *condere tantùm amat. Juvenes ac ſenes graves frondibus coronati epulantur, & verſus pronunciant. Atque egomet, qui nulla me condere carmina aſſevero,*

ANNOTATIONES.

93. *Nugari*] Levioribus ſtudiis operam dare. Alibi:

Nugari ſolitos Græcè.

94. *In vitium fortunâ labier æquâ;*] Egregiè dixit quidam. *Quem nimiùm fovet fortuna, ſtultum facit.* Ita nimirum ſunt homines comparati: inter adverſa & dura virtutem colunt, ſecundis rebus enervantur. Annibal exemplum eſt totque alii; imò integra imperia eam fortem experta ſunt.

97. *Suſpendit pictâ vultum, &c.*] Vel egregiè pictâ tabellâ ſpectatores detentos indicat, vel in picturæ artificio defixam attentiſſimè cogitationem Græcorum, ut quod in eâ arte ſummum eſt & perfectum aſſequerentur.

98. *Tibicinibus*] His volunt deſignari comœdias, utpote quæ ad tibias agerentur. Diomed. lib. 3. cap. 4. Donat. Prolegom. Terent. Alii non abs re ipſam αὐλητικὴν interpretantur, ſeu artem tibiarum ſono res & actiones experimendi. Vide Epiſt. ad Piſones, v. 202.

101. *Quod non mutabile credas?*] Nihil perpetuò placet aut diſplicet. Varietas duntaxat recit ac delectat.

102. *Hoc paces habuere*] Ita ſe Græci per pacem & res ſecundas geſſere. Vel, has artes produxit varias apud Græcos pax.

103. *Romæ dulce diù fuit,*] Jam Romanorum pariter inconſtantiam oſtendit, ut antè Græcorum.

Recluſâ Mane domo vigilare, &c.] Patente domo ſalutaturis, deque jure interrogantibus. Tull. pro Murenâ: *Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas.* Supra lib. 1. Sat. 1.

Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat.

105. *Cautos nominibus certis*] Pecuniam collocare apud locupletes & idoneos debitores. Al. *rectis,* id eſt, legitimis uſuris, non illicitis aut immodicis, honeſtas ob res.

Expendere] Occupare, ne ſteriles maneant, atque perpetuos ſumptus ſuppeditent: *nummos cautos,* ſponſore dato, datis pignoribus, ſcriptâ ſyngraphâ.

106. *Majores audire,*] Plin. lib. 8. Epiſt. 14. *Suus cuique parens pro magiſtro, aut cui parens non erat, maximus quiſque & vetuſtiſſimus pro parente——erat enim antiquitus inſtitutum, ut à majoribus natu non auribus modò, ſed & oculis diſceremus quæ facienda; mox ipſi per vices quaſdam tradenda minoribus haberemus, &c.* Gell. lib. 2. cap. 15. *Apud antiquiſſimos Rom. nec generi, nec pecuniæ præſtantior honos tribui quam ætati ſolitus: majoreſque natu à minoribus colebantur ad deorum propè & parentum vicem.*

110. *Fronde comas vincti*] Hederâ coronati, more illuſtrium poetarum. Perſ. Prolog.

Carmina dictant.] Iſtum verſus fundendi inter epulas morem tangit Perſius Sat. 1.

Parthis mendacior ſum, atque ante exortum ſolem vigilans peto calamum, papyrum, capſas. Certè *qui neſcit gubernare navim, haud regit; qui medendi artem ignorat, nequaquam abrotonum ægroto tradit. Pollicentur medici quod pertinet ad medicinam: opifices opus moliuntur:* at *periti æque & imperiti carmina condimus. Attamen quantas utilitates afferat hoc vitium, & levis iſta veſania, ſic intellige: Poetæ animus haud facilè eſt* pecuniæ *cupidus: amat verſus, hos duntaxat meditatur: ſpernit jacturas, fugas ſervorum, incendia: non machinatur fraudem ullam ſodali vel juveni pupillo: victitat leguminibus & pane ſecundario: quòd ſi ad bellum minime proclivis & idoneus,* at *civibus utilis* eſt. *Si hoc concedis, parvis etiam rebus magnas adjuvari: poeta format vocem pueri balbutientem: jam tum detorquet aurem à ſermonibus impudicis:*

Invenior Parthis mendacior, et priùs orto
Sole, vigil calamum, et chartas, et ſcrinia poſco.
Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro
Non audet, niſi qui didicit, dare. Quod medicorum eſt,
Promittunt medici: tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti doctíque poëmata paſſim.
Hic error tamen, et levis inſania quantas
Virtutes habeat, ſic collige: vatis avarus [342]
Non temerè eſt animus: verſus amat, hoc ſtudet unum:
Detrimenta, fugas ſervorum, incendia ridet:
Non fraudem ſocio, pueróve incogitat ullam
Pupillo: vivit ſiliquis et pane ſecundo:
Militiæ quanquam piger et malus, utilis urbi.
Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari:
Os tenerum pueri balbúmque poëta figurat,
Torquet ab obſcœnis jam nunc ſermonibus aurem:

ANNOTATIONES.

112. *Parthis mendacior,*] Mendaciſſimos naturâ fuiſſe probat, quòd mendacium acriter duriſq; pœnis coercerent, teſte Herodoto. Alii volunt alludi ad Parthorum perfidiam, quâ Romanos duces nonnunquam illuſerunt ſuis fraudibus; præſertim verò cùm induciarum tempore rupto fœdere incautum Craſſum oppreſſerunt. Alii, quòd tum maximè pugnarent cum fugere viderentur. Vide lib. 1. Od. 12. & 19. lib. Od. 5.

113. *Scrinia*] Capſas, in quibus ſcripta reponuntur & chartæ.

114. *Navim agere ignarus,* &c.] Perſ. Sat. 5. v. 112.

Navim ſi poſcat ſibi peronatus arator.
Luciferi rudis, &c.

Abrotonum ægro Non audet, &c.] Synecd. Perſ. Sat. 5. v. 100.

Diluis helleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius examen, vetat hoc natura medendi.

Abrotonum. Gall. *de l'auronne, ou garderobe. Southernwood, male and female.* Planta perpetuò virens, amari valde ſucci, cujus tum folia tum ſemen prorſus utilia ſunt nervis, tuſſi, lumbis, urinæ anguſtiis, item contra venena & veneficia, &c. Plin. lib. 21. cap. 21. Theophraſt, Hiſt. plant. l. 6. c. 7. Dioſcorid. &c.

118. *Hic error tamen,*] Hoc tamen verſus faciendi cacoëthes & immoderatum ſtudium permulta hominibus affert commoda. Nam dum animum detinet, à vitiis avertit, &c.

119. *Vatis avarus Non temere eſt animus:*] Vix, ferè nunquam.

121. *Detrimenta, fugas,* &c.] Adeò faciendis verſibus occupatur ac delectatur, ut parùm aut nihil afficiatur bonorum jacturâ, fugâ ſervorum, conflagratione ædium ſuarum, &c.

123. *Vivit ſiliquis*] Frugali victu contentus agit. *Siliquæ* ſunt leguminum involucra: Gall. *la gouſſe des legumes.* Angl. Husks. Perſ. Sat. 3. v. 55.

Pane ſecundo:] Cibarium ejuſmodi panem Auguſtus maximè appetebat. Sueton.

124. *Militiæ quanquam piger*] Imbellis licet, non eſt inutilis civibus. Seipſum facetè notat poëta noſter. Vide lib. 2. Od. 7. ubi de ſe ait,

————————celerem fugam
Senſi, relictâ non bene parmulâ.

Conſtat nihilominus fuiſſe quoſdam æquè bonos milites ac poëtas. Vel unus id probat Tyrtæus, de quo in Arte poeticâ. Adde Sophoclem, Æſchylum, &c.

125. *Parvis quoq; rebus magna juvaris*] Grammaticâ, poëticâ, rempub. juvari & promoveri.

126. *Os tenerum pueri,* &c.] Vocem ac pronunciationem pueri fingit et componit, ut ſit diſtincta, aperta, &c. Quintil. lib. 11. c. 3. Ab his ætatibus exigendum, ut nomina quædam verſuſq; affectatæ difficultatis ex pluribus aſperrimè coeuntibus inter ſe ſyllabis catenatos, & velut confragoſos, quàm citatiſſime volvant, quo ſit *abſolutius os & expreſſior ſermo,* inquit idem Quintil. lib. 1. cap. 1.

127. *Torquet ab obſcœnis*] Preclara ſanè cura veteribus fuit conſervandæ puerilis caſtimoniæ. Vide quæ annotavi pridem in præfatione ad Juvenalem, & quæ Juvenalis ſcribit Sat. 4 v. 44

Mox

Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Aſperitatis, et invidiæ corrector, et iræ: [842]
Rectè facta refert: orientia tempora notis
Inſtruit exemplis: inopem ſolatur et ægrum.
Caſtis cum pueris ignara puella mariti
Diſceret unde preces, vatem ni Muſa dediſſet?
Poſcit opem chorus, et præſentia numina ſentit;
Cœleſtes implorat aquas, doctâ prece blandus;
Avertit morbos, metuenda pericula pellit;
Impetrat et pacem, et locupletem frugibus annum.
Carmine Dî ſuperi placantur, carmine Manes.
Agricolæ priſci, fortes, parvòque beati,
Condita poſt frumenta, levantes tempore feſto
Corpus, et ipſum animum ſpe finis dura ferentem,
Cum ſociis operum pueris, et conjuge fidâ, [843]
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium, memorem brevis ævi.
Feſcennina per hunc invecta licentia morem

paulò poſt animum quoque imbuit optimis inſtitutis: emendat ruſticitatem, livorem, iracundiam. Præclare geſta narrat: ætatem præſentem inſtituit exemplis præteritis: conſolatur pauperem & laborantem. Unde verò innupta adoleſcentula, & pueri pudici acciperent precationes, niſi Muſæ poëtam donâſſent? Chorus auxilium petit, & faventes deos animadvertit; flagitat pluvias blande & rite ſupplicans; avertit morbos, arcetque mala impendentia: pacem obtinet, atque annum frugibus abundantem. Dii ſuperi carmine placantur, nec non & inferi. Antiqui agricolæ robuſti, & paucis contenti, poſt collectas fruges, feriis recreantes corpus, ipſamque mentem ſpe finis laborum patientem, cum participibus laboris, tam liberis quàm fideli uxore, ſacrificabant ſuem Telluri, lac Silvano, flores & vinum Genio, qui facit *recordari brevitatis vitæ. Per hanc conſuetudinem inducta cavillatio Feſcennina.*

ANNOTATIONES.

128. *Pectus præceptis format amicis,*] Documentis honeſtis è morali philoſophiâ petitis.

129. *Aſperitatis corrector,*] Mores inconcinnos, ſævos, duros corrigens, flectens, in melius formans.

130. *Rectè facta refert:*] Majorùm virtutes & egregia facinora commemorat, quibus pueri ad imitationem accendantur.

Orientia tempora notis Inſtruit exemplis:] Ex ante bene factis docet quid nunc ſit agendum, quid deceat, quid laude dignum eſſe videatur: ex præteritis præſentia moderatur.

133. *Prece,*] Hymnos in honorem deorum. maximè vero ſeculare carmen in ludis ſecularibus cantari ſolitum à pueris ac virginibus. De quibus ſuo loco dictum eſt.

134. *Chorus,*] Puerorum & virginum carmen ſeculare canentium.

135. *Cœleſtes implorat aquas,*] In magnâ ſiccitate ſacra Romæ fiebant Jovi, ad eliciendam pluviam: quæ Aquilicia, ſacerdotes autem Aquilicès dicebantur. Tertull. Apologet. cap. 40. *Aquiliciis Jovi immolatis, nudipedalia populo denunciatis!* Huc etiam pertinet quod ſcribit Varro l. 2. De vitâ pop. Rom. *Manalis lapis in pontificalibus ſacris novetur, cum pluviæ exoptantur.* Rem. explicat Feſtus: Manalem, inquit, lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam juxta ædem Martis; quam cum propter nimiam ſiccitatem in urbem pertraherent, inſequebatur pluvia ſtatim.

136. *Avertit morbos, &c.*] Hæc & cætera legere eſt in carmine ſeculari.

138. *Manes.*] Hi nocere viventibus credebantur, niſi placarentur. Vide Epod. 5. v. 49.

139. *Agricolæ priſci, &c.*] Horatius modò explicavit, unde ortum ſit carmen ſacrum: jam oſtendit, quâ ratione profanum habuerit originem atque incrementum.

142. *Cum ſociis operum pueris, &c.*] Non ergaſtulis tunc & ſervis colebantur agri ſcilicet.

143. *Tellurem porco,*] Pro porcâ. Sic enim terræ fertilitas ſuis fœcunditate indicabatur, Cic. 2. de legibus.

Silvanum lacte piabant,] Aptum ſacrificium deo ruris & paſtorum. Vide Epod. 2.

144. *Floribus & vino Genium.*] Naturæ deo flores, placentæ, vinum offerebantur; nulla vero cædebatur victima: ut explicavi lib. Od. 17. Perſius Sat. 2. v. 3.

Funde merum Genio.————

145. *Feſcennina per hunc invecta, &c.*] Sic, inquam, poëta deſcribit originem profanæ poëſeos. *Ruſticus* jam *laborum liber,* ut eſt in Epiſt. ad Piſ. *feſto tempore corpus animumque relevans, ruſtica opprobria* jactavit; id eſt, alii alios rudi ſed procaci carmine laceſſentes oblectamentum quæſivere. Et hinc nata eſt ſubinde comœdia; ut dicetur alibi.

Feſcennina licentia] Verſus petulantes & protervi inter jocoſa convivia adverſus quemlibet prolati, locum habuere primò in urbe Hetruriæ

Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit,
Libertáſque recurrentes accepta per annos
Luſit amabiliter; donec jam ſævus apertam
In rabiem verti cœpit jocus, et per honeſtas
Ire domos impune minax. Doluêre cruento
Dente laceſſiti: fuit intactis quoque cura [844]
Conditione ſuper communi: quin etiam lex,
Pœnáque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Deſcribi. Vertêre modum formidine fuſtis,
Ad bene dicendum delectandúmque redacti.
Græcia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agreſti Latio: ſic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, et grave virus

jactavit agreſtia dicteria carmine amœbæo, anniſq; redeuntibus, uſitata hæc *licentia hilariter jocata eſt; uſquequò dirum ſcomma abiit in publicum maledicendi furorem, & nobiles familias temerè impetivit.* Tum *mordacibus dicteriis appetiti gemuerunt: atque etiam* ii, qui *non* fuerant *laceſſiti, condoluerunt de publico diſcrimine. Imò lex & pœna* eſt *conſtituta, vetans ullum maledicis verſibus notari.* Tunc *fuſtuarii metu carmen converterunt, ad laudandum & oblectandum revocati.* Deinde *victa Græcia victorem bellicoſum devinxit, invexitqe diſciplinas in rude Latium. Sic aſpera poëſis Saturnia deſiit, & cultus abegit putidum fœtorem,*

ANNOTATIONES.

Feſcennia. v. *citta Caſtallana.* Hinc quoque ortum eſt carmen nuptiale, inconditos ſales & dicteria nonnihil obſcœna continens. Porro exinde verſus quilibet obſcœni & procaces Feſcennini dicti ſunt. T. Livius lib. 7. initio, multa refert non valde his conſona; ſed profectò magis Horatio credendum.

146. *Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit,*] Auguſtus ejuſmodi verſus Feſcenninos, nimirum dicaces & mordaces, in Pollionem aliquando ſcripſit: quibus quòd non reſponderet increpantibus, ſic locutus fertur Pollio: Nec licet, nec libet in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere. Vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5.

147. *Libertaſque recurrentes,* &c.] Mos iſte mutua probra objectandi impunè & liberè, poſt meſſem annis ſingulis uſitatus & confirmatus eſt; donec licentiam nimiam & criminoſam coërceri neceſſe fuit. Huc pertinet, quod lib. 1. Sat. 7. v. 31. notatur de ruſticis deſidiam invicem exprobrantibus,

——*Magnâ compellans voce cucullum.*

148. *Sævus apertam In rabiem verti cœpit jocus,*] Faceta primo libertas cavillandi fuit tantùm, at ſubinde erupit in maledicentiam publicam; contumelioſè notati ſunt honeſti quivis viri, nominatim vitiis objectis. Talis fuit vetus comœdia cùm apud Græcos, tum etiam poſtea apud Romanos.

152. *Conditione ſuper communi:*] Par enim ſors omnibus imminebat, & periculum, ne probroſo carmine proſcinderentur.

Lex, Pœnaque lata,] Lex. 12. tab. erat: *Si quis occentâſſet malum carmen, ſive condidiſſit, quod infamiam faxit flagitiumque alteri; capital eſto.* Cic. Tuſc. 4. Item 4. De rep. ejuſdem meminit: *Noſtræ* xii. *tabulæ cum perparvas res ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis actitaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam afferret flagitiumve alteri.* Arnob. lib. 4. *Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decemviralibus ſcitis evadere noluiſtis impune.* Vide S. Auguſt. De civ. Dei lib. 2. cap. 9. & ſuprà, lib. 2. Sat. 1. v. 82.

Si mala condiderit in quem quis carmina, jus
eſt,
Judiciumque.——

154. *Vertêre modum*] Deſierunt carmina ſcribere Feſcennina, & nominatim vitia notare; ſatiras vero ſcripſerunt non tam apertè vel dicaciter arguentes vitioſos.

Formidine fuſtis,] Pœna fuſtuarii decreta fuerat in auctorem carminis maledici; qui quidem ad necem cædi jubebatur fuſtibus, ſeu virgis illis, ex quibus ſimul & ſecuribus conſtabant faſces magiſtratuum. Vide ſuprà Cicer. cit. 4. De rep.

155. *Ad bene dicendum delectandumque redacti.*] Ad hæc certè magis nata poëſis videtur.

156. *Græcia capta,* &c.] Poſteaquam Romani Græcorum imperio ſubverſo Græciam in provinciam redegerunt, artes liberales à Græcis illatæ ſunt in Italiam, adhuc rudem, & diſciplinis nondum excultam; quarum amœnitate capti ſunt Romani.

158. *Numerus Saturnius,*] Priſca barbaries, rudis & impolita compoſitio verſuum, quæ fuerat in Italiâ ab Saturno rege, ac diù etiam poſt eum. Aſcon. in 2. Ver. *Verſus Saturnius,* inquit Feſtus, *appellantur illi antiquiſſimi, quibus & à Nævio bellum Punicum ſcriptum eſt, & à multis aliis plura compoſita ſunt.* Ennius de iiſdem:

——*Scripſere alii rem*
Verſibu' quos olim Fauni vateſque canebant;
Cum neq; Muſarum ſcopulos quiſquam ſuperârat

Munditiæ pepulêre. Sed in longum tamen ævum [845]
Manſerunt, hodiéque manent veſtigia ruris.
Serus enim Græcis admovit acumina chartis;
Et poſt Punica bella quietus quærere cœpit,
Quod Sophocles, et Theſpis, et Æſchylus utile ferrent.
Tentavit quoque, rem ſi dignè vertere poſſet;
Et placuit ſibi, naturâ ſublimis et acer.
Nam ſpirat tragicum ſatìs, et fœliciter audet: [846]
Sed turpem putat in ſcriptis, metuítque lituram.
Creditur, ex medio quia res arceſſit, habere
Sudoris minimum; ſed habet comœdia tantò
Plus oneris, quantò veniæ minus. Adſpice, Plautus

Attamen diù ſuperfuit, & ſupereſt etiamnum quædam ruſticitas. Nam tardè Romani *ingenium appulere ad libros Græcorum; poſtque bellum Carthaginienſe pace fruentes, inveſtigare cœperunt, quid boni continerent Theſpis, Æſchylus, Sophocles. Quin & tentârunt, an ſcripta illorum pro dignitate poſſent transferre* in Latinum ſermonem: & *placuerunt ſibi animo excelſi & vehementes. Quippe habent de tragico ſpiritu non parum, nec infeliciter exequuntur: at emendare quod compoſuerunt, ignominioſum ducunt & averſantur. Putatur comœdia nequaquam eſſe difficilis, eò quòd materiam ſumit è vitâ communi. Verum eò magis operoſa eſt, quò minùs habet indulgentiæ. Animadverte, quali modo Plautus*

ANNOTATIONES.

Porrò ii verſus omnes erant iambici hypercatalecti; qualis iſte;

Malum dabant Metelli Nævio poëtæ.

158. *Grave virus Munditiæ pepulere.*] Venuſtas Græcorum expulit ruſticitatem & inconcinnitatem e ſermone & ſcriptis Romanorum. *Virus*, doctas aures velut enecans; barbara ſcilicet oratio, atq; *reconditorum verborum fœtor*; ut aiebat Auguſtus, teſte Suetonio antea cit. Octav. 86.

159. *In longum tamen ævum Manſerunt*, &c.] Diu in Italiâ, ac Romæ etiam manſit inquinatus ſermo, permixtus videlicet è pluribus linguis; Italâ, Græcâ, Oſcâ, Phrygiâ. Semigræci erant cùm poëtæ tum oratores. Romani paſſim Graii vocabantur: adeo ut indignatus Cato exclamaverit in ſenatu, ſe non poſſe ferre amplius Græcanicam urbem. Varro 6. De ling. Lat. Dionyſ. Halic. in fine lib. I. Juvenal. Sat. 3. v. 60.

. . . . . *Non poſſum ferre, Quirites,*
Græcam urbem, &c.——————

163. *Sophocles, Theſpis, Æſchylus*] Hi tres apud Græcos tragici poëtæ inſignes fuêre. Annis ante Chriſtum plus ſexcentis tragœdiam Theſpis invenit, Æſchylus poſt annos fere centum expolivit, denique Sophocles mirè perfecit, Æſchylo jam ſene. De Theſpi & Æſchylo plura in Epiſt. ad Piſones.

Sophocles,] Is Athenienſis exercitus dux fortiſſimus cum Pericle, idem & accuratiſſimus ſcriptor tragœdiarum 120, ut aiunt; quanquam ex iis habeamus ſuperſtites tantùm ſeptem; cœteras autem nobis invidit injuria temporum. Annos vixit nonaginta quinque. Eodem tempore floruit, quo Socrates & Ariſtophanes: apis dictus ob ſuavitatem orationis: ter & vicies palmam adeptus. Sophocles Homerus tragicus, Homerus autem Sophocles epicus à Polemone nuncupabatur, teſte Diogene Laërtio lib. 4. Vid. Val. Max. lib. 8. cap. 7. & lib. 9. cap. 12.

164. *Tentavit quoque, &c.*] Tragicorum iſtorum lectione delectati, quædam ex illis in Latinum ſermonem vertere aggreſſi ſunt. Quin integras etiam tragœdias Græcorum Latinitate donatas in ſcenam dedere Accius, Cæcilius, Pacuvius, Nævius: quarum ſuperſunt etiamnum aliquot fragmenta.

Rem digne verteret] Græcorum vim, altoſq; tragœdiæ ſpiritus aſſequi, & Latino ſermone æmulari.

165. *Placuit ſibi, naturâ ſublimis & acer.*] Illi tragicorum Græcorum Latini interpretes ſibi viſi ſunt non infeliciter rem moliri, & dignè ſatis imitari ſublimes illorum dictiones & ſententias, pro inſito nempe Romanis acri & ſublimi ingenio, ad ſuſtinendam tragici ſpiritûs altitudinem valde apto & idoneo.

167. *Sed turpem putat, &c.*] Atque utinam ab incepto noſtri poëtæ non deſtitiſſent, ſeu viribus ſuis nimiùm diffiſi, ſeu quod eos *offenderet limæ labor & mora.* Quòd ſi jam tunc illi, aliique deinceps, *lituram* & cenſuram minus timuiſſent, certè nunc *nec virtute foret clariſve potentius armis, Quam linguâ Latium.* Ita ſentit & loquitur Horatius tum hîc, tum in Epiſt. ad Piſon. v. 289.

168. *Creditur, ex medio, &c.*] Comœdiæ difficultatem oſtendit, quia poëtæ comico venia non datur: quaſi facile ſit perfectè exprimere res & actiones vulgares. Verùm exemplo celebrium comicorum probat, arduum opus eſſe comœdiam.

170. *Adſpice, Plautus Quo pacto, &c.*] Vide quàm aberret à ſcopo ipſe Plautus alioqui ſolers, pariter & Dorſennus: quàm ille parùm ſibi conſtet in tuendis partibus juvenis amantis, &c.

 Quo

ſuſtineat officia adoleſcentis amatoris, ſenis avari, lenonis captantis, ut nimius ſit Dorſennus in paraſitis guloſis: ut diſſoluto ſocco per theatra vadat: enimverò gaudet pecuniam inferre in marſupium; deinde non curatur, ſeu fabula intercidat ſeu firmo gradu conſiſtat. Quis ad theatrum ducitur ſuperbo curru gloriæ, occiditur ſpectatore languido, erigitur attento. Adeo leve & parvum eſt, quod contriſtat vel conſolatur animum gloriæ cupidum. Apage rem ſcenicam, ſi approbatio denegata me reducit mæſtum, conceſſa exultantem. Non raro quoque audacem poetam deterret, atque alienat, quod plures numero, ſique *merito & dignitate inferiores, imperiti & bardi, promptique ad confligendum, ſi equites diſſentiant, mediam inter fabulam petunt*

Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut inſidioſi:
Quantus ſit Dorſennus edacibus in paraſitis:
Quàm non adſtricto percurrat pulpita ſocco:
Geſtit enim nummum in loculos dimittere; poſt hoc [241]
Securus, cadat, an recto ſtet fabula talo.
Quem tulit ad ſcenam ventoſo gloria curru,
Exanimat lentus ſpectator, ſedulus inflat.
Sic leve, ſic parvum eſt, animum quod laudis avarum
Subruit, ac reficit. Valeat res ludicra, ſi me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Sæpe etiam audacem fugat hoc terrétque poëtam,
Quòd numero plures, virtute et honore minores,
Indocti, ſtolidíque, et depugnare parati,
Si diſcordet eques, media inter carmina poſcunt

ANNOTATIONES.

quàm alter *edacibus paraſitis* ſit importunus, quos perpetuò ad nauſeam uſque repreſentat. Plerique dubitârunt, utrùm ab Horatio reprehenderetur hîc Plautus, an culpato Dorſenno præferretur, & velut exemplar optimum exhiberetur. At mentem ipſe ſuam aperuit Horatius in Epiſt. ad Piſones, v. 70.

At veſtri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavêre ſales, nimiùm patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte, mirati.———

171. *Quo pacto partes tutetur,* &c.] Ergo Plautus hic arguitur, quod neſciat, vel non curet ita *perſonam formare, ut ſervetur ad imum, qualis ab incœpto proceſſerit, & ſibi conſtet,* ut eſt in cit. Epiſt. ad Piſ. v. 136.

172. *Patris attenti,*] Ad lucrum, ad parſimoniam.

Lenonis inſidioſi:] Loculis amantium inſidiantis.

173. *Dorſennus*] Vel Doſſenus, poëta comicus, Atellanarum fabularum ſcriptor: cujus mentio eſt apud Plin. l. 14. cap. 13. ubi & aliquot ejus verſiculi referuntur.

174. *Quàm non adſtricto,* &c.] Quàm uterque peccet, & a perfecto diſtet: adeò falluntur qui credunt minimum eſſe difficultatis in elaborandâ comœdiâ. Certe in hoc poëmate ut plurimum aut nimius eſt, aut deficit: quod facere videtur materiæ parvitas. At contrà in tragœdiâ res graves hinc poëtæ ingenium ſtimulant, ſublevant, erigunt; illinc autem auditorum animos dum plus officiunt, etiam avocant à faſtidio, & à notandis erroribus.

Non adſtricto ſocco:] Allegoria: *ſoccus* comœdorum calceus, *non aſtrictus*, laxus, ſolutus, indicat non accuratum poëtam, inconcinnè ſcribentem; ſeu negligat, ſeu nequeat decorum perſonarum ubique & ſemper cuſtodire, vel *deſcriptas ſervare vices operumque colores,* &c. Vide Epiſt. ad Piſ.

175. *Geſtit enim*] Et hoc unius lucri magis quàm laudis ſtudium referri videtur tam ad Plautum quam ad Dorſennum.

Nummum] Pretium pro fabulâ datum à prætore, vel ædilibus: ut annotavi ſuprà.

176. *Cadat, an recto ſtet fabula talo.*] An explodatur à populo, an ſemel approbata ſæpius expetatur. Perſ. Sat. 5. v. 104.

. . . . *Tibi recto vivere talo*
Ars dedit.———

177. *Quem tulit ad ſcenam*] Neque felicior eſt poëta fabulas in ſcenam dandas ſcribens gloriæ parandæ causâ; tam vanus & calamitoſus eſt hic laudis, quam ille lucri cupidus.

183. *Numero plures,*] Plebeii nempe adverſus equeſtrem ordinem armis contendere parati, ſi quod ſtolidè poſcunt, negetur.

185. *Si diſcordet eques,*] Si equites aliud velint quàm plebs; ſi obſiſtant plebi flagitanti, ut fabula interrumpatur, aliique ludi producantur; nimirum, urſus, leo, camelus, pugilum certamen, gladiatores, funambulus, &c.

Media inter carmina] In mediâ fabulæ actione poſt unum aut alterum comœdiæ ſeu tragœdiæ actum. Vide Terentii Hecyræ prologum, qui totus ea de re eſt.

Hecyra——*hæc cum data eſt nova,*
Novum intervenit vitium & calamitas;
Ut neque ſpectari, neque cognoſci potuerit:

Aut

Aut urſum, aut pugiles: his nam plebecula gaudet. [848]
Verùm equitis quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos, et gaudia vana.
Quatuor aut plures aulæa premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmæ, peditúmque catervæ:
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis:
Eſſeda feſtinant, pilenta, petorrita, naves:
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus. [849]
Si foret in terris, rideret Democritus, ſeu
Diverſum confuſa genus panthera camelo,

vel urſum, vel athletas; his enim plebs delectatur. Sed equites ipſi abjectâ *aurium voluptate, convertuntur ad oculorum oblectationes inſtabiles & fluxas: per quatuor aut plures horas vela complicantur, dum fugiunt equitum turmæ & peditum cohortes. Mox reges* antè *fortunati revinctis à tergo manibus trahuntur: properant eſſeda, pilenta, petorrita, naves: portatur ebur captivum, & Corinthus captiva. O ſi Democritus viveret,* quàm *rideret, cùm plebs attentè ſpectat vel novam beſtiam conflatam è panthera & camelo,*

ANNOTATIONES.

Ita populus ſtudio ſtupidus in funambulo
Animum occupârat ——————
Cum primum eam agere cœpi, pugilum gloria,
Funambuli eodem acceſſit expectatio;
Comitum conventus, ſtudium, clamor mulierum
Fecêre, ut ante tempus exirem foras.
. . . .
Primo actu placeo; cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores: populus convolat,
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.
Interea ego meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla eſt, otium & ſilentium eſt,
Agendi tempus mihi datum eſt, &c.

187. *Verùm equitis quoque, &c.*] Sed nunc equeſter etiam ordo levitatem popularem ſequitur; & ſpectaculo malunt oculos paſcere, quæ voluptas citò evaneſcit, quàm auribus excipere, quod animo certam & diuturniorem afferat voluptatem.

189. *Aulæa premuntur*] *Aulæa recondita ceſſant,* ut canit Juvenalis, Sat. 6. ornamenta ſcenæ & vela removentur, adeòque fabula & carmina intermittuntur, dum ad obſequendum ſtulto vulgi ſtudio, introducuntur quæpiam ſpectacula. Cic. Epiſt. 1. lib. 7. ad Marium ita ſcribit: *Neſti reliquos ludos, qui ne id quidem leporis habuerunt, quod ſolent mediocres ludi: apparatûs enim ſpectatio tollebat omnem hilaritatem; quo quidem apparatu* non dubito *quin animo æquiſſimo carueris. Quid enim delectationis habent ſexcenti muli in Clytæmneſtrâ, aut in equo Trojano craterarum tria millia? aut armatura varia peditatûs aut equitatûs in aliquâ pugnâ? quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attuliſſent.* . . . . *Quæ poteſt eſſe homini politico delectatio, cùm aut homo imbecillius à valentiſſimâ beſtiâ laniatur, aut præclara beſtia venabulo transverberatur?* &c.

190. *Dum fugiunt equitum turmæ, &c.*] Dum bellorum ſpecies repræſentatur, hoſtium fuga ſimulatur, ac ſubinde triumphalis pompa exhibetur. Huc refer quæ ſunt lib. 1. Epiſt. 6. v. 40. & ſeq. de magno numero chlamydum ſcenæ præſtitarum.

192. *Eſſeda*] Currus quibus capti reges traducuntur. *Eſſedum* vehiculi geſtatorii genus apud Gallos uſitatum.

Pilenta,] Reginarum matronarumque captivarum vehicula, quæ & carpenta.

Petorrita,] His captiva regum devictorum familia vehebatur: quatuor rotarum erant. Vide Gell. l. 15. cap. 30.

Naves:] Quibus navali prælio reges victi: vel exhibitâ naumachiâ, vel productis navibus, ſeu pictis in ſcena, ſeu veris in Tiberi, qui theatro proximus, ut vult vetus ſchol. aut potius in amphitheatris; quemadmodum docet Martial. ſpectac. Epig. 24. ubi de repræſentato navali certamine, ſubitóque immiſsâ in amphitheatrum per tubos tantâ aquarum vi, ut peregrinus eſſe pontum facile crediḋiſſet, niſi mox emiſſam ad munus gladiatorium aquam cerneret.

193. *Captivum portatur ebur.*] Captarum urbium imagines & ſimulacra ex ebore. Meminit Quintilianus lib. 6. cap. 3. *Chryſippus, cum in triumpho Cæſaris eburnea oppida eſſent tranſlata, & poſt dies paucos Fabii Maximi lignea, thecas eſſe oppidorum Cæſaris dixit.*

Captiva Corinthus.] Simulacrum urbis Corinthi à L. Mummio expugnatæ & expilatæ. Alii interpretantur, vaſa æris Corinthii à victore direpta & aſportata.

194. *Democritus,*] De eo lib. 1. Epiſt. 12.

195. *Diverſum confuſa genus*] Cave ne accipias belluam è duabus naturis mixtam: imò deſignatur optimè camelo pardalis, vulgo *une giraffe.* Varro 4. de ling. Lat. *Camelus ſuo nomine Syriaco in Latinum venit; ut Alexandriâ camelo pardalis nuper advecta, quod erat figurâ ut*

Sive

Sive elephas albus vulgi converteret ora:
Spectaret populum ludis attentiùs ipſis,
Ut ſibi præbentem mimo ſpectacula plura:
Scriptores autem narrare putaret aſello
Fabellam ſurdo: nam quæ pervincere voces
Evaluêre ſonum, referunt quem noſtra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Thuſ-
cum; [850]
Tanto cum ſtrepitu ludi ſpectantur, et artes,
Divitiæque peregrinæ, quibus oblitus actor
Cùm ſtetit in ſcenâ, concurrit dextera lævæ.
Dixit adhuc aliquid? Nil ſanè. Quid placet ergo?
Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne fortè putes, me, quæ facere ipſe recuſem,
Cùm rectè tractent alii, laudare malignè;
Ille per extentum funem mihi poſſe videtur
Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falſis terroribus implet,

vel candidum elephantem: Sanè *plebem magis quàm ludos attenderet, velut ſibi dantem ſpectacula plus* quàm *hiſtriones: poetas autem diceret commemorare fabulam ſurdo aſino. Etenim quæ vox poſſet ſuperare murmur, quod reddunt theatra noſtra? Credas ſtridere Gargani ſilvas, vel Hetruſcum mare; tanto cum ſtrepitu ſpectantur ludi, artificium, & opes exoticæ, quibus cum circumdatus hiſtrio prodit in theatrum, dextra ſiniſtræ jungitur.* An verò *jam quidpiam locutus eſt? Nihil profectò. Quid igitur admirantur? Pannum Tarentino ſucco violas imitantem. Ne verò arbitreris, me parce laudare ea, quæ facere detrectem, quando ſcitè peragunt cæteri; is poëta mihi videtur poſſe ambulare per funem extentum, qui meum cor fictis* ſermonibus *torquet, ſtimulat, placat, falſis terroribus concutit,*

ANNOTATIONES.

camelus, maculis ut panthera. Vide Solin. cap. 33. Dion. Lib. 43. Plin. lib. 8. cap. 18. *Camelorum,* inquit, *aliqua ſimilitudo in duo transfertur animalia: Nabin Æthiopes vocant, collo ſimilem equo, pedibus & cruribus bovi, camelo capite, albis maculis rutilum colorem diſtinguentibus: unde appellata camelopardalis. Dictatoris Cæſaris Circenſibus ludis primum viſa Romæ. Ex eo ſubinde cernitur aſpectu magis quàm feritate conſpicua: quare etiam ovis feræ nomen invenit,*

196. *Elephas albus*] Qualis rarò invenitur. Vide Ælian. lib. 3. cap. 46.

199. *Narrare aſello Fabellam ſurdo:*] Proverb. Narrare ſurdo, vel aſino:- id eſt, oleum & operam perdere; *aſello,* plebeculæ ſtolidæ & contumaci.

200. *Quæ pervincere voces, &c.*] Quis adeò vocalis hiſtrio, quantumvis contenderet, in ſcenâ poſſet audiri tantum inter ſtrepitum tumultuantis populi & vociferantis.

201. *Referunt quem noſtra theatra?*] Ob reflexam echo. Vide lib. 1. Od. 20.

202. *Garganum*] Apuliæ montem, de quo lib. 2. Od. 9.

Mugire nemus,] Ventis maritimis percuſſum: *mare,* ſtridens & reſonans, Auſtro flante, fluctibus colliſis.

Mare Thuſcum;] Mare inferum, & Tyrrhenum, de quo lib. 1. Od. 11.

203. *Artes,*] Habitus hiſtrionis artificioſus: apparatus veſtium peregrinis opibus & artificio conſpicuus.

205. *Concurrit dextera lævæ*] Vel mirabunda plebs junctas manus tollit, vel approbans percutit & complodit.

206. *Dixit adhuc aliquid?*] Tum verò hoſpes quærere poſſit: Unde populi admiratio, cùm nihil adhuc pronunciârit actor? O ſtultitiam! ad veſtimentorum fulgorem percellitur, geſtit, exultat inſana plebs.

207. *Lana Tarentino violas imitata veneno.*] Veſtis è lanâ violacei coloris tincta apud Tarentum; quæ urbs cùm lanâ, tum purpurâ exquiſitâ celebratur. Plin. lib. 8. cap. 48. *Lanæ,* inquit, *circa Tarentum ſummam nobilitatem habent.* Lib. 9. cap. 39. *Violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat: nec multò poſt rubra Tarentina.* Vide & lib. 21. cap. 6. & 8.

208. *Ac ne fortè putes, &c.*] Removet à ſe Horatius ſuſpicionem invidentiæ. Ne putes, ô Auguſte, me derogare laudem poëtis dramaticis, eò quòd dramata non ſcribam; profiteor me illos, ſi peritè rem moliantur, prorſus admirari.

209. *Laudare malignè;*] Exiguè, quaſi invidendo illis. Virgil. Æneid. 6, 270.

Quale per incertam lunam ſub luce malignâ.

210. *Per extentum funem, &c.*] Moliri & perficere quod difficillimum eſt.

211. *Qui pectus inaniter angit, &c.*] Qui pro arbitrio movet animum, & in quamlibet partem inflectit, ſeu ad dolendum, ſeu ad lætandum; vel ad iram, vel ad miſerationem; ad metum, ſpem, &c. Epiſt. ad Piſon.

Quocunque volent animum auditoris agunto.

Ut magus; et modò me Thebis, modò ponit
Athenis.
Verùm age, et his, qui ſe lectori credere malunt, [851]
Quàm ſpectatoris faſtidia ferre ſuperbi,
Curam impende brevem; ſi munus Apolline dignum
Vis complere libris, et vatibus addere calcar,
Ut ſtudio majore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala ſæpe poëtæ
(Ut vineta egomet cædam mea) cùm tibi librum
Sollicito damus, aut feſſo: cùm lædimur, unum
Si quis amicorum eſt auſus reprendere verſum;
Cùm loca jam recitata revolvimus irrevocati;
Cùm lamentamur, non apparere labores
Noſtros, et tenui deducta poëmata filo;
Cùm ſperamus eò rem venturam, ut, ſimul atque [852]
Carmina reſcieris nos fingere, commodus ultrò
Arceſſas, et egere vetes, et ſcribere cogas.
Sed tamen eſt operæ pretium cognoſcere, quales
Ædituos habeat belli ſpectata domíque
Virtus, indigno non committenda poëtæ.
Gratus Alexandro regi magno fuit ille

velut magus; ac modò me Thebis, modò Athenis conſtituit. Age vero, imminue ſolicitudines eorum etiam, qui malunt ſe lectori committere, quàm tolerare contemptum ſpectatoris faſtidioſi; ſi quidem *vis ſcriptis implere locum Apollini rite dicatum, ac poëtis cupiditatem augere, ut animoſiùs adeant Heliconem præclarum. Certè nobis poetæ multa ſæpe mala creamus (ut mea ipſe vineta incidam) dum tibi occupato vel fatigato librum porrigimus; dum offendimur, ſi quis familiarium redarguerit unum è verſiculis* noſtris; *dum loca jam recitata repetimus non rogati; dum querimur, non adverti labores noſtros, & carmina ſubtili ſtylo conſcripta; dum ſperamus fore ut, cùm primùm audieris nos verſus condere, ſponte & benignè advoces* nos, *atque ab egeſtate vindices, & ſcribere imperes. Verumtamen oportet expendere, quales miniſtros ſortiatur virtus in bello & pace conſpicua, nec tradenda infimo poetæ. Alexandro magno placuit ille*

ANNOTATIONES.

213. *Magus;*] Præſtigiator, oculos faſcinans. Vide Cœl. Rhodig. lib. 9. cap. 23. Plin. &c.

Modò me Thebis, &c.] Dum ita deſcribuntur & narrantur in ſcenâ, quæ Thebis vel Athenis geſta ſunt, ut illic intereſſe videatur ſibi auditor, & rem oculis ſpectare. Ariſtot. Poëta *tanquam interſit rebus ipſis agendis.* Porro illæ urbes præcipuè nominantur, quòd inde materiam plerumque tragici deſumpſerint. De Thebis, lib. 2. Sat. 6. de Athenis, lib. 2. Sat. 7.

214. *Verùm age,*] Auguſtum comœdia in primis gaudentem hortatur poëta, ut faveat non ſolùm dramaticis, ſed & epicis; quandoquidem his magis quàm illis heroum nomen ad poſteros tranſmittitur; atque omnes æquè præmiis ſtimulet ad rectè & naviter ſcribendum.

Qui ſe lectori, &c.] Qui odas vel epos malunt componere à poſteris legenda, quàm drama ſpectandum à populo ſæpe optimum carmen faſtidiente, at ineptam verò urſi, funambuli, purpureæ veſtis ſpectationem geſtiente. Vide ſuprà.

216. *Curam impende brevem;*] Certa ad victum præbendo ſubſidia: vel utroſque laudando & fovendo.

Munus Apolline dignum] Bibliothecam à te ædi Apollinis adjunctam in monte Palatino. L. 1. Epiſt. 3. v. 17.

218. *Helicona*] Montem Bœotiæ ſacrum Muſis. Allegoria.

219. *Multa quidem nobis, &c.*] In ſe & alios poëtas epicos culpam derivat ac rejicit Horatius, quòd minùs Auguſto gratioſi ſint.

220. *Ut vineta egomet cædam mea*] Proverb. id eſt, ut meos ipſe errores fatear & emendem.

Cum tibi Sollicito, &c.] Poëta noſter, ut alios corripiat, ſelpſum petit notatque; quanquam ab iſto peccandi genere longè alienus: ut patet ex datis luculenter Vinnio Aſellæ mandatis & præceptis, cùm eum doceret rationem tempeſtivè & commodè porrigendi Auguſto ipſam hanc Epiſtolam. Vide l. 1. Epiſt. 13.

224. *Non apparere labores*] Velut aliud agens Horatius expoſtulat, quòd plerumque non ſatis advertat lector vel auditor, quæ ob auctoribus ſummâ curâ, arte, ingenio ſunt ſcripta.

225. *Tenui deducta poëmata filo;*] Poſſunt hæc verti in bonam malamque partem: vel eximiè & ſcitè compoſita; vel exili & humili ſtylo; adeòque indigna eâ laude, quæ depoſcitur ab auctoribus.

226. *Cum ſperamus, &c.*] Tantum nobis arrogamus perperàm & ſtultè.

229. *Quales Ædituos habeat, &c.*] Quales præcones deceant virtutem egregiam. Ædem virtuti velut numini erigit Horatius, aſſignatque laudatores & poëtas velut ædituos.

232. *Alexandro magno*] Illi Macedonum regi famâ ſuper æthera noto.

Chœrilus,

Chœrilus, qui pro verſibus inconditis & inconcinnis obtinuit Philippos, regium numiſma. At quemadmodum atramentum contactum imprimit notam & maculam, ſic fere ſcriptores rudi carmine inquinant geſta illuſtria. Is ipſe rex, qui tam indignum carmen tam caro pretio emit profuſus, decreto interdixit, ne pingeret ſe quiſquam niſi Apelles, neve alius quàm Lyſippus effingeret ex ære imagines ſtrenui Alexandri. Quod ſi judicium hoc ſolers in æſtimandis artibus vocares ad ſcripta, & ad munera iſta Muſarum, affirmares ortum in pingui aere Bœotiorum. Verum delecti à te, Auguſte,

Chœrilus, incultis qui verſibus et malè natis
Rettulit acceptos, regale numiſma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labémque remittunt
Atramenta, ferè ſcriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poëma
Qui tam ridiculum tam carè prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis ſe, præter Apellem, [853]
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum ſimulantia. Quòd ſi
Judicium ſubtile videndis artibus illud
Ad libros, et ad hæc Muſarum dona vocares;
Bœotum in craſſo jurares aëre natum.
At neque dedecorant tua de ſe judicia, atque
Munera, quæ multâ dantis cum laude tulerunt,

ANNOTATIONES.

233. *Chœrilus,*] Inſulſus poëta Thucydidis & Herodoti vivens temporibus; quem Ariſtoteles in Top. notat: *Qualia Homerus, non qualia Chœrilus,* inquit. Vide Epiſt. ad Piſones, v. 357.

234. *Philippos.*] Nummos aureos Philippi Macedonum regis, patris Alexandri magni, effigie ſignatos. Duos fuiſſe Chœrilos conſtat, quicquid nonnulli ſentiant. Prior eximius poëta Athenienſium de Xerxe victoriam celebravit; cui pro ſingulis verſibus totidem ſtateres ſeu nummos aureos contulerunt Athenienſes, facto etiam decreto, ut cum Homero legeretur. Poſterior fuit iſte Alexandri comes aſſiduus, teſtibus Q. Curtio & Plutarcho; de quo variè narrant. Quidam ſcribunt pepigiſſe Alexandrum cum Chœrilo, ut pro ſingulis bonis verſibus ſingulos acciperet Philippos, pro ſingulis autem malis, totidem colaphos; opere verò confecto, vix ſeptem verſus laude dignos extitiſſe: denique referunt Chœrilum inediâ periiſſe. Vide Suidam, &c. Porrò videtur Horatius iſti Chœrilo quædam tribuere, quæ prioris ſint; ut Alexander ſit imitatus, quod fecerant Athenienſes, conditum de ſe carmen pariter remunerans.

236. *Scriptores carmine fœdo*] Hinc ſapienter Auguſtus, quamvis ingenia ſui ſeculi omni modo foverit, ac benignè patienterque audiverit recitantes non tantùm carmina & hiſtorias, ſed & orationes atque dialogos; *componi tamen* aliquid de ſe, niſi & ſerio & præſtantiſſimis, offendebatur; admonebatque prætores, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus obſoleſieri. Suet. Octav. cap. 89.

239. *Edicto vetuit,*] Cic. lib. 5. Epiſt. 12. *Nec enim Alexander ille gratiæ cauſa ab Apelle potiſſimùm pingi, & à Lyſippo fingi volebat: ſed quod illorum artem cùm ipſis tum etiam ſibi gloriæ fore putabat.* Idem narrat Plutarchus, aitque, è duobus Alexandris, alterum invictum, ſcilicet Philippo natum; alterum ab Apelle factum, non eſſe imitabilem. Apuleius Florid. 1. ſic habet: *Alexander imaginem ſuam, quò certior poſteris daretur, noluit à multis artificibus vulgò contaminari; ſed edixit univerſo orbi ſuo, ne quis effigiem regis temerè adſimularet ære, colore, cælamine; quin ſolus eam Polycletus ære duceret, ſolus Apelles coloribus delinearet, ſolus Pyrgoteles cælamine excuderet.* Plin. lib. 7. cap. 37. *Edixit imperator ille, ne quis ipſum alius quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles ſculperet, quàm Lyſippus ex ære duceret.* Vide & Valer. Max. lib. 8. cap. 11.

Apellem,] Eximius ille pictor ex inſula Co, toto orbe celebratus pictis ingenioſè & venuſtè tabellis.

240. *Lyſippo*] Statuarius ille præclarus ad veritatem optimè acceſſit, Quintiliano teſte. Hinc Propertius lib. 3. El. 9. v. 9.

Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna.

241. *Fortis Alexandri vultum*] Cui nempe maſculus ac leoninus erat obtutus.

Quòd ſi Judicium, &c.] Alexander de picturâ aliiſque artibus benè judicans, quàm ineptè cenſuit de carminibus! Certè Bœotico fuiſſe ingenio dixeris. Plinius tamen lib. 7. cap. 29. docet, quanti ab Alexandro æſtimati ſint Homerus, Pindarus, &c. Ælianus autem Hiſt. var. lib. 2. non fuiſſe picturæ æſtimandæ peritum oſtendit: refert enim, Alexandri equo adhinniente ad equum ab Apelle pictum, quem tamen Alexander haud valde laudaverat; dixiſſe Apellem: Atqui, imperator, videtur equus tuus in arte pingendi eſſe te intelligentior.

244. *Bœotum in craſſo*] Quanquam ſæpius, *fortes creantur fortibus,* contrà tamen evenit interdum. Sic Pindarus craſsâ licet regione, Bœotiâ

Dilecti tibi Virgilius Variúſque poëtæ. [854]
Nec magis expreſſi vultus per ahenea ſigna,
Quàm per vatis opus mores animíque virorum
Clarorum apparent. Nec ſermones ego mallem
Repentes per humum, quàm res componere geſtas,
Terrarùmque ſitus, et flumina dicere, et arces
Montibus impoſitas, et barbara regna, tuíſque
Auſpiciis totum confecta duella per orbem,
Clauſtráque cuſtodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam Parthis te principe Romam;
Si, quantum cuperem, poſſem quoque: ſed neque parvum
Carmen majeſtas recipit tua; nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recuſent.
Sedulitas autem ſtultè, quem diligit, urget;
Præcipue cùm ſe numeris commendat, et arte. [855]
Diſcet enim citiùs, meminitque libentiùs illud,
Quod quis deridet, quàm quod probat et veneratur.
Nil moror officium, quod me gravat; ac neque ficto
In pejus vultu proponi cereus uſquam,
Nec pravè factis decorari verſibus opto:
Ne rubeam pingui donatus munere, et unà

poëtæ Virgilius & Varius non turpant tua de ſe judicia, & dona, quæ acceperunt plurimâ cum gloriâ largientis. Virorum autem illuſtrium vultus æreâ effigie expreſſi non plus fulgent, quàm mores & ingenium verſibus poëtæ. Ego verò non mallem ſcribere humiles ſermones, quàm tua *celebrare facinora, & ſitus regionum, & fluvios, & arces montibus inædificatas, &* victos *reges barbaros, & bella tuis auſpiciis orbe toto finita, & templum includens Janum pacis cuſtodem, & Romam te regnante Parthis metuendam; ſi* quidem *tantum valerem, quantum exoptarem. At tua majeſtas non admittit exile carmen; & mea verecundia rem aggredi veretur, ad quam vires minimè ſufficiunt. Porrò officia ſtultè gravant* eum, *quem colunt, præſertim cùm ſe protrudant verſibus & carmine. Enimverò citiùs quiſque diſcit, ac faciliùs recordatur id, quod deridet, quàm quod æſtimat & miratur.* Ego quidem *ſperno ſedulitatem, quæ mibi moleſtiam creat; & nolim uſquam è cerâ effingi male expreſſo vultu, aut verſibus inconditis laudari: ne erubeſcam turpi affectus dono, ſimulque*

ANNOTATIONES.

nempe Thebis, oriundus, ſagaciſſimi nihilominus ingenii fuit. Verùm conſtat Bœotios ut plurimùm fuiſſe ſtupidos & hebetes, aut valde craſſos pro cœli & aëris ratione. Unde nata proverbia: *Sus Bœotica, auris Bœotica, Bœoticum ingenium.* Cic. 1. De leg. n. 79. *Videmus quàm varia ſint terrarum genera . . . . aliæ, quæ acuta ingenia gignant, aliæ, quæ retuſa. Quæ omnia fiunt ex cæli varietate, & ex diſpariſi aſpiratione terrarum.* Idem De fato, num. 7. *Inter locorum naturas quantum interſit, videmus; alios eſſe ſalubres, alios peſtilentes . . . . Athenis tenue cœlum; ex quo acutiores etiam putantur Attici; craſſum Thebis; itaque pingues Thebani,* &c.

247. *Varius*] De eo lib. 1. Od. 6. & lib. 1. Sat. ult. ſub finem.

248. *Nec magis expreſſi*] Plutarchus refert Catonem cenſorium eos deridere ſolitum, qui ſtatuarum cupiditate flagrarent, ignorantes ſe pictorum & fabrorum operibus gloriari; ſui vero pulcherrimas imagines extare in civium animis. Vide lib. 4. Od. 8.

250. *Nec ſermones ego mallem*] Adverte prudentiam & modeſtiam pœtæ noſtri. Ego, inquit, ſi epici carminis ſcribendi facultate pollerem, certè mallem res ab Auguſto præclarè geſtas verſibus heroicis conſignare, quàm ſatiras pedeſtri muſâ ſcribere; verùm illius materiæ gravitati vires meas impares ſentio; timeremque *ſplendida facta fœdis ſcriptis illinere* & maculare.

252. *Arces Montibus impoſitas,*] *Præſidia & cuſtodias ubique diſpoſuit . . . . per Rheni quidem ripam quinquaginta ampliùs caſtella direxit.* Flor. cap. ult.

253. *Tuis Auſpiciis confecta*] Vide lib. 4. Od. 4.

255. *Clauſtraque cuſtodem,* &c.] Portas itaque Jani clauſas, ut pacis tempore, l. 4. Od. 15.

256. *Formidatam Parthis*] Lib. 1. Od. 12. & 19. lib. 3. Od. 5. lib. 4. Od. 15.

260. *Sedulitas autem,* &c.] Intempeſtivum officium nec utile nec gratum videtur, ſed potiùs grave eſt.

262. *Diſcit enim citiùs,* &c.] Cic. pro Murænâ. *Cui places, obliviſcitur; cui dolet, meminit.*

264. *Neque ficto In pejus,* &c.] Malim nullam è cerâ imaginem, quàm pravè fabricatam habere: ex more veteri, de quo nos alibi; Juvenalis autem fuſè, Sat. 8.

267. *Pingui munere,*] Rudi & inepto carmine, inconditis inſulſiſque verſibus.

Cum

cum laudatore meo patente ciſtâ jacens, deporter in vicum, ubi venduntur thus, aromata, piper, & quodcunque involvitur inſulſis chartis.

Cum ſcriptore meo capsâ correctus apertâ,
Deferar in vicum vendentem thus, et odores,
Et piper, et quicquid chartis amicitur ineptis.

ANNOTATIONES.

268. *Porrectus*] Quaſi cadaver.

270. *Quicquid chartis amicitur ineptis.*] De eâ inſulſorum librorum infelici, ſed juſtâ forte dixi alibi. Vide lib. 1. Epiſt. ult. v. 12.

EPISTOLA II. Ad *JULIUM FLORUM.*

Excuſat ſe, quod nec literas nec verſus miſiſſet.

O Flore, amice fidelis probo & illuſtri Neroni, ſi fortè aliquis vellet tibi venundare ſervum Tibure aut Gabiis oriundum, atque tibi ſic loquatur: Iſte ſincerus, & integer à capite ad calcem, tibi vendetur octo millibus nummorum; famulus promptus obſequi nutibus heri, literis Græcis eruditus, omnis diſciplinæ capax: hunc velut *molle lutum ut libuerit finges: cantabit etiam ſine arte, quod jucundum inter epulas. Nimiæ pollicitationes minuunt fidem, quando pluſculum laudat merces venales, qui cupit eas citè vendare: at nulla me neceſſitas premit: in propriis bonis modicus ſum: nullus negotiator ſic tecum ageret: non alius à te idem à me facilè obtineret. Hic ſemel ceſſator fuit, atque, ut accidit* interdum,

FLore, bono claróque fidelis amice Neroni, [856]
Si quis forté velit puerum tibi vendere natum
Tibure, vel Gabiis, et tecum ſic agat: Hic et
Candidus, et talos à vertice pulcher ad imos,
Fiet, eritque tuus nummorum millibus octo:
Verna miniſteriis ad nutus aptus heriles,
Literulis Græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet: argillâ quidvis imitaberis udâ:
Quin etiam canet indoctum, ſed dulce bibenti.
Multa fidem promiſſa levant, ubi pleniùs æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces. [857]
Res urget me nulla: meo ſum pauper in ære.
Nemo hoc mangonium faceret tibi: non temerè à me
Quivis ferret idem. Semel hic ceſſavit, et, ut fit,

ANNOTATIONES.

1. *Flore, bone, &c.*] Julius Florus ad bellum Pannonicum proficiſcens cum Tiberio Nerone, petierat ab Horatio ut quæpiam ad ſe ſcriberet: ceſſantem vero, quanquam nihil pollicitum, ſubinde incrapavit. Cui ſe Horatius excuſat hâc Epiſtolâ; in quâ & eximia quædam ad poëſim & ad benè beatèque vivendum pleraque documenta perſcribit. Ad hunc ipſum Florum inſcriptam vidimus jam Epiſt. 3. lib. 1.

Amice Neroni,] Is ipſe eſt Tiberius Claudius Nero, qui Auguſto in imperium ſucceſſit. De eo jam antè.

2. *Si quis fortè velit, &c.*] Similitudo, quâ ſe apud Florum purgat Horatius.

3. *Tibure,*] Lib. 1. Od. 7. & 18. & lib. 2. Od. 6.

Gabiis,] Lib. 1. Epiſt. 11. & 15.

Hic & Candidus,] Verba ſunt mangonis uſque ad verſum 17.

6. *Verna*] Servus ex ancillâ, natus domi.

7. *Litterulis Græcis imbutus*] Erudiebant ſervos, ut pluris venderent. Terent. Eunuch. *Fac periculum in literis, fac in palæſtrâ, in muſicis: ſolertem dabo.*

10. *Multa fidem promiſſa levant,*] Subdolus negotiator vult videri non dare verba, cùm maximè verba dat.

12. *Meo ſum pauper in ære.*] Nullum æs alienum habeo, nil debeo cuiquam. Cic. pro Roſcio comœdo: *Locuples erat: nihil debebat: in ſuis nummis verſabatur.*

14. *Semel hic ceſſavit,*] Verſutus mango fugacem ſervi animum ita declarat metu legis, ut potiùs diſſimulare & tegere dicendus ſit; adeò rem verbis involvit, extenuat, ſubornat.

In ſcalis latuit metuens pendentis habenæ.
Des nummos, excepta nihil te ſi fuga lædat.
Ille ferat pretium, pœnæ ſecurus, opinor.
Prudens emiſti vitioſum : dicta tibi eſt lex :
Inſequeris tamen hunc, et lite moraris iniquâ.
Dixi me pigrum proficiſcenti tibi ; dixi
Talibus officiis propè mancum ; ne mea ſævus
Jurgares, ad te quòd epiſtola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas? Quereris ſuper hoc etiam, quòd
Expectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis [858]
Ærumnis, laſſus dum noctu ſtertit, ad aſſem
Perdiderat : poſt hoc vehemens lupus, et ſibi et hoſti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Præſidium regale loco dejecit, ut aiunt,
Summè munito, et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honeſtis,
Accipit et bis dena ſupèr ſeſtertia nummûm.
Fortè ſub hoc tempus caſtellum evertere prætor
Neſcio quòd cupiens, hortari cœpit eundem
Verbis, quæ timido quoque poſſent addere mentem :
I bone, quò virtus tua te vocat : i pede fauſto,
Grandia laturus meritorum præmia. Quid ſtas?
Poſt hæc ille catus, quantumvis ruſticus, Ibit,
Ibit eò, quò vis, qui zonam perdidit, inquit.

ſe occultavit metu ſcuticarum ad ſcalas ſuſpenſarum. Trade pecuniam; ſi te non offendit fuga, quam excipio. Poſt hæc *accipiet mango nummos ſine metu pœnæ, ut credo :* tu *ſciens emiſti pravum : ſignificata tibi fuit conditio : hunc nihilominùs inſequeris, & injuſtâ lite implicas. Te diſcedentem admonui me pigrum eſſe, & ad ejuſmodi officia minimè ſedulum ; ne gravis iraſcereris, ſi nullas ad te literas mitterem. Quid verò profuit, quandoquidem leges mihi faventes aggrederis? Expoſtulas quoque, quoniam ſperatos verſus haud miſi fallax.* Verùm attende paulisper. *Luculli miles viæ ſubſidium multis laboribus comparatum amiſerat integrum, dum nocte dormiret fatigatus. Inde lupus violens, tam ſibi quàm hoſti infenſus, ardens famelicis dentibus, regis præſidium depulit ſtatione probe munitâ, multiſque opibus inſtructâ : ob id* verò *facinus pulchris muneribus afficitur, accipitque plus quam viginti* millia *ſeſtertiûm nummorum. Eodem fermè tempore volens imperator diruere caſtrum quoddam, cœpit hunc ipſum* militem *adhortari ſermonibus, qui vel ignavo poſſent animos dare : Ito generoſe, quò te tua virtus vocat : perge felicibus auſpiciis, magna pro faciendis munera conſecuturus. Cur moraris? Tum ille aſtutus, etſi agreſtis, ait : Vadat illuc, vadat, quo jubes, qui loculos amiſerit.*

ANNOTATIONES.

14. *Ut ſit In ſcalis, &c.*] Quòd ſegnis fuiſſet ad mandata peragenda, timuit loris ſtringi ac cædi. Hinc paululùm delituit, abfuitque domo. Sic per ambages mango loquitur, ne uno verbo eoque odioſo dicat, fugit : vel, ſemel fugit.

15. *In ſcalis*] Ad terrorem ſervorum ita pendebant in ſcalis ſcuticæ, quas ob oculos ſemper haberent, ut à peccando deterrerentur.

16. *Excepta nihil te ſi fuga lædat.*] Tandem *fugam* dicit breviter, excipitque : quod niſi faceret, redhibere acceptum pretium vel ſervum cogeretur legibus ædilitiis.

17. *Pœnæ ſecurus,*] Non obnoxius legi ac pœnæ, non timens actionem redhibitoriam. Cic. Offic. 1. *In mancipio vendendo ea vitia dicenda ſunt* (ut purà, eſſe mendacem, aleatorem, furacem, ebrioſum, fugacem) *quæ niſi dixeris, redhibeatur mancipium jure civili.* Vide lib. 2. Sat. 3. v. 285. annotat.

18. *Dicta tibi eſt lex :*] Pronunciata eſt tibi venditionis conditio.

21. *Talibus officiis propè mancum ;*] Quaſi manibus carentem, ac proinde ineptum ad ſcribendas epiſtolas.

26. *Luculli miles*] L. Lucullus Romæ clariſſimus Mithridatem Ponti, Tigranemque Armeniæ reges profligavit, opibus maximis celebratus.

30. *Præſidium regale*] A rege Mithridate, vel Tigrane collocatum.

Loco ſummè munito,] Tigranocertam quidam intelligunt, ex Appiano in Mithridat. *quæ urbs capta exercitum ingenti prædâ ditavit :* ſeu alii melius, Niſibim Meſopotamiæ civitatem, quæ bene munita Tigranis opes ſervabat, Dio.

32. *Donis honeſtis,*] Qualia ſunt phaleræ, torques, coronæ.

40. *Zonam*] Caſtrenſem crumenam & pecuniam, quam milites in zonâ portare conſueve-

Romæ

Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri,
Iratus Grajis quantùm nocuiſſet Achilles.
Adjecere bonæ paulò plus artis Athenæ: [859]
Scilicet ut poſſem curvo dignoſcere rectum,
Atque inter ſilvas Academi quærere verum.
Dura ſed emovêre loco me tempora grato,
Civiliſque rudem belli tulit æſtus in arma,
Cæſaris Auguſti non reſponſura lacertis.
Unde ſimul primùm me dimiſêre Philippi,
Deciſis humilem pennis, inopémque paterni
Et laris et fundi; paupertas impulit audax,
Ut verſus facerem: ſed, quod non deſit, habentem,
Quæ potérunt unquam ſatis expurgare cicutæ,
Ni melius dormire putem, quàm ſcribere verſus?
Singula de nobis anni prædantur euntes:
Eripuêre jocos, Venerem, convivia, ludum:
Tendunt extorquêre poëmata: quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amántq; [860]
Carmine tu gaudes; hic delectatur iambis;
Ille Bioneis ſermonibus, et ſale nigro.
Tres mihi convivæ propè diſſentire videntur,
Poſcentes vario multùm diverſa palato.
Quid dem? quid non dem? Renuis quod tu, jubet alter:
Quod petis, id ſanè eſt inviſum acidúmque duobus.

Ego Romæ educatus & edoctus ſum, quantum damni Græcis attuliſſet Achilles offenſus. Deinde *inſignes Athenæ aliquantò plus doctrinæ contulerunt, nempè ut poſſem pravum ab honeſto diſtinguere, ac veritatem indagare in nemore Academi. Sed infortunata tempora abſtraxerunt me loco jucundo, & civiles fluctus militiæ imperitum appulerunt ad exercitum nequaquam parem viribus Auguſti Cæſaris. Unde ſtatim ut Philippi me exemerunt abjectum amputatis alis, ſpoliatumque domo & bonis paternis; audax inopia adegit carmina componere. Nunc autem poſſidens quantum ſufficit, quibus pharmacis unquam curari poſſim, ſi ſatius non ducerem quieſcere, quàm verſus condere? Ætas defluens omnia* paulatim *aufert à nobis: jam eripuit jocos, amores, convivia, facetias: conatur & abſtrahere* facultatem *poeticam: quid jubes* ut *agam? Denique non omnibus eadem placent. Tu verſus lyricos amas, ille iambicos. Hic gaudet ſatiris & dicteriis mordacibus.* Et quidem *tres convivæ rarò idem appetunt, quin diverſa longe diſſimili guſtu volunt. Quid tribuam? quid negem? Tu recuſas quod alius petit. Quod cupis, illud amarum & grave duobus videbitur.*

ANNOTATIONES.

rant. Evangel. Mar. c. 6. Gell. l. 15. c. 12. ſic loquitur C. Gracchus: *Cùm Româ profectus ſum, Quirites, zonas, quas argenti plenas extuli, eas ex provinciâ inanes retuli.*

41. *Romæ nutriri mihi contigit.*] Lib. 1. Sat. 1.

42. *Iratus Grajis quantùm, &c.*] Id eſt, didici Homeri Iliadem, in quâ refertur Achilles ob ereptam ſibi Briſeïdem iratus ſeceſſiſſe à reliquo exercitu, itaque ita Græcis plurimùm nocuiſſe. Vide lib. 1. Ode 15. ad finem. Porrò ſtudiorum olim initium ducebant pueri ab Homeri Achille. Unde proverbium de rudi & illiterato: *Ne iratum quidem Achillem novit.*

43. *Adjecêre bonæ, &c.*] Dein apud Athenas philoſophiæ operam dedi. De Athen. l. 2. Sat. 7.

45. *Inter ſilvas Academi*] Academia locus Athenis ſuburbanus, arboribus multis amœnus, illuſtrium etiam virorum monumentis exornatus, ubi philoſophiam primus docuit Plato. Diogen. Laert. Alii nomen trahunt ab Academo, qui porticum ibi quondam extruxerit: alii à Cadmo.

46. *Dura ſed emovêre loco, &c.*] Nullo nempe civili flagrante, Brutus adverſus Auguſtum colligens copias, Athenis iter habuit in Macedoniam: unde Horatium & alios quoſdam juvenes Romanos ibi literis incumbentes abduxit: noſtrum vero poetam tribunum militum conſtituit, quamvis *belli rudem*, ut patet.

48. *Cæſaris Auguſti, &c.*] Commodè aſſentatur.

49. *Me dimiſere Philippi,*] Ad quam urbem in Theſſalicis campis Auguſtus Brutum profligavit. Vide lib. 2. Ode 7.

50. *Deciſis humilem pennis, &c.*] Amiſſis dignitate & patrimonio etiam per proſcriptionem.

53. *Cicutæ.*] Non eſt quod vox hæc adeò torqueat interpretes ſanè pro elleboro poſita. Nam & Avicenna cicutam vocat nigrum elleborum. Itaque ſenſus eſt: quanta eſſet inſania mea, ſi ſcribendis verſibus etiamnum caput obtunderem, frangeremve? & quæ frigidiores herbæ poſſent temperare furorem hunc poëticum?

56. *Singula de nobis, &c.*] Altera non ſcribendi excuſatio.

58. *Denique non eadem, &c.*] Tertia eſt hæc ratio & excuſatio, quare verſus nolit ſcribere.

60. *Bioneis ſermonibus,*] Bion ſophiſtes &

Præter

Præter cætera, me Romæne poëmata cenſes
Scribere poſſe, inter tot curas, tótque labores?
Hic ſponſum vocat, hic auditum ſcripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini:
Hic extremo in Aventino: viſendus uterque:
Intervalla vides humanè commoda. Verùm
Puræ ſunt plateæ, nihil ut meditantibus obſtet.
Feſtinat calidus mulis gerulíſque redemptor;
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum; [861]
Triſtia robuſtis luctantur funera plauſtris;
Hâc rabioſa fugit canis; hâc lutulenta ruit ſus.
I nunc, et verſus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes,
Ritè cliens Bacchi ſomno gaudentis et umbrâ.
Tu me inter ſtrepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere, et contracta ſequi veſtigia vatum?
Ingenium, ſibi quod vacuas deſumpſit Athenas,
Et ſtudiis annos ſeptem dedit, inſenuitque
Libris et curis, ſtatuâ taciturnius exit
Plerumque, et riſu populum quatit: hìc ego rerum
Fluctibus in mediis, et tempeſtatibus urbis,
Verba lyræ motura ſonum connectere digner?

Præterea numquid putas me Romæ poſſe condere carmina tot inter ſolicitudines & moleſtias? Hic rogat ut pro ſe *ſpondeam: ille* ut *audiam quæ compoſuit, diſmiſſis quibuſcumque officiis; alter habitat in colle Quirinali, alter in ultimo Aventino: ambos adire oportet: cernis loca ſatis diſtantia. At vacuæ ſunt viæ, ut nihil cogitandum impediat.* Imo *occurrit operum conductor cum mulis & bajulis properans; machina lapidem aut trabem ingentem attollit: pompa funebris decertat cum magnis plauſtris: illuc rabioſa canis, iſtac porcus cœnoſus diſcurrit. Age modo, verſus optimos animo finge.* Verùm *ſcriptor omnis petit ſolitudinem, urbeſque vitat, jure cliens Bacchi quietem & otium amantis. Tu verò me jubes mediis in tumultibus noctis ac diei Lyrica ſcribere, & poëtarum ardua ſtudia conſectari? Ingenioſus quiſpiam Athenis tranquillis addictus,* ibique *ſeptem per annos ſtudiis operatus, ſedulæ librorum incumbens* lectioni, *prodit interdum taciturnior* quàm *ſtatua, & populo ludibrium exhibet.* Ergone *hic ego inter agitationes ac ſtrepitus civitatis animum inducam meum aptare voces lyrâ canendas?*

ANNOTATIONES.

poëta, dictus Boryſthenites, adeo mordax & dicax ut nemini parceret, ſed Homerum ipſum ſalibus amariſſimis proſciderit. Ejus meminit Plutarchus.

65. *Præter cætera,*] Quarta excuſatio.

67. *Sponſum*] Vide libro 2. Satirâ 6. ubi
. . . . . . *Romæ ſponſorem me rapis*

Auditum] De recitandi more & veſaniâ jam dixi.

68. *Colle Quirini:*] Ad remotiſſimam urbis regionem.

69. *Extremo in Aventino:*] Ad oppoſitam urbis partem verſus Tiberim.

70. *Intervalla vides, &c.*] Inter utramque illam regionem ſunt nempe forum Romanum, templum Jovis Feretrii, Capitolium, Palatium.

Humane commoda.] Ironicè, id eſt, valde incommoda ob longinquitatem itineris ac regionum diverſitatem. Perperam iſtas voces aliqui ſeparant.

Verùm Puræ ſunt plateæ,] Prolepſis. At vacuæ impedimentis ſunt viæ, atque inter eundum verſus meditari licet. Imò, inquit Horatius, moleſtiſſima eſt vel ob iſtam rationem quælibet urbe valde frequens & populoſa. Vide Juvenal. Sat. 3.

72. *Calidus redemptor;*] Ardens & inhians ad quæſtum. Vide Od. 1. lib. 3.

73. *Ingens machina*] Vel ſaxa ad muros, vel tigna ad contignationem attollens.

77. *Scriptorum chorus, &c.*] Ovid. Triſt. 1.

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

Quintil. lib. 10. cap. 3. *Secretum & liberum arbitrii locum, & quam altiſſimum ſilentium ſcribentibus maximè convenire nemo dubitaverit;* & paulo pòſt: *Silentium & ſeceſſus & undique liber animus maximè optanda ſunt.* Vide Juvenal. Sat. 7. v. 53. & ſeq.

78. *Cliens Bacchi*] In tutelâ Bacchi eſſe poëtas dictum eſt alibi non ſemel.

80. *Contracta veſtigia vatum?*] Anguſta, ardua, difficilia. Vide Juvenal. modò cit. Alii leg. *contacta,* ſed inepte.

81. *Ingenium, ſibi quod, &c.*] Si Athenis ludibrio eſt homo pluſculum meditabundus, & quaſi lectioni librorum immerſus; quid eſſem ego Romæ, ſi per vias irem profundâ cogitatione abſtractus, & tam à rebus quæ circa me ſunt, quàm à me ipſo ferè alienatus?

86. *Verba lyræ motura ſonum*] Verſus Lyricos.

Inſuper & alia quæ deterreant accipe. *Rhetor quidam erat Romæ frater juriſperiti, qui alter alterius perpetuas laudes audiebant. Hic illi quaſi Gracchus, ille huic tanquam Mucius prædicabatur. Nihilò* certè *minus inſania iſta detinet poëtas loquaces. Odas ego ſcribo, hic elegias, opus admirandum & à novem Muſis elaboratum. Animadverte primò quantâ cum arrogantiâ & anxietate contemplemur* Apollinis *templum Romanis poëtis deſtitutum. Deinde, ſi per otium licet, aſſectare quoque, & eminus auſculta quid quiſq; afferat, & cur ſibi lauream attribuat. Conficimur, totidemque vulneribus afficimus adverſarium, lento pugnâ* uſque *ad veſperam,* quaſi *Samnites. Illius ſententiâ ſum Alcæus: ille meâ quis erit? quis, niſi Callimachus?* Si quid *amplius petere videatur,*

Frater erat Romæ conſulti rhetor, ut alter
Alterius ſermone meros audiret honores: [862]
Gracchus ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.
Quî minus argutos vexat furor iſte poëtas?
Carmina compono, hic elegos, mirabile viſu,
Cælatúmque novem Muſis opus. Aſpice primùm
Quanto cum faſtu, quanto molimine circum-
Spectemus vacuam Romanis vatibus ædem.
Mox etiam, ſi forte vacas, ſequere; et procul audi
Quid ferat, et quare ſibi nectat uterque coronam.
Cædimur, et totidem plagis conſumimus hoſtem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Diſcedo Alcæus puncto illius: ille meo quis? [863]
Quis niſi Callimachus? ſi plus adpoſcere viſus,

ANNOTATIONES.

87. *Frater erat Romæ, &c.*] Quinta ratio, ineptus & vanus poëtarum animus, quem ſimilitudine explicat. Profectò jam pudere debet poëtam eſſe, inquit Horatius; cùm inſulſa vatum noſtrorum arrogantia paſſim nauſeam & offenſionem ingeneret.

89. *Gracchus*] Tiberius & Cajus Sempronii Gracchi & Corneliæ, de Scipionum familiâ, filii: ambo eloquentiâ claruerunt; ſed popularibus tumultibus nimiùm indulgentes miserè & indecorè perierunt. Cic. de Aruſp. reſponſ. n. 42. *Tib. Gracchum ſecutus eſt Cajus Gracchus, quo ingenio! quantâ vi! quantâ gravitate dicendi! ut dolerent boni omnes non illa tanta ornamenta ad meliorem mentem voluntatemque eſſe converſa.* Idem de clar. orat. *Fuit Gracchus diligentiâ Corneliæ matris à puero doctus, & Græcis literis eruditus . . . . . . Utinam in Tib. Gracch. Cajoque Carbone talis mens ad Remp. bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit. Profectò nemo his viris gloriâ præſtitiſſet.*

Mucius] Pub. Mucius *juris civilis intelligentiâ, atque omni prudentiæ genere præſtans.* Cic. modò cit.

91. *Mirabile viſu, &c.*] Judicio quidem ipſorum auctorum futili & inſulſo.

93. *Circum-Spectemus*] Se quidem cum iſtis poëtaſtris jungit Horatius, ut gravius eos proſcindat & confodiat.

94. *Vacuam Romanis vatibus ædem.*] Quandiu ſua ſcripta non replebunt *ædem* ſeu bibliothecam Apollinis, eam Romanis vatibus vacuam putant inepti illi; adeo ſe mirantur, & aliis omnibus præſtantiores exiſtimant.

96. *Quare ſibi nectat uterque coronam.*] Quàm ſtultè laureâ ſe poëtica dignos putent.

97. *Cædimur, & totidem, &c.*] Invicem quaſi vulneramur, & conficimur inani gloriæ opinione decepti, dum mutuis laudibus vaniſque titulis & elogiis alii alios perperam exornamus. Alii de recitandi & audiendi viciſſim moleſtâ occupatione intelligunt, afferuntque illud de arte Poëtica; *Recitator acerbus quem arripuit, tenet occiditque legendo*, ſed minùs bene.

98. *Lento Samnites, &c.*] Parum ad rem eſt Samnitum pertinax adverſus Romanos ad finem uſque diei pugna, de qua T. Liv. lib. 9. & Ennius;

Bellum æquis manibus nox intempeſta diremit.

Aptiùs ergo intelligemus illud genus gladiatorum, quos ab armatura Samnites dicebant, quoſq; inter epulas ſpectaculum adhibebant, adeoque *ad lumina, lento* etiam *duello*: quippe non gladiis ſed ſudibus decertantes, graves quidem ictus ſed minimè plagas aut necem inferebant.

99. *Alcæus*] Ab eo dicor alter Alcæus. De hoc Lyricorum coryphæo lib. 1. Od. 32. & lib. 2. Od. 13.

Puncto] Examine, ſuffragio, judicio.

100. *Callimachus?*] Hic Elegiographorum princeps apud Græcos, Quintiliano etiam teſte, Cyrene in Africa oriundus, floruit ſub Ptolomæis Philadelpho & Euergete, plurima certe carmina ſcripſit, ſed pervenerunt ad nos pauca duntaxat epigrammata, & hymni. Ex eo quidam imitari interdum & prædari ſtuduere Catullus atque Propertius. Quod breves libros amaret Callimachus inſimulantibus aiebat,

Ingens volumen ingens malum.

Fit Mimnermus, et optivo cognomine creſcit.
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Cùm ſcribo, et ſupplex populi ſuffragia capto:
dem, finitis ſtudiis, et mente receptâ,
Obturem patulas impunè legentibus aures.
Ridentur, mala qui componunt carmina: verùm
Gaudent ſcribentes; et ſe venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant quicquid ſcripsère beati.
At qui legitimum cupiet feciſſe poëma,
Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti:
Audebit, quæcunque parùm ſplendoris habebunt,
Et ſine pondere erunt, et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant,
Et verſentur adhuc intra penetralia Veſtæ. [264]
Obſcurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem ſpecioſa vocabula rerum,
Quæ priſcis memorata Catonibus atque Cethegis
Nunc ſitus informis premit, et deſerta vetuſtas.
Adſciſcet nova, quæ genitor produxerit uſus;
Vehemens, et liquidus, puróq; ſimillimus amni,
Fundet opes, Latiúmque beabit divite linguâ:
Luxuriantia compeſcet; nimis aſpera ſano
Lævabit cultu; virtute carentia tollet:
Ludentis ſpeciem dabit et torquebitur; ut qui
Nunc Satyrum, nunc agreſtem Cyclopa movetur.

dicetur Mimnermus, & exornabitur vocabulo quod optaverit.

Multa quidem *perfero, ne irritem Poëtas, ut plurimùm iracundos, quando* quidpiam *compono, & vulgi approbationem enixis precibus flagito: at poſt finita ſtudia cùm ad memet redii, ipſe aures occludam* antè *apertas temerè recitantibus. Deridentur qui ſcribunt inconcinnos verſus, ſed auctores ipſi ſibi placent & applaudunt, ac felices vendicant quod compoſuerunt, ſi à te non laudentur. Verùm quiſquis carmen exactum ſcribere voluerit, in eum chartâ accipiet animum boni critici: quæ dictiones minùs aptæ & pulchræ judicabantur, ultrò expunget, etſi reluctantes amoveantur, & adhuc incluſæ ſint in Veſtæ ſacrario: ſolers adhibebit ſplendidas rerum appellationes, ac diù populo ignotas producet: quas olim Catones & Cethegi uſurpârunt, nunc autem deformat turpis ſqualor & obſoleta antiquitas: finget novas quas auctor uſus propagabit: ad inſtar fluminis rapidi ac nitidi proferet divitias, ac ſermone opulento ditabit Latium: redundantia coërcebit, duriora ſcitè expoliet, inertibus vim addet: quaſi ludens circumagetur, velut qui modò Satyrum, modò rudem Cyclopem motu ſimulat.*

ANNOTATIONES.

101. *Mimnermus,*] De eo Poëta l. 1. Epiſt. 6. ad finem.

105. *Obturem patulas, &c.*] Interdum ineptias legentium & recitantium ferre cogor: at poſtea indignor, averſor, abhorreo.

114. *Intra penetralia Veſtæ.*] In conclavi, in ſcrinio ſcriptoris, quæ nemini præter ipſum ſcrutari licet: quemadmodum ſolus olim Pontifex maximus adire poterat *abditos & penetrales focos* apud Veſtæ fanum. Cic. vel ſicut è templo Veſtæ tanquam ex aſylo quemvis extraxiſſe nefas eſt. *Veſtam* hic pro Lare poni quidam volunt. De Veſta lib. 1. Od. 2.

115. *Obſcurata diù, &c.*] Art. Poët. v. 70. *Multa renaſcentur, quæ jam cecidère, &c.*

117. *Catonibus atque Cethegis*] Vetuſtiſſimis oratoribus, ferè coævis. Plin. lib. 7. c. 27. *Cato* inquit, *primus Porciæ gentis tres ſummas in homine res præſtitiſſe exiſtimatus eſt; optimus orator, optimus imperator, optimus ſenator . . . . quater & quadragies cauſam dixit: nec quiſquam ſæpius poſtulatus, & ſemper abſolutus.*

Cethegis] Intelligendus hic M. Cornelius Cethegus, quem Cicero in Bruto commendat, ejuſque eloquentiæ auctorem idoneum dicit Q. Ennium: quippe qui & ipſe eum audierit, & de mortuo ſcribat: unde nemo ſuſpicari poſſit, amicitiæ cauſâ eſſe mentitum. Is cum Pub. Sempronio Tuditano conſulatum geſſit, bello Punico ſecundo, annis ferè ducentis antequam hæc ſcriberet Horatius. Ennius in Annal.

Additur orator Corneliu' ſuave loquenti.
Ore Cethegus . . . .
Flos delibatus populi, Suadæque medulla.

Vide Quintil. lib. 2. cap. 15. ubi horum facit mentionem.

119. *Adſciſcet nova,*] Vide Art. Poët. v. 46. & ſeq.

124. *Ludentis ſpeciem dabit*] Eâ ſubtilitate ſcribet ut ludere videatur; adeò res quæque luculenter & facilè ſcriptæ apparebunt, ut *ſibi quivis ſperet idem; at ſudet multum fruſtraque laboret auſus idem.* Art. Poët. v. 240. Vide ibi annot.

125. *Ut qui Nunc Satyrum, nunc, &c.*] Velut

 Præu-

Ego certè mallem haberi poëta vesanus & insulsus, dummodò placeant mihi, vel etiam ignota sint vitia mea; quàm bene scribere & animo cruciari. Argis fuit quidam non plebeius, qui credebat se audire tragœdos excellentes in vacuo theatro sedens & applaudens: cæterùm honestæ vitæ officia non omittebat, probus omninò vicinus, benignus hospes, bonus erga conjugem, mitis in servos, nec supra modum excandescens si fractum inveniret lagenæ sigillum: denique rupem vel puteum facilè devitabat. Ille affinium curâ & auxilio sanatus, pulso morbo & bili per elleborum purum, ad mentem sanam reversus dixit: Profectò me occidistis, ô amici, non servâstis, cui gaudia sic abstulistis, & mentis errorem jucundissimum eripuistis per virtutem medicamentorum. Scilicet expedit sapientiæ studere, abjectis nugis; & pueris relinquere ludum ætati congruum. Jam non ampliùs juvat sectari voces chordis Latinis canendas, sed rectæ vitæ rationes & instituta scrutari. Quapropter ita mecum reputo, & tacitè statuo: si nulla aquarum abundantia sitim placaret, medicos adires; cur autem nemini audes fateri, quò plus habes, eò plus te appetere?

Prætulerim ſcriptor delirus inérſque videri, [865]
Dum me delectent mala me, vel denique fallant,
Quàm ſapere, et ringi. Fuit haud ignobilis Argis,
Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus ſeſſor plauſórque theatro;
Cætera qui vitæ ſervaret munia recto
More; bonus ſanè vicinus, amabilis hoſpes,
Comis in uxorem, poſſet qui ignoſcere ſervis,
Et ſigno læſo non inſanire lagenæ:
Poſſet qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic, ubi cognatorum opibus curiſque refectus,
Expulit elleboro morbum bilémque meraco,
Et redit ad ſeſe: Pol me occidiſtis, amici,
Non ſervâſtis, ait; cui ſic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.
Nimirum ſapere eſt abjectis utile nugis [866]
Et tempeſtivum pueris concedere ludum;
Ac non verba ſequi fidibus modulanda Latinis;
Sed veræ numeróſque modóſque ediſcere vitæ.
Quocirca mecum loquor hæc, tacitúſque recordor;
Si tibi nulla ſitim finiret copia lymphæ,
Narrares medicis: quod, quantò plura parâſti,
Tantò plura cupis, nulline faterier audes?

ANNOTATIONES.

eximius pantomimus geſtibus exprimens nunc agilem Satyrum, nunc tardum Cyclopem, tantâ quidem arte, ut ipſa Satyri, vel Cyclopis natura & perſona agere credatur; quod quidem pariter æmulari ſe poſſe quiſque ſpectantium facilè ſibi perſuaſerit: verùm ſi rem tentet jam difficultatem ſentiat. Vide lib. 1. Sat. 5. v. 63.

126. *Prætulerim ſcriptor, &c.*] Videtur per proſopopœiam induci Florus vel alius quiſpiam, hæc dicens & concludens ex rationibus ab Horatio prolatis.

128. *Ringi.*] Stomachari, intimis ſenſibus angi. Cic. ad Attic. lib. 4. Epiſt. 5. *Hi ſubringentur, qui villam me moleſtè ferunt habere, quæ Catuli fuerat.*

Fuit haud ignobilis Argis,] Homo ille vocabatur Lycas, ex vet. Comment. De *Argis* urbe, lib. 1. Od. 7. annot.

129. *Qui ſe credebat, &c.*] Idem Abydi geſtum narrat Ariſtoteles. Vide Athenæum l. 12. in fine, ubi ſimilem refert de inſano hiſtoriam ſat lepidam. Thraſylaus nempe quidam (Thraſyllum vocat Ælianus Var. lib. 4. cap. 25.) ſuas eſſe putabat naves omnes in Piræum appellentes; has recenſebat, excipiebatque tanto gaudio, quàm ſi dominus fuiſſet earum rerum omnium, quæ adveniſſent ſalvæ. Is verò Critonis fratris curâ ſanatus, affirmabat lætum ſe prorſus ac beatum vixiſſe ea dementia; quoniam omnis moleſtiæ expers, & multam voluptatem animo perciperet.

134. *Signo læſo lagenæ:*] Lagenas vini obſignabant olim adverſus fraudem ſervorum. Cic. lib. 16. Epiſt. 26. ad Tironem; *Olim matrem memini lagenas etiam inanes obſignare, ne dicerentur furtim exſiccatæ fuiſſe.* Perſ. Sat. 6. v. 17. ubi

Et ſignum in vapidâ naſo tetigiſſe lagenâ.

Inſanire] Iraſci nimium, uſque ad furorem & inſaniam.

140. *Mentis gratiſſimus error.*] Vide Athen. paulò ante cit. ubi ait, jucundiſſimas eſſe inſanorum delicias.

141. *Nimirum ſapere eſt abjectis, &c.*] Tranſit ingenioſè Horatius ad aliam materiam, nempe, moribus corrigendis potius quam verbis connectendis & numerandis ſtudere jam expedit, ibi Flori vitia ſolerter notat.

146. *Si tibi nulla ſitim, &c.*] In morbis cor-

Si vulnus, tibi monſtratâ radice vel herbâ
Non fieret levius, fugeres radice vel herbâ
Proficiente nihil curarier. Audieras, cui
Rem Di donarent, illi decedere pravam
Stultitiam; et cùm ſis nibilo ſapientior, ex quo
Plenior es, tamen utêris monitoribus iſdem ?
At ſi divitiæ prudentem reddere poſſent,
Si cupidum timidúmque minùs te; nempe ruberes,
Viveret in terris te ſi quis avarior uno.
Si proprium eſt, quod quis librâ mercatur & ære;
Quædam, ſi credis conſultis, mancipat uſus;
Qui te paſcit ager, tuus eſt: et villicus Orbî [867]
Cúm ſegetes occat, tibi mox frumenta daturus,
Te dominum ſentit: das nummos, accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo iſto
Paulatim mercaris agrum, fortaſſe trecentis,
Aut etiam ſuprà, nummorum millibus emptum.
Quid refert, vivas numerato nuper, an olim ?
Emptor Aricini quondam Veientis et arvi,
Emptum cœnat olus, quamvis aliter putat; emptis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.
Sed vocat uſque ſuum, quà pôpulus adſita certis
Limitibus vicina refugit jurgia: tanquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc ſorte ſupremâ

Si ægritudo non levaretur plantâ vel radice tibi indicatâ, ſperneres radicem aut plantam nihil remedii afferentem: auditu acceperas, Diis opes largentibus, hominem inſaniâ iſtâ liberari; factus autem locupletior quanquam nihilo magis ſapis, tamen auſcultas ſemper eoſdem monitores. At ſi opes meliorem, ſi minus avarum & ſolicitum efficerent, jure quidem erubeſceres, ſi quiſquam in orbe eſſet te ſolo cupidior. Jam verò, *ſi proprium eſt quod quiſque ſoluto pretio emit; ſi quædam ujus addicit, ut aiunt juriſperiti, tuus eſt ager qui te alit, & villicus Orbii occans ſegetes, ut tibi deinde triticum vendat, te herum ſentit: datâ pecuniâ mercaris uvam, pullos, ova, cadum vini; ita nimirum paulatim emis agrum fortaſſe millibus nummorum trecentis vel ampliùs comparatum. Quid intereſt ſeu nuper ſeu dudum ſoluto vivas? Poſſeſſor vetus agri Veientis & Aricini emptum comedit olus, quamvis aliter exiſtimet; emptis lignis ahenum calefacit ſub noctem frigidam. Atque ſuum appellat uſque ad populum juxta plantatam, quæ certis finibus dirimit controverſias vicinorum. Quaſi verò proprium aliquod ſit, quod momento fluxi temporis mutet dominos & in alterius poſſeſſionem tranſeat, vel precibus, vel emptione,*

ANNOTATIONES.

poris, conſulitur medicus; in morbis animi, diſſimulatur celaturque malum, nec ullum proinde remedium quæritur.

151. *Audieras,*] A Stoicis didiceras.

154. *Monitoribus iſdem ?*] Vel cupiditatibus vel avaria, qui ut rem ſemper augeas, admonent: quaſi ſapientia & felicitas una cum opibus accreſcerent.

158. *Si proprium eſt, quod quis, &c.*] Agit adverſus eos, qui multos agros emunt, magnam pecuniæ vim congerere ſtudent.

Librâ mercatur & ære;] Olim rei pretium ſeu pecunia pendebatur: poſtea numerari cœpit.

159. *Mancipat*] Jus & poſſeſſionem certam tradit, uſu continuato per tempus lege definitum.

160. *Qui te paſcit ager, tuus eſt:*] Tum emptione tum uſurpatione proprius tibi dicendus eſt ager, cujus fructibus uteris licet emptis. Cic. l. 7, Epiſt. 30. *Id cujuſque eſt proprium, quo quiſque fruitur atque utitur.*

161. *Occat,*] Sparſum ſemen terra operit glebas verſando & frangendo.

162. *Te dominum ſentit:*] Quamvis Orbii dicatur ager & villicus: tu tamen magis dicendus es dominus, cui fructus fert ager, & cui laborat villicus.

166. *Numerato nuper, an olim ?*] Qui agrum mercatur, fructus quidem univerſos præſentes, & futuros emit dato ſemel integro pretio: qui verò neceſſarios in diem fructus mercatur, agrum emit paulatim numeratò pretio & per partes dato.

167. *Aricini*] Aricia oppidulum Latii.

Veientis] Veii urbs Hetruriæ.

168. *Quamvis aliter putat.*] Non eſt quod inempta dicat olus & ligna. Scilicet eorum olim pretium numeravit & ſolvit, quando agros ſolutâ pecuniâ emit.

170. *Sed vocat uſque ſuum, &c.*] Prolepſis. Vide lib. 2. Sat. 2. ſub finem.

173. *Nunc prece, &c.*] Quatuor iſta ſunt rem capiendi genera: *prece*, per donationem precibus, officiis, aut aliâ ratione captatam: *pretio*, em-

Permutet dominos, et cedat in altera jura.
Sic quia perpetuus nulli datur uſus, et hæres [866]
Hæredem alterius, velut unda ſupervenit undam;
Quid vici proſunt, aut horrea? quídve Calabris
Saltibus adjecti Lucani, ſi metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena ſigilla, tabellas,
Argentum, veſtes Gætulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant, eſt qui non curet habere.
Cur alter fratrum ceſſare, et ludere, et ungi,
Præferat Herodis palmetis pinguibus; alter
Dives et importunus, ad umbram lucis ab ortu
Sylveſtrem flammis et ferro mitiget agrum;
Scit Genius, natale comes qui temperat aſtrum, [869]
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis, albus, et ater.
Utar, et ex modico, quantum res poſcet, acervo
Tollam; nec metuam, quid de me judicet hæres,

vel per violentiam, aut per mortem. Quoniam igitur nemo habet uſum perpetuum, atque hæres hæredi ſicut ſluctus fluctui ſuccedit; quid proficiunt villæ aut horrea? quorſum Lucani agri Calabris adjuncti, ſi magna parvaque abripit mors nequaquam auro placabilis? Lapillos, marmor, ebur, Etruſca ſigna, picturas, argentum, veſtes Getulicâ purpurâ tinctas multi non poſſident; quidam nec cupiunt poſſidere. Quare fratrum alter otium, nugas, unguenta habere malit, quàm optima palmeta Herodis; alter autem licet *opulentus agrum ſterilem laborioſè domet igne & vomere, à primâ luce* uſque *ad veſperam; novit Genius, qui comitatur ſidus ortui præſidens, humanæ naturæ Deus, qui cum ſingulis hominibus interit, faciem habens multiplicem, propitius, & adverſus.* Quæ cùm ità ſint, *bonis utar, & ex parvo cumulo deſumam quod opus erit; nec curabo quid hæres de me cenſeat,*

ANNOTATIONES.

ptione, *vi,* ereptâ veteri domino poſſeſſione, ſeu per vim armorum, ſeu per fraudem & iniquas lites: *ſorte ſupremá,* cum hæreditario jure obveniunt bona.

177. *Quid vici proſunt,*] Quidam legunt, *vites,* id eſt, vineæ.

Calabris Saltibus adjecti Lucani,] Calabriæ pariter & Lucaniæ opima valde paſcua erant. De contiguis illis ad ultimam Italiam regionibus jam dictum in Epod. 1.

180. *Tyrrhena ſigilla,*] Imagines parvas ex Hetruriâ, quam regionem primò incoluerunt populi à Tyrrheno Atyos (qui unus è poſteris Herculis) filio nominati, & è Lydiâ huc deducti.

181. *Gætulo murice*] *Purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus murices* (piſciculi) *in mediis habent faucibus . . . Præcipuus in Meninge Africæ & Gætulo littore Oceani.* Plin. lib. 6. cap. 36. De Gætulia dixi lib. 1. Od. 23. & lib. 2. Od. 20.

183. *Alter fratrum*] Deſignat Mitionem & Demeam fratres, quorum alter in urbe quietus degebat, alter ruri duris ſe laboribus exercebat, apud Terent. Adelph.

184. *Herodis palmetis*] Agris Judææ fertiliſſimis, & Jerichuntinis palmis, è quibus opimus redit proventus. Illic verò Herodis regia erat. Strabo lib. 16. *Hierichus campus à montana quadam circumdatus, quæ in amphitheatri ſpeciem ad ipſum declinat. Ibi eſt palmetum, habens & alias feraces arbores, ſed plures palmas: ad ſtadia centum extenditur irriguum totum ac villis frequens. Illic etiam viſitur Herodis regia, & balſami viridarium. Inde verò amplus eſt reditus & ingens vectigal.* Vide & Plin. lib. 5. cap. 17.

Herodis] Herodes apud Judæos regnavit temporibus Auguſti in partibus Syriæ: inquit vet. Schol. ad Perſii Sat. 5. v. 180. De eo nos amplius ibidem.

186. *Silveſtrem flammis*] Rem fusè explicat Virgilius Georgic. 1. v. 84. & ſeq.

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis.
Sive inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt: ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor;
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat quà ſuccus in herbas;
Seu durat magis, & venas aſtringit hiantes:
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia ſolis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

187. *Genius*] Numen quod rebus gignendis præeſt, & ſimul cum naſcente naſci, cum moriente mori credebatur. Ammian. Marcell. l. 21. Cenſorin. de die natali. Plutarch. lib. de interit. orac. &c.

189. *Albus, & ater.*] Duplicem cuique genium veteres aſſignabant, bonum & malum. Bruto cubanti narrant obſervatam olim ſpeciem corporis horrifici, & quærenti, quis Deus vel homo eſſet,

Quod

Quòd non plura datis invenerit: et tamen idem
Scire volam, quantum ſimplex hilariſque nepoti
Diſcrepet, et quantum diſcordet parcus avaro.
Diſtat enim, ſpargas tua prodigus, an neq; ſumptum
Invitus facias, neque plura parare labores:
Ac potiùs, puer ut feſtis Quinquatribus, olim
Exiguo gratóque fruaris tempore raptim.
Pauperies, immunda procul domus abſit: ego, utrum
Nave ferar magnâ an parvâ, ferar unus et idem.
Non agimur tumidis velis Aquilone ſecundo:
Non tamen adverſis ætatem ducimus Auſtris:
Viribus, ingenio, ſpecie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extrémis uſque priores.
Non es avarus; abi. Quid? cætera jam ſimul iſto
Cum vitio fugêre? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine, et irâ?
Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas,
Nocturnos lemures, portentáque Theſſala rides?

quia non retulerit majores opes quam mihi donatæ ſint. Ipſe tamen cupiam ſcire quid bonus lætuſque differat à luxurioſo, & quantum diſtet frugalis à ſordido. Quippe latum diſcrimen eſt utrum bona tua malè profundas, an ſponte inſumas; nec majora congerere ſtudeas: quin potiùs raptim utaris deinceps brevi & jucundâ ætate, ſicut puer feriis Quinquatribus, Ne res familiaris inops aut ſordida ſit: cæterùm *ſeu amplâ ſeu exiguâ cymbâ vehar, ipſe idemque ero. Non inflatis* quidem *velis feror proſpero Aquilone: at nec Auſtris contrariis* [illegible]*, viribus, ingenio, decore* externo, *virtute, gradu, facultatibus, primorum ultimus* ſum; *at ultimis antecedo. Non avarus es; euge: Quid? an cætera quoque vitia cum illo abſunt?* num *liber eſt animus ambitione vanâ, timore mortis, & iracundiâ?* nunquid *ſpernis inſomnia, magorum terriculamenta, prodigia, veneficas, umbras nocturnas, & Theſſalorum oſtenta?*

ANNOTATIONES.

& quid vellet; reſpondiſſe, Malus ego tuus genius ſum; hodiè me ad Philippos videbis. Cui Brutus intrepidè: Videbo. Plutarch.

192. *Plura datis*] A Mæcenate, ab Auguſto.

193. *Simplex*] Non ſumptuoſus aut prodigus, at *hilaris* & honeſtè bonis utens.

197. *Puer ut feſtis Quinquatribus,*] Plenâ & liberâ mentis hilaritate, quemadmodum pueri hilariter omninò tranſigunt dies feriatos ſibi conceſſos in Quinquatribus.

Quinquatribus,] Quinquatria vel potiùs Quinquatrus pluralis numeri, dies erant feſti in honorem Minervæ, quibus à ſtudio vacabant pueri, & minerval ſuis magiſtris deferebant. Nomen vel à dierum numero, quòd celebrarentur quinto die poſt Idus. Varro 5. de L. L. Gell. lib. 2. cap. 21, &c. vel quòd eâ die Minervæ ædes in Aventino conſecrata ſit. Feſtus. Alii aliter. Ovid. Faſt. 3.

Una dies media eſt, & fiunt ſacra Minervæ;
Nominaque à junctis quinque diebus habent.

201. *Non agimur tumidis, &c.*] Allegoria. Id eſt, Ego non opes habeo ingentes, nec ſumptuoſè vivo: at nec paupertate conflictor, nec ſordido victu immundam aut miſeram ætatem ago.

208. *Somnia, terrores, &c.*] An ſapienter & fortiter contemnis vana quæque terriculamenta? Vide Cœl. Rhodig. lib. 27. cap. 9. & ſeq.

209. *Lemures,*] Perſ. Sat. 5. v. 185. *nigros lemures* vocat: id eſt, umbras ſeu larvas, quibus noctu infeſtantur domus: quas procurandi ſeu expiandi rationem docet Varro lib. 1. de vitâ pop. Rom. Ovid. Faſt. 5. Vide Plin. lib. 7. Epiſt. 27. in qua pleraque refert ejus generis phantaſmata tum ſuis tum aliorum oculis obſervata. *Erat Athenis,* inquit, *ſpatioſa domus ſed infamis & peſtilens. Per ſilentium noctis, ſonus ferri, & ſi attenderes acriùs, ſtrepitus vinculorum, longiùs primo, deinde proximè reddebatur: mox apparebat idolon, ſenex macie & ſqualore confectus, promiſſâ barbâ, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. Inde inhabitantibus triſtes diræque noctes per metum vigilabantur, &c.*

Portentaque Theſſala, &c.] Miracula perpetrata à Theſſalis per artem magicam & veneficia, quibus ii maximè pollebant, à Medeâ edocti, ut aiunt. Plinius lib. 30. cap. 1. magiam apud Theſſalos propagatam ſcribit. Hinc & *mulier Theſſala,* pro magâ & veneficâ, in proverbium abiit.

Theſſala] Theſſalia pars fuit regni Macedonici perampla, quanquam diſtincta regio, inter Peneum fluvium ad Boream, & Thermopylas ad Auſtrum, ab occidente Epirum habet. Ejus præcipua urbs Lariſſa fuit, Achillis natalibus inclyta.

num hilariter annos tuos *recenſes? an indulges amicis? an ingraveſcente ætate ſis benignior ac probrior?* Enimverò *quid tibi prodeſt unam de multis ſpinis avulſiſſe? Si neſcis benè vivere, da locum melioribus: ſat nugatus es, ſatis ediſti & bibiſti:* jam *tempus eſt,* ut *abſcedas: ne pluſculum te laſcivientem derideant & exagitent juvenes convenientiùs laſcivientes.*

Natales gratè numeras? ignoſcis amicis?
Lenior et melior ſis accedente ſenecta? [871]
Quid te exempta juvat ſpinis de pluribus una?
Vivere ſi rectè neſcis, decede peritis.
Luſiſti ſatis, ediſti ſatis, atque bibiſti;
Tempus abire tibi eſt: ne potum largiùs æquo
Rideat, et pulſet laſciva decentiùs ætas.

ANNOTATIONES.

210. *Natales gratè numeras?*] Libenterne ætatis annos recenſes? an non horres mortis accedentis mentionem? hoc enim puſilli eſt animi.

211. *Lenior & melior ſis accedente ſenectâ?*] Tunc certè, aut nunquam, minui debent animi perturbationes, tum deferveſcente ſanguine, tum uſu rerum & ſapientiâ creſcente.

212. *Quid te exempta juvat, &c.*] Quid juvat unum vitium expuliſſe, ſi alia ſuperſunt & torquent? Quid prodeſt avaritiam expugnâſſe, ſi ambitio, ſi ira, metus, ſuperſtitio, animum adhuc tuum obſident & cruciant?

214. *Luſiſti ſatis, &c.*] Ex Homeri Odyſſ. *Affatim edi, bibi, luſi.*

Q. Horatii Flacci
EPISTOLA
AD
PISONES:
SIVE DE
ARTE POETICA LIBER.

SEU è Demetrio Phalereo, ſeu è Neoptolemo Pario, ſeu potiùs ex Ariſtotele, ſeu è proprii ingenii acriſque judicii fœcunditate, ſagacitate, opibus hauſerit potiſſimùm Flaccus noſter; certè eminentiſſima quæque ſcribendi carminis præcepta hoc libello complexus eſt. Attamen Artem Poëticam vix appellem cum Quintiliano & aliis: malim verò Epiſtolam nuncupare cum nonnullis eruditis; tum ob inſperſum identidem ſatiricum ſalem, tum ob præceptionès aut carptim aut ſaltuatim datas. Hinc enimverò animo meo conſilium pridem ſubiit, ordine quodam adhibito illuſtrare hanc Horatii

partem;

partem; ſi quod eſt eximium illuſtrari poteſt. Liberaliter accipe, Lector, opellam hanc meam; dico libellum, quo Epiſtolam ad Piſones in Artis Poëticæ formam utcunque redegi, olim jam editum, nunc verò à me recognitum rurſúſque tibi propoſitum.

Q. H

Q. HORATII FLACCI

EPISTOLA

AD

PISONES:

SIVE DE

ARTE POETICA LIBER.

HUmano capiti cervicem pictor equinam [873]
Jungere ſi velit, et varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſupernè;
Spectatum admiſſi riſum teneatis, amici?
Credite, Piſones, iſti tabulæ fore librum
Perſimilem, cujus, velut ægri ſomnia, vanæ
Fingentur ſpecies: ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. Pictoribus atque Poëtis

INTERPRETATIO.

Si pictor humano capiti addat collum equinum, diverſaſque plumas apponat membris hinc & inde collectis, adeò ut mulier vultu pulchra deformem piſcis caudam habeat; an cachinnos cohibere poſſitis, ô amici ad ſpectandum introducti? ô Piſones, credite ſimilem huic tabellæ fore librum, cujus fiant ægrotantis inſomnia inanes formæ conſtabuntur; ità *ut nec finis nec principium ad unum quid referatur.* Atqui *pictoribus & poëtis*

ANNOTATIONES.

1. *Humano capiti, &c.*] Per ridiculæ & monſtroſæ picturæ ſimilitudinem primo loco docet Horatius, uniforme opus, ejuſque partes homogeneas eſſe oportere; tum ut cohæreant & conveniant univerſa & ſingula, tum ut ad quid unum omnia reſpondeant. Vide Ariſtot. Poët. cap. 1. & ſeq.

3. *Undique collatis*] Diverſorum animalium membris corpus unum monſtroſum conſlantibus.

6. *Piſones,*] Horum familia Romæ dudum nobilis ac numeroſa. Calpurnii vocati ſunt à Calpo Numæ filio; unde poſteà, *Vorò Pompilius ſanguis.* Porrò ſcribit Horatius ad patrem & ad filios Piſones, præſertim verò ad hos; quorum pater L. Piſo Conſul cum Druſo Libone, anno U. C. 738. Auguſto gratioſus extitit, aliiſque muneribus in Rep. egregiè perfunctus eſt; cæterùm literarum ac literatorum impensè amans.

7. *Ægri ſomnia,*] Corruptis morbo perturbatiſque humoribus, cerebroque malè affecto, portentoſa gignuntur inſomnia.

Quid-

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.
Scimus, et hanc veniam petimúſque damúſque viciſſim : [874]
Sed non ut placidis coëant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Incœptis gravibus plerumque et magna profeſſis
Purpureus latè qui ſplendeat unus et alter
Aſſuitur pannus; cùm lucus et ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius deſcribitur arcus.
Sed nunc non erat his locus : et fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare : quid hoc, ſi fractis enatat exſpes
Navibus ære dato qui pingitur ? amphora cœpit
Inſtitui : currente rotâ cur urceus exit ?
Denique ſit quidvis ſimplex duntaxat et unum. [875]
Maxima pars vatum, (pater, et juvenes patre digni)
Decipimur ſpecie recti. Brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio : ſectantem lævia, nervi
Deficiunt animíque : profeſſus grandia turget :
Serpit humi tutus nimiùm timidùſque procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,

quodcunque libuit ſemper etiam licuit. Fateor; atque hanc indulgentiam petimus æquè & largimur : verùm non adeò ut aſpera mitibus, angues volucribus, agni tigribus ſocientur.

Initiis grandibus ſæpe & magnificis ſubjunguntur unus vel duo centones purpurei, qui longè refulgeant : quando deſcribitur lucus, fanum Dianæ, rivulus per amœnos campos decurrens fluvius Rhenus, iris. At non erat tunc aptus *iſtis locus. Et fortaſſe noſti pingere cupreſſum. Quorſum verò iſtud, ſi pacto pretio pingendus eſt* homo *fractâ nave emergens nudus? amphora formari cœpta eſt; cur rotâ revolutâ urceus prodit? Denique ſimplex & unum planè ſit* id *quod componis.*

O pater, & juvenes patre digni, nos poëtæ ut plurimùm imagine recti fallimur. Si conor eſſe brevis, obſcurus evado. Polita conſectanti ſpiritus & vires haud ſuppetunt : qui vult loqui ſublimia, turgidus fit : ſecurus nimis & ardua metuens fit humilis; qui rem unam plus æquo variare nititur,

ANNOTATIONES.

12. *Sed non ut placidis*] Nec pictor, nec poëta debet fingere unquam naturæ repugnantia.

14. *Incœptis gravibus*] Præcipit vitandas digreſſiones futiles & ineptas; atque locos communes intempeſtivè haud tractandos : quem ad ſcopulum frequenter impingunt illiduntur que poëtaſtri. Vide quàm aptè & quàm non prolixè Virgilius deſcribat *peſtilentiam*, Geor. 3. *famam*, Æn. 4, &c. Lucanus contra *more ſuo omnia ponit in exceſſu*. Scal. l. 5. c. 15, Idem de eod. l. 6. c. 3. *Lucani effrænis mens, ſui inops, ſerva impetus. atque idcirco immodica, raptaque calore ſimul & calorem ipſum rapiens.*

15. *Purpureus latè qui, &c.*] Non magis ſplendet carmen locis communibus perperam tractatis, quam veſtis aſſuto centone purpureo. Vide ſupra l. 2. Epiſt. 1. 73.

16. *Lucus & ara Dianæ.*] Nemus Aricinum, ubi ara Dianæ ſacra : quæ poëtis materia frequens, tum ob amœnitatem loci, tum ob Dianæ Tauricæ Oreſtiſque miram & fatalem hiſtoriam multiplicis argumenti fertilem.

18. *Flumen Rhenum.*] Hoc celebrare affectabant in gratiam Aug. Cæſaris, cujus ibi victoriæ multæ & præclaræ. Suet. Octav. c. 21. & Dio. l. 54 &c.

Pluvius arcus.] In eo deſcribendo ſæpiùs inſulsè morabantur imperiti; at raò & paucis Virgilius Æneid. 4. v. 700.

20. *Si fractis enatat exſpes*] Mos erat naufragorum, pictum in tabella naufragium circumferre ad corrogandam ſtipem. Vide Perſ. Sat. 1. v. 89. Juvenal. Sat. 14. v. 301. & ſeq.

21. *Amphora cœpit Inſtitui, &c.*] *Amphora* vas grande, *urceus* vas exiguum, notant principium grave pauld pòſt in minuta & levicula abiens & evaneſcens. Iſto loco utuntur S. Hieron. ad Lætam, aptius autem Sidonius Apoll. Epiſt. 16.

22. *Currente rotâ*] In operis progreſſu. Metaph. à rotâ figulari.

23. *Quidvis*] Al. *quodvis*.

25. *Brevis eſſe laboro, Obſcurus fio :*] Quintil. l. 4. c. 2. *Nimium corripientes omnia ſequitur obſcuritas.* Summorum poëtarum eſt magnum ſenſum paucis efferre. Virgil. Æneid. 3. v. 11.

. . . . . *Campos ubi Troja fuit.*

Perſ. Sat. v. 38.

Virtutem videant, intabeſcantque relicta.

26. *Sectantem lævia nervi Deficiunt*] Sententiarum majeſtas, ſpiritûs poëtici vis & altitudo ſæpe deeſt : deeratque verſibus Neronis à Perſio deriſis. Sat. 1.

27. *Profeſſus grandia turget :*] Magniloquentia orationi inflatæ affinis eſt.

28. *Serpit humi tutus*] Qui non audet aſſurgere, repat neceſſe eſt. Id vitii habent Valer. Flacc. Argon. Silius Italic. &c.

29. *Qui variare cupit*] Varietate carmen lucet

Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.
Æmilium circa ludum faber imus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur ære capillos,
Infelix operis ſummâ, quia ponere totum
Neſciet: hunc ego me, ſi quid componere curem,
Non magis eſſe velim, quàm pravo vivere naſo,
Spectandum nigris oculis, nigróque capillo.
Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus: et verſate diu, quid ferre recuſent [876]
Qud valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraque differat, et præſens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc ſpernat, promiſſi carminis auctor.
In verbis etiam tenuis cautúſque ſerendis,
Dixeris egregiè, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum: ſi fortè neceſſe eſt
Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget: dabitúrque licentia ſumpta pudenter.
Et nova factáque nuper habebunt verba fidem, ſi

delphinum ſilvis, aprum mari appingit. In vitium impellit vitii fuga non ſolers.

Ignobilis ſtatuarius ad Æmilianum ludum habitans *ungues ac tenues capillos ære finget* optimè, *opus* tamen dabit *inconcinnum, quia totum perficere nequit. Huic ego ſimilis eſſe quidpiam ſcribens tam nolim, quàm nigris oculis & capillis ſpecioſus indecoro eſſe naſo.*

Quicunque aliquid componitis, eligite materiam viribus veſtris parem: diúque perpendite quid poſſitis & quid nequeatis exequi. Qui rem ſolerter elegerit, haud carebit elocutione & pulchrâ diſpoſitione.

Ordinis, ut opinor, hæc erit vis & perfectio; ut jam quædam dicat, plura verò *quæ jam dicenda* videatur *alium in locum reſervet: alia aſſumat, alia relinquat ſcriptor poëmatis polliciti.*

Porrò *in vocibus proferendis ſobrius & prudens, præclarè dices, ſi ſolers conjunctio novam fecerit dictionem vulgarem: quod ſi oporteat res abſtruſas exprimere ſignis inſolitis, licebit procudere* verba *ſuccinctis Cethegis inaudita:* debetque *licentia concedi verecundè uſurpata. Voces autem recentes & novæ locum obtinebunt, ſi à*

ANNOTATIONES.

ac delectat: at ſi præter modum illa ſit, tam prodigioſa videbitur, quàm delphinus in ſilvis, aper in mari pictus; quique ſic vel tabellam pictor vel carmen poëta inſignire geſtit, ridiculus evadit. Profana figmenta ſacris rebus ineptè interſerit Sannazarius.

32. *Æmilium ludum*] Ludum gladiatorium Æmilii.

37. *Nigris oculis, &c.*] Hi olim in laude erant, ut alibi dictum eſt.

38. *Sumite materiam*] Tertium præceptum quod eſſe primum debuit, inquit Scaliger Poët. l. 6.

42. *Ordinis hæc virtus*] Quarto de ordine, *quem ſane mutilè docet.* J. Scalig. modò cit.

43. *Jam nunc dicat, &c.*] Hiſtoria rerum ſeriem enarrat ſecundùm ordinem temporum: at contrà poëſis artificioſam requirit rerum diſpoſitionem. Patet ex Homeri Odyſſeâ, & Iliade. Sic in Virgilii Æneide liber primus eſſe debuiſſet qui ſecundus eſt, & tertius eſſe qui eſt primus. Vide poſteà verſ. 146. & ſeq.

45. *Promiſſi carminis*] Diù ante exſpectati, quod ſi opinione non reſpondet, ſtatim exploditur.

46. *In verbis etiam tenuis*] Jam de partibus elocutionis. Verba licet nova facere; ſed modus ſervandus. Cic. in Bruto, Quintil. l. 1. c. 5. *Nova verba non ſine quodam periculo fingimus, &c.* Gell. l. 1. c. 12. *Quod à C. Cæſare excellentis ingenii ac prudentiæ viro, 1. lib. de Analogiâ ſcriptum eſt, habe ſemper in memoria atque in pectore, ut tanquam ſcopulum ſic fugias inauditum atque inſolens verbum:* & paulò antè; *Vive moribus præteritis: loquere verbis præſentibus.*

48. *Junctura*] Sive in verbo è duobus compoſito, ut, *poſtliminium*, *velivolum* mare, *ſolivagus, fœdifragus*: ſive in oratione, ut arborum *comæ* pro foliis, Epod. 2. & hic v. 58. *ſignatum præſente notâ* nomen: ubi *notæ* voces novitatis habent gratiam, & quaſi novam dictionem faciunt per juncturam non vulgarem. Vide Macrob. Saturn. 1. cap. 4. & 5.

50. *Cinctutis Cethegis*] M. Corn. Cethegum Tullius in Bruto inter priſcos oratores numerat: *cinctutis*, veteri more ſuccinctis, aptatâ infra pectus tunicâ. Epentheſis. Vel, à cinctu ſcilicet Gabino, fit cinctutus,

Græcofonte cadant, parcè detorta. Quid autem [877]
Cæcilio, Plautóque dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varióque? ego cur acquirere pauca
Si poſſum, invideor; cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, ſempérque licebit
Signatum præſente notâ procudere nomen.
Ut ſilvæ foliis pronos mutantur in annos;
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modò nata vigéntque.
Debemur morti nos, noſtráque; ſive receptus
Terrâ Neptunus, claſſes Aquilonibus arcet,
Regis opus; ſterilíſve diu palús, aptáque remis,
Vicinas urbes alit, et grave ſentit aratrum: [878]
Seu curſum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt,
Nedum ſermonum ſtet honos, et gratia vivax.
Multa renaſcentur, quæ jam cecidêre; cadéntque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,

Græca origine deriventur paululùm deflexæ. Quare verò Cæcilio ac Plauto indulgebunt Romani quod Virgilio & Vario negaverint? Quare vetabor ego, ſi valeo, quæpiam propagare; quandoquidem Catonis atque Ennii ſermo linguam Romanam locupletavit, inauditaque rerum vocabula induxit? Certè licuit ſemper ac licebit proferre dictiones uſu comprobatas.

Quemadmodum vertente anno arboribus folia mutantur, & vetera decidunt; ſic antiquarum dictionum auctoritas obſoleſcit: nuper autem productæ quaſi juvenes floreſcunt ac vigent. Homines humanaque morti obnoxia ſunt. Ità mare terrâ receptum, regale opus, navigia à ventis tuetur, palus autem anteà ſterilis & navigabilis jam propinquas nutrit civitates & vomere proſcinditur. Sic fluvius curſum fruges devaſtantem convertit, aptiori alveo deductus. Mortalium opera interibunt: tantùm abeſt ut verborum decor & vis permaneat. Plerumque dudum obſoleta reviviſcent: & quæ nunc vigent abrogabuntur, ſi voluerit uſus,

ANNOTATIONES.

53. *Græco fonte cadant,*] Qualia, ephippium, triclinium, propola, bibliotheca, exantlare, &c.

54. *Cæcilio,*] De eo poëtâ lib. 2. Epiſt. 1. v. 59.

Plauto] Lib. modò cit. Epiſt. cit. verſ. 58. & 170.

55. *Virgilio,*] Hic Latinorum poëtarum coryphæus intulit quædam inſolita: lychni, ſpelæa, Thyas, trieterica Bacchi Orgia, &c.

Vario,] De eo l. 1. Od. 6. & l. 1. Sat. 5. & 8.

56. *Invideor;*] Dum agit de fingendis novis vocibus, ipſe fingit hanc appoſitè, *invideor*, pro mihi invident.

Catonis] Hic *tempeſtivum* primus dixiſſe fertur, Cic. 3. de fin. *Si Zenoni licuit, cùm rem aliquam inveniſſet inauditam, inuſitatum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni?* De eo jam antè non ſemel.

Enni] Lib. 1. Sat. 13. & l. 2. Epiſt. 1. Ovid.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

57. *Nova rerum Nomina protulerit?*] Quæ quidem eo tempore uſu comprobata ſunt.

58. *Semperque licebit, &c.*] Quintil. cit. lib. 1. c. 5. ita ſcribit: *Nova inducta ſi recepta ſint modicam laudem afferunt, repudiata etiam in jocos exeunt: audendum tamen: namque, ut Cicero ait, etiam quæ primò dura viſa ſunt, uſu molliuntur.*

59. *Signatum præſente notâ*] Metaph. à re nummariâ.

Procudere] Al. *Producere.*

63. *Sive receptus Terrâ Neptunus.*] Portus quilibet, vel portus Julius apud Bajas, immiſſo in Lucrinum lacum mari effectus. Sueton. Octav. cap. 16. Dio lib. 48. Virgil. Georg. 2. v. 161.

An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra,
Atque indignatum, &c.

65. *Regis opus;*] A Julio Cæſare inchoatum, ab Auguſto perfectum. Sueton. modò cit. Plin. lib. 36. cap. 15.

Sterilíſque diu palus, &c.] Pomptina palus in Campania. T. Liv. Epit. lib. 46. *Pomptinæ paludes à Corn. Cethego Conſule, cui ea provincia obvenerat, ſiccatæ; agerque ex iis factus, &c.*

66. *Vicinas urbes*] Setiam, Privernum, Terracinam, &c.

67. *Seu curſum mutavit iniquum*] Tiberis olim per Velabrum fluens, in alveum aptiorem deductus Auguſti juſſu, nè urbi agriſque ampliùs mala & perniciem exundans inveheret.

70. *Multa renaſcentur,*] Lib. 2. Epiſt. 2. v. 115. Quintil. cit. lib. c. 6. *Verba à vetuſtate repetita non ſolùm magnos aſſertores habent, ſed & afferunt orationi majeſtatem aliquam, non ſine de-*

Quem

Quem penès arbitrium eſt, et jus, et norma loquendi.
Res geſtæ regúmque ducúmque et triſtia bella,
Quo ſcribi poſſet numero, monſtravit Homerus.
Verſibus impariter junctis querimonia primùm,
Pòſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, et adhuc ſub judice lis eſt.
Archilochum proprio rabies armavit iambo.
Hunc ſocci cepêre pedem, grandéſque cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, et populares
Vincentem ſtrepitus, et natum rebus agendis.
Muſa dedit fidibus divos, puerósque deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera vina referre.
Deſcriptas ſervare vices, operúmque colores,
Cur ego, ſi nequeo ignoróque, poëta ſalutor?
Cur neſcire, pudens pravè, quàm diſcere malo?

à quo pendet ſermonum auctoritas & modus. Homerus oſtendit quo metro deſcribi debeant facta & bella principum & imperatorum. Verſibus inæqualibus conjunctis ſcriptæ primùm fuerunt res luctuoſæ, dein etiam lætæ. Quis verò primus ediderit elegias, Grammatici non conſentiunt; atque integra etiamnum manet controverſia. Archilochum ira armavit iambo ſuo. Hunc pedem uſurpârunt comœdiæ & tragœdiæ, tanquam *idoneum colloquiis, ac ſuperantem clamores populi, aptumque actioni. Muſa juſſit lyricis verſibus cantari Deos, Heroas, athletam victorem, equum curſu priorem, adoleſcentum amores & libera convivia.* Quòd *ſi dictas carminum varietates & proprietates neſcio, nec valeo obſervare, quare poëta vocer? quare per malam verecundiam ignorare malo quàm diſcere?*

ANNOTATIONES.

lectatione. Nam auctoritatem antiquitatis habent; & quia intermiſſa ſunt, gratiam novitati ſimilem parant. Sed opus eſt modo . . . . nec utique ab ultimis & jam obliteratis repetenda temporibus, &c.

72. *Jus, & norma loquendi.*] Gall. lib. 12. cap. 13. *Conſuetudo omnium domina rerum, tum maximè verborum eſt.* Quintil. cit. lib. 1. cap. 6. *Ridiculum pæne fuerit, malle ſermonem quo locuti ſunt, quam quo loquuntur. Sed neceſſarium eſt judicium . . . . . In loquendo, non ſi quid vitioſè multis inſederit, pro regula ſermonis accipiendum . . . . Ergo uſum & conſuetudinem ſermonis vocabo conſenſum eruditorum: ſicut vivendi, conſenſum bonorum.*

74. *Quo ſcribi numero*] Carmine ſcilicet heroico.

75. *Verſibus impariter junctis*] Elegiacis, quorum alter hexameter, alter pentameter.

Querimonia] Aptè quidem: nam ut animus lugentis fractus & debilis, ſic Elegiæ numerus quaſi fractus & claudus. Theod. Marcil.

77. *Exiguos elegos*] Quorum ſtylus magis tener & humilis eſſe debet, quam altus & magnus. Pater ex Ovidio, Catullo, Tibullo, Propertio.

Auctor,] Callinoum Epheſium alii dicunt, alii Naxium, alii Colophonium quendam, ſeu Terpandrum. Vide Iſidor. lib. 1. cap. 38.

79. *Archilochum*] Hic amarulentum carmen Iambicum invenit ſtimulante irâ. De eo in Epod. 6. Ovidius in Ibin.

Tincta Lycambæo ſanguine tela ferum.

80. *Socci, cothurni,*] Hi tragœdorum, illi comœdorum calcei. Synecd. *grandes*: tum quòd revera alti; tum quòd tragicæ res grandes, ſublimíſque earum ſtylus: à Sophocle inductus primò in ſcenam cothurnus; teſte Servio in Virgil. Ecl. 8.

81. *Alternis aptum*] Quia ſæpè Iambicus verſus imprudentibus nobis excidit, & quod orationi ſimillimus, hinc *propter ſimilitudinem veritatis in fabulis adhibetur.* Cic. de Orat. 3. Ariſtot. Poet. c. 4.

82. *Populares Vincentem ſtrepitus,*] Gravitate propriâ vel altiùs ſonantem, vel etiam comprimentem ſtrepitus populi.

Natum rebus agendis.] Ob naturalem motum & ſaltum. Cic. Orat. Quintil. l. 9. c. 4. certè alii verſus fluere, at Iambicus per ſaltus ire videtur.

83. *Muſa dedit*] Pindaro, Alcæo, Sapphoni, Anacreonti, Simonidi, &c, necnon & Horatio.

84. *Certamine*] Olympico.

85. *Libera vina*] Liberas comeſſationes, convivia in quibus licet cuique quodcunque libet loqui citra invidiam.

86. *Vices,*] Varias dotes, affectiones, diſcrimina; vel etiam, diſpoſitionem materiæ ex arte variam, &c. Ergo Claudianus, Auſonius, & alii, verſus magis quam carmen fecere.

Colores,] Varium ſtylum, modo ſublimem, modo remiſſum. Ut in pictura diverſa diverſis coloribus; ſic argumenta varia diverſo ſtylo, variâ dictione, & propriis una quæque dotibus exornata diſtinguuntur. Vide Quintil. l. 12. c. 10.

Verſibus

Verſibus exponi tragicis res comica non vult.
Indignatur item privatis ac propè ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.
Singula quæque locum teneant ſortita decenter.
Interdum tamen et vocem comœdia tollit;
Iratúſque Chremes tumido delitigat ore;
Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.
Telephus et Peleus, cúm pauper et exul uterque,
Projicit ampullas et ſeſquipedalia verba,
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querelâ.
  Non ſatis eſt pulchra eſſe poëmata: dulcia ſunto,
Et quocunque volent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum eſt
Primùm ipſi tibi; nunc tua me infortunia lædent,
Telephe, vel Peleu: malè ſi mandata loquêris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Triſtia mœſtum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem laſciva, ſeverum ſeria dictu.
Format enim Natura priùs nos intus ad omnem

Res comica non debet efferri verſibus tragicis. Pariter Thyeſtæ cœna recuſat exponi dictione humili & ferè comicâ. Omnia proprium ſibi locum obtineant. Aliquando, tamen comœdia vocem attollit; & Chremes iratus alto ſermone altercatur, & nonnunquam tragicus dolet humili dictione. Telephus & Peleus ambo exules & egentes reſpuunt voces tumidas & magnas, ſi cupiunt ſuo luctu commovere animum ſpectatoris.

Non ſufficit ut carmina ſplendida ſint: ſint etiam ſuavia, & quo voluerint impellant mentem audientis. Sicut ridentibus arridet hominis vultus, ita lugentibus adflet. Si vis me lacrymari, flere temet primùm oportet, tunc ærumnæ tuæ movebunt me, O Telephe, vel Peleu; ſi ineptè loquaris præſcripta, vel obdormiam vel deridebo. Triſti vultui mæſta verba conveniunt, irato minacia, laſcivienti procacia, ſevero ſeria. Etenim natura primo noſtrum animum componit ſecundùm

ANNOTATIONES.

89. *Verſibus exponi tragicis, &c.*] Tragœdiæ magniloquentia rebus comicis humilibus haud congruit. Sic etiam ſtylum mediocrem Comœdiæ idoneum reſpuit Tragœdia, res nimirùm magnas tractans. *Sua cuique propria lex, ſuus decor eſt: nec Comœdia in cothurno, nec Tragœdia ſocco ingreditur.* Quintil.

90. *Privatis*] Vulgaribus, plebeiis. Magiſtratu fungentes appareant ſublimes, privati contra humiles.

91. *Cœna Thyeſtæ.*] Synecd. pro quâlibet materiâ tragœdiæ aptâ. De Thyeſte lib. 1. Od. 6. & 16. item Epod. 5. Vide Senec. Trag.

93. *Interdum tamen, &c.*] Si quid infandum horrendumve ſit deſcribendum, vocem debet attollere comœdia, ſtylumque aptum adhibere.

94. *Iratuſque Chremes*] Vide Terent. Heautontimor. Act. 5. Scen. 5. item Adelph. Act. 5 necnon Donat. Ibid. ſuprà lib. 1. Sat. 4.

——at pater ardens
Sævit.

95. *Tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.*] Quis enimverò dolore preſſus grandia loqui poſſit? Itaque meras nugas effutit Hecuba apud Senec. Troad. cum tam multa & tam magna dolens proloquitur: Apage *qui frigidum ſeptena Tanain ora pandentem bibit, &c.* Vide quàm aptè contrà apud Euripidem.

96. *Telephus*] Hic Myſorum rex ad inopiam redactus & mendicitatem, tragœdiæ materiam præbuit. Suidas.

Peleus.] Tragicum aliud argumentum. Achillis pater ille, à civibus vel ab Æaco pulſus & exagitatus.

97. *Projicit ampullas, &c.*] Inflatas dictiones præſenti rerum ſtatui minimè congruas. In hoc decoro ſervando ceſpitavit Sophocles nunquam, Euripides interdum, Seneca Tragicus paſſim.

99. *Pulchra*] Diſerta, verbis ac verſibus magnificis.

Dulcia ſunto,] Pathetica, affectibus plena: aliàs non delectabunt, nec proinde movebunt auditorem.

100. *Animum auditoris agunto.*] Lib. 2. Ep. 1.

Iritat, mulcet, falſis terroribus implet,
Ut magus, &c.

102. *Si vis me flere, &c.*] Cic. *Ardeat qui vult incendere.* Quintil. *Priùs afficiamur ipſi, ut alios afficiamus.*

104. *Telephe, vel Peleu:*] Poëta, vel Hiſtrio Telephum vel Pelea exhibens & repræſentans.

108. *Format enim natura, &c.*] Cic. de Orat. *Omnes animi motus ſuum quendam habent à natura vultum, ſonum, geſtum: totumque corpus, omnes vultus, omneſque voces, ut nervi in fidibus, ità ſonant, ut à quoque animi motu ſunt pulſa.*

Intus ad omnem, &c.] In animo imprimit affectus præſenti conditioni idoneos, in adverſis mæſtitiam, in proſperis gaudium. &c.

Fortunarum

Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram;
Aut ad humum mœrore gravi deducit, et angit:
Pòſt effert animi motus interprete linguâ.
Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites peditéſque cachinnum.
Intererit multùm, Davúſne loquatur, an Eros:
Maturúſne ſenex, an adhuc florente juventâ [882]
Fervidus; an matrona potens, an ſedula nutrix;
Mercatórne vagus, cultórne virentis agelli;
Colchus, an Aſſyrius; Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum ſi fortè reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, àcer,
Jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, invictáque; flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.
Si quid inexpertum ſcenæ committis, et audes
Perſonam formare novam; ſervetur ad imum [883]

varios fortunæ ſtatus: movet aut provocat ad indignationem; vel gravi triſtitiâ affligit humi, cruciatque: deinde animi affectus depromit linguâ explicante.

Si conditioni loquentis ſermo non conveniat, nobiles & plebeii ridebunt effuſè. Diſcrimen ergo magnum eſt; utrum loquatur Davus, an Eros; utrum ſenex prudens, an juvenis ætate vigens & ardens; utrum fœmina inſignis, an ſtudioſa nutrix; utrum negotiator, an agricola; utrum *Colchus, an Aſſyrius;* an *Thebis, an Argis educatus.*

Scribens Poëma, *vel ſequere famam, vel res finge congruentes. Si repræſentas clarum Achillem; incitatus, ad iram pronus, inexpugnabilis, vehemens, dicat leges haud ſibi poſitas, omnia verò armis eſſe obnoxia. Medea exhibeatur ſæva & implacabilis; Ixion perfidus; Io vagabunda; Oreſtes mœſtus. Si autem novum aliquid proferre in theatrum, novamque perſonam fingere audes,*

ANNOTATIONES.

109. *Juvat,*] Vel, gaudium gignit: vel, juvat ad iraſcendum & impellit. Sicque vel una, vel duæ ſunt ſententiæ.

113. *Romani equites peditéſque*] Quicunque in amphitheatro, ſpectatores adſunt audiuntque; ſive nobilitas, ſive plebs. Illa in equo, hæc pedibus militabat.

114. *Intererit multum,*] Præceptum de decoro perſonarum obſervando: ubi quatuor diſtingui debent, fortuna ſeu conditio, ætas, vitæ inſtitutum, patria. Terentius alioqui ſolers ſapientum dicta quædam profert malè per ridiculas perſonas: ut per Soſiam; *Ne quid nimis.* Euripides ſervis & barbaris mulieribus graves nimis ſententias tribuit perperam.

Davus] Servus aſtutus & verſipellis, cui opponitur *Eros,* ſervus frugi apud Menandrum. Alii legunt, *diveſne loquatur an Irus,* id eſt, pauper. Unde proverb. apud Eraſm. *Iro pauperior.* Alii, ut videtur, melius: *Divuſne loq. an heros.*

115. *Maturus ſenex,*] Ætate & rerum peritiâ adeptus ſapientiam.

118. *Colchus, an Aſſyrius;*] Certè diverſarum nationum longè diverſi mores, diverſaque ſtudia. Colchi natura ſævi, Aſſyrii callidi & voluptarii, Thebani hebetes, Argivi arrogantes & magnanimi, &c. Vide lib 2. Epiſt. 1. v. 244.

Colchus,] Lib. 2. Od. 13.

Aſſyrius;] Lib. 2. Od. 11.

Thebis] Lib. 2. Sat. 15.

Argis] Triplex Argos: Peloponneſiacum, Argiæ caput: Amphilochium in Epiro; Pelaſgicum in Theſſalia, hodie *Armiro:* de quo jam lib. 1. Od. 7.

119. *Aut famam ſequere,*] Præceptum de formandâ perſonâ, ſeu de charactere perſonarum ſervando.

Famam] Communem omnium opinionem.

Convenientia finge.] Ex decoro & rectâ ratione.

120. *Honoratum ſi fortè rep.* &c.] Prima pars præcepti. Si expreſſos jam ab Homero Achillis mores exponis rurſum, vide ut talem eum exhibeas qualis vulgo exiſtimatur, & fuiſſe cognoſcitur, &c.

122. *Jura negat ſibi nata,*] Jus omne ſuis in armis poſitum aſſerat. Iliad. 21. & 22.

123. *Sit Medea ferox,*] Vide Euripidis Medeam. De ea nos ad Epod. 3. & 5.

Flebilis Ino,] Hæc Cadmi filia Athamantem maritum furore percitum fugiens, in mare ſe cum filio Melicertâ precipitem dedit. Homer. Odyſſ. 5.

124. *Ixion,*] Is ſocerum fraude circumventum peremit. Virgil. Æneid. 6.

Io] Hæc Inachi filia, à Jove adamata, atque in vaccam, ut Junoni lateret, converſa: ſed Juno rem cum intellexiſſet, œſtro vexatam in Ægyptum uſque egit ac depulit. Æſchyl. Prometh. Ovid. Metam. 1.

Oreſtes] Is ob interfectam matrem conſcientiæ ſtimulis vexatus nuſquam quieſcebat. Vide Euripidem. De eo nos lib. 2. Sat. 3. v. 153.

125. *Si quid inexpertum*] Alterum præcepti

Qualis ab incœpto proceſſerit, et ſibi conſtet.
Difficile eſt propriè communia dicere: túque
Rectiùs Iliacum carmen deducis in actus,
Quàm ſi proferres ignota indictáque primus.
Publica materies privati juris erit, ſi
Nec circa vilem patulúmque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres; nec deſilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex. [134
Nec ſic incipies, ut ſcriptor cyclicus olim: 136

curâ ut qualis ab initio apparuit, talis ad finem uſque perſeveret & ſecum conveniat.

Arduum eſt communia loqui propriè: proindéque *tu majori cum laude argumentum de Iliade in tragœdiam rediges, quàm ſi inaudita & minimè cognita primus ederes.*

Porrò, *materia publica reddetur tibi propria, ſi nec hæreas circa vilem circulum* & omnibus *patentem, nec verbum verbo explicare ſtudeas, ut fidelis interpres: præterea nec imitando conjicias te in anguſtiâs, è quibus te expedire nequeas, ſeu ob verecundiam, ſeu ob legem carminis.*

Nec incipes ſicut olim poëta cyclicus:

ANNOTATIONES.

membrum, de perſonâ novâ, & à nullo ante inductâ aut formatâ: qualis Dido apud Virgilium, Octavia apud Senecam, &c.

127. *Sibi conſtet.*] A ſuis moribus nunquam recedat, aut aliena appareat. Quod Homerus ſemper ſedulo cuſtodivit. Euripides autem meritò arguitur, quòd Iphigenia in Aulide primo timida mortem deprecatur, deinde verò, Achille pro eâ exorante, animoſam exhibeat ſe repente, dicatque paratam ſponte mactari pro ſalute Græcorum.

128. *Difficile eſt*] Præceptum de ſcitè imitando, deque notâ perſonâ potiùs denuo exhibendâ, quàm novâ formandâ: quoniam hoc *audere* & ritè exequi ſit difficilius & periculoſius, quàm illud præſtare: modo tamen quædam obſerventur ſolerter evitanda, quæ ab Horatio notantur.

Propriè] Aptâ, convenienti & propriâ ratione.

Communia] A nullo ante occupata & tractata.

129. *Iliacum carmen*] Materiam ſeu perſonam in Iliade ab Homero tractatam. Nempe is multiplicis argumenti fons uberrimus: Illumque τῆς τραγῳδίας ἡγεμόνα, ποιητικώτατον καὶ πρῶτον τῶν τραγῳδοποιῶν recte nuncupat Plato de Repub.

131. *Publica materies*] Publicata, nota, jam tractata, qualis in Iliade vel Odyſſeâ.

Privati juris erit.] Tua dicetur per novam & ſcitam diſpoſitionem tractationémque à te inventam.

132. *Si Nec circa vilem, &c.*] Si paſſim non ſequaris auctorem, quem tibi imitandum propoſuiſti: univerſa & ſingula ab eo deſumendo; quod quidem vile, atque omnibus obvium, patens, & facile eſt. At contra maximæ artis & laudis eſt, ſic imitari, ut nihil non tuum ac proprium eſſe videatur: ratione jam dictâ & mox dicendâ.

Patulum orbem;] Carmen vulgatum: argumenti diſpoſitionem omnibus expoſitam & cognitam: materiam continuâ ſerie pertextam, more cyclicorum. Vide poſtea annot. ad v. 136.

133. *Nec verbum verbo*] Imo ſententias ingenioſè expiſcari oportet; quemadmodum Sophocles, Euripides, aliique ex Homero. Quin & pleraque in unâ linguâ nitent, quæ in alterâ nihil habebunt ſplendoris.

134. *Nec deſilies imitator in arctum, &c.*] Tertius hic eſt ſcopulus imitatori cavendus. Ne Dramatici carminis & Epici diverſam legem turpiter ignoret aut confundat. Sciat ergo audeatque immutare permulta, & nova quædam inſerere & affingere Tragœdiæ idonea, nec ſe coarctet ipſe & aſtringat ad ea duntaxat, quæ induxit Epicus, v. g. Homerus, quem imitatur.

135. *Proferre*] Al. melius, *referre*, licentèr quidem.

136. *Nec ſic incipies,*] Præceptum de initio grandiori evitando, quod tam Epicus quàm Tragicus cavere debet. Peccavit Statius in Achilleide, & Thebaide; Seneca in Troade, &c.

Scriptor cyclicus] Circulator; circumforaneus; vagus; trivialis, ἀγύρτης, in compitis homines congregans, quibus inconditos verſus occinat. Virgil. Ecl. 3.

. . . . *Non tu in triviis indocte ſolebas*
Stridenti miſerum ſtipulâ diſperdere carmen?

Cœl. Rhodig. lib. 28. cap. 10. In novâ comœdiâ inquit, cyclos dici invenio, loca ubi venderentur mancipia: fortaſſe etiam ubi & vaſa-lia reliqua. Aſtipulatur Schol. Ariſtoph. ſcribens κύκλον fuiſſe Athenis circum, ſeu locum, ubi carnes & piſces vendebantur. Sunt qui Mævium hic notari afferant. Caſaubonus in Athen. lib. 7. cap. 3. multa eruditè de cyclo & cyclicis: atque *cyclicos* appellari ſolitos, quicunque materiam ali-

Fortu-

Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturiunt montes; naſcetur ridiculus mus.
Quanto rectiùs hic, qui nil molitur ineptè:
Dic mihi Muſa virum, captæ poſt tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit, et urbes.
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut ſpecioſa dehinc miracula promat;
Antiphaten, Scyllámque et cum Cyclope Charybdim.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum. *Ecquid iſte promiſſor dicet tam alto dignum exordio? Montes edunt partum, orietur mus riſum excitans. Quanto meliùs is qui nihil perperam agit: Refer mihi, ô Muſa, virum, qui poſt exciſam Trojam perluſtravit mores & civitates plurium hominum, Is non fumum è ſplendore, ſed lumen è fumo educere parat, ut exinde res præclaras & mirandas proferat, Antiphaten, Scyllam, Cyclopem, Charybdim. Nec Diomedis reditum incipit narrare à Meleagri morte, nec Trojæ expugnationem à duplice ovo.*

ANNOTATIONES.

quam continuâ ſerie pertexuiſſent: ſicut Antimachus Thebanam hiſtoriam. Additque, quem verò Poëtam intelligat Horatius per *ſcriptorem cyclicum*, nominatim indicare non poſſumus. Staſinum docti putant qui auctor parvæ Iliadis extitit: ſed repugnat Photius diſertè illum ſeparans à cyclicis. Itaque Cyclicus apud Horatium erit potius alius quiſpiam è Cyclo Epico: Nam poëtæ iſti non ob præſtantiam carminis commendati, ſed tantum propter ſeriem rerum eo corpore comprehenſarum: quod valde congruit illi Horatii loco, ubi ineptiarum arceſſitur is quem cyclicum nominat. Hæc omnia Caſaub. cit.

137. *Fortunam Priami.*] Carminis de Priamo deque bello Trojano initium eſt nimis inflatum.

138. *Hiatu?*] Perſius Horatii locum hunc revolvens ita ſcripſit Satira 5. init.

Fabula ſeu mœſto ponatur hianda tragœdo,
. . . .
. . . . *aut quantas robuſti carminis offas*
Ingeris, &c.
Tu neque anhelanti, coquitur dum maſſa camino
. . .
Folle premis ventos, &c.
Nec ſcloppo tumidas intendis rumpere buccas.

139. *Parturiunt montes;*] Ex Æſopi Fab. Phædrus rem explicans ſic ait:

. . . . *hoc ſcriptum eſt tibi,*
Qui magna cùm minaris, extricas nihil.

Uſurpatur nempe illa dictio proverbialis in eos qui magna oſtentant ac pollicentur; minima verò, ut fere fit, præſtant. Improbè autem & in ſuam perniciem tale dicterium aliquando jactârunt Ægyptii cum ſuo rege Tacha Lacedæmonios auxiliatores pridem illi exſpectârant; ubi Ageſilaum regem demum adventare ſtaturâ puſillum aſpexerunt, non ſine ludibrio dixere:

Ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν.

parturiebat mons: formidabat Jupiter: ille vero murem peperit. Quo alienatis Lacedæmoniis Ægyptii profligati arrogantiam ſuam luerunt.

141. *Dic mihi muſa virum,*] Exordium eſt Odyſſeæ Homeri.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε, μοῦσα, πολύτροπον, &c.

143. *Non fumum ex fulgore, &c.*] Non è ſplendidis initiis & promiſſis exigua & obſcura, ſed potius è tenui modeſtoque principio res magnas & nitentes profert.

144 *Miracula*] Res admirationem moventes. Quanta ſcilicet pericula incurrit, & quantâ virtute aſtuque Ulyſſes eſt eluctatus.

145. *Antiphaten,*] Læſtrygonum regem anthropophagum. Odyſſ. lib. 10.

Scyllamque] Scopulum terribilem in freto Mamertino, ut fabulantur, Phorci filiam, cujus latera canibus latrantibus ſuccincta. Odyſſ. 12. Cic. contra Verrem. *Hoc infeſtior cuivis Verres quàm Scylla, quod multo ſe pluribus & majoribus canibus ſuccinxerat.* Et de Haruſp. reſp. *Quam Scyllam tam eminentibus canibus tamque jejunis poëtæ fingendo exprimere potuerunt?* Vide Virgil. Ecl. 6. v. 74.

Cyclope] Polyphemo Cyclopum rege. Odyſſ. 9. nos lib. 1. Sat. 5.

Charybdim.] Voraginem Scyllæ adverſam in freto Siculo 12. Odyſ. cit. Virgil. Æneid. 3. nos lib. 1. Od. 27.

146. *Nec reditum Diomedis, &c.*] Nec in Odyſſeâ longè nimis exordium aut aliam quamvis narrationem repetit: ut fecit in ſuo de Diomedis reditu carmine Antimachus, qui & Thebanam ſcribens hiſtoriam vigenti quatuor volumina implevit, antequam ſeptem duces uſque ad Thebas perduceret. De Diomede lib. 1. Sat. 5.

147. *Nec gemino bellum Trojanum, &c.*] Nec Iliadem condens à primâ origine res narrat, aut poëma exorditur: ut in parvâ Iliade Staſinus, qui & Ledam à Jove adamatam, & duo peperiſſe ova, & ex eorum altero Caſtorem & Clytæmne-

Semper ad finem tendit : & transfert auditorem in medias res velut cognitas : quæ verò non fore tractatu pulcra judicat, omittit. Porrò ſic fingit, ſic intermiſcet ficta veris, ut medium initio, finis medio non diſcordet.

Accipe quid ego populuſque mecum exoptet. Si vis retinere plauſorem uſque ad periſtromata, exſpectantemque donec actor dicat, Vos plaudite ; cujuſque ætatis mores à te exprimendi ſunt,

Semper ad eventum feſtinat : et in medias res [887]
Non ſecus ac notas, auditorem rapit ; et quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe relinquit.
Atque ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet,
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.
Tu quid ego, et populus mecum deſideret, audi.
Si plauſoris eges aulæa manentis, et uſque
Seſſuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat ;
Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores.

ANNOTATIONES.

ſtram, ex altero verò prodiiſſe Pollucem & Helenam, quæ à Paride rapta excidii cauſa Trojani fuerit, prolixè & otioſè commemorat. Similiter peccârunt auctores Heracleïdis & Theſeidis, quos redarguit Ariſtoteles in ſua Poëtica.

148. *Semper ad eventum feſtinat* ;] Egregium ſane præceptum, ut leviter perſtringantur nonnulla quidem dictu neceſſaria, graviter autem & potiſſimum tractentur quæ propoſitum maxime remque promoveant. Hoc verò ut & præcedens etiam perditè violavit Statius in Thebaide, ubi et res altius repetit & permulta congerit vel parum conducibilia vel nihil, quæ quidem integro carmine reſcindi queant.

In medias res, &c.] Rerum primordia ſupponi debent ut nota : auditoris autem animus in res medias ſtatim rapiendus ; quæ verò præceſſerunt, occaſione datâ ſubinde narrantur ſolerter & tempeſtive. Sic Homerus Iliadem ab Achillis irâ, quæ Trojæ excidium paulò antè ceſſit ; & Virgilius Æneidem à ſeptimo errorum Æneæ anno exorſus eſt. Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 2. *Homerus*, inquit, *vitans in Poëmate hiſtoricorum ſimilitudinem quibus lex eſt incipere ab initio rerum, & continuam narrationem ad finem uſque perducere ; ipſe poëticâ diſciplinâ à rerum medio cœpit, & ad initium poſt reverſus eſt. Ergo Ulyſſis errorem non incipit à Trojano litore deſcribere : ſed facit eum primo navigantem de inſula Calypſonis ; & ex perſonâ ſuâ perducit ad Phæacas. Illic in convivio Alcinoi regis narrat ipſe quemadmodum de Trojâ ad Calypſonem pervenerit. Poſt Phæacas rurſus Ulyſſis navigationem uſque ad Ithacam ex perſonâ propriâ deſcribit Poëta. Quem ſecutus Maro Æneam de Sicilia perducit ad Libyam. Illic in convivio Didonis narrat ipſe Æneas navigationem ſuam de Trojâ uſque ad Siciliam, &c.*

150. *Quæ deſperat tractata niteſcere*, &c.] Præceptum de ſeligendis præcipuis argumenti partibus & adjunctis, quæ tractata pulcritudinem poëmati conferant : deque cæteris relinquendis quæ nec oratione ſplendeſcere nec ſplendorem argumento & propoſito facere poſſint. Sic pleraque minimum adjuvantia Homerus prætermiſit in Iliade & Odyſſeâ : in hâc Palamedem Ulyſſis fraude interfectum : in illâ, raptum Helenæ, Achillis apud Lycomedem regem latebras, &c. Virgilius pari arte & ſolertiâ nihil dixit de Æneæ in Macedoniam appulſu ; nihil de adventu in Laurentem agrum, deque comitum ejus Trojanorum certamine adverſus Latinum regem & Aborigines ea loca tenentes. T. Liv. lib. 1. init.

151. *Atque ita mentitur*, &c.] Præceptum de affingendis pleriſque, ita tamen ut omnia cohæreant, utque à veris falſa vix diſcerni queant. Eſt enim fictio velut anima poëſeos. Ariſt. Poët. Sic ficta à Virgilio complura, totumque Æneidos quartum librum eſſe confictum, nemo literatus ambigit. Certè doctis conſtat Trojam ab Ænea & Antenore proditam, Africam nunquam illum vidiſſe, nedum Diomedem ; Didonem à Sichæi viri morte caſtiſſimam vixiſſe, &c. Hoc pertinet quod præcipit Scaliger, lib. 3. c. 97. *Argumentum ſumendum eſt breviſſimum ; illudque maximè varium multiplexque faciendum.*

152. *Primo ne medium*, &c.] Quintil. lib. 4. cap. 2. *Prima ſit curarum, ut id quod fingimus fieri poſſit : deinde ut & perſonæ & loco & tempori congruat ; & credibilem rationem & ordinem habeat : ſi contingat etiam, ut veræ alicui rei cohæreat, aut argumento quod in cauſa ſit confirmetur. Nam quæ tota extrà rem petita ſunt mentiendi licentiam produnt. Curandum præcipuè, ne qua inter ſe pugnent : quædam enim partibus blandiuntur ; ſed in ſummam non conſentiunt. Præterea ne iis quæ vera eſſe conſtabit, adverſa ſint, &c.*

154. *Si plauſoris eges*, &c.] Si vis ſcribere Tragœdiam, quæ ita populum delectet, ut ad uſque finem in amphitheatro detineat, & donec amoveantur aulæa ſcenam exornantia.

155. *Vos plaudite*,] Hoc dicebat hiſtrio peractam fabulam indicans. Tullius in Catone, c. 19. *Sapienti non eſt uſque ad* plaudite *vivendum*, id eſt, uſque ad vitæ finem, ſcilicet ut honeſtè vixiſſe intelligatur.

156. *Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores*,] Præceptum hoc de moribus bene & luculenter

Mobili-

Mobilibúſque decor naturis dandus et annis.
  Reddere qui voces jam ſcit puer, et pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.
Imberbis juvenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibúſque, et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidúſque, et amata relinquere pernix.
  Converſis ſtudiis, ætas animúſque virilis
Quærit opes et amicitias, inſervit honori;
Commiſiſſe cavet quod mox mutare laboret. [888]
  Multa ſenem circumveniunt incommoda, vel quòd
Quærit, et inventis miſer abſtinet, ac timet uti:
Vel quòd res omnes timidè gelidèque miniſtrat;
Dilator, ſpe longus, iners, avidúſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, caſtigator cenſórque minorum.
  Multa ferunt anni venientes commoda ſecum,
Multa recedentes adimunt. Ne fortè ſeniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles;
Semper in adjunctis, ævóque morabimur aptis.
  Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur.
Segniùs irritant animos demiſſa per aurem,

& naturis anniſque mutantibus decor tribuendus eſt.

Puer jam loqui ſciens, & firmo pede gradiens, ludere amat cum æqualibus, iraſcitur facilè & placatur, atque horis ſingulis *mutatur. Juvenis ſine barbâ, dimiſſo tandem pædagogo, delectatur equis & canibus & campo* Martio; *flexibilis ad vitium, reprehenſionis impatiens, utilium contemptor, pecuniam profundens, ſuperbus, ardenter cupiens & cupita citò deſerens.*

Ætas & animus virilis habet alia jam *ſtudia: ſtudet comparandis divitiis, dignitatibus, amicis; cavet facere* id *cujus mox pœniteat. Senex pluribus moleſtiis obnoxius eſt; ſeu quia* opes *accumulat, & quæſitis parcit infelix; ſeu quia pigrè & frigidè cuncta molitur; procraſtinator, longinqua ſperans, ſegnis, cupiens* vivere *diutius, moroſus, queribundus, laudator ævi ſe puero tranſacti, juniores* autem *arguens* crebrò *& objurgans.*

Anni accedentes plura bona ſecum afferunt, plurima abeuntes auferunt. Ne fortè adoleſcenti committantur officia ſenis, aut puero quæ viri ſunt, *diligenter obſervabit ætatum differentias & proprietates.*

Vel res in theatro peragitur, vel facta narratur: audita minus animum movent quam quæ videntur,

ANNOTATIONES.

exprimendis non ſemel inculcat Horatius, videlicet præcipuum.

162. *Equis, canibuſque, & aprici, &c.*] Venationi, item exercitationibus juventuti Romanæ conſuetis in Martio campo, natatu, curſu, palæſtrâ, luctâ, &c. Vide lib. 1. Od. 8.

163. *Cereus in vitium flecti,*] Mollis & facilis ad ſuſcipiendam quamlibet affectionem perverſam, ſicut cera ad quamcunque formam & figuram.

164. *Utilium tardus proviſor,*] Ut qui nondum egeſtatis incommoda expertus ſit.

167. *Amicitias*] Quæ *optima & pulcherrima vitæ ſupellex.* Cic. in Lælio.

Honori;] Excellentiam expetit ætas florens. Ariſtot. Rhetor.

170. *Inventis miſer abſtinet, &c.*] Sunt avari ſenes, quòd uſu didicerunt & difficile eſſe invenire & facile amittere. Ariſtot. cit. *Poteſt quicquam eſſe abſurdius, quam quo minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere?* Cic. cit.

172. *Spe longus,*] Nemo tam ſenex, qui annum vivere non ſperet. Cicero ibidem.

173. *Querulus,*] Nam ſenes plerumque *contemni ſe putant, deſpici & illudi.* Cic. de Senect.

Laudator temporis acti] Senex res olim præteritas cum gaudio in memoriam revocat, aliiſque narrat. Ariſt. cit.

178. *Ævo aptis.*] Ut juveni levitas, adoleſcenti fervor, viro cura divitiarum, ambitio & cupiditas honoris; ſeni maturitas & prudentia tribuatur, &c.

179. *Aut agitur res, &c.*] Præceptum grave ne res ulla vel atrocior, vel turpior in ſcenam proferatur, aut publicè fiat; ſed narretur duntaxat. Quod ſi contra fiat, ſpectator non movetur ſuaviter, ſed offenſus indignatuſque explodit.

Agitur] Hinc dramatis & dramaticæ poëſeos nomen.

180. *Segnius irritant animos, &c.*] Curet igitur poëta dramaticus, ut agatur in ſcenâ quicquid magis afficere poteſt, ratione tamen & modo ſtatim explicandis.

Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, et quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator. Non tamen intus
Digna geri promes in ſcenam; multáque tolles [889]
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.
Neve minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula, quæ poſci vult, et ſpectata reponi.
Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui perſona laboret. [890]
Actoris partes chorus officiúmque viriſe
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat, et hæreat aptè.

quæque ſpectator ipſe ſibi tradit. Attamen in theatro non exhibebis intùs peragenda & pleraque aſpectui non objicies, ſed mox oratione re præſentabis velut modo acta. Nec Medea liberos occidat ob oculos ſpectatorum: vel nequam Atreus palàm coquat humana membra. Nec Progne transformetur in volucrem, aut Cadmus in ſerpentem. Quicquid mihi ſic exhibes, non credo, imò averſor.

Nec brevior, nec longior quinque actibus ſit fabula, ut ſæpiùs ſpectanda repoſcatur. Nec Deus adhibeatur niſi difficultas occurrat digna tali vindice: Nec quarta perſona loquendo deſudet. Chorus ſuſtineat perſonam unius actoris & viri, Ne verò in mediis actibus quidquam dicat, niſi quod ad rem ſit & faciat.

ANNOTATIONES.

181. *Oculis fidelibus,*] Plaut. Trucul. *Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem.*

183. *Scenam;*] Nomen à σκηνὰ umbraculum quod olim ſub arborum umbraculis prima dramata fuerint acta. Poſtea verò locus tabulatis & contignationibus conſtructus, aulæiſque & picturis rem theatricam adjuvantibus decoratus eſt.

185. *Nec pueros coram, &c.*] Ut ineptè apud Senecam Tragicum: Qui non immeritò *à paucis probatur*, Scalig. lib. 3 cap. 97.

Medea trucidet;] De Medeâ in Epodis. Quod pertinet ad rem præſentem, notandum eſt præceptum hoc graviſſimum a Tragicis Græcis religioſè ſemper obſervatum; & eos allucinari qui aliter putant. Apud Æſchylum, Agamemnonis in ſuo palatio trucidati auditur clamor luctuoſus; minimè verò cædes ſpectatur. Apud Sophoclem, Clytæmneſtra ab Oreſte cæſa intus vociferatur, auditurque; at nequaquam in ſcenâ occiditur. Hæc & alia bene multa ſagaciter, ſtrenuè, graviterque probat vir Dramaticæ rei peritiſſimus Hedelinus in Praxi Theatricâ: ubi & Sophoclem defendit, quòd Ajax gladio ſuo palàm incumbat. Verùm in proximo nemore id perpetrare Ajax intelligi poteſt.

186. *Atreus;*] Supra, v. 91.

187. *Progne*] Hæc Ityn filium Tereo marito comedendum appoſuit, à quo jam enſe transfigenda in hirundinem verſa eſt, Philomela ejus ſoror in avem ſui nominis, Itys in phaſianum, Tereus ipſe demum in upupam. Ovid. Met. 6.

Cadmus in anguem.] Agenoris ille filius à patre miſſus ad Europam ſororem quærendam, varias orbis regiones pervagatus, ſenio tandem ingruente, in ſerpentem mutatus eſt. Ovid. Met. 3.

189. *Neve minor, &c.*] Hæc certè juſta eſt fabulæ magnitudo. Nam ſi plures quàm quinque actus ſint, nimis laxa tractatio & diſperſa vis rem enervabit. Si tres ſolùm fuerint actus, vel argumentum nimis preſſum ac jejunum fiet elumbe; vel rebus & adjunctis pluribus nimium coarctatis erit confuſum.

191. *Nec Deus interſit, &c.*] Non enim intervenire in machinâ numen debet, niſi quando res adeo difficilis continget, ut ope nequeat humanâ extricari; & Deum aliquem ſubvenire, æquum eſſe decorumque videatur. Hinc vitioſa cataſtrophe Medeæ Euripidis jure exploditur. Vide Ariſt. Poëtic. Sed & culpatur idem, quòd ſæpius Deos è machinâ producat; Dianam in Hippolyt. Minervam in Iphigen. Tauric. Thetin in Andromach. Caſtor & Poll. in Helen. &c.

192. *Nec quarta loqui perſona laboret.*] Ita ſolitem conſuetum Dramaticis Græcis. Tres perſonæ duntaxat agunt ſimul & colloquuntur: atque muta eſt, ſi inducatur, quarta. Nihil tamen vetat quartam induci non multa loquentem. Scaliger lib. 3. *Quatuor in eadem ſcena perſonas loqui, nulla religio eſt.* Profectò ſi parum agat loquaturve quarta, haud ullam affert perturbationem aut confuſionem.

193. *Actoris partes*] Chorus eos exhibet, qui rei peractæ interfuerint; plures ſunt homines, ſed unus loquitur, Coryphæus dictus. Porrò Chorum jam pridem obſoletum inſtaurari velut maximum Scenæ ornamentum non abs re exoptat Hedelinus ante laudatus: ac de iſtis egre-

Ille bonis faveatque, et concilietur amicis,
Et regat iratos, et amet peccare timentes:
Ille dapes laudet menſæ brevis; ille ſalubrem
Juſtitiam, legéſque, et apertis otia portis:
Ille tegat commiſſa; Deóſque precetur et oret
Ut redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.
Tibia non ut nunc orichalco vincta, tubæque
Æmula; ſed tenuis, ſimplexq; foramine pauco, [891]
Aſpirare & adeſſe choris erat utilis, atque
Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu:
Quò ſanè populus numerabilis, utpote parvus
Et frugi, caſtúſque, verecundúſque coibat.
Poſtquam cœpit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinóque diurno
Placari Genius feſtis impunè diebus;
Acceſſit numeríſque modíſque licentia major.
Indoctus quid enim ſaperet liberque laborum
Ruſticus urbano confuſus, turpis honeſto?
Sic priſcæ motúmque et luxuriam addidit arti
Tibicen, traxítque vagus per pulpita veſtem.
Sic etiam fidibus voces crevêre ſeveris,

Ille probis ſuffragetur, & amicis opituletur: iratos placet, & innocentes protegat: laudet frugalitatem, juſtitiam ſalutarem, & leges, & pacem fores aperientem: arcana ſibi *credita ne revelet; & numina deprecetur, ut miſeris sors melior contingat,* pejor autem *ſuperbis.*

Tibia quondam *non ſicut nunc compacta orichalco, & buccinæ par; ſed exigua, & ſimplex, & paucis foraminibus, canentem Chorum adjuvare idonea erat, & ſono replere ſedes haud tunc valde refertas. Illuc enim populus numerari facilis, quippe non frequens, & frugalis, & pudicus, & modeſtus conveniebat. Poſtea* verò *quàm victor imperium atque urbis pomœrium amplificavit; ac diurnâ compotatione genio indulſerunt impunè diebus feſtis*, tum quoque *verſuum & muſicæ luxuria aucta eſt. Nam quid melius ſaperent agreſtes imperiti & labore ſoluti cum civibus mixti, & ſordidi cum honoratis? Sic antiquæ arti ſaltationes luxurioſas adjunxit tibicen; & per theatra amplum ſyrma traxit. Sic &* olim *modeſti lyræ ſoni* per laxum *multiplicati ſunt:*

ANNOTATIONES.

giè differit. prax. Theatr. l. 3. c. 4. ubi redarguit Ariſtotelem & Scaligerum, apud quos perperam Chorus appellatur *otioſus rerum curator.*

196. *Ille bonis faveatque, &c.*] Chori officia recenſet Horatius. Exempla lege paſſim apud Tragicos Græcos: nec te moretur Seneca ubique ferè vitioſus.

199. *Apertis otia portis:*] Vel privatarum ædium, vel civitatis, vel etiam templi Jani fores apertæ indicant pacem, clauſæ autem bellum. Vide lib. 4. Od, 15.

202. *Tibia non ut nunc*] Chorus in mediis actibus agebat & loquebatur per Coryphæum, ut antè dictum eſt. Sed præterea inter unum & alterum Actum canebat ſaltabatque. Hinc mentionem facit Horatius de inſtrumentis muſicis Chori concentum adjuvantibus.

Tibia] De hâc fuſe Scaliger, Poët. l. 1. c. 20.

Orichalco vincta,] Gall. *garnie de leton.* Angl. Begirt with Braſs. Montanum illud æs magno quondam in pretio fuit; quod auri ſplendorem, & æris duritiam habebat. Iſidor. Feſt. Servius ad 12. Æneid. *orichalcum omnibus metallis pretioſius fuit,* inquit.

Tubæque æmula;] Gall. *auſſi grande & auſſi éclatante que la trompette,* Angl. As big and as clear ſounded as a Trumpet.

203. *Foramine pauco,*] Quatuor fuiſſe primùm foramina ſcribit Varro; alii tria duntaxat.

205. *Sedilia*] Caveam, in quâ ſubſellia ad ſpectandos ludos. Vide cit. Scalig. lib. 1. c. 21. ubi de theatro, & amphitheatro; deque eorum partibus, incrementis, & ornamentis.

208. *Agros extendere victor, & urbem, &c.*] Iis tantùm licebat urbis mœnia proferre, qui imperii fines propagâſſent. Vopiſc. in Aureliano.

210. *Placari Genius*] Vide lib. 3. Od. 17. & lib 2. Epiſt. 1. v. 144.

Impunè] Sine metu legum & Cenſorum. De die epulari vetitum olim: & pœnis conſtitutis luxuriam & ſumptus coërcuerunt leges Cornelia, Julia, &c.

211. *Acceſſit numeriſque, &c.*] Gliſcente populi luxu, pariter & theatralis apparatus crevit & luxuriatus eſt.

212. *Indoctus quid enim*] Licentiam nempe illam majorem in verſibus & muſicâ poſtulabant ſpectatores luxurioſi; plebeii ruſticis, nobiles plebeiis inquinati & corrupti.

213. *Confuſus, turpis honeſto?*] Diu quippe ludos ſpectârunt confuſi nobiles cum populo. Tit. Liv. Valer. Max. lib. 2. cap. 4. Vide Ep. 4 annot.

216. *Sic etiam fidibus*] Ut in comœdiis

Et tulit eloquium inſolitum facundia præceps;
Utiliúmque ſagax rerum, et divina futuri [892]
Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agreſtes Satyros nudavit, et aſper
Incolumi gravitate jocum tentavit; eò quòd
Illecebris erat et gratâ novitate morandus
Spectator, functúſque ſacris, et potus, et exlex.
Verum ita riſores, ita commendare dicaces
Conveniet ſatyros, ita vertere ſeria ludo;
Ne quicunque Deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conſpectus in auro nuper et oſtro, [893]
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas;
Aut dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire leves indigna tragœdia verſus,

atque elocutio rapida invexit dictionem antea *inauditam: nec non ſermo utilia documenta continens & futurum præſagiens vix diſcrimen habuit à Delphis oracula proferentibus.*

Paulo poſt is qui propter vilem hircum contendit carmine tragico, nudos intro duxit Satyros ruſticos; & acerbus protulit ſales, illæſâ ſeveritate tragœdiæ: propterea quod oblectamentis & jucundâ novitate detinendus erat ſpectator ſacris perfunctus, & ebrius, & ſine lege.

At ſic oportet Satyros riſores & dicaces commendare, ſic è ſeriis ſermonibus *ad jocoſas tranſire, ut quiſquis Deus vel Heros producetur, paulo ante in auro & purpurâ conſpectus, non loquatur ſordidè quaſi in vili taberna; neve terram fugiens ſectetur nubila & vacua. Tragœdia verſus leviculos reſpuens,*

ANNOTATIONES.

tibiæ ſonos & foramina, ita etiam in tragœdiâ lyræ chordas & modos auxit luxus. In hâc tres primum, deinde ſeptem, poſt decem fuiſſe aiunt.

Severis,] Cic. 2. leg. *antiquæ muſicæ ſeveritas.*

217. *Facundia præceps;*] Verſus magniloqui, turgidi, rapide fluentes, ut torrens.

218. *Utilium ſagax rerum,*] Tragœdiæ Chorus ſententias protulit affectavitque nimium acutas, obſcuraſque, ſimiles oraculis.

Divina futuri] Ventura prænuncians ad inſtar Apollinis Delphici.

219. *Sortilegis*] Vide infrà ad verſum 403.

Delphis.] Apollo colebatur, & reſponſa dabat apud Delphos. Vide lib. 1. Od. 7.

220. *Carmine qui tragico*] Agit Horatius de Satyrico Græcorum dramate: cujus aliqui dicunt inventorem Cratinum in Dionyſiis, Suidas autem Pratinam Theſpi non multis annis poſteriorem. Unum iſtius generis drama supereſt nobis *Cyclops* Euripidis. Porro iſta Græcorum dramata Lati utcunque imitati ſunt in Atellanis fabulis: *quas argumentis dictiſque jocularibus ſimiles* Diomedes ſcribit. Vide Tit. Liv. lib. 7. init.

Certavit ob hircum,] Scilicet poëtæ ſuum quiſque Satyricum poëma certatim edebant. Et qui victor cenſebatur mercedem accipiebat hircum quem Baccho ſacrificabat. Hinc nomen tragœdias, *τράγος hircus, & ᾠδὴ cantus.* Alii tamen quaſi *τρυγῳδίαν* dici volunt, à *τρύγες fæces*, quod hiſtriones primùm *ore fæcibus peruncto*, in ſcenam prodirent agerentque tragœdiam, ante inventum perſonæ uſum. Vide poſtea v. 277.

221. *Satyros nudavit,*] Satyrica dramata edidit, in quibus erat Chorus è Satyris, Coryphæuſque Silenus. Hiſtriones nimirum perizomatis, villoſa tunica, hircinis pellibus, Satyrorum habitum & ſpeciem referentes, inter Actus, & poſt tragœdiam ſales & dicteria jactabant: ſicque riſum moventes populum delectabant.

244. *Functuſque ſacris,*] Quoniam ludi pars erat religionis & cultus Deorum, ſic faſtidium inſulſæ plebis fallendum fuit, & *gratâ novitate* jocoſis nempe ſalſiſque carminibus detinendi ſpectatores. T. Liv. cit. lib. 7.

Potus & exlex.] Poſt ſacra voluptati duntaxat inhians, ſuo genio nihil jam negans: quique epulis & vino refertus nullâ jam lege regi poteſt.

225. *Verum ita riſores,*] Ita plebis faſtidio obſequendum, ut decorum non violetur.

227. *Deus,*] Pan, Bacchus, Silenus, &c.

Heros,] Semideus: Hercules, &c.

228. *Regali conſpectus in auro, &c.*] In tragœdiâ magnifice locutus ex decoro, idem poſt in Satyrico dramate abjècta, obſcœna, ſordida ne effutiat, quaſi tabernarius.

229. *Tabernas;*] Alludit Poëta ad tabernarias fabulas, in quibus Perſonæ viles & argumentum humile. Feſtus.

230. *Aut dum vitat humum,*] Ergo adhibendus ubique modus: medium teneat, ſuamque dignitatem ſervet: nec incidat in comicam parvitatem & humilitatem, nec vanè extollatur & inaniter intumeſcat.

231. *Effutire leves, &c.*] Tragœdiæ gravitas cuſtodiri debet inter protervos Faunorum ſales & jocos. Sic matrona in ſacris non leviter &

Ut

Ut feſtis matrona moveri juſſa diebus,
Intererit Satyris paulùm pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina ſolùm,
Verbáque, Piſones, Satyrorum ſcriptor amabo:
Nec ſic enitar Tragico differre colori,
Ut nihil interſit Davúſne loquatur, et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
An cuſtos famulúſque dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen ſequar, ut ſibi quivis
Speret idem, ſudet multùm, fruſtráque laboret [894]
Auſus idem. Tantum ſeries juncturáque pollet:
Tantum de medio ſumptis accedit honoris.
Silvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne velut innati triviis, ac penè forenſes,
Aut nimiùm teneris juvenentur verſibus unquam;
Aut immunda crepent, ignominioſáque dicta.
Offenduntur enim quibus eſt equus, et pater, et res:
Nec ſi quid fricti ciceris probat et nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donántve coronâ.

tanquam matrona diebus feſtis ſaltare compulſa, laſcivos inter Satyros aliquantò verecunda eſſe debet. *Ego Satyrica ſcribens, ô Piſones, non conſectabor dictiones inconditas aut ſimplex duntaxat; neque ſic curabo declinare tragœdiæ ſpeciem, ut nihil ponam diſcriminis, utrum loquatur Davus & inverecunda Pythias deluſo Simoni talentum extorquens, an Silenus curator & miniſter dei alumni.*

E materiâ vulgatâ ſic *poëma condam, ut quiſque pariter* facere poſſe *confidat, rem* verò *tentans deſudet plurimum, & perdat operam. Tantum valent ordo & connexio: tantum venuſtatis addunt argumento vulgari.*

Satyri è ſilvis prodeuntes non debent, ut opinor, tanquam in urbibus atque in foro educati carmina juvenilia & nimis polita dicere, *nec obſcœna & contumelioſa eructare.* His *enim offenduntur habentes equum, & patrem, & opes: neque probant vel laudant quicquid placet ementibus frictum cicer & nuces.*

ANNOTATIONES.

laſcivè, ſed modeſtè & graviter ſaltans, nihil ſui decoris amittit.

232. *Moveri juſſa*] Erant enim choreæ ſacræ modò virginum, modò matronarum, ut in ludis Megolenſibus, & in ſacris Cybeles: & juſſu Pontificis agebantur.

234. *Non ego inornata*] Docet Poëta Satyrici carminis dictionem eſſe debere tragicâ inferiorem, at agreſti ſuperiorem.

Inornata] Abjecta, vetuſta, obſoleta.

Dominantia] Græcis *κύρια*, à tranſlatis ſuo jure non expulſa, res propriè & apertè ſignificantia: qualia ſunt quæ res venereas & obſcœnitatem claiè & ſimpliciter denotant.

235. *Satyrorum*] Al. *ſatirarum.*

236. *Nec ſic enitar*] Decorum perſonarum hîc etiam, ut & alibi ſemper obſervandum eſt.

Tragico colori,] A tragœdiæ magniloquentiâ.

237. *Davus, Pythias, Simo.*] Perſonæ Comicæ apud Lucilium, Menandrum, Terentium.

238. *Emuncto*] Terent. *Emunxi argento ſenes.*

239. *Silenus*] Gravior quædam perſona, qualis ille Bacchi pædagogus.

240. *Ex noto fictum carmen ſequar,*] Satyricum ego drama condere volens, non confingam argumentum, ut ſolent Comici; ſed potiùs ex notâ materiâ & hiſtoriâ deſumpto argumento, affictiſque ut decet adjunctis, carmen eximiè componam. Sic Euripides *Cyclopem* finxit ex Homeri Odyſſeâ 9. Vide ſupra v. 128. & 129.

241. *Sudet multum.*] Cic. orat. perf. *Illo modo confidunt ſe poſſe dicere. Nam orationis ſubtilitas imitabilis illa quidem videtur eſſe exiſtimanti, ſed nihil experienti minùs.* Vide Quintil. lib. 2. cap. 1. & lib. 4. cap. 2.

242. *Series*] Rerum diſpoſitio ſcita & ingenioſa.

Junctura] Structura verborum artificioſa.

243. *Accedit honoris.*] Ex illâ ſolerti inventione, fictione, connexione, ordine.

244. *Silvis deducti*] Vel agreſtes & in ſilvis educati: vel è proſcenio ſilveſtri & nemoroſo prodeuntes. Nam triplex erat ſcenæ forma triplici dramati reſpondens. Tragica columnis ſuffulta, ſuperbiſque faſtigiis & ſignis ornata. Comica ædium privatarum ſpeciem oſtendebat. Satyrica arbores, montes, ſpeluncas, agreſtia omnia exhibebat. Vitruv. lib. 7. cap. 5.

Fauni] Dii ſilveſtres, qui & Sylvani & Satyri; de his jam l. 1. Od. 4. l. 2. Od. 17. l. 3. Od. 18.

246. *Teneris juvenentur verſibus*] Ne verſibus nimium excultis juveniliter & ſcurriliter laſciviant; ſed ubique ſimplicitatem ruſticanam redoleant.

247. *Ignominioſa*] Famam alicujus labefactantia.

248. *Quibus eſt equus, & pater.*] Equites Rom. & Patricii: honeſti viri & nobiles.

249. *Fricti ciceris & nucis emptor,*] Homines infimæ ſortis è plebe: qui dum ſpectaculis aderant, emebant frictum cicer ad levandam famem.

Nucis] Frictæ quoque nuces ibi vendebantur. Plaut. Athen. lib. 2. Feſtus *nuces uſtas* dicit.

Syllaba longa brevi ſubjuncta appellatur Iambus, pes celer: unde & vocati ſunt Iambici trimetri; quanquam ſex edebat ſonos, à primo uſque ad ultimum æqualis. Is autem nuper, ut aliquanto lentior & gravior ad aures perveniret, in patriam ditionem ultro admiſit firmiores Spondeos, non ita tamen, ut conſorti locum ſecundum vel quartum concederet. Talis etiam infrequens reperitur in Accii Enniique celebratis Iambicis. Certe Iambici Spondeis crebris graves in ſcenam producti, vel properantem nimis operam & negligentiam arguunt, vel turpem artis inſcitiam. At quilibet judex haud animadvertit inconditos verſus: & poëtis Latinis indulgentia immeritò conceſſa eſt. Ergone ideò ſpatier, & parùm accuratè ſcribam? an omnes credam errata mea cognituros, providus & ſecurus citra ſpem indulgentiæ? Tum demum culpam effugero quidem, ſed non laudem meruero. Itaque Piſones, die noctéque ſcripta Græcorum evolvite. Verùm Majores veſtri & numeros & jocos Plauti approbaverunt:

Syllaba longa brevi ſubjecta vocatur Iambus,
Pes citus; unde etiam trimetris accreſcere juſſit
Nomen Iambëis, cùm ſenos redderet ictus, [295]
Primus ad extremum ſimilis ſibi: non ita pridem,
Tardior ut paulo graviórque veniret ad aures,
Spondeos ſtabiles in jura paterna recepit,
Commodus et patiens; non ut de ſede ſecundâ
Cederet aut quartâ ſocialiter. Hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Ennî.
In ſcenam miſſus magno cum pondere verſus,
Aut operæ celeris nimiùm curâque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata judex:
Et data Romanis venia eſt indigna poëtis.
Idcircóne vager, ſcribámque licenter; an omnes
Viſuros peccata putem mea, tutus, et intra
Spem veniæ cautus? vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca [296]
Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.
At veſtri proavi Plautinos et numeros et

ANNOTATIONES.

251. *Syllaba longa, &c.*] Agit iterum de verſibus Dramati propriis. Nam de his jam ſuprà v. 80.

252. *Pes citus:*] Auſon. velociorem Parthorum ſagittis dicit.

253 *Cùm ſenos redderet ictus,*] Cùm ſex haberet pedes, omnes Iambos; ob celeritatem trimetri dicti ſunt; quaſi tres ſolùm percuſſiones atque tria duntaxat intervalla pronunciando faciunt. Quint. lib. 9. cap. 4 ſupra, lib. 1. Sat. 10. v. 43.

256. *Spondeos ſtabiles, &c.*] Inſerti ſunt Spondei pedes tardiores in verſibus Iambicis, ad dandum iis pondus & robur, magiſque movendos animos audientium.

258. *Acci*] Accius, ſive Actius, aut Attius, Poëta celebris, de quo lib. 1. Sat. 10. & lib. 2 Epiſt. 1. ubi & de *Ennio.*

259. *Ennî.*] De eo lib 4. Od. 8. v. 20. Item locis mox citatis.

260. *In Scenam miſſos*] Appoſitè Marcilius corrigit, *miſſus:* aliàs quæ ſyntaxis?

263. *Non quivis videt, &c.*] Prolepſis, ad quam mox reſpondet, *idcircone vager,* &c. Apage verſiculum.

Nec tanta in metris venia conceditur uti.

quem velut Horatii affert Servius ad 5. Æneid. & collocant aliqui ante iſtum, *Non quivis videt,* &c.

264. *Et data Romanis, &c.*] Vide lib. 1. Sat. 4. & 10. lib. 2. Epiſt. 1.

265. *Scribamque licenter;*] Nullâ habitâ ratione pedum & legis metricæ: an Latinorum negligentiam imitabor potiùs, quam exactam rationem Græcorum?

226. *Intra Spem veniæ*] Præciſâ ſpe omni veniæ: quâ ſi mihi blandirer, oſcitanter ſcriberem, nec mihi ſatis caverem. Sunt qui emendârint, *extra.* Sed veteres codices reluctantur. Vide Agell. lib. 12. c. 13. Extra ſpem veniæ eſt, qui ſcit nullam fore veniam. Intra ſpem veniæ cautus & tutus eſt, qui licèt veniam ſperet, recti amans ſibi cavet tamen, & peccare non vult. Hæc ego.

267. *Vitavi denique culpam, &c.*] Quod ſi verſus Iambicos diligenter condam, nec hoc ſatis ad laudem. Plaut. Trinum. Scen. ult.

Si quid amicum erga bene feci, aut conſului fideliter;
Non videor meruiſſe laudem, culpâ caruiſſe arbitror.

Qui erratum vitat, quod debet, non ideo laudem meretur; ſed qui ingenioſè, rectè, artificiosè ſcribit, is laudatur.

270. *Plautinos & numeros & ſales:*] Donatus in Plauto notat & carpit numeros inconditos & peregrinos, item ſales frigidulos interdum atque

Lauda-

Laudavêre ſales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtultè, mirati; ſi modò ego et vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimúmque ſonum digitis callemus et aure.
Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camenæ
Dicitur, et plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent agerέntq; peruncti fæcibus ora. [897]
Poſt hunc perſonæ pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus, et modicis inſtravit pulpita tignis,
Et docuit magnúmque loqui, nitíque cothurno.

certè utroſque faciliùs quàm par eſt, ne dicam ſtolidè, admirati: ſi quidem ego & vos novimus infacetum ſermonem à venuſto diſtinguere, & rectum modulum ſentimus digitis atque auribus.

Theſpis reperiſſe fertur Tragicæ muſæ genus incognitum, & carpentis circumtuliſſe carmina, quæ cantarent agerentque vultum habentes fæce oblitum.

Poſt eum Æſchylus inventor larvæ & ſtolæ decoræ theatrum parvo tabulato extruxit, atque inſtituit loqui magnificè & incedere cothurno.

ANNOTATIONES.

etiam ſcurriles, &c. S, Hieronymus Apolog. in Ruffin. *Plautinum ſalem* dicit, pro ſcurrili. Laudant tamen Cicero Offic. 1. Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 1. Gell. lib. 3. cap. 3. Vide lib. 2. Epiſt. 1. v. 58. Item. v. 170.

274. *Digitis & aure.*] Verſuum dimenſionem digitis faciunt parum exercitati, aurium verò judicium adhibent peritiores.

275. *Tragicæ genus inveniſſe*] Libet altiùs repetere originem Tragœdiæ ac Dramatum. Bacchus Icarium docuerat plantare vites. Hic in Attico agro hircum vineas depopulantem Baccho mactavit, convocatis ad ſacrificium vicinis, qui choreis & cantilenis Dei lætitiæ datoris vindictam celebrârunt. Religiosè illud etiam quotannis vindemiarum tempore fieri placuit tum in pagis, tum ſubinde in urbibus. Mox cæperunt ſcribere certatim poëtæ τραγῳδίαν, id eſt, carmen hirci, vel de hirco: quod a choro decantatum. Illis carminibus Baccho ſacris inſerta, addita, ſubſtituta quædam alia fuerunt, atque etiam dialogi inter duos aut plures, Hincque natum drama cùm Comicum, tum Tragicum, tum Satyricum. Quod ad inventorem ſpectat, certe ante Theſpim fuerunt Dramatici rudiores quidem: at ille nominatur auctor, quoniam unum actorem induxit; qui dum chorus Bacchi laudes canens paululum interquieſceret, herois aut ſummi cujuſpiam viri inſigne aliquod facinus carmine celebrabat. Alia inſuper ornamenta ſubjunxit, quibus Tragœdia illuſtrata eſt.

276. *Dicitur,*] Scilicet res non extra controverſiam eſt. Scalig. Poët. lib. 1. cap. 6. ſic habet: *Qui primus Tragœdiam dederit, haud ita pro comperto habetur. Satis conſtat illud, à Theſpi nitidiorem factam, qui penſiles ſcenas in plauſtris circumegit: addiditque nudis oribus fæcem pro perſonâ.*

Plauſtris vexiſſe poëmata] Circa vicos Theſpii aliique plauſtris vecti in obvium quemque ſcommata jactabant & falſa convicia. Plutarch. in Solone. Hinc Proverb. E plauſtro loqui.

Theſpis,] Athenienſis ille poëta Solonis tempore floruit ante Æſchylum plus ſexaginta, ante Sophoclem octoginta circiter annis. Theſpis Protagoniſtam ſeu hiſtrionem induxit cum Coryphæo, aut alio quopiam è Choro loquentem. Æſchylus deinde alterum ſeu Deuteragoniſtam addidit. Denique Sophocles tertio ſive Tritagoniſta adjuncto Tragœdiam perfecit.

277. *Peruncti fæcibus ora,*] Ideo Theſpis aliique vultu ceruſsâ, vel minio, vel fæce peruncto dicteriis obvios quoſque inceſſebant, ut imitarentur Silenum rubicundum, Satyroſque dicaces Bacchi ſocios & miniſtros. Illos Ariſtophanes τρυγοδαίμονας vocabat. Gall. *Diables barboüilles de lie.* Angl. Merry Andrews bedawbed with Lees. Vini an olei fæcibus tingerent ſe hiſtriones, diſceptant fatali more ſuo Grammatici, & nugas nugis addunt, inquit Scaliger paulò ante citatus.

278. *Perſonæ*] Ne agnoſcerentur hiſtriones.

Pallæ] Quæ ad pedes imos uſque demiſſa, & Latina dicebatur, ad diſcrimen pallæ Gallicæ, quæ brevior.

279. *Æſchylus,*] Domi nobilis Poëta iſte non militando magis, quàm ſcribendo acer & audax fuit. In Marathoniâ pugnâ non ultimam laudem tulit; adeo bibax, ut Sophocles ei objiceret, non ipſum, ſed vinum tragœdiarum ejus eſſe auctorem. Has dum ſcriberet ταυρηδὸν βλέψας; inquit Ariſtophanes, *tauro furenti ſimilem aſpectum habebat.* Non ergo ſit incredibile quod narrant ejus Eumenidum terribili ſpectaculo exanimatos eſſe pueros aliquot, perculſas autem prægnantes fæminas ad partum adactas. Ab Æſchylo compoſitas nonaginta fabulas tradunt, quarum ad nos vix ſeptem pervenerunt. Denique caſu teſtudinis eliſo capite extinctum referunt.

280. *Cothurno.*] Eminentiori calceo Tragicis proprio.

Succeſſit

His ſucceſſit vetus Comœdia magnâ cum laude; ſed libertas evaſit in crimen & audaciam lege coercendam; lex data eſt: & chorus ignominioſè tacuit, ademptâ poteſtate maledicendi.

Noſtri poëtæ nihil non tentârunt; neque laudem exiguam abſtulerunt, qui relictis Græcorum argumentis geſta Romanorum decantârunt: ſive qui prætextatas fabulas, *ſeu qui togatas ſcripſêre. Nec virtute bellicâ illuſtriores ac potentiores quàm facundiâ eſſent Romani, ſi poëtas pleroſque non terreret cura & longum tempus expoliendi.* At *vos, ô Numæ proles, redarguite carmen diu & crebra recenſione haud caſtigatum, & ad amuſſim non ſæpiùs emendatum.*

Succeſſit vetus his Comœdia, non ſine multâ
Laude; ſed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi: lex eſt accepta: chorúſque [898]
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquêre poetæ,
Nec minimum meruêre decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere, et celebrare domeſtica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuêre togatas.
Nec virtute foret clariſve potentius armis
Quàm linguâ Latium, ſi non offenderet unum-
Quemque poëtarum limæ labor, et mora. Vos ô
Pompilius ſanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.
Ingenium miſerâ quia fortunatius arte [899]
Credit, et excludit ſanos Helicone Poëtas 296

Quoniam Democritus exiſtimat ingenium plus valere quàm artem, & poëtas non inſanientes arcet ab *Helicone,*

ANNOTATIONES.

281. *Vetus Comœdia,*] Hæc à novâ differebat in omnibus, tempore, argumento, apparatu, metro: ut ait Cruq. Vetus tempore belli fuit Peleponneſiaci: nova poſt extinctam populi libertatem, jam rerum potentibus Philippo & Alexandro. In veteri Duces, Magiſtratus, Philoſophi, Dii ipſi proſcindebantur. Patet ex Ariſtophane, item ex Eupolide. In novâ ſunt amores adoleſcentum, ſervorum fraudes, &c. vetus aſſurgit ad tragicum ſtylum: nova popularis eſt. In veteri omnia metrorum genera admittebantur: in novâ ſolùm ferè Iambicum. In vetere mirus apparatus & luxus: in novâ prope nullus, ablato etiam Choro. In veteri perſonæ vivum effingebantur, ut agnoſcerentur facilè: nova nihil tale habet.

283. *Vim Dignam lege regi:*] Nec enim ulli parcebatur: honeſtique viri, perinde ut alii, dicteriis & convitiis nominatim proſcindebantur.

> . . . . *Sævus apertam*
> *In rabiem verti cœpit jocus, &c.*

Lex eſt accepta.] Quæ maledicentiam illam effrenatam pœnis propoſitis vetabat. Vide lib. 2. Epiſt. 1. verſ. 150. & ſeq.

> . . . . *Quin etiam lex*
> *Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam*
> *Deſcribi.*

Cæterum Comœdia Satyrica multum civitati profuit, cum caveret unuſquiſque culpam, ne ſpectaculo cæteris eſſet, & domeſtico probro: ut ait Donatus.

286. *Veſtigia Græca Auſi deſerere, &c,*] Primò quidem Græcas fabulas & hiſtorias in Latinos verſus tranſtulerunt, ut eſt in Epiſt. modò cit. v. 164. at poſtea Marte proprio argumenta ex hiſtoriis Romanorum tractârunt laudabiliter Ennius, Pacuvius, Actius, &c.

288. *Prætextas,*] Latinæ fabulas graviores, ubi prætextati & nobiles perſonæ locum habent: quæ reſpondent tragœdiis Græcorum.

Togatas.] Fabulas tabernarias, in quibus agunt perſonæ privatæ & plebeiæ. Et hæ Comœdiæ Græcorum novæ, ſicut veteri Atellana & Satira Latina, reſpondebant. Illas ſcripſerunt Ælius Lamia, Anton. Rufus, Cn. Meliſſus, Afranius, Pomponius.

291. *Limæ labor, & mora.*] De curâ & ſedulitate diuturnâ emendandi jam alibi dictum. Vide lib. 2. Epiſt. 1, &c. Ovid. de Ponto lib. 3. Eleg. ult.

> *Sæpe piget* . . . .
> *Corrigere, & longi ferre laboris onus.*
> *Corrigere at res eſt tanto magis ardua, quanto*
> *Magnus Ariſtarcho major Homerus erat.*

292. *Pompilius ſanguis,*] Piſones trahentes originem à Numa Pompilio, & à Calpo ejus filio dicti Calphurnii.

293. *Perfectum*] al. *præfectum.*

295. *Ingenium miſerâ, &c.*] Redarguit Horatius eos, qui non virtutem poëſeos, ſed vanam opinionem ſectabantur.

Ingenium] Poëticam facultatem à naturâ datam.

Miſerâ arte.] Ironicè: exercitatione & arte quæ parum valeat ad faciendum bonum poëtam, & ad laudabile carmen ſcribendum.

296. *Excludit ſanos Helic. P.*] Cic. 1. de Divin.

Demo-

Democritus; bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam; ſecreta petit loca; balnea vitat.
Nanciſcetur enim pretium nomenque Poëtæ,
Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licino commiſerit. O ego lævus,
Qui purgo bilem ſub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora Poëmata. Verùm
Nil tanti eſt. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.
Munus et officium nil ſcribens ipſe docebo;
Unde parentur opes; quid alat formetq; Poëtam;[900]
Quid deceat, quid non; quò virtus, quò ferat error.
Scribendi rectè ſapere eſt et principium et fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ,
Verbáque proviſam rem non invita ſequentur.
Qui didicit patriæ quid debeat, et quid amicis,
Quo ſit amore parens, quo frater amandus, et hoſpes,

plerique negligunt reſecare ungues & barbam, ſecedunt in loca remota, fugiunt balnea. Etenim conſequentur, ut putant, præmia & laudem poëtarum, ſi tonſori Licino tondendum *nunquam præbeant caput tribus Anticyris minimè curandum. Quàm ego* ſum *ſanum cautus, qui bilem expurgo ineunte vere:* At *nemo conderet meliora carmina: ſed hoc non tanti puto. Itaque implebo munus cotis, quæ ſecare non valens reddit ferrum acutum* & ſecando aptum. *Nihil ego ſcribens docebo munus & officium* ſcribendi: *unde facultas petatur; quid erudiat & perficiat poëtam; quid conveniat, quid non; quò virtus, quò error deducat.*

Sana mens eſt principium & origo rectè ſcribendi: materiam tibi ſuppeditabunt placita Socratis: præparatamque materiam ſequitur ultrò facundia.

Qui ſcit quid patriæ, quid amicis debeat; quâ parentes, quâ fratres & hoſpites charitate diligendi ſunt;

ANNOTATIONES.

Negat ſine furore Democritus quemquam poëtam magnum eſſe poſſe. Et 2. De Orat. *Sine inflammatione animorum, & ſine quodam afflatu quaſi furoris: quod & à Platone ſcriptis relictum dicunt.*

Helicone.] Is mons Bœotiæ Muſis ſacer, Parnaſſo vicinus.

297. *Democritus;*] De eo Philoſ. l. 1. Epiſt. 12.

Bona pars non ungues ponere, &c.] Quaſi verò cultum exteriorem negligendo & inſaniæ ſpeciem præ ſe ferendo, boni poëtæ habendi ſint.

298. *Non barbam;*] Philoſophi quidam alebant barbam: & gravitati tribuebatur. At in cæteris inſaniæ ſpecies erat.

Secreta petit loca;] Hominum conſpectum & conſuetudinem fugit.

300. *Tribus Anticyris*] De Anticyrâ inſulâ lib. 2. Sat. 3. v. 83. Ibidem de Elleboro in eâ abundanti, quod inſaniæ remedium. Quod autem Horatius tres Anticyras dicit, cum duas Strabo ponat, auxeſis eſt.

301. *Licino*] Is Auguſti tonſor & libertus, ab eo factus Senator, quod Pompeium odiſſet.

302. *Qui purgo bilem*] Per quam inſaniens optima poëmata conderem. Ironia eſt. Alii *purgor* legunt perperam.

304. *Nil tanti eſt.*] Abſit ut inſanire velim ad eximia facienda carmina. Imo ſapere malim & nulla componere: valeant Democritus & Democritici.

Ergo fungar vice cotis,] Hoc petitum ab Iſocrate vel ab Ariſtotele, ut volunt alii: αἱ ἀκόναι αὐταὶ μὲν ταμεῖν ὐ δύνανται, τὸν δὲ σίδηρον ὀξέα ϗ τμητικὸν ποιῦσι.

306. *Nil ſcribens*] Nullum carmen Epicum vel Dramaticum.

307. *Opes;*] Adjumenta ad bene ſcribendum: dives poëſeos facultas & virtus.

308. *Error.*] Ignoratio artis & virtutis poëticæ.

310. *Socraticæ chartæ,*] Philoſophiæ præſertim moralis ſcientia: quam Socrates promovit, & ab eo hauſerunt Plato, Xenophon, aliique & ſcriptis illuſtrarunt. De Socrate, lib. 3. Od. 21. Item lib. 2. Sat. 4.

Rem poterunt oſtendere] Scribendi ubertatem præbebunt. Cic. in Bruto. *Habeat omnes Philoſophiæ notos & tractatos locos: nihil enim de religione, nihil de pietate, nihil de charitate patriæ, nihil de morte, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore & voluptate, nihil de perturbationibus animi & erroribus (quæ ſæpe cadunt in cauſas ut in poëmata ſæpiſſime) nihil inquam ſine eâ conſcientiâ amplè & copiosè dici & explicari poteſt:* & alibi: Omnis ubertas & quaſi ſylva dicendi è diſputationibus philoſophorum ducta eſt.

311. *Verbaque rem proviſam, &c.*] Si rem bene tenes, ſi præparatam habes rerum copiam, non deerit elocutio: verbaque & dictiones affatim ſequentur: & aptè atque accommodatè dices. Cic. de Orat. 3. *Rerum copia verborum copiam gignit.*

312. *Patriæ quid debeat, &c.*] De variis illis officiis Plato 5. de legibus, &c.

313. *Hoſpes,*] Contra peregrinos peccata præ

Quod

quod Senatoris, quod Judicis, quod belli Ducis munus ſit; is certè novit tribuere decorum unicuique perſonæ.

Solers imitator debet intueri exemplar vitæ & morum, atque hinc proprios fingere ſermones. Nonnunquam Comœdia locis pulchra, benéque mores exprimens; quamquam *nec elegans nec* verbis *ornata nec artificioſè* diſpoſita, *populo magis placebit,* eumque *meliùs detinebit, quàm verſus ſententiis deſtituti & ſonantes nugæ.*

Muſa Græcis largita eſt ingenium & politi ſermonis facultatem, quippe nihil appetentibus niſi laudem. At contrà *juvenes Romani longis numeris diſcunt aſſem dividere in centum partes. Albini filius reſpondeat: ſi de quinque unciis dematur una, quid reſtat? poteras dicere triens. Benè: valebis tua bona conſervare. Quòd ſi uncia addatur, quid erit? Semis. Atqui cum iſta lues & ſtudium lucri animos occupârit, an putamus carmina condi*

Quod ſit conſcripti, quod judicis officium, quæ
Partes in bellum miſſi ducis; ille profectò
Reddere perſonæ ſcit convenientia cuique.
Reſpicere exemplar vitæ morúmque jubebo
Doctum imitatorem, et vivas hinc ducere voces.
Interdum ſpecioſa locis, moratáque rectè [901]
Fabula nullius veneris, ſine pondere et arte,
Valdiùs oblectat populum, meliúſque moratur,
Quàm verſus inopes rerum, nugæque canoræ.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Uncia, quid ſuperet? poteras dixiſſe, triens. Eu,
Rem poteris ſervare tuam. Redit uncia; quid fit?
Semis. An, hæc animos ærugo et cura peculi [904]
Cùm ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi

ANNOTATIONES.

illis quæ in cives committuntur, ultori Deo curæ ſunt. Nam cùm peregrinus amicis cognatiſque careat, majorem apud Deos & apud homines meretur miſericordiam, &c. Plato modò citatus.

317. *Reſpicere exemplar, &c.*] In animo ſuo eximium & perfectiſſimum exemplar ſibi fingat. Non hominem quempiam privatum, ſed perfectiſſimi & numeris omnibus abſoluti hominis ſibi proponat imaginem, ſive ideam, ut Plato vocat: atque ſecundum illam ſcribat & dicat.

318. *Imitatorem,*] Poëſis eſt imitatio, ex Platone, Ariſtotele, &c.

Veras voces.] Rei naturam verè exprimentes. Al. *vivas*: ſed apage.

319. *Specioſa locis, &c.*] Locis communibus & ſententiis rerum naturam & mores apprimè exhibentibus, quamvis nullo verborum ornatu. Al. *jocis*. Prior lectio præferenda.

Morataque rectè Fabula.] Lege Quintil. lib. 6.

322. *Nugæ canoræ.*] Verſus ſolo verborum ſonitu inflati, modulati quamvis & numeroſi non ſic afficiunt, ut qui verbis inopes quidem, at rebus divites fuerint. Perſ. Sat. 5.

Non equidem hoc ſtudeo bullatis ut mihi nugis
Pagina turgeſcat.

Statius nugas ejuſmodi canoras effutiit.

323. *Graiis ingenium,*] Adverte, Lector, quàm ſæpe Græcos commendet Horatius: & meritò: cùm ſcripſerint illi ſapienter æquè & elegarter, ingenioſè & accuratè. Nempe quod non quæſtui ſed gloriæ ſtudebant.

325. *Aſſem Diſcunt in partes centum diducere.*] Arithmeticam ſedulò ediſcunt augendis opibus utilem: *longis rationibus*: addendo, dividendo, diminuendo, multiplicando, ſubtrahendo.

326. *Dicat Filius Albini,*] Proſopopœia. Albinus inſignis fœnerator filium ad lucri ſtudium artemque inſtituens.

327. *Quincunce, triens, ſemis.*] As duodecim habet partes, ſive uncias: *uncia* ab uno dicta, quod una ſit è duodecim partibus aſſis. *Sextans* duæ ſunt unciæ, ſic dicitur quaſi ſexta pars aſſis. *Quadrans*, tres unciæ; quòd ſit quarta pars. *Triens*, quatuor unciæ, tertia pars. *Quincunx*, quinque unciæ. *Semis*, ſex unciæ, ſive dimidium aſſis. *Septunx*, ſeptem unciæ. *Bes* olim *Des*, quaſi dempto triente, id eſt, demptis quatuor unciis de aſſe, octo continet uncias. *Dodrans*, novem unciæ, quod demptus ſit quadrans. *Dextans*, quod demptus ſit ſextans. *Deunx*, quod una deſit uncia ad aſſem.

328. *Poteras dixiſſe,*] Inſtigatio eſt, quâ interrogans urget Albini filium, ut reſpondeat, *triens*.

Eu,] Approbatio eſt bonæ reſponſionis pueri. Al. *heus*, vel *hem*, &c. ſed minùs bene.

330. *Ærugo,*] Æris vitium eſt. Metaphor. oro avaritiâ & opum cupiditate; quâ bona indoles corrumpitur, ut metalla rubigine.

Poſſe

Poſſe linenda cedro, et lævi ſervanda cupreſſo?
Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poëtæ;
Aut ſimul et jucunda et idonea dicere vitæ.
Quicquid præcipies, eſto brevis: ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneántque fideles.
Omne ſupervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causâ ſint proxima veris:
Nec quodcunque volet, poſcat ſibi fabula credi:
Neu pranſæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.
Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis: 341
Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes. [903]
Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,
Lectorem delectando, paritérque monendo.
Hic meret æra liber Soſiis, hic et mare tranſit,
Et longum noto ſcriptori prorogat ævum.
Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus.
Nam neque chorda ſonum reddit, quem vult manus et mens;
Poſcentíque gravem perſæpe remittit acutum;
Nec ſemper feriet quodcunque minabitur arcus.

poſſe cedro illinenda, & ſubſ-facta cupreſſo cuſtodienda?

Poëtæ vel cupiunt prodeſſe, vel delectare; vel jucunda pariter atque utilia dicere ad vitam bene inſtituendam. *Si quod præceptum das,* illud *breve ſit; ut animus paucis* verbis *comprehenſa ſuſcipiat facilè, & ſedulò retineat. Omne redundans effluit ex animo pleno.*

Ficta ad oblectamentum ſint vero ſimillima: nec quidlibet credi petat fabula: nemo devoratum infantem à Lamiæ ventre eximat vivum. Poëma *quod nihil fructuoſum continet, reſpuitur à cœtu ſeniorum: elati verò Rhamnenſes explodunt carmina ſeveriora.* At ille *omnium ſuffragationem aufert, qui jucundum atque utile conjunxerit, lectorem oblectando ſimul & docendo: talis codex Soſiis quæſtum parat, trans mare portatur, atque auctori famam conciliat & immortalitatem.*

Sunt tamen errata, quibus veniam dari velim. Etenim chorda non ſemper edit ſonum, quem vult mens & manus; & petenti gravem aliquando acutum reddit: nec arcus collineabit quocunque tendat.

ANNOTATIONES.

332. *Linenda Cedro,*] Digna immortalitate, quæ ſignificatur per cedrum minimè putreſcentem. Hinc olim eximia ſcripta cedrino oleo linebantur, ne blattis vel ipſâ vetuſtate corroſa abſumptaque interirent. Plin. l. 16. cap. 39. *Cedri oleo peruncta materies nec tineam nec carium ſentit.*

Lævi cupreſſo?] Cypreſſinâ arcâ, capsâ, ſcrinio: *cypreſſus cariem & vetuſtatem non ſentit.* Item, *adverſus cariem tineaſque firmiſſima.* Plin. lib. 16. cap. 40. & 42.

333. *Aut prodeſſe volunt, &c.*] Duæ ſunt hæ poëſeos virtutes, docendi atque delectandi: de quibus præcepta dat Horatius iſta duo: Ut doceas utiliter, eſto brevis; Ut delectes, finge veriſimilia.

338. *Ficta voluptatis causâ, &c.*] Reprehenditur Virgilius, quod ait, mutatas naves in nymphas Æn. 10. v. 83. item Æn. 6. per ramum aureum ad inferos Æneam deſcendiſſe; item Didoni comam ab Iride abſciſſam. Æn. 4. &c.

340. *Neu pranſæ Lamiæ, &c.*] Nec fingat poëta puerum à Lamia devoratum, & mox ejus ventre extractum viventem. Hoc fortaſſe figmentum erat alcujus poëtaſtri illius temporis, ridiculum ſanè & à naturâ abhorrens.

Lamiæ] Lamia Philoſtrato ponitur inter larvas & lemures; Sexto Pompeio eſt venefica; Suidæ formoſa mulier Libyca, Jovi adamata. Alii aliter. Olim vulgo Lamiæ putabantur mulieres ſpecioſæ, quæ blanditiis allectos juvenes devorabant. Iſidorus à laniando dici exiſtimat, quod infantes corriperent ac laniarent. De Lamiâ Lybiæ reginâ pulchrâ ſed crudeli Diod. Sic. lib. 20 Nihil ad rem Lamus rex Læſtrygonum humanâ carne ſolitus veſci.

341. *Centuriæ ſeniorum*] Senes amant ſeria & gravia carmina moribus inſtituendis utilia: *Centuriæ.* Singulæ tribus olim in centurias diviſæ.

342. *Rhamnes.*] Equites & juvenes jucunda petunt: à Romulo dicti Rhamnes ſeu Rhamnenſes, ut Tatienſes à Tatio, Luceres à Lucumone, vel à Lucero. Varr 4. de L. L. Plutarch. in Romulo, &c.

343. *Omne tulit punctum,*] Suffragia punctis aliquando notabantur. Cic. pro Muræna. n. 72. *Recordor quantum hæ quæſtiones in Senatu habitæ punctorum nobis detraxerint.*

345. *Soſiis,*] Hi fratres erant celebres Romæ librarii & bibliopolæ; de his jam lib. 1. Epiſt. ult.

Mare tranſit.] Expetitur ab exteris nationibus.

348. *Nam neque chorda, &c.*] Citharœdus interdum aberrat, pariter & ſagittarius non ſemper ſcopum ferit aut collineat.

Verùm

Verùm ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parùm cavit natura. Quid ergo eſt?
Ut ſcriptor ſi peccat idem librarius uſque,
Quamvis eſt monitus, veniâ caret; ut citharœdus
Ridetur, chordâ qui ſemper oberrat eâdem:
Sic mihi qui multùm ceſſat, fit Chœrilus ille,
Quem bis térve bonùm cum riſu miror; et idem
Indignor, quandoq; bonus dormitat Homerus. [904]
Verùm opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.
Ut pictura poëſis erit; quæ, ſi propriùs ſtes,
Te capiet magis; et quædam, ſi longiùs abſtes.
Hæc amat obſcurum: volet hæc ſub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen;
Hæc placuit ſemel: hæc decies repetita placebit.
O major juvenum, quamvis et voce paternâ
Fingeris ad rectum, et per te ſapis; hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus
Rectè concedi. Conſultus juris, et actor
Cauſarum mediocris abeſt virtute diſerti
Meſſalæ, nec ſcit quantum Caſcellius Aulus; [905]

At cùm pars major carminis ſpecioſa fuerit, ego non offendar paucis erroribus, quos vel reliquit indiligentia, vel hominis ingenium tenue vix cavere potuerit. Quid igitur ſtatuendum? *Quemadmodum librorum deſcriptori, ſi idem ſemper erratum admittat etiam admonitus, minimè ignoſcitur: & cithariſta deridetur, qui ſemper ad eandem chordam offendit. Ita qui ſæpiùs* in carmine *allucinatur, videtur* ſimilis *iſti Chœrilo, quem bis aut ter eleganter admiror & derideo; ipſemet autem doleo, quotieſcunque labitur excellens Homerus. Sed in longo opere oſcitare licet.*

Poëſis eſt ſimilis picturæ: quædam tibi magis placebit, ſi adſis proximus; quædam verò ſi remotior fueris. Altera loco paulùm tenebroſo, altera ad lucem plenam *vult ſpectari,* ſcilicet *quæ non timet judicis examen ſeverum: altera ſemel* duntaxat, *altera decies ſpectata approbabitur.*

O major natu *juvenum* Piſonum, *tametſi patris documentis formaris ad* id quod *perfectum* eſt, *& ex te ſapis; hoc monitum auſculta & retine.* In rebus *quibuſdam mediocritas toleratur, & rite admittitur. Juriſperitus & cauſidicus mediocris* longè *diſtat ab eloquentiâ Meſſalæ; nec* tantum *pollet quantum Aulus Caſcellius:*

ANNOTATIONES.

351, 352. *Non ego paucis Offendar maculis,*] Vide Longin. cap. 30.

357. *Qui multum ceſſat,*] Sæpiùs iners & negligens, & hinc crebriùs peccans, lib. 2. Epiſt. 2. v. 14. *ſemel hic ceſſavit.*

Chœrilus] De eo lib. 2. Epiſt. 1. v. 233.

358. *Bis terq; bonum miror.*] Demiror quòd non ſemper malè, quodque vel bis aut ter bene ſcribat.

359. *Indignor, quandoque bonus dormitat*] Nam bonum poetam benè ſemper & concinnè dicere velim. At *peccare humanum eſt.* Cic. *Nemo eſt qui omnibus horis ſapiat.* Plin. Videtur hîc Horatius alludere ad id quod Ariſtoteles notat, Homerum contra decorum & rationem ſcribere, Ulyſſem prudentiſſimum ubique & vigilantiſſimum ſomno oppreſſum è navi ſublatum à Phæacibus & in litore Ithacenſi expoſitum. Tunc certè Homerus ipſe plus quam Ulyſſes dormitaſſe videatur. Alia multa in Homero ſunt reprehenſa, pariter & in Virgilio pleraque. Vide Macrob. &c.

360. *Verùm opere in longo, &c.*] Quintil. lib. 10. cap. 1. *Non ſemper intendunt animum, oneri cedunt, fatigantur nonnunquam: & Ciceroni dormitare Demoſthenes, & Homerus Horatio viſi: magni enim ſunt, homines tamen.*

361. *Ut pictura poëſis erit;*] Pictura eſt muta poëſis: poëſis loquens pictura. Plato 10. de Rep. Ariſtot. Poët. Plutarchus ex Simonide, &c. Cic. Tuſc. 5. n. 114. *Tradunt Homerum cæcum fuiſſe; at ejus picturam non poëſim videmus. Quæ regio? quæ ora? qui locus Græciæ? quæ ſpecies formæ? quæ pugna? quæ acies? quod remigium? qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus eſt, ut quæ ipſe non viderit, nos ut videremus effecerit?*

Quæ ſi propriùs ſtes, &c.] Ita quædam poëſis haud accurata, raptim ſi legatur, fortè placebit, duobus locis aut tribus ſat nitida. At ſi diligentiùs conſideretur, apparebunt maculæ & vitia permulta, quibus offenſus lector averſabitur. Contrà poëſis elegans paſſim & ad amuſſim facta, ingenioque & arte diù elaborata, quo ſæpiùs inſpicietur, eo plus admirationem movebit: quia novæ ſemper veneres & lepores eluceſcent.

365. *Hæc decies repetita placebit.*] Plato in Philebo, quæ pulchra ſunt bis & ter repetenda, dixit.

371. *Meſſalæ,*] Meſſala Corvinus orator diſertiſſimus; de quo lib. 3. Od. 21. & lib. 1. Sat. 10.

Caſcellius] Aulus Caſcellius Vindex juris civilis.

Sed

Sed tamen in pretio eſt: Mediocribus eſſe poëtis
Non homines, non dii, non conceſſêre columnæ.
Ut gratas inter menſas ſymphonia diſcors, 374
Et craſſum unguentum, et Sardo cum melle papaver
Offendunt; poterat duci quia cœna ſine iſtis:
Sic animis natum inventúmque poëma juvandis,
Si paulùm ſummo diſceſſit, vergit ad imum.
Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis;
Indoctúſque pilæ, diſcíve, trochíve, quieſcit; 380
Ne ſpiſſæ riſum tollant impuné coronæ. [906]
Qui neſcit verſus, tamen audet fingere. Quidni?
Liber et ingenuus, præſertim cenſus equeſtrem
Summam nummorum, vitióque remotus ab omni.

attamen laudatur. Verùm *poëtam mediocrem non ferunt Dii, non homines, non tabernæ. Sicut lautas inter epulas incondita muſica, & vile unguentum, & papaver cum melle Sardo* mixtum *reſpuuntur, quoniam tranſigi cœna poteſt ſine illis: ſic carmen ad animos recreandos factum, ſi tantulum abeſt à ſupremo, tendit ad infimum.*

Qui ludorum eſt imperitus, fugit exercitationes campi Martii: *haud ſolers pilæ vel diſci, vel trochi,* hæc *minimè tractat; ne frequentes circumſtantes cachinnos effuſè ſolvant: at carminum rudis ea nihilominus audet moliri. Cur non? liber* eſt *atque ingenuus, imò in cenſu* repertus poſſidere *opes ad equeſtrem* dignitatem *ſufficientes, atque omnis expers criminis.*

ANNOTATIONES.

ſcientiâ præcipuus: hunc commendat Valer. Max.

373. *Non homines,*] Certè mavult eruditus quiſque nullos quàm mediocres verſus audire & legere.

Non dii,] Apollo, Bacchus, Muſæ: vel dii, in quorum feſtis canuntur carmina & aguntur ludi. Et quidem nihil niſi præſtantiſſimum diis offerri aut placere fas eſt.

Non columnæ.] Quia non invenient emptores: ſed in pulvere & oblivione jacebunt. *Columnæ,* ſeu pilæ, ad quas libri venales proſtabant; librariorum tabernæ publicis porticibus contiguæ & affixæ. De his jam L. 1. Sat 4. v. 71. ubi

Nulla taberna meos habeat neque pila libellos.

374. *Gratas inter menſas*] Inter unam & alteram menſam: in ſecundâ menſâ.

375. *Unguentum,*] Quo utebantur veteres ad delicias, Lib. 1. Od. 36, & 38.

375. *Sardo cum melle papaver*] Bellaria è melle deterrimo, quale eſt Sardoum; factum ſcil. ex amaris herbis creſcentibus in Sardiniâ inſulâ Italiæ vicinâ. Sardum mel ut & Corſicum valde amarum eſt et nullius pretii. Plin. l. 19. cap. 8. *Papaveris ſativi tria ſunt genera. Candidum, cujus ſemen toſtum in ſecundâ menſâ cum melle apud antiquos dabatur.* Petronius ſatyricè vanos declamatores ait, mellitos fundere verborum globulos, & omnia dicta factaque quaſi papavere & ſeſamo ſparſa.

379. *Ludere qui neſcit,*] Similitudine conglobatâ oſtendit artem poëſeos longâ exercitatione ediſcendam & excolendam, nec temeré tentandam eſſe.

Ludere] Luctari, jaculari, currere, equitare, natare, ſalire: ad quæ ſe exercebat Romana juventus in campo Martio. Vide Lib. 1. Od. 8.

380. *Pilæ*] Lib. 1. Sat. 5. v. 41. & Lib. 2. Sat. 2. v. 11.

Diſci] De eo Lib. 1. Od. 8. & Lib. 2. Sat. 2.

Trochi.] Duplex erat is ludus, ut jam dixi Lib. 4 Od. 24. v. 57. Priorem deſcribit Virg. Æneid. 8. v. 378.

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent. Ille actus habenâ
Curvatis fertur ſpatiis: ſtupet inſcia turba,
Impubeſque manus mirata volubile buxum,
Dant animos plagæ.——————

Alter non ita puerilis exercitationem poſcebat, à priori longè diverſus. Rotula quædam erat ſeu circulus ex ære vel ferro, cujus axiculis appenſi erant annuli inter currendum tinnientes: in locis publicis peragebatur: annulorum verò ſonitu monebantur prætereuntes ut declinarent ab incurſu trochi. Sive, ut ſcribit Turnebus, Rota erat habens anſam, quo faciliùs mitteretur, axiculiſque compacta tranſvectis jaciebatur: quorum claviculæ & commiſſuræ aduncæ, dum verſabatur miſſa rota vel circulus orbiſve miſſus, tinniebant, & crepabant. Artis quidem erat mittere ſcienter. Propert. lib. 3. Eleg. 14.

Increpat & verſi clavis adunca trochi.

Martial. trochi meminit Lib. 11. Epig. 22. Lib. 14. Epig. 168, & 169.

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

382. *Quidni?*] Prolepſis. Quaſi verò illa eſſent ad poeſim adjumenta, probitas, nobilitas, opes.

383. *Liber.*] Licet ergo facere quodcunque libet.

Cenſus equeſtrem] De illo in Epod. 4. Item Lib. 1. Epiſt. 1.

Tu nihil invitâ dices faciéſve Minervâ :
Id tibi judicium eſt, ea mens. Si quid tamen olim
Scripſeris, in Metii deſcendat judicis aures,
Et patris, et noſtras; nonùmque prematur in annum.
Membranis intus poſitis, delere licebit [907]
Quod non edideris. Neſcit vox miſſa reverti.
Silveſtres homines ſacer interpréſque Deorum
Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres rapidóſque leones.
Dictus et Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, et prece blandâ
Ducere quo vellet. Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare jura maritis; [908]
Oppida moliri; leges incidere ligno.

*Tu verò nibil ſcribes aut ages, Minervâ repugnante: Hoc tibi eſt ingenium & judicium. At ſi quidpiam aliquando ſcribas, committe il*lud *auribus & examini Tarpæ, patriſque* tui, *& noſtro.* Quin *& reconde ad annos novem. Dum chartæ* ſcrinio *manebunt inclusæ, poteris emendare quod non vulgaveris: at verbum editum nequaquam redire valet.*

Orpheus divinus & numinum internuncius homines feros avertit â cædibus & turpi vitæ ratione, propterea dictus mitigare tigres & leones ferociſſimos. Amphion quoque Thebanæ arcis conditor dicitur lyræ ſono ſuavique cantu lapides moviſſe & quocunque libuit impuliſſe. Ea fuit olim ſapientia, diſtinguere publica à privatis, & ſacra à profanis, incerta connubia vetare, maritis modum præſcribere, urbes extruere, leges tabulis inſcribere.

ANNOTATIONES.

385. *Tu nihil invitâ, &c.*] Piſonum juvenum majorem alloquitur. Tu quidem cum bonâ indole, ſanâ mente, acri judicio polleas, nihil aggre.ieris perperam: intelligeſque quid poſſis, ut omnia ritè præſtes.

Minervâ invitâ:] Reluctante & infeſtâ hac Deâ artium omnium præſide; ſine cujus ope nihil feliciter quiſquam moliri valet. Unde proverb. in eos qui illud tentent ad quod à natura minime comparati ſunt: quodque propterea nunquam rectè exequuntur.

387. *Metii*] Sp. Metius Tarpa criticus optimus; de quo jam ante Lib. 1. Sat. 10.

388. *Patris,*] Hic enim erat valde ſagax, ingenioſus, eruditusque in primis.

Et noſtras;] Amice ac fideliter.

Nonumque prematur in annum.] Diu ſervetur ſcriptum antequam in lucem edatur, ut limatum otiosè, & expolitum non reformidet acre doctorum judicium, quando vulgabitur. Vide Quint. lib. 10. c. 4. *Emendatio pars ſtudiorum longè utiliſſima. Nec ſine causâ creditum eſt, ſtylum non minus agere cum delet: hujus autem operis eſt, adjicere, detrahere, mutare.*———*Scripta reponantur ad aliquod tempus, ut ad ea poſt intervallum velut nova atque aliena redeamus; ne nobis ſcripta noſtra quaſi recentes fœtus blandiantur, &c. Cinnæ Smyrnam novem annis accipimus ſcriptam; & panegyricum Iſocratis annis decem elaboratum.* Vide Catull. Epig. 96. in Smyrn. Cinnæ.

391. *Sylveſtres homines, &c.*] Poëſeos excellentiam oſtendit & commendat.

Silveſtres] More belluarum in ſilvis & ſpeluncis degentes.

Sacer] Vates divinos Plato nominat. Cic. pro Archia n. 18, *Ennius ille noſter ſanctos vocat poëtas, quòd quaſi Deorum munere commendati nobis eſſe videantur.* Ovid.

At ſacri vates, & divûm cura vocamur.
Sunt etiam qui nos numen habere putant.

Interpr. Deorum] Poëtæ nihil ſunt aliud niſi Deorum interpretes, à quocunque numine corripiantur: inquit Plato in Ione.

392. *Cædib. & victu fœdo deterruit*] Ad humaniorem vitæ rationem & cultum adduxit. Lucret. lib. 5. v. 930.

Volgi vago vitam tractabant more ferarum.

Vide ſupra Lib. 1 Sat. 5. ver. 100, & ſeq.

Orpheus;] Apollinis hic & Calliopes filius, Moyſis tempore floruit. Nullum habemus Orphei genuinum carmen. Hymni & alia quædam ſub ejus nomine circumferuntur perperam: ſunt enim Onomacriti poëtæ.

394. *Amphion*] Jovis ille atque Antiopæ filius Thebas à Cadmo conditas muris & arce inſtruxit. *Non quod lyrâ ſaxa duxerit, ſed quod ſuaviter affatus homines rupium accolas, & incultis moribus rudes ad obſequii civilis pellexerit diſciplinam:* inquit Solinus, cap. 13. vide Lib. 3. Od. 11.

396. *Fuit hæc ſapientia, &c.*] Poëtæ quondam ſapientes erant, & verſibus documenta dabant.

397. *Publica privatis ſecernere,*] Nam communia & publica tunc erant omnia, & robuſtior quiſque per vim quidlibet rapiebat.

Sacra prof.] Nec religio quemquam retinebat.

398. *Dare jura maritis;*] Non modo legitima ſtatuendo conjugia, ſed & adulteria prohibendo.

399. *Oppida moliri;*] Societatis & opis mutuæ cauſa.

Leges incidere ligno.] Primæ leges verſibus qui-

Sic

Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Poſt hos inſignis Homerus
Tyrtæúſque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit: dictæ per carmina ſortes;
Et vitæ monſtrata via eſt; & gratia regum
Pieriis tentata modis; ludúſque repertus,
Et longorum operum finis: ne fortè pudori
Sit tibi Muſa lyræ ſolers, et cantor Apollo.
Naturâ fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine divite venâ,
Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res et conjurat amicè.

Sic fama & dignitas ſacris poëtis de verſibus contigit. Poſt illos inclaruit Homerus, ac Tyrtæus viriles animos ad certamina carminibus accendit: fata verſibus pronunciata: & vivendi inſtituta tradita ſunt: nec non gratia Principum captata, inventi etiam ludi, atque laboris diuturni ſolatium: ne forte verecundiam tibi faciant Muſæ lyricorum peritæ & Phœbus canens. Diſceptatur jamdudum, an bonum poema ſit à natura, an ab arte. Ego quidem *non video quid valeat ars ſine felici naturâ, vel natura, ſine eruditione. Ita res una petit auxilium alterius, & mutuò juvat.*

ANNOTATIONES.

dem in ligneis tabulis ſcriptæ; poſtea ære inciſæ, & locis publicis affixæ ſunt.

400. *Sic honor, &c.*] Per eam ſapientiæ rationem.

401. *Poſt hos*] Poſt primam illam poëſeos ætatem venit altera, quâ Homerus aliíque rectè facta ducum & ſummorum virorum celebrarunt.

402. *Tyrtæus,*] Hic poſt Homerum non ita longè ſeptingentis prope ante Chriſtum annis vivebat. Athenis oriundus, ludimagiſter ignobilis, luſcus, claudus, mutilus: attamen ex Apollinis oraculo præfectus belli dux Lacedæmoniis adverſus Meſſenios, victoriam illis inſignem peperit, cum militum animos præcedentibus cladibus fractos, carmine de verâ virtute & gloriâ ſtimulaſſet, atque ad moriendum pro patria fortiter incendiſſet. Carminis iſtius pretioſæ aliquot reliquiæ ad nos uſque pervenerunt. Hunc poëtam laudant Plato 1. de Rep. Pauſanias in Meſſenicis, Strabo lib. 6. Athenæus, lib. 14. Stobæus multos ejus de bellica audacia verſus proferens: Juſtinus hiſtoriam fusè narrans, lib. 3. Plutarch, Suidas, &c.

403. *Dictæ per carmine ſortes;*] Apollo verſibus quidem heroicis ut plurimum reſponſa dabat, Plin. lib. 7. cap. 56. *verſum heroicum Pythio oraculo debemus,* Virgil. Æn. 4. *ſortes* hoc ſenſu non ſemel uſurpat. Cic. de Div. l. 2. cap. 56. *Cum ſors illa edita eſt opulentiſſimo regi Aſiæ,* Crœſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim, *hoſtium vim ſeſe perverſurum putavit, pervertit autem ſuam.* Vide Plutarch in Theſeo.

404. *Vitæ monſtrata via eſt;*] Quidam intelligunt præcepta morum: eo quod libentius audiuntur & facilius retinentur quæ ſtrictâ quàm quæ ſolutâ oratione ſcripta ſunt. Talia ſunt apud Heſiodum, Theognidem, Phocylidem, Epimenidem, &c. Alii interpretantur carmina de rebus Phyſicis, ut *vitæ* ſit pro *naturæ*, cujus arcana explicantur. Talia ſcripſere Empedocles, Lucretius, &c.

Gratia regum tentata] Poëtæ regibus gratioſi extiterunt: ſic Callimachus Ptolemæo, Æſchylus & Anacreon Polycrati, Euripides Archelao, Simonides Hieroni, Aratus Antigono, Aleſandro etiam Chœrilus, Ennius Scipioni, Archias Lucullo, Virgilius & Horatius Auguſto ac Mæcenati, Claudianus Honorio, Auſonius Gratiano, &c. Ovid.

Cura ducum fuerant olim regumque poëtæ.

405. *Ludúſque repertus,*] Fabulæ relaxandis & oblectandis animis aptæ comœdiæ, &c. certe poſt longos labores verſibus, cantu, dramate, mirum in modum animus recreatur.

406. *Ne fortè pudori, &c.*] Hæc autem recenſere volui, Piſo, ne te pudeat fortè poëtam videri.

407. *Cantor Apollo.*] Carminum auctor, præſes, deus.

408. *Naturâ fieret, &c.*] Vetus controverſia eſt: utrum poëta naſcatur, an fiat.

409. *Ego nec ſtudium ſine divite venâ,*] Cic. pro Archiâ n.18. *Sic à ſummis hominibus eruditiſſimiſque accepimus, cæterarum rerum ſtudia & doctrina & præceptis & arte conſtare; poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu afflari.*

410. *Rude ingenium:*] Arte non expolitum: Bene Plutarchus & alii dixerunt, naturam ſine diſciplina cœcam eſſe.

411. *Alterius ſic altera poſcit opem res,*] Cic. modò cit. *Sæpius ad laudem & virtutem natura ſine doctrina, quam doctrina ſine natura valuit. At cum ad naturam eximiam & illuſtrem acceſſerit ratio quædam & conformatio doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare exiſtit.* Vide & Quintil.

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecítque puer, ſudavit et alſit;
Abſtinuit Venere et vino. Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit priùs, extimuítque magiſtrum.
Nunc ſatis eſt dixiſſe; ego mira poëmata pango: [910]
Occupet extremum ſcabies: mihi turpe relinqui eſt,
Et quod non didici, ſanè neſcire fateri.
Ut præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Aſſentatores jubet ad lucrum ire poëta,
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis.
Si verò eſt unctum qui rectè ponere poſſit,
Et ſpondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum: mirabor, ſi ſciet inter-
Noſcere mendacem verúmque beatus amicum.
Tu ſeu donàris, ſeu quid donare voles cui,
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ. Clamabit enim, Pulcrè, benè, rectè:
Palleſcet; ſuper his etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem: ſaliet, tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt propè plurà dolentibus ex animo: ſic [911]
Deriſor vero plùs laudatore movetur.

Qui cupit metam exoptatam curſu attingere, à juventute multa pertulit egitque, æſtum & frigus toleravit, voluptates abdicavit. Qui tibiâ canit in Pythiis, ante eruditus eſt & magiſtro ſubditus fuit. At *nunc ſufficit dicere: ego perfectiſſima facio carmina: ultimum invadat ſcabies: pudet me poſt alios eſſe, & ingenuè fateri me ignorare quæ non didici.*

Sicut præco plebem congregat ad emendas merces, ita adulatores ad quæſtum vocat poëta prædiis locuples & pecuniâ ad fœnus datâ. Qui ſi lautum velit præbere convivium, *& ſe vadem præſtare pro egeno, eumque litibus obrutum expedire: mirum erit ſi opulentus diſtinguere queat amicum fidelem à fallaci. Tu ſive largitus ſis, ſeu largiri quidpiam velis alicui, ne* hunc *gaudio exultantem admoveas ad* audiendum *carmen à te compoſitum.* Is *enim* tunc *exclamabit, Optimè, concinnè, egregiè: ad illud expalleſcet: atque ante amicos lacrymarum ſtillas* aliquot *oculis effundet: tripudiabit ac ſaltabit. Non ſecus, ac conducti ad flendum in exequiis, dicunt aguntque fere plura quàm qui ex animo lugent: ita plus adulator afficitur, quam ſincerus approbator.*

ANNOTATIONES.

412. *Qui ſtudet optatam*] Oſtendit Poëticam artem perinde ac cæteras artes ſub magiſtro diſcendam eſſe priuſquam exerceatur: neminemque eſſe poëtam excellentem, niſi longâ eruditiòne limatum & expolitum.

Metam,] Locus unde incipiebat curſus, dicebatur carcer; ubi deſinebat, meta.

414. *Abſtinuit Venere & vino.*] Abſtinentia & temperantia mirè juvat: contrà voluptates corpus animumque corrumpunt, enervant, frangunt, perdunt. D. Paul. ad Cor. *Omnes in ſtadio currunt, ſed unus accipit bravium . . . . . . , ... qui in agone contendit ab omnibus abſtinet . . . . ut coronam accipiat.*

Qui Pythia cantat Tibicen,] Eximius quiſque tibicen vocatus ad canendum in Pythiis ludis Apollini ſacris ob interfectum Pythonem ſerpentem. In iis fiebat certamen citharœdorum.

417. *Occupet extremum ſcabies:*] Metaph. à pueris ludentibus, qui ut ſe mutuò ad curſum ſtimulent, poſtremo ſcabiem imprecantur.

418. *Neſcire fateri.*] Sic multiplicatur importuna & funeſta ſoboles malorum poëtarum.

419. *Ut præco ad merces, &c.*] Docet Horatius adhibendos eſſe ſcriptorum arbitros & cenſores, eoſque fideles & ſinceros.

420. *Aſſentatores jubet ad lucrum ire*] Premiis allicit ad laudanda ſua carmina. Vide Perſ. Sat. 1. Martial.

Non tu, Pomponi, cœna diſerta tua eſt.

426. *Tu ſeu donaris, &c.*] Cave quibus & quando legas tua ſcripta, ut verum nanciſcaris de iis judicium.

427. *Plenum lætitiæ.*] Seu præmia ſperantem, ſeu paulo ante conſecutum.

429. *Palleſcet;*] Quaſi obſtupefactus mirandis ſcriptis.

430. *Stillabit ex oculis, &c.*] Præ ſimulatâ lætitiâ & admiratione.

431. *Qui conducti plorant*] Præficæ olim mulieres dictæ, quaſi ancillis ejulantibus & lamentantibus præfectæ, in funeribus adhibebantur, luctum ciebant, vellebant crines, tundebant pectus, &c. Nonnius ex Lucil. *Mercede quæ conductæ flent alieno in funere Præficæ multo & capillos ſcindunt & clamant magis.*

433. *Deriſor*] Fictus laudator.

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent,
An ſit amicitia dignus: Si carmina condes,
Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.
Quintilio ſi quid recitares, Corrige, ſodes,
Hoc, aiebat, et hoc: meliùs te poſſe negares,
Bis térque expertum fruſtra; delere jubebat,
Et malè tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quàm vertere, malles;
Nullum ultrà verbum, aut operam inſumebat inanem,
Quin ſine rivali téque et tua ſolus amares.
Vir bonus et prudens verſus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum; ambitioſa recidet [912]
Ornamenta; parum claris lucem dare coget:
Arguet ambiguè dictum; mutanda notabit;

Aiunt reges ſcyphis plurimis tentare & vino explorare eum quem probare ſtudent, utrum dignus ſit familiaritate ſuâ. Tu ſi facias verſus, cave ne te decipiat animus verſutus adulatoris.

Si quidpiam recitaviſſes Quintilio Varo, dicebat: Age, hoc & illud emenda. Si poſtquam bis aut ter rem tentaſſes, reſponderes; nequaquam te poſſe melius: jubebat expungere, & verſus inconditos recudere. Quod ſi errata defendere malles quàm corrigere; nullum amplius verbum, aut curam adhibebat fruſtra, ne te & tua ſine æmulo ſolus approbares. Vir probus & ſagax verſus languidos redarguet, aſperos damnabit, inconditis nigram notam apponet tranſverſo calamo; luxuriantes ornatus amputabit; jubebit obſcura illuminare; ambigue dicta reprehendet; mutanda deſignabit:

ANNOTATIONES.

434. *Reges dicuntur, &c.*] Inebriant hominem, ut explorent num ſit loquax, & an temulentus commiſſa ſecreta effutiat ac revelet.

Culullis,] Poculi genus eſt. Vide Annot. Lib. 1. Od. 31. v. 11.

437. *Sub vulpe latentes.*] Alludit ad Fabulam Vulpis & Corvi.

438. *Quintilio,*] Cremonenſis ille poëta, ſolertiſſimus & acerrimus erat ſcriptorum judex. Vide Lib. 1. Od. 18, & 24.

441. *Malè tornatos incudi reddere verſus.*] Metalla igne & incude mollita ſingi torno conſtat: & teſtatur Strabo *de Cibyræ ferro.* Ergo perperam criminantur quod Horatius duas eaſque contrarias metaphoras incudis & torni hic veluti conferciat. Alii rectius leg. *formatos.*

444. *Teque & tua ſolus amares.*] Ea eſt poëtaſtri ſtultitia. Cic. Tuſc. *Adhuc neminem cognovi poëtam, qui ſibi non optimus videretur.*

445. *Vir bonus*] Ab adulatione alienus, cæterùm ingenio & judicio ſagax.

Verſus reprehendet inertes,] Arte & virtute carentes. Vide Lib. 2. Epiſt. 2. v. 110 & ſeq.

446. *Duros,*] Inconcinnos, non elaboratos, malè ſonantes, *crudos* Perſio: ſuprà cit. Epiſt. v. 122.

——————nimis aſpera ſane
Lævabit cultu.——————

Allinet atrum ſignum;] Græci ὀβελίζειν dicunt. Expungendi ſeu delendi, vel mutandi ſignum & nota erat, virgula quædam recta ὀβελὸς dicta, quod tanquam veru corrigenda tranſfigerat, verſibus & locis reprehenſione dignis apponebatur à critico.

447. *Ambitioſa recidet Ornam.*] Quintil i. 10. c. 4. *Emendatio pars ſtudiorum longe utiliſſima; nec ſine cauſa creditum eſt, ſtylum non minus agere cum delet: hujus operis eſt, Adjicere, Detrahere, Mutare: ſimplicius judicium quæ replenda vel dejicienda ſunt, duplicis autem operis eſt, premere tumentia, humilia extollere, luxuriantia aſtringere, inordinata digerere, ſoluta componere, exultantia coercere. Nam & damnata quæ placuerant, & invenienda quæ fugerant, &c.* Hujus præcepti ſui Horatius ipſe videtur immemor fuiſſe, ſtylum juveniliter exultantem non caſtigans, nec ambitioſa & luxuriantia recidens, quando in Ep. 16. v. 28. plura coacervat, ubi unum & ſimplex erat afferendum. Certè mens dolore preſſa haud in multas aut acutas ſententias effunditur & ſpatiatur: nec tot minuta variaq; concipit, nedum eleganter & copiosè eloquatur. In quo paſſim hallucinatus eſt Seneca Tragicus, Lucanus etiam, &c. Vide Cicer. in Bruto, ubi Gorgiam redarguit.

448. *Parum claris lucem dare coget;*] Et memet huic documento fateor obnoxium. Auctor Reip. Literariæ 1684. meas ad Juvenalem annotatiunculas recenſens, vir certè bonus & prudens animadvertit paululùm dormitaſſe me, nec ſatis expoſuiſſe mentem Satyrici, v. 49. Sat. 1. Leviori nimium ſtylo locum eximium perſtrinxeram. Bene Scaliger lib. 6. cap. 7. *In Juvenale inquit, ſunt quædam tam acute dicta, ut vix uni, aut alteri par ſit Horatius.* Nec crede omnino, Lector, Hypercritico. In hoc tamen auſculta, quod ita laudat iſtum locum:

Exul ab octavo Marius bibit, & fruitur Diis
Iratis.

 Fiet

Fiet Ariſtarchus: nec dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis? Hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel exceptùmque ſiniſtrè. [913]
Ut mala quem ſcabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, et iracunda Diana;
Veſanum tetigiſſe timent fugiuntque poëtam,
Qui ſapiunt: agitant pueri, incautique ſequuntur.
Hic dum ſublimes verſus ructatur, et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveámve; licèt, Succurrite, longum
Clamet, Io cives; non ſit qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, et demittere funem;
Quî ſcis an prudens huc ſe projecerit, atque
Servari nolit? dicam; Siculique poëtæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam: [914]
Inſiluit. Sit jus, liceátque perire poëtis.

ſe velut *Ariſtarchum præbebit; nec dicet, Quare ego amicum moleſtia afficiam pro re levi?* Atqui *res iſta levis in vera mala impellit* hominem *deluſum ſemel & maligne approbatum.*

Qui ſana mente ſunt, ut quem exitioſa ſcabies vexat, vel furor à diis immiſſus & Diana infeſta; ſic poëtam inſanum contingere formidant; atque averſantur: pueri verò *& imprudentes conſectantur. Is dum verſus excelſos meditatur & aberrat, ſi quaſi auceps ad merulas* captandas *attentus, in puteum aut foveam ruat, nemo reperietur qui extrahere ſtudeat, quamvis diu vociferetur: Heus cives auxilium date.* Quod *ſi aliquis velit ſubvenire, & funem prætendere, dicam: Unde noſti nunquid illuc ſponte ſe præcipitaverit, & recuſet ſervari?* moxque *commemorabo mortem Siculi poëtæ. Empedocles geſtiens exiſtimari Deus immortalis; frigide ſe dejecit in Ætnam ardentem. Sit fas & licentia poëtis interire.*

ANNOTATIONES.

Quid enim argutius dici queat (pergit ille) quam nos fructum capere ex irâ Deorum; ut quod obeſt, juvet? vide quæ jam de his annotavi Lib. 1. Od. 21. v. 15. ad vocem impune.

450. *Fiet Ariſtarchus*:] Sagaciter, acriter, fideliter ſui amici errata notabit, obelo transfodiet; ut ſolebat Ariſtarchus. Hic Grammaticus ætatis ſuæ princeps, idemque ſeverus operum cenſor qui Poëtas Græcos accuratiſſimè caſtigavit, atq; in Homero verſus adulterinos pleroſq; à legitimis diſcrevit. Proh dolor! pro fati & temporis injuria! Tanti viri tot voluminum nihil ſuperſtes habemus. Tempore Callimachi floruit: à Cicerone multis locis laudatur, Lib. 3. Epiſt. 11, *Ariſtarchus Homeri verſus eſſe negabat quos non probabat.* Ad Attic. Lib. 11. Ep. 1. *orationes quarum tu Ariſtarchus es*, &c. Ejus etiam meminit Plutarchus in vita Homeri.

Nec dicet cur, &c. Hæc enim adulatoris eſt improba ratio, & conſuetudo.

452. *In mala deriſum*] Quod pejus malum, quam ſe & ſua ſolum amare, cæteris irridentibus juſte quidem, atque in perpetuo errore verſari?

453. *Ut mala quem ſcabies*, &c.] Mali poëtæ Horatius exhibet infortunatam conditionem, ut ab ea deterreat.

Morbus regius] Eo croceus fit hominis vultus ſuffuſo felle. Arquatus, Ictericus, apud Lucret. Lib. 4. Cornel. Celſ lib. 3. cap. 4. Plin. &c. Regius dicitur quod eo affecti ſanentur, ſi regiis deliciis impenſe oblectentur.

454. *Fanaticus error*,] Furiis vexati μανιακοὶ, fanatici appellantur; vel quod in fanis ſtipem corradant vel quod in ſacris locis furant & vexentur maximè, obſervantibus animo inanibus phantaſmatis. Talis fuit Oreſtes ob interfectam matrem Clytæmneſtram furiis agitatus.

Iracunda Diana;] Hæc lymphaticos efficere credita. Sic Ajax furioſus extitit apud Sophoclem. Pan etiam infeſtus habebatur. Unde panici terrores dicti.

457. *Hic dum ſublimes*, &c.] Veſanus ille poëtaſter.

Sublimes] Opinione quidem propriâ & vanâ æſtimatione. Alii leg. *ſublimis* pari ſenſu.

Errat,] Animo ſimul & corpore: adulatoribus nimium credulus.

458. *Decidit in foveam*, &c.] Aliud et ad id quod refertur Thales Mileſius ſidera ſpectans in puteum decidiſſe. Laert. in ejus vita, Plato in Theæto, &c.

460. *Clamet, Io cives*, &c.] Vide Lib. 1. Epiſt. 17. ſub finem.

463. *Siculi Poetæ*] Empedoclis Agrigentini, Philoſophi & Poetæ; qui de rerum natura carmen ſcripſit, ut apud Latinos Lucretius. Hic illum celebrat, lib. 1. floruit ante Chriſtum annis fere quingentis. Cic. 1. de Orat. n. 217. *Empedocles Phyſicus egregium poema fecit.* De eo jam Lib 1. Epiſt. 12.

465. *Ætnam*] Siciliæ montem flammas & lapides eructantem.

466. *Inſiluit.*] Vel, ut famam divinitatis caperet; vel præ dolore, quod Ætnæi incendii

Invitum

Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.
Nec ſemel hoc fecit; nec ſi retractus erit, jam
Fiet homo, et ponet famoſæ mortis amorem.
Nec ſatis apparet, cur verſus factitet; utrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Moverit inceſtus: certè furit, ac velut urſus,
Objectos caveæ valuit ſi frangere clathros,
Indoctum doctùmque fugat recitator acerbus.
Quem verò arripuit, tenet occidítque legendo.
Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

Qui invitum ſervat, peccat æque ac interficiens. Neque ſemel id fecit; ſique educatur inde, haud proinde *fiet homo deinceps, nec famoſæ mortis cupiditatem abjiciet. Certe non liquet quamobrem verſibus faciendis incumbat: utrum minxerit in patris cineres, an triſte bidental ſceleratus violaverit. Profectò furioſus eſt: & tanquam urſus quando oppoſita caveæ clauſtra perrumpere valuit; imperitum atque eruditum in* fugam *vertit recitator* importunus: *at* quem apprehenderit occupat *ac interimit,* velut ſanguiſuga *non demittet* cutem *niſi* ſanguine *repleta.*

ANNOTATIONES.

cauſas aſſequi non valeret. Porrò, rejectis ab Ætnæo lacu & camino, una cum cætera materia, crepidis ejus æreis, detectam fraudem, aliqui fabulantur.

468. *Nec jam fiet homo,*] Haud deſinet velle immortalis exiſtimari; quicquid humani eſt, alienum à ſe & indignum ſe putans, præ ſtultitia & ſuperbia. Alii interpretantur: non magis erit rationis compos: inſaniet ſemper.

470. *Cur verſus factitet*;] Ob quod ſcelus aut flagitium Diis inviſus hanc luat pœnam, ut malos verſus faciendo ſeſe maceret.

471. *Utrum minxerit in patrios cineres,*] Duplex noxa, & ſepulchri ſanctitatem & paternam pietatem violare. Vide Perſ. Sat. 1. ubi,

. . . . *pueri, ſacer eſt locus: extra Meiite.*——————

471. *Bidental Moverit inceſtus:*] Locus fulmine ictus diis ſacer habebatur; bidentes ara ibi erecta immolabantur: ſepimentis incluſum calcare nefas erat homini præſertim conſcelerato. Perſ. Sat. 2. Gell. lib. 16. cap. 26, &c.

472. *Inceſtus:*] Flagitio quodam infando pollutus.

473. *Clathros,*] Græcis κλῆθρα ſepimenta, cancellos.

474. *Recitator acerbus.*] Ligurinus ejuſmodi fuit, apud Martialem non uno loco.

476. *Hirudo.*] Quæ corpori tandiu adhæret donec ſanguine ſaturata excidat.

FINIS.

Verùm ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parùm cavit natura. Quid ergo eſt?
Ut ſcriptor ſi peccat idem librarius uſque,
Quamvis eſt monitus, veniâ caret; ut citharœdus
Ridetur, chordâ qui ſemper oberrat eâdem:
Sic mihi qui multùm ceſſat, fit Chœrilus ille,
Quem bis terve bonum cum riſu miror; et idem
Indignor, quandoq; bonus dormitat Homerus. [904]
Verùm opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.
Ut pictura poëſis erit; quæ, ſi propriùs ſtes,
Te capiet magis; et quædam, ſi longiùs abſtes.
Hæc amat obſcurum: volet hæc ſub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen;
Hæc placuit ſemel: hæc decies repetita placebit.
O major juvenum, quamvis et voce paternâ
Fingeris ad rectum, et per te ſapis; hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus
Rectè concedi. Conſultus juris, et actor
Cauſarum mediocris abeſt virtute diſerti
Meſſalæ, nec ſcit quantum Caſcellius Aulus; [905]

At cùm pars major carminis ſpecioſa fuerit, ego non offendar paucis erroribus, quos vel reliquit indiligentia, vel hominis ingenium tenue vix cavere potuerit. Quid igitur ſtatuendum? *Quemadmodum librorum deſcriptori, ſi idem ſemper erratum admittat etiam admonitus, minimè ignoſcitur: & citbariſta deridetur, qui ſemper ad eandem chordam offendit. Ita qui ſæpiùs* in carmine *allucinatur, videtur* ſimilis *iſti Chœrilo, quem bis aut ter elegantem admiror & derideo; ipſemet autem doleo, quotieſcunque labitur excellens Homerus. Sed in longo opere oſcitare licet.*

Poëſis eſt ſimilis picturæ: quædam tibi magis placebit, ſi adſis proximus; quædam verò ſi remotior fueris. Altera loco paulùm tenebroſo, altera ad lucem plenam *vult ſpectari,* ſcilicet *quæ non timet judicis examen ſeverum: altera ſemel* duntaxat, *altera decies ſpectata approbabitur.*

O major natu *juvenum* Piſonum, *tametſi patris documentis formaris ad* id quod *perfectum* eſt, *& ex te ſapis; hoc monitum auſculta & retine.* In rebus *quibuſdam mediocritas toleratur, & rite admittitur. Jurisperitus & cauſidicus mediocris* longè *diſtat ab eloquentiâ Meſſalæ;* nec tantum *pollet quantum Aulus Caſcellius:*

ANNOTATIONES.

351, 352. *Non ego paucis Offendar maculis,*] Vide Longin. cap. 30.

357. *Qui multum ceſſat,*] Sæpiùs iners & negligens, & hinc crebriùs peccans, lib. 2. Epiſt. 2. v. 14. *ſemel hic ceſſavit.*

Chœrilus] De eo lib. 2. Epiſt. 1. v. 233.

358. *Bis terq; bonum miror.*] Demiror quòd non ſemper malè, quodque vel bis aut ter bene ſcribat.

359. *Indignor, quandoque bonus dormitat*] Nam bonum poetam benè ſemper & concinnè dicere velim. At *peccare humanum eſt.* Cic. *Nemo eſt qui omnibus horis ſapiat.* Plin. Videtur hîc Horatius alludere ad id quod Ariſtoteles notat, Homerum contra decorum & rationem ſcribere, Ulyſſem prudentiſſimum ubique & vigilantiſſimum ſomno oppreſſum è navi ſublatum à Phæacibus & in litore Ithacenſi expoſitum. Tunc certè Homerus ipſe plus quam Ulyſſes indormitaſſe videatur. Alia multa in Homero ſunt reprehenſa, pariter & in Virgilio pleraque. Vide Macrob. &c.

360. *Verùm opere in longo, &c.*] Quintil. lib. 10. cap. 1. *Non ſemper intendunt animum, oneri cedunt, fatigantur nonnunquam: & Ciceroni dormitare Demoſthenes, & Homerus Horatio viſi: magni enim ſunt, homines tamen.*

361. *Ut pictura poëſis erit;*] Pictura eſt muta poëſis: poëſis loquens pictura. Plato 10. de Rep. Ariſtot. Poët. Plutarchus ex Simonide, &c. Cic. Tuſc. 5. n. 114. *Tradunt Homerum cæcum fuiſſe; at ejus picturam non poëſim videmus. Quæ regio? quæ ora? qui locus Græciæ? quæ ſpecies formæ? quæ pugna? quæ acies? quod regimen? qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus eſt, ut quæ ipſe non viderit, nos ut videremus effecerit?*

Quæ ſi propriùs ſtes, &c.] Ita quædam poëſis haud accurata, raptim ſi legatur, fortè placebit, duobus locis aut tribus ſat nitida. At ſi diligentiùs conſideretur, apparebunt maculæ & vitia permulta, quibus offenſus lector averſabitur. Contrà poëſis elegans paſſim & ad amuſſim facta, ingenioque & arte diù elaborata, quo ſæpiùs inſpicietur, eo plus admirationem movebit: quia novæ ſemper veneres & lepores eluceſcent.

365. *Hæc decies repetita placebit.*] Plato in Philebo, quæ pulchra ſunt bis & ter repetenda, dixit.

371. *Meſſalæ,*] Meſſala Corvinus orator diſertiſſimus; de quo lib. 3. Od. 21. & lib. 1. Sat. 10.

Caſcellius] Aulus Caſcellius Vindex juris civilis.

Sed tamen in pretio eſt : Mediocribus eſſe poëtis
Non homines, non dii, non conceſſère columnæ.
Ut gratas inter menſas ſymphonia diſcors, 374
Et craſſum unguentum, et Sardo cum melle papaver
Offendunt ; poterat duci quia cœna ſine iſtis :
Sic animis natum inventùmque poëma juvandis,
Si paulùm ſummo diſceſſit, vergit ad imum.
Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis ;
Indoctùſque pilæ, diſcíve, trochíve, quieſcit ; 380
Ne ſpiſſæ riſum tollant impuné coronæ. [906]
Qui neſcit verſus, tamen audet fingere. Quidni ?
Liber et ingenuus, præſertim cenſus equeſtrem
Summam nummorum, vitióque remotus ab omni.

attamen laudatur. Verùm poëtam mediocrem non ferunt Dii, non homines, non tabernæ. Sicut lautas inter epulas incondita muſica, & vile unguentum, & papaver cum melle Sardo mixtum *reſpuuntur, quoniam tranſigi cœna poteſt ſine illis : ſic carmen ad animos recreandos factum, ſi tantulum abeſt à ſupremo, tendit ad infimum.*

Qui ludorum eſt imperitus, fugit exercitationes campi Martii : *haud ſolers pilæ vel diſci, vel trochi,* hæc *minimè tractat ; ne frequentes circumſtantes cachinnos effuſè ſolvant : at carminum rudis ea nihilominus audet moliri. Cur non ? liber* eſt *atque ingenuus, imò in cenſu* repertus poſſidere *opes ad equeſtrem* dignitatem *ſufficientes, atque omnis expers criminis.*

ANNOTATIONES.

ſcientiâ præcipuus : hunc commendat Valer. Max.

373. *Non homines,*] Certè mavult eruditus quiſque nullos quàm mediocres verſus audire & legere.

Non dii,] Apollo, Bacchus, Muſæ : vel dii, in quorum feſtis canuntur carmina & aguntur ludi. Et quidem nihil niſi præſtantiſſimum diis offerri aut placere fas eſt.

Non columnæ.] Quia non invenient emptores : ſed in pulvere & oblivione jacebunt. *Columnæ,* ſeu pilæ, ad quas libri venales proſtabant ; librariorum tabernæ publicis porticibus contiguæ & affixæ. De his jam L. 1. Sat 4. v. 71. ubi

Nulla taberna meos habeat neque pila libellos.

374. *Gratus inter menſas*] Inter unam & alteram menſam : in ſecundâ menſâ.

375. *Unguentum,*] Quo utebantur veteres ad delicias, Lib. 1. Od. 36, & 38.

375. *Sardo cum melle papaver*] Bellaria è melle deterrimo, quale eſt Sardoum ; factum ſcil. ex amaris herbis creſcentibus in Sardiniâ inſulâ Italiæ vicinâ. Sardum mel ut & Corſicum valde amarum eſt et nullius pretii. Plin. l. 19. cap. 8. *Papaveris ſativi tria ſunt genera. Candidum, cujus ſemen toſtum in ſecundâ menſâ cum melle apud antiquos dabatur.* Petronius ſatyricè va nos declamatores ait, mellitos fundere verborum globulos, & omnia dicta factaque quaſi papavere & ſeſamo ſparſa.

379. *Ludere qui neſcit,*] Similitudine conglobatâ oſtendit artem poëſeos longâ exercitatione ediſcendam & excolendam, nec temeré tentandam eſſe.

Ludere] Luctari, jaculari, currere, equitare, natare, ſalire : ad quæ ſe exercebat Romana juventus in campo Martio. Vide Lib. 1. Od. 8.

380. *Pilæ*] Lib. 1. Sat. 5. v. 41. & Lib. 2. Sat. 2. v. 11.

Diſci] De eo Lib. 1. Od. 8. & Lib. 2. Sat. 2.

Trochi.] Duplex erat is ludus, ut jam dixi Lib. 4 Od. 24. v. 57. Priorem deſcribit Virg. Æneid. 8. v. 378.

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent. Ille actus habenâ
Curvatis fertur ſpatiis : ſtupet inſcia turba,
Impubeſque manus mirata volubile buxum,
Dant animos plagæ.——————

Alter non ita puerilis exercitationem poſcebat, à priori longè diverſus. Rotula quædam erat ſeu circulus ex ære vel ferro, cujus axiculis appenſi erant annuli inter currendum tinnientes : in locis publicis peragebatur : annulorum verò ſonitu monebantur prætereuntes ut declinarent ab incurſu trochi. Sive, ut ſcribit Turnebus, Rota erat habens anſam, quo faciliùs mitteretur, axiculiſque compacta tranſvectis jaciebatur : quorum claviculæ & commiſſuræ aduncæ, dum verſabatur miſſa rota vel circulus orbiſve miſſus, tinniebant, & crepabant. Artis quidem erat mittere ſcienter. Propert. lib. 3. Eleg. 14.

Increpat & verſi clavis adunca trochi.

Martial. trochi meminit Lib. 11. Epig. 22. Lib. 14. Epig. 168, & 169.

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur ?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

382. *Quidni ?*] Prolepſis. Quaſi verò illa eſſent ad poeſim adjumenta, probitas, nobilitas, opes.

383. *Liber.*] Licet ergo facere quodcunque libet.

Cenſus equeſtrem] De illo in Epod. 4. Item Lib. 1. Epiſt. 1.

Tu nihil invitâ dices faciéſve Minervâ :
Id tibi judicium eſt, ea mens. Si quid tamen olim
Scripſeris, in Metii deſcendat judicis aures,
Et patris, et noſtras; nonùmque prematur in annum.
Membranis intus poſitis, delere licebit [907]
Quod non edideris. Neſcit vox miſſa reverti.
Silveſtres homines ſacer interpreſque Deorum
Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres rapidóſque leones.
Dictus et Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, et prece blandâ
Ducere quo vellet. Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare jura maritis; [908]
Oppida moliri; leges incidere ligno.

Tu veiò nihil ſcribes aut ages, Minervâ repugnante: Hoc tibi eſt ingenium & judicium. At ſi quidpiam aliquando ſcribas, committe il lud *auribus & examini Tarpæ, patriſque* tui, *& noſtro.* Quin *& reconde ad annos novem. Dum chartæ* ſcrinio *manebunt inclusæ, poteris emendare quod non vulgaveris: at verbum editum nequaquam redire valet.*

Orpheus divinus & numinum internuncius homines feros avertit â cædibus & turpi vitæ ratione, propterea dictus mitigare tigres & leones ferociſſimos. Amphion quoque Thebanæ arcis conditor dicitur lyræ ſono ſuavique cantu lapides moviſſe & quocunque libuit impuliſſe. Ea fuit olim ſapientia, diſtinguere publica à privatis, & ſacra à profanis, incerta connubia vetare, maritis modum præſcribere, urbes extruere, leges tabulis inſcribere.

ANNOTATIONES.

385. *Tu nihil invitâ, &c.*] Piſonum juvenum majorem alloquitur. Tu quidem cum bonâ indole, ſanâ mente, acri judicio polleas, nihil aggredieris perperam: intelligeſque quid poſſis, ut omnia rité præſtes.

Minervâ invitâ:] Reluctante & infeſtâ hac Deâ artium omnium præſide; ſine cujus ope nihil feliciter quiſquam moliri valet. Unde proverb. in eos qui illud tentent ad quod à natura minime comparati ſunt: quodque propterea nunquam recté exequuntur.

387. *Metii*] Sp. Metius Tarpa criticus optimus; de quo jam ante Lib. 1. Sat. 10.

388. *Patris,*] Hic enim erat valde ſagax, ingenioſus, erudituſque in primis.

Et noſtras;] Amice ac fideliter.

Nonumque prematur in annum.] Diu ſervetur ſcriptum antequam in lucem edatur, ut limatum otioſè, & expolitum non reformidet acre doctorum judicium, quando vulgabitur. Vide Quint. lib. 10. c. 4. *Emendatio pars ſtudiorum longè utiliſſima. Nec ſine causá creditum eſt, ſtylum non minus agere cum delet: hujus autem operis eſt, adjicere, detrahere, mutare.*——*Scripta reponantur ad aliquod tempus, ut ad ea poſt intervallum velut nova atque aliena redeamus; ne nobis ſcripta noſtra quaſi recentes fætus blandiantur, &c. Cinnæ Smyrnam novem annis accipimus ſcriptam; & panegyricum Iſocratis annis decem elaboratum.* Vide Catull. Epig. 96. in Smyrn. Cinnæ.

391. *Sylveſtres homines, &c.*] Poëſeos excellentiam oſtendit & commendat.

Silveſtres] More belluarum in ſilvis & ſpeluncis degentes.

Sacer] Vates divinos Plato nuncupat. Cic. pro Archia n. 18, *Ennius ille noſter ſanctos vocat poëtas, quòd quaſi Deorum munere commendati nobis eſſe videantur.* Ovid.

At ſacri vates, & divûm cura vocamur.
Sunt etiam qui nos numen habere putant.

Interpr. Deorum] Poëtæ nihil ſunt aliud niſi Deorum interpretes, à quocunque numine corripiantur: inquit Plato in Ione.

392. *Cædib. & victu fœdo deterruit*] Ad humaniorem vitæ rationem & cultum adduxit. Lucret. lib. 5. v. 930.

Volgi vago vitam tractabant more ferarum.

Vide ſupra Lib. 1 Sat. 5. ver. 100, & ſeq.

Orpheus;] Apollinis hic & Calliopes filius, Moyſis tempore floruit. Nullum habemus Orphei genuinum carmen. Hymni & alia quædam ſub ejus nomine circumferuntur perperam: ſunt enim Onomacriti poëtæ.

394. *Amphion*] Jovis ille atque Antiopæ filius Thebas à Cadmo conditas muris & arce inſtruxit. *Non quod lyrâ ſaxa duxerit, ſed quod ſuaviter affatus homines rupium accolas, & incultis moribus rudes ad obſequii civilis pellexerit diſciplinam:* inquit Solinus, cap. 13. vide Lib 3. Od. 11.

396. *Fuit hæc ſapientia, &c.*] Poëtæ quondam ſapientes erant, & verſibus documenta dabant.

397. *Publica privatis ſecernere,*] Nam communia & publica tunc erant omnia, & robuſtior quiſque per vim quidlibet rapiebat.

Sacra prof.] Nec religio quemquam retinebat.

398. *Dare jura maritis;*] Non modo legitima ſtatuendo conjugia, ſed & adulteria prohibendo.

399. *Oppida moliri;*] Societatis & opis mutuæ cauſa.

Leges incidere ligno.] Primæ leges verſibus qui-

Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Poſt hos inſignis Homerus
Tyrtæúſque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit: dictæ per carmina ſortes;
Et vitæ monſtrata via eſt; & gratia regum
Pieriis tentata modis; ludúſque repertus,
Et longorum operum finis: ne fortè pudori
Sit tibi Muſa lyræ ſolers, et cantor Apollo.
Naturâ fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine divite venâ,
Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res et conjurat amicè.

Sic fama & dignitas ſacris poëtis de verſibus contigit. Poſt illos inclaruit Homerus, ac Tyrtæus viriles animos ad certamina carminibus accendit: fata verſibus pronunciata: & vivendi inſtituta tradita ſunt: nec non gratia Principum captata, inventi etiam ludi, atque laboris diuturni ſolatium: ne forte verecundiam tibi faciant Muſæ lyricorum peritæ & Phœbus canens. Diſceptatur jamdudum, an bonum poema ſit à natura, an ab arte. Ego quidem *non video quid valeat ars ſine felici naturâ, vel natura, ſine eruditione. Ita res una petit auxilium alterius, & mutuò juvat.*

ANNOTATIONES.

dem in ligneis tabulis ſcriptæ; poſtea ære inciſæ, & locis publicis affixæ ſunt.

400. *Sic honor, &c.*] Per eam ſapientiæ rationem.

401. *Poſt hos*] Poſt primam illam poëſeos ætatem venit altera, quâ Homerus aliique recte facta ducum & ſummorum virorum celebrarunt.

402. *Tyrtæus,*] Hic poſt Homerum non ita longè ſeptingentis prope ante Chriſtum annis vivebat. Athenis oriundus, ludimagiſter ignobilis, luſcus, claudus, mutilus: attamen ex Apollinis oraculo præfectus belli dux Lacedæmoniis adverſus Meſſenios, victoriam illis inſignem peperit, cum militum animos præcedentibus cladibus fractos, carmine de verâ virtute & gloriâ ſtimulaſſet, atque ad moriendum pro patria fortiter incendiſſet. Carminis iſtius pretioſæ aliquot reliquiæ ad nos uſque pervenerunt. Hunc poëtam laudant Plato 1. de Rep. Pauſanias in Meſſenicis, Strabo lib. 6. Athenæus, lib. 14. Stobæus multos ejus de bellica audacia verſus proferens: Juſtinus hiſtoriam fusè narrans, lib. 3. Plutarch, Suidas, &c.

403. *Dictæ per carmina ſortes;*] Apollo verſibus quidem heroicis ut plurimum reſponſa dabat, Plin. lib. 7. cap. 56. *verſum heroicum Pythio oraculo debemus,* Virgil. Æn. 4. *ſortes* hoc ſenſu non ſemel uſurpat. Cic. de Div. l. 2. cap. 56. *Cum ſors illa edita eſt opulentiſſimo regi Aſiæ,* Crœſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim, *hoſtium vim ſeſe perverſurum putavit, pervertit autem ſuam.* Vide Plutarch in Theſeo.

404. *Vitæ monſtrata via eſt;*] Quidam intelligunt præcepta morum: eo quod libentius audiuntur & facilius retinentur quæ ſtrictâ quàm quæ ſolutâ oratione ſcripta ſunt. Talia ſunt apud Heſiodum, Theognidem, Phocylidem, Epimenidem, &c. Alii interpretantur carmina de rebus Phyſicis, ut *vitæ* ſit pro *naturæ*, cujus arcana explicantur. Talia ſcripſere Empedocles, Lucretius, &c.

Gratia regum tentata] Poëtæ regibus gratioſi extiterunt: ſic Callimachus Ptolemæo, Æſchylus & Anacreon Polycrati, Euripides Archelao, Simonides Hieroni, Aratus Antigono, Alexandro etiam Chœrilus, Ennius Scipioni, Archias Lucullo, Virgilius & Horatius Auguſto ac Mæcenati, Claudianus Honorio, Auſonius Gratiano, &c. Ovid.

Cura ducum fuerant olim regumque poëtæ.

405. *Ludúſque repertus,*] Fabulæ relaxandis & oblectandis animis aptæ comœdiæ, &c. certe poſt longos labores verſibus, cantu, dramate, mirum in modum animus recreatur.

406. *Ne fortè pudori, &c.*] Hæc autem recenſere volui, Piſo, ne te pudeat fortè poëtam videri.

407. *Cantor Apollo.*] Carminum auctor, præſes, deus.

408. *Naturâ fieret, &c.*] Vetus controverſia eſt: utrum poëta naſcatur, an fiat.

409. *Ego nec ſtudium ſine divite venâ,*] Cic. pro Archiâ n. 18. *Sic à ſummis hominibus eruditiſſque accepimus, cæterarum rerum ſtudia & doctrina & præceptis & arte conſtare; poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu afflari.*

410. *Rude ingenium:*] Arte non expolitum: Bene Plutarchus & alii dixerunt, naturam ſine diſciplina cœcam eſſe.

411. *Alterius ſic altera poſcit opem res,*] Cic. modò cit. *Sæpius ad laudem & virtutem naturæ ſine doctrina, quam doctrina ſine natura valuit. At cum ad naturam eximiam & illuſtrem acceſſerit ratio quædam & confirmatio doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare exiſtit.* Vide & Quintil.

Qui cupit metam exoptatam curſu attingere, à juventute multa pertulit egitque, æſtum & frigus toleravit, voluptates abdicavit. Qui tibiâ canit in Pythiis, ante eruditus eſt & magiſtro ſubditus fuit. At *nunc ſufficit dicere: ego perfectiſſima facio carmina: ultimum invadat ſcabies: pudet me poſt alios eſſe, & ingenuè fateri me ignorare quæ non didici.*

Sicut præco plebem congregat ad emendas merces, ita adulatores ad quæſtum vocat poëta prædiis locuples & pecuniâ ad fœnus datâ. Qui ſi lautum velit præbere convivium, *& ſe vadem præſtare pro egeno, eumque litibus obrutum expedire: mirum erit ſi opulentus diſtinguere queat amicum fidelem à fallaci. Tu ſive largitus ſis, ſeu largiri quidpiam velis alicui, ne* hunc *gaudio exultantem admoveas ad* audiendum *carmen à te compoſitum. Is enim* tunc *exclamabit, Optimè, concinnè, egregiè: ad illud expalleſcet: atque ante amicos lacrymarum ſtillas* aliquot *oculis effundet: tripudiabit ac ſaltabit. Non ſecus, ac conducti ad flendum in exequiis, dicunt aguntque fere plura quàm qui ex animo lugent: ita plus adulator afficitur, quam ſincerus approbator.*

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecítque puer, ſudavit et alſit;
Abſtinuit Venere et vino. Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit priùs, extimuítque magiſtrum.
Nunc ſatis eſt dixiſſe; ego mira poëmata pango: [910]
Occupet extremum ſcabies: mihi turpe relinqui eſt,
Et quod non didici, ſanè neſcire fateri.
Ut præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Aſſentatores jubet ad lucrum ire poëta,
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis.
Si verò eſt unctum qui rectè ponere poſſit,
Et ſpondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum: mirabor, ſi ſciet inter-
Noſcere mendacem verúmque beatus amicum.
Tu ſeu donàris, ſeu quid donare voles cui,
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ. Clamabit enim, Pulcrè, benè, rectè:
Palleſcet; ſuper his etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem: ſaliet, tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt propè plurà dolentibus ex animo: ſic [911]
Deriſor vero plùs laudatore movetur.

ANNOTATIONES.

412. *Qui ſtudet optatam*] Oſtendit Poëticam artem perinde ac cæteras artes ſub magiſtro diſcendam eſſe priuſquam exerceatur: neminemque eſſe poëtam excellentem, niſi longâ eruditióne limatum & expolitum.

Metam,] Locus unde incipiebat curſus, dicebatur carcer; ubi definebat, meta.

414. *Abſtinuit Venere & vino.*] Abſtinentia & temperantia mirè juvat: contrà voluptates corpus animumque corrumpunt, enervant, frangunt, perdunt. D. Paul. ad Cor. *Omnes in ſtadio currunt, ſed unus accipit bravium . . . . qui in agone contendit ab omnibus abſtinet . . . . ut coronam accipiat.*

Qui Pythia cantat Tibicen,] Eximius quiſque tibicen vocatus ad canendum in Pythiis ludis Apollini ſacris ob interfectum Pythonem ſerpentem. In iis fiebat certamen citharœdorum.

417. *Occupet extremum ſcabies:*] Metaph. à pueris ludentibus, qui ut ſe mutuò ad curſum ſtimulent, poſtremo ſcabiem imprecantur.

418. *Neſcire fateri.*] Sic multiplicatur importuna & funeſta ſoboles malorum poëtarum.

419. *Ut præco ad merces, &c.*] Docet Horatius adhibendos eſſe ſcriptorum arbitros & cenſores, eoſque fideles & ſinceros.

420. *Aſſentatores jubet ad lucrum ire*] Præmiis allicit ad laudanda ſua carmina. Vide Perſ. Sat. 1. Martial.

Non tu, Pomponi, cœna diſerta tua eſt.

426. *Tu ſeu donaris, &c.*] Cave quibus & quando legas tua ſcripta, ut verum naſciſcaris de iis judicium.

427. *Plenum lætitiæ.*] Seu præmia ſperantem, ſeu paulo ante conſecutum.

429. *Palleſcet;*] Quaſi obſtupefactus mirandis ſcriptis.

430. *Stillabit ex oculis, &c.*] Præ ſimulatâ lætitiâ & admiratione.

431. *Qui conducti plorant*] Præficæ olim mulieres dictæ, quaſi ancillis ejulantibus & lamentantibus præfectæ, in funeribus adhibebantur, luctum ciebant, vellebant crines, tundebant pectus, &c. Nonnius ex Lucil. *Mercede quæ conductæ flent alieno in funere Præficæ multo & capillos ſcindunt & clamant magis.*

433. *Deriſor*] Fictus laudator.

Rege

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent,
An ſit amicitia dignus: Si carmina condes,
Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.
Quintilio ſi quid recitares, Corrige, ſodes,
Hoc, aiebat, et hoc: meliùs te poſſe negares,
Bis térque expertum fruſtra; delere jubebat,
Et malè tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quàm verteré, malles;
Nullum ultrà verbum, aut operam inſumebat inanem,
Quin ſine rivali téque et tua ſolus amares.
Vir bonus et prudens verſus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum; ambitioſa recidet [912]
Ornamenta; parum claris lucem dare coget:
Arguet ambiguè dictum; mutanda notabit;

Aiunt reges ſcyphis plurimis tentare & vino explorare eum quem probare ſtudent, utrum dignus ſit familiaritate ſuâ. Tu ſi facias verſus, cave ne te decipiat animus verſutus adulatoris.

Si quidpiam recitaviſſes Quintilio Varo, *dicebat: Age, hoc & illud emenda. Si poſtquam bis aut ter rem tentaſſes, reſponderes; nequaquam te poſſe melius: jubebat expungere, & verſus inconditos recudere.* Quod *ſi errata defendere malles quàm corrigere; nullum amplius verbum, aut curam adhibebat fruſtra, ne te & tua ſine æmulo ſolus approbares. Vir probus & ſagax verſus languidos redarguet, aſperos damnabit, inconditis nigram notam apponet tranſverſo calamo; luxuriantes ornatus amputabit; jubebit obſcura illuminare; ambigue dicta reprehendet; mutanda deſignabit:*

ANNOTATIONES.

434. *Reges dicuntur, &c.*] Inebriant hominem, ut explorent num ſit loquax, & an temulentus commiſſa ſecreta effutiat ac revelet.

Calullis,] Poculi genus eſt. Vide Annot. Lib. 1. Od. 31. v. 11.

437. *Sub vulpe latentes.*] Alludit ad Fabulam Vulpis & Corvi.

438. *Quintilio,*] Cremonenſis ille poëta, ſolertiſſimus & acerrimus erat ſcriptorum judex. Vide Lib. 1. Od. 18, & 24.

441. *Malè tornatos incudi reddere verſus.*] Metalla igne & incude mollita fingi torno conſtat: & teſtatur Strabo *de Cibyræ ferro.* Ergo perperam criminantur quod Horatius duas eaſque contrarias metaphoras incudis & torni hic veluti conferciat. Alii rectius leg. *formatos.*

444. *Teque & tua ſolus amares.*] Ea eſt poëtaſtri ſtultitia. Cic. Tuſc. *Adhuc neminem cognovi poëtam, qui ſibi non optimus videretur.*

445. *Vir bonus*] Ab adulatione alienus, cæterùm ingenio & judicio ſagax.

Verſus reprehendet inertes,] Arte & virtute carentes. Vide Lib. 2. Epiſt. 2. v. 110 & ſeq.

446. *Duros,*] Inconcinnos, non elaboratos, malè ſonantes, *crudos* Perſio: ſuprà cit. Epiſt. v. 122.

——————*nimis aſpera ſano*
Lævabit cultu.——————

Allinet atrum ſignum;] Græci ὀβελίζειν dicunt. Expungendi ſeu delendi, vel mutandi ſignum & nota erat, virgula quædam recta ὀβελὸς dicta, quod tanquam veru corrigenda tranſfigerat, verſibus & locis reprehenſione dignis apponebatur à critico.

447. *Ambitioſa recidet Ornam.*] Quntil i. 10. c. 4. *Emendatio pars ſtudiorum longe utiliſſima, nec ſine cauſa creditum eſt, ſtylum non minus agere cum delet: hujus operis eſt, Adjicere, Detrahere, Mutare: ſimplicius judicium quæ replenda vel dejicienda ſunt, duplicis autem operis eſt, premere tumentia, humilia extollere, luxuriantia aſtringere, inordinata digerere, ſoluta componere, exultantia coërcere. Nam & damnata quæ placuerant, & invenienda quæ fugerant, &c.* Hujus præcepti ſui Horatius ipſe videtur immemor fuiſſe, ſtylum juveniliter exultantem non caſtigans, nec ambitioſa & luxuriantia recidens, quando in Ep. 16. v. 28. plura coacervat, ubi unum & ſimplex erat afferendum. Certè mens dolore preſſa haud in multas aut acutas ſententias effunditur & ſpatiatur: nec tot minuta variaq; concipit, nedum eleganter & copiosè eloquatur. In quo paſſim hallucinatus eſt Seneca Tragicus, Lucanus etiam, &c. Vide Cicer. in Bruto, ubi Gorgiam redarguit.

448. *Parum claris lucem dare coget;*] Et memet huic documento fateor obnoxium. Auctor Reip. Literariæ 1684. meas ad Juvenalem annotatiunculas recenſens, vir certè bonus & prudens animadvertit paululùm dormitaſſe me, nec ſatis expoſuiſſe mentem Satyrici, v. 49. Sat. 1. Leviori nimium ſtylo locum eximium perſtrinxeram. Bene Scaliger lib. 6. cap. 7. *In Juvenale inquit, ſunt quædam tam acute dicta, ut vix uni, aut alteri par ſit Horatius.* Nec crede omnino, Lector, Hypercritico. In hoc tamen auſculta, quod ita laudat iſtum locum:

Exul ab octavo Marius bibit, & fruitur Diis
Iratis.

Fiet Ariſtarchus: nec dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis? Hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel exceptùmque ſiniſtrè. [913]
Ut mala quem ſcabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, et iracunda Diana;
Veſanum tetigiſſe timent fugiuntque poëtam,
Qui ſapiunt: agitant pueri, incautique ſequuntur.
Hic dum ſublimes verſus ructatur, et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveámve; licèt, Succurrite, longum
Clamet, Io cives; non ſit qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, et demittere funem;
Quî ſcis an prudens huc ſe projecerit, atque
Servari nolit? dicam; Siculique poëtæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam [914]
Inſiluit. Sit jus, liceátque perire poëtis.

ſe velut *Ariſtarchum præbebit; nec dicet, Quare ego amicum moleſtia efficiam pro re levi?* Atqui *res iſta levis in vera mala impellit* hominem *deluſum ſemel & maligne approbatum.*

Qui ſina mente ſunt, ut quem exitioſa ſcabies vexat, vel furor à diis immiſſus & Diana infeſta; ſic poëtam inſanum contingere formidant; atque averſantur: pueri verò *& imprudentes conſectantur. Is dum verſus excelſos meditatur & aberrat, ſi quaſi auceps ad merulas* captandas *attentus, in puteum aut foveam ruat, nemo reperietur qui extrahere ſtudeat, quamvis diu vociferetur: Heu: cives auxilium date.* Quod *ſi aliquis velit ſubvenire, & funem prætendere, dicam: Unde noſti nunquid illuc ſponte ſe præcipitaverit, & recuſet ſervari?* moxque *commemorabo mortem Siculi poëtæ. Empedocles geſtiens exiſtimari Deus immortalis; frigide ſe dejecit in Ætnam ardentem. Sit fas & licentia poëtis interire.*

ANNOTATIONES.

Quid enim argutius dici queat (pergit ille) quam nos fructum capere ex irâ Deorum; ut quod obeſt, juvet? vide quæ jam de his annotavi Lib. 1. Od. 21. v. 15. ad vocem impune.

450. *Fiet Ariſtarchus*:] Sagaciter, acriter, fideliter ſui amici errata notabit, obelo transfodiet; ut ſolebat Ariſtarchus. Hic Grammaticus ætatis ſuæ princeps, idemque ſeverus operum cenſor qui Poëtas Græcos accuratiſſimè caſtigavit, atq; in Homero verſus adulterinos pleroſq; à legitimis diſcrevit. Proh dolor! pro fati & temporis injuria! Tanti viri tot voluminum nihil ſuperſtes habemus. Tempore Callimachi floruit: à Cicerone multis locis laudatur, Lib. 3. Epiſt. 11, *Ariſtarchus Homeri verſus eſſe negabat quos non probabat.* Ad Attic. Lib. 11. Ep. 1. *orationes quarum tu Ariſtarchus es*, &c. Ejus etiam meminit Plutarchus in vita Homeri.

Nec dicet cur, &c. Hæc enim adulatoris eſt improba oratio, & conſuetudo.

452. *In mala deriſum*] Quod pejus malum, quam ſe & ſua ſolum amare, cæteris irridentibus juſte quidem, atque in perpetuo errore verſari?

453. *Ut mala quem ſcabies, &c.*] Mali poëtæ Horatius exhibet infortunatam conditionem, ut ab ea deterreat.

Morbus regius] Eo croceus fit hominis vultus ſuffuſo felle. Arquatus, Ictericus, apud Lucret. Lib. 4. Cornel. Celſ lib. 3. cap. 4. Plin. &c. Regius dicitur quod eo affecti ſanentur, ſi regiis deliciis impenſe oblectentur.

454. *Fanaticus error,*] Furiis vexati [illegible], fanatici appellantur; vel quod in fanis ſtipem corradant vel quod in ſacris locis furant & vexentur maximè, obſervantibus animo inanibus phantaſmatis. Talis fuit Oreſtes ab interfectam matrem Clytæmneſtram furiis agitatus.

Iracunda Diana;] Hæc lymphaticos efficere credita. Sic Ajax furioſus extitit apud Sophoclem. Pan etiam infeſtus habebatur. Unde panici terrores dicti.

457. *Hic dum ſublimes, &c.*] Veſanus ille poëtaſter.

Sublimes] Opinione quidem propriâ & vanâ æſtimatione. Alii leg. *ſublimis* pari ſenſu.

Errat,] Animo ſimul & corpore: adulatoribus nimium credulus.

458. *Decidit in foveam, &c.*] Alludit ad id quod refertur Thales Mileſius ſidera ſpectans in puteum decidiſſe. Laert. in ejus vita, Plato in Theæto, &c.

460. *Clamet, Io cives, &c.*] Vide Lib. 1. Epiſt. 17. ſub finem.

463. *Siculi Poetæ*] Empedoclis Agrigentini, Philoſophi & Poetæ; qui de rerum natura carmen ſcripſit, ut apud Latinos Lucretius. Hic illum celebrat, lib. 1. floruit ante Chriſtum annis fere quingentis. Cic. 1. de Orat. n. 217. *Empedocles Phyſicus egregium poema fecit.* De eo jam Lib 1. Epiſt. 12.

465. *Ætnam*] Siciliæ montem flammas & lapides eructantem.

466. *Inſiluit.*] Vel, ut famam divinitatis caperet; vel præ dolore, quod Ætnæi incendii

Invitum

Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.
Nec ſemel hoc fecit; nec ſi retractus erit, jam
Fiet homo, et ponet famoſæ mortis amorem.
Nec ſatis apparet, cur verſus factitet; utrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Moverit inceſtus: certè furit, ac velut urſus,
Objectos caveæ valuit ſi frangere clathros,
Indoctum doctùmque fugat recitator acerbus.
Quem verò arripuit, tenet occidítque legendo.
Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

Qui invitum ſervat, peccat æque ac interficiens. Neque ſemel id fecit; ſique educatur inde, haud proinde *fiet homo deinceps, nec famoſæ mortis cupiditatem abjiciet. Certe non liquet quamobrem verſibus faciendis incumbat: utrum minxerit in patris cineres, an triſte bidental ſceleratus violaverit. Profecto furioſus eſt: & tanquam urſus quando oppoſita caveæ clauſtra perrumpere voluit; imperitum atque eruditum in* fugam *vertit recitator* importunus: *at* quem apprehenderit occupat *ac interimit,* velut ſanguiſuga *non demittet* cutem *niſi* ſanguine *repleta.*

ANNOTATIONES.

cauſas aſſequi non valeret. Porrò, rejectis ab Ætnæo lacu & camino, una cum cætera materia, crepidis ejus æreis, detectam fraudem, aliquì fabulantur.

468. *Nec jam fiet homo,*] Haud deſinet velle immortalis exiſtimari; quicquid humani eſt, alienum à ſe & indignum ſe putans, præ ſtultitia & ſuperbia. Alii interpretantur: non magis erit rationis compos: inſaniet ſemper.

470. *Cur verſus factitet*;] Ob quod ſcelus aut flagitium Diis inviſus hanc luat pœnam, ut malos verſus faciendo ſeſe maceret.

471. *Utrum minxerit in patrios cineres,*] Duplex noxa, & ſepulchri ſanctitatem & paternam pietatem violare. Vide Perſ. Sat. 1. ubi,

. . . . *pueri, ſacer eſt locus: extra Meiite.*——————

471. *Bidental Moverit inceſtus:*] Locus fulmine ictus diis ſacer habebatur; bidentes ara ibi erecta immolabantur: ſepimentis incluſum calcare nefas erat homini præterquam conſecerato. Perſ. Sat. 2. Gell. lib. 16. cap. 26, &c.

472. *Inceſtus:*] Flagitio quodam infando pollutus.

473. *Clathros,*] Græcis κλῆθρα ſepimenta, cancellos.

474. *Recitator acerbus.*] Ligurinus ejuſmodi fuit, apud Martialem non uno loco.

476. *Hirudo.*] Quæ corpori tandiu adhæret donec ſanguine ſaturata excidat.

FINIS.

INDEX

RERUM NOTABILIUM

Quæ reperiuntur tum in Carminibus Horatii, tum in Annotationibus noſtris.

Monendus es, amice Lector, ut in uſu hujuſce Indicis attendas ad númeras uncinulis incluſos in orâ paginæ adſcriptos, undè & facilè quidvis in Annotationibus eô ſpectantibus reperiatur.

A.

ABrotonum planta ſalubris 840
Accius, vel Actius, vel Attius poëta 606, 834. *ejus opera & verſus aliquot*, ibid. 607
acernæ menſæ laudabantur poſt citreas 714
acipenſer piſcis exquiſitus 627
Acroceraunii ſcopuli 18
Achæmenes rex Perſarum 196, 244, 473
Achilles 26, 36, 66, 163, 386, 473
Actiaca victoria Lib. 1. Od. 37. Epod. 1, & 9
ador 701
Adriacus ſinus 17, 67, 126, 191, 207, &c.
advenæ volucres 433
adulator poëtæ fugiendus maximè 910, &c.
adultera dotem amittebat 529
adulteri deprehenſi, cæſi & vulnerati 521, &c.
Æacus 200, 319, 397
ædificandi libidine laborat Horatius 668
ædium olim fumarium erat in tecti medio 666
Ægæum mare 214, 358
ægis Palladis clypeus 63, & ſeq.
Æmilius Paulus 53
Æoliæ fides, id eſt, Alcæus & Sappho, Lib. 2. Od. 13. Lib. 3. Od. 30
Æolus Lib. 1. Od. 3
Æſchylus Art. Poet. v. 279
Æſopus hiſtrio arte clarus 837
Æſopi hiſtrionis luxuries 660
ætatis cujuſque mores & proprietates, Art. Poët. 887
Æthiopia 276
Ætna mons 490. 914
Ætolia, Ætolæ plagæ, id eſt, retia 813
Afra avis, ſeu gallina 435
Afra cochlea 678
Afranius poeta 834
Africa & Ægyptus duo horrea populi Romani 647
alec 676, 714
Agamemnon 401, 654, &c.
Agave furioſa diſcerpit Penthea filium 668
Agrippa Auguſti gener 26, 654, 754
Agyieus Apollo 389
Ajax Oileus 466
Ajax Telamonius 64, 163, 654, & ſeq.
Alba, urbs Latii 710
Albanum vinum 405
Albius Tibullus poeta 125, 746
Albunea nympha; Sybilla: ejuſque fons & nemus 30
Alcæus poeta 122, 123, 201, & 399
Alcinoi luxuria 378
alea legibus vetita 338, 811
Alexander Magnus poetas fovebat. Idem vetuit ne pingeret ſe quiſquam niſi Apelles 852, & ſeq.
Alfenus ex ſutore Juriſconſultus 542
Aliphana vaſa 717
Allium, de quo multa 438
Allobroges 480
Alpes 377 & 416
Alpinus poeta inſulſus 604
alvum ſolvunt conchylia 674
amantium inſignia 662, *ſollicitudines* 663, & ſeq.
ambubaiæ 516
amor fatuus Xerxis erga platanum arborem & Caligulæ in equum 657
Amphion Thebarum conditor 294, & Art. Poet. v. 394
Amphion, & Zethus fratres 812
Anacreon poeta 73, 400, 476
ancilia 268
animus hominis divinæ particula auræ 632
Anio fluv. 31
annuli quâ manu, & quo digito geſtarentur 704
anſeris albi jecur in deliciis 271
Antenor 736
anteſtandi mos & ratio 598
Anticyra inſula ellebori feraciſſima 646. item in Art. Poet.
Antiochus Magnus Aſſyr. rex 279
Antium urbs Latii Fortunæ ſacra 130
Antonii & Cleopatræ fuga 461, & ſeq.
Antonius Muſa Auguſti medicus 791
anus quædam teſtamento ulciſcitur captatorem 690
Anxur urbs, ſeu Terracina 559
apellæ dicti Judæi 568
Apelles pictor inſignis 853
apinæ 137, 179, 405
apotheca 683
Appia via 442, 557, 754
Aprilis Veneri ſacer, unde dictus 406
Apulia 259, 439, 566

aquæ

aquæ potores an boni poetæ ſint? 818, & ſeq.
aquæ variæ variis morbis medentes, 791, & ſeq.
aquis iſtis utendi ratio, ibid.
aquila 379, 533
Aquilicia ſacra ad eliciendam pluviam 842
Aquilo 98, 695
Arabum gazæ celebres 113, 197
aratrum urbi imprimere, id eſt, eam delere 69
arbiter bibendi; ſeu convivii rex 179
Arbuſcula celebris mima, à paucis malebat viris ſapientibus, quàm à plebe universâ approbari 610
Arcadia 410
archaici lecti 748
Archilochus poeta 454
Arcturus ſidus 242
Argonautæ 438
Argos urbs 30
arioli, ſortilegi, &c. in circo & fora Rom. 578, & ſeq.
Ariſtarchus 911
Ariſtippus philoſophus pecuniam abjecit 648
Ariſtophanes poeta 544
Ariſtophanem legebat aſſiduè S. Joan. Chryſoſtomus, ut Plautum S. Hieronymus, ibid.
arma cuique propria dantur à naturâ; homini ratio eſt tectum potens 618
Armenia 185
Aſia valdè fertilis 583, 743
as in duodecim partes diviſus 901
Aſſyria nardus 192
Atabulus ventus idem qui Japyx 566
Athena 704
Athenienſes virgines deferebant ſacra Junonis, Palladis, Cereris 531, 714
Atrides, ſive Agamemnon 164
Atta poeta 837
attagen Ionicus, perdix Aſiana 436
Attalus rex 225
Attica virgo ſacra portans inceſſu gravi & lento 531, 714
Attius poeta, vide *Accius*.
avaritiæ inſectatio, Lib. 1. Sat. 1.
avarus lethargo oppreſſus medici aſtutiâ curatur 651
auctoris & libri optimi bona ſors 903
augurum dignitas 420
Auguſti encomia, Lib. 1. Od. 12. Lib. 3. Od. 4, 5, 14. Lib. 4. Od. 5, 14, 15. Epiſt. 1. Lib. 2.
Auguſtus divis annumeratus 267. *pater patriæ dici amabat*, Lib. 1. Od. 2. *bibliothecam & ædem Apollini conſecravit* 744. *nolebat laudari niſi à ſummis auctoribus* 852. *annulum ſuum Mæcenati concredebat* 427
auguria & auſpicia, dextra & læva 215, & ſeq.
auguria captandi ratio & modus, ibid.
aulæa ad ſcena 848
aulæa ad cameram triclinii 719
aurem in ore habet equus 792
auſpicia contemnens pœnas dedit 276
auſter ventus obſonia corrumpit 627, 714
auſter morbos creat 207
Autumnus item lethifer, ibid. & 693

B

BAbylonii numeri 46
Bacchus poetis præſid. 229
Baiæ 227
Baianæ aquæ variis medentur morbis 691, 792
Balatrones 517
barba ſapiens, ſeu index ſapientiæ 64
Barbaria pro Phrygia 164, 460, 461
barrus quare elephas dicatur? 407
Baſſareus Bacchus unde dictus? 77
batiolum quid? 560
Bellerophon 105, 301
bellorum imago exhibita in ſcenâ 14, &c.
Beneventum 565
Berecynthia 78
bibitores totâ nocte certatim potantes quid præmium ferebant? 819
bibliotheca in Palatino monte extructa ab Auguſto 744
bidental 914
bionei ſermones, id eſt, ſatirici & mordaces 850
Bithynia 131, 755
Bœotiæ aer craſſus, populi hebetes 853
Boſphorus 199
Briſeis 163
Britanni 419
bruma 695
Brunduſium 569
buccas inflare, id eſt, iraſci 507
Bupalus pictor Hipponactis poetæ hoſtis 454, & ſeq.
Byſantium 679
Byſantina arca 67

C

CAduceus Mercurii 44
Cæcilius poeta 834
Cæcuba vina 84
cœna pontificum 209
Cærite cera dignus: quid? 758
Cæſar Jul. hortos plebi legavit 593
Calabria 11
calcei Senatorii & Patricii 573
Calenum vinum 84
caliendrum 591
Callimachus poëta 863
Calliope 258
calo, ſervus lignator 577
Calvus poëta 602
camelopardalis 195
camera triclinii aulæis obtendebatur 719
Camillus 54
caminus male uſurpatur pro fumario 566
Campanus morbus 564
Campus Martius 35
Canephora virgo Cereris ſacra portans. Vide *Attica virgo.*
canicula ſidus 73, 302
Cantabri 191
cantare rogati cantores abnuunt 530
cantharus 83, 759
Canuſium urbs 567
capitis minus, quid ſignificet? 271
Capito Fonteius ad unguem factus homo 560
Capitolinum 373

Coppa-

Cappadocia 755
Capricornus, ſidus grave & noxium 222
caprina de lana certare proverb. 810
Capua Romæ æmula 480, 562
caput velabant, qui ſe præcipites dabant 642
carceres unde dicti 515
cardiacus 641, 652
carminis exordium haud longiùs repetendum 885
Carthago Romæ æmula 271
Caſcellius Aulus 905
Caſſius Parmenſis poëta 608, 746. *ejus verſus aliquot,* ibid.
Caſſius Severus orator maledicus 453
Caſtor & Pollux 15, 51
Catius Philoſophus Epicureus 670
Cato cenſorius 212, 521, 864
Cato Uticenſis 52, 151, 326
Catullus poeta 707
Caucaſus mons 89, 427
caudam trahere, quid? 643
cenſorum dignitas & poteſtas 572
cenſus equeſtris 443, 729
centauri 76, 473
Cerberus 202
Cereris ſacra ſilentio inſignia 248
Cereris ſacra portans virgo. Vide *Attica virgo*
ceritus vel cerritus, id eſt, furore percitus à Cerere 665
cetaria 686
Cethegi 864
Chærilus poeta 852
Charon 161, 228
chartæ inventio & uſus 555
Charybdis 104
chimæra 105
chiragra 705, 727
Chium vinum 320
Chium maris expers 714
chorus in Tragœdiis 890
ciboria 178
cibus ſimplex ſanitati utilis 631
Cibyra urbs 755
ciconias quis primus in cibum pararit? 628
cicuta 438
civiſtones 526
Circea mœnia, id eſt, Tuſculum 429
Circæum oppidum & promontorium 675
Circe famoſa venefica 489, 737, 738
cithara & lyra differunt 42
claſſicum undè dicatur? 431
claſſis Antonii & Cleopatræ, item claſſis Auguſti 276
clavus latus, &c. 560
Cleopatra mori volens 141, & ſeq.
Cnidus urbs 115
coactor. quis? 576
coæ veſtes pellucidæ 413, 527
Cocceius juriſc. 559
Cocytus 207
cœna dubia, quid? 632
cœna luxurioſa magis quàm lauta, Lib. 2. Sat. 8.
cœnabant olim veſperi, reliquâ die ferè jejuni manebant 581
ad cœnam invitati, uncti adibant 706
Colchis 199
collyrium 559
Colophon urbs 766
colophonem imponere, undè dicatur? ibid.
comœdia vetus 544, 897
comœdiæ difficultas 846, &c.
Concani populi 261
conchæ 674
conchylia 631, 674
concordia diſcors 782
conopeum, quid propriè? 462
convivæ demebant ſoleas, ne lectos fœdarent 720
convivii rex, 22, 179
conviviorum olim reges & ritus 180
Coranus Naſicam captatorem eludit 687
Corinthus urbs 29
Corinthum adire non cuivis contingit 806
cornua Baccho, cur? 233
coronæ è floribus in conviviis 143
Corvinus Meſſala nobilis orator 603
Corybantes 68
Cos inſula: Coum vinum 674
coſtus Achæmenius, id eſt, Syrium unguentum 244
coticia ſacra 492
Crantor philoſophus 735
Craſſus profligatus 267
Cratinus poeta 544, 818
Creta hecatompolis 348, 454
critici fidelis officium 909
Crœſi regia 776
cruſtulæ 508, 677
cubital 662
cuculus probroſa vox 584
Cumæ 792
cuminum pallorem inducit 820
Cuppâ potare magiſtrâ, quid? 635
Curius Dentatus 53
currus triumphalis quæ forma? 463
curulis ſella 757, & ſeq.
cyathus quid? 579
Cyclades inſulæ 62, 352
cyclus & cyclicus 884
Cyclopea ſcenicum drama 564, & ſeq.
Cyclopes 21
Cyclops, Polyphemus 564
cygni an canori? 374
cygni Phœbo ſacri, pro bonis poetis uſurpantur 236
Cynicus 804
cypreſſus, multa de eâ 39, 208
Cyprus inſula 4, 15
Cyrus rex 157, 355

D.

DAci populi 131
Dædalus 19
